This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

B 1,365,267

PROPERTY OF
University of Michigan Libraries
1817
ARTES SCIENTIA VERITAS

PROPERTY OF
University of
Michigan
Libraries
1817
ARTES SCIENTIA VERITAS

P. VERGILI MARONIS

OPERA

AD OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM EDIDIT PERPETUA ET ALIORUM ET SUA ADNOTATIONE ILLUSTRAVIT DISSERTATIONEM DE VERGILI VITA ET CARMINIBUS ATQUE INDICEM RERUM LOCUPLETISSIMUM

ADIECIT

ALBERTUS FORBIGER.

PARS II.

AENEIDOS LIBER I—VI.

EDITIO QUARTA

RETRACTATA ET VALDE AUCTA.

LIPSIAE

SUMPTUM FECIT ET VENUMDAT I. C. HINRICHS.

MDCCCLXXIII.

1873

878
V9
F69
v.2

3436 A.

P. VERGILI MARONIS

AENEIS.

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Postquam auctor totius carminis argumentum paucis exposuit (1—7.) et Musam invocavit (9—11.), haec canit: Aeneas, Anchisae et Veneris filius, vir singulari pietate et fortitudine praeditus, qui Troia capta et eversa novam patriam quaerens iam septem annos per maria terrasque errabat, a Sicilia in Italiam navigans immissa ab Aeolo rogatu Iunonis Troianis infestissimae gravissima tempestate ad Libycum litus appellitur (12—156.), et egressus in terram septem ingentis magnitudinis cervos sagittis prosternit singulosque in singulas naves (tot enim ex dispersa classe collegerat) aequaliter distribuit (157—197.); deinde socios longis iam erroribus fatigatos, dum corpora curant et post coenam amissos requirunt amicos, solatur et spe futurae quietis ad toleranda, quae instent, excitat (198—222.). Tum Venus Iovem forte in Libyam oculos coniicientem adit queriturque casus Aeneae sui, omnium calamitatum illarum culpam Iunonis invidiae attribuens; Iupiter autem fata Aeneae eiusque posterorum breviter exponens spe felicis posteritatis potentiaeque Romanorum dolorem filiae consolatur et Mercurium de caelo mittit, ut Troianis Carthaginiensium hospitium paret (223—304.). Eius oratione confirmata Venus postero die Aeneae locorum ignaro et explorandae regionis causa huc illuc oberranti venatricis habitu sese obviam praebet, naves dispersas salvas esse nuntiat, ostendit non procul inde abesse Carthaginem, eumque, ut Didonem reginam in condenda urbe occupatam bono animo adeat, hortatur (305—409.). Sero a filio agnita Paphum abit, Aeneas autem matris beneficio densa nebula circumfusus una cum Achate Carthaginem ingreditur, ubi pugnae ad Troiam commissae, quas artis ope in templo effictas conspicit, omnem ex animo eius pellunt metum (410—493.). Hic etiam salvos reperit duces navium Troianarum in aliam litoris partem eiectarum, qui conquerentes iniuriam a litoris custodibus sibi factam a Didone benigno responso placantur (494—578.). Iam Aeneas rupta nube, qua erat circumdatus, prodit in conspectum, salutat Didonem et receptos socios atque a regina benigne excipitur, quae advenis munera mittit et in palatio epulas instruit (579—642.). Aeneas Ascanium filium e navibus adduci iubet, Venus autem, quae cognita Poenorum perfidia eorum hospitio et muliebri inconstantiae non satis fidebat, sopito in Idaliae lucis Ascanio, pro eo Cupidinem substituit, qui inter amplexus et oscula reginae animum amore Aeneae incendat (643—696.). Denique initur convivium a Didone institutum et Aeneas ab ea rogatur, ut Troiae excidium et errores suos enarret (696—756).

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, et egressus silvis vicina coegi,

Quatuor illos versus, quos Heynii exemplum secuti typorum diversita ab reliquis distinximus, *Ille ego — — horrentia Martis*, non esse Vergil sed a Grammatico aliquo assutos, Heinsii, Burmanni utriusque, Kootei (in singulari de his verss. Dissert. Franeq. 1770. edita), Heumanni (Po cil. T. II. p. 378.), Marklandi (ad Stat. Silv. V, 3, 8.), Heynii, Schiracl (Clav. Virg. p. 426.), Graseri (in Censura editionis Wagner., Ephem. l Hal. a. 1835. ch. 185. p. 257 sq. inserta), Hildebrandi (in Censura ed meae, quam exhibent Iahnii Annall. Vol. XXVI. fasc. 1. p. 157 sqq.), Süp lii, Peerlkampii, Coningtonis, haud dubie etiam Ribbeckii (eos in margine inferiorem reiicientis) aliorumque est sententia, qui eos, a plurimis sa Codd. (inter quos Medic., Rom., fragm. Ver., Gud.) omissos, et Vergilii ingei indignos esse et epici carminis gravitati adversari censent. Sed legunt illi in Palat. (Ambrogio teste etiam in Rom., cui tamen a Ribbecl abiudicantur) aliisque Codd. secundi ordinis ac defenduntur et Donati (v Virg. §. 60.) et Servii (Praef. ad Aen.) auctoritate, qui eos a Vario su latos haberi referunt, iidemque per se spectati satis tersi sunt et elegant nec quidquam continent, quod non Vergilianum censeri liceat, id qu statim singula perlustrantes videbimus; quare Wagnerus et in edit. sua in Epist. ad Groebelium data, Dresdae a. 1836. p. 18 sqq. argumen satis probabilibus demonstrare conatur, hos versus Vergilio non es abiudicandos, eique adsentiuntur Iahn., Weichert. de L. Varii et Cas Parm. vita et carmm. Grimae 1836. p. 69. not. 61. Equidem, quamqu mihi persuadere non poteram, Vergilium ab iis vere incepisse Aeneid suam, tamen, cum nemo facile divinare possit, a quo et quando hi vers compositi sint Augusteo aevo dignissimi, quos a Tucca et Vario rescisi esse Donat. et Serv. ll. ll. referant, semper eam opinionem habui, qu etiam Wagner. in Epist. illa proposuit atque Gossrau, Teuffel in Pa *Realencycl.* VI, 2. p. 2653., Siebelis in Progr. Hildburgh. a. 1845. Aeneid. ab Hofm. Peerlkampio editae l. I. adnott.), et Kappes *Zur Beur der Aen.* I. p. 1. amplectuntur, (dum Ladew. et Bryce certam sententi non proferunt), Vergilium, aegre valedicentem carminibus, quibus glori debuit, et transeuntem ad genus plane diversum sibique ab alio impositu quo num eandem laudem sibi comparaturus esset, certe dubitare poter hos versus (qui Pierio et Ribbeckio testibus in Codd. vel separat Aeneidi praescripti, vel in margine adiecti sunt) pro titulo s. inscripti praemisisse uni vel paucis exemplaribus huius primi libri, quae familiaril quibusdam tamquam specimen totius operis mitteret; a qua senten etiam nunc post ea, quae Hildebr., Süpfl. et Peerlk. contra Wagnerum memet ipsum disputarunt, recedere non possum. Quod enim Donat. Servius narrant, Vergilium non ipsum edidisse Aeneidem, sed adeo m bundum tamquam opus imperfectum comburi voluisse, id non impe quominus poëta unum alterumve librum amicis quibusdam flagitantil legendum tradidisse et ut iis, qui carmina prius a se conscripta tanto c plausu excepissent, etiam hoc novum genus commendaret, hanc inscription addidisse putetur, quam totum carmen in publicum emittens haud du non adiecisset. (Non multum ab hac sententia recedit Conrads in Qua Virg. p. XXV. suspicatus, recitando huic libro a poëta praemissos e versus illos, quos ipse in textum recipi noluerit; quam opinionem prob videtur Ribbeck. Proleg. p. 65.) Ex nostra autem sententia neque auct suo carent versus elegantissimi et Vergilio dignissimi, neque unice apt carmini exordium detrahitur: *Arma virumque cano* etc., quod ap Homeri Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα imitatur, et ab Ovidio Trist. II, Am. I, 15. 25. Propertio III, 32, (II, 34,) 63 sq., Persio I, 96. Mart VIII, 56, 19 sq. et XIV, 185., Silio Ital. I, 1., Ausonio Epigr. 137., Calpu Ecl. IV, 163., poëtis Anth. Lat. Burm. II, 193, 9. 194, 1. 198, 3. 25. 106, 142. et Wernsd. II, 232, 27., Vegetio de re mil. II, 1., Cassiodoro orthogr. Praef. p. 2278. P. aliisque spectatur. (Cf. autem de hoc vete *more libros primis* eorum verbis commemoratis significandi Bentl. ad I

Ut quamvis avido parerent arva colono,
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis

Sat. I, 3, 7. et Ochsner ad Oliveti Ecl. Cicer. p. 395.) Henry vero et Nauck. in Progr. Regiom. Neomarch. a. 1862. p. 1. adeo versus totius libri ab iis numerare incipiunt et ille quidem in *Class. Mus.* P. XIX. et *Twelve years* p. 2. sine iis principium Aeneidis asperum parumque Vergilianum censet et Vergilio necessario (*horrentia*) *Martis arma* scribendum fuisse putat, cum *arma* per se nihil aliud sint, nisi instrumenta cuiusque generis, (agrestia Geo. I, 160., nautica Aen. V, 15., culinaria Aen. I, 177. etc.), ut poëta, qui Geo. l. l. scripsisset: *Dicendum et, quae sint duris agrestibus arma,* nunc ad argumentum epicum transiens iam oppositi causa *Martis* addere debuerit; simplex autem *arma* in principio carminis admodum frigere, atque etiam Aen. I, 545. coniungere poëtam verba *bello et armis.* — *Ille ego, qui,* ut Ovid. Met. IV, 226. *Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum.* Fast. III, 505. *Illa ego sum, cui tu solitus promittere caelum.* Plin. Epist. I, 6, 1. *Ego ille, quem nosti,* (ubi vid. Cort.) Auct. epitaph. in Wernsd. Poët. L. min. III, 213, 3. *Illa ego, quae* etc. Cf. Markl. ad Stat. Silv. V, 3, 8. et Drakenb. ad Silium IX, 128. — *qui quondam -- modulatus,* scil. sum, quod recte simul audiunt Wund. et Wagn., Comma vulgo post *quondam* positum tollentes; quorum ille praeter Val. Flacc. I, 757. comparat Aen. I, 365. *devenere locos - - - mercatique* (sunt) *solum,* hic vero bene adnotat, si *modulatus* Participium esset, quod Heynio aliisque videtur, Bucolica collata quodammodo cum Georgicis deprimi; quod sane ab h. l. alienum, ubi poëta nihil aliud vult significare, quam a Bucolicis ad Georgica, a Georgicis ad Aeneidem se processisse. Alia autem non minus dura omissi Verbi substantivi exempla ad Ecl. I, 53. prolata vide. De ipso verbo *modulandi* vid. Ecl. V, 14. (ibique adnott.) X, 51. Culic. 99. Tibull. II, 1, 53. III, 4, 39. Claud. rapt. Pros. II. praef. 15. etc. — *gracili avena,* quae Ecl. I, 2. *tenuis* vocatur, ubi vid. adnott. Videtur hunc versum imitatus esse Calpurn. VIII, (s. Nemes. I,) 3. *Incipe, si quod habes gracili sub arundine carmen.* Ceterum animadverte, quam submisse poëta dicat de Bucolicis, quam ornate de Georgicis, quam graviter de bellicis rebus Aeneidis. — *egressus silvis,* relicta poësi bucolica. *Silvae* enim sunt pascua. Vid. Ecl. I, 2, (ibique adnott.) II, 31. et IV, 3. Quare Peerlkamp. errat contendens, eum, qui se silvis egressum dicat, cogitationem carminis *venatici* non excitare non posse. — *vicina - - arva,* scil. silvis, quod ex verbo *egressus* clarissime apparet. Similis oratio Geo. III, 295—301. Gossr. non male adnotat, poëtam vocabulo *vicina* indicare voluisse, maximam inter Bucolica et Georgica et argumenti et formae intercedere similitudinem. — *coëgi arva, ut quamvis avido parerent colono* ut eorum proventus ubertate cupiditati intemperantis coloni satisfacerent. *Parent arva et coguntur parere* agricolae, qui iis *imperat.* Cf. Avien. descr. 14. *qua tellus paret aratro,* adnott. ad Geo. I, 99. et Gesner. ad Claud. in Eutrop. I, 19. Constructio autem verbi *cogendi* cum Particula *ut,* quae Burmanno minus elegans videtur, satis defenditur his locis: Terent. Hec. II, 2, 26. Andr. IV, 1, 30. Caes. B. G. I, 6. Cic. Or. II, 3, 9. id. Cat. IV, 3, 5; quamquam eam rariorem esse negari nequit. — *quamvis,* i. e. *quamtumvis* sive *vel maxime* avido (*einem auch noch so Habsüchtigen,* fere i. q. *selbst dem Habsüchtigsten*). Rectius quam Drak. ad Liv. I, 4, 4. Burm. ad Phaedr. I, 28, 1. et Ruhnk. ad Ter. Ad. II, 4, 15. de hoc usu disputarunt Brem. ad Nep. Dat. 4, 3. et Beier. ad Cic. Off. I, 25, 86. II, 20, 69., optime vero Kritz. ad Sall. Cat. 23, 6. — *avido colono.* Cf. Ovid. Fast. I, 677. *frugibus immensis avidos satiate colonos* et Geo. I, 47. *Illa seges demum votis respondet avari Agricolae* ibique adnott.; *colono* enim i. q. agricolae. Vid. ad Ecl. IX, 4. Cic. pr. Caecin. 32. et Heindorf. ad Hor. Sat. II, 2, 115. — Verba *Gratum opus agricolis,* quae Grasero otiosa et alieni laudatoris videntur, Wagn. in Epist. laud. p. 19. recte defendit. Diversam enim huius carminis rationem et naturam ab eorum, quae antea scripsit, respiciens, optat auctor, ut, quae nunc scripturus sit *de bellis et caedibus,* Romanis suis non minus placeant, quam *Georgica,* plane *contrarium* carminum genus, placatum scilicet et

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Laviniaque venit

---

tranquillum, agricolis potissimum placuerint; quare etiam gravis oppositio per *at nunc.* Hanc ipsam autem gravem et minus usitat opponendi rationem *Ille ego, qui - - modulatus et coegi - - at nunc cano,* in quam vix incidisset interpolator aliquis, ut hos versus : Vergilio tribuendos censerem, imprimis me movisse fateor. Idem dice genus invenimus ap. Liv. I, 28, 9. 41, 3. III, 17, 3. 31, 7. 56, 12. (c ex Gronovii coniectura, *at* vulgari *ait* substituentis) IX, 1, 8. X, 19, 17. 3 sqq. cett. (Cf. etiam Hand. Tursell. I. p. 429.) Qui loci nostro s non ex asse respondentes cui non multum probare videantur, is conside orationem interposita illa sententia *Gratum opus agricolis* quodamm esse interceptam, ideoque poëtae licuisse ea ipsa Particula adversativa, q bellorum strepitum vitae rusticae tranquillitati gravissime opponeret, inchoatam orationem rursus reverti. Quare Thiel. non inepte compa Tibull. I, 10, 15 sqq. *Sed patrii servate Lares! - - - - At nobis aer Lares, depellite tela.* Süpflius sane, meum de h. l. iudicium irride omnem huius enuntiationis formam damnat et ad *Ille ego* necessario s intelligendum esse censet; quod per me intelligat, cui mea ratio minus p babilis videatur. Peerlkamp., et ipse in h. l. haerens, sententiam absolutam esse iudicat, quam ita explet: qui modulatus sum, at n arma cano, *quam vereor ut vires tanto operi sufficiant.* — Ar *horrentia,* hic i. q. horrenda s. horribilia, ut Aen. I, 165. *horr atrum nemus umbra,* ibid. 311. *horrentibus umbris,* et ap. Quinct. D X, 7. *Tunc horrentibus verbis urna praecluditur.* Arma enim cum dic tur, non licet de telis (hastis, ensibus) horrentibus cogitare (qua de re adnott. ad Aen. XI, 602.)

1. Poëta initio Aeneidis paucis verbis totum carminis argument complectitur, Homerum secutus, qui idem fecit et in Iliadis et in Odyss principio. Summa enim Aeneidis est Aeneae in Latium adventus et se ex foedere cum Latino icto ibi accepta. Cf. Aen. XII, 187 sqq. — Ar *virumque cano* cett., i. e. Bella canam et viri fata illius, qui adve suo in Italiam ea excitavit. Aliam enim explicationem haec verba c praecedentibus coniuncta non admittere, quisque videt. Si tamen pri pium Aeneidis per se spectatur, priorum quatuor versuum nulla rati habita, tum sane *arma virumque* cum Burm. et Wagn. (qui provocat Ovidii locum supra laud. Trist. II, 533.) per ἓν διὰ δυοῖν explicare p sumus, ut omnino hominis bello clari notionem inesse statuamus (c infra v. 566. *virtutesque virosque* et Silii IV, 11. *Mavors strepit et arma virosque*). Ceterum cf. etiam Aen. XI, 747. — Henry (*Twelve ye* I. p. 3.) vult animadverti, quam graviter hic (ut Aen. IX, 525.) de c mine heroico poëta utatur verbo *cano,* cum de bucolico (v. 1., ut Culice 99.) verbo *modulor* usus fuerit, et propterea quaesitam prol Vossii translationem *Waffen ertönt mein Gesang.* Sed nonne etiam Ecl. 3. VI, 9. X, 8. Geo. I, 12. II, 176. verbum *canere* legimus? — „*Prim Troiae ab oris* ita intelliges, primum e Troianis *in has certe Ital* [proprie dictae] *partes ad Lavinium* (quod iam auctor libri de Orig. Rom. c. 1. docuit) pervenisse Aeneam; nam Antenor, [qui prior vener cf. infra v. 246. sqq.] ad Venetos in intimo sinu Adriatico, in aliam I liae partem, quae Galliae Cisalpinae erat [ideoque non pertinebat Italiam antiquam Rubicone terminatam, cui Gallia Cisalpina dem Augusto imperante adiungebatur] appulerat; cf. inf. v. 147. et, qui a eum Italiam frequentarant, Oenotrii, Euander et Hercules, ex Grae advenerant. Malim tamen *primus* pro *primo, olim* accipere, ut Aen. I, (ubi tamen vid. adnott.) VIII, 319. Hor. Sat. II, 2, 93.“ *Heyn.* Wa hanc alteram rationem probat, Qu. Virg. XXVIII, 3, *e.* cum h. l. com rans infra v. 24. et Geo. I, 144. *Nam primi cuneis scindebant fiss lignum, i. e. homines* anquissimorum temporum. Mihi prior ratio pr

Litora, multum ille et terris iactatus et alto
Vi superum saevae memorem Iunonis ob iram,

---

ferenda videtur, cum probabile sit, Vergilium in h. l., ubi unum quodque vocabulum cum singulari vi et gravitate profertur, a prima et propria verborum significatione non recessisse. (Etiam Gossravium, Ladew. et Coningtonem video nobiscum facientes.) Nauck. autem l. l. p. 2. *primus* non de tempore, sed de loco, de dignitate capiendum esse putat („*nicht der Zeit, sondern dem Range nach.*"), quod probare non possum. — 2. Iunge: *Troiae ab oris profugus venit.* Quare Commata, quibus Heyn. et Wagn. verba *fato profugus* includunt, delevi; *fato* autem, quod non minus cum *venit*, quam cum *profugus* coniungendum (quae etiam Henrici [*Tw. years* I. p. 3. et Philol. XI. p. 487.] et Dietschii [Theol. Verg. p. 17.] est sententia), adiicit poëta, ut statim ab initio ad deorum interventum viam sibi muniat (cf. X, 67. *Italiam petiit fatis auctoribus: esto!*) vel, ut Servio videtur, „ne videatur Aeneas aut causa criminis patriam deseruisse, aut novi imperii cupiditate;" fatale enim fuisse, ut Aeneas bello superstes Troianis imperaret, iam ex Hom. Il. XX, 302 sqq. notum (cf. etiam Liv. I, 1.); *profugus* denique causam continet, cur Troia relicta in Italiam venerit Aeneas. Gossravio haec vox recte videtur movere miserationem, cum significet extorrem patria et quid petat nescientem. Cf. Sall. Cat. 6. *Troiani Aenea duce profugi sedibus incertis* vagabantur, et Anth. Lat. II, 188, 6. *Aeneas intrat profugus Carthaginis arces.* — *Italiam* pro: in Italiam. Constat enim, non solum poëtas, qui omnino Praepositiones saepe omittere consueverunt, verum etiam pedestris orationis scriptores ante terrarum quoque et regionum nomina, ubi de motu in aliquem locum sermo est, Praepositiones interdum negligere. Aureae tamen aetatis scriptores pedestres non nisi insularum et terrarum maritimarum, ad quas navium cursus dirigitur, nomina ita construere solent. Cf. Ecl. I, 63. Aen. I, 51. II, 742. 781. III, 601. IV, 124. 165. VI, 542. 638. 696. VIII, 136. IX, 100 sqq., quod autem ad Nomina appellativa attinet, quorum simplex Accus. eadem ratione verbis eundi et veniendi adiici solet, Aen. I, 201. 307. 365. II, 743. III, 439. 601. V, 732. 813. VI, 696. etc. Quid quod adeo Substantivis interdum talis Accus. adiungitur? Vid. Aen. III, 507. *iter Italiam* et VI, 542. *iter Elysium.* Omnino cf. Barth. ad Claud. B. Get. 73. Drakenb. ad Liv. XXXIII, 41, 6. Heins. et Burm. ad Aen. II, 781. Cort. ad Lucan. I, 678. V, 572. Oudend. ad Apul. Met. p. 24. et 33. Daehn. ad Nep. Milt. 1, 1. et Dat. 4, 1. Weichert. de verss. iniuria suspp. p. 86. Kappes Progr. supra laud. p. 34. Ruddim. II. p. 284. Ramsh. §. 134. not. 1. Madvig. §. 232, 4., qui multa exempla collegerunt, et quae ad Aen. III, 162. adnotavimus. — *Laviniaque venit Litora.* Copulam *que*, quam cum Iahnio et Wagn. restitui, quamque etiam recentiores editores Bryceo excepto omnes iure receperunt, tuentur omnes Codd. praeter unum Hamb. (nam etiam Med. *Lavinia*: scribens Copulam omissam indicat) et omnes, qui hunc versum laudant, Grammatici, in quibus Quinct. Inst. XI, 3., eamque ut retineamus, ipsa suadet loci sententia: simplex enim eiusmodi appositio *Italiam, Lavinia litora*, qua generi una modo species adderetur, bonae latinitatis usui videtur adversari, ut eam a Paldamo ad Propert. p. 238., (qui tamen postea sententiam suam mutavit: vid. infra) et Bryceo temere defensam censeam, cum contra *Italiam Laviniaque litora*, i. e. et quidem L. litora, per epexegesin illam, de qua ad Geo. I, 498. (III, 198. 473. etc.) dictum est, explicandum optime se habeat. Cf. imprimis locus simillimus infra v. 569., cui adde v. 13. et v. 554. cum Wagn. Qu. Virg. XXXIII, 1. et 8. Fluctuat autem loci scriptura inter *Laviniaque*, quod nos cum Wagn. edidimus atque etiam Gossr., Süpfl., Haupt., Ladew. et Ribbeck. receperunt et Lachmann. ad Lucr. II, 719. p. 115. probare videtur, et *Lavinaque*, cui Wund., Iahn., Thiel., Henry et Conington, item Nauck. Progr. laud. p. 2. et Paldamus in Caesaris *Zeitschr. f. d. Alt.-Wiss.* XII. (1854.) p. 238 sq. cum Servio patrocinantur. Sed a *Lavinio*, quam veram esse huius nominis formam infra ad v. 270. videbimus, *deduci non potest Adiectivum Lavinus.* **Quod autem Servius tradit**

Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem
Inferretque deos Latio, genus unde Latinum

---

oppidum primum a Lavino, Latini fratre, *Lavinum*, postea *Laurentum*, postremo a Lavinia *Lavinium* appellatum esse, id falsum est; nam Laurentum et Lavinium diversa fuisse oppida et Antoninorum demum aetate in unum, *Laurolavinium*, coniuncta esse constat. (Cf. mea in Pauly *Realencycl.* IV. p. 829. cum nota adiecta). Lavinium autem ab Aenea demum conditum esse, communis fere antiquitatis erat opinio. Quare minus recte Prop. III, 32, (II, 34,) 64. aperte hunc locum respiciens *Qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma Iactaque Lavinis moenia litoribus,* Iuven. XII, 71. *novercali Lavino*, et Tibull. II, 5, 49. *murusque Lavini*, quamquam in his locis etiam *Lavinis*, *Lavinjo* et *Lavini* legi potest, ut ap. Verg. Aen. I, 258. 270. VI, 84. (Cf. Lachm. ad Lucr. V, 85. p. 279. et Iahn. ad Iuven. l. l.) Vergilius ipse etiam Aen. IV, 236. *Lavinia arva* scripsit. Quo fit, ut in sola synizesi *Lavinjaque* causam quaeram, cur omnes fere Codd., (inter 33 ab Henr. collatos 32, dum unus modo Goth. cum Med. *Lavinia* exhibet) Quinct. XI, 3, 60. Gell. X, 16. Macrob. V, 2. Prisc. VIII, 54. Servius aliique Grammatici hic *Lavinaque* exhibeant. De hoc autem synizesis genere paullo duriore, Vergilio tamen satis usitato, idem Wagn. conferri iubet Aen. VII, 237. *precantia*, VI, 33. *omnia*, V, 269. *taeniis* [quibus locis temere adiungit VII, 769. et XII, 401.], Iahn. ad Aen. VI, 33. et ad Geo. IV, 243. Santen. ad Terent. Maur. p. 429 sq. Bentl. aliosque ad Hor. Od. I, 8, 1. Cf. etiam adnot. mea ad Ecl. VI, 41. et Geo. I, 397. Weichert. de versu hyperm. p. 23. Lachm. ad Lucr. p. 279 sq. Ramsh. §. 209. III, 1. 6. alii. Ceterum *Lavinia litora* sunt ea, in quibus postea demum ab ipso Aenea Lavinii oppidum erat condendum; nam poëtae haud raro per anachronismum epitheta petunt a rebus postea factis, et sic Vergilius ipse Aen. III, 552. 688. 700. IV, 275. VI, 2. 17. VII, 186. VIII, 347. 360., quos locos, coll. Iacobi Quaest. epicis p. 186 sqq., collegit Siebelis l. l. p. 5., recte contra Peerlk. disputans, qui pro *Laviniaque* temere scribi voluit *Laurentia*, Copula male omissa. (Cf. etiam Iahn. in censura editionis Peerlk. Annal. suorum Vol. XLIII. inserta p. 17.) De ipso autem oppido eiusque situ in colli *di Pratica* vid. librum meum *Handb. d. alt. Geogr.* III. p. 715. — **3. 4.** „*venit, iactatus et passus;* interponitur ex more *ille:* postquam magnos labores maritimis erroribus et tentata frustra variis in locis nova sede toleraverat. *Πολλὰ δγ᾽ ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν*, Odyss. I, 4.“ *Heyn.* — Noli enim interpretari: qui iactatus est. Immo Participiis et Adiectivis ad antecedens aliquod Substantivum relatis nonnumquam Pronomen *ille*, ut Graec. *ὅγε*, quo fortior et vividior reddatur oratio et lector ad rem tractatam magis attendere iubeatur, pleonastice adiungi constat. E Vergilio huc pertinent loci Aen. V, 457. IX, 477 sqq. 796. X, 385. XII, 5., quos Wagn. Qu. Virg. XXI, 8. profert. Alibi etiam Pron. *ille*, Participio vel Adiectivo non adiecto, simpliciter Subiecti notionem antea memoratam repetit, velut Geo. II, 435. III, 215. 362. Aen. VI, 593. et XI, 494. Ovid. Am. III, 9, 20. *Scilicet omne sacrum mors importuna profanat, omnibus obscuras iniicit illa manus.* ibid. III, 3, 23 sqq. *Aut sine re nomen Deus est - - - Aut, si quis Deus est, teneras amat ille puellas* cett. Cf. omnino Ruhnk. ad Ter. Adelph. III, 2, 8. Bentl. ad Hor. Sat. II, 6, 83. idem et Iani ad Hor. Od. I, 9, 15. Heind. ad Hor. Sat. l. l. et I, 6, 58. Obbar. ad Hor. Ep. I, 2. p. 97. Iahn. ad Virg. Geo. I, 203. Haas. ad Reisigii *Vorlesungen* p. 377. alii. Cognatus est pleonasticus ille usus eiusdem Pronominis ante *quidem*, cuius multa exempla collegit Beier. ad Cic. Off. II, 6, 21. Verbum *iactandi*, ut Gr. *σαλεύεσθαι* et *ῥιπτάζεσθαι*, saepe usurpatur de iis, qui fluctibus maris et ventis vexantur. Cf. Ovid. Tr. I, 11, 39. ibid. III, 2, 15. Hor. Epist. I, 11, 15. id. Od. I, 32, 7. IV, 4, 54. Prop. III, 3, (II, 12,) 7. Cic. de inv. II, 31, 95. Tusc. V, 2, 5. Vellei. I, 2. et qui hunc versum imitatus est, Silius VIII, 474. *Tum pius Aeneas, terris iactatus et undis.* Hic tamen, cum *terris* adiiciatur, latiore sensu capiendum de cuiuscunque generis vexationibus, ut infra v. 332. 629. et

Albanique patres atque altae moenia Romae.
Musa, mihi causas memora, quo numine laeso

VI, 693. Peerlk. temere coni. *multa iactatus* et versum 4. tamquam spurium vult deletum, ut *multa* - - *multa* „gravi et exquisita repetitione“ sibi respondeant; sed vide quae Iahn. l. l. p. 21. recte contra eum disputat. — *alto*. Vid. adnott. ad Aen. II, 203. et cf. similem locum Aen. V, 627. et de omisso Praepos. *in* vid. adnott. ad Geo. III, 237. Aen. I, 552. 667. III, 220. etc. — 4. *Vi superum*, cum neminem deorum praeter unam Iunonem Aeneae infensum fuisse constet, Fr. Gall. (in Ephem. lit. Ien. a. 1828. *Intell. Bl.* 15. p. 119.), cui nova quaedam argumenta adiiciens adsentitur Gossrau, satis mire ita interpretatur, ut non significet „deorum numine et voluntate,“ sed plane contrarium „contra voluntatem deorum, magno cum dolore deorum,“ quemadmodum Graece dicatur βίᾳ νόμου, βίᾳ τῶν πολιτῶν; qua explicatione (quam etiam Freudenberg. Vind. Verg. Spec. (Bonn. 1845.) p. 6. impugnat) iure reiecta, Wagn. haec verba ad unam Iunonem referenda esse statuit, cum Graeci et Latini Plurali utantur numero, ubi unum aliquem, sed suo nomine non definitum, indicent, ut Aen. III, 488. VI, 322. VII, 96—98. 359. XI, 784.; hinc, ut iam intelligatur, quis sit ille obscure significatus deus, per epexegesin adiicere poëtam haec: *saevaeque* - - *iram*. Sed cum mira profecto esset epexegesis *vi numinis alicuius* (Iunonis), *ob iram Iunonis*, neque *vi* et *ob iram* ita sibi respondeant, ut illud per hoc explicari possit, mihi quoque, pariter ut Grasero l. l., *vi superum* latiore sensu accipiendum videtur, ut VII, 432. *caelestum vis magna* et Val. Fl. I, 671. *seu volvitur axis vi superum*. Ut enim concedam, praeter Iunonem neminem ex deorum coetu Aeneae succensuisse, notum est tamen, ipsam Iunonem aliorum numinum, ex quibus Aeolum et Iuturnam nomino, usam esse ministerio, quo Aeneam perderet, neque ceteros deos conatibus eius semper restitisse; quare heros ille aptissime *vi superum*, ipsorum deorum interventu, non hominum tantum machinationibus, iactatus dici poterat. Haec enim verba rationem, qua iactatus sit, sequentia *ob iram Iunonis* causam calamitatum, quas perpessus sit, indicant. Consentiunt mecum Siebelis l. l. p. 6. et Freudenberg. l. l. p. 6. atque etiam Wagn. ipse mutata sententia in min. edit. commemorat „aliorum, quos illa nacta est administros, deorum operam,“ coll. Aen. VI, 63 sq. et Ovid. Met. XIV, 581. — *memorem Iunonis ob iram*, pro: ob iram Iunonis memoris, scil. acceptae iniuriae. Sic etiam Graeci, v. c. Aeschyl. Agam. 161. (155.) μνάμων μῆνις, Liv. IX, 29. extr. *Traditur* - - *censorem etiam Appium memori Deum ira post aliquot annos luminibus captum*. Ovid. Met. XII, 583. *exercet memores iras*. Sil. XIII, 72. *Pone, Anchisiade, memores irasque metusque*. Cf. Gronov. ad Liv. XXXIII, 12, 5. Ceterum de hac hypallage Adiectivi, quae, certae legi adstricta, nisi ipsum Adiectivum ad utrumque Substantivum transferri per sensum licet, nullo modo admitti potest, cf. Wakef. ad Tac. Agr. c. 4. p. 138. Markl. ad Stat. Silv. IV, 1, 45. et III, 4, 84. Doering. ad Catull. LXIV, 310. Beneck. ad Iustin. XLIV, 4, 3. et ad Cic. pro leg. Man. 9, 22. Hertzberg. ad Propert. III, 21, 28. p. 28. et IV, 8, 23. p. 479. Unger de Valgio Rufo p. 54. 237. alii, et de eodem Graecorum usu Hermann. ad Soph. Phil. 1106. Lobeck. ad Soph. Aiac. 7. Matth. ad Eur. Phoen. 30. Bernhardy Synt. p. 426 sq. Ita igitur *memor Iunonis ira* i. q. ira, quae factis semper prodit, Iunonem esse memorem iniuriae. Ad ipsam rem autem cf. Aen. V, 781. sqq. Peerlkamp. sine iusta causa omnem v. 4. spurium censet, quem recte contra eum defendunt Rau in Sched. de verss. spuriis in libro I. Aeneidos Virg. (Lugd. Bat. 1846.) p. 13 sqq., Iahn. Annal. XLIII. p. 21 sq. Siebelis l. l. p. 6. et Freudenberg. l. l. p. 5 sqq. — 5—7. „*Multa quoque et bello passus*. Probe observandum est discrimen inter locos, ubi Particulae *et* seu *etiam* - - *quoque* ad diversa vocabula referendae sunt, et inter eos, ubi cum vi quadam coniunctae ad unam eandemque notionem pleonatice referuntur (*auch sogar* vel *auch dazu noch*). Hac ratione usurpatum legitur *etiam quoque* v. c. apud Plaut. *Merc. II, 2, 56. Pers. IV, 6*, 7. Pseud. I, 1, 120. Ter. Hec. IV, 1,

Quidve dolens regina deum tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores

---

28. V, 1, 36. Lucr. III, 292. V, 154. 518. 603. VI, 503. Cic. de Or. I, 3
alibi, ut *item quoque* apud Lucr. V, 750. et VI, 757. Alia vero ratio e
v. c. illius loci Pliniani H. N. VII, 16, 21. *Sunt vero et fortuita eoru*
(leonum) *quoque clementiae exempla* et similium. Quod discrimen Wagı
praeter mea ad Lucretii ll. cc. Handium ad Stat. Silv. p. 12. et Vechne
Hellenolex. p. 155. Heus. laudans, neglexit; cui tamen in explicando h
ipso loco (ut *quoque et* sit *ἔτι δὲ καὶ*, *auch noch*, *dazu auch*) nunc a
sentior; cum sane post illa *terra iactatus et alto* prior Heynii rat
(*multa* quoque *passus*, etiam *bello*) vix ferenda videatur, quam tamen, ı
antea ego ipse, sic etiam Thiel., Haeckerm. Explic. Verg. p. 2. et Nauc
l. l. p. 2. amplexi sunt. Iahn. denique verborum ordinem hunc esse cense
et passus multa quoque bello; quae ratio mihi paullo contortior videtu
— *dum conderet*, donec condere poterat urbem a fato sibi promissa
(vid. infra v. 258.) Cf. adnott. ad Geo. IV. 457. et Aen. X, 800. Heyn.
Haeckerm. l. l. simpliciter pro „donec condidit" positum censent. -
urbem, Lavinium (cf. infra v. 258. et XII, 194.). — *Inferretque de*
Latio, inferret in Latium Penates Troia advectos, quod, cum de p
Aenea agatur, eo minus poterat reticeri, cum non nisi religione publi
ordinata nova civitas rite constituta censeri possit. Vid. Aen. XII, 83
Hor. Od. IV, 4, 53 sqq. Tibull. II, 5, 41. Prop. V, (IV), 1, 39. Rut
Itin. I, 571 sq. et similes loci. Cf. autem cum h. l. Aen. I. 378. II, 71
III, 11 sq. VIII, 11. XII, 192. — *Latio*, in Latium. Vid. adnott. a
Ecl. II, 30. VIII, 101. Geo. II, 306. et Aen. VIII, 11. — **6. 7.** *gen*
unde Latinum. Cf. Aen. XII, 723 sqq. Sall. Cat. 6. et Cato Orig. a
Serv. ad h. l. — „*Unde*, qua ex re, quo factum est, ut Aborigines cu
Troianis aequati communi Latinorum nomine sint comprehensi (cf. Ae
XII, 823 sq. [837. et Plut. Qu. Rom. p. 155. Reisk. *Τρώων ἀγλαὰ τέκ*
μεμιγμένα παισὶ Λατίνων, ab Henr. laud.]), ut ab Ascanio Alba s
condita, et ex eius posteris urbis Romae conditores ortum habuerint." S
Heyn., neque aliter Wagn.; Süpfl. autem et Henry (*Tw. years* I, p. 4
qui putat, verba *multum ille - - - Latio* quasi per parenthesin interiec
esse (comparans Aen. III, 571. IV, 483. VI, 83. 739.), *unde* explicant:
quo (Aenea), ut Aen. V, 568. VI, 763. VIII, 71., et Conington inter utran
que interpretationem fluctuat. „*Albam* bene ab *Albanis patribus* d
signat, a senatu, nobiliore populi parte; cf. IV, 682. VII, 727." Ha
Heyn., cui adsentitur Wagn. in edit. min. haec adnotans: „*patres*, peri
et secundum historiam; ut Romae initio, sic sine dubio Albae nulla fu
plebs; tenebant Albam patriciae gentes, patres, cum suis clientelis;
mihi autem *Albani patres* non Senatum, sed omnino maiores, antiqu
illos Albanos significare videntur, a quibus Romani originem duxerunt, ı
etiam VII, 727. *Aurunci patres.* (Consentit mecum Haeckerm. l. l., du
Conington cum Wagn. facit.) De ipsa *Alba* vid. infra ad III, 389. -
altae Romae. Vid. quae ad Geo. I, 485. disputavimus. — **8.** *Musa*
Homeri atque omnino epicorum poëtarum more in principio carminis inv
cari, non est quod exponam. Sufficiat commemorasse, Vergilium etia
medio carmine, ubi res gravissimas et memoratu dignissimas expositur
est, Musas invocare. Cf. Ecl. III, 60. et Aen. VII, 37. — *causa*
Conington adnotat, Vergilium haud raro uti Plurali huius vocis, u
Singul. sufficiat, coll. v. 414. II, 105. III, 32. VI, 710. Sed hic vere c
pluribus (duabus certe) causis sermo est. — *quo numine laeso.* Plur
huius loci paullo difficilioris propositae sunt explicationes. Heyn., Wag
(in ed. Heyn.) Iahn. (in edit. I.), Seidenstücker (in *Neues Magazin fi*
Schullehrer T. II. Fasc. I. p. 204 sqq.) Langius (in Vindiciis tragoe
Rom. p. 56.), Mueller in Progr. Blankenb. II. 1838. Nauck. l. l. p.
Steinmetz. in Progr. Merseb. 1846. p. 16. et Haeckerm. in Muetzell
Zeitschr. etc. VII. (1853.) p. 735 sqq. accuratissime de h. l. disseren
ut iam olim Io. Fr. Gronov. (Obss. I, 9.), *quo* seiungunt a numine, ut s
Ablativus causalis pro qua re positus, nec minus ad *impulerit*, quam s

Inpulerit. Tantaene animis coelestibus irae?
Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,

---

laeso, pertinens; qua opinione ductus Iahn. locum sic interpretatur: Caussas memora, qua re (*quo*) Iunonis numen laesum sit, vel quid inde (*numine suo laeso*) dolens eadem impulerit; Mueller. autem l. l. (et cum eo Haeckerm.) sic: „Musa, mihi memora, quibus causis seu numine [i. e. maiestate sua divina, ut Haeckerm. explicat] laeso, seu dolore aliquo commota, Iuno impulerit.“ At si hoc voluisset poëta, non tam ambigue scripsisset, cum quivis haec legens coniungere debeat *quo numine laeso;* sed omnem ambiguitatem vitans *qui* potius vel *qua* posuisset. Accedit quod, si *quo* explicamus *quam ob rem*, Ablativi illi absoluti *numine laeso* admodum languent. Itaque *quo numine laeso* coniungenda esse, nemo non videt. Noli vero cum Schirachio p. 510., Iahnio in Nov. Annal. suis XLIII, 1. p. 25., Dietschio Theol. Verg. p. 8 sq. (Ameisio et Ladewigio: vid. infra) de alio quocunque numine praeter Iunonem cogitare, ut sensus hic sit: quo deo offenso, aut quo scelere in Iunonem commisso factum sit, ut dea impelleret etc. Sed cum poëta ipse statim subiiciat nomen deae laesae, quomodo Musam rogare potest, ut sibi aperiat, quo numine, i. e. quo deo laeso, Aeneas tot adire labores sit coactus, nisi cum Dietschio deorum reginam alius cuiusdam dei laesi causam suscepisse dixeris, quod mihi quidem absonum videtur. (Adsentitur mihi Haeckerm. l. l. p. 739., simul comprobans priorem meam de voc. *numine* sententiam, de qua tamen nunc discessi.) Burm., Heumann. (Poecil. Vol. II. p. 378.) et Gossrau *numen* recte ad Iunonem ipsam relatum explicant: qua parte potentiae vel divinitatis eius laesae; cum Iuno pluribus rebus praesideat, idque accedit ad veriorem Wunderlichii rationem, qui *numen* de consilio, voluntate deae intelligit, et verba ita solvit: quod numen Iunonis laesum sit, quidve doluerit dea, ut etc., hac addita explicatione: „*numen* est *laesum*, h. e. consilium deae, id quod concupivit, ad irritum cecidit. Cupiebat autem Carthagini imperium orbis terrarum parare, quae optata per Aeneae posteros irrita fore sciebat: *dolens* magis ad Paridem et Ganymedem spectat.“ Quam locum capiendi rationem iam Servio commemoratam tamquam simplicissimam nunc iuxta cum I. F. Wagnero (in Diss. de locis quibusdam apud Vergilium ratione etymologica expediendis. Luneb. 1823. p. 4.), Abrah. Vossio in Progr. Crucenac. a. 1832. p. 1., Grasero in Ephem. lit. Hal. 1835. p. 257 sqq. Paldamo (in: *Zeitschr. für Alterthumswiss.* 1839. *Nr.* 104.), Süpflio, Iahnio (in altera edit.) et Wagnero (in min. edit.) consentientibus Steinmetzio l. l. p. 16., Freudenbergio l. l. p. 11., Siebelisio l. l. p. 7., Kappesio l. l. p. 319. Bryceo et Coningtone reliquis omnibus praefero, cum *numina divom* etiam Aen. II, 123. pro voluntate deorum oraculo significata legamus, cum quo loco cf. etiam Aen. I, 132. II, 777. III, 359. V, 56. VI, 368. X, 31. et quae Kappes. l. l. p. 8 sq. disputavit, in his locis omnibus *numen* recte per *Wink, Wille, Befehl* explicans, a quo non multum dissentit Ameis. de omni hoc loco in Muetzellii *Zeitschr.* etc. VII. (1853.) p. 931 sqq. docte disputans, qui Aen. II, 396. (ubi vid. adnott.) 777. III, 363. IV, 94. V, 768. VII, 584. X, 31. XI, 332. 901. *numen* interpretatur *Götterbeschluss.* (Vid. etiam Varro L. L. VII. p. 363. Lachm. ad Lucr. II, 632. p. 111. et Dietsch. Theol. Verg. p. 4. Quid quod *numen* eodem sensu de senatu Romano dicitur? Cf. Cic. Phil. III, 13, 32. ad Quir. p. red. 8, 18. et Liv. VII, 30, 20. a Siebelisio laud.; quamquam Dietsch. l. l., qui p. 3—11. (ut ante eum iam Iahn. in edit. II. p. 434—37.) accuratam instituit de hoc vocabulo disputationem, potius de augusta senatus potestate et auctoritate cogitat, cum vim et naturam huius vocis paullo arctioribus limitibus circumscribens eam duo tantum significare posse contendat, aut eum, qui summa potestate imperet, aut summam imperandi vim et potestatem.) Quae Iunonem laeserint voluntati eius repugnantia, exponuntur v. 17—24., quae doleat v. 25—28. Superest, ut coniecturas quasdam supervacaneas commemorem. Papius enim in Diss. de C. Terentio Varrone p. 67. cum Catroeo et Scioppio legi vult *quo nomine laesa*, Peerlkamp. autem *quo crimine laesa*, quam coniecturam, ab Iahnio in Annal. suis XLIII. p. 24 sq., *Siebelisio p. 7. et Freudenbergio p.* 8 sq. recte impugnatam, ante eum

Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia, dives opum studiisque asperrima belli;

---

iam Heynius in Exc. ad h. l. dubitanter occupaverat. Ameis. denique l. l. p. 932. proposuit coniecturam *quo numine laesa*, quam, si omnino mutatione opus esset, et ipse cum Ladew. recepissem, non tamen cum eo explicuissem: „*durch welche Gottheit verletzt*,“ sed potius cum Ameisio: „*durch welchen Götterbeschluss verletzt.*“ Putat autem Vir doct. numen Aeneae (divinum decretum de Aeneae sorte), quo Iuno laesa fuerit, opponi Iunonis numini v. 48. Vid. tamen quae Wagn. Lect. Verg. p. 400. contra hanc coniecturam disputat, (quam Ladew. Scioppio falso adscribit: cf. Heynii Exc. ad h. l. p. 263.) Henricum de h. l. prorsus tacere miror.) Ceterum *laedere numen* legitur etiam Aen. II, 183. Hor. Epod. XV, 3. Ovid. Met. I, 608. Tibull. I, 3, 79. I, 9, 6. III, 6, 26. Lucan. VII, 848. Auson. Epitaph. her. XXVII, 2. alibi, ut *violare* Aen. IV, 27. et Tibull. I. 2, 79. Cf. etiam quae Kappes. l. l. p. 10 sq. de voce *laedere* disserit. Quam arcte autem inter se copulata sint verba *quo numine laeso* et *quidve dolens*, quae separari et in duas sententias discerni iam grammatica ratio vetare videtur, Freudenb. nobiscum consentiens p. 9. imprimis Particulae *ve* usu Vergiliano demonstrat, de quo cf. etiam Wagn. Qu. Virg. XXXVI., imprimis §. 3. et 5. et Ameis. l. l. p. 931. recte disputans contra Haeckermannum l. l. p. 737 sq. *ve* per *vel potius* explicantem. (Ladew. prius *Quidque* ediderat, in recentiss. tamen edit. iure ad lect. *Quidve* rediit.) — *impulerit tot casus volvere*, h. e. coëgerit, ut subiret, adiret tot casus. *Volvere*, quod proprium est de temporum decursu vocabulum (vid. Geo. II, 295. Aen. I, 273. VI, 748. IX, 6. etc.), hic transfertur ad mala perpetua, quae quasi circulo quodam et orbe continuo se invicem sequuntur, ut continuae cuiusdam rerum vicissitudinis significationem habeat. *Volvere* igitur *casus* (scil. tristes, duros: cf. infra v. 204. 221. II, 10. III, 709. V, 869. etc.) non est Enallage pro: *volvi casibus*, ut Servius explicat, sed eodem modo constructum, quo Aen. X, 61. *revolvere casus*, III, 376. *volvere vices*, VII, 254. *volvere sub pectore sortem* et XII, 831. *volvere sub pectore fluctus*. Ceterum *impellere* cum Infinitivo est poëtica constructio (cf. Aen. II, 55. et 520. Ovid. Am. II, 12, 21. Val. Fl. I, 673. Stat. Theb. X, 737.); qua tamen etiam posteriores scriptores prosaici utuntur, velut Iustin. III, 1, 3. Tac. Ann. XIV, 60. Cf. etiam adnott. ad Ecl. IV, 54. et V, 2. omninoque Gossr. ad Aen. II, 33. — **10**. *Insignem pietate*, ut VI, 403., ideoque tanto odio minime dignum. Cf. etiam infra v. 151. *vir pietate gravis*. Aeneae autem *pietas* non solum deos, sed etiam homines spectat. Cf. quae Henry (*Twelve years* I, p. 5. et Philol. XI. p. 488.) de latiore huius vocis notione disserit, coll. Aen. II, 536. IX, 493. Ovid. A. A. II, 319. Eleg. ad Liv. Aug. 3. etc. — **11**. *Tantaene - - irae?* Cf. Aen. XII, 830. Verba Maronis repetit Auson. Epit. her. XXVII, 9. *Proh facinus! tantaene animis caelestibus irae?* ubi v. 2. antecedunt verba *laesi numina Latoidum*. Ceterum pro signo exclamationis, quod omnes priores editores adpingunt, cum Iahnio interrogationis signum posui, in quo nos omnes recentiores editores secuti sunt. — **12**. Incipit narratio, qua causae irae Iunonis continentur. Debebat autem (Gossravio iudice) lectorem Romanum iam ab initio non mediocriter detinere, quod Aeneae errores cum bellis Punicis et Carthaginis interitu coniunguntur. — *Urbs antiqua fuit.* Haec a Vergilio suam aetatem respiciente dici, non est cur memorem. Nam quo tempore Aeneas illuc venit, non erat *antiqua* urbs. Sed cum Aeneae adventum nondum commemorasset, licuit sane poëtae hoc epitheton addere, ex quo urbibus et terris singularis laus accedere solet. Cf. infra II, 363. IV, 670. VII, 306. XI, 540. infra v. 531. III, 164. Iuven. XIV, 270, *Creta antiqua* etc. — Perfectum *fuit* et ipsum Vergilii aetatem spectat, qua vetus Carthago deleta, ab Augusto autem haud dubie nondum restituta erat (cf. liber meus geogr. II. p. 850 sq. not. 9.), quod poëta cum laude imperatoris significare vix neglexisset. Cf. igitur Aen. II, 325. *fuit Ilium* et III, 11. *campus, ubi Troia fuit.* — *Tyrii tenuere coloni;* Tyro enim per Didonem colonia in Africam deducta et Carthago condita est nono circiter ante Chr. n. seculo medio. Causam, cur patriam reli-

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo: hic illis arma,

---

quaerit Dido, infra v. 338 sqq. poëta narrat. Videtur hunc locum respexisse Avien. descr. 613. *Tartessumque dehinc Tyrii dixere coloni.* Ceterum quod attinet ad asyndeton, cf. locum similiter conformatum infra v. 530. *Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt.* — **13.** *Karthago.* Sic cum recentissimis editoribus (inter quos tamen Ribbeck., hic et infra v. 366. IV, 265. 347. *Karthago*, alibi autem *Carthago* scribens, Cod. Med. auctoritem anxie sequi, quam sibi constare maluit) in Verg. verbis nomen nunc scripsimus. Cf. Drak. ad Silium I, 3. Schneider. Gr. Lat. I, 1. p. 289 sq. Wagn. Orth. Verg. p. 444. et Ribbeck. Proleg. p. 429. Ceterum de significatione nominis vid. infra v. 298. adnott. — *Italiam contra*, ex adverso, e regione Italiae, de qua Praepositionis significatione cf. quos laudat Hand. Turs. II. p. 109., Drak. ad Liv. XXXVII, 15, 7. Burm. ad Vellei. II, 76, 3. Oudend. ad Front. I, 4, 7. et Davis. ad Bell. Hisp. 27. Praepositionum Casui suo postpositarum multa exempla collegerunt Ruhnk. ad Vellei. II, 91, 2. Markl. ad Stat. Silv. III, 3, 22. Wunderl. ad Tibull. I, 3, 67. Thiel. ad Aen. IV, 257. Bach. ad Ovid. I, 35. Matth. ad Cic. p. Mur. 4, 9. Hand. Turs. II. p. 68. 125. 440. Ruddim. II. p. 335 sqq. Ramsh. §. 151. 3. et 4. alii. E Vergilii carminibus inter alia exempla huc pertinent Geo. I, 161. II, 383. Aen. I, 32. 348. III, 75. V, 370. VI, 329. Alia res est, ubi Praepositionem inter Subst. et Adiect. interiectam videmus, ut vel hoc vel illud praecedat, quemadmodum Ecl. VI, 19. IX, 36. Aen. I, 667. II, 718. IV, 410. XI, 720. XII, 949. — *Tiberinaque.* De explicativo Copulae usu vid. infra ad v. 27. — „*Longe*, procul sita, magno interiecto maris intervallo, ex adverso Italiae, et quidem Romae, quam per *Tiberim* designari puto.“ *Heyn.* Participio enim verbi *esse* cum Latini non utantur, aliter fieri non potest, quam ut Adverbia ipsa haud raro pro Participiis vel Adiectivis posita videantur (cf. Heind. ad Hor. Sat. II, 2, 106. Matth. ad Cic. Rosc. Am. 5. 11. Kritz. ad Sall. Cat. 58, 9. et Iug. 7, 6. Hand. Turs. II. p. 747. alii). Quare si v. c. Ciceroni pr. Flacc. 29. extr. scribere licuit *Longe omnino a Tiberi ad Caicum* pro *longa est via a T. ad C.*, quidni etiam poëtae *Urbs fuit contra Tiberina longe litora* pro longe remota, distantia? Iahn. tamen et Thiel. coniungunt *longe contra* (*weithin gegenüber*), quod probare non possum. Wund. apte confert Graecorum usum, v. c. Soph. Ai. 204. *τοῦ Τελαμῶνος τηλόθεν οἴκου.* — **14.** *dives opum*, ut etiam II, 22. Vid. adnott. ad Ecl. II, 20. et Aen. V, 73. — „*studiis asperrima belli* graviter pro dedita, vacans studiis. Vulgo *bellum* dici solet *asperum* [cf. Aen. IX, 667. XI, 635. XII, 124. Hor. Ep. II, 1, 7. Sall. Iug. 29, 1. 48, 1. etc.], tum *studium belli*, denique urbs *aspera belli studiis.* Virtus bellica a poëtis per *iram* exprimitur eiusque attributa. *Exasperatur* autem is, qui offenditur et ad iram provocatur. Itaque *asper*, *τραχύς*, modo iratus, ferus, ferox, saevus; modo fortis, bellicosus; modo acer, ardens, concitatus, flagrans, ut h. l.“ *Heyn.* Cf. Aen. IX, 176. *acerrimus armis.* Aen. IX, 664. XI, 635. XII, 124. etc. Non prorsus eodem sensu apud Iustin. II, 3, 7. *gens bellis aspera* commemoratur. — V. 13 et 14. a Peerlk. spurios habitos bene defendunt Iahn. Annal. l. l. p. 17. Rau. in Schediasm. p. 15 sqq., qui docet, auctorem immerito a Viro doct. reprehendi, quod de Carthagine dixerit, qualis bellorum Punicorum, non Didonis tempore fuerit, cum Carthago, Tyri thesauris florens, ex Vergilii mente iam Aeneae tempore urbs fuerit splendida et magnifica (I, 358 sqq. 446 sqq. IV, 75. 655.), cincta autem undique bellicosissimis nationibus (IV, 39 sqq.), quae Didonem continuo bellum meditari cogerent (cf. I, 563 sqq.); et Siebelis l. l. p. 8., qui vere memorat, omissis his verss. ne terram quidem aut regionem nos scire, ubi illa urbs fuerit sita, cum colonias Tyriorum multas variisque terris dispersas fuisse constet. — **15.** Conington comparat Hom. Od. VIII, 284. *ἥ οἱ γαιάων πολὺ φιλτάτη ἐστὶν ἁπασέων.* „Quam Iuno fertur unam omnium maxime amasse, etiam Samo praetulisse, in qua antiquissima et celeberrima Iunonis religio erat. De templo Iunonis Samiae v. Herodot. III, 60.“ *Heyn.* Wagn. conferri iubet Panofkae *Res Samiorum p. 57 sqq., cui adde,* quos laudavi in libro meo geogr. II.

Hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque.

---

p. 202. imprimis Pausan. VII, 4, 4. et Varro ap. Lactant. Inst. I, 1 Cf. etiam Lactant. ad Stat. Theb. I, 261. p. 27. A. Schol. Lucani 458. p. 637. et quos praeterea laudat Unger de Valgio Rufo p. Homerus tamen Il. IV, 52. Samum inter urbes Iunoni maxime caras commemorat. Vid. infra ad v. 24. — *magis omnibus unam*, unam omnium maxime; *unus* enim saepe Superlativis adiungitur, u 426. (ubi vid. adnott.), raro Comparativis, ut ab Hor. Epod. XII, 4. *I que sagacius unus odoror*. — **16.** *colere* terras, urbes dicuntur dii, praeter ceteras curae cordique ipsis sunt, et in quibus templa magı habent. Cf. Ecl. II, 60 sq. et III, 59 sq. ibique adnott. — De l *Samo*; *hic* cf. adnott. ad Ecl. II, 24. et 53. Peerlkamp. et ob Aen. 286. et ob Silii I, 26. Statiique Theb. II, 252. locos, quos ex n fluxisse putat, (quibusque haud dubie addidisset infra v. 24., nisi e hunc spurium haberet) „mallet, Virgilius hic scripsisset *posthabitis col Argis*." Non tamen opinor, Peerlkampium, quanta sit Viri doct. aud nobis velle persuadere, vere a Vergilio ita scriptum esse. Vid. etiam, Iahn. Annal. l. l. p. 25 sq. et Siebelis p. 8. contra eum disputant. — „*Hic illius arma, hic currus fuit:* ducta, puto, rei imago ab ant heroibus, qui curribus vecti ad pugnam egrediebantur, reduces auten in loco tecto collocabant ac reponebant, v. Il. VIII, 441. V, 194.; tra illa, ut alia, ad deos, quibus currus sui essent, qui in iis locis, potissimum frequentarent dii et colerent, reponerentur. Pro talibus habentur poëtis eae urbes eaque loca, quae celebriore aliqua religion claruere. Egregius hanc in rem locus Il. XIII, 21 sqq. de Aegis Ne sacris. Iunonis autem currus e nobili Homeri loco Il. V, 720 sqq Odyss. V, 381.) notus est. Burm. laudat Val. Fl. V, 184." *Heyn.* Stat. Theb. XII, 298. Heyn. praeterea de Iunone ἱππίᾳ (i. e. curru v Olympiae culta Pausaniam V, 15. p. 414., et quod ad eius *arma*, ha potissimum, attinet, de Ἥρᾳ ὁπλοσμίᾳ Elide culta Lycophronem 610. 848. conferri iubet. (Infra II, 614. etiam Iuno *ferro accincta* app Expressit hunc locum Ovid. Fast. VI, 45. *Poeniteat, quod non Carthaginis arces, Cum mea sint illo currus et arma loco.* Ceteru Adverbio *hic* pro *illic* posito (ut ap. Nep. Att. 2, 3. *hic ita vixit*) pı Serv. ad h. l. vid. Hand. Turs. III. p. 77., de correpta autem forma adnott. ad Ecl. I, 7., et de Verbo proximi Nominis Numerum seq *arma, currus fuit*) ad Ecl. I, 58. — **17. 18.** Cupit, ut Carthago re gentium, caput imperii terrarum sit (quemodmodum Val. Fl. I, canit: *Experiar, quaenam populis longissima cunctis Regna velim*). attinet ad constructionem cf. Aen. VIII, 65. *celsis caput urbibus* et X, *caput populis* ibique adnott. — **18.** *Si qua* ratione *fata sinan* apud Hor. Od. III, 14, 19. *si qua potuit vagantem Fallere testa*, noli coniungere *qua testa*, Ovid. Trist. I, 5, 41. *Deminui si qua nu ira potest* etc. Vid. adnott. ad Ecl. IX, 14. Cf. etiam Aen. VI, IV, 651. et XI, 701. Repetit haec verba auctor carm. in Anth. Lat. I, 60. Dietsch. l. l. ad haec verba adnotat: „Iuno audivit quidem de sed aut num vera sint, quae audiverit, dubitat, aut ut ex fatis aliqu suum usum vortere possit, futurum sperat." Cf. infra v. 37 sq. — Iuno *tum* (cf. VII, 643. VIII, 349 sq. X, 533.), scil. priusquam *progeniem Troi sanguine duci audierat* (Heyn. omnino explicat: ante Romam conditam), *dit*, contendit, operam dat, *fovetque* animo et cogitatione. Recte Wa min. edit. hoc verbo „studium a blando quodam et quasi materno a profectum" significari censet. Praesentia autem offendere non posse, *tendit* et *fovet* studium futuri e ventus significent, et Infinitivo *esse* cetur, „Iunonem non illud solum cupivisse, ut Carthago aliquando re gentium fieret, sed ut gentibus [semper] esset," verissime docet Di Theol. Verg. p. 18. Tres Codd. apud Burm. *favetque*, quod re iubet Becker. Eleg. Rom. p. 104. Sed cum praecedat *tendit*, Wagn. veri *censet requiri fortius verbum*, *fovere*, non ignavius, *favere*. Ceteru *Plaut. Bacch. V, 1, 1. Quam magis in pectore meo foveo, quas meus*

Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae verteret arces;
Hinc populum late regem belloque superbum

---

turbas turbet, Ovid. Met. VII, 633. *animo mea vota fovebam* et similes locos. — Ceterum Peerlk., temere haerens cum in Infin. Praes. *esse* a verbo *tendit* pendente et in fine hexametri posito, tum in dictione *fovet hoc regnum esse* (qua sane Vergilius vix usus fuisset verbo *tendit* non adiuncto), Vergilium in verbis *Hic currus fuit* desiisse censet, ut cetera omnia *hoc regnum - - fovetque* ab antiquis Grammaticis adiecta sint; simulque provocat ad Servium (Praef. ad Aen. p. 2. Burm.), qui scribat: *Augustus Tuccam et Varum hac lege iussit Aeneidem emendare, ut superflua demerent, nihil adderent. Unde et semiplenos eius invenimus versiculos, ut: hic currus fuit*, ipse tamen addens: „Dicent fortasse, qui contra me disputare cupiant, in Servio legendum esse: *hic cursus fuit*, ac respici Aen. I, 534., ubi revera est hemistichium *hic cursus fuit*.“ Et ita profecto est. Neglexit enim Vir doct., verba *hoc regnum - - fovetque* a Servio ad hunc ipsum locum sine ulla dubitatione tamquam Vergiliana explicari. Rau Schediasm. p. 18 sqq. Siebelis p. 9. imprimisque Iahn. Annal. l. l. p. 28 sq. et Dietsch. l. l. etiam hunc locum iure contra Peerlk. defendunt. — 19. *sed enim*, *ἀλλὰ γάρ*. Cf. Aen. II, 164. V, 395. VI, 28. (ibique adnott.) et vid. Burm. ad Ovid. Am. III, 2, 73. Goerenz. ad Cic. Acad. II. p. 98. Matth. ad Cic. pr. Arch. §. 5. Bach. ad Ovid. Met. I, 530. Gossr. ad Aen. V, 395. et Hand. Turs. I. p. 444 sqq., de Graeco autem *ἀλλὰ γάρ* Herm. ad Viger. p. 811. Schaef. Melet. crit. p. 76. Elmsl. ad Eur. Heracl. 481. Stallb. ad Plat. Apol. p. 19. alii. Sententiam aliquam hic reticeri locumque ita supplendum esse: *sed* timebat, ut hoc efficere posset, *audierat enim* etc., ideoque arcebat Aeneam Latio, non est quod adiiciam. Pedestri oratione Vergilius scripsisset: sed, cum audiisset - -, id metuens et his accensa arcebat etiam etc. — **19—22**. „Enimvero e Troiana stirpe ortam habituram esse acceperat gentem (*progeniem* dixit), quae Carthaginem aliquando esset eversura. Populum enim, ab ea gente oriturum, ad exscindendam Carthaginem in Africam copias suas esse traiecturum.“ *Heyn*. Gossr. per *progeniem* intelligit Scipionem Aemilianum, qui Carthaginem diruit, cum gentem Aemiliam ab Aemilio, Ascanii filio, oriundam tradant, Romani autem postea demum significentur verbis *hinc populum* etc., quod nimis quaesitum est; quamquam etiam Ladew. (cui Conington adsentitur) Iahnium Annal. l. l. p. 31 sq. secutus per *progeniem* gentes modo Romanas a Troianis maioribus originem repetentes indicari censet, quae a reliquo populo seiungantur, ut Aen. VI, 756 sq. *proles Dardania a nepotibus Itala de gente*. — *a sanguine*. Cf. Aen. IV, 191. 230. V, 45. etc. Praepositionem, quam pauci quidam Codd. omittunt, agnoscunt Quinctil. Inst. IX, 3. Donat. ad Ter. I, 2, 3. Priscian. XVI, 2, 15. p. 1033. P. aliique Grammatici. — *duci*, non i. q. ductum iri, nam gens iam exoriebatur. — 20. *Tyrias arces*, Carthaginem a Tyriis conditam. — *verteret* (*zerstören sollte*, sc. fato sic volente) pro everteret. Cf. Aen. II, 652. V, 810. X, 88. Hor. Od. III, 25, 16. Ovid. Met. XII, 138. Tac. Ann. II, 42. III, 36. V, 4. etc. Burm. ad Nuc. 191. Boettich. Lex. Tacit. p. 487. et de utriusque verbi permutatione in Codd. Burm. ad Ovid. Met. XIII, 169. et Drakenb. ad Sil. XV, 411. — 21. *Hinc*, Troiano a sanguine. cf. v. 238. Heyn., qui *Hinc* ad progeniem referendum esse putat, pro eo coni. *hunc populum*, ne reprehensioni inanis repetitionis locus sit; cui Wagn. opponit, saepissime apud poëtas ante dicta ita repeti, ut nova accedat notio, quae potissimum urgenda, ut h. l. *late regem belloque superbum*. Sed Siebelis p. 9. *hinc* rectius refert ad *sanguinem Troianum* et ordinem verborum hunc esse docet: Sed enim audierat Troiano a sanguine duci progeniem, quae olim Tyrias arces verteret, hinc (ex hoc sanguine duci) populum late regem belloque superbum, venturum excidio Libyae, h. e. qui in excidium Libyae venturus sit. Eadem et Henrici sententia in *Tw. years* I, p. 7. et Philol. XI, p. 489. proposita, qui simul docet, huic loco minime *inesse tautologiam, cum verba Tyrias quae verteret arces* con-

Venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.
Id metuens veterisque memor Saturnia belli,

---

silium modo fati indicent, quo populus a Troianis ortus in Italiam si missus, verba autem *venturum excidio Libyae* hunc populum a fato sib demandata vere exsecuturum prodant.) Cadit igitur Probi (vid. Ribbeck Proleg. p. 142.) et Servii de h. l. dubitatio. Omnino cf. quae Iahn. Annal l. l. docte de h. l. disputat. Wund. docet, similiter (de hominibus) usurpari *unde*, coll. Hor. Od. II, 12, 7. *iuvenis, unde periculum* - - *contremuit domus;* cui loco adde eund. Od. I, 12, 17. I, 28, 28. Sat. I, 6, 12. II, 6, 21. Cic. de Or. I, 15. Sall. Iug. 14, 22. Censorin. c. 22. etc. cum ipsius Verg. Aen. I, 6. *genus unde Latinum* et VIII, 71. *genus omnibus unde est.* Ante omnia autem comparandi erant loci Aen. I, 235. *Hinc fore ductores revocato a sanguine Teucri,* Hor. Od. III, 17, 2. *hinc Lamias ferunt Denominatos,* Sil. III, 106. *hinc patriam clarumque genus referebat Imilco* et similes loci. Cf. Gronov. ad Plaut. Truc. I, 1, 42. Drak. ad Sil. I, 283. Bentl. et Orell. ad Hor. Od. I, 12, 17. Kritz. ad Sall. l. l. Hand. Turs. III. p. 86. 362. alii cum adnott. ad Geo. I, 505. et III, 490. -- *populum late regem* pro late regnantem. Cf. Burm. ad Petron. c. 82. extr. et ad Lucan. VII, 419. Comparant *εὐρυκρείων* Homericum et *εὐρυμέδων*. Substantiva autem, imprimis verbalia in *tor* et *trix*, aliis Substantivis Adiectivorum loco per appositionem addi, res est notissima. (Vid. adnott. ad Geo. II, 145.) Hic autem locus propterea memorabilis, quod tali Substantivo Adverbium adiicitur, quo accuratius describatur. Non prorsus similis est Horatii ille locus, quem comparant, Od. III, 17, 6 sqq. *Late tyrannus,* cum ibi praecedat Infin. *tenuisse,* ad quem Adverbium referri possit. Magis huc pertinet Plin. Ep. III, 5. *Drusus, Germaniae latissime victor.* — *bello superbum,* utpote victorem, *κυδιόωντα*. *Superbus* enim vocabulum sollemne de victoribus et triumphantibus. Cf. infra II, 556. III, 3. Eleg. ad Messal. 6. Cons. ad Liv. 333 sqq. Hor. Od. I, 35 3. id. Od. IV, 14, 69. Tibull. II, 5, 46. et Cic. pr. Marcell. 3, 9. — 22 *venturum excidio,* ad excidium, ut alibi *auxilio, subsidio venire.* Cf adnott. ad Ecl. II, 30. VIII, 101. Geo. II, 306. X, 214. Henry (*Tw. year* I, p. 7.) comparat Cic. ad Att. VIII, 7. *subsidio venturus.* Verb *Venturum excidio* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 91. — *Libyae,* magnificentius quam Carthaginis (in Libya s. Africa conditae), ut Aen. II, 55 III, 1. XI, 268. *Asia* pro Troia, quamquam etiam solum varietati studium poëtam movere poterat, ut post *Karthaginem* et *Tyrias arce* commemoratas hic *Libyam* poneret, quae Henrici est sententia (*Tw. year* I. p. 8.) *Libyae* autem secundus, non tertius Casus est. — *sic volver Parcas,* i. e. machinari, moliri, ut infra III, 375 sq. *sic fata deum re Sortitur volvitque vices.* Sed etiam hic cogitandum videtur de certo praefinito fatorum ordine et cursu, quae undarum instar a flumine prov lutarum se invicem sequuntur. Cf. supra ad v. 9. et infra v. 262. Hen ll. ll., qui recte reprehendit Vossii conversionem *so roll' es die Spind der Parcen,* de quarum fusis hic nullo modo cogitandum sit, confert Clau R. Pros. III, 410. *Sic numina fatis volvimur.* Ceterum Peerlkamp., nesci utrum contra ipsum Vergilium, an contra librarios disputans, verba si transponenda censet: *Progeniem sed enim Troiano a sanguine du Audierat Libyae excidio: sic volvere Parcas. Hinc populum late rege belloque superbum Venturum, Tyrias olim qui verteret arces;* Rau auten qui in Sched. laud. p. 20 sq. recte contra eum disputat, ipse praete necessitatem hanc suadet loci mutationem: *Progeniem - - duci Audiera Tyrias olim qui verteret arces, Hinc populum - - Venturum*; *excidio Libyae sic volvere Parcas.* Utrique coniecturae adversatur locus Sidon Apoll. Carm. V, 103. p. 44. *Est nunc eximius, quem praescia saecul clamant Venturum excidio Libyae,* ab Ungero de Valg. Rufo p. 391. allatu — 23. *Id metuens* rei descriptionem absolvit, ut infra v. 61. *Sed pat omnipotens speluncis abdidit atris Hoc metuens.* Respexit autem hu locum Ovid. Met. IV, 642. sqq. *Memor ille vetustae Sortis erat* - - - *I metuens* etc. — *veteris belli.* Quaerunt interpretes, utrum ex poëtae, a *ex Iunonis persona vetus* dicatur. Connexus docet, hoc alterum es

, quod ad Troiam pro caris gesserat Argis —
.um etiam causae irarum saevique dolores
erant animo; manet alta mente repostum

---

dum (cf. etiam infra v. 47 sq.); et constat, vocc. *vetus* et *antiquus* le re praeterita modo, sive nuper, sive olim acciderit, dici. (De *tus* cf. Aen. VI, 449. VIII, 332. Tibull. IV, 1, 63. Ovid. Met. I, ;p. Eum. 11, 2. Suet. Vesp. 8., de voc. *antiquus* Ovid. Met. I, 116. XV, 686. Trist. I, 5, 32. IV, 10, 94. Lucan. VI, 721. Val. Fl. II, nninoque Burm. ad Val. Fl. VIII, 9. et Ovid. Trist. III, 21, I.) tem saepius ita usurpetur Adiect. *antiquus*, quam *vetus*, ex natura ıe vocabuli facile concluditur; *antiqua* enim sunt omnia, quae *ante*, autem, quae *diu* fuerunt. Cf. Fronto de differ. vocab. p. 2192. . Syn. IV. p. 83 sq. et Lindem. ad Plaut. Mil. III, 1, 156. Eodem *etus bellum* legitur ap. Cic. pr. leg. Man. 11, 31. Henry l. l. qui *ellum* etiam hic per *long exercised, long accustomed, inveterate* ;, conferri iubet Tac. Ann. I, 20. *vetus operis et laboris* et ibid. *vetus regnandi.* — *Saturnia.* Cf. III, 380. IV. 92. V, 560. VII, 0. etc. Servius haec adnotat: „Vergilius ubicunque Iovi vel Iunoni nomen adiungit, causas iis crudelitatis adnectit." — 24. *Prima,* t Wund. (ut antea etiam Wagn.) pro prius, olim positum habent (vid. ıd v. 1.); cum tamen sic post illa *veteris memor belli* tautologia n loco inferatur, nunc cum Thielio, Süpflio, Gossr., Ladew., Siebelisio et Wagn. (in edit. min.) explico: princeps ante omnes (*sie vor als Hauptperson, ἐν προμάχοις*). Cf. etiam adnott. ad II, 613. et 3. Ameisio in Muetzellii *Zeitschr.* etc. VII. p. 934. *prima* simpli- st *zuerst*, ut bellum Troianum opponatur praesenti Aeneae insecta- juae tamquam illius belli continuatio spectetur; et Iahn. Annal. l. 1. ad verba *veteris belli* relatum reddit per *von vorn herein, im Beginn.* Peerlk., cui plane otiosum videtur illud *prima*, totos versus 24., qui omnino ordinem verborum valde turbent, pro insititiis ut iam alii ante eum temere de iis dubitaverant (cf. Weichert. de iniuria susp. p. 83.) et Heyn. putaverat, Vergilium, si Aeneidem are ei licuisset, eos deleturum fuisse. Iahn. Annal. l. l. p. 28 sqq. ı p. 10. et Rau Sched. p. 22. etiam hos versus recte tuentur. — *aris Argis.* Cf. Hom. Il. IV, 51. ἤτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ αἱ εἰσι πόληες, Ἄργος τε Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη. autem pro Argivis. Cf. adnott. ad Ecl. I, 62. et IV, 58. — 25. primariae, unde Romanus poëta iram et odium Iunonis in Aeneam , nimio Carthaginis amori, cui ab Aeneae nepotibus interitum m iri praevidet, Vergilius alias causas tamquam secundarias adiungit; ıe animadvertendum, quomodo hic poëta noster, carmen epicum ırus, quod Augusto et Romanis suis placeret, illam causam ceteris ıs anteponat, Paridis autem iudicium (quae Homero Il. XXIV, 28 a est odii illius causa) raptumque Ganymedis ita tantum adiiciat, rebus accedentibus odium magis etiam adauctum esse dicat. Cete- on tam cum Heynio et Ribbeckio vss. 25—28. in parenthesi positos quam potius cum Wunderl. et ceteris recentioribus editoribus ana- m statuo. Vergilius enim, ardore poëtico abreptus et oblitus coeptae is, alia infert, quam quae proprie scribenda erant, et v. 25. aticam sententiae rationem interrumpit, ad quam demum v. 29. tur, verbis *His accensa super* causas ante commemoratas in unum ctens et coeptam orationem continuans. Simplex sententiarum darum ratio haec erat: Id metuens memorque veteris belli, et magis accensa belli causis, Paridis iudicio et Ganymedis raptu, iactatos--- : longe Latio. Similem structurae mutationem invenimus V, 705. et 9. — 26. *Exciderant animo.* Cf. Liv. XXXIV, 37. *pacis mentio at ex omnium animis*, idemque XXIX, 19 extr. *excidere de memo-* Simplex verbum *excidere* sic legitur Stat. Theb. I, 645. *Nec dum responsa Deûm monitusque Exciderant.* Ovid. Met. VIII, 448. *omnis luctus. Trist. IV, 5, 10. nomen tuum mihi excidit*; Cic. ad

Iudicium Paridis spretaeque iniuria formae
Et genus invisum et rapti Ganymedis honores.
His accensa super iactatos aequore toto

Div. V, 13. Liv. XXVII, 3. Quinct. XI, 2, 29. etc. — *manet alta ment*i (*tief in der Seele*) *repostum* (quam formam syncopatam Vergilius Servi teste „de Ennio transtulit:" vid. Geo. III, 527. Aen. I, 253. III, 364. VI 59. 655. IX, 716. XI, 149. cum adnott. ad Geo. III, 166. Aen. VIII, 274 et al.) Cf. Hom. Il. XIX, 125. *τὸν δ' ἄχος ὀξὺ κατὰ φρένα τύψε βαθεῖαν* Cic. ad Fam. X, 34. *quae perpetuo animo meo fixa manebunt* et adnott. ad Geo. III, 527. extr. Repetuntur autem haec verba in Anth. Lat. I, 172 145. et I, 178, 39. — 27. De *Paridis iudicio*, qui Venerem Iunoni et Minervae pulchritudine praestare censuerat, cf. Hom. Il. XXIV, 25 sqq. Eurip. Troad. 925 sq. Hygin. f. 92. Lucian. D. D. 16. et quod attinet ad artis monumenta, in quibus expressum est, Inghirami Gal. Om. I. tab. 9. Gerhard. *Vasengem.* tab. 2. Welcker *Le jugement de Paris.* Paris. 1846. 8. (*Extrait des Annales de l'Inst. arch.* T. XVII. p. 132—215.) alii. — „*spretae iniuria formae* adiectum ad declarandam iudicii indolem. *spreta forma* est Iunonis pulchritudo, pulchritudini Veneris posthabita; et quia id cum Iunonis iniuria factum, dixit plenius: *iniuria spretae formae.* Formam adumbravit Statius Theb. I, 246., ubi Iupiter: *neque enim arcano de pectore fallax Tantalus et saevae periit iniuria mensae.* Cf. Ovid. Fast. VI, 43. *Causa duplex irae: rapto Ganymede dolebam; Forma quoque Idaeo iudice victa mea est.*" *Heyn.* Verba *spretaeque iniuria formae* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 403. Adde Firmicum de err. prof. relig. p. 4. Bursian. *quod irata mulier pro iniuria spretae fecerat formae*, a Wold. Ribbeckio comparatus. Quod attinet ad Part. *que* vi explicativa praeditam, cf. similes loci Geo. II, 242. III, 198. 158. IV, 481. Aen. I, 258. II, 722. III, 366. IV, 355. cum adnott. ad Ecl. III, 34. et alibi. — 28. „*Genus invisum*, propter Dardanum, Iovis et Electrae pellicis, filiae Atlantis, filium, a quo Troiani ducunt originem. [Cf. VIII, 134 sq.] et Ovid. l. l. v. 42. *iras In genus Electrae Dardaniamque domum.* Verba *Et genus invisum* hinc repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 54. — *rapti* (cf. V, 255.) *Ganymedis honores*, ministerium poculorum, ad quod receptus est, remota Hebe." *Heyn.* *Honores* enim (ut Graec. *τιμαί*: cf. Valcken. ad Eur. Hippol. v. 107.) etiam alibi significant singula munera et ministeria diis in Olympo mandata. Alii minus recte *rapti honores* iungunt. Wagnerum, qui *rapti* cum contemptu dici putat, quemadmodum apud nostrates *entführt*, quod corrumpendi notionem involvat, ut infra IV, 198. *Hic Hammone satus, rapta Garamantide Nympha*, Henry (*Tw. years* I, p. 9. et Philol. XI. p. 489.) refutare studet coll. locis Aen. V, 254. et Ovid. ex P. I, 9, 1., quibus in exemplo mihi donato adiecit Val. Fl. II, 414.; sed vide quae Kappes. l. l. p. 13 sq. contra eum disputat. De raptu autem Ganymedis, quem plurimi Trois et Calirrhoes filium fuisse narrant, vid. Hom. Il. XX, 232 sqq. Apollod. II, 5, 9. et III, 12, 2. Ovid. Met. X, 143 sqq. Verg. ipse infra V, 254 sqq. alii. Mirum est, Ravium, qui alibi iure adversatur Peerlkampii omnia addubitandi prurigini, hunc versum, vel illi non suspectum, ipsum damnare in Sched. p. 23., cum oneret et extra modum protrahat sententiam interpositam, cum prius hemistichium nihil novi inferat, alterum autem indignum sit carminis epici gravitate, quod Ganymedis raptum inter causas irae Iunonis enumeret, cumque praeterea intempestiva Copulae repetitione molestus sit; quae causae quam leves sint, quisque videt. — 29. *His* est Ablat. causae cum voc. *accensa* arcte cohaerens et pertinet ad utramque irae et doloris causam, quam ad v. 25. exposuimus. Hübler. in Spec. adnot. ad Aen. L. I. Fribergae 1793. p. 3., Graser. in Censura edit. Wagn. supra laud. (contra quem hic disputat in Epist. ad Groeb. data p. 25) et Nauck. l. l. p. 4. coniungunt: *super his accensa*, ut *super* sit Praepositio, de cuius significatione huc pertinente dictum est ad Geo. IV, 559. Wagn. vero cum Heynio interpretatur per *insuper*, conferens Aen. VII, 462. ibique adnott., eandemque rationem etiam *Iahn., Süpfl. et Coningt.* sequuntur, scil. ut ad metum (v. 23.) etiam dolor *et ira accedant;* quod tamen nimis quaesitum videtur. Quare nunc cum

Troas, reliquias Danaum atque inmitis Achilli,
Arcebat longe Latio, multosque per annos

Ameisio in Muetzellii *Zeitschr.* etc. VII. (1853.) p. 933. et Ladew. *super* pro Praepositione habeo cum *aequore toto* coniungenda, ut haec verba respondeant seqq. *maria omnia circum*; quamquam non reticendum est, alibi poëtam nostrum ubique aut simplici Ablativo uti *aequore toto* (Aen. I, 128. V, 456. XI, 599. XII, 501. coll. Geo. III, 359. 470. Aen. I, 511. VIII, 96. X, 665.), aut Praepos. *in* adiungere (X, 569. et XII, 614.), quod nostrae explicationi fortasse opponi potest. Quod autem ad locum attinet, quem Praepositio occupat, Ameis. conferri iubet Aen. I, 700. II, 278. VI, 17. VII, 358., quibus adde IV, 233. — *iactatos*. Vid. supra ad v. 3. — *aequore toto*. Vid. infra v. 128. — V. **30**. iteratur III, 87. — *reliquias Danaum*, (quae verba ex h. l. repetiit auctor Anth. Lat. I, 164.), Troianos, qui a Danais et ab Achille vivi relicti erant, qui Achivorum manus effugerant: *reliquiae* enim etiam eius dicuntur, cuius pars relicta est (ut Aen. IV, 342.) et eius, qui aliquid reliquit (ut Cic. Sen. 6, 19. *ut avi reliquias* [i. e. Carthaginem ab avo relictam] *persequare*); de quo Genitivi usu vid. infra ad v. 462. Conington confert Aesch. Agam. 517. *στρατὸν δέχεσθαι τὸν λελειμμένον δορός*. Grammatici fere omnes (Serv., Donat. Art. III, 1, 2. et ad Ter. Phorm. prol. 22. Charis. p. 237. Diomed. p. 447. Beda p. 2344. Mar. Victor. p. 2481. alii) hic scribunt *relliquias* (de qua literae liquidae geminatione cf. Schneider Gr. Lat. I, 2. p. 584 sq. Ritter. Elem. Gramm. Lat. p. 27. et 134 sqq. Lachm. ad Lucr. III, 1014. p. 203 sq., Corssen. de pronunt. I. p. 83. alii); optimi tamen Vergilii Codd. huic scribendi rationi minus favent. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 463. et Ribbeck. Proleg. p. 429 sq. Graecos autem Vergilius plerumque *Danaorum* vel *Graiorum*, interdum etiam *Achaeorum* vel *Argivorum* nomine dicere solet. — *Danaum atque Achillis*. Copula interdum eam habet vim, ut per epexegesin (de qua vid. adnott. ad Geo. I, 498.) praegressae multitudinis notioni subiungat singula, quae prae ceteris excellere significentur. Cf. Geo. IV, 14. Aen. IV, 45. VII, 535. VIII, 330. IX, 454. 811. et Wagn. Qu. Virg. XXXIII, 6.; neque aliena sunt, quae Hand. Turs. I. p. 467. disputat. „Nomina *Danaum* et *Achillis* Graecos apte complecti apparebit comparanti Hom. Od. II, 344. *immitis* ingenium fortis herois designat, nec magis in contemptum dicitur, quam *saevus Hector* v. 99. Adde de Aiace *ὠμόθυμος* apud Soph. Ai. 885.“ *Wund.* — De forma Genitivi *Achilli*, quam praestantissimi libri (Med., Gud., duo Bern. alii, Prisc. p. 706. et 1101. P. Claud. Sacerd. II, 46. Probus Inst. II, 1, 51. et Servius) tuentur, cf. Wagn. ad h. l. Schneid. Gr. Lat. II, 1. p. 163 sq. et quos laudant Iahn. ad Ovid. Met. XIII, 304. Klotz. ad Cic. Tusc. III, 10, 21, Madvig. ad Cic. de Finn. V, 18, 49. Seebodii Bibl. crit. 1824. Voll. VIII. p. 877. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 6, 63. Vol. I. p. 284. Et Wagn. quidem, a Schneidero aliisque dissentiens, docet, Nomina Graeca in *ευς* desinentia apud Dores terminata esse in *ης*, ut *Τυδεύς* — *Τύδης*, *Ὀρφεύς* — *Ὄρφης* (vid. Prisc. VI, 18, 92.); hinc exstitisse Genit. in *ου* formatum sive primae, sive Aeoliensis tertiae Declinationis (Greg. Cor. p. 617. ed. Schaef.) et inde ortam Latinam Genitivi terminationem *i*, quae res confirmetur eo, quod Plutarchus illam ipsam formam servarit Marcell. 20. *Οὐλίξου, τουτέστιν Ὀδυσσέως*. Sic igitur propriam eiusmodi nominum, qualia sint *Achilles*, *Ulixes*, terminationem Genitivi esse *i*, Accusativi *en* (cf. etiam Obbar. ad Hor. Ep. I, 2, 18. Vol. I. p. 112. et adnott. ad Aen. II, 476.); contra quae per *eus* scribantur, neque altera ratione in *es* terminentur (ut *Nereus*, *Tereus*, *Oileus*, *Ilioneus*, *Idomeneus* etc.), Genitivum mittere in *ei*, Accusativum in *ea* (cf. Ecl. VI, 35. 42. 78. Aen. VIII, 382. X, 764. XI, 675.); Vergilium autem abstinuisse a formis *Achillei* — *Achillea*, *Ulixei* — *Ulixea* (a Nomin. *Achilleus*, *Ulixeus* factis), quibus Horatius et alii saepe utantur. (Cf. etiam ad Ecl. VIII, 70. et infra adv. 41. adnott.) — *Arcebat Latio*, sexto Casu, ut Aen. VI, 316. *arcebat harena* et XI, 826. *Troianos arceat urbe*. Cf. etiam Geo. III, 131. Aen. I, 300. VII, 779. VIII, 73. Cum Dativo constructum est i. q. defendere, ut Geo. *III, 155. arcebis hunc pecori*. — **31**. Pergi poterat: *multosque per annos egit (Iuno)* etc. Eiusmodi autem inversioni

**Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantae molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conspectu Siculae telluris in altum**

---

exempla apud poëtas haud rara. Cf. v. c. Tibull. I, 3, 70. I, 8, 54. Ovid. Met. X, 455. Silius II, 543 sqq. etc. Copula *que* etiam hic vim illam explicativam habere videtur, de qua ad Ecl. III, 34. diximus. — *multos per annos*, i. e. per septem, ut Heyn. docuit in Exc. II. ad l. III. Vid. infra v. 755. Praepos. autem *per* notionem diuturnitatis et continuationis inesse (*volle* 7 *Jahre hindurch*), non est quod memorem. — **32.** *acti fatis*. „Quaerunt interpretes multi, quomodo *fatis* agi potuerint Troiani, cum antea ipse poëta nominasset iram Iunonis? Sed res facilis explicatu: namque *fata* sunt etiam quaecunque mala a deo aut dea quadam immissa. Sic etiam de voluntate Iovis Aen. IV, 110. *Sed fatis incerta feror*, i. e. incerta sum propterea quod, quae voluntas sit Iovis, nescio.“ Ita Schirach. p. 410 sq. Similis huic rationi *fatis* pro voluntate Iunonis capienti est eorum, qui de ipsius Iunonis odio fatali cogitant, ut Gossrau. Sed praestare videtur simplicior ratio, ut de ipsis Troianorum fatis cogitemus, quae eos nusquam consistere patiebantur, antequam sedem destinatam invenissent. Troiani enim a fato destinati erant, ut imperii Romani conditores fierent; Iuno reluctatur et per plures annos hoc impedit; nihilominus fata impleri debent, ideoque quodammodo etiam suis fatis propelluntur Troiani. Cf. infra v. 382. *data fata secutus*, X, 67. *Italiam fatis petiit auctoribus* et IV, 14. *heu quibus ille iactatus fatis* cum locis Aen. I, 2. 205. aliis. (Video hanc explicationem etiam Wagnero in edit. min., Ladewigio et Dietschio Theol. Verg. p. 17 sq. probari; Haeckerm. autem p. 2 sq. (et *in Zeitschr. f. d. Gymn. W.* XIX. p. 45.), quem iure refutat Dietsch. l. l., *fatis* pro malis, casibus, laboribus positum censet, ut III, 182., coll. I, 240. 628. et VI, 532.) Hinc etiam apparet, *acti* hic non esse i. q. circumacti, sed potius protinus acti, ut sensus sit: fatis Italiam versus agebantur, nihilominus tamen, a Iunone prohibiti, multos per annos circum omnia maria errabant; quod Henry quoque (*Class. Mus.* XIX et *Tw. years* I. p. 10.) bene perspexit, qui etiam conferri iubet infra v. 133. *huc acti*. — *maria circum*. Eadem Praepos. postponitur etiam Geo. II, 382. Aen. III, 75. VI. 329. Lucr. I, 935. Cic. N. D. II. 41, 105. Stat. Theb. III, 395. alibi et a Vergilio quidem maxime in fine versuum. Cf. supra ad v. 13. Plus autem dicere *circum* (*rings umher*), quam *circa* (simpliciter *umher*), vere observat Nauck. p. 4. — **33.** *molis*, molilminis, laboris, difficultatis. Hac significatione voc. *molis* imprimis apud Tacitum legi, multis exemplis prolatis (Ann. I, 45. II, 78. XIII, 35. Hist. III, 84. cett.) docet Boettich. in Lex. Tacit. p. 300. Velleius aliquoties (II, 95, 1. 97, 4. 115, 1. alibi) de *belli mole* loquitur. Conington comparat Liv. XXV, 11. *Plaustris transveham naves haud magna mole*. Imitatur hunc locum Sulpitius Sever. Hist. II. p. 316. *magnae molis erat urbem restituere*, cuius etiam Calpurn. 1, 84. memor fuit *Romanae pondera molis* commemorans. - *Romanam condere gentem*, sedes in Italia figere et stirpem ibi condere, unde Romani orituri essent. Cf. Iustin. II, 6. *Deucalion, a quo genus humanum conditum est* et XVIII, 3. *Tyriorum gens condita a Phoenicibus fuit*. Contrarium est *evertere* (Aen. III, 1.) et *exscindere* (Aen. IV, 424.) *gentem*, quod Nauck. l. l. adnotat. — **34.** sqq. Troianis ex Sicilia in Italiam proficiscentibus Iuno parat exitium. „Hic, ut in Odyssea, in medias res abripitur lector. Quomodo enim e Sicilia solverit Aeneas, qui tum classe in Italiam tendebat, infra videbimus sub finem libri III. Sed tempestate mox orta a cursu avertitur et ad litus Africae, tantum non naufragio facto, deiicitur. Rerum autem ordinem ipsamque dictionem ad Homeri exemplum instituit Od. V., ubi Ulysses e Calypsus insula Ithacam petens cum iam Phaeaciam in conspectu habet, tempestate a Neptuno excitata naufragus enatat. Quod ibi Neptunus facit, tributum h. l. Aeolo, quodque Leucothea, hic Neptuno. Cf. Macrob. Sat. V, 2. In Homero tamen maior rerum varietas narrationisque suavitas.“ *Heyn.* — *e conspectu* abeunt, qui ex eo loco, ubi antea fuerant, conspici amplius non possunt Cf. XI, 903. *Vix e conspectu exierat* etc. Conington praefert alteram, qua

Vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant,
Cum Iuno aeternum servans sub pectore volnus
Haec secum: „Mene incepto desistere victam

---

cogitari potest, explicationem: qui eum locum, ubi antea fuerunt, conspicere amplius non possunt, (non *out of sight from Sicily,* sed *out of sight of Sicily.*) — *Siculae telluris.* Sic *tellus* de insulis etiam infra III, 73. ap. Ovid. Met. III, 597. Hor. Od. I, 7, 29. Tibull. IV, I, 78. et alibi. — **35.** *vela dabant,* scil. ventis, quod alibi additur, v. c. Ovid. Met. I, 132. Cf. praeter alios Mitsch. ad Hor. Od. IV, 15, 4. et adnott. ad Aen. III, 686. Contrarium est *ventis vela negare* apud Ovid. Met. XI, 487. — *laeti,* alacres, utpote Italiae, laborum fini, tandem adpropinquantes. Habuit poëta ante oculos Odyss. V, 269. *γηθόσυνος δ' οὔρῳ πέτασ' ἱστία δῖος Ὀδυσσεύς.* Paullo aliter Haeckerm. l. l.: „Laetabantur potius nautarum more Troes de expedito navium cursu; vide I, 416. 696. III, 347. IV, 190. 295. VII, 430. IX, 89.“ In quibusdam libris post *laeti* distinguitur: sed cum *laeti* et ad praegressa et ad sequentia spectet, praestat nulla hic interpunctione uti; vid. ad IX, 243. Haeckerm. l. l. huic rationi verborum collocationem obstare temere iudicans coniungit verba *laeti et - - secabant,* ut etiam Nauck. l. l. *laeti et* pro *et laeti* positum esse censet; et Haeckerm. quidem confert locos Aen. I, 262. III, 430. 668. IV, 124. VIII, 517. XI, 367., ubi eadem ratione Adiectivum cum emphasi quadam Particulae *et* praeponatur, Nauck. autem minus apte Aen. III, 276. IV, 166. V, 349. VI, 629., quos locos plane alius generis esse, quisque videt. — *spumas salis aere ruebant.* Cf. locus parallelus X, 214. *campos salis aere secabant,* Val. Fl. I, 687. *volat immissis cava pinus habenis, Infinditque salum et spumas vomit aere tridenti. Sal* pro mari positum redit etiam infra v. 177. III, 385. V, 845. 866. VI, 697. alibi. Posteriores poëtae etiam de singulari aliquo mari usurpant. Cf. Avien. descr. terr. 912. *Hyrcanum sal.* — *aere,* aeratis navibus, imprimis aereis rostris, mare ita suscitabant, ut spumas ageret. Praeter locos modo comm. cf. etiam Aen. V, 198. X, 414. et illos locos, ubi *pinus, abies* etc. pro nave ponuntur. (Vid. adnott. ad Ecl. IV, 38.) De aeratis navibus cf. Aen. V, 198. VIII, 675. X, 223. etc. (Ceterum similiter de aratione loquitur poëta noster Geo. I, 50. *ferro cum scindimus aequor.*) — *ruebant* Heyn. interpretatur per secabant, Wagn. per sulcabant. Rectius tamen Schirach. p. 572. et Doederl. Synon. II. p. 123. (quibuscum etiam consentiunt Thiel. et Haeckerm. p. 3.) accipiunt pro eruebant; quemadmodum infra v. 85. *totum* (mare venti) *a sedibus imis ruunt.* Lucr. VI, 727. *mare ruit arenam.* Silius IX, 493. *caelumque ruentes Eurique et Boreae.* Unde tamen non sequitur, cum Lerschio Ant. Virg. p. 125. hic et l. X. l. l. de remis aere firmatis cogitandum esse. Nescio, quid sibi velit Ladew., qui explicationem nostram reiiciens locum Germanice sic reddit: „*und streckten mit ehernem Schnabel die schäumende Salzfluth.*“ — **36.** „*Aeternum vulnus,* qui v. 25. *saevi dolores,* dolor de iniuria, et cum dolore ira; ita Gr. *ἕλκος.* Adumbrata autem Iunonis indignatio ex Odyss. V, 281 sqq., ubi similis oratio Neptuni. - - Similem prorsus locum videbis inf. lib. VII, 286—320.“ *Heyn.* Ita etiam XII, 160. de *tristi volnere mentis* sermo est et Ovid. Met. IX, 540. canit: *quamvis animo grave volnus habebam.* — *sub pectore.* Cf. Aen. XII, 831. *Irarum tantos volvis sub pectore fluctus.* Eadem ratione *sub* pro nostro *in* legitur infra v. 100. 453. alibi. Conington comparat Aesch. Eum. 156. *ἔτυψεν — ὑπὸ φρένας ὑπὸ λοβόν.* — **37.** *Haec secum,* „sine conscio“ Serv. Cf. autem Geo. I, 389. IV, 465. Aen. II, 93. multosque similes locos, et de omisso verbo dicendi adnott. ad Aen. I, 335. Cum hac Iunonis iratae oratione Gossrav.' conferri iubet similes Aen. VII, 286. Ovid. Met. II, 518 sqq. III, 262 sqq. IV, 420 sqq., sicut Neptuni irati ap. Hom. Od. V, 281. — *Mene incepto desistere* etc. Male Heyn. (in minore edit.) signum exclamationis pro interrogationis signo post *regem* posuit. Apertum est enim, Iunonem indignabundam se ipsam interrogare, cur Aeneae perdendi consilio desistens, vel nihil certe faciens, quo iuvetur, illum in Italiam *tendere* tranquille patiatur. Similem, sed *querentis, interrogationem per Infinitivum* expressam infra legimus,

Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
Argivom atque ipsos potuit submergere ponto
Unius ob noxam et furias Aiacis Oilei?

---

v. 97. et V, 616. Cf. de hac interrogandi ratione Ruhnk. ad Ter. Andr I, 5, 10. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 9, 73. Ramsh. §. 168. 6. Krüge *Untersuch. a. d. Gebiete der Lat. Sprachlehre.* Fasc. I. p. 17 sqq. et Stall baum. ad Ruddim. II. p. 226. — *victam* se fateri putat, si desista adversari Troianis. Cf. eiusdem Iunonis verba Aen. VII, 310. *Vincor a Aenea.* — **38.** *Teucrorum regem,* i. e. ducem, principem. Sic etian infra v. 543. 553. 575. et alibi; quare etiam Ascanius infra v. 677. *regiu puer* dicitur. — *Italia avertere.* Cf. Geo. II, 172. — **39.** Iahn. mal interrogandi signum posuit post *fatis,* cum „Iuno indignabunda hae interroget, quod sequentia doceant." Immo ironica est obiectio, quan ipsa sibi facit deorum regina, et ad quam ipsa statim respondet nov interrogatione. Quamquam enim ne dii quidem fata possunt infringer (cf. Aen. VII, 293. IX, 94.), possunt tamen morari (Aen. VII, 31.) atqu ad tempus certe mutare (Aen. VI, 449.), et imprimis Iupiter eorum or dinandorum et moderandorum habet potestatem (*sortitur fata* Aen. III 376.); cf. quos ad Geo. I, 416. laudavimus. Quare Iuno, frustra nitens, u fata superet, id certe efficit, ut Troianos per aliquot annos a terra fati destinata arceat. Ita multo fortius et vividius procedere orationem, quis que videt. *Quippe* autem haud raro ironiae inservit, ut Aen. IV, 21ß Cic. Mil. 12, 33. Plaut. Epid. V, 1, 12. Sil. Ital. V, 117. et alibi. C Wunderl. ad Aen. l. l. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 2, 4. Passov. ad Per Sat. I, 88. Ruperti ad Silii l. l. Kühner. ad Cic. Tusc. I, 21, 48. alii. - *vetor,* prohibeor, mihi interdicitur; ut ap. Cic. Lael. 22. extr. *Act agimus: quod vetamur veteri proverbio.* Nep. Hamilc. 3, 2. *Ut a prae fecto morum Hasdrubal cum eo vetaretur esse,* alibi. — **39.** sqq. „Potu tamen Pallas, (et quanto magis ego, v. 46.) contra fata h. e. quamqua faustus reditus fato erat destinatus) Achivorum classem coelesti ig comburere et fluctibus opprimere [ad Caphareum, Euboeae promontoriun unius Aiacis ulciscendi causa, [quem dea fulmine percussum scopul allisit.] Vid. ad v. 41. Ab Euripide haec sumta esse, Macrob. Sat. 22. docet. Locus est in Troad. v. 77—86.; videntur etiam versus 23 s Virgilio ante oculos fuisse. Fabulae fundus est in Homero Od. III, 1 sq. et multo magis IV, 499 sq.; sed ibi Neptuno tribuitur, quod h. Minerva facit: *Illum exspirantem - - Turbine corripuit.*" Haec Hey qui praeterea confert Quint. Cal. XIV, 420 sqq. Lycophr. Cassandr. 39 93. et Hygin. f. 116. Vid. etiam Hor. Epod. X, 11 sqq. Prop. IV, 6, (II 7,) 39. alii. Ipse Vergilius meminit huius facti etiam Aen. II, 403. et V 841. Ceterum hac quaestione multo vividiorem fieri Iunonis irat orationem, quam si poëta scripsisset: At Pallas tamen potuit etc., n est quod demonstrem. — *Pallasne* pro: nonne Pallas. Interdum enim n quae natura sua negativa est Particula, etiam in eiusmodi interrogation bus ponitur, quae affirmativam exspectant responsionem, imprimis verbo primario enunciati adfigitur. Cf. Heusing. ad Cic. Off. III, 17, 6 Gernh. ad Cic. Off. I, 17. Matth. ad Cic. Rosc. Am. 12, 33. Beier. Ex XI. ad Cic. Off. I, 11. p. 336. Kühner. ad Cic. Tusc. II, 11, 26. Ochsne Ecl. Cic. p. 102. Orell. ad Cic. Mil. 14. p. 86. alii. — **40.** *Argivom* p *Argivûm* cum recentissimis editoribus scripsimus. Cf. Corssen. (pronunt. I. p. 243 sqq. et Ribbeck. Proleg. p. 438. Peerlkampii con *classem Argivam* recte reiicit Iahn. Annal. l. l. p. 32. — *ipsos,* Argivo Graecos, ἐπιβάτας, qui opponuntur classi. Ita etiam apud Homeru αὐτοί; v. c. Il. XIV, 47. πρὶν πυρὶ νῆας ἐνιπρῆσαι, κτεῖναι δὲ αὐτού Cf. etiam Il. XI, 525. XXI, 521. et similes loci, ex Vergilii autem ca minibus Geo. III, 387. II, 297. Aen. III, 619. etc. — **41.** „*Unius o noxam,* [ut infra v. 251. *unius ob iram*] cum antea Achivis esset studi *sissima: ob Aiacis Oilei f.* insanam libidinem, qui stuprum Cassandr *intulerat in Minervae* templo, in conspectu ipsius deae. (Cf. infra II, 40

Ipsa Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem
Disiecitque rates evertitque aequora ventis,
Illum exspirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit scopuloque infixit acuto;

Facinus hoc honeste, graviter tamen, declaratur per *noxam* et per *furias*.“ *Heyn*. *Noxa* enim cum scelus significat, cui poena debetur, tum poenam, quae scelus sequitur; est enim omnino detrimentum et quod aliis afferimus scelere, et quod ipsi capimus poena sceleris (cf. Doederl. Syn. II. p. 153.); et *furiae* haud raro pro furore, quo scelera committuntur, ad quae Furiae quasi instigare videntur. Cf. Aen. III, 331. VIII, 205. Ovid. Met. VI, 595. Wagn. confert Hom. Il. XX, 87. *Μοῖρα καὶ ἠεροφοῖτις Ἐριννὺς φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην*. *Unĭus* ut supra v. 16. *illius*. *Oilei* dubium est utrum sit Subst., scil. filii, (ut Hygin. fab. 97. et 114. Lucil. ap. Non. s. 687. aliique scribunt *Aiax Oilei* (*filius*) et Ovid. Met. XII, 622. *Oileos Aiax* (*Αἴας Ὀϊλέως*, Apollod. III, 10, 9.), an Adiectivum, cum etiam *Aiax Oileus* (i. e. Oilides) notus sit ex Cic. Tusc. III, 29, 71. Or. II, 66, 265. (ubi tamen *Oileos* etiam Gen. graecus esse potest, ut ap. Ovid. l. l.) Sen. Med. 661. Sidon. Apoll. V, 197. Hygin. fab. 81. Dict. Cret. I, 17. Darete Phryg. 13. 14. aliis. Cf. Burm. ad Gratii Cyn. 103. et interpp. ad Ovid. Met. XII, 622. Priorem rationem cum Servio sequuntur Gossr., Ladew. et Conington. Ceterum Med. *Oili*, quod non probandum videtur, cum Nomin. ubivis scribatur *Oileus*, nusquam *Oiles* (vid. supra ad v. 30.); receptum tamen est a Ribbeckio, qui provocat ad Cod. Salisb. Macrobii IV, 5, 5. Codd. Diomedis p. 423., Schol. Hor. Od. II, 4, 5. et Asperum ap. Serv. ad Aen. VIII, 383. Eadem Episynaloephe infra v. 120. *Ilionei*. Vid. adnott. ad Ecl. VI, 42. 87. et al. Ad ipsam rem cf. Quint. Smyrn. XIV, 445 sqq. 508. 532. et Serv. ad h. l. — **42.** Habemus hic exemplum deae fulmen moderantis, ut etiam infra IV, 120. Cf. etiam Val. Fl. I, 372. *et tortum non ab Iove* (sed a Minerva) *fulmen*. Conington conferri iubet Aesch. Eum. 827. et Eurip. Tro. 80. De diis autem fulmen iaculantibus Heyn. in Exc. ad h. l. scripto agere memorat Cuperum Harpocr. p. 100. Burm. in Iove Fulguratore c. 15. et Winckelm. Monum. ant. ined. T. II. c. 2., quibus adde Wagn. ad Val. Fl. I, 116. et IV, 670. — *Ipsa*. Oppos. *Ast ego* v. 46. Vid. adnott. ad Ecl. I, 38. — *rapidum* fulmen dicitur ob ingentem celeritatem (*reissende Schnelligkeit*), ut Geo. I, 92. II, 321. *Sol rapidus* (quamquam in illis locis etiam vehemens omnino significare potest: cf. adnott. ad Ecl. II, 10.). De celerrimo hominum incessu hoc Adject. infra I, 644. usurpatum videbimus. — *iaculari* verbum sollemne de fulmine, quippe quod rei vehementiae iam sono optime respondeat. Cf. Aen. II, 276. Hor. Od. I, 2, 2. Ovid. Am. III, 3, 33. etc. Val. Fl. IV, 671. — **42—45.** „Facta per tempestatem navium dispersione ad Capharеum, Euboeae (cf. inf. XI, 260.) promontorium, Aiax ad Gyras petras, prope Myconum insulam, actus naufragium fecit. Ipsum vero Pallas fulmine percussum procellae vi scopulo etiam illisit. Commentarii loco esse potest Senecae imitatio in Agamemnone 528 sqq. Adde Quintum Cal. l. c. XIV, 547 sqq.“ *Heyn*. Paullo aliter Aiacis interitum narrat Hom. Od. IV, 499—511. Rau in Sched. laud. p. 24. hos quatuor versus **42—45.** tumore tragico insignes ab hoc loco alienos et ab alia manu adiectos habet. — **43.** *disiecit rates*, i. e. dispersit. Vid. infra v. 128. et 170. Cf. etiam v. 70. — **44.** *exspirantem flammas*, fulmine ictum et animam efflantem. Pluralis multos et crebros ignes indicat, ut Geo. I, 473. Aen. I, 727. II, 478. III, 574. IV, 567. cett. Cf. Wagn. Qu. Virg. p. 410. et quae ad Ecl. X, 76. et alibi adnotavimus. Ceterum compara Stat. Theb. XI, 2. *exspiravitque receptum fulmen Capaneus*, Claud. Rapt. Pros. I, 154. *spirat inexhaustum flagranti pectore sulphur*, et Attii locum (Clytemn. fr. 5.) a Servio hic allatum: *In pectore fulmen inchoatum flammam ostentabat Iovis* (quibus locis satis refutatur lectio *transfixo tempore* a Probo commemorata (cf. Serv. ad h. l. et Ribbeck. Proleg. p. 141.), cuius in Codd. nec vola nec vestigium reperitur), praeterea autem similem locum Lucretii VI, *391. (icti flammas ut fulguris halent* Pectore *perfixo)*. — **45.** *Turbine corripuit*. Cf. Lucr. VI, 395. Turbine

Ast ego, quae divom incedo regina, Iovisque
Et soror et coniunx, una cum gente tot annos
Bella gero. Et quisquam numen Iunonis adorat

---

caelesti subito correptus et igni. — *infixit.* Pauci quidam Codd. et ed. Iunt. *inflixit*, ut X, 303. *Namque inflicta vadis dorso dum iniquo*, atque etiam apud Serv. legimus: „Cornutus ait, *inflixit* quod sit vehementius" (cf. Ribbeck. Proleg. p. 127.); sed *acuto s* verbum *infigendi* accommodatius videtur, quam *infligendi*, atque Lad etiam propterea aptius videtur, quod contineat notionem in eode permanendi, qua excludatur honesti funeris cogitatio. Accedit d quod etiam Sidon. Apoll. V, 197. hunc locum imitatus scripsit: *fi Cepharei Cautibus inter aquas flammam ructabat Oileus* et quod in W Poet. L. min. V, 1367, 14. legimus *Infigar scopulo.* Cf. etiam Ovid. i 337 sqq. Ennius p. 274. Hessel. s. p. 144. Vahlen. Sen. Agam. 571. Gronov VI, 8. et Heins. ad h. l. et Ovid. Fast. III, 599. Henry in Novis Anr et paed. LXVIII. p. 602. *infigere* explicat per transfodere, et *scopuloque* in unam coniungit notionem „*ein wirbelnder Fels*", quam sententiam nunc ipse retractat. Cf. etiam, quae Kappes l. l. p. 44 sqq sime contra eum disputavit, *infigere* non solum significare *in aliqui* etiam *ad aliquid figere* comprobans loco Silii XII, 738. *Natis infigunt matres.* (Cf. infra v. 687. et Lucr. IV, 1175.) — 46. 47. Cf. Hom. Il. XVI sqq. Aen. VII, 304. 307—310. *Ast.* De hac antiquiore Particulae form redit infra v. 116. II, 467. III, 330. 410. et alibi, quamque or gravitati optime convenire facile perspicis, cf. Hand. Turs. I. p. 4 *quae incedo* magna cum vi pro simplici: quae sum. Incessu dearum, imprimis Iunonis, satis notus. Cf. infra v. 405. V, 649. Pr 2, 6. *incedit vel Iove digna soror*, h. e. tamquam Iuno, etc. Cf. Epist. p. 81. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 1, 100. Lenz. ad Stat. Silv 98. et Thiel. ad h. l. Similiter infra v. 497. de Didone: *Regina cessit.* De *incedendi* verbo, quod numquam simpliciter est i. q. i respondet nostro *einherschreiten*, Kappes l. l. p. 17 sq. conferri iube Qu. N. VII, 31. Sall. Iug. 31. Liv. I, 26. II, 6. Hor. Epod. XV, 17. Bacch. IV, 9, 146. etc. Cf. etiam Aen. V, 68. — *divom regina* quam Iovis uxor. Ita etiam apud Graecos, v. c. Pind. Nem. I, 3 θεῶν βασιλέα vocatur, quia Iupiter est Ζεὺς βασιλεύς. — *Iovis et coniunx* ex Homerico κασιγνήτην ἄλοχόν τε, Il. XVI, 432. (co Il. IV, 59 sq.). Cf. praeter alios Hor. Od. III, 3, 64. *Coniuge m et sorore.* Ovid. Met. III, 263. *Si maxima Iuno rite vocor - - - regina Iovisque Et soror et coniunx.* Senec. Agam. 340. *Ades, o soror et coniunx, Consors sceptri, Regia Iuno.* Epit. Iliad. 99. *mih coniunx dicor tua quaeque sororis Dulce fero nomen.* — *coniun* fere ubique (Aen. VI, 473. 523. 764. et Geo. IV, 465.) Medic. conse Vatic., quos iam Heyn. recte secutus est. Cf. Velius Longus p. Schneider. Gr. Lat. I, 2. p. 463 sq. Wagn. Orth. Verg. p. 422., qu Voll. Hercull. P. II. Col. IV. lin. 4., et Ribbeck. Proleg. p. 434. *annos*, per tot annos. Vere enim Serv. ad h. l. „*Tot annos* co tionem significat; *tot annis* intervallum." Cf. Ramsh. §. 135. 3. Zu 395. Billroth. §. 168. not. etc. Reiicienda igitur paucorum librorum le *annis.* — Peerlkamp. praeter necessitatem coniecit *victa cum gente.* etiam quae Iahn. Annal. l. l. p. 34 sq. Siebelis p. 11. et Nauck (simul memorans, Iunonem ira abreptam hic non videre, totam g etsi unam modo, plus esse, quam singulos aliquot homines a M deletos, quae fortasse reticuisset, si reputasset, Iunonem consulto maius extollentem non de una Aiacis nave, sed de tota *Argivom* loqui) de hac coniectura iudicant. Haeckerm. p. 4. minus prob cogitat de una Priami gente, ut repeti dicas e v. 28. *genus invi* haec prodeat sententia: „Pallas tot adversarios vicit, ego cum un familia bella tantum gero." — 48. „Praeclare ad invidiam *bella* pro: eam perdere cupio." *Heyn.* Cum seqq. verbis cf. Hom. Od. 128. — *Et quisquam.* Vid. adnott. ad Geo. II, 433. — *quisquam positum, quia Iuno* negativam exspectat responsionem. Vid. adn

terea, aut supplex aris inponet honorem?“
Talia flammato secum dea corde volutans
ıborum in patriam, loca feta furentibus Austris,

---

a. XII, 761. — *numen* (vid. adnott. ad v. 8.) *Iunonis* cum singulari et gravitate pro *me*. Haud raro enim ad vim orationis augendam pro simplici Pronomine personali nomen ipsum ponitur. Cf. Aen. II, 79. 549. 674. III, 611. IV, 31. etc. — *adorat* - - *imponet* optimorum est librorum (Med., Rom., aliorum) lectio (quibuscum etiam conspirare Anecd. Paris. rhet. ed. Eckstein. Halis 1852. p. 20., Dietsch. testatur Theol. Verg. p. 4. nota 23.); alii (inter quos Palat.) cum Quinct. Inst. IX, 2, 10. praebent *adoret* - - *imponat*, quod Burm. defendit. Sed recte Heins., Heyn. et recentiores omnes alteram lectionem praeferunt. Indicativus mirantis est vel indignantis, et significat h. l., Iunonem miraturam esse, si quis amplius se adoret; Coniunctivus autem esset dubitantis et indicaret, Iunonem vix credere, se posthac a quoquam cultum et adoratum iri; quod languidius esset. Cf. loci simillimi Eleg. in obit. Drusi v. 7. *Et quisquam leges audet tibi dicere flendi et quisquam lacrymas temperet ore tuas?* Ovid. Am. III, 8, 1. *Et quisquam ingenuas etiamnum suspicit artes?* ubi vid. Heins. Causa corruptelae in promptu est; haeserunt enim librarii in diversis temporibus *adorat* - - *imponet*, fortasse etiam in Part. *praeterea* cum Praesente coniuncta. Diversa autem tempora posuit Vergilius, quod *praeterea adorat* idem est cum *adorabit;* quae Wagneri explicatio mihi verior videtur Iahnii ratione, qui haec adnotat: „Futurum *imponet* cum Praesenti *adorat* propterea iunctum est, quod posteriora ex prioribus sequuntur, ideoque tempore succedunt.“ Gossr. explicat: „iam nunc ab hominibus negligor, neque in posterum mihi sacra ferent.“ (Nihilominus Bryce *inponat* et Conington *inponit* ediderunt; ceteri recentiores editores nobiscum consentiunt.) *Imponere* autem de sacrificiis legitur etiam Geo. III, 490. Aen. IV, 453. VI, 246. 253. -- *Praeterea* hic i. q. *posthac*. Cf. Geo. IV, 502. *neque illum* - - *praeterea vidit*. Quod autem attinet ad Praesens adiectum, Wagn. in min. edit. comparat Prop. II, 7, 2. *quondam flemus* (pro flevimus), Iuven. IV, 97. *olim est*, Ter. Eun. II, 3, 46. *cras est*, Plaut. Trin. III, 3, 87. *iam conduco*. (Alia res est, ubi *quondam* et *olim* pro interdum ponuntur: vid. adnott. ad Aen. II, 367. et V, 125.) — *honos* poëtis sollemne de sacrificiis, libationibus etc., quae in deorum honorem fiunt. Vid. adnott. ad Geo. III, 486. — 50. „Nota narrandi artificium: non ante verbis consilium Iuno exponit, sed statim, quid ea peregerit, subiicitur. Habuit autem poëta ante oculos Il. XIV. 230 sqq., ubi Iuno Somnum adit.“ *Heyn.* — *flammato corde*, scil. ira. Cf. Aen. IX, 766. *ignescunt irae*. Claud. de IV. Cons. Hon. 241. *Iram* - - *sub pectore cordis Protegit imbutam flammis*. Imitatus est h. l. Statius Theb. I, 249 sq. *Flammato versans inopinum corde dolorem Talia Iuno refert*. — *secum corde volutans*. Cf. infra IV, 533. et VI, 185. — 51. 52. Cf. Hom. Od. X, 1 sq. *Nimborum in patriam*. Conington conferri iubet infra v. 540. et Ovid. Am. III, 6, 40. *Nilus, Qui patriam tantae bene celat aquae*. — *Nimbus*, de quo vocabulo cf. Doederl. Synon. II. p. 88., secundum Isidor. Orig. XIII, 10, 3. p. 1146, 17. „est densitas nubis intempesta et obscura“ cf. Aen. II, 615. III, 198. VIII, 392. 608. XII, 416.); hic vero pro vento, procella, positum videtur, quae nubes cogit et impellit, et ita causa fit praecipitum pluviarum. (Cf. Hor. Od. I, 17, 4.) — *fetus* eadem metaphora pro *plenus* positum legitur etiam inf. II, 238. ap. Sil. XVII, 452. *colla serpentis feta veneno*, alibi. Cf. etiam quae de voc. *gravidus* ad Geo. III, 317. et Aen. IV, 329. adnotavimus et Freinsh. ad Flor. III, 5, 18. Ceterum de voc. *fetus* eiusque orthographia vid. adnott. ad Ecl. I, 49. — *loca feta*. Pluralem eadem ratione Singulari per appositionem adiectum vide Aen. V, 359. *clipeum, Didymaonis artes*. IV, 263. *ensis* - - *quae munera Dido Fecerat*. Ovid. Trist. II, 295. *templum, tua munera, Martis*. Sil. Ital. VI, 648. *taurum, dona Iovis*. Cf. Thiel. ad Aen. V, 359., qui de eodem Graecorum usu conferri iubet Herm. ad Viger. p. 898. Porson. ad Eurip. Or. 1051. et Matth. Gr. Gramm. §. 392. Verba *furentibus Austris* redeunt II, 304. Cf. etiam Geo. III, 150. Aen. X,

Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro
Luctantis ventos tempestatesque sonoras
Inperio premit ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt; celsa sedet Aeolus arce

---

578. 604. etc. Servius comparat Ennii fragm. (inc. 116. p. 84. Vahlen.) *furentibus ventis.* — **52.** „*Aeoliam venit*, h. e. in unam ex Aeoliis seu Vulcaniis vel Liparaeis, fortasse in ipsam Liparam. Cf. Aen. VIII, 416. 417. Tum adi Odyss. X, 1 sq.“ *Heyn.* Homerus insulae Aeoliae situm non accuratius indicat; Romani vero septem vel novem insulas illas, quae prope septemtrionale Siciliae litus iacent, illis nominibus appellarunt, quippe quae omnes sint Vulcaniae, ignes autem e terra erumpentes et tempestates res arcte coniunctae esse soleant. Cf. Strab. VI. p. 424. Diod. Sic. V, 7. Plin. H. N. III, 9, 14. Heynii Exc. I. ad h. l. et liber meus geogr. III. p. 816. — **52—56.** Aeolus ventos inclusos tenet vasto antro. Cf. Ovid. Met. I, 262. IV, 663. XI, 431. Lucr. VI, 106 sqq. Val. Flacc. Arg. I, 579 sqq. et multi alii poëtarum loci. Heyn. coll. Aen. X, 54. et Senec. Qu. N. VI, 18. adnotat, „naturale esse vaporem et spiritum per loca concava (subterranea) concitari, sicque fieri ventum.“ Cf. quae de hac re exposui in libro meo geogr. I. p. 604 sq. — **53.** Omnia verba sunt delecta et cum singulari vi et gravitate posita; imprimis autem hic versus pingentes habet numeros, quo quasi ventos luctantes ipsi videmur audire, id quod iam Schirach. p. 479 sq. adnotavit. — *luctantes*, prorumpere sempe conantes et laborantes, sed coërcitos ideoque non inter se discordes et confligentes (ut Aen. II, 416. X, 356 sqq. al.), sed potius Aeolo reluctantes ut etiam Haeckerm. p. 4. recte interpretatur, comparans Ovid. Met. XV 299 sqq. Cf. infra II, 416 sqq. Ovid. Met. I, 57 sqq. et IV, 433 sqq. — *sonoras*, strepentes. Exprimit hoc epitheton Homeri θύελλα ἠχήεσσα Ita etiam XII, 139. *flumina sonora* commemorantur, ut apud Homerun Il. I, 157. θάλασσα ἠχήεσσα. Cf. etiam Val. Fl. I, 667., qui huiu loci non immemor scripsit: *Di, quibus undarum tempestatisque sonora Imperium.* Ceterum hunc totum versum repetit Vergilii imitator in Antl Lat. I, 178, 218. — **54.** *Inperio premit.* Cf. infra v. 285. *Serviti premit ac - - dominabitur.* X, 54. *dicione - - Karthago premat Ausonian* Pers. V, 39. *premitur ratione animus vincique laborat* etc. Vid. etia infra v. 63., ubi sibi opponuntur *premere* et *laxas dare habenas.* — *frenat*, tenet, cohibet. — *vincula* per *carcerem* declarantur et pı custodia sunt posita. Noli enim de compedibus cogitare. *Vincla* et *carce* eadem ratione coniunguntur a Val. Fl. I, 602. Ceterum cf. Ovid. Me XIV, 224. *Aeolon Hippotaden cohibentem carcere ventos.* — *magno cu murmure* (cf. infra v. 124. et 245. ibique adnott.), ita ut murmure Cf. etiam Lucr. I, 276. *ita perfurit acri Cum fremitu saevitq minaci murmure pontus* et adnott. ad Geo. II, 424.; *montis* autem cu *murmure* iungendum esse, intelligitur ex v. 245. et ex Lucani imitatio X, 321. *ac multo murmure montis invictis canescit fluctibus amnis.* S etiam Hand. Turs. II. p. 154. h. l. rectissime interpretatur: „ita ut ma gno murmure resonaret mons.“ Schirach. vero v. 501. defendit vulgare explicandi rationem: venti cum magno murmure fremunt circum claust montis. Praeivit autem nostro Lucret. VI, 196. *Speluncas - - venti cu tempestate coorta Implerunt, magno indignantur murmure clausi;* Ve gilium vero imitati sunt Stat. Theb. I, 346. et Val. Fl. I, 574 sqq. impr mis 591 sqq. — **56.** Fremunt venti *circum claustra*, septa, cancello quibus includuntur, erupturi. Cf. Stat. Theb. I, 346. *iam claustra rigent Aeoliae perculsa sonant.* Claud. R. Pros. I, 73. *si forte ahenos Aeol obiecit postes - - et fractae redeunt in claustra procellae.* Vid. etia similis locus Aen. XI, 297 sq. Ladewigio facete adnotanti: „*Die Win höhle war ein Zellengefängniss mit Einzelhaft*“ *claustra* sunt port singularum cellarum. Henry (*Tw. years* I. p. 28.) ventos hic cum equ circensibus carceribus clausis et erumpere aventibus comparari censet, col *Sidon. Apoll. ad Consent. Illi* (equi) *ad claustra fremunt* et Val. Fl. I, 611

Sceptra tenens mollitque animos et temperat iras;
Ni faciat, maria ac terras caelumque profundum
Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris
Hoc metuens molemque et montis insuper altos

---

ubi venti *Thraces equi* vocantur. Sed vide quae Conington contra eum disputat, Vergilium cogitasse quidem de equis curulibus ratus, non tamen de eadem metaphora per totum locum strenue servanda. — **56. 57.** „*Celsa in arce*, extra antrum, alto in montis [illud continentis?] cacumine [de qua signif. voc. *arcis* cf. adnott. ad Geo. I, 240] infra v. 140. *aula* dicta s. regia. Sic apud Homerum Od. X. pr. habet regiam Aeolus, ut etiam apud Quintum I. c. 475.“ *Heyn.* Henry (*Class. Mus.* XIX.) *celsam arcem* intelligit de alto solio in ipso antro; et sane negari nequit, si haec vocis significatio probari posset exemplis similibus, totum locum, imprimis v. 80 sq., faciliorem fore ad explicandum et infra v. 140 sq. melius responsurum. Nunc tamen (cf. *Tw. years* I. p. 18.) vir doct. mutata sententia rectius cogitat de Aeoli arce (*Burg*, *Schloss*, ut Aen. III, 134. IV, 260. Ecl. II, 61. Ovid. Met. XI, 59. al.) ventorum carceri vicina, cum etiam ex Quinto Cal. XIV, 473 sqq. et Ovid. Her. XI, 65. illam ab hoc diversam esse appareat; quod iure probat Conington, non inepte comparans *arcem tyranni* ap. Iuven. X, 307. et Statii Theb. VIII, 21. (Pluto) *sedens media regni infelicis in arce.* — **57.** *Sceptra tenens.* Vid. adnott. ad Geo. II, 536. Henry l. l. haec non proprie intelligenda censet, *sedet* per: habitat („*has his residence*“, ut Aen. IX, 4.) et *sceptra tenens* per regia potestate praeditus („*invested with regal power*“) explicans, coll. Stat. Theb. I, 140. Ovid. ex P. III, 2, 59. cum Aen. I, 82. 257. IV, 597. VII, 252. I, 143. II, 505. etc.; in quo ei non adsentior, cum Aeolus placide et tranquille sedens sceptrumque tenens, quo infra v. 81. utitur, bene opponatur ventis frementibus. — *mollit animos*, naturam ferocem et cupiditatem atrociter erumpendi reprimit et coercet. Wund. adnotat, rebus inanimatis etiam Aen. VII, 383. *animos* tribui, sed alio sensu. Sunt etiam, qui *animos* pro ventis positos existiment, contra quos bene disputat Schirach. p. 331 sq. Cf. *animosos Euros* Geo. II, 441. Ceterum verba *mollitque animos et temperat iras* iterantur in Anth. Lat. VI, 84, 21. — **58.** *Ni faciat - - quippe ferant* pro vulgari: *quod ni faciat Aeolus, ferant utique.* Etiam pedestri oratione mutato ordine dici poterat: *quippe, ni faciat, ferant.* Exspectaveris fortasse *ni faceret - - ferrent;* quo tamen Imperfecto non opus est, cum de re sermo sit, quae fieri possit et ab Aeoli arbitrio pendeat. Vid. II, 599. VI, 292. XI, 912. etc. — *maria etc.* Eadem ratione totus mundus tribus illis primariis partibus significatur Ecl. IV, 51. Lucr. V, 95. Ovid. Trist. II, 53. et alibi. — *profundum caelum*, altum, vid. ad Ecl. IV, 51. Habuit poëta ante oculos Lucret. I, 279. 280. *Venti - - corpora caeca, Quae mare, quae terras, quae denique nubila caeli Verrunt ac subito vexantia turbine raptant,* ubi vid. adnot. mea. — *verrant*, secum abripiant et quasi vacuis locis relictis trahant. Cf. Schirach. p. 628. Sic Lucr. V, 267. *verrentes aequora venti.* Ovid. Met. VI, 706. (Boreas) *Verrit humum.* Lucan. V, 572. *Cori verrunt mare.* Ad ipsam rem cf. Ovid. Met. XI, 432 sqq. — **60.** *abdidit*, i. q. secretos clausit, scil. *eos*, de cuius Pronominis omissione vid. infra ad v. 413.; *speluncis* autem est Ablativus, ut VII, 387. Geo. III, 96. et Cul. 47. Cum Dativo construitur II, 553., quia ibi est i. q. infigere. Ceterum cf. Henry *Tw. years* I. p. 21. — **61.** *Hoc metuens*, non ut supra v. 23. *Id metuens.* Discrimen utriusque loci Wagn. Qu. Virg. XVII, p. 455. exponit ita, ut *id metuens* sit *ob talem metum* (rei incerto tempore futurae) *hoc metuens* autem *ob hunc metum* (rei praesentis vel modo instantis). — *molem et montes altos*, ἓν διὰ δυοῖν, molem altorum montium. Cf. ad Geo. II, 192. et alibi adnott. *Moles* autem *montium* haud raro dicitur, v. c. Senec. Thyest. 1084. — *insuper* Heyn. explicat per *praeterea* (ut Aen. II, 593. *Liv. XXI, 1. stipendio insuper imposito* et alibi haud raro); rectius Wund.: „*insuper* (ὕπερθεν) imposuit idem quod *super* imposuit,

Inposuit regemque dedit, qui foedere certo
Et premere et laxas sciret dare iussus habenas.
Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est:
„Aeole — namque tibi divom pater atque hominum rex

---

ut III, 579. dixisse poëtam manifestum est. *Insuper* pro praeterea, hac sententiarum iunctura, languere mihi videtur, et positura verborum offendit.“ Cf. etiam Ovid. Met. I, 67. *Haec super imposuit liquidum - - Aethera.* Liv. XXI, 45. *castellum insuper imponunt.* Cat. R. R. 18, 5. *insuper arbores stipitesque imponito* etc. Drakenb. ad Liv. l. supra l. et Hand. Turs. III. p. 384. — 62. „*foedere certo*, certa lege, ratione; non temere et pro eorum impetu.“ *Heyn. Foedera* imprimis certas et immutabiles naturae leges significant, quare apud Ovid. Met. X, 353. de *naturae foedere* et ap. Colum. X, 219. de *caeli foederibus* sermo est. Cf. etiam Aen. IV, 520. Ovid. Met. II, 757. V, 532. (ibique Bach.) X, 353. Lucr. I, 587. V, 58. 922. Prop. IV, 20, 11. (III, 20, 21.) Tibull. IV, 13, 2. cett. imprimisque Geo. I, 60. et quae ibi adnotata sunt. *Certum* autem *foedus* legitur etiam ap. Hor. Od. III, 24, 23. Pers. V, 45. Prop. l. modo l. Sil. It. XIV, 346. XV, 75. in Anth. Lat. I, 172, 9. al. Nauck. p. 5. minus recte intelligit „foedus pactum Iovem inter et Aeolum,“ ut non sermo sit de lege, qua Aeolus ventos adstricte teneret, sed qua ipse adstrictus teneretur. Vide etiam quae Haeckerm. p. 5. contra hanc explicationem disputavit. — *premere*, habenas inhibere, retrahere, adducere (cf. infra XI, 600. et Ovid. A. A. III, 467.), cui opponitur *laxas dare*, laxare (i. q. immittere VI, 1.), ideoque modo coërcere (v. 54. *frenare*), modo liberiorem impetum concedere; *laxas dare* autem pro: dare, ut laxae sint, eadem prolepsi dictum, qua infra v. 69. *submersas obrue puppes* et v. 311. *classem clausam occulit.* Vid. adnott. ad Geo. II, 353. (Aen. II, 736. III, 141. 237. V, 500. etc.) Non igitur hic est mera illa circumlocutio, quam alibi deprehendimus, ubi *dandi* verbum Adiectivis vel Participiis additur, qua de re ad Aen. III, 70. diximus. Ceterum cf. simillimus locus Manil. III, 372 *Et dabit in pronum laxas effusus habenas*, et Aen. XI, 623. *datis referuntur habenis.* — *iussus*, a Iove, qui eum regem quidem ventorum fecerat sed suo imperio subiectum. Cf. v. 77. Wakef. ad Lucr. V, 922. temere coni. *iustus*; Peerlk. autem praeter necessitatem, *rursus* (i. e. contra vicissim). Siebelis p. 11. huic coniecturae recte opponit Servii scholion „*Iussus* ob hoc posuit, quia suo nihil facit imperio. Nam tolle hoc e maior est omnibus dis, si ad eius voluntatem possunt elementa confundi. Vide etiam quae praeter Iahn. Annal. l. l. p. 26. Haeckerm. p. 5. de ho loco disputavit, Participium *iussus* magis ad verba *laxas dare*, quam a *premere habenas* pertinere censens et comparans praeterea imitatione huius loci ap. Val. Flacc. I, 592. *regemque dedit, quem iussa vereri Saev cohors.* — 64. *Ad quem* etc., i. e. quem allocuta est; vid. adnott. ad X 742. Serv. et Charisius p. 239. *ad* per *apud* explicant, quod probare vide tur Hand. Turs. I. p. 93. — *supplex.* Vide, quantum Iuno de superbi sua remittat, ut, quod petit, assequatur. — *his vocibus usa.* Cf. Lucr. V 1045. *vocibus usi Inter se fuerant.* Ceterum totus hic versus iteratur i Anth. Lat. I, 147, 6. — 65—96. Cf. Hom. Od. X, 21. *κεῖνον γὰρ ταμίη ἀνέμων ποίησε Κρονίων. Ἠμὲν παυέμεναι ἠδ' ὀρνύμεν.* „*Aeole; namqu* — poëtica ratio, qua (Homeri exemplo *γάρ*, v. c. Il. XXIV, 334., ubi c Ern.) prosaicam formam in causa [allocutionis] reddenda relinquit, e simul orationi vehementiam affectus conciliat; *Aeole*: quandoquidem *ti Iupiter, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, dedit hoc, ut possis* tempestates ex citare et sedare.“ *Heyn.* Adde Pind. Olymp. IV, 3. Agath. in Anthol Iacobs. IV. p. 15. *Ἀλλὰ θεά, δύνασαι γάρ, ἢ ἡβητῆρά με τεῦξον* et Ovid. Fast. IV, 577. *Parrhasides stellae — namque omnia nosse potesti — Persephonen miserae natam monstrate parenti.* Orell. ad Hor. Epod XVII, 45. (*Et tu, potes nam, solve me dementia*) et interpp. ad Val. Flac I, 13. (*Namque potest*) Omnino haec ratio sententiam inchoatam statim *post primam vocem*, imprimis post Vocativum, parenthesi adiecta interrum *pendi poëtis* satis usitata. Cf. Aen. I, 198. 642. 731. VII, 122. 195. XI

ulcere dedit fluctus et tollere vento —
s inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor
n in Italiam portans victosque Penatis:
ute vim ventis submersasque obrue puppis,

---

12. Ovid. Her. V, 113. Met. I, 2., quos locos Iahn. hic comparat. Continent autem haec verba causam, cur Iuno Aeolum potissimum, non alium, precibus adeat. — Verba *divom pater atque hominum rex* redeunt X, 743. Cf. Ennii Annal. VI, 2. (v. 179. p. 29. Vahl.) *divom pater atque hominum rex* et Homeri (Il. I, 544 etc.) *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.* — **66.** *dedit mulcere* Graeca constructio pro dedit potestatem mulcendi, de qua infra ad v. 319. accuratius dicetur. *Mulcere* i. q. placare, mitigare, reprimere, ut infra v. 197. *pectora mulcet.* — „*tollere* eos *vento*, h. e. concitare, ut alte insurgant. [Vid. infra v. 134.] Sumptum ab Ennio Annal. XVII, [5. v. 425. p. 64. Vahl.] Auster et Aquilo *Endo mari magno fluctus extollere certant.* Cf. etiam Odyss. X, 21. 22.“ *Heyn.* Cum Cod. Pal. aliique praebeant *ventos*, Peerlk. coniicit *ventis*, (unde illam lectionem ortam esse censet); quod, statim sequentibus verbis *Incute vim ventis*, minus gratum esse patet. Cf. etiam, quae Iahn. Annal. l. l. p. 33. contra eum disputat. Ceterum his verbis Iuno tantum blanditur Aeolo, qui vere non habet potestatem maris turbandi et concitandi (cf. infra v. 138 sqq.), quod vere memorat Nauck. p. 6. Quod autem attinet ad Pal., Hamb. II., Donati et Acronis lectionem *ventos*, Wagn. verissime censet, ei adversari et collocationem verborum (cum poëta, si *ventos* scripsisset, haud dubie cetera ita composuisset: *Et fluctus mulcere dedit et tollere ventos*, nihil reveritus syllabam brevem in *dedit*), et usum dicendi (cum vix Latinum sit *tollere ventos* hoc quidem sensu; coll. Wolfii Analect. lit. Fasc. I. p. 189. Eo usitatius vero *fluctus tollere* de vento. Cf. infra v. 103. Hor. Od. I. 3, 14. (*Tollere seu ponere vult freta*, sc. Africus), Val. Fl. I, 601. II, 508. aliosque locos a Burm. prolatos. — **67** sqq. Cf. simillimus locus Hor. Od. IV, 4. 53 sqq. *Gens inimica mihi,* non i. q. invisa, sed me infestans, impetu lacessens. — *navigat aequor.* Verba intransitiva apud Romanos non minus quam apud Graecos interdum cum Accusativo Obiecti construi, inter omnes constat. Cf. infra v. 524. III, 191. V, 235. 627. Ovid. Met. XV, 49. *aequor Navigat Ionium.* Cic. Fin. II, 34, 112. *cum Xerxes mare ambulavisset, terram navigasset.* Suet. Claud. 1. *Oceanum septemtrionalem primus Romanorum ducum navigavit.* Sall. Cat. 11, 7. *Quae homines arant, navigant* et similes locos. Quo pertinet etiam notissimum illud *ire viam, iter* Geo. IV, 208. Aen. IV, 468. VI, 122. etc. Cf. Heins. ad Ovid. Her. VII, 40. p. 90. et Fast. I, 122. p. 18. Lambin. ad Hor. Od. I, 28, 36. et 34, 4. Cort. ad Cic. Ep. ad Div. XIII, 68. Ulit. ad Gratii Cyn. 64. p. 65. Wernsd. Poet. L. min. I. p. 237. Munck. ad Hyg. fab. 38. p. 99 sq. Obbar. ad Hor. Ep. I, 1. Vol. I. p. 64. Kritz. ad Sall. Cat. 20, 11. Thiel. ad Aen. II, 542. et III, 191. Doering. ad Hor. Od. III, 16, 26. Unger de Valgio Rufo p. 245. Ruddim. II. p. 221. 285. et quae ad Aen. III, 191. adnotavimus. — **68.** *Ilium in Italiam portans* cett., in Italia novas sedes quaerens, ibique novum regnum conditurus, quod continuatum regnum Troianum haberi possit. Per *victos Penates* (qui redeunt VIII, 11.) novus cultus deorum in Italiam invehendus intelligitur; *victi* autem vocantur, quod Troiam tueri non potuerant. Heyn. conferri iubet infra VIII, 12. et Ovid. Fast. IV, 251. *Cum Troiam Aeneas Italos portaret in agros.* Vide etiam eiusd. Epist. VII, 51. *Ilion in Tyriam transfer felicius urbem*, infra Aen. VIII, 36. et Silium III, 565. *Quo Troiae extremos cineres - - - Assaracique Larem et Vestae sacra feramus?* inprimis autem Hor. Od. IV, 4, 53. *Gens, quae cremato fortis ab Ilio Iactata Tuscis aequoribus, sacra - - Pertulit Ausonias ad urbes.* De *Penatibus* alio translatis cf. Ovid. Metam. III, 539. *Hac Tyron, hac profugos posuistis sede Penates* et quae supra ad v. 6. adnotata sunt, de ipsis autem Penatibus praeter alios imprimis Müller. de Etruscis. T. II. p. 87. Ceterum vid. infra II, 293. — *Incute*, iniice, immitte, *vim*, violentiam, furorem, *ventis* (tertio Casu), i. e. concita ventos vehementiores. Sic etiam Henry *Tw. years I. p. 22 sq., qui comparat* Ovid. Trist. I, 2, 41. (*hieme incutiente minas et in exemplo mihi donato* addit Lucr. VI, 819. Avern

Aut age diversos et dissice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae,
Quarum quae forma pulcherrima Deïopea,
Conubio iungam stabili propriamque dicabo,

---

loca alitibus submittere debent Mortiferam vim. Sunt vero etiai *ventis* sextum Casum esse opinantes male explicent: incute Troianis per ventos. Servius utramque explicationem afferens Ennii (fr. inc. 1 84. Vahlen.) laudat verba: *dictis Romanis incutit iram,* quo loco noi horum verborum explicationem refelli non posse, vere iudicat Kappe — *submersas obrue*, i. e. submerge et obrue, gravius quam subn Vid. supra ad v. 63. — 70. *age diversos*, i. e. dissipa, disperg Synesin, nam antea de navibus sermo erat; unde etiam vulgaris orta *diversas*, quam praeter plures Codd. deterioris notae, Donatu Ter. Andr. II, 1, 28. et Schol. Lucani IV, 457, etiam Wakef. ad Luc 413. agnoscit. — *diversos* significat: in diversas partes, alium aliorsu Geo. IV, 432. Lucr. IV, 1200. Tibull. III, 4, 59. etc. — *dissice* Ribb. edidimus ex Med., Rom., Gud., duorum Bern., Minoraug. et (Isidori Orig. XVIII, 2, 7. auctoritate; Schol. Lucani IV, 458. Serv., D et ceteri recentiores editores scribunt *disice.* Cf. adnott. ad Ecl. V „*Disiice corpora,* h. e. eos, sed praeclare *corpora*, quippe naufragio mari mersos. Atque sic factum vides inf. v. 118. 128. 129." *Heyn. Co* enim non solum poëtis Graecis (v. c. Soph. Aj. 858. Eur. Suppl. Troad. 206. etc.) et Latinis (cf. infra II, 18. 365. Ovid. Met. II Tibull. I, 9, 74. IV, 4, 10. Sil. VI, 572. Val. Flacc. II, 653.), sed pedestribus scriptoribus (vid. Kreyssigii Glossar. Liv. p. 148. et Boetti Lex. Tacit. p. 133.) haud raro pro ipsis hominibus (personis) ponu imprimis si illi iam mortui cogitantur. (Cf. infra VI, 303. 306.) etiam adnott. ad Geo. III, 69. et Thiel. ad Aen. II, 364. — 71.] expressus ex Il. XIV, 267 sqq. (ubi Iuno Gratiarum unam pro Somno; hic enim locus Heynio comparandus erat pro XIV, 238., ubi Somno *θρόνον* a Vulcano fabricandum pollicetur) et praeter ullam n sitatem adiectus, quod poëta ipse videtur sensisse, cum Aeolus, ad Iu verba respondens, hoc eius promissum plane non curet, sed alias p commemoret causas, quibus, ut Iunoni morem gerat, impellatur. Pra observandum, Iunoni, quam alibi Charites vel Horae comitantur, Nympharum chorum adesse. Ceterum cf. similis locus Claud. Cons. et Olybr. 142. *Sunt mihi pubentes alto de semine fratres* etc. — *septem.* Solent enim poëtae numeros maiores ita circumscribere Adverbia multiplicativa. Cf. Ecl. I, 43. Aen. I, 381. 393. II, 126. V, Hor. Epist. I, 20, 26. II, 1, 23. II, 1, 24. Ovid. Fast. III, 163. id. II, 497. multique alii loci, et vid. Ramsh. §. 156. not. 4. — *praest corpore*, ut Geo. IV, 538. (de alia sane formositate). — 72. *pulcherrima* (est), pro: pulcherrimam, circumlocutione Graecis p mum poëtis frequentata. Cf. Soph. Oed. R. 345. et Matth. Gr. Gr. § Sic Aen. I, 157. *Quae proxima litora cursu Contendunt petere.* XII, *viam, quae proxima, poscit.* — *forma.* Heins. maluit *formam*, iusta causa. — *Deïopea* cum Iahn. et Wagn. edidi, optimorum (Med., Rom., aliorum) Servii et Donati (ad Ter. Phorm. Prol. 3.) auctori secutus. Vulgo *Deiopeiam,* minus exquisite, quod ex recentioribus ec bus unus Bryce servavit. *Deïopea* epitheto *Asia* notata iam adfuit IV, 343. — *Conubio iungam.* De forma *conubium* (prima syllaba p longa), quam cum Haupt., Ladew. et Ribb. optimorum librorum auctori secutus recepi, vid. Drak. ad Liv. IX, 43, 23. Wagn. Orth. Verg. p Lachm. ad Lucr. II, 1061. p. 136. Corssen. de pron. I. p. 95. Vahl Ephem. gymn. Austr. 1860. p. 18. Fleckeisen. tit. Lat. p. 14. et (qu laudat) Ribbeck. Proleg. p. 393. Ceterum *Conubjo* tribus syllabis nuntiandum (ut etiam III, 136. IV, 126. 168. VII, 96. 253. 333. XII, cf. ad Geo. I, 397. et alibi adnott.), cum nusquam inveniatur c *alterius syllabae correptae* exemplum. Vide Herm. Elem. doctr. met *63. et Wagneri longam* adnot. ad h. l. „Verba *stabili propria*

Omnis ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat et pulchra faciat te prole parentem."
  Aeolus haec contra: „Tuus, o regina, quid optes,
Explorare labor; mihi iussa capessere fas est.

---

dicabo, h. e. dabo simpliciter, ad ornatum et declarationem verborum refer *connubio iungam*. Idem versus IV, 126. legitur. Aemulatus poëta est illud *Δώσω ὀπυιέμεναι καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν* [Hom. Il. XIV, 268.]." *Heyn*. Maronem autem imitatus est Val. Fl. III, 535. *Quem tibi coniugio tot dedignata dicavi*, totumque hunc versum repetunt poëtae Anth. Lat. I, 147, 31 et VI, 84,45. Sententia haec est: Legitimo matrimonio (*connubio*, non tantum *coniugio*) Nympham tecum iungam, ita ut numquam tibi rursus eripiatur; non ad tempus tantum tibi dabo (quemadmodum, ut hoc utar exemplo, Venus Paridi Helenam dedit in coniugium), sed tamquam perpetuam vitae sociam. *Proprium* enim saepe id est, quod perpetuo nostrum manet. Cf. adnott. ad Ecl. VII, 31., ubi adde Plaut. Most. I, 3, 68. *Illum amatorem tibi proprium futurum in vita* et Salmas. Exercc. Plinn. p. 176. Quare etiam additur *dicabo*, de quo Donat. ad Ter. Phorm. I, 2, 11.: „Plus est *dico* quam *do*; dicatur perpetuo, datur ad tempus." (Ladew. tamen potius de praecipua possessione, „*vom ausschliesslichen Besitze*," vult cogitari.) Ceterum totus v. 73. repetitur in Anth. Lat. VI, 84, 45. Hoc autem promittit Iuno Pronuba, *cui vincla iugalia curae* (Aen. IV, 59. 166.). — 74. *omnes ut tecum* etc. Homer. (Il. XIV, 269. et Od. V, 210.) *ἧς αἰὲν ἐέλδεαι ἤματα πάντα* — *exigat annos*. Cf. VII, 776. Ter. Heaut. II, 3, 39. Ovid. Met. XII, 208 Cic. Tusc. I, 39. Plin. H. N. VII, 43. Plin. Ep. III, 1. Henry *Tw. years* I. p. 23. confert Ovid. Trist. II, 161. *Livia sic tecum sociales compleat annos*. — 75. Verba *et pulchra - - parentem* simplicissime sic capio: et per pulchros liberos, quos tibi pariat, te faciat patrem. Thiel., comparans Hor. Od. III, 5, 5. et Prop. IV, (V,) 11. 96., *pulchra prole* (quod Serv. pro *pulchrae prolis* positum censet) pro Ablativo absoluto habet et sic explicat: „quae te faciat parentem, ut pulchra proles sit." et Wagn. in edit. min. comparans Aen. V, 77. *mero carchesia Baccho* et ipse *pulchra prole* cum Servio pro pulchrae prolis positum censet. Ceterum idem Thiel. docet, quanti fecerint veteres matrimonium liberis auctum et quam infelix contra habuerint connubium iis destitutum, *δόμον ἡμιτελῆ* (Lucian. dial. Mort. 14.), *domum imperfectam* (Val. Fl. VI, 689.), coll. Schol. ad Soph. Oed. Tyr. 921. *Τέλειον ἐν γάμῳ (τὸ ἔχειν τέκνα)· ὅθεν καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου Ὅμηρός φησι* (Il. II, 701.) *καὶ δόμος ἡμιτελής*. Cf. Obbar. ad Hor. Ep. I, 2, 44. Hemsterh. ad Lucian. T. I. p. 410. Markl. ad Eur. Suppl. 1143. et Rupert. ad Tac. Ann. I, 3, 2. Rau in Schediasm. laud. p. 25. hos duo versus, qui languidum contineant et supervacaneum additamentum, non a Vergilio scriptos censet. Repetuntur autem in Ausonii cent. nupt. 75 sq. itemque in Anth. Lat. I, 172, 41 sq. ita mutati, ut versui 75. hic substituatur: *Exigat et possit parvos educere natos*, et ibid. I, 178, 241. legimus *I decus i nostrum, faciat te prole parentem Egregia - - coniunx*. — 76. Animadvertendum, quod Aeolus nihil plane respondet ad Iunonis promissa, sed simpliciter tantum imperata se obedienter facturum significat atque ita omnem facti culpam a se removet. — *Contra* noli pro Praepos. postposita habere, ac si pro *ad haec* (respondet) positum esset; sed ratione eadem dictum est, qua supra v. 37. *Haec secum*. — *quid optes*, quid id sit, quod optas. Nauck. p. 6. apte confert Cic. Phil. V, 12, 33. *Quid concupiscas, tu videris* etc. et Iunonis blanditias Aeoli potentiam amplificantes hic ab eo simili adulatione referri docet. — 77. „*Explorare*, recte secusne id fiat, quod velis fieri. Tu ipsa videris, an recte haec a me postules. Praemunit transitum ad Neptuni indignationem de Aeoli audacia v. 130 sqq. Simplicius Homerus Il. XIV, 196. *Αὔδα, ὅ,τι φρονέεις· τελέσαι δέ με θυμὸς ἄνωγεν*." *Heyn*. — *labor*, cura, negotium. Cf. Aen. IV, 115. *Mecum erit iste labor*. Verba *tuus o regina, quid optes, Explorare labor* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 92 sq., ut seqq. *mihi iussa capessere fas est* ibid. v. 94. et ap. *Auson. l. l. v. 11.* — *iussa capessere*, accipere et exsequi. *Sic apud Plautum Trin. II, 2, 19. capessere imperia.* — *fas est*, officium

Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra Iovemque
Concilias, tu das epulis accumbere divom
Nimborumque facis tempestatumque potentem."
Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem

---

meum est. Causam statim ipse adiungit. Ceterum cf. v. c. Sen. Hippol. 618. *Te imperia regere, me decet iussa exsequi* et Silius VIII, 40. *Haud, inquit, tua ius nobis praecepta morari.* — 78. „Verba hanc sententiam fundunt: tuae erga me gratiae debeo hoc ventorum regnum, quod mihi a Iove impetrasti, quin et ipsum inter deorum ordines locum; is enim designatur antiqua poësti per istud: *epulis accumbere divom*; ut de Somno Homer. l. l. v. 241. *εἰλαπινάζων*." *Heyn.* Duplici enim ratione secundum Servium divinos honores merentur, Dearum coniugio et convivio Deorum. Cf. etiam Ecl. IV, 63. Heyn. praeterea adnotat, antiquiores poëtas, qui aërem per Iunonem declaraverint, videri eius beneficio Aeolum deum factum narrasse, cum aër concitatus ventos creet. — *Tu mihi* etc. Quod attinet ad Pronomen personale cum singulari vi ter repetitum, cf. Geo. IV, 465 sqq. Hor. Od. IV, 14, 41 sqq. multosque alios locos. — *quodcumque hoc regni.* Cf. Aen. IX, 287., ubi Wagn. haec adnotat: „Ita loquuntur interdum, qui per simulationem modestiae aut alia de causa rem verbis extenuant, quae magna sibi videntur aut videri debent;" consentit igitur cum Henrico in Philol. XI. p. 492. Scilicet qui sic utitur voc. *quodcumque*, significat, se ipsum non audere de gravitate et pretio alicuius rei iudicare, sed potius hoc iudicium auditoris vel lectoris arbitrio permittit. Aeolum autem neque decebat regnum suum, quod Iunonis intercessioni debebat, coram ea elevare, neque nimium de eo gloriari, ne Iovis, patroni sui, coniugem offenderet; quod etiam Henry in schedis mecum communicatis adnotavit. Ceterum cf. etiam Stat. Silv. V, 3, 13. *Tu decus hoc quodcumque lyrae - - dedisti.* Lucr. II, 15. *hoc aevi quodcumque est.* Phaedr. V, 6, 3. *Eia, in commune quodcumque est lucri.* etc. — *sceptra* (vid. infra v. 253.) *Iovemque Concilias*, i. e. effecisti, ut Iupiter sceptra s. potentiam meam mihi tribueret, ipsumque mihi reddis propitium. Haud raro enim Verba assumunt duo Obiecta diversa ratione explicanda. Cf. infra v. 426. II, 258. IV, 695. VI, 70. etc. Nauck. l. l. adnotat, *Iovem* pro: gratiam Iovis, ut v. 720. *Sychaeum* pro: memoriam Sychaei (ubi vid. adnott.) et II, 312. *Ucalegon* pro: domus Ucalegontis positum esse. — *concilias, - - das.* Heyn. Praesentia pro Praeteritis posita capit, sed vere iudicat Wund., esse ea significantiora. Tribuitur enim Iunoni, quod etiam tum fiebat. *Tu sceptra Iovemque concilias* significat: tu mihi et dedisti et servas sceptrum (regnum) meum, dum efficis, ut semper Iovis fruar favore et benevolentia. Vid. infra ad v. 517. adnotata et cf. Val. Fl. IV, 28. *et iam mihi limina caeli conciliat.* Ceterum *tu das accumbere* eodem modo dictum, quo supra v. 66. *dedi mulcere* et infra v. 319. *dederat diffundere*, ubi vid. adnott. Rau in Sched. p. 26. totum v. 80., qui nihil novi contineat, abesse malit. — 81—83. „Haec eadem ap. Quintum l. l. v. 479 sqq. Aeolus *χερσὶν ὑπ' ἀκαμάτοισι ὄρος μέγα τύψε τριαίνῃ — βίῃ δ' ἔῤῥηξε κολώνην.* (Non male epitheton adiecit Maro *cavum* montem, propter antrum.) Egregie autem dei potenti[a] declaratur, uno ictu latere montis perrupto ac patefacto." *Heyn.* — Macrob. VI, 2, 31. totum, qui sequitur, locum a Naevio sumptum esse tradi[t]. Cf. etiam Hom. Od. V, 291 sqq. Aeolus, quem Iuno in arce sive regi[a] sua sedentem allocuta est (vid. supra ad v. 56.), accedit ad monte[m] ventorum carcerem continentem et ictu hastae s. sceptri (v. 57.) parte[m] eius in latus versus protrudit, ut foramine seu hiatu facto et claustris (v. 56.) apertis omnes venti simul prorumpere possint. Recte etiam Ladew[ig]: „*Er schiebt den Berg mit der umgekehrten Lanze etwas auf die ei[ne] Seite, d. h. richtet ihn auf der einen Seite etwas in die Höhe.*" (C[f.] etiam eius Appendix et Haeckerm. p. 5. in explicando loco nobiscu[m] consentiens.) — *cavum montem.* Vid. adnott. ad Geo. II, 53. et I[V,] 44. Haupt. et Ribbeck. scribunt *cavom.* Vid. adnott. ad Ecl. II, 22. — *conversa cuspide* (hastae), ut infra v. 478. *versa hasta.* Hasta pri[us] *erecta nunc* deorsum et retro quidem, quod rei naturae maxime accomm[odatum]

Inpulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.
Incubuere mari totumque a sedibus imis

---

datum, flectitur, ut in obliquum conversa inferiore sua parte montem tangat. Hasta autem, quae non solum diis (cf. Geo. II, 536. ibique adnott., Ovid. Met. II, 707. al.), sed antiquiore certe aetate etiam regibus (vid. Hom. Il. I, 234. II, 46. 186. VII, 412. etc. Aen. VII, 173. 247. VIII, 306. XII, 206 sqq. coll. Iustino XLIII, 3, 3.) pro sceptro erat, ferream cuspidem non habebat, ut perinde esset, utrum summa, an ima eius parte aliquid feriretur. — 82. *inpulit in latus. Impellere* de maiori vi, qua v. c. ianua aliqua convellitur, legitur etiam Val. Fl. I, 609. (ubi *Hippotades portam* carceris ventorum extrinsecus *impulit*) Ovid. Am. I, 6, 51. et Petron. c. 16. Servius comparat Ennii locum (Ann. fr. inc. 77. p. 79. Vahl.) *nam me gravis impetus Orci Pertulit in latus.* (Henry sententiam de hoc loco in *Tw. years* I. p. 24 sq. prolatam nunc retractat.) — *in latus* Heyn. pro in latere positum censet, coll. infra v. 114. *Unam -- in puppim ferit* et Stat. Theb. I, 119. *dubiamque iugo fragor inpulit Oeten In latus;* sed aliter locum capiendum esse, vel hic ipse Statii locus Heynium docere poterat. Cum enim hic non scriptum sit *conversam cuspidem inpulit in latus*, sed *conversa cuspide cavum montem inpulit in latus*, sententia ea esse debet, quam supra exposuimus. — *ac venti* etc. Cum hoc loco egregio cf. similes Hom. Od. V, 291 sqq. Verg. Geo. I, 316 sqq. Aen. III, 194 sqq. Ovid. Met. XI, 480 sqq. Trist. I, 2, 14 sqq. I, 4, 5 sqq. Silii XVII, 237 sqq. Lucani V, 560 sqq. et Val. Fl. I, 610 sqq., qui omnes fere plus minusve a Vergilio pendent. -- *ac*, i. e. ac statim. Nam Wagnero auctore Qu. Virg. XXXV. 6., „imprimis frequens est copulae' usus, cum properatur ad sequentia aut celeriter aliquid fieri indicatur.“ Cf. Aen. II, 692. V, 502 sqq. 857. VIII, 520. XI, 296. etc. — *velut agmine facto.* Agmen interdum dicitur de rebus magna copia et cum furore quodam proruentibus. Sic Geo. I, 322. *agmen aquarum* pro densissimo imbre commemoratur, atque etiam in Lucilii Aetna 57. de *ventorum agmine* sermo est. Cf. etiam infra v. 434. et Geo. IV, 167., ubi *agmine facto* de apibus dicitur magis ex propria vocis significatione, qua legitur Aen. VIII, 595. Iuven. III, 162. al. — V. 83 sqq. Cf. Hom. Od. V, 291 sqq. Singulari artificio verba coniuncta vides, quae fere omnia literam caninam continent, quod mirum quantum facit ad rem horrendam vivide enarrandam. Cf. infra v. 87. 90. 296. 422. 572. II, 5, 313. 655. IV, 178. XI, 607. Verba *Qua data porta, ruunt* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 118. ut seqq. *Incubuere mari* ibid. I, 178, 217. Ceterum cf. etiam Val. Fl. I, 596. *rex tunc aditus et claustra refringit Ipse volens placatque data fera murmura porta.* — 84. *Incumbere* imprimis de rebus gravibus et molestis dicitur, quae prementes, vexantes per longius tempus alicui rei insident. Cf. Geo. II, 310. 377. Iuven. VI, 292. *saevior armis Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.* Hor. Od. I, 3, 30. *febrium terris incubuit cohors.* Lucr. VI, 142. (mortifer aestus) *Incubuit tandem populo Pandionis.* Ceterum Henry (*Tw. years* I. p. 30. et Philol. XI. p. 493.) nos attentos facit, quanta vi in toto hoc loco Verba Nominativis suis praemissa in principio versuum ponantur (*Incubuere, Insequitur, Eripiunt, Intonuere*) et comparat similem locum infra v. 104. 105. (*franguntur, insequitur.*) — *a sedibus imis ruunt*, h. e. eruunt a fundo, quod infra II, 419. *imo Nereus ciet aequora fundo.* Vid. quae supra ad v. 35. adnotavimus. Wagn. conferri iubet Gronov. Diatr. in Stat. S. p. 15., apud quem Theb. I, 228. invenimus verba *excitam a sedibus imis Eumenidum bellasse aciem.* — Peerlk., ne vox *ruunt* statim redeat, primum neutra, post activa significatione usurpatum (quod sane Vergilius vitare poterat), proponit *cient*, quam coniecturam Siebelis p. 11. recte et gravitate et sono Codd. lectione multo inferiorem indicat. (Vid. etiam, quae Iahn. in Annal. suis XLIII. p. 23. contra Peerlk. eiusmodi repetitiones temere vituperantem disputat.) Codd. lectionem tuetur etiam Silius IX, 492. hunc locum sic imitatus: *caelumque ruentes Eurique et Boreae parent Corique Notique* Iunonis precibus.

Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus et vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes caelumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.
Intonuere poli et crebris micat ignibus aether
Praesentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra;
Ingemit et duplicis tendens ad sidera palmas

— **85.** Cf. Hom. Od. V, 295. *creber procellis*, procellosus. Similiter VII, 483. *cornibus ingens*, IX, 163. *purpurei cristis*, X, 722. *purpureum pinnis*, IX, 359. *aurea bullis cingula* et multa similia. *Creber* autem, ut hic de vento, sic alibi, vel ap. Cic. de Or. II, 13, 56. *Thucydides creber est rerum frequentia* et ad Att. I, 19, 1. *in scribendo multo essem crebrior, quam tu*, de hominibus dici constat, ut omittam locos, ubi pro Adverbio ponitur (Aen. V, 460. Lucr. II, 559. Plaut. Poen. II, 38. etc.). Peerlk. mavult *aterque procellis*, quo poëta, Siebelisio iudice p. 14., subitae, quae sequitur, noctis ac tenebrarum descriptionem temere praeoccupasset. — **87.** Cf. Ovid. Met. XI, 495. *Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes*, qui hunc locum videtur ante oculos habuisse. Servius ex Pacuvio in Teucro haec affert: *armamentûm stridor et rudentum sibilus.* (Vid. Fragm. p. 100. Ribbeck.) Ceterum cf. quae modo adnotavimus ad v. 83. — **88. 89.** Cf. Odyss. V, 293. *σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον, ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ.* ibid. IX, 66—69. et infra III, 198., ubi *nimbi* idem quod h. l. *nubes.* — *Eripiunt --- ex oculis.* Cf. Aen. VIII, 254. *prospectum eripiens oculis.* Lucr. I, 219. *Ex oculis res quaeque repente erepta periret.* Albinov. fr. de nav. Germ. 14. (ap. Wernsd. Poët. L. min. IV. p. 233.) *Ut nihil erepto valuit dignoscere mundo.* — *subito.* Wakef. ad Lucr. I, 1109. coni. *subitae*, praeter ullam necessitatem. Ceterum totus v. 88. repetitur in Anth. Lat. Burm. I, 178, 338. — **89.** *incubat*, ut modo v. 84. *incumbere.* „Est vero imago horrida sistens densam et quasi impressam, arcte inhaerentem mari caliginem." *Schirach.* p. 451. Cf. Avieni Or. mar. 236. *pigra incubat Caligo terras.* — **90.** *poli*, caelum. Cf. infra v. 608. II, 251. III, 589. IV, 7. V, 721. cett. et quae de *axi* ad Geo. II, 271. adnotavimus. — *micat ignibus aether.* Cf. Silius I, 135. *ruptoque polo micat igneus aether* et Anth. Lat. I, 178, 339. *micat ignibus aether. Micare*, quod de omni celeri motu dicitur, quo quid subito apparet et evanescit (cf. II, 734. VII, 743. VIII, 392.), haud raro de fulmine, velut ap. Ovid. Trist. I, 2, 45. *celeri micuerunt nubila flamma.* Met. XI, 512. *micantia fulmina.* Cf. etiam Aen. XII, 402. *oculis micat acribus ignis*, et Doederl. Synon. II. p. 79 sq. — **91.** *intentant omnia mortem.* Catull. LXIV, (LXII,) 187. *ostentant omnia letum.* — **92.** Locus expressus ex Hom. Od. V, 297. *καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ*, unde patet *Aeneae* esse Genitivum. „Repentinus timor presso cursu sanguinis frigus atque horrorem incutit facitque, ut torpeant membra, palleat os. Cf. XII, 905." *Wagn.* Horror autem Aeneae repetendus est ab exspectatione ingloriae et inutilis mortis. Conington conferri iubet Hom. Il. XXI, 272 sqq. et Aesch. Choeph. 345 sqq. 363 sqq.; Henry autem (*Tw. years* I, p. 32.) Hom. Od. V, 311. Sen. Agam. 518. et Herc. Oet. 1165., simul adnotans, Aeneae horrorem eo magis excusandum esse, cum ille non suam modo, sed etiam omnium amicorum et sociorum mortem imminere et sic ultimam Troiae spem ad irritum casuram videat. (Cf. etiam Philol. XI. p. 493.) Priscis autem heroibus et metuere et flere haud indecorum erat. — *solvuntur frigore membra.* Sic de morientibus Aen. XII, 951. *ast illi solvuntur frigore membra.* Cf. etiam III, 175. XII, 909. et adnott. ad Geo. IV, 199. Haupt. et Ribbeck. scribunt *solvontur.* Vid. adnott. ad Geo. III, 523. et IV, 302. — **93.** Cf. Hom. Od. V, 298. *Ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν*, ubi sequitur similis oratio Ulyssis, ut hic Aeneae. — *duplices manus* hic et alibi, v. c. IX

voce refert: „O terque quaterque beati,
ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
git oppetere! o Danaum fortissime gentis,
le! mene Iliacis occumbere campis
potuisse tuaque animam hanc effundere dextra?
ıs ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens

---

n solum ambas esse, ut vulgo explicant, sed duplicatas, complicatas,
caelum versus sublatas, Schirach. p. 393. contendit, cum sic
habeamus imaginem, quae poëtam deceat; quod mihi quidem
ıs quam verius videtur; et *duplex* pro *ambo* etiam VII, 140. X,
ıcr. VI, 1145. et alibi legitur. Ceterum ad ipsam rem cf. infra v.
I, 176. Ovid. Met. II, 477. 487. VII, 188. IX, 279. 293. XI, 541.
m adnott. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 2, 31. et Becker. Eleg. Rom.
quos Thiel. laudat. — **94**. Verba *Talia voce refert* iterantur
. 212. atque in Anth. Lat. I, 172, 93. et III, 81. 98. Cf. etiam Aen.
6. et XI, 123 sq. — *O terque* etc. „Cf. Hom. Od. ibid. v. 308 sq. *Τρισ-*
ς *Δαναοὶ* cett. et Il. XXI, 279 sqq. Nostrum imitatur Seneca Agam.
I." *Heyn*. Vid. etiam similem locum Ovid. Met. XI, 539 sq. et cf.
III, 3, 26. *O mihi felicem terque quaterque diem.* Pro *terque*
ue (Geo. II, 399. Aen. XII, 155.) dicebant etiam *ter et quater*
d. I, 31, 13.) et *ter quaterque* (Hor. Sat. II, 7, 76., ubi vid. Heind.)
ue sensu *bis terque* (Hor. Epod. V, 33., ubi vid. Bentl.) et *ter et*
ı (Hor. Od. I, 13, 17.) — **95**. *Quis*. Vid. Iahn. ad Ovid. Trist. V,
t Thiel. ad h. l. — **96**. *ante ora parentum*, ut Geo. IV, 477.
ı. X, 443. *cuperem ipse parens spectator adesset.* — Verba *Troiae*
enibus altis repetuntur X, 469. — *oppetere* (*mortem*) non prorsus
st, quod *obire mortem;* significat enim mortem oblatam fortiter
:, *dem Tode begegnen* (cf. Cic. Tusc. I, 45, 109. Off. I, 31, 113. pr.
, 45. Catull. LXIV, 102. etc.), illud autem omnino vita decedere, nul-
is, quam moriens prodat, ratione habita. Cf. Doederl. Syn. III. p.
onington tamen ex Phaedr. III, 16, 2 et Sen. Troad. 3. 6. 9. pro-
udet, *oppetere* et *obire* esse mera synonyma.) Simplex *oppetere*,
voc. *mortis*, apud poëtas tantum et posteriores scriptores pedestres
velut ap. Val. Fl. I, 554. Tac. Ann. II, 24. Plin. H. N. X, 3, 4.
- **96—98**. „Diomedem, Tydei f., potissimum inter Achivos memo-
ıoniam cum eo congressus Aeneas a Venere morti ereptus fuerat.
. V, 239 sqq. 311 sqq. — *Fortissimum* eum appellat ex Il. VI,
Helenus de eodem: *Ὃν δὴ ἐγὼ κάρτιστον Ἀχαιῶν φημὶ γενέσθαι.*"
— **97**. *mene - - non potuisse.* Vid supra ad v. 37. — *occum-*
Vide infra ad II, 62. — **98**. *hanc* Peerlk. cum contemptu additum
ımorat, pro: quam nihili facio. — *animam effundere* Schirach. p.
ctum putat, quod simul cum sanguine effuso anima effugiat; sed
de quovis mortis genere usurpatur. Cf. Ovid. Her. VII, 181.
effundere. Cic. Phil. XII, 12. *extremum spiritum effundere* etc.
tur omnino pro perire; quare etiam simplex Ablat. instrum.
r *tua dextra*, *ὑπὸ τῆς σῆς δεξιᾶς*. Ceterum cf. Sen. Agam. 506
i hunc locum imitatur. — **99**. Cf. Hom. Odyss. III, 108 sqq. —
les Achilles vocatur ab avo Aeaco, Iovis et Aeginae filio, Pelei,
ıis et Phoci patre. Vid. etiam Aen. VI, 58. — *saevus Hector*
ro fortis, ut *acer*, *asper* (v. 14.) Fortitudo enim bellica sine aliqua
(ira, furore, vehementia) cogitari vix potest; *saevus* autem latiore
mnino dicitur de omnibus rebus, quae cum furore aliquo et
tia exercentur vel coniunctae sunt. Ceterum cf. infra v. 138. Aen.
7. Hor. Od. II, 12, 5. Ovid. Met. XIII, 177. etc. Haupt. et Ribb.
Saevos: vid. ad Ecl. III, 42. VII, 29. al. — *telo*, hasta. Vid. Hom.
, 319. — Cum Homerus Il. XXIV, 786. narret, Hectoris corpus sub
oiae moenibus sepultum esse, Wunderl. verbum *iacet* de sepultura
lum Maronemque de Sarpedonis sepultura aliter tradidisse putat,
Homerum, qui Il. XVI, 667. refert, Sarpedonis corpus in Lyciam
fuisse; (*eandemque sententiam* repetit Gossr.) Quod cur statuamus,

Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit.“
Talia iactanti stridens Aquilone procella

---

cum Wagn. nullam video causam. *Iacere*, ut Graecorum *κεῖσθαι*, verbum proprium de mortuis et interfectis, neque hic aliter intelligendum esse, iam additum voc. *telo* videtur indicare, ut *telo iacet* sit i. q. telo stratus est, (quod etiam Nauck. p. 7. animadvertit.) Cf. Hom. Il. XVIII, 20. *κεῖται Πάτροκλος*. ibid. X, 386. Od. III, 109. Soph. Phil. 359. Oed. Col. 366. etc. Aen. II, 557. V, 871. VI, 149. IX, 486. X, 557. XI, 102. Ovid. Met. I, 720. X, 386. id. Her. XIV, 2. Val. Fl. II, 217. etc. Sic etiam Ovid. Her. III, 106. *iacere pro patria* (i. e. cecidisse). Cf. Drak. ad Silium II, 594. Bach. ad Ovid. Met. I, 720. et Staver. ad Nep. Thras. 2. Praesens autem *iacet* (ut iam Wagn. docet) aptum in re praeterita quidem, sed cuius recens viget in animo memoria, ut infra II, 275. (ubi vid. Iahn.) ibid. 557. 663. III, 3. VII, 363. XI, 172. Imprimis conferatur Sen. Agam. 512. *invidit Pyrrhus patri - - Quisque ad Troiam iacet, Felix vocatur.* Aliorum poëtarum exempla sunt Hor. Sat. I, 6, 13., ubi vid. Bentl. et Orell., ibid. I, 2, 56. II, 3, 61., Pers. IV, 2. Tibull. II, 4, 55. Ovid. Met. VII, 290. etc. Cf. etiam Iahn. ad Aen. II, 275. Madvig. Observv. de locis quibusdam Gramm. Lat. (Havn. 1837.) p. 15. et Freudenberg. Vind. Verg. p. 17. — **100**. *Sarpedon*, Iovis et Laodamiae fil., rex Lyciae et socius Troianorum, a Patroclo interfectus. Cf. Hom. Il. II, 876. VI. 198. XVI, 419 sqq. 667. sqq. et alibi. (Ceterum vide, quae de collocatione nominum in hoc loco Henry *Tw. years* I, p. 33. paullo subtilius disputat.) — **101**. „Contendit cum Homero Il. XII, 22 sq. *καὶ Σιμόεις ὅθι* (in cuius litore) *πολλὰ βοάγρια καὶ τρυφάλειαι Κάππεσον ἐν κονίῃσι, καὶ ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν*. Sic in mari inf. v. 118. Adde XI, 257. *Quos Simois premat ille viros*. Proelia autem ad Simoentem facta respicit.“ *Heyn*. De ipso Simoente, qui nunc vocatur *Dumbrek* s. *Dümrek Tschai* vid. librum meum geogr. II. p. 118. et quae exposui in Pauly *Realencycl.* VI. p. 2159 sq. nota. Ceterum hunc locum videtur respexisse Silius III, 474. *correpta sub armis Corpora multa virum spumanti vertice torquens* sq. — V. **101**. infra VIII, 539. repetitur, ubi lectio *sub undas*, ut hic *sub undis*, recepta ex auctoritate codicis Medicei. Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 68. etiam hic scripturam Codd. quorundam *sub undas* praefert; sed Iahn., cui Wagn. et omnes recentiores editores adsentiuntur, ibi quidem, cum Futurum *volves* adiiciatur, bene se haberi *sub undas*, hic vero Accusativum tempori Perfecto *volvit* non satis congruere memorat. Quod mihi, etsi *volvit*, post *iacet* positum, non Perfectum, sed Praesens esse statuo, nihilominus verum videtur. Quare non dubito, lectionem *sub undas* a librariis ex illo loco huc translatam esse. Quomodo etiam *scuta* et *galeae* in flumine nare potuerint, infra ad v. 119. videbimus. Quominus enim propter verba *sub undis* de his armis submersis et in alveo fluminis provolutis cogitemus, impediunt iam *corpora virum* adiecta, cum corpora mortua sub undis non maneant. — *corpora* mortuorum. Cf. supra v. 70. Ceterum de Caesura versus cf. Santen. ad Terent. Maur. p. 270. — Rau in Sched. p. 26 sq. vv. **99—101**. tamquam prorsus redundantes non ab ipso Vergilio adscriptos censet. — **102**. Heyn. conferri iubet Hom. Od. V, 313. *iactanti*, vociferanti concitate, commotiori animo loquenti, sine notione iactantiae. Cf. Ecl. II, 5. Aen. II, 768 aliique loci. Thiel. tamen, qui multa disputat de hoc vocabulo, comparans Aen. II, 588. IX, 621. X, 95. 322., indignationis et irae notionem inesse putat. Hübler. in Spicil. adnott. p. 4., cui hic usus Dativi *iactanti* durior videtur, *iactanti* Ablativum absol. esse statuit; sed vere docet Iahn. nusquam Vergilium in hac structura usum esse simplici Participio, omisso Ablativo Subiecti. Deinde etiam offenderet Ablativus Participii, non Adiectivi vices sustinentis in *i* formatus. Cf. Ramsh. Gr. Lat. §. 28. p. 51. not. et Iahn. ad Geo. I, 13. — *stridens Aquilone procella*, i. e. ab aquilone incitata, immissa. Cf. Hom. Od. XII, 407. *Ζέφυρος μεγάλῃ σὺν λαίλαπι θύων* (a Coningt. comparatus.) „Magna igitur venti vis a septemtrione veniens *ferit velum* et lacerat *adversa*, a pror

m adversa ferit fluctusque ad sidera tollit.
gguntur remi; tum prora avertit et undis
latus; insequitur cumulo paeruptus aquae mons.
ummo in fluctu pendent, his unda dehiscens
am inter fluctus aperit, furit aestus harenis.

---

s, excitatque fluctum ingentem, quo utrinque circa navis latera se vente remi franguntur, seu, quod proprie dicitur, *detergentur*. De- autem remis iam obliquo cursu fertur navis, *prora avertit* se, in hanc vel illam partem fertur, et navis undis, fluctibus *dat* . Illustrantur haec ex Valerii Fl. imitatione I, 618. 619. [*Excussi us remi; conversaque frontem Puppis in obliquum resonos latere ictus.*] Cf. Quint. Cal. XIV, 592. Fundus est in Odyss. IX, 70 sqq." — **103.** *fluctus ad sidera tollit.* Cf. Ovid. Trist. I, 2, 19. *montes volvuntur aquarum! Iamiam tacturos sidera summa putes.* amp., cum v. 106. verbum *fluctus* redeat et Med. a m. pr. exhibeat *uque*, temere coni. *pontumque ad s. t.* Quoties enim ap. Vergilium voces post breve intervallum iterentur, infra ad v. 429. videbimus. am Siebelis p. 11 sq. — **104.** *Franguntur remi*, qui non moti e rominent; nam mos velis et remis simul utendi adversatur non Homeri, sed etiam ipsius Vergilii verbis Aen. III, 207.; quod Conington adnotat. — In seqq. Iahn. retinuit Cod. Med. et Gud. em *proram avertit*, scil. procella, quam etiam Ladew. et Wagn. ntissima edit. receperunt. Sed cum verba *et undis dat latus* minus de ad procellam referantur, equidem plurimorum Codd. (inter quos Palat. et, si Ambrogio fidem habemus, Rom., quem tamen Pierius scripturam exhibere refert) auctoritatem secutus recepi difficiliorem em *prora*, quae Servio quoque commemoratur et Valerii Flacci one (vid. supra) defenditur, quamque post me etiam Gossr., Süpfl., Ribb. et Coningt. retinuerunt. Cf. etiam Senecae locus statim laud. isso autem Pronomine reflexivo vid. quae infra ad v. 234. adnota- — **105.** *undis Dat latus:* simul audi Genit. *navis;* prora latus navis s opponit. Cf. Sen. Hippol. 1073. *Qualis turbido rector mari retentat, ne det obliquum latus.* Similiter Aen. X, 425. *telo dat* — *insequitur cumulo* etc. Asyndeton bene exprimit celerem cursum eventorumque consequentiam. Vid. infra v. 115. Heyn. coniun- rba *mons aquae praeruptus cumulo* interpretatur: „praeruptus propter inem cumulatae aquae;" rectius autem cum Wunderl. iunge *tur cumulo*, h. e. mole sua, s. aqua cumulata (in speciem cumuli) necdum dilapsa et late diffusa, ut II, 498. *amnis fertur in arva cumulo.* Eadem est Henrici (*Tw. years* I. p. 36. et Philol. XI. p. ententia, qui conferri iubet Aen. II, 529. VIII, 146. Ovid. Met. XI, XIII, 568. Videtur autem poëta intelligere *decumanum fluctum*, is minoribus ipse maior et periculosior succedit. Cf. Ovid. Met. XI, bi vid. Iahn. et Bach.) Trist. 1, 2, 47. Lucan. V, 672. Silius XIV, bi vid. Drak.) Val. Fl. II, 54. etc. Graeci, qui tertium quemque ceteris maiorem et graviorem putabant, τὴν τρικυμίαν vocabant. esch. Prom. 1015. (ubi cf. Blomfield. Gloss.) Eurip. Troad. 83. eidleri adnot.) Hippol. 1213. Plat. de Rep. V, 17. (ibique Astii adnot.) a et. I. ep. 17. etc. — *praeruptus aquae mons.* Conington at Apoll. Rhod. II, 580. κῦμα - - ἀποτμῆγε σκοπιῇ ἶσον. Ceterum ott. ad Geo. I, 181. — V. **106.** Heyn. de una eademque navi intelligit, us sit: „*Hi*, alii ex iis, qui in navi sunt, v. c. in dextris transtris, *summo in fluctu*, alii, qui in sinistris sunt, merguntur mari," autem Wund. et Wagn. de diversis navibus cogitant, cum v. 108. tur verba: *Tris Notus abreptas* etc. Itaque *hi* i. q. horum naves. *dent.* Cf. X, 303. Ceterum Conington confert similem locum Aen. 4. — *furit aestus harenis* (vid. adnott. ad Ecl. VI, 8.) Henry *ars* I. p. 38. et Philog. XI. p. 494.), cui etiam Conington adsentitur, recte habet Ablativum instrum., quem dicunt, non loci, explicans *he sands, not on the sands,* coll. Aen. III, 557. *aestu miscentur e, Aen. II, 499. furentem caede Neoptolemum* et Val. Fl. I, 144.

Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet —
Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras,

---

ense furens. Recte autem Wund. cogitat de arena in fundo maris coll. Ovid. Met. XI, 499. *Pontus - - ex imo verrit arenas.* Vid. etiam Geo. III, 241. Aen. III, 557. et IV, 297. et quae Kappes. l. l. p. 20. disputavit. Alibi *arenam* de litore maris usurpari constat. Cf. Aen. I, 540. V, 34. VI, 316. XI, 626. etc. Non autem opus est, ut cum Henrico, qui conferri iubet Sall. Iug. 80., Vergilium de Syrtibus cogitasse statuamus, quamquam etiam Conington, praeterea comparans Soph. Ant. 590. *κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν θῖνα καὶ δυσάμενον*, Maronem fortasse Apollonium Rhod. imitatum esse putat, qui IV, 1265. de Syrtibus canat: *ἤλιθα δ' ὕδωρ Ξαινόμενον πολιῇσιν ἐπιτροχάει ψαμάθοισιν.* *Furere* autem verbum sollemne de mari. Cf. Aen. VII, 464. Hor. Ep. I, 11, 10. Lucan. V, 599. Sen. Agam. 64. etc. (Henry praeterea confert Cul. 270. *Phlegethonta furentem ardentibus undis* et Val. Fl. II, 615. *Qua brevibus furit aestus aquis*); *aestus* autem haud raro de vehementiore motu fluctuum dicitur. Vid. VIII, 674. (coll. cum VII, 462,) Cic. Or. III, 39, 157. *Undique omnes venti erumpunt, saevi exsistunt turbines; fervit aestu pelagus.* Imprimis autem maris accedentis et recedentis agitationem illudque tempus, quo mare cum impetu litora versus tendit (*die Fluth*), hoc vocabulo significari, non est quod memorem. Conferri potest cum h. l. Tibull. IV, 1, 75 sq. *Vel si sublimis fluctu consurgeret imo, Vel si interrupto nudaret gurgite pontum* ibique Huschkius. — 108. *Notus* non magis quam *Eurus* v. 110. commemoratus proprie intelligendus; nam Notus s. Auster a Sicilia navigantes non potuit occidentem versus ad Aras illas s. Aegimuri insulas deferre; sed ut saepe species pro genere, ita Notus pro vento omnino positus. Ceterum Eurus et Notus haud raro a veteribus coniunguntur, ubi de magna tempestate mare internum vexante agitur. Cf. e. g. Hor. Epod. X, 3. Stat. Theb. VI, 307. et Thiel. ad h. l. — 108. *saxa latentia*, scil. si mare magna tempestate commovetur et altos erigit fluctus. Cf. V, 124 sqq. Sic Aen. III, 706. *saxa caeca* et ap. Stat. Theb. I, 373. *saxa submersa vadis.* Ceterum respexit hunc locum Silius XVII, 275 sqq. *At geminas Notus in scopulos atque horrida saxa Dura sorte rapit*, etc. — Versus 109. Heynio et Peerlkampio ut ieiunus manu aliena illatus videtur. Sed recte defendunt hoc versuum genus, etymologias nominum propriorum continens et propterea ab Heynio aliisque saepe in *νοθείας* suspicionem vocatum, Valcken. ad Eurip. Phoen. v. 639. p. 299. Abresch. et Aeschyl. T. I. p. 370. Iacobs. ad Anthol. Gr. Vol. III. P. II. p. 231. Gurlitt. in Animadvv. ad vett. auctt. 1800. p. 10. Weichert. de verss. iniuria suspp. p. 64 sq. Iahn. ad h. l. alii. Recte igitur Wagn. sustulit asteriscos ab Heynio huic versui appositos, qui laudatur a Quinctiliano Inst. VIII, 2. („mixturam verborum" in eo vituperante), Charisio Inst. Gramm. IV. p. 246. P. aliisque veteribus Grammaticis, atque etiam ad ipsam sententiam requiritur, cum simplici notioni *saxa latentia* profecto non adiecisset poëta accuratiorem illam descriptionem *Dorsum immane mari summo*, quae tum tantum bene se habet, si antea certa quaedam saxa nomine adiecto significata sunt. Quare etiam Iahn. Annal. l. l. p. 35. Siebelis p. 12. et Rau in Sched. p. 27. hunc versum contra Peerlk. defendunt. Ordo autem, quo verba posita sunt, suadet locum cum Haeckermanno Expl. p. 6, Ladew. et Wagn. in min. edit. sic interpretari: *Saxa* (enim, *Klippen*, non insulas) *Itali vocant Aras, quae mediis in fluctibus* (sitae sunt, quare et ipse modo eas sic appellavi); non autem sic: (Haec) saxa, quae in mediis fluctibus, Itali vocant Aras. *Arae* sunt *Aegimuri insulae*, ex adverso Carthaginis sitae et 30 mill. pass. ab ea urbe remotae. Vid. Plin. V, 7, 7. *Contra Carthaginis sinum duae Aegimuri arae, scopuli verius quam insulae, inter Siciliam maxime et Sardiniam.* Cf. etiam Strab. II. p. 123. VI. 277. et Liv. XXX, 24. (Haeckerm. l. l. conferri iubet Arntzen. ad Aur. Vict. orig. Rom. VII, 5.) Nunc *Al Djamur* s. *Zimbra* et *Zowamoore* vocantur. Vid. liber meus geogr. II. p. 853. Quod autem attinet ad locum, *quem Pron.* relativum obtinet, cf. infra v. 287. et II, 663. et cum *epanaphora Ecl. I,* 27. et 29. Aen. II, 405 sq. III, 209 sq. et similes locos.

Dorsum inmane mari summo — tris Eurus ab alto
In brevia et syrtis urguet, miserabile visu,
Inliditque vadis atque aggere cingit harenae.
Unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit: excutitur pronusque magister
Volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem

Ceterum fluctuat lectio huius versus; Medic. enim aliique *mediisque in fl.*, alii *mediisque fl.*, alii *mediis in fl.* praebent. Lectio a nobis et recentioribus editt. omnibus recepta nititur Codd. Rom., Palat. et Grammaticorum supra laud. auctoritate ipsaque sententia defenditur. Bene etiam *in fluctibus*, cum certus quidam indicetur in medio mari locus. Vid. Wagn. Qu. Virg. XIV, 5, a, 1. — **110.** *Dorsum* alibi *taenias* appellant; *pulvinum* vocat Serv. ad Aen. X, 303., nos *ein Riff*. Praeter hunc alterum Aeneidos locum cf. Plin. Epist. VI, 31. sub f. *Eminet et apparet saxeum dorsum, impactosque fluctus in immensum elidit et tollit*. Saepius de montibus in terra sitis usurpatur. Cf. Liv. I, 3, 3. Caes. B. G. VII, 44. Suet. Caes. 44. etc. — „*mari summo*, sub maris superficie latentes scopuli; *οἰόθι δ' ἅλμη Ἄπλοος εἰλεῖται γαίης ὑπὲρ ὅσσον ἔχουσα*, Apollon. IV, 1270. 1271.: e quo loco, ubi in Syrtes incidisse Argonautae dicuntur, plura transtulit Vergilius." Sic *Heyn.*, in cuius explicatione non nimis urgenda est Praepos. *sub*, pro qua rectius posuisset *in*. Poëta enim nihil aliud vult dicere, quam dorsum aequare superficiem maris, ita ut fluctibus superne alluatur nec conspici possit, cum mare ventis moveatur. (Vid. etiam Haeckerm. l. l. et in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 46., qui verba *Dorsum imm. m. summo* et ipsa parenthesi includi recte iubet.) — **111.** *brevia et syrtes* Servius (quocum facit Ladew., supra v. 61. *molem et montes* comparans) per Hendiadyn pro brevia syrtium dictum putat; immo poëta *syrtes* interpretatur per *brevia*, *τὰ βραχέα*, vadosa loca (vid. infra V, 221. X, 289 Senec. Ep. 22. Pomp. Mel. I, 7.), quibus alibi opponuntur *profunda* (v. c. apud Tac. Ann. I, 70.). De vi explicandi simplici Copulae propria disputavimus ad Ecl. III, 34. Ceterum hic non de Syrtibus, quae proprie dicuntur, maiore et minore in Libyae litore (vid. Aen. IV, 41.), sed de aliis vadosis locis cogitandum. — *miserabile visu*. Cf. IX, 465. et Anth. Lat. I, 172, 102., ubi I, 178, 429. similiter *miserabile dictu*. — **112.** *aggere cingit harenae*, quam mare ex imo fundo excitaverat (v. 107.) — **113.** Hic versus Ovidio obversabatur, cum Met. XIV, 241. scriberet: *Una tamen, quae nos ipsumque vehebat Ulyxem.* — *Orontes*, nomen a Vergilio fictum, quod apud Homerum non invenitur. Iterum de hoc homine sermo est infra VI, 334. Med. utroque loco *Orontem* exhibet: sed cum Genitivum faciat *Oronti* (v. 220.), secundum ea, quae Wagn. supra ad v. 30. et in Qu. Virg. III, 1. disputavit, Accusativus in en exire debet. — **113–115.** „*Unam ingens pontus ferit in puppim*, ictu in puppim delato, *κατὰ πρύμναν*, *a vertice*, h. e. desuper (vid. ad Geo. II, 310.), alte insurgens fluctus desuper in caput irruit. Odyss. V, 313. *ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης, Δεινὸν ἐπεσσύμενον.* [Adde Od. X, 367.] Puppi ita depressa, inclinatur gubernator et in mare prolabitur; quamquam et ipse fluctus adiuvare satis casum hominis potuit." *Heyn. Ingens* autem *pontus* magna cum vi dictum pro unda, quae totius ponti instar in navem incumbit. Conington comparat Val. Fl. IV, 666. *magno puppim procul aequore vestit.* — Cum v. **115–119.** cf. Hom. Od. V, 314 sqq. *Excutitur*, scil. illico; quod per Asyndeton indicatur. Cf. supra v. 105. Comma vulgo post *excutitur* positum iure sustulit Wagn., cum Subiectum interpositum ad utrumque Verbum pertineat, etsi alteri demum adiiciatur. Vid. Wunderl. Obss. ad Tibull. I, 6, 81. Ceterum cf. Aen. VI, 353. *excusso magistro*. *Magister* autem i. e. gubernator. Cf. V, 176. 867. VI, 353. (coll. cum v. 337.) Val. Fl. I, 18. Plenius Liv. XXIX, 25, 7. et XLV, 42, 3. *magister navis* appellatur. Cf. etiam Cort. ad Lucan. II, 696. Nomen autem huius gubernatoris discimus ex Aen. *VI, 334., ubi Leucaspis* vocatur. Wagn. in min. edit. *minus recte ipsum Oronten intelligit*, qui loco modo laud. *dux classis*

Torquet agens circum et rapidus vorat aequore vertex.
Adparent rari nantes in gurgite vasto,
Arma virum tabulaeque et Troïa gaza per undas.

---

appellatur. Quod ictu excussus *pronus volvitur in caput*, translatum est ex verbis Odyss. XII, 413.: ὁ δ' ἄρ' (κυβερνήτης) ἀρνευτῆρι ἐοικὼς Κάππεσ' ἀπ' ἰκριόφιν. Cf. autem Ovid. Met. II, 320. (Phaëthon) *volvitur in praeceps*, et ibid. VI, 237. *Ille, ut erat pronus, - - Volvitur.* — *Ast illam.* Cum ex viginti Aeneae navibus (v. 381.) septem modo servatae esse perhibeantur (v. 170.), nihilominus vero v. 102 sqq. duodecim modo, non tredecim navium ruinae describantur, Ribbeck. Proleg. p. 68. difficultatem removere studet coniectura *ast aliam*, ut navis, qua Lycii et Orontes vehebantur, interitum cum magistri casu v. 115. absolutum esse sumamus. *Ast* cum Pron. *alius* etiam Aen. II, 467. IV, 488. VI, 316. VII, 395. IX, 727. coniungi memorat. — *ter* non stricte est interpretandum, cum alibi etiam pro *aliquoties*, *saepe* usurpetur. Cf. III, 421. VI, 609. X, 873. et quae supra ad v. 94. adnotavimus. — *rapidus vorat aequore vertex* cum singulari verborum delectu dictum, quae ipso sono rem narratam optime exprimant. Intelligenda videtur profunda vorago maris inter fluctus aperta, quae navem *vorat*, absorbet, καταπίνει. De voc. *vertex* vid. adnott. ad Geo. I, 481. Ribbeck. et Ladew. hic cum Rom., Gud., Bern. II. III. et Charisio p. 68. scribunt *vortex*. — 118. *Adparent*, ex alto emersi. — *rari* non solum ornans est epitheton, quod Heynio videtur, sed longe vividiorem reddit imaginem, si raros (ἔνθα καὶ ἔνθα) nantes et longo intervallo disiunctos vasto mari oppositos cogitamus. Eodemque spectat huius versus sedatus per numeros spondaicos incessus post concitatissimos, qui praecedunt, versus. Henry (*Tw. years* I. p. 41.) praeterea non inepte censet, singulos hos nantes, quos non, ut ceteros, vertex statim absorbuit, etiam bene opponi armis, tabulis et Troiae *gazae per undas*, i. e. ubique in superficie maris iis repleti, apparentibus. Thiel. *nantes* perperam capit de navigantibus, Gossr. autem ineptius de navibus. — *gurges* proprie de vertice s. de mari vel flumine profundo et in orbem acto dicitur (cf. infra VI, 296. Ovid. Met. XV, 714.), deinde autem pro mari omnino ponitur (Aen. III, 197. 421. 564. V, 33. VI, 310. IX 816. XI, 624. Geo. IV, 387. Hor. Od. II, 1, 33. Ovid. Met. IX, 226. Cic Div. I, 8, 14. cett.). Heyn. comparat Homeri μέγα λαῖτμα θαλάσσης. — 119 „Conspiciuntur passim nantes (cf. Od. XII, 417. 418.) et *arma*, h. e clypei, quos, cratibus textos corio indutis, quis dubitet aqua ferri potuisse? [Praetera etiam de galeis corio consertis cogitari licet.] Laudant Liv. I 37. *multique mortales - - in flumine ipso periere, quorum fluitantia arma ad urbem cognita in Tiberi.* Adde sup. I, 100 sqq. et Aen. VIII, 539 Cf. Dorvill. ad Charit. p. 627., qui et Manil. V, 51. laudat. Erant autem militum arma in puppibus religata, vid. [infra v. 183. VIII, 92. et] X, 80 Navium armamenta alii malunt intelligere; sed *arma virum* dicit [haud dubie ea ipsa de causa, ne de navium armis, ut V, 15. VI, 353. et alibi, cogitemus]." *Heyn.* — *tabulaeque.* Cf. Ovid. Met. XI, 428. *Et laceras nuper tabulas in litore vidi.* id. Trist. I, 6, 8. *Naufragii tabulas - - mei.* Respicit Maro Hom. Od. XII, 67. πίνακάς τε νεῶν καὶ σώματα φωτῶν κύμαθ' ἁλὸς φορέουσι. Henry l. l. p. 42. non de ipsius navis tabulis (*the planks of the vessel*) cogitandum esse docet, quippe quae integra, non fracta pessum iverit, sed potius de transtrorum, gubernatoris tugurii (*steersman's baraque*) et aplustris fragmentis (coll. Lucr. II, 556. Sil. It. X, 324. Cic. Arat. ap. Prisc. [VII, 15, 74. p. 342. Krehl.] Rutil. Itin. I, 513.), et in schedis mecum communicatis confert etiam Curt. IX, 36. *strati erant campi sarcinis, armis, avulsarum tabularum remorumque fragmentis.* — *Troïa gaza*, ut infra II, 763. Sic Med. et alii boni Codd.; ceteri *Troica*. Quamquam autem *Troicus* ex meliorum librorum auctoritate legitur apud Hor. Od. III, 3, 32. Ovid. Her. I, 28. VII, 184. XVII, 109. 160. Met. XV, 730. ex Pont. II, 10, 14. Stat. Silv. I, 1, 35. *Iuven.* VIII, 221. alibi, Vergilius tamen ubique (infra v. 249. II, 56. 161. 290. 393. 461. III, 306. 596. V, 417. cett.) altera forma usus videtur. (Vid.

Iam validam Ilionei navem, iam fortis Achatae,
Et qua vectus Abas, et qua grandaevus Aletes,
Vicit hiemps; laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure pontum
Emissamque hiemem sensit Neptunus et imis
Stagna refusa vadis graviter commotus, et alto

Heins. ad Ovid. Her. I, 28. et Bach. ad Ovid. Met. XII, 604.) Plerique inter utramque formam hoc tantum discriminis statuunt, ut alteram (*Troïus*) magis ad poëticam orationem pertinere dicant (vid. Cort. ad Lucan. I, 106. Bentl. ad Hor. Od. II, 13, 8. Thiel. ad Aen. VIII, 526. Wagn. ad Aen. II, 27. et Weichert. in Poëtt. Latt. rell. p. 322.); Iahn autem aliud proponit discrimen paullo subtilius, quod, cum multis veterum locis adversetur, non opus est ut repetam. — **120.** Nomina, certe Ilionei et Abantis, sunt ex Homero petita, non autem ipsi hominès. Nam et Ilioneus (Il. XIV, 489 sqq.) et Abas (Il. V, 148 sqq.) ab Homero commemorati in bello Troiano perierant. — *Ilionei.* Sic omnes Codd. hic, VII, 249. et IX, 501. (nullus *Ilioni*), ut etiam Accus. I, 611. formatur *Ilionea*, quia vir Nominativo ubique (I, 521. 559. VII, 212. IX, 569.) *Ilioneus*, nusquam *Iliones* vocatur. Cf. adnott. ad Aen. I, 30. et supra ad v. 41. — Charis. I. p. 107. P. agnoscit formam *Achati*, de qua cf. Heins. ad h. l. quamque recepit Ribbeck. (cf. eius Proleg. p. 200. et infra ad v. 220.) Sed contra omnium Codd. auctoritatem nihil mutandum videtur. — Vocem *grandaevus*, quae apud nullum scriptorem Vergilio antiquiorem inveniatur, fortasse ab hoc ipso fictam censet Schirach. p. 427.; quod, cum Substantivo *grandaevitatis* secundum Nonium II, 365. iam Attius (Alcum. fr. 6. Bacch. fr. 7.) et Pacuvius (Hermi. fr. 1.) usi fuerint, minus probabile videtur. Posteriores scriptores etiam Adiectivum aliquoties usurpant. Cf. Ovid. Met. VII, 160. Val. Fl. VII, 348. Plin. H. N. II, 7, 5. Tac. Hist. III, 33. — **122.** *Vicit hiemps;* tempestas, *χειμών*, (vid. infra 125. 196. etc.) labefactavit, solvit navium latera, ut aqua subiret. — *imbrem* aquam maris post Ennium (qui secundum Serv. ad h. l. haec scripsit: *ratibus fremebat imber Neptuni.*) p. 73. Vahl. et Lucr. I, 716. (ubi vid. adnot. mea) 784. VI, 148. 1175. dixit; post Vergilium autem saepe alii poëtae, ut Ovid. Am. II, 15, 23. Val. Fl. IV, 665. Stat. Theb. III, 251. etc. Cf. adnott. ad Geo. IV, 115. — *inimicum*, exitiosum. — *rimisque fatiscunt*, solvuntur, ut rimas agant. Vid. adnott. ad Geo. I, 180. De ipsa re cf. etiam Ovid. Met. XI, 515. *Rima patet praebetque viam letalibus undis.* — **124—126.** „Tempestas tandem deferbuit Neptuni interventu. Apud Hom. Od. V, 334. Ulyssem prospicit Leucothea et offert *κρήδεμνον* suum, at servat eum Minerva v. 382 sqq.; nam a Neptuno tempestas fuerat immissa.“ *Heyn.* Neptuni autem tamquam *ducis ventorum* (cf. Stat. Theb. III, 433.) est ventos Aeoli temeritate commotos in ordinem cogere. — Totus v. 124. redit infra IV, 160. uno tantum voc. mutato. — *magno murmure.* Vid. adnott. ad Geo. I, 359. — *pontum.* Heins. malebat *pontus*, ut *misceri* esset Infin. histor., quod Heynio non insuave videtur, sed recte reiicitur a Wagn. Qu. Virg. XXX. p. 521., cum non tum demum pontus misceri coeptus sit. Heyn. putat, duplicem hic esse structuram: *Neptunus sensit - - misceri*, *Emissamque hiemem - - et stagna refusa;* rectius autem ad *emissam* et *refusa* intelligas *esse*, ut tres habeas Infinitivos. *Misceri* tempore Praesente dicendum erat, quia etiamtum miscebatur pontus, *hiemem* vero *emissam stagnaque refusa* esse, *ἀοριστικῶς* exprimendum. Ceterum cf. infra v. 134. Aen. IX, 714. Ovid. Met. XI, 491. *Bella gerunt venti fretaque indignantia miscent* et similes loci. — Markland. ad Stat. Silv. V, 2, 113. temere coni. *hiemem ut sensit.* Cf. adnott. ad Ecl. II, 66. — **126.** „*stagna* pro mari novasse videtur poëta ex *λίμνη* apud Homerum.“ *Heyn.* Legitur eadem signif. infra X, 765. Ovid. Fast. IV, 278. Lucan. VIII, 853. Sil. VII, 282. alibi; plerumque tamen, ut h. l., de profundo mari usurpatur, quod semper stagnat. Hic enim ex *imis vadis*, ex *imo fundo* (vel ut v. 84. *a sedibus imis*) *refusum, sursum erutum est* (ut Aen. VII, 225., cum quo loco etiam Geo.

Prospiciens summa placidum caput extulit unda.
Disiectam Aeneae toto videt aequore classem,
Fluctibus oppressos Troas caelique ruina;
Nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.

II, 163. et Aen. VI, 107. conferri possunt.) Cf. Cerda ad h. l. et in Spec. Adnott. ad Aen. L. I. p. 5. (quem Iahn. laudat.) Videtu locum respexisse Stat. Theb. I, 359. *Stagnoque refusa est Funditus e spumavit Lerna veneno.* Henry *Tw. years* p. 44. confert Lucan. I *lassasque refunderet undas.* — 126—129. „*Graviter commotus.* batus, συγχυθείς, rei novitate, sensit Neptunus tempestatem in n invito et nesciente] motam; tum capite ille e mari sublato prospicit.“ — Totus fere versus 127. iam legitur Geo. IV, 351. — *alto Prospi* in longinqum (*weithin auf dem Meere hinausschauend:* cf. infra v. 181. XII, 136. Thiel. ad h. l. et Burm. ad Ovid. Her. V, 61.). Quar Silius VII, 257. hunc locum respiciens cecinit: *ut cum turbatis pl caput extulit undis Neptunus totumque videt.* Heyn., cui W Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 46. adsentiuntur, minus rect tellige ex fundo maris, in quo regia dei est;“ quod si voluiss ctor, potius *suspiciens*, vel certe *ex alto prospiciens* scripsisset (u IV, 409. *prospiceres arce ex summa* et VII, 288. *ex aethere - - pro* neque adiecisset verba seqq. *summum - - extulit unda.* Nihilominu Haeckerm. Expl. p. 7. Praepos. *ex* supplendam esse arbitratur *prospicere* numquam cum Dativo, sed semper cum Accusativo lo prospiciatur [accuratius: rei, quae spectetur „*des Gegenstandes d trachtung*: Ladew.] construi soleat, quod sane verrissimum: cf I, 154. VI, 357. VII, 288. Sed quid *alto* cum Ladew. pro Dativo hab cogit? Immo hic locus non aliter intelligendus est, atque infra v. 18 *spectum late pelago petit* et ap. Silium XVII, 236. *Talibus ardenten Neptunum ut alto Prospexit*, ubi non magis opus est intellecta Pr Ablativus autem *pelago* est i. q. *per pelagus*, ut hic et ap. Silium q. *per altum.* (Vid. supra et cf. quae Henry *Tw. years* I. p. 45., no consentiens, verissime de h. l. disputat.) Ceterum Haeckerm. l. l. cum t loco conferri iubet Geo. IV, 252. Val. Fl. I, 642. Sil. Ital. VII, 254. IV, 1, 123. et Ovid. Met. V, 487. — *placidum caput.* Temere quent interpretes, non intelligentes, quomodo *graviter commoti* ca *placidum* esse possit. *Graviter commotus* et iratus est Neptunus in et Aeolum, sed *placidus* pro dei maiestate. Et miram quandam sua cum maiestate coniunctam loco inesse sentimus, si cogitamus Nep quamvis iratus sit, tamen placido et tranquillo vultu ex undis furent aestuantibus prospicientem. Henry (*Class. Mus.* XIX.) *placidum* Neptuno tribui putat, quia placaturus sit mare (v. 142.), eumque ant se ipsum placare oporteat, qui fluctus placare velit, coll. Aen. I, 255. *quo caelum tempestatesque serenat*, in *Tw. years* autem p. 46 sq., me disputans (qui in prima edit. scripseram: „*graviter commotus* ventos et Aeolum, sed *placidus* Troianis)“ Neptunum *placidum* caput dere censet, ut eo ad ordinem restituendum conferret neque irato perturbationem augeret; quod mihi paullo subtilius videtur. (In e tamen libri mihi donato vir doct. haec omnia expunxit, ut, quid nun l. statuat, nesciam.) Kappesio denique l. l. p. 22. *placidum caput* es (*gefällig*) erga eos, qui se invito in regno suo cum laboribus conflic Ceterum imitatur hunc locum Silius VII, 254. *Ut cum turbatis pl caput extulit undis Neptunus.* — 129. *disiectam - - oppressos* sup. v. 69. 70. — *caeli ruina*, imbribus cum vento vehementiss procella coniunctis. Cf. adnott. ad Geo. I, 324. Sic etiam ap. Sil. *caeli ruina*, et ap. Val. Fl. VIII, 334. *poli ruina*, cum quibus l Liv. XL, 58., ubi Bastarnae *caelum in se ruere aiebant.* Henry (*Tw* p. 48.) comparat Ovid. Met. XI, 518. *Inque fretum credas totum desc caelum* et Hor. Od. I, 16, 11. *tremendo Iuppiter ipse ruens tumultu.* - „*Statim* Neptuno in animum venit, Iunonis machinatione, ut satiar *sua in Teucros*, hanc tempestatem esse conflatam. Ita *dolos et iras*

Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:
„Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Iam caelum terramque meo sine numine, Venti,
Miscere et tantas audetis tollere moles?
Quos ego —! Sed motos praestat conponere fluctus.

Habuisse fertur poëta ante oculos Homer. Il. I, 536. 537. Sed verba ex Apollon. IV, 753. *Οὐδ' ἄλοχον Κρονίδαο Διὸς λάθον*. Simile argumentum vide tractatum ab Ovid. Met. I, 601 sqq.“ *Heyn.* — **131--141**. Duos modo ventos pro toto ventorum agmine poni, in promptu est. Vide supra v. 85. — *dehinc* pro *deinde*, ut Geo. III, 167. infra v. 256. Sall. Cat. 3, 2. Sen. N. Qu. III, 29, 6. Suet. Aug. 49. alibi. Cf. Kritz. ad Sall. l. l. et Hand. Turs. II. p. 231. Ceterum *dehinc* una syllaba pronuntiandum, quemadmodum etiam infra v. 256. VI, 678. et IX, 480. Litera enim *h* in eiusmodi synaeresi prorsus negligitur, quare, ut *deinde* (Ecl. III, 58. V, 15. Geo. I, 106. etc.), *deinceps*, *deorsum* et similia duabus syllabis, ita etiam *vehementer* (Lucr. II, 1024.), *vehementi* (ibid. III, 153.), *prohibeat* (ibid. I, 976.) et quae sunt eiusdem generis, tribus syllabis proferenda sunt. Cf. Ramsh. §. 212. II, 1. b. et adnott. ad Ecl. VII, 7. — **132**. „*generis vestri*: non tam originis, quam omnino gentis: tantumne vos confidentiae in vobis, in vestris viribus, habetis?“ *Heyn.* Alii enim adnotant, ventos esse Astraei, unius ex Titanibus, et Aurorae filios (cf. Hesiod. Th. 278.), pertinere igitur ad Titanum stirpem et familiam, unde eorum insolentia facile explicari possit; quod tamen hic altius repetitum videtur, quamquam etiam Wagn. adnotat, inesse hic quandam contemptus significationem, aut quia Venti ex humillimo sint genere deorum, aut quod nati sint ex Astraeo, qui contra deos arma sunpserit. — *fiducia* pro confidentia; illud enim saepius in bonam, hoc saepius in malam partem dicitur. Imitatur h. l. Val. Fl. III, 669. *nec parva mihi fiducia gentis*, ubi vid. Burm. Ceterum cf. Claud. B. Get. 380. *tantane vos Getici fiducia belli Erigit?* Ovid. Epist. XVII, 123. *Non est tanta mihi fiducia corporis* et similes locos. — **133**. Tantas aquarum moles erigunt venti, ut intervallum inter caelum terramque sublaturi videantur. *Iam*. Eo iam processistis audaciae, ut etc. Pedestris orationis scriptor dixisset: Tantane vos tenet fiducia, ut iam audeatis etc. — „Scite hic *caelum terramque*, etsi alibi, ubi haec iunguntur, *caelum terrasque* legitur; nam ubi non est, cur de magno aliquo tractu, aut de variis terris cogites, Singularis praeferri solet.“ Haec *Wagn.* Qu. Virg. IX. p. 412. Cf. autem cum h. l. Iuven. II, 25. *caelum terris miscere et mare caelo*. Similiter, sed metaphorice pro: omnia conturbare, etiam Liv. IV, 3, 6. *caelum ac terras miscere*. Cf. etiam Aen. V, 790. *maria omnia caelo Miscuit*. Non autem opus est, ut cum Ladew. *terram* de solo maris fundo intelligamus, quemadmodum v. 107., cum hic potius proverbialem locutionem habeamus. — *meo sine numine*, sine voluntate, iussu meo, ideoque neglecta mea imperii maiestate. Vid. supra ad v. 8. Servius comparat Ennii verba (fr. inc. 128. p. 86. Vahl.) *vestro sine momine, venti*. — **134**. *tantas moles*, scil. aquarum, tantos (tam altos) fluctus. Sic rectissime Wund., comparans *molem maris* ap. Silum XIV, 123. et *tollere freta* ap. Hor. Od. I, 3, 16.; neque aliter Schirach. p. 492. h. l. interpretatus est. Heyn. minus probabiliter *moles* explicat per rerum perturbationes, tempestatem; quo sensu Vergilius vix dixisset *tollere moles*. Immo cf. Aen. V, 789. *Libycis tu testis in undis Quam molem subito excierit*. — **135**. *Quos ego* — scil. gravissime ulciscar, gravissima poena afficiam. Notissima aposiopesis. Eo autem, quod Neptunus haec verba quasi secum loquitur neque ventos verbis *Vos ego* increpans appellat, summam eorum despicientiam prodi, non male observat Nauck. p. 9. „Similis comminatio, naturae conveniens, est apud Ter. Eun. V, 6, 19. *Ego te furcifer, si vivo;* intellige *ulciscar*. Propius ad nostrum accedit Val. Fl. I, 202. *Illum ego - - tu tantum non indignantibus undis Hoc caput accipias.*“ *Wund.* Adde Ter. Andr. I, 1, 137. *Quem quidem ego, si sensero —! Sed quid opus est verbis?* Ovid. Her. XII, 207. *Quos equidem actutum - -! Sed quid praedicere poenam Attinet?* et Stat. Theb. IV, 518. *Iamque ego vos —!* Alia aposiopesis

Post mihi non simili poena commissa luetis.
Maturate fugam regique haec dicite vestro:
Non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
Sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos; illa se iactet in aula
Aeolus et clausa ventorum carcere regnet."
Sic ait et dicto citius tumida aequora placat

---

exempla inveniuntur Aen. II, 100. et V, 195. Cf. Quinct. Inst. IX, 2. Gronov. Obss. IV, 20. interpp. ad ll. ll. idemque ad Liv. XXII, 39, 16. et Cic. Mil. 13, 33. Ceterum Schrader. (Obss. I, 5. et Praef. Emendatt. p. LII.) collata Statiana illa huius loci imitatione temere coniecit *Vos ego! — conponere fluctus*, ut XII, 109. *conponere bellum*. Cf. etiam infra v. 249. ibique adnott. — **136.** *Post*, scil. si in posterum tale quid iterum ausi eritis (*ein andres Mal*), *non simili*, immo graviore, *poena commissa luetis* h. e., non sola verborum obiurgatione defungemini. — *mihi luetis*. Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 6. (et 30.) — **137.** „*Maturate fugam*, praecipitate, accelerate receptum in antra vestra; h. e. ocius discedite. Inepta est apud Servium, Macrob. Sat. VI, 8. et Gellium X, 11. in h. l. interpretando subtilitas." *Heyn.* Quod hic *maturare fugam*, idem infra v. 357. *celerare fugam*. Cf. etiam Geo. I, 261. — **138.** *imperium - - tridentem*: ut v. 78. *quodcunque hoc regni, sceptra*. — *saevus tridens*, insigne imperii maritimi, quia poëtis dicitur *saevum imperium*. Vid. supra ad v. 99. Wagn. praeterea conferri iubet Heind. ad Hor. Sat. I, 8, 33. Schirach. autem p. 574. *saevum* minus probabiliter explicat per: coërcentem impetum ventorum, ut hoc epitheton iram Neptuni respiciat. Coningt. conferri iubet *saevam falcem Priapi* ap. Tibull. I, 1, 22. — **139.** *sorte*, sortitione inter fratres instituta. Cf. Hom. Il. XV, 187 sqq. Hesiod. Theog. 885. Aesch. Prom. 229. alii. — *Tenet*. Conington comparat Hor. Od. III, 4, 62., *qui Lyciae tenet Dumeta natalemque silvam Delius et Patareus Apollo*. — *immania saxa* Heyn. explicat per vastum antrum v. 52. Sed rectius Henry *Tw. years* I. p. 49. et Philol. XI. p. 495. latiore sensu dicta capit de omni saxosa Aeolia, ventorum patria. — **140.** *Vestras, Eure, domos*, ut iam apud Homerum Odyss. XII, 81. 82. *ἧπερ ἂν ὑμεῖς - - ἰθύνετε, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ*. ibid. III, 43 sq. *εὔχεο νῦν, ὦ ξεῖνε - - ἠντήσατε* etc. Cf. etiam Aen. IX, 525. XI, 686 sq. Hor. A. P. 292. *Vos, o Pompilius sanguis, carmen reprehendite*. Sil. XVI, 213. *Hasdrubal, huc aures, huc quaeso advertite sensus*. Cic. N. D. I, 19, 51. *Et quaerere a nobis, Balbe, soletis*. id. pro Deiot. 10. extr. *Vos vestra fortuna, Castor, non potestis esse contenti?* id. de Or. I, 35, 160. *Quid est, Cotta, inquit, quod tacetis?* etc.; quos omnes locos ita esse intelligendos, ut ex pluribus eiusdem generis unus modo instar omnium appelletur (*Vestras, Eure* ceterique venti, *domos* etc.), non est quod memorem. Cf. de Graecis Matth. Gramm. II. §. 431. et Bernhardy p. 419., de Romanis autem Ruddim. II. p. 387 sq. Ceterum cum h. l. cf. Geo. I, 371. *Eurique Zephyrique domus*. — Cum verbis seqq. *illa se iactet in aula* etc. Heyn. comparat Hom. Il. I, 179. *Οἴκαδ' ἰὼν, σὺν νηυσί τε σῇς καὶ σοῖς ἑτάροισι, Μυρμιδόνεσσιν ἄνασσε*. Cf. etiam Geo. IV, 90. *vacua regnet in aula*. Ceterum haec cum ironia quadam dici (ibi pro rege se gerat et faciat, quod libet), quisque videt. — *aula*, regia, arx. Cf. supra v. 56. Sic etiam VIII, 242. Caci spelunca vocatur *regia*. Serv. haec adnotat: „*Aula* autem vocabulo irridetur Aeolus, sequitur enim *carcer*; et nihil tam contrarium, si simpliciter intelligamus." Sed ventorum carcerem ab Aeoli regia diversum esse, supra ad v. 56. vidimus. Henry l. l. etiam *aulam* de tota Aeolia intelligit. — *clauso carcere regnet*, i. e. regnet quidem, sed ita ut carcerem clausum teneat nec nisi *foedere certo* (supra v. 62.) aperiat. Wagn. et Ladew. comparant Aen. VII, 249. *Talibus Ilionei dictis, bei diesen Worten*, ut hic *clauso carcere, bei verschlossenem Kerker*. Magna apparet in singulis verbis amaritudo. Ceterum cf. Val. Fl. I, 416. *clausis quem detinet Aeolus antris*. Henry (qui *Tw. years* I. p. 50 sqq. *et Philol. XI. p.* 495. bene de h. l. disserit) comparat infra v. 374. *clauso Olympo*. — **142.** „Sedata tempestas. Aliter simile argumentum tractatum

:tasque fugat nubes solemque reducit.
›thoe simul et Triton adnixus acuto
ıdunt navis scopulo; levat ipse tridenti
ıstas aperit syrtis et temperat aequor
ı rotis summas levibus perlabitur undas.
ıluti magno in populo cum saepe coorta est

ıb Ovidio Met. I, 330 sqq. -- *dicto citius*, antequam orationem ', qua se motos componere velle fluctus dixerat. Quale illud vulgo *dictum factum*, ἄμ' ἔπος ἄμ' ἔργον, et Il. XIX, 242. *Αὐτίκ' ἔπειϑ'* ·ϑος ἔην, τετέλεστο δὲ ἔργον." *Heyn*. Repetit hunc versum Sedul. ?asch. III, 63. et formula dicendi *dicto citius* legitur etiam ap. Hor. , 2, 80. (ubi vid. Heindorf.) Liv. XXIII, 47, 6. Petron. c. 131. in .at. Burm. IV, 252, 2. et saepius. Cf. etiam Valcken. ad Eur. Hip-36. et Ruhnk. ad Ter. Andr. II, 3, 7. — V. 148. respondet supra v. 144—147. „Habuit fortasse ante oculos Apollon. IV, 930 sqq., ubi cum Nereidibus navem Argo inter erraticas rupes salvam deducunt, sqq." *Heyn*. Cf. etiam Val. Fl. I, 657. 658. *Iam placidis ratis* *ıquis, quam gurgite ab imo Et Tethys et magnis Nereus socer erigit* - *Cymothoe*, una ex Nerei et Doridis filiabus, cuius nomen Serv. ῦ ϑέειν τὸ κῦμα deducit. Cf. Hesiod. Theg. 245. Apollod. I, 2, 7. X, 137. Nihil autem in eo quaerendum, quod haec potissimum Nereis noratur. Erat omnino dea aliqua marina nominanda, eodemque iure ıaevis alia poterat memorari. — *simul et*. Cf. V, 298. VIII, 182. 6. Sic *simul-que* VII, 240. IX, 358. XI, 294. 834. *simul - simul* I, *a-et* XI, 863. etc. — *Triton*, Neptuni et Amphitrites filius, notisleus marinus, a quo singulare genus horum deorum Tritones appel-Cf. Hesiod. Th. 930. Apollod. I, 4, 5. Apollon. 1597 sqq. Solet ıue Neptuno ad manus esse eiusque mandata exsequi. Cf. infra X, vid. Met. I, 330 sqq. alii. — *adnixus*, scil. navibus, ad utrumque Cymothoen et Tritonem, referendum esse patet. Quare Wagn. re-) sustulit Commata, quae erant post *Cymothoe* et *adnixus*, ut *simul* ıd praegressum nomen referatur. Sic infra V, 298. VII, 340. VIII, ., 358. XI, 834. XII, 294 sq. Liv. VI, 40. *Ex quo adsciti sumus in civitatem et patres* etc. — *Detrudunt naves* (scil. illas tres, otus in saxa latentia torserat v. 108.) *scopulo* (i. e. ipsis illis saxis ıus). Porro *ipse* Neptunus *levat* naves, scil. scopulo; quare minus ost *scopulo* plene interpungitur. Simile officium Aeneae praestat ›ce Aen. X, 246. -- 146. „*Aperit syrtes*, via ex arenosis vadis ıt naves exire possent, ut saepe poëtae de aditu facto." *Heyn*. Cf. alios Val. Fl. I, 7, Henry (*Class. Mus.* XIX. *Tw. years* I. p. 53. ›l. XI, p. 496.) hunc potius sensum inesse putat: mari aequato loca ›er tempestatem vadosa fluctibus rursus tegit, ut apertum per ea :eat, s. navigabiles facit syrtes, coll. Plin. H. N. II, 46, 45. [sic enim II. 46. legendum est] *aperto mari navigare*, Aen. I, 393. *aperto* Ien. X, 13. *Alpes inmittet apertas* et descriptione Syrtium ap. Sall. . Sed vide, quae Conington contra eum disputat. — *temperat ae*-fluctus placat. Cf. Rutil. Itin. I, 155. *Temperet aequoream dux a viam*. Ceterum Ravio in Sched. p. 28. vss. 144—146. levibus de ıuspecti sunt. — 147. „Talis Neptunus quadrigis vectus in variis conspicitur. Dactyl. Lippert. Mill. I, 1. n. 121. Saxius ad Vergil. V. p. 37. Cf. Aen. V, 817 sqq. [*Caeruleo per summa levis volat ae-urru* et Hom. Il. XIII, 29. a Coningt. comparatus.] Pulchre autem celeritatem exprimunt, etiam verba *labi per undas*. VIII, 91. *La-ıcta vadis abies*." *Heyn*. *Labi* enim plerumque de celeritate quadam dicitur, velut Hor. Od. II, 14, 2. *fugaces labuntur anni*. Ovid. A. 65. *cito pede labitur aetas*. Hor. Ep. I, 2, 43. (amnis) *Labitur et in omne volubilis aevum etc.* — *levibus rotis*, celeri curru. Vid. ad Geo. III, 170. et cf. infra v. 156. — 148—153. „In prosa: *e in magno populo, cum coorta est seditio, silent*. Comparatio *is cum mari satis frequens* est et ab Homero Il. II, 144—146

Seditio saevitque animis ignobile volgus,
Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat:

---

ducta; at h. l. tumultus maris cum seditione fit comparatio." *Heyn.* Cf. etiam Cic. pro Mil. 2. *ceteras tempestates et procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum* et similes locos. Comma vulgo post *Ac* positum cum Wunderl. sustulimus; cohaerent enim *Ac veluti*, quemadmodum II, 626. IV, 402. (ubi vid. adnott.) 441. VI, 707. XI, 908. et saepius. Nempe Particula *Ac* comparationibus cum aliqua vi praemissa, ut lectorem attentum reddat ad ea, quae sequuntur, semper ad praegressa spectat, quae gravi aliqua comparatione illustranda sunt, non ad ipsam, quae subiicitur, comparationem; quare nec opus est, ut ubique apodosis a Partt. *sic, ita* incipiens sequatur, qualis hic v. 154. subiicitur. Cf. adnott. ad II, 626. — *veluti* autem, cui respondet *sic* v. 154., cum Part. *cum* coniungendum (ut IX, 792. *ceu cum*), respondet Homerico *ὡς ὅτε* et est i. q. ut fieri solet, cum etc. In collocatione verborum seqq. fluctuat librorum scriptura, aliis *magno in populo,* aliis *in magno populo* exhibentibus; sed illum verborum positum, utpote ad sonum suaviorem, ne duae vicinae arses syllabas habeant pariter cadentes, iure praetulit Wagn. Qu. Virg. XIV, 2. coll. infra II, 365. 718. III, 211. V, 270. 449. VI, 451. VII, 4. 54. 379. 601. XI, 456. — *Magnum* autem *populum* esse frequentem, magno numero constantem, quisque videt. Cf. e. g. Hor. Sat. I, 6, 79. *In magno ut populo* etc. Lucr. III, 1040. (reges) *magnis qui gentibus imperitarunt.* Cf. etiam illi loci, ubi de *magnis legionibus* (Hor. Sat. I, 6, 4. Sall. Cat. 53, 3.), *magnis copiis* (Cic. ad Div. XII, 5. Sall. Iug. 13, 2.), adeoque ubi de *magna pecunia* (Ter. Ad. III, 3, 87. Cic. Rosc. Am. 7, 20. Nep. Cim. I. etc.) sermo est, et Santen. ad Balbum p. 1829. Huschk. ad Tibull. I, 1, 2. Orell. et Kritz. ad Hor. et Sall. ll. ll.; de *pecunia* autem Bremi ad Nep. Phoc. 1, 3. Beneck. ad Iustin. VIII, 3, 8. et mea in *Aufg. z. Bild. d. lat. Stils* XVII, 70. p. 53. ed. VI. Ceterum Wagn. bene adnotat, non otiosum esse epitheton *magno*, sed ideo adiectum, ut unius huius viri auctoritas ac virtus magis exsplendescat. Videtur autem poëtae Romanus populus ob oculos versari; unde magis etiam hoc epitheton illustratur. — *cum saepe.* Ut apud Graecos *πολλάκις* haud raro post *εἰ, ἐάν, μή, ἵνα, ἵνα μή* ponitur (cf. Abresch. Diluc. Thucyd. p. 174. Heindorf. ad Plat. Phaed. §. 11. et Stallb. ad Plat. Diall. sell. I, 2. p. 33.), ita apud Latinos interdum *cum saepe* et *ubi saepe* coniunguntur, si agitur de re, quae, ut nunc fieri cogitatur, ita saepius fieri solet (*velut cum — id quod saepe fit — seditio coorta est*), ut igitur *cum saepe, ubi saepe* idem fere sit, quod *cum forte.* Cf. v. c. Geo. II, 279. Aen. VIII, 353. X, 723. Lucr. IV, 1199. *In triviis cum saepe canes, discedere aventes* etc. Similiter Aen. X, 723. *ceu saepe.* Cf. Thiel. ad h. l. et Voigt in *Zeitsch. f. d. Alt.-Wiss.* XII. (1854.) p. 74. Omnino tota loci conformatio recedit a pedestri oratione, quae sic se haberet: veluti si forte, cum magno in pop. seditio coorta est, virum - - conspexere, silent etc. — Pro *coorta est* Haupt. more suo *coortast*, Ribbeck. autem cum Med. a m. sec., (Gud., qui *choorta* praebet) et Isidori (Orig. I, 36, 35.) Gud. 4. *cohorta est.* Cf. eius Proleg. p. 423. et Wagn. Orth. Verg. p. 440. — **149.** *saevire animis* Heynio est i. q. saevire ira; rectius autem cum Wunderl. eadem ratione dictum accipies, qua alibi *stupere animo, pendere animo* et similia. Cf. adnott. ad Geo. IV, 491. et Aen. IX, 123. Ceterum *animis* Plurali numero dicitur, quia *populus* et *vulgus* sunt collectiva; quare etiam v. 152. *Conspexere, silent.* — *ignobile volgus,* i. e. nequam, rudis et dissolutus. Sic apud Livium X, 20, 8. *ignobile agmen* usurpatum videmus. De forma *volgus* cf. Wagn. Orth. Verg. p. 445 sq. Ribbeck. Proleg. p. 439. et adnott. ad Ecl. I, 63. — **150.** *Iamque faces* (torres, titiones) *volant,* ad incendia excitanda. Cf. Aen. XII, 656. *Iamque faces ad tecta volant.* Cic. har. resp. 18, 39. *ardentes faces in tecta iactare.* Cic. Cat. I, 13, 32. *Desinant malleolos et faces ad inflammandam urbem comparare.* id. ad Att. IV, 3, 3. *ut alios cum accensis facibus adduxerit.* Tac. *Hist. IV, 60. faces iniicere castris.* id. Ann. XIV, 45. *conglobata multitudine, saxa et faces minitante.* Stat. Theb. VI, 536. *rotantur saxa, faces* cett. (Cf.

Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent arrectisque auribus adstant;
Ille regit dictis animos et pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
Prospiciens genitor caeloque invectus aperto
Flectit equos curruque volans dat lora secundo.

---

etiam adnott. ad X, 131. Cortius ad Lucan. VII, 512. et Unger de Valg. Rufo p. 124., qui adnotat hunc locum usurpari a Gunthero Ligur. X, 154. p. 191. *Tela, faces et saxa volant.* Supervacanea igitur Freinshemii coni. *Iamque sudes* etc. Ceterum cf. Ovid. Met. XII, 244. *pocula missa volant.* Val. Fl. I, 142. *Crateres mensaeque volant* et similes loci. — *ministrat*, porrigit, praebet. Vid. infra v. 213. Geo. II, 431. Cic. Pic. 11, 26. *ardentes faces furiis Clodianis ministrare.* Tac. Hist. IV, 12. *viros et arma ministrare* etc. Omnino cf. similis locus Aen. VII, 506 sqq. — 151. „*Gravem*, venerabilem [cf. Cic. de or. II, 37, 154. Brut. 17, 65. pr. Mur. 17, 36. etc.], *pietate ac meritis*, religione erga deos et sanctitate, beneficiisque in patriam ac cives collatis. Utrumque hominibus auctoritatem conciliat." *Heyn.* Magis tamen hoc alterum respicitur. Quare Henry in Philol. XI. p. 497. *pietatem* interpretatur *Herzensgüte* et *pietate ac meritis* pro piis meritis positum censet. — *arrectis auribus.* Cf. infra II, 303. Anth. Lat. I, 170, 114. *arrectis auribus adstant Orantes veniam.* Plaut. Rud. V, 2, 6. *suo mihi hic sermone arrexit aures.* Ter. Andr. V, 4, 30. *arrige aures*, ibique Westerh. *Arrigere* enim est advertere, attendere auscultare; quare etiam *arrectis animis* (Sall. Iug. 68, 4. 86, 1. cf. Aen. XII, 251.) et similia haud raro leguntur. Cf. Dietsch. ad Sall. Iug. 24, 1. *adstare* autem non i. q. simplex *stare*, sed certo quodam loco vel consilio stare, nostrum *dastehen.* Vid. Aen. II, 303. 328. III, 123. VII, 72. 181. IX, 677. XII, 93. Ennius ap. Cic. Tusc. I, 35, 85. Plaut. Asin. III, 3, 120. Cist. II, 3, 53. cett. et cf. Wunderl. et Dissen. ad Tibull. I, 10, 8. et Lachmann. ad Prop. IV, 11. p. 398. — 153. *Ille* ex omnibus Codd. et vett. editt., quibuscum conspirat Quinctil. Inst. XII, 1., restituit Wagn.; quod vulgo legitur *iste*, vitium est recentiorum editt. inde a Burmanno. Et *ille* quidem Pronomen prorsus suo loco est initio enuntiati, ubi oratio ita mutatur, ut, quod antea Obiectum fuerat, statim Subiectum fiat sententiae et magna cum vi commemoretur. Cf. Kritz. ad Sall. Cat. 45, 2. et Grysar. *Theor. d. lat. Stils* p. 85. — *regit animos* vehementer commotos. Cf. v. 149. — *pectora mulcet*, ut infra v. 197. Hor. Ep. II, 1, 211. Val. Fl. I, 299. et alibi. Ceterum quam vera sint, quae hic poëta dixerit, vix opus est ut exemplis comprobetur. Cf. tamen Lucan. I, 297. Cic. pr. Sext. 29, 62. Tibull. IV, 1, 45. Claudian. XVII, 248. et similes loci. — 154. *pelagi cecidit fragor. Cadere* i. q. minui, leniri, desinere. Cf. e. g. Ecl. IX, 58. *ventosi ceciderunt murmuris aurae.* Liv. XXVI, 39, 8. *venti vis cecidit.* id. XXXVI, 43, 11. *aquilones cecidere* multique similes loci. De *fragore* cf. adnott. ad Geo. I, 357. et Aen. VII, 677. — *aequora.* Heumann. Poecil. T. II. l. III. p. 369. coni. *aequore*, cum supra v. 126. legamus *alto prospiciens.* Sed cf. Geo. I, 393. et alii loci. — 155. *genitor*, i. e. deus, Neptunus. Cf. infra V, 817. *Iungit equos auro genitor*, Ovid. Met. XI, 202. *genitor profundi*, Stat. Achill. I, 61. *o magni genitor rectorque profundi*, omnino autem adnott. ad Geo. I, 163. et II, 4. — *postquam -- flectit.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 30. et infra ad Aen. III, 1. — „*Caelo aperto*, sereno, quod antea nubibus erat obductum" cf. v. 143. Videtur hunc locum respicere Stat. Theb. III, 316. *aperto Flagrantes immisit equos.* — *invectus* [„*von feierlicher Auffahrt:* cf. Aen. VIII, 714. et XII, 77." *Gossr.*] per mare. *Equos* Neptuni vid. Hom. Il. XIII, 23, 24. [cf. etiam Aen. V, 817.] Posteriores poëtae tribuunt Neptuno hippocampos, vid. Stat. Theb. II, 45—47.; ut Proteo Geo. IV, 389." *Heyn.* — V. 156. repetit poëta sententiam v. 147. et ad narrationem comparatione illa interruptam revertitur. Cf. Henry in Philol. XI. p. 495 sq. comparans similes locos Aen. I, 62. 63. coll. cum v. 54., IV, 573 sq. coll. cum v. 567—69., ibid. v. 528. coll. cum v. 522., VII, 192 sq. coll. cum v. 169., VIII, 729 sqq. coll. cum v. 619 sqq. et 625., XII, 860. coll.

Defessi Aeneadae, quae proxima litora, cursu
Contendunt petere et Libyae vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus: insula portum

---

cum v. 855., quibus in schedis mecum communicatis addit Aen. V, 575. coll. cum v. 555. et X, 270. cum v. 262. *Currus secundus* est qui facile et celeriter sequitur equos, vel potius (ut Henry *Tw. years* I. p. 58. explicat coll. Pind. Pyth. II, 21. ἅρματα πεισιχάλινα) qui facile obsequitur voluntati aurigae ideoque hic Neptuni, i. e. celer, velox, fere i. q. supra v. 147. *leves rotae;* quamquam, si Henrici explicationem amplectimur, non sola inest velocitatis notio, ut cum Heynio etiam Wagnero videtur, qui adnotat, a vento secundo, quo celeriter navigemus, huic Adiectivo omnino adhaerere potuisse celeritatis notionem. Conington apte confert Aen. VI, 146. *namque ipse volens facilisque sequetur. Currus* autem *secundus*, cui oppositus est *currus, qui non audit habenas* Geo. I, 514., non magis potest offendere, quam *vela secunda* ap. Ovid. A. A. II, 64. et Fast. III, 790. et similia. (Quae prius contra Iahnium disputavi unius Cod. Rom. lectionem *fluctuque* temere praeferentem, nunc omitto, cum ille in edit. altera sententiam suam iure mutaverit.) Henry in Philol. XI. p. 497. *currum* interpretatur „*der Wagen u. die Pferde* (*das Gespann*)“ coll. Geo. I. 514. III, 91. Aen. VII, 163. Sil. Ital. IV, 480. etc. Ceterum Heyn., Wagn., Thiel., Coningt., Nauck. p. 10., alii *curru* pro tertio Casu habeat (de qua forma vid. adnott. ad Ecl. V, 29.) et cum verbis *dat lora* coniungunt; Iahn. vero, cui ego adsentior, propter collocationem verborum iungit *curru secundo volans*, ad verba *dat lora* ex antecedentibus intelligens Dativum *equis*, quibus profecto aptius dantur lora, quam currui, quamquam me non fugit, etiam Aen. VI, 1. legi *classique immittit habenas*. Eadem ratione etiam Gossr., Ladew., Haeckerm. Expl. p. 8. et Kappes l. l. p. 23. locum intelligunt. *Curru volare* legitur etiam Aen. V, 819. XII, 478. et Silii II, 263. et *lora dare* eadem ratione dictum, qua I, 35. II, 136. et alibi *vela dare* (scil. navi.) Cf. etiam Geo. II, 41. *pelagoque volans da vela patenti*. Addo, hunc locum ornatissimum ante oculos fuisse Silio VII, 254—259. et Statio Theb. V, 504—709. — **157**. Deferuntur Troiani ad litus Libyae haud longe a Carthagine. — *Defessi*, tempestate prorsus fessi; nam Part. *de* Adiectivis et Verbis praefixa auget notionem verborum simplicium. Vid. Ruhnk. ad Ter. Eun. II, 3, 31. Bremi ad Nep. Milt. 22. Bach. ad Ovid. Met. XI, 331. Obbar. ad Hor. Ep. I, 1, 44. Vol. I. p. 63. alii. — *Aeneadae*, Troiani, Aeneae socii et comites, ut saepe apud Vergilium. Cf. I, 569. III, 18. V, 108. VII, 284. 334. 616. VIII, 180. 341. 648. IX, 235. 468. 735. 180. X, 120. 235. 468. etc. Sic omnes Romanos *Aeneadas* vocari, vel ex Lucretiani carminis principio satis notum: *Aeneadum genetrix, hominum divumque voluptas, Alma Venus*. Cf. Aen. VIII, 648. Ovid. Met. XV, 682. 695. Fast. IV, 161. Trist. II, 261. — *quae proxima litora*. Vid. supra ad v. 72. — **158**. Verba *Contendunt petere* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 21. — **159—169**. Iahn. de hac portus descriptione ad similitudinem verborum Hom. Od. XIII, 96 sqq. (et Od. V, 411 sqq.) facta (cf. Macrob. Sat. V, 3.), quam imitatur Claudianus carm. LXXXVI., conferri iubet Schreiberi Ithaca p. 37. et 51. Haeckerm. autem p. 8. comparat similes portus descriptiones ap. Hom. Od. IX, 116. Caes. B. G. III, 112. Liv. XXVI, 43. Lucan. II, 613 sqq. Silium XV, 220 sqq. et Solin. c. 9. Cf. etiam Henry *Tw. years* I. p. 61 sq. Iam Servius adnotat, lectores hic habere fictum poëtica licentia locum, quem nusquam in Africa esse constet; nihilominus Shaw (*Travels* p. 200.) inter promontoria Mercurii (*Cap Bon*) et Apollinis (*Cap Zibel*) ea fere regione, ubi Aquilaria urbs Caesari B. Civ. II, 21, 23. commemorata quaerenda sit, locum, qualem hic poëta describit, sibi visus est invenisse. — **159**. *in secessu longo*, ut Aen. III, 229. Henry *Tw. years* I. p. 60. et Philol. XI. p. 498. comparat Ovid. Trist. I, 1, 41. et Plin. Epist. II, 13. et III, 15., in quibus locis omnibus *secessus* sit locus ab hominum commercio remotus. Quod imitationi horum versuum apud Claud. l. l. incriptus est titulus *Est in conspectu longe locus*, Peerlk. Claudianum haec vere

it obiectu laterum, quibus omnis ab alto
gitur inque sinus scindit sese unda reductos.

Vergilium legisse arbitratur cupiens, ut Codd. huic lectioni faveant. ide quae Siebelis p. 12. verissime contra eum disputat et cf. infra 29 sq. „Tractum litoris remotum et infrequentem designat poëta, adverso insula est praetexta, quippe quae continenti est obiecta. [quod enim attinet ad asyndeton cf. loci prorsus simillimi supra v. nfra v. 530. etc.] *efficit portum obiectu laterum* suorum, reddit navium stationem in illo loco, quoniam insula ei obiecta et ventorum vim excipit.“ Sic *Heynius* verissime. Insula, ante tum parvi sinus e transverso sita, (*laterum obiectu*) efficit portum, i. it, ut sinus portus instar sit navibus. Hinc apparet, Wagn. temere e in verbis *insula efficit portum*, ut adeo *insulam* pro peninsula m accipiat. Vergilius de vera insula cogitavit, neque aliter veipsi eum intellexerunt. Cf. Solin. Polyh. c. 9. *Euboea insula um obiectu efficit Aulidis portum*. Adde Caes. B. C. III, 112. *insula obiecta Alexandriae portum efficit*, Sidon. Apoll. V, 395. *nque reducto Efficiunt flexu fluvii*, et, qui multum facit ad hunc illustrandum, Lucan. II, 610 sqq. *Nec tamen hoc arctis immissum hus aequor* (in sinum scil. terrae lingula effectum) *Portus erat, si iolentos insula Coros Exciperet saxis lassasque refunderet undas.* m portus faciem apud Carthaginem novam describit etiam Livius , 42, 8., ubi *parva insula obiecta ab alto portum ab omnibus ventis facit*. De ipsa dicendi ratione cf. Tac. Hist. III, 9. *cum terga itus*) *flumine, latera obiectu paludis tegerentur*, Plin. H. N. II, 10, a *terrae obiectu occultatur;* et omnino de usu eiusmodi Substanti- verbalium in *us* desinentium pro Particip. Perf. Pass. positorum nz in Iahnii Annall. T. I. P. II. p. 295. Kritz. ad Sall. Cat. 42, 3. ad Reisig. p. 702. et Gossr. ad Aen. I, 677. — **160**. *quibus*, ad latera. — *omnis ab alto unda*, scil. veniens, allabens. Doctiss. ert. Adnott. in Aen. libros II. priores (Luccav. 1834.) p. 5. de hac Participii conferri iubet locos a Wexio prolatos ad Liv. II, 18. (in latt. Livv. promulside, Ascaniae ed. 1832.): Phaedr. IV, 24, 24. . Mel. III, 6, 1. III, 9, 3. Cic. Phil. II, 28, 69. Ovid. Met. I, 20. Cat. 3. et infra v. 198. 380. 550. V, 45., qui tamen non omnes eodem ac referuntur. Cf. potius quae ad Ecl. I, 8. Geo. II, 243. et III, 33. vimus. — **161**. Verba *in sinus scindit sese unda reductos* Ienrico (*Class. Mus.* XIX.) sic possunt explicari: fluctus se scindunt sulae obiectae litora et fracti eamque utraque parte circumfluentes tos *sinus* efficiunt, ut *reductus* sit i. q. profundus (quemadmodum VI, 743. *reducta vallis* et similia), *sinus* autem commemorentur, fluctus in cornuum formam promoti semper sinum quendam efficiunt en. XI, 626. pontus *extremam sinu perfundit arenam*); sed mihi are videtur altera explicatio: fluctus litoribus insulae allisi sinuoso et magis magisque dilatatis orbibus recedunt; qua ratione undas longo tractu retrorsum agi sensimque dissolvi constat; hanc enim maxime iuvat locus Geo. IV, 420., ubi prorsus eadem verba leguntur, o de specu sermo est, in quem fluctus influunt, non de insula, quam it circumfluere. Cf. etiam Geo. III, 237. *Fluctus - - longius ex e sinum trahit* et quae Kappes l. l. p. 24 sqq. mecum consentiens novam Henrici explicationem in Philol. XI. p. 499. [et *Tw. years* 62 sqq.] prolatam disputat, quam tamen Henr. ipse nunc retractat, libri exemplo mihi donato video, quare a me omittitur; quamquam nma re cum ea consentiunt Nauck. p. 10., qui *sinus reductos* de is partibus longi secessus post insulam intelligit, coll. Aen. VI, 703. *le reducta*, et Haeckerm. Expl. p. 8. et *Zeitschr.* etc. XIX. p. 46. locum erpretatus: „Franguuntur maris fluctus ad obiectae insulae litora fracti- indunt sese et influunt utrobique in sinus reductos [inter singula insulae ntoria?]“, qui quo iure contendat, loco Geo. laud. suam potius, quam no- , explicationem iuvari, alii iudicent. Heyn. haec addit: „Insula non est ap. r. *in loco, quem hic expressit, Od.* XIII, 97 sq. Δύο δὲ προβλῆτες

Hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur
In caelum scopuli, quorum sub vertice late
Aequora tuta silent; tum silvis scaena coruscis

ἐν αὐτῷ Ἀκταὶ ἀποῤῥῶγες, λιμένος ποτιπεπτηυῖαι. Αἵ τ' ἀνέμων σκεπόωσι δυςαήων μέγα κῦμα Ἔκτοθεν: sed est alius locus, quem Maro ante oculos habuit, in descriptione terrae Cyclopum Odyss. IX, 116. Ex eodem loco cervi inf. v. 184. poëtae in mentem venere. — **162. 163.** Nunc de *secessu*, seu continentis ipsius litore agit. *Hinc atque hinc.* Ab utroque litoris huius introrsum reducti cornu seu latere duo scopuli eminent silvis obsiti.“ *Heyn. Hinc atque hinc* redit infra v. 500. IV, 447. VII, 387. IX, 380. 550. et saepius; quod poëticum dicendi genus etiam scriptores prosaici a Livii tempore imitati sunt. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXXV, 24. et Hand. Tursell. III. p. 87. coll. cum adnott. ad Geo. IV, 86. — Nauck. l. l. ad *vastae rupes* intelligit *sunt*, quemadmodum etiam v. 164. *est* ad *scaena desuper*, ut gemini scopuli in caelum minantes (*δύω σκόπελοι* Hom. Od. XII, 73.) a reliquo litore saxoso (*προβλῆτες ἀκταὶ ἀποῤῥῶγες* Hom. Od. XIII, 97.) et *atrum nemus* a *silvis coruscis* magis distinguantur. -- *gemini minantur In caelum scopuli*, tam alti sunt, ut videantur in caelum tendere. Cf. Hom. Od. XII, 73. *Οἱ δὲ δύω σκόπελοι· ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει ὀξείῃ κορυφῇ. Minari* autem dici res excelsas et eminentes, satis notum. Cf. Silius IV, 2. *saxa minantia caelo.* Stat. Theb. VI, 774. *minantes scopuli.* Claud. I, 228. *minantes turrigerae ripae.* Sic etiam Aen. IV, 88. *minae murorum ingentes.* Id quidem Henrico (*Tw. years* I. p. 67.) concedo, *in caelum minari* non eo sensu pro *caelo minari* esse positum, quo ap. Prop. III, 9, [IV, 8,] 47. *caeloque minantem Coeum*, non tamen ei adsentior in explicandis locis Aen. II, 628. et VIII, 668., ubi vid. adnott. — *gemini*, duo, ut infra II, 203. 415. 500. III, 535. IV, 894. VI, 894. IX, 265. Ter. Andr. IV, 1, 51. Ovid. Epist. XII, 104. Lucan. III, 456. Claud. III. Cons. Hon. 153. *gemini fratres* (qui non eodem partu sunt editi); quamquam non facile dicitur, nisi de duabus rebus aliqua certe ratione inter se coniunctis. — **164.** *quorum sub vertice - - tuta silent*, a ventorum vi defensa, ut naves in iis tutae sint. Cf. Val. Fl. III, 732. *Flamina conticuere; iacet sine fluctibus aequor*. Simillimus etiam est Ovidii locus Met. IV, 525. *Imminet aequoribus scopulus. Pars ima cavatur Fluctibus, et tectas defendit ab imbribus undas*, cui adde Claud. B. Gild. 523. *Efficitur portus - - tutaque ventis Omnibus ingenti mansuescunt stagna recessu* (ab Henr. laud.) „Superior litoris ora silvis obsita est. Hoc nemus in litore Vergilius ex una olea ap. Homer. Od. XIII, 102. propagavit, tamquam ex surculo.“ *Heyn.* — *Scaenam* (vid. adnott. ad Geo. II, 381. et III, 24.), Graec. *σκηνήν*, quae, *ἀπὸ τῆς σκιᾶς* dicta, proprie umbraculum, cameram ex arborum ramis ac frondibus sive natura sive hominum manibus contextam significat (cf. Serv. ad h. l., et Placidi Gloss. p. 501. a Wagn. laud. „Item *scena* dicitur arborum in se incumbentium quasi concameratio densatio“) atque inde demum ad theatrum relata est, quia antiquissimis temporibus ludi sub eiusmodi simplicibus umbraculis edebantur (cf. Ovid A. A. I, 106. *Illic, quas tulerant nemorosa Palatia, frondes Simpliciter positae scena sine arte fuit*), hic de nemore esse intelligendam, et epexegesis statim adiecta et infra v. 310 sq., ubi idem locus iterum describitur docent. Henry (*Tw. years* I. p. 69 sqq.) longa de h. l. disputatione non sine veritatis specie docere studet, Vergilium cogitasse de postico scenae in theatro picta silva ornato. Isidorus, hunc ipsum fortasse locum respiciens, *scenam* interpretatur *arborum densitatem;* vid. Gronov. ad Stat. S. p. 258. Praeterea cf. Kappesii l. l. p. 27 sqq. de hoc loci disputatio. Ceterum *silva* et *nemus* (i. e. pars silvae amoenior cum pascuis, *νομή*: cf. Doederlein. Syn. II. p. 92., qui tamen neglexit Servii verba infra v. 310. adscripta: *Lucus arborum multitudo cum religione, nemus composita multitudo arborum, silva diffusa et inculta*) haud raro sic coniunguntur. Vid. Ovid. Met. I, 568. id. A. A. III, 689 Hor. Od. I, 21, 5 sqq. Cic. Div. I, 50. Vitruv. II, 1. etc. — *silvis coruscis*, tremula luce per intervalla micantibus, dum aura moventur. Vid

Desuper horrentique atrum nemus imminet umbra;
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum,
Intus aquae dulces vivoque sedilia saxo,
Nympharum domus. Hic fessas non vincula navis
Ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.

---

infra XII, 701 sq. coll. cum Aen. II, 470. XII, 88. Ovid. Met. IV, 493. Wakef. ad Lucr. V, 597. et adnot. mea ad Geo. IV, 73. Ceterum idem locus infra iterum describitur v. 310. 311. — **165**. *Desuper imminet*. Cf. infra v. 419. II, 46. VI, 677. etc. — *atrum nemus* foliorum densitate, per quam solis lux penetrare nequit, obscurum. — *horrenti umbra*, hac ipsa de causa horrorem movente; ut etiam infra v. 311. et Geo. IV, 468. *caligantem nigra formidine lucum*. Cf. etiam Prooem. Aen. v. 4. ibique adnott. Aliter Wagn. in edit. min., qui coll. Aen. III, 23. *densis hastilibus horrida myrtus*, de umbra arborum ramorum densitate horrentium sive horridarum cogitat, eademque est Nauckii p. 10. sententia, qui praeterea *silvas coruscas* de arboribus frondentibus, (*nemore frondeo* v. 191.), *nemus* autem *atrum* de pineto intelligit. — **166**—**168**. Hoc antrum et ipsum ex Homeri l. l. v. 103—112. petitum, quocum etiam cf. Od. XII, 317 sqq. — *frons adversa* de interiore sinus recessu est accipiendum, qui adversus est sinum intrantibus ideoque etiam insulae obiectae. *Frons* hic est praerupta et ardua pars petrae (*Felswand*), quam etiam nostri poëtae appellant *des Berges Felsenstirn*, quamquam Henrico (*Tw. years* I. p. 73.) libenter largior, *frontem* de locorum situ usurpatum per se hoc non significare, sed omnino esse partem anticam, materiae ratione non habita. — *scopulis pendentibus antrum*. Cf. Geo. IV, 418. *specus ingens Exesi latere in montis*. — *scopulos pendentes*, i. e. cavatos et superimpendentes, ex hoc versu sumpsit Stat. Silv. II, 2, 16. *Placido - - recessu Hinc atque hinc curvas perrumpunt aequora rupes - - Litus et in terras, scopulis pendentibus, exit*. Omnis locus ad Vergilii exemplum formatus. Vergilio autem praeiverunt Lucr. VI, 195. *speluncasque velut saxis pendentibus structas* et vetus poëta (Ennius?) apud Cic. Tusc. I, 16, 37. *Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus*. Cf. etiam *pendula rupes* ap. Claud. in Ruf. II, 507. et loci ab Henr. (*Tw. years* I. p. 74.) laudati: Ovid. Met. XIII, 810. Am. III, 1, 3. Heroid. XV, 141. et Eleg. ad Liv. 252. — **167**. *aquae dulces*. Cf. Geo. II, 243. *sedilia*, Homeri Od. XII, 318. *θόωκοι Νυμφέων*. *vivo saxo*, Ablat. materiae, ut infra v. 655. II, 765. III, 286. V, 609. 663. VII, 634. X, 784. Geo. I, 262. etc. Cf. Burm. ad Silium XIV, 543. interpp. ad Petron. c. 105. Ilgen. ad Cop. v. 30. alii. *Vivum* interdum opponitur ei, quod arte est factum, ut idem sit, quod nativum, non factitium. Cf. infra III, 688. *vivo saxo*. Ovid. Her. VI, 88. *viva saxa*. Met. III, 159. et Fast. II, 315. *pumice vivo*. Geo. II, 469. *vivi lacus*. Am. III, 6, 59. *vivum ferrum*. Plin. H. N. XXXV, 15, 50. *vivum sulphur* etc. Verba *vivo sedilia saxo* repetit Ovid. Met. V, 317, imprimis autem cf. Mar. Vict. in Wernsd. Poët. L. min. III, 104, 6. *in antro Herbida cespitibus sunt structa sedilia vivis*. — **168**. *Nympharum domus*. Omnia enim eiusmodi antra ad mare sita, imprimis abdita et solitaria, in quibus lavari possent nemini observatae, Nympharum domicilia habebantur. Praeter Homeri l. l. cf. Quint. Smyrn. VI, 470 sqq. ab Heynio commemoratus. — **168**. **169**. Hic non opus est vinculis aut ancoris. *Hic*, in secessu, in sinu pone insulam. Hom. Od. XIII, 100 sq. *Ἔντοσθεν δέ τ' ἄνευ δεσμοῖο μένουσιν Νῆες ἐΰσσελμοι, ὅτ' ἂν ὅρμου μέτρον ἵκωνται*. Cf. etiam Od. IX, 136. *Ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος, ἵν' οὐ χρεὼ πείσματός ἐστιν, οὔτ' εὐνὰς βαλέειν, οὔτε πρυμνήσι' ἀνάψαι* etc. — *fessae naves* redeunt V, 29. Sic apud Ovid. Met. VI, 519. et Tibull. II, 5, 46. *fessae puppes*, apud Ovid. Met. XI, 393. et A. A. III, 748. *fessae carinae*, apud Prop. IV, (III,) 21, 19. *fessa vela* commemorantur. Cf. etiam adnott. ad Geo. III, 529. — *vincula* sunt funes, rudentes, quibus in litore alligantur naves. — *unco non alligat ancora morsu* pro: morsu uncae ancorae, i. e. ancora, quae fundum quasi morsu appetit. Vid. supra ad v. 4. Cf. etiam

Huc septem Aeneas collectis navibus omni
Ex numero subit; ac magno telluris amore
Egressi optata potiuntur Troes harena
Et sale tabentis artus in litore ponunt.
Ac primum silici scintillam excudit Achates
Succepitque ignem foliis atque arida circum
Nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam.

---

infra XII, 274. Sil. VII, 624. *qua fibula morsu Loricae crebo resolverat ictu*, Calpurn. Ecl. VII, 8. *adunco fibula morsu* et Ov VIII, 318. *Rasilis huic summam mordebat fibula vestem.* Similil Hor. Od. IV, 6, 9. *securis mordax*, i. e. incidens, commemoratur. *pro unco* coni. *ullo*, quod, nisi mera coniectura esset, Iahnio An p. 34. non displiceret. Ceterum Vergilius hic et infra VI, 3. ferreas ex suo tempore infert; cum antiqui Homeri temporibus l perforatis (εὐναῖς: Hom. Il. I, 436. XIV, 137. XV, 498.) pro anc rentur. Ribbeck. cum Med., Gud., Bern. III. et Servio scripsit *anch* eius Proleg. p. 423. et Wagn. Orth. Verg. p. 416. — **170—173** hunc in portum. Vid. v. 159. „*Septem navibus*, una qua vehebatur, tribus e scopulis a Tritone, tribusque aliis e syrtibus s arenosis a Neptuno expeditis. Ceteras praeter unam servatas mox vid fuit enim tota classis XX navium.“ *Heyn.* Vid. infra v. 381. *Bis denis P conscendi navibus aequor.* — **171. 172.** Cf. Odyss. V, 462. ὁ δ' ἐκ π λιασθεὶς Σχοίνῳ ὑπεκλίνθη, κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν. — *haren* ut Aen. V, 34. VI, 316. *Potiri harena* eodem sensu legitur ap. Ov XII, 38. XIII, 729. et alibi, ut *potiri litore* v. c. ibid. XI, 55.; autem post tanta maris pericula quaevis est terra. — *telluris* πόθος, soli attingendi cupiditas. Sic etiam apud Graecos ἔρως ha usurpatur. Vid. Brunck. ad Soph. Oed. R. 651. et Thiel. ad h Ecl. IX, 56. Aen. II, 10. VI, 193. ibique adnott. — „*tabentes artu* unda marina respersos, madidos, simpliciter. Poëtae enim *tabem* ponunt de humore corrupto, mox de quocunque, imprimis sordid Od. V, 455. θάλασσα δὲ κήκιε πολλὴ Ἂν στόμα τε ῥῖνάς τε. Cf. 135. et Aen. VI, 6 sqq. Imitatur hunc locum Val. Fl. II, 448.“ *H* **174.** Cf. Geo. I, 135. *Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem* VI, 6. *quaerit pars semina, flammae Abstrusa in venis silicis.* *silici*, quae est Med., Rom., Gud. aliorumque bonorum librorun etiam ab Eutychio II, 4. et Arusiano p. 228. Lind. exhibita (cf.] Proleg. p. 208.), alii (duo Bern. et aliquot Servii et Prisc. p. 889. P praebent *silicis*, quod temere praefert Nauck. p. 11. contende Dativo potius Ablativum ponendum fuisse, ut Aen. IV, 579. *vagin ensem.* — *excudit.* Pauci quidam libri *excussit*, quod temere Wakef. ad Lucr. VI, 159. et 688. Formam Perfecti *cudi* probant] X, 4, 23. p. 889. P. Phocas p. 1715. aliique Grammatici. C Vossius Anal. III, 26. et qui hos laudat Ruddim. I. p. 231. not **175.** *Succepit ignem foliis.* Cf. Ambros. Hexaem. II, 3. *Ex lig se collisis ignis excussus excipiatur foliis. Succepit* autem cum ı simis editoribus (praeter Ladew.) scripsimus Med., Rom. et Servii ı supra ad v. 144. et ad Aen. VI, 249. auctorite. Cf. Wagn. Orth. ı 473. et Ribbeck. Proleg. p. 447. — *arida Nutrimenta dedit* fl arida ligna et folia, aridas stipulas, quibus flamma nutritur. C Met. VIII, 643. *ignes foliis nutrit.* Fortasse huius loci memor fui Cyn. 10. scribens *altaque circum Firmamenta dedit.* — **176.** „*Rap in fomite flammam*, raptim excepit lignis aridis pro fomite sı alibi *fomes rapit flammam*, quam raptim concipit.“ *Heyn.* Wagn. catur, significari eam ignis excitandi rationem, qua hodie pastores ı qui exceptam fungo scintillam in aridum stipulae manipulum eumque fomitem celeriter vibrent, donec per auram suscitata stipulas corripiat; ut igitur *Rapuit flammam in fomite* sit i. ı motu effecit, ut fomes, h. e. manipulus ille, ardere inciperet. Si locum sic capias: flammam (quae iam inerat) in fomite (s. aridi

Tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma
Expediunt fessi rerum frugesque receptas
Et torrere parant flammis et frangere saxo,
Aeneas scopulum interea conscendit et omnem
Prospectum late pelago petit, Anthea si quem

---

mentis), raptim suscitavit, nec rursus exstingui passus est; quam si sequimur intepretationem, nec abundare Praepositionem (quod visum est Wunderlichio, Iacobo ad Lucil. Aetn. v. 20. et Thielio, qui comparant Graec. ἐν Dativo instrumenti, quem vocant, pleonastice adiectum in formula ἐν ὄμμασι ὁρᾶν et similibus, coll. Soph. Phil. 102. Antig. 951. Viger. p. 610. et Bernhardy *Synt.* p. 213.), nec *in fomite* pro *in fomitem* positum esse, quod Ruddim. II. p. 327. censet, facile apparet. Explicat quodammodo hunc locum Lucani versus VIII, 776. *Excitat invalidas admoto fomite flammas.* Conington (qui nobiscum videtur consentire) confert Plin. XVI, 11. [immo 40, 77.] *teritur lignum ligno ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis fungi vel foliorum facillimo conceptu* et Val. Fl. II, 449. *citum strictis alius de cautibus ignem Ostendit foliis et sulfure pascit amico*, quibus adde Lucan. III, 683. *ac faciles praebere alimenta carinae Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.* Ex asse autem respondent huic loco versus Ovid. Met. VIII, 641 sqq. (*ignes Suscitat hesternos foliisque et cortice sicco Nutrit*) ab Henr. comparati recte de h. l. disputante in *Tw. years* I. p. 75 sq. Ceterum etiam hic pro *flammam* pauci Codd. praebent *flammas*, quod probat Wakef. l. l. — 177. *Ceres* pro frumento. Cf. adnott. ad Ecl. V, 69. Hunc versum sic imitatur poëta Anth. Lat. I, 171, 3. *Tum Cererem corruptam undis emittit ab alto.* — „*Cerealia arma*, instrumenta ad pinsendum frumentum et coquendum panem, puta esse illa ipsa saxa (v. 179.), porro mactram seu alveum, quo farina subigeretur. De fermento enim nondum cogitabant: sed farinam illam subactam, seu pultem, continuo quadrarum forma sub cinere coquebant. Aliter ἔντεα δαιτός Odyss. VII, 232.“ *Heyn.* Cf. adnott. ad Geo. I, 160. — **178.** *Expediunt.* Cf. infra v. 702. VI, 219. etc. — *fessi* (exhausti viribus) *rerum*, quas perpessi erant, calamitatum et casuum, quos subierant. Cf. infra v. 204. De graeca autem constructione *fessus rerum* cf. Burm. ad Ovid. Met. III, 292. et VIII, 384. id. ad Val. Fl. VI, 266. Oudend. ad Lucan. II, 213. Bentl. ad Hor. Od. II, 16, 26. et quos laudat Kritz. ad Sall. Cat. 7, 6. Vid. etiam quae ad Geo. IV, 310. et 491. adnotavimus. Sic ap. Stat. Theb. III, 395. *fessus bellique viaeque*, ap. Silium II, 234. *trepidi rerum fessique salutis*, Aen. XII, 589. *trepidae rerum* et ap. Hor. Od. II, 6, 7. *lassus maris et viarum* legimus. *Fessas res* autem invenimus Aen. III, 145. et XI, 335. — **178. 179.** Animadverte simplicem priscorum hominum rationem panis conficiendi. — *fruges*, h. e. grana frumenti, *receptas*, servatas, (ut quae iam maris esse videbantur. Cf. infra v. 583. et VI, 111.) — *torrent*, ut facilius comminui possint, et *frangunt saxo*, aut grana saxis contundunt, ut multi populi rudiores etiamnum faciunt, aut mola trusatili utuntur, quod propter Geo. I, 267., ubi eadem verba legimus, probabilius. Cf. etiam Val. Fl. II, 448. *pars frangit adorea saxo Farra.* (Nescio, cur Henry hanc explicationem in *Tw. years* I. p. 77. probatam nunc retractet.) — Peerlk., cum duo Codd. (Zulich. et Hamb. I.), praebeant *Extorrere* „hoc praeferret, nisi sit nimium.“ Sed recte Siebelis p. 13.: „At non solum nimium, sed contra usum loquendi, cum nemo Romanorum *fruges extorrere* dixerit. Meminisse debebat Geo. I, 267.“ — **180—184.** Cf. Hom. Od. X, 146 sq. *Aeneas interea* (dum ceteri his vilibus et a regia dignitate alienis negotiis occupati sunt, ut infra VI, 9.) *scopulum conscendit*, haud dubie unum ex geminis illis scopulis, qui supra v. 162. commemorati sunt. Non autem solus eum conscendit, sed Achate comite, ut ex v. 174. et 188. apparet. — „*Omnem prospectum late pelago petit*, in prosa: prospectum capit, prospectat, quantum licet, per omne pelagus. Cf. Od. X, 146 et 95 sq.“ *Heyn.* Cf. Catull LXIV, **241.** *At pater, ut summa prospectum ex arce petebat* et (quem praeterea

Iactatum vento videat Phrygiasque biremis
Aut Capyn aut celsis in puppibus arma Caici.
Navem in conspectu nullam, tris litore cervos

confert Coningt.) Pacuv. Chrys. fr. 9. (Ribbeck.) *incipio saxum temp scandere Verticem summusque in omnis partis prospectum aucupo* *Pelago* i. q. per pelagus, ut supra v. 126. *alto prospiciens*. *Pel* autem, poëtis satis frequentatum, semper altum mare indicat. — *si vi* non pro *ut videat* positum, quae Heynii est sententia. Nam an vis esset Anthea, incertum erat. Verba autem *explorandi*, *tentandi*, ut Graecos Part. *εἰ*, ita apud Romanos sequitur Part. *si* (nostrum *ob*). Virg. Ecl. VI, 57. Geo. III, 331. 332. Aen. I, 578. IV, 110. VI, 78. X, Heusing. ad Vechner. Hellenolex. p. 424. Ruhnk. ad Ovid. Her. V Obbar. ad Hor. Ep. I, 6, 41. Vol. I. p. 279. Schmid. ad Hor. Ep. I, 7, Ellendt. ad Cic. Brut. c. 49. 184. Gossr. ad Aen. I, 578. multique alii *Si quem Anthea*, ut apud Prop. V, (IV,) 11, 19. *Aut si quis p iudex sedet Aeacus urna*, i. e. si quis iudex sedet, qualem memo Aeacum. Verba ut recte intelligas, proprie ita collocanda esse cogita *quem* (sociorum amissorum) *videat*, (ut) *Anthea, aut Capyn, aut Caic* ut Nomina propria Pronomini appositionis loco sint addita, ducum a nomina pro navibus eorum posita. Paullo aliter Iahn., qui, coll. Met. XV, 497. *aliquem Hippolytum*, Val. Fl. V, 473. *aliquam Thessal* Virg. Aen. IV, 328. *si quis parvulus Aeneas* et II, 81. *aliquod n Palamedis* (qui tamen loci non omnes sunt eiusdem generis), interpret „si ullum Anthea (aliquem talem, qui pro Antheo habetur) an nu videat: *ob er etwas vom Antheus sähe oder nicht.*" Atque etiam La explicat: *„ob er nicht ein Schiff erblicken könnte, das ungefähr so sähe, wie das des Antheus,*" navem ex armis ducis in puppi susp agnosci potuisse memorans. (Cf. etiam Weickert. in Progr. supra lau 5. Bach *Geist der röm. Eleg.* p. 233. et Becker. Eleg. Rom. p. 3 Gossravio, nostram interpretationem ob addita verba *Phrygiasque bire* quae tum ordinem turbent, reiicienti, *quis* nihil aliud est, quam nost *ein* nominibus propriis haud raro adiectum (v. c. *da behauptet ein* etc.), neque aliter Nauck. p. 11., qui comparat nostrum: *„Da war Antheus zu sehen.*" Ceterum reiicienda est altera illa, quamquam Cha p. 194. et Servio ad Aen. X, 792. testibus antiqua lectio *si qua* (i. quo loco), quam tamen praetulit Günther. in Animadvv. in aliquos locos (Gotting. 1817.) p. 3. *Antheus* etiam infra v. 510. et XII, commemoratur. — 182. *biremes* poëta omnino pro navibus posuit; infra V, 119. eaedem naves *triremes* vocantur. Ceterum hunc anachronismum, cum Homeri aetas biremes et triremes nondum novi vere memorat Conington. — 183. *Capyn*. Vid. adnott. ad II, 35. — v. 183. *aut Caicum* debebat dicere vel Caici navem. Nunc ponit a *Caici in puppibus celsis;* quod de aplustribus fortasse intelligen Verum *arma in puppibus* poëtico ornatu omnino dictum puto pro a *navis* Caici; ut *arma navis*, seu armamenta, pro ipsa navi dicta ornate. Hoc verius. Nam arma in puppibus religata [cf. VIII, 92. e 80.] cum Servio intelligere vix possis, quippe quae haud facile e longi conspicua." *Heyn.* Equidem cum Wund., Wagn., Thielio et Coning adsentior Servio. Nam qui *armamenta* navis e longinquo videt, i *arma* religata videre potest; in quam rem Wund. praeter Aen. \ 92. apte confert Val. Fl. I, 404. *at prora splendet tua cuspis alta, Aeacide; tantum haec aliis excelsior hastis.* Ceterum cf. supr v. 119. adnotata. — 184. *in conspectu.* Cf. Aen. X, 260. — „*Cer* ex Homeri capreis fecit: vid. sup. ad v. 159. Nullos tamen cervo Africa inveniri, Herodotus, Aristoteles et Plinius post illos VIII, 51. affirmaverunt. Firmat tamen se ipsum Vergilius Aen. IV, 154. Lucan. IX, 921., ut Oppianum et Philostratum taceam. Fortasse ta cervi nomen latius ab iis usurpatum dicas. Sunt enim, quod hist naturalis auctores docent, varia cervorum et capreolorum genera Africam sparsa. Quicquid est, cervos proprie dictos nunc per

Prospicit errantis; hos tota armenta sequuntur
A tergo et longum per vallis pascitur agmen.
Constitit hic arcumque manu celerisque sagittas
Corripuit, fidus quae tela gerebat Achates,
Ductoresque ipsos primum capita alta ferentis
Cornibus arboreis sternit, tum volgus et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam;
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi et numerum cum navibus aequet.

Africae versus septemtrionem sitas errare, affirmat, ut alios taceam, *Shaw Travels* pag. 243. Cf. inf. V, 37.“ *Heyn.* Quod etiamsi non esset, nemo, qui est subacti iudicii, haereret in cervis et silvis (v. 191. 552. IV, 399.) Libyae commemoratis, poëtam, non historiae naturalis scriptorem se legere recordans. Quare non opus est, ut *Antilopen Damam* a Vergilio significari cum Thielio statuamus. — **185**. *errantes*, pascentes, ut Ecl. II, 21. — *tota armenta*, *ganze Rudel. Armenta* enim, quod proprie de boum gregibus dicitur, interdum etiam ad aliorum animalium turbas transfertur. Cf. Aen. III, 540., ubi equi, et Geo. IV, 395., ubi phocae et aliae bestiae marinae (*Neptuni*) *armenta* vocantur, ut ap. Plin. H. N. VII, 2, 2. extr. de *cynocephalorum armentis* sermo est. Cf. etiam adnott. ad Geo. III, 286. — *sequuntur*. Haupt. et Ribbeck. *secuntur*. Vid. Wagn. Orth. Verg. p. 450. et Ribbeck. Proleg. p. 392. — **186**. *Longum* Nauck. p. 12. non cum *agmen*, sed cum Verbo *pascitur* vult coniungi, ut significet *langhin*, et v. sequ. *hic* explicat per *tum*, de quo usu diximus infra ad v. 828. — **187**. Cf. Hom. Od. IX, 156. *hic*, in valle. — **188**. *arcum*, - - *sagittas* - - *quae tela* eadem fere ratione dictum, qua infra VII, 477. *locum*, *quo litore*, ap. Cic. Phil. I, 1, 1. *In aedem Telluris convocati sumus*, *in quo templo* - - *ieci fundamenta pacis* et similia. Peerlk., qui *tela* ad arcum referri posse temere negans quaerit: „An Aeneas gestabat arcum, Achates autem sagittas?“ verba *fidus quae tela gestabat Achates* non esse Vergilii suspicatur, atque etiam Ribbeck. uncis ea inclusit. (Cf. eius Proleg. p. 67.) Sed recte iam Sibelis p. 13. arcum cum sagittis apte *tela* dici posse contendit coll. Ovid. Met. V, 366. *cape tela*, *Cupido*, *Inque dei pectus celeres molire sagittas*, et cum Pyrrhi (Aen. II, 477.), Hectoris (VI, 166.), Anchisae (IX, 647.) Evandri (XI, 30.) et Remi (IX, 330.) armigeri commemorentur, non probabile esse Aeneam solum eo caruisse. Henry autem in Philol. XI. p. 502. conferri iubet locum Sidon. Apoll. I, 2., ubi Thalestris *arcum lateri innectere citram gravitatem regiam iudicat*, *quem tamen*, *si cominus avem ferumque venanti monstres* - - *manui post tergum reflexae puer inserit.* (Ceterum cf. etiam Iahn. Annal. l. l. p. 37.) — **189—193**. *Cornibus arboreis*, i. e. ingentibus, scil. tot ramis, quod arbor habet, instructis. Similiter Aen. XII, 888. hasta *telum arboreum* dicitur. Ceterum cf. Ecl. VII, 30. *ramosa cornua cervi*, ibique adnott. — *Capita alta cornibus*, pro vulgari: capita altis cornibus instructa. — *ferentes* elegantius, quam simplex *habentes*, cum sint altis cornibus ornata et cervi ipsi hoc ornatu superbiant. -- **190**. *volgus* bene de grege cervorum ductoribus opposito. Cf. Geo. III, 469. — **191**. „*Miscet agens turbam*, ornate pro agit, κλονεῖ, ut promiscua fuga se ipsi invicem trudant, cum antea *longo agmine* incederent.“ *Heyn.* — *agens telis*. Cf. Aen. IV, 71. Geo. III, 412. Silius X, 219. *Viriathus agens telis* - - - *obtruncat hostem* etc. — *nemora frondea* pro frondosis, ut infra v. 430. *florea prata* pro floridis. — *nemora inter*, Praepos. postposita, legimus etiam Aen. IV, 70. — **193**. *septem*, propter septem naves servatas. Cf. v. 170. — **192**. *ingentia corpora* gravius quid et grandius sonat, quam si magnos cervos scriptum esset. Omnino Romani haud raro utuntur voc. *corporis* in circumlocutionibus ipsius personae, de qua sermo est, si ipso adspectu admirationem sui iniicit. Vid. simillimum locum Geo. III, 369., porro Geo. III, 51. IV, 475. Aen. II, 18, VI, 22. Ovid. Met. III, 58. VII, 650. IX, 272. XI, 690, Sil. XIV, 105. Val. Fl. II, 653. Liv. XXIX, 21, 6. Plin. Pan. 33, 1. Tac

Hinc portum petit et socios partitur in omnis.
Vina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes
Litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,

Ann. IV, 72. multosque alios locos, coll. cum iis, quae supra ad v. 70. adnotavimus. Vid. etiam Burm. ad Aen. VII, 650. Thiel. ad Aen. II, 18. Gronov. ad Stat. Theb. II, 83. Bach. ad Ovid. Met. VIII, 152. alios. — *victor* ornatus poëtici causa adiicitur. — *fundat* - - *aequet*. Pauci quidam Codd. *fundit* - - *aequat*, quod quodammodo defendi potest, si sumimus, poëtam rem, quae facta est, simpliciter narrare; Coniunctivus vero, in quo optimi Codd. consentiunt, melius consilium Aeneae indicat, qui non prius absistère voluit, quam septem cervis interfectis. (Cf. Iahn. ad Aen. V, 347. et Hand. Tursell. IV. p. 569.) Ceterum de Particc. *antequam* et *priusquam* cum Indic. et Coniunct. constructis vid. adnott. ad Geo. IV, 306. — *humi*. Med., fragm. Vat., Rom., Gud. aliique Codd. et Nonius p. 312. praebent *humo*, cuius aberrationis causam Wagn. in elisione sibi videtur invenire, ut etiam Geo. IV, 215. Aen. III, 670. V, 202. 522. VII, 570. VIII, 512. X, 179. *Humi* autem, quod praeter Codd. Pal., quatuor Pariss. et Bern. III. a m. sec. etiam Servius agnoscit, hoc loco unice verum; cum etiam Vergilius discrimen illud, ut *humi* sit *in terra*, i. e. in terrae superficie (Ecl. III, 92.), vel *in*, *ad terram* (Aen. V, 78. 481. VI, 423. IX, 754. et X, 697. XI, 640. 665.), *humo* autem *a terra* vel *e terra* (Geo. II, 460. III, 9. Aen. III, 3. X, 558.), diligenter servare soleat. (Nam Geo. IV, 115. *humo* est Dativus, a *figat* pendens, ut ap. Hor. Sat. II, 2, 79. *humo affigere*.) Cf. etiam Ruddim. II. p. 272. et Ramsh. §. 147. B. C. Kritz. ad Sall. Cat. 55, 3. et adnott. ad Aen. X, 558. Recte igitur omnes recentiores editores *humi* servarunt. — *numerum cum navibus aequet*. Sic *aequare* aliquid *cum* aliqua re etiam ap. Cic. Verr. act. II. I. I, 8, 21. de Leg. III, 10, 24. al. Cf. autem supra v. 170. — **194.** *Hinc* non de loco, sed de tempore intelligendum. Vid. adnott. ad Aen. II. 148. Ceterum antequam Aeneas portum petit et cervos inter socios partitur, videtur hos ipsos advocasse, ut cervos auferrent; vix enim ipse et Achates septem ingentes cervos poterant auferre. Non autem opus erat, ut poëta haec omnia fuse enarraret. — *portum*, i. e. stationem navium supra v. 159 sqq. descriptam. — *partitur in omnes* pro inter omnes. Cf. infra V, 61. Plaut. Aul. I, 2, 30. *dividere argenti dixit nummos in viros*. Tac. Ann. II, 67. Thracia *in Rhoemetalcon filium* - - *inque liberos Cotyis dividitur* etc. — **195—197.** „*Deinde vina, quae* etc. In Drepani portum, qui Siciliae est, classis Troiana delata fuerat Aen. III, 707.; non longe aberat *Aegesta* vel *Segesta*, quam Graeci etiam *Egestam* scribunt, condita ab *Aegesto* Troë, quem Vergilius *Acestem* appellat, cf. V, 31. 61. Benigne fueraat ab ipso excepti, ut etiam inf. I, 558. 570.; hinc *bonus* [benignus, liberalis: cf. adnott. ad Ecl. V, 61.]. Idem iterum hospitio Aeneam excipit Aen. V, 36 sqq. Quod vina commendat ut Acestae munus *ξεινήϊον*, id ut poëta et Homeri imitatione facit Od. IX, 197 sqq." *Heyn*. Ceterum verba ita coniungenda esse patet: (Primum cervos in socios partitur,) *deinde* etiam *vina dividit, quae* etc.; vocem *deinde* autem alibi quoque (III, 609., ubi vid. adnott., V, 14. 400. VII, 135.) non suo loco inferri, iam Wagn. adnotat, qui comparat etiam Geo. IV, 284., ubi simili ratione Particulae *iam saepe* alieno loco positae leguntur. Cf. etiam eiusd. Qu. Virg. XXV, 7. et Nauck. ad Phaedr. I, 8, 3. Pauci quidam Codd. ex corr. praebent *Deinde bonus quae vina cadis*, quod Schirach. p. 349., Bothius et Peerlk. non debebant praeferre. Cf. etiam Siebelis p. 13. — *Vina onerare cadis*, quasi pro onere infundere cadis, pro vulgari: cados onerare vino. Cf. III, 465. (*stipatque carinis Ingens argentum*) et VIII, 180. (*onerantque canistris dona*), de qua hypallage cf. Ramsh. §. 206. 3. p. 1001. — **196.** *Litore Trinacrio*. *Trinacria* vocatur Sicilia ob triangularem formam et *τρία*, quae habet, *ἄκρα* s. promontoria; quare *Θρινακίη νῆσος* iam Homero Od. XI, 107. XII, 127. et alibi commemorata vulgo eadem insula habetur. (Vid. tamen librum meum geogr. III. p. 778. nota 48.) Cf. etiam Aen. III, 384. 440. 582. V, 393. 450. 555. etc. Romanis eadem de causa etiam *Triquetra* vocabatur. Cf. Plin. H. N. III, 8, 14. — Voc.

Dividit et dictis maerentia pectora mulcet:
„O socii — neque enim ignari sumus ante malorum —
O passi graviora, dabit deus his quoque finem.
Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis
Accestis scopulos, vos et Cyclopia saxa

---

heros non cum *dividit* coniungendum, Commate post *abeuntibus* posito, ut Aeneas intelligatur, (quae est Henrici sententia), sed nomini *Acestes* per appositionem additum. Similis locus infra VIII, 464. legitur. Cf. etiam XII, 902. et infra ad v. 412. adnott. Consentiunt mecum Kappes l. l. p. 29. et Conington. — **198. 199.** Totum, qui sequitur, locum Servius ex Naevii libro de bello Punico translatum perhibet. Similem habemus Ulyssis orationem ap. Hom. Od. XII, 208 sqq. et Teucri ap. Hor. Od. I, 7, 21 sqq. „In prosa: O socii! satis meministis, vos graviora his, quae modo experti sumus, passos esse. Itaque spem retinete, habitura esse finem etiam haec mala praeteritis leviora.“ *Heyn.* — *ante mala*, *τὰ πρὶν κακά*; ut apud Quinct. Declam. I, 14. *ille elegit, qui recipit ante meliorem.* Plura huius usus exempla, ex quo Adverbia ita cum Substantivis et Adiectivis copulantur, ut per figuram ὑφ' ἑνός, quam Grammatici vocant, nova exsistat vocabulorum compositio, proferunt Becker. Eleg. Rom. p. 204. Buddim. II. p. 304. et 396. Zumpt. §. 262. Ramsh. §. 208, 6, b. (locos diversissimos miscens) Hand. Tursell. I. p. 389. alii. Vid. etiam Broukh. ad Prop. I, 1, 2. Vechner. Hellenol. p. 230. imprimisque Kritz. ad Sall. Iug. 76, 5., accuratius, quam Ramsh. et alii, inter diversos locos vulgo huc tractos distinguens, coll. iis, quae supra ad v. 13. disputavimus. Ceterum Süpflius et Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 46. hunc locum aliter capiunt et *ante* a voc. *malorum* seiungentes satis artificiose explicant per Graecum πω et πάρος cum Praesente coniunctum, nostrum *sonst* (*sind wir ja auch sonst nicht unkundig der Leiden*), qui usus Adverbii certe exemplis comprobandus erat; Gossr. autem, qui illum Graecismum Romanis plane abiudicat, verba sic iungi iubet: antea non ignari sumus malorum, nescio quomodo *antea* cum Praesente coniunctum explicans, quod tamen Nauck. p. 12. ita studet defendere, ut dicat, *ignari sumus* idem fere esse, quod: non sumus experti. — **199.** „*O passi graviora.* Hor. Od. I, 7, 30. *O fortes peioraque passi Mecum saepe viri.* Locus autem expressus ex Hom. Od. XII, 208. [*ὦ φίλοι, οὐ γάρ πώ τι κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν*] Macrobius Sat. V, 11. Maronem in his locupletiorem Homero existimat.“ *Heyn.* Cf. etiam Senec. Octav. 652. *Graviora tuli. Dabit hic nostris finem curis vel morte dies.* — **200.** Quae hic Aeneas commemorat, accuratius narrantur infra III, 555—675. „*Scyllaeam rabiem* [periphrasi personae pro Scylla rabie furente], seu quoniam Scylla canibus cincta, vid. ad Ecl. VI, 75., de quibus *rabies* proprie dicitur; seu simpliciter, quatenus furor, saevitia, rabies mari, tempestati, procellis tribuitur.“ *Heyn.* Equidem priorem rationem praeferendam dixerim. Cf. Geo. III, 496. Hor. Ep. I, 10, 16. II, 2, 75. Prop. IV, 15, (III, 16,) 17. etc. De ipsa Scylla locus primarius est apud Hom. Od. XII, 73 sqq. Cf. quae de permutatione eius cum altera Scylla, Nisi filia, ad Ecl. l. l. adnotavimus. — „*sonantes scopuli*, fluctibus allisis, et quidem *penitus*, in interioribus adeo rupis recessibus et antris, sunt ii ipsi, quibus Scylla insidebat. Vid. inf. III, 555. 558. 566. *Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere.*“ *Heyn.* Cf. etiam Aen. II, 487. *penitus cavae plangoribus aedes Femineis ululant.* Süpflius, comparans Aen. VI, 59., *penitus* recte explicat per nostrum *weithin*; Ladew. autem conferri iubet Hom. Od. XII, 238. 241. et docet, quam perversum esset coniungere verba *penitus accestis.* (Vid. etiam Haeckerm. l. l.) *Sonantes* autem *scopuli* sunt *πέτραι πλαγκταί* in Homerica huius regionis descriptione Od. XII, 59. Cf. Aen. III, 432. *Scyllam et caeruleis canibus resonantia saxa.* — **201.** „*accessistis* ad eos, hactenus, quod iam fretum Siculum ingressi non longe ab iis aberant, cum, dati ab Heleno oraculi memores, statim ad laevam convertunt cursum.“ *Heyn.* *Accestis* per syncopen, quemadmodum infra IV, 606. *exstinxem*, IV, 682. *Exstincti*, V, 786. *traxe*, VI, 57. *direxti*, XI, 118. *vixet* XI, 467. *iusso* etc. Lucretiana huius synco-

Experti: revocate animos maestumque timorem
Mittite; forsan et haec olim meminisse iuvabit,
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas

---

exempla plura congessi ad eius I, 71.; alia vide ab Orellio ad Hor. Sat. I, 9, 73. Ruddim. I. p. 283. not. 86. p. 326 sq. not. 10. 11. Ramsh. §. 62. p. 141 sq. et Corssenio de pronunt. II. p. 26. sqq. prolata. De constructione verbi *accedendi* cum simplici Accus. vid. infra ad v. 307. Wakef. ad Lucr. V, 1198. temere coni. *Vos ad Scyll. rabiem*, quamquam huic coniecturae opitulatur Rottend. pr. — *vos* ante geminatum *et* cum singulari vi repetitum hoc sensu: Vos enim iidem estis, qui et - - et - -. Thiel. apte comparat Ciris v. 132. *Malus ille puer, quem nec sua flectere mater Iratum potuit, quem nec pater atque avus.* Cf. etiam Aen. I, 664 sq. VI, 261. etc. — „*Cyclopia saxa*, litus Cyclopum saxosum in Sicilia, cuius rupes et antra illi incolebant in Aetnae vicinia. Vid. inf. III, 569. 644. 675. Accesserant scilicet et ad hoc litus, et in portu escenderant, sed ab Achaemenide moniti fugiunt." *Heyn*. *Cyclopia* autem pro omnium fere Codd. et Servii lectione *Cyclopēa* (*Κυκλώπεια*) restituit Heinsius, qui multus est hac de re et comparat inter alia de forma *Cyclopīus* (*Κυκλώπιος*, qua etiam Graeci utebantur, ubi brevi syllaba opus erat, velut Eurip. Or. 954.) Sil. XIV, 514. 530. Claud. Rapt. Pros. I, 98. Cf. idem de formis *Canopeus* et *Canopīus* (Prop. IV, 10, (III, 11,) 45. Hor. Epod. IX, 16.), ut Burm. de formis *Caucaseus* et *Caucasius* (Ecl. V, 42.), *Elyseus* et *Elysius* (Geo. I, 38.), *Romuleus* et *Romulius* (Serv. ad Geo. III, 503.), *Pelopeus* et *Pelopius* (Gronov. ad Sen. Thyest. 641.) Praeterea cf. adnott. ad Aen. III, 110. Ribbeck. tamen *Cyclopea* edidit, recte autem Cyclopum saxa hic commemorata in Proleg. p. 68. defendit contra Frid. Conrads. p. XVIII sq. — *experti*, scil. estis. Vid. infra ad v. 237. — **203**. *Revocate animos*. Vid. infra v. 214. *revocant vires*. — *maestus timor*, qui maestos et sollicitos reddit. Cf. adnott. ad Ecl. X, 6. Geo. I, 75. etc. — **203**. „*Forsan et haec* etc. Pertinet huc Euripideum, quod Macrob. Sat. VII, 2. laudat. *Ὡς ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων*, Latine conversum a Cic. de Fin. II, 32, [105.]; et ante Euripidem Homeri locus Od. XV, 398—400. Ingeniosa imitatione haec secutus est Stat. Theb. I, 472. *Forsan et has venturus amor praemiserit iras, Ut meminisse iuvet.*" *Heyn*. Particulam *forsan* pedestris orationis scriptoribus admodum raro, Ciceroni nusquam usurpari, satis constat. Cf. Charis. p. 165. P. Friedem. ad Ruhnk. Orat. p. 250. et Hand. Turs. II. p. 719. — *olim*, de futuro tempore, ut infra v. 288. IX, 98. X, 12. Ecl. X, 34. Hor. Od. II, 10, 17. 517. etc. Cf. Hand. Turs. IV. p. 369 sq. Ceterum eadem fere sententia (praeteritorum malorum memoriam esse iucundam) praeter locos iam laudatos legitur apud Cic. ad Fam. V, 12. Senec. Herc. fur. 655. Val. Fl. I, 249. Stat. Theb. I, 472. Anth. Lat. I, 178, 70. Cf. etiam Hom. Od. XII, 212. *καί που τῶνδε μνήσεσθαι ὀΐω* (a Coningt. allatus, qui adnotat, his verbis opposita legi Aen. XI, 280. *nec veterum memini laetorve laborum*) et Manut. ad Cic. Epp. ad Fam. V, 12. — **204**. *rerum discrimina*, discrimina, in quae res nostrae adductae sunt. Cic. Or. I, 1, 3. dixit *rerum omnium certamen atque discrimen*. Cf. etiam supra v. 178. Verba *per tot discrimina rerum* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 37. et 155., ubi praecedunt verba *Per tot casus*, ut ibid. v. 184. et III, 81, 10. *Per varios casus* legimus.) — **205**. *Tendimus in Latium*. „Quaeras, unde iam tum Aeneas nomen novae sedis sibi promissae, *Latium*, noverit? cum aliis in locis tam incerta omnia ei essent. Scilicet in locis inferis certiora edoctus fuerat VI, 891. 2. Cf. Excurs. XV. ad l. II." *Heyn*. Iam antea *Latii* nomen ex Anchisae de caelo delapsi ore audiverat (V, 731.); sed haec omnia ad inferiora tempora referenda, quare Conrads p. VII. non temere in hoc loco, ut aliis, offendit. Cf. ad II, 771. III, 185. al. adnott. — *sedes ubi fata quietas Ostendunt*, h. e. fati decreta oraculis et auguriis nobis significata promittunt. *Ostendere* enim (*aus der Ferne sehen lassen*) interdum i. q. promittere. Cf. Cic. de Sen. 18. *ver - - ostendit fructus futuros*. id. ad Div. V, 12, 2. *quod mihi saepe ostendis, te esse facturum* Sall. Iug. 23. defensoribus

Ostendunt; illic fas regna resurgere Troiae.
Durate et vosmet rebus servate secundis."
Talia voce refert curisque ingentibus aeger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se praedae accingunt dapibusque futuris:
Tergora diripiunt costis et viscera nudant,

---

moenium praemia modo, modo formidinem ostentare. Vid. Gossrau ad h. l. Nauck p. 12. locum minus recte sic distinguit - - in Latium; *sedes ubi fata quietas Ostendunt, illic* etc. — *fas* (est) *resurgere,* fatis volentibus resurgent. Ut autem oppida et regna, quae florent, *stare,* quae diruta sunt, *iacere* dicuntur, ita restaurata *resurgunt.* Cf. Ovid. Fast. I, 523. *Victa tamen vinces eversaque Troia resurges.* Prop. V, (IV,) 1, 47. *Arma resurgentis portans victricia Troiae.* (Hor. Od. III, 3, 65. *ter si resurgat murus aeneus*) etc. — **206.** *Ostendunt* idem fere, quod *promittunt.* Gossrau comparat Cic. ad Div. V, 12. *quod mihi saepe ostendis, te esse facturum.* Adde: ibid. IX, 8. in. *Etsi munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus.* — **207.** „*Durare* pro durare se, animum suum, poëtae primum, deinde alii scriptores, ut Tacitus. Τλῆτε, φίλοι. Il. II, 299." *Heyn.* Cf. Val. Fl. I, 237. *Ingentes durate animae.* Claud. B. Get. 269. *Durate parumper, inquit.* Ovid. Am. III, 11, 27. *His, et quae taceo, duravi saepe ferendis.* Ter. Ad. IV, 2, 15. Stat. Silv. I, 2, 91. II, 1, 141. Liv. X, 46. in. XXIII, 18, 10. Wernsd. Poët. Lat. min. III, 233, 63. etc. Multa alia exempla congessit Heins. ad Sil. II, 463. Omnino cf. infra ad v. 234. adnotata. — *vosmet rebus servate secundis.* Cf. Aen. V, 625. *cui te exitio Fortuna reservat?* Rau in Sched. p. 29 vss. 204—207. utpote Vergilio indignos vult deletos. — **208.** *Talia* pro: haec, ut infra v. 370. 406. 410. 559. II, 323. 336. 588. 650. 679. III, 344. 358. 485. et alibi saepissime; neque aliter interdum pedestres scriptores. Cf. Bremi ad Nep. Them. II, 8. — *voce refert;* eodem pleonasmo infra v. 614. *ore locuta est.* Cf. etiam adnott. ad Aen. IV, 359. — *curis ingentibus aeger,* quia praesentibus rebus consternatus exitum non videt. *Aeger,* (non autem *aegrotus,*) ut alibi *saucius, vulneratus* et similia, a corpore saepe ad animum transfertur, ut sit i. q. tristis, moestus, curis vexatus et agitatus. Vid. Ecl. I, 13. Geo. I, 237. IV, 464. Aen. I, 351. II, 268. Cic. pr. Cael. 8, 18. Sall. Iug. 71, 2. Plaut. Epid. I, 2, 26. Liv. I, 58, 9. II, 36, 4. XXX, 11, 3. etc. Cf. etiam Doederl. Synonyn. IV. p. 172. — **209.** *Spem vultu simulat.* Cf. Stat. Silv. V, 1, 159. *comites tamen undique ficto Spem simulant vultu* et Calpurn. XI, 17. *Quid vultu mentem premis ac spem fronte serenans* etc., aperte hunc locum et Aen. IV, 477. (*Consilium voltu tegit ac spem fronte serenat*) spectantes. Plures locos similes congessit Peerlkamp. ad h. l. — *Premit* (occultat) *altum dolorem.* Heyn. interpretatur: premit alto (i. e. intimo) corde dolorem, atque etiam Nauck p. 13. verba *altum dolorem* vetat coniungere, et *premit altum* explicat per „dissimulat longe." Rectius vero *Wund.*: „Epitheton *altum* non repetendum ab actu *premendi,* sed per se *altus dolor* est is, qui penitus insedit, ingens, gravis. Tac. Ann. XVI, 29. *altus pavor.* Difficilius est *altum* dolorem abscondere, quam dolorem occultare *alto animo.* Cf. Val. Fl. I, 733. *talesque prementem corde metus;*" cui loco adde infra IV, 332. *curam sub corde premebat.* Ceterum cf. etiam Catull. LXVIII, 117. *altus amor* et Peerlk. ad h. l. — **210.** sqq. Cf. Hom. Il. I, 459 sqq. *se praedae accingunt,* i. e. accingunt se, ut ex praeda (cervis caesis) dapes futuras, coenam parent. Cf. Aen. II, 235. *Accingunt omnes operi.* Val. Fl. IV, 592. *animos accinge futuris* etc. — *dapibusque futuris.* Respexit hunc locum (et simul infra v. 712.) Claud. in Eutrop. II, 945. *dapibus quae iam devota futuris;* fortasse etiam Val. Fl. IV, 592. *animos accinge futuris.* Ceterum cf. infra v. 429. 504. 712. et IV, 297. — **211.** *Tergora,* corium, pellem. Cf. infra v. 368. — *diripiunt* (*sic reissen los*), quod omnes Codd. praeter unum Rottend. sec cum Nonio p. 414. exhibent, ob hunc ipsum Codd. consensum (suadent

Pars in frusta secant veribusque trementia figunt;
Litore aëna locant alii flammasque ministrant.
Tum victu revocant vires fusique per herbam
Inplentur veteris Bacchi pinguisque ferinae.

---

etiam Bachio ad Tib. I, 2, 84.) cum Iahnio restitui, in cuius edit. invi auctore legitur *deripiunt* (cf. eius adnott. p. 405. et 441.), neque alit Süpfl. et Ribbeck. Cf. adnott. ad Geo. II, 8. Wagn., (qui etiam in Philo Suppl. I. p. 342. de h. l. disseruit) et ceteri recentiores editores praeter mod nominatos, quod *costis* adiectum sit, praetulerunt unius Cod. lectionei *deripiunt* (*sie reissen hinweg, herab*). Cf. etiam Wakef. ad Lucr. IV, 3(et Thiel. ad h. l. — *viscera*, quidquid sub corio est, ipsae carnes. C Geo. III, 559. Aen. VI, 253. VIII, 180. Ovid. Met. XV, 88. Cic. Tus II, 8, 20. *cum inhaesisset tunica visceribus* (Herculis). ibid. c. 14. ext *Spartae vero pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut multus visceribus sanguis exeat*, et alibi. Cf. Isidor. Orig. XI, 1. Serv. ad Ae VI, 253. et Olivet. ad Ecl. Cic. p. 27. — **212**. Cf. Hom. Il. I, 465. *Pai* respondet antecedenti *illi*. Cf. adnott. ad Ecl. I, 65. Wagn. Qu. Vir VII, 4. p. 403 sq. Bach. ad Ovid. Met. I, 244. alii. — *pars - - secant*, sc viscera. Pluralis Verbi Singulari nominum collectivorum a Vergilio rariu quam ab aliis scriptoribus, adiungitur. Cf. infra II, 32. III, 676. V, 12 VI, 660. Ceterum poëta hic ante oculos habuit Hom. Il. I, 459 sqq. *veribus* (Ablat.) *figunt*, i. e. transfodiunt. Cf. Aen. X, 382. *hunc intorto figit telo*. Ecl. II, 29. Aen. V, 516. 544. XII, 537. Hirt. B. Ale 30. *telis*, Ovid. Met. V, 55. *iaculo*, eiusd. Her. XV (XVI), 278. *sagit aliquem figere*. Etiam Henry *Tw. years* I. p. 78. recte explicat („*not* (*spits, but with spits.*") Thiel. edidit *verubus*. Sed vide adnott. ad G II, 396. — *trementia*, adhuc palpitantia. Cupiditatem autem eden et festinationem significari hoc epitheto, verissime docet Wund. Alia (ratio loci Aen. III, 627. *Cum - - tepidi tremerent sub dentibus art* Ceterum verba *veribusque trementia figunt* repetuntur in Anth. Lat. 171, 9. — **213**. „*Ahena locant*: quorsum? certe non ad elixandas carn quibus heroica tempora plane non utebantur, ut notum est. Et *torr* carnes in antec. versu significatur. Igitur his ahenis aquam calefaciu cf. Aen. VI, 218. 219., ut se lavent ante epulas, ex more." *Heyn*. etiam Wagn. in min. edit., Bryce, Conington (qui putat, Vergilium l memorem fuisse Apollonii Rhod. III, 271 sqq.), Nauck l. l. p. 13. Schrader in Muetzellii *Zeitschr*. etc. VII. (1853.) p. 725. locum intelligu Fortasse tamen etiam hic, ut alibi, suorum temporum mores poëta heroicam aetatem transtulit; non inepte enim Ladew. in Append. n morat, tot homines (etiamsi de septem modo navium ducibus cogitem sub diu calida lavantes ridiculam praebere imaginem, de solis aut manibus lavandis cum Nauckio cogitare, esse absonum. Ceterum *a* scribendum ex Cod. Med. auctoritate, non *ahena*. Cf. Schneid. Gr. L I, 1. p. 130. et 190. Wagn. Orth. Verg. p. 439 sq. et Ribbeck. Proleg. 202. et 423. — *Flammas ministrant*, pro: subiiciunt aënis ignem. supra ad v. 150. — **214**. *fusique* (prostrati, *hingestreckt*) *per herb* legimus iam Geo. II, 527. et redit Aen. V, 102. et IX, 164. Cf. eti Ovid. Met. I, 438. *fusus in herba*. Claud. Epith. Pall. et Cel. 1. *gramina fuderat artus*. Sic Aen. II, 252. *fusi per moenia Teucri* et 837. *fusi per dura sedilia nautae*. Stat. Silv. II, 1, 170. *fusus humi* (Recte etiam Henry l. l.: „*not scattered, but laid at ease.*") — 2 Satiant se et carne ferina et vino. — *impleri* cum Genitivo Graecor more construitur etiam infra II, 586. Stat. Theb. III, 472. id. Achill. 247. Cic. ad Fam. IX, 18. id. Sen. 14, 46. Liv. I, 46, 8. id. VII, 7, cett. Cf. Heins. ad h. l. Drakenb. ad Liv. XXIX, 14, 2. Ruddim. II. 188 sq. Zumpt. §. 463. et Ramsh. §. 112, 2. — *Bacchi*, vini. Vid. adn(ad Ecl. V, 69. — *ferinae*, scil. carnis, ut plene dicunt Sall. Iug. 18. *Plin*. H. N. VI, 28, 32. alii. Substantivum omittitur etiam a Val. Fl. 569. *captaque dapes auxisse ferina*, ubi *ferina* pro praeda feri *Conington* confert *agninam, bubulam, vitulinam* ap. Plaut. Aul. II, 8.

Postquam exempta fames epulis mensaeque remotae
Amissos longo socios sermone requirunt
Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant
Sive extrema pati nec iam exaudire vocatos.

— **216**. Hoc est Homericum (Od. IV, 68. XII, 308. etc.) *Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο*. Cf. infra VIII, 184., ubi verba *Postquam exempta fames* iterantur. — „*mensae remotae* noto veterum more, quo mensa cum epulis convivae apponebatur et auferebatur. At h. l. fusi per herbam epulantur. Itaque improprie dictum.“ *Heyn*. Cf. Ovid. Met. XIII, 676. *mensa somnum petiere remota* etc. Contrarium est *mensa posita*, v. c. ap. Ovid. Met. XII, 211. Nauck p. 13. apte comparat nostrum *die Tafel aufheben*. Peerlk. tamen praefert unius Cod. lectionem *mensaeque relictae*, haec adiiciens: „*Mensae* erant tori in herba, per quam fusi edebant. Liba, credo, substrata carni habebant. Coena finita socios requirebant. Non opus erat propterea mensas removere, sed relinquere.“ Quare Wagn. in edit. min. per *mensas* dapum reliquias intelligit, atque etiam Siebelis p. 13 sq. multa de h. l. disputans recte videtur cogitare de ipsis epulis vel ferculis finita coena remotis, ut infra v. 723., ubi mensas ipsas non remotas esse ex eo eluceat, quod post epulas compotatio incipiat et Dido v. 736. libationem in mensam fecisse memoretur. Cf. etiam quae Iahn. Annal. l. l. p. 27. contra Peerlk. disserit. Rau in Sched. p. 30. totum versum tollendum censet. — **217**. „*Longo sermone*, non tam qualis post coenam esse solet, quam potius multis cum querelis. Vulgari oratione: multa de sociis amissis inter se conqueruntur. *Amissa sociorum parte dolentes Multaque conquesti*, Ovid. Met. XIV, 242.“ *Heyn*. Peerlkamp., coll. Silio X, 402. *Interdum moesto socios clamore requirunt*, praeter necessitatem coni. *longo clamore*, sed Siebelis p. 13. adeo ridiculum censet, eos in terra clamore requiri, quos ipsi in aequore iactari sciant. Cf. etiam Iahn. l. l. — „*requirunt socios*, declarant desiderium amissorum sociorum, conqueruntur eos sibi ereptos, *Μνησάμενοι δὴ ἔπειτα φίλους ἔκλαιον ἑταίρους*, Od. XII, 309.“ *Heyn*. Cf. Cic. Manil, 2, 6. et 22, 65. de Fin. V, 20. Parad. I, 1, 7. Val. Fl. II, 145., imprimis autem Silii locus modo laud. eodemque sensu etiam simplex *quaerere* infra V, 814., ubi vid. adnott. Cf. etiam Burm. ad Ovid. Met. II, 239. Cum vero amissos aut tacitis animi sensibus aut luctu et querimoniis, non autem longo sermone desideremus, nescio an rectius Siebelis l. l. explicet: quaerunt, sciscitantur de amissis sociis, (*sie forschen in langem Gespräch nach den verlornen Gefährten*), vel (ut accuratius dici poterat) varias proponunt coniecturas, quid de iis factum sit et ubi esse possint, quo tamen non excluditur dolor caris sociis fortasse orbatorum. Cf. etiam quae Henry *Tw. years* I. p. 80. bene (et rectius, puto, quam in Philol. XI. p. 503.) de h. l. disputat. — **218**. *Spemque metumque inter* legimus etiam in Anth. Lat. III, 81, 67. et V, 135, 1. De Praepos. postposita vid. supra ad v. 13. 32. et al. adnott. Conington conferri iubet Aesch. Agam. 667 sqq., quem Vergilius fortasse imitatus sit. — *dubii, seu - - sive* poëtice pro *utrum - - an*, ut apud Graecos *εἴτε — εἴτε* pro *πότερον — ἤ*. (Cf. Viger. p. 515. Matth. §. 637. 5. p. 1253. Kühner. §. 838. d.) Sic etiam infra v. 738. *erravitne via, seu lassa resedit, incertum*. Cf. etiam Wagn. Qu. Virg. XXXVI, 6. Verba *dubii, seu vivere credant* iterantur in Anth. Lat. I. 170, 21. — **219**. *Sive extrema pati* etc., i. e. sive iam esse mortuos. „*Extrema pati* proprie dicuntur, qui crudeli supplicio affecti animam efflant, h. e. simpliciter, qui moriuntur morte violenta, fluctibus submersi.“ *Heyn*. Cf. v. c. Tac. Hist. IV, 59. *famem, ferrum et extrema pati*. Sic etiam Aen. VI, 457. *ferro extrema sequi*. Vid. omnino adnott. ad Aen. III, 315. — Verba *nec iam exaudire vocatos* latius modo persequuntur sensum verborum antecedentium et pro ingrato illo mortuos esse substituunt sententiam a more mortuos vocandi et conclamandi petitam, de quo Wunderl. interpretes ad Ter. Eun. II, 3, 56., Wagn. autem Gronovii Diatr. p. 317. conferri iubet. Commemoratur hic mos Aen. III, 68. VI, 231. et 506. Cf. etiam quae Henry l.

Praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit et crudelia secum
Fata Lyci fortemque Gyan fortemque Cloanthum.
Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere summo
Despiciens mare velivolum terrasque iacentis
Litoraque et latos populos, sic vertice caeli

l. et Conington disputant. — **220.** Verba *Praecipue pius Aeneas* iterantur VI, 176. Wagn. post *Aeneas* Commate distinxit, cum sensus sit: Praecipue hoc faciebat Aeneas, qui nunc cett.; quod mihi paullo subtilius videtur. (In recentiss. tamen edit. Wagn. Comma recte delevit.) — *Oronti.* Plures Codd. *Orontis;* sed meliores (Med., fragm. Vat., Gud. et Rom. a m. sec., sicut Serv., Charis. p. 107. et Prisc. p. 706.) alteri scripturae favent. Cf. supra ad v. 30. (et 120.) De Oronte iam v. 113. sermo fuit. *Amycus* iterum commemoratur V, 373. et XII, 509., *Lycus* IX, 556., *Gyas* infra v. 612. V, 118. 152. 184. 223. XII, 460., *Cloanthus* infra v. 510. 612. IV, 288. V, v. 122.. 245. – *fata Lyci*, i. e. mortem fatis adductam, quae nemo potest effugere, ut IV, 20. *fata Sychaei* et XII, 507. *fata celerrima.* Cf. etiam Aen. IV, 678. X, 438. 472. 740. Cum verbis *fortemque Gyan fortemque Cloanthum*, quae redeunt infra v. 612., cf. e. g. Hor. Ep. I, 1, 20. *nox longa diesque longa* et vid. adnott. ad Ecl. IV, 6.; *secum gemere* autem, ut alibi *secum reputare, cogitare, perpendere* et similia. Cf. supra v. 50. Non tamen opus est, ut cum Nauckio p. 13. post *casum* Commate distinguamus, *gemit* bis positum cogitemus copulamque *et* per *etiam* explicemus. Rau in Sched. p. 32. Vergilium in verbis *Fata Lyci* substitisse, cetera autem v. 222. verba ab aliena manu e v. 612. addita esse suspicatur. — In conscribendis verss. 223—227. Maro plures Homeri locos ante oculos habuit; imprimis Il. XIII. pr. et VIII, 71. 52., ut in toto hoc loco in praestantissimis habendo memor fuit Odyss. V, 5 sqq. Macrob. autem Sat. VI, 2. etiam hunc locum a Naevio (qui ipse plurima ex Homero transtulerat) ex libro I. belli Punici sumptum esse memorat. Vid. supra ad v. 198. — Iupiter in arce caeli constitutus despicit in terras. Cf. infra X, 3. Ovid. Met. I, 163. Val. Fl. I, 498. et similes locos. — **223.** *Et iam finis erat* (scil. huius sermonis), quo requirebant et gemebant amissos socios, *cum*, pro vulgari: postquam hic sermo finitus erat, Iupiter prospexit etc. Pomp. Sab. male *finem diei* interpretatur. Wagnero videtur poëta hac transitionis formula exprimere voluisse Homericum illud: *ὧς οἱ μὲν τοιαῦτα πρὸς ἀλλήλους ἀγόρευον.* Imitatus est eum Val. Fl. I, 350. *Et iam finis erat* cett. Cf. etiam Stat. Theb. VI, 234. *Finis erat.* Ceterum de hac ratione duo membra per *et iam, iamque — cum* coniungendi cf. adnott. ad Aen. III, 135. — *Iuppiter.* Ita antiquissimi quique Cod. constanter exhibent. Cf. Cellarii orthogr. h. v. ed. Harl. Schneider. Gr. Lat. I, 2. p. 426. Haas. ad Reisigii *Vorles.* p. 284. not. 314. et Wagn. Orth. Verg. p. 444. — *aethere summo* (ut v. 225. *vertice caeli*) *Despiciens.* Cf. Hom. Il. V, 754. et VIII, 51. Haupt. et Ribbeck. Lachmanno suasore ad Lucr. IV, 418. p. 236. ediderunt *Dispiciunt;* sed vide adnott. ad Geo. II, 187. et infra v. 396. — *mare velivolum*, in quo vela volant, secundum Macrob. Sat. V, 6. p. 529. Ian. ex Livii Andron. Helena sumptum, ubi hic versus legebatur: *Tu qui permensus ponti maria alta, velivola.* Cf. etiam Ovid. ex P. IV, 16, 21. *Velivolique maris vates.* Lucretius V, 1441. ipsas naves *velivolas* dixit: *Tum mare velivolis florebat propter odores* (sic enim pro vulg. *velivolum* ex optimis Codd. edendum: cf. adnot. mea ad h. l.; pro *propter odores* autem Lachm. ex coni. edidit *puppibus*), qua in re secutus est Ennium in Andron. fr. 8. p. 103. Vahl. Vid. Columna ad Annal. XIV. p. 105. Hessel. et Planck. ad Ennii Med. p. 118. — *terras iacentes*, late porrectas sub ipso ex alto despiciente. Cf. III, 689 et Ovid. Met. II, 179. *Ut vero summo despexit ab aethere terras - - iacentes* Man. I, 247. *terrae pelagique iacentis,* ibid. v. 535. *terrasque iacentes.* Wernsd. *Poët. L. min.* VI, 569, 1. *inter luciferum caelum terrasque iacentes* et Tac. *Hist.* I, 86. *iacentia et plana urbis loca.* — *latos populos*, i. e. late habitantes, Vergil. ab Ennio p. 11. ed. Hessel. (s. Ann. I. fr. 4. p. 3. Vahl.) videtu

Constitit et Libyae defixit lumina regnis.
Atque illum talis iactantem pectore curas
Tristior et lacrimis oculos suffusa nitentis
Adloquitur Venus: „O qui res hominumque deumque

---

sumpsisse. Verba autem sic posita, *latós populós*, intendunt vim Adiectivi. Vid. adnott. ad Geo. III, 219. — *sic* Burm. (quem sequitur Peerlk.) male interpretatur „sic temere, sine certo consilio eas imprimis terras inspiciendi" coll. Hor. Od. II, 9, 14. et Donat. ad Ter. Andr. I, 2, 4., cui explicationi adversantur verba sequ. *talis iactantem pectore curas;* neque melius Heyn.: „sic, ut erat, despiciens mare et terras constitit;" rectius Wund. (cum quo consentit Wagn.) perspexit, *sic* post Participium (*despiciens*) interpositum esse more Graecorum, ut sententiam per Participium expressam quasi denuo repetat Particula; quemadmodum e. g. apud Plat. Phaed. c. 5. p. 9. (Σωκράτης) καθεζόμενος οὕτως ἤδη τὰ λοιπὰ διελέγετο. Cf. infra VII, 668. VIII, 488. Flor. I, 7, 7. Heindorf. ad Plat. l. l. Bremi ad Lysiae Accus. Agor. §. 39. Lachmann. ad Propert. I, 23, 6. et Wagn. Qu. Virg. XXV. extr. Ladew. adnotat, eadem ratione usurpari Part. *deinde* (Aen. II, 391. VIII, 481.) et *tum* (Aen. V, 382. XII, 6.) — *vertice caeli* (ἐν ἀκροτάτῃ κορυφῇ Ὀλύμποιο ap. Hom.), ubi arx s. palatium Iovis erat. Vid. Ovid. Met. I, 163. *Quare pater ut summa vidit Saturnius arce* coll. cum v. 673. *patria Iove natus ab arce Desilit in terras* et II, 306. *summam petit arduus arcem.* Cf. etiam infra v. 250. Ran in Sched. p. 32 sq. hunc versum non minus quam v. 227. abesse malit. — *defixit lumina* (vid. adnott. ad Geo. III, 433.) *regnis Libyae,* scil. cogitans de parando Troianis apud Poenos hospitio (cf. infra v. 297.). Alii scriptores Praepositionem *in* addere solent. Cf. Ovid. Am. II, 8, 15. Curt. VII, 8. id. IX, 3. cett. Vergilius vero etiam VI, 469. *Illa solo fixos oculos aversa tenebat.* Nauck p. 13., perperam comparans Geo. II, 290., *regnis* Dativum habet. — *Atque* fere i. q. et statim. Cf. Aen. VI, 185. et Hand. Tursell. I. p. 480. Non tamen huc pertinere Geo. I, 203., ab Handio collatum, suo loco vidimus. Verba *tales curas iactantem* Heyn. ad Part. *sic* refert et ita interpretatur: „cum hunc in modum oculis animoque in Aeneae fatis esset defixus." Immo ad *Libyae defixit lumina regnis*, non ad Partic. *sic*, haec verba referenda atque ita capienda esse, ut ipse adspectus litoris Africi et memoria eorum, quae in mari Libyco Aeneae acciderant, has curas provocare cogitetur, ex iis, quae modo disputata sunt, apparet. *Tales* adiicitur, quia verbis *constitit et defixit lumina* iam satis indicata est Iovis meditabundi conditio. Peerlk. sine iusta causa coni. *tales iactans in pectore curas*, ut Venus ipsa illas curas pectore moveat. Sed vid. Iahn. Annal. l. l. p. 38. et Siebelis p. 15. Ceterum hic versus iteratur in Anth. Lat. I, 172, 103., ut seqq. verba *Tristior et lacrimis* ibid. v. 101. — **228.** *Tristior*, scil. quam esse solebat, *ungewöhnlich traurig* vel *weniger heiter als gewöhnlich* (ut recte Henry in *Tw. years* I. p. 83. et Philol. XI. p. 503.); de quo usu Comparativi cf. Beier. ad Cic. Off. I, 21, 17. Herzog. ad Caes. B. G. I, 15 Ramsh. Gr. Lat. §. 154. 4. — *lacrimis oculos suffusa, mit Thränen in den Augen.* Vid. ad Ecl. I, 54. „*Suffundi lacrimis oculos* et *suffundi rubore ora* (Ovid. Met. I, 484.) legitimae sunt poëtarum constructiones. Utramque, omissis Accusativis *oculos et ora*, idque *proprie* usurpavit Plinius Paneg. cf. 2. f. *Ad quas ille voces lacrimis etiam ac multo pudore suffunditur.*" *Wund.* Cf. adnott. ad Geo. I, 430. — Verissime autem Servius: „Dicendo *nitentes* expressit nimiam etiam in lacrimis pulchritudinem;" in quam rem cf. Ovid. Met. VII, 730. A. A. I, 533. Ter. Phorm. I, 2, 58. et similes locos. Ceterum hae Veneris lacrimae Iovem eo magis tangere debebant, cum alias *lacrimare non sit deorum*, ut Ovid. Fast. IV, 519. refert. — **229.** Sequentem locum, quem totum a Naevio (belli Pun. l. I.) sumptum esse refert Macrob. VI, 2, 31., ante oculos habuit Silius III, 577 sqq. — *qui res hominumque deumque* etc. Cf. Hom. Od. XX, 112. ὅς τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσεις. Heins., Burm. et Bentl. ad *Hor. Od. I, 12, 14.* malunt *deorumque* ut Aen. II, 745., quod *Wakef. in contextum adeo recepit,* neque improbare videtur Ribbeck.,

Aeternis regis imperiis et fulmine terres,
Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere, quibus tot funera passis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim volventibus annis,

---

quod in fine versuum Vergilius alias semper utatur forma *deorum* (I, 254. XI, 725.) atque etiam infra v. 332. legamus *hominumque locorumque;* sed non omnia ad eandem normam sunt redigenda, neque versus hypermeter poëtae invitis Codd. obtrudendus, quem propterea a Weicherto de versu hyperm. p. 18 sq., Iahnio et recentissimis editoribus iure repudiatum censeo. — **230**. *Aeternis regis imperiis.* Solus enim Iupiter fatum scit et exsequitur (cf. III, 251.), quare est summus deus et rex deorum hominumque. „*Et fulmine terres* possit otiosum videri post illa: *qui res - - imperiis,* sed *fulmen* insigne summi imperii; gravius autem *fulmine terres,* quam *fulmen geris, iacis.*“ *Heyn.* Quare fere semper, ubi Iupiter invocatur, fulminis mentio iniicitur, ut IV, 208. XII, 200. et alibi. Ceterum *terres* absolute positum. Servius minus recte *regis* ad *deos, terres* ad *homines* refert. — **231**. Versum ex Hom. Il. IV, 31. adumbratum, ipsam autem orationis formam ex Odyss. I, 44 sqq. expressam esse, iam Heyn. adnotavit. *Quid - - tantum* Iahn. ad Ecl. I, 19. sic interpretatur: „quo tandem nomine significem illud tantum, quod in te commiserint.“ Ceterum in promptu est, Venerem non re vera cogitare de peccato ab Aenea commisso, sed tantum ita quaerere, ut Iovi consilii mutationem exprobret eumque ad opem Troianis ferendam instiget. (Vid. etiam infra ad v. 237.) — **232**. *Quibus - - clauditur orbis* non est simplex narrantis additamentum, quod admodum langueret, sed concludentis cogitatio, pro: ut iis claudatur; in qua Indicativus non potest offendere, cum res in facto posita, s. quae vere locum habet, cogitetur: (ut iis, quod fieri scio, claudatur orbis). Cf. exempla a Ramsh. G. Lat. §. 183. not. 2. congesta, Drak. ad Liv. XXXIX, 12, 7. et Ellendt ad Cic. Brut. 36, 138. Nauck tamen p. 14. de huius rationis veritate dubitans, coll. Aen. II, 71. post *orbis* puncto distinguit et *quibus* explicat per „namque his.“ — *tot funera,* h. e. tot clades et calamitates, *passis.* Cf. Hor. Od. I, 8, 14. *Sub lacrimosa Troiae Funera* et Stat. Theb. III, 163. *miserandaque funera passi.* — *ob Italiam,* propter Italiae aditum; ne ad Italiam accedant (cf. v. 31. et 252.) et gentis Romanae, Carthaginem eversurae, auctores fiant, in toto terrarum orbe nullus considendi locus iis relinquitur. Sic iam Heyn. haec verba rectissime interpretatur; minus recte *Schirach.* p. 512. (coll. Aen. XII, 865., cuius loci prorsus alia est ratio) *ob* per *circum* explicat, ut si breviloquentia: Clauditur totus orbis errantibus circum Italiam, nec e pervenire possunt; quam tamen explicationem etiam Hand. Tursell. IV. p 357. et Nauck. p. 14. (propter Italiam alias terras Troianis non clausas immo oblatas esse contendens coll. Aen. IV, 90 sqq.) probant. — 234 *Hinc,* ab his Troianis (vid. adnott. ad Geo. I, 505. et Aen. I, 21.) *fore* orituros esse, *a sanguine Teucri revocato,* a stirpe Teucri per novam progeniem quasi instaurata (cf. sup. I, 19 sqq.), *Romanos - - ductores* bello potentes, qui totum orbem terrarum imperio regerent. — *Volventibus annis,* (quod etiam ap. Val. Fl. I, 506. et in Anth. Lat. I, 172, 5 legitur) sc. se; quoniam annus in orbem redit: περιπλομένων ἐνιαυτῶ Cf. Geo. II, 295. ibique adnott., ibid. v. 402. Aen. I, 269. etc. cum adno ad Geo. I, 163. et Heind. ad Hor. Sat. I, 1, 36. De verbis autem transtivis, quae omisso Pronomine reflexivo neutrorum s. mediorum natura induunt, praeter eos, quos a me ad Lucr. I, 398. et a Kritzio ad Sal Cat. 6, 7. laudatos vides, cf. Drakenb. ad Sil. IX, 645. Bentl. ad Hor. O VI, 19, 5. Ruhnk. ad Vellei. II, 82. idemque ad Rutil. Lup. p. 73. Ovid. Her. 7, 49. 19, 77. Ruperti ad Liv. II, 3. 2. p. 153. Tzschuck. a Pomp. Mel. III. p. 48. Boetticher. Lex. Tacit. p. 313. s. v. *mutare.* Thi ad Aen. I, 104. Haas. ad Reisigii *Vorles.* p. 290. alios. Ex Vergilio hu pertinent inter alia *accingere* (Aen. II, 235), *addere* (Geo. I, 513. *agglomerare* (Aen. II, 341.), *avertere* (Aen. I, 104. 402.), *durare* (Ecl. V

fore ductores revocato a sanguine Teucri,
ıare, qui terras omni dicione tenerent,
itus, quae te, genitor, sententia vertit?

ɪ*geminare* (Geo. I, 333. Aen. III, 199. IV, 531. V, 227.), *insinuare* ; 229.), *iungere* (Aen. X, 240.), *ponere* (Aen. VII, 27. X, 103.), *praeci-* Aen. II, 8. IV, 251.), *proripere* (Aen. V, 741.), *sternere* (Aen. VIII, *sistere* (Geo. I, 479. Aen. III, 7.), *turbare* (Aen. VI, 807.), *urgere* II, 200.), *vertere* (Geo. II, 33, 333, 365. et saepius), et Participia (Aen. XII, 86.), *pascens* (Ecl. IV, 45.), *quassans* (Geo. I, 74.), Aen. X, 362.), *stellans* (Aen. VII, 210.), *volvens* (etiam Geo. I, n. I, 234. Cul. 193. et alibi: cf. etiam infra v. 269. *volvendis* ɪ), *volutans* (Aen. III, 607.) cett. (Praeterea vid. indicem aliorum Ver- ıbsoluta vi sine Accus. Obiecti a Vergilio positorum, qnem Ribbeck. p. 65 sq. exhibet, ita tamen, ut non ubique consentire possim.) Nescio quo iure Nauck p. 14. contendere possit, hoc loco de omisso *se* non minus absurdum esse, quam si nos dicere vellemus *sich Jahre, sich rollende Wagen;* nobis enim verbum *rollen* et tran- ; intransitive usurpatur, nam dicimus etiam *die Thränen rollen,* ıner *rollt* etc.; quis autem talem intransitivum verbi *volvendi* usum mplis probaverit? — 235. *Hinc fore ductores.* Vid. supra v. 21. ɪdnott. — *revocato a sanguine Teucri,* e propagato genere qui primus erat rex Troianorum. Cf. III, 107 sq. et IV, 274. Quod *candi* verbum attinet, cf. Geo. IV, 282. *Nec genus unde novae revocetur habebit.* Plures Codd. Praepositionem omittunt; sed Cod. Med. una cum Rom. eam agnoscit, et Wagnero iudice ɔrtior est haec oratio: *Hinc - - a revoc. s. T.*, quam si adsciveris ıbsol. (vid. ad Ecl. I, 53.) Praepositionem haud dubie absorbuit ɪuod etiam alibi factum videmus, velut Geo. IV, 423. Aen. I, 19. IV, 230. (ubi eadem fere verba legimus) 656. V, 45. VI, 600. XI, ſ. Alia est Krehlii sententia ad Prisc. VIII, 13, 68. prolata, cui ɪnda quidem videtur esse Praepositio et poëtici sermonis indolem ere;" quam propterea quatuor illis Grammatici locis, ubi hic ver- rtur (praeter l. l. XVIII, 13, 108. 24, 201. 25, 253.), unius vel Cod. auctoritate motus paullo cupidius delevit. Ceterum videtur cum respicere Silius VIII, 414. *Therapnaeo a sanguine Clausi.* — *ıni dicione* Serv. interpretatur: omni potestate, i. e. pace, legibus, ɔctius vero, coll. Aen. X, 53. *magna dicione - - Carthago premat m,* cum Heynio et Iahnio explicueris: summo imperio omnes partes ɔomplectente. Sic Aen. VII, 487. *omni cura.* Ladew. comparat Cic. III, 11. *omni impunitate proposita* et Val. Fl. III, 711. *hoc omni firmo.* Wagnero Vergilius videtur exprimere voluisse Homericum *ισιν.* Non igitur erat, cur Wakef. (coll. Aen. V, 627. VIII, 26. et .) ex uno fragm. Vat. reciperet *terras omnis;* multo minus vero potest Peerlkampii coniectura *terras domini dic. ten.* quam Iahn. . l. p. 26. impugnat et Siebelis p. 15. iure infelicem dicit. Ceterum Wagn. *dicione* scripsimus. Sic enim Medic., Vat. et Rom. con- quotiescunque haec vox apud Vergilium invenitur; item *condicio* .; eaque scribendi ratio aurea aetate communi usu videtur recepta cf. Cellarii Orthogr. p. 213. ed. Harles. Lindemann. Gramm. Lat. p. 14. not. 8. Schneideri Gr. Lat. I. 1. p. 249 sq. et Wagn. erg. p. 422. et 432.), quamquam vulgarem scribendi rationem defendit Harlesius in *Zeitschr. f. d. Alterthumswiss.* 1840. Fasc. 55. p. 529 sqq. — 237. *Pollicitus* Wunderl. (cui adsentiuntur Bryce et Nauck.) accipit pro: pollicitus es, comparans plures bi altera persona Verbi substantivi omittitur (Ecl. V, 4. VIII, 48. .. Her. X, 115. Horat. Ep. I, 3, 35. Od. II, 3, 24., quibus adde 202. Aen. V, 687. X, 827.); neque aliter Schneid. Gr. Lat. I, 1. Sed omnes illi loci nihil commune habent cum nostro, ubi omis- ı fine totius sententiae nimis dura esset. Quare cum Heynio, Wagn. (adsentientibus Hauptio et Coningtone) Punctum vulgo

Hoc equidem occasum Troiae tristisque ruinas
Solabar fatis contraria fata rependens:
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. Quem das finem, rex magne, laborum?
Antenor potuit mediis elapsus Achivis

---

post *Pollicitus* positum in Comma mutavi, ut anacoluthon hic habeamus magnae animi commotioni prodendae aptissimum: Certe - - pollicitus, quae te, genitor, sententia vertit? pro: quae sententia te pollicitum - - vertit? Cf. etiam Bergk. in Iahn. Ann. phil. 1861. p. 637 sq. et quae Kappes l. l. p. 30. contra Henricum Punctum defendentem disputavit, recte docens, has omnes interrogationes non exspectare Iovis responsionem, sed esse potius admirantis et dolentis Veneris exclamationes. Ceterum fuerunt etiam, qui de Apocope (*pollicitu's*) a Vergilio plane aliena cogitarent, quam tamen Ribbeck. (qui cf. in Proleg. p. 153 sq.) in contextum invehere non dubitavit, Colo post *Pollicitu's* posito, iure a Coningtone reprehensus. Rau denique in Sched. p. 34. vss. 235 et 236. omnino abesse, *pollicitus* autem in *pollicitum* mutari malit. — *quae te sententia vertit*, quod novum consilium vertit, mutavit animum tuum et effecit, ut aliter res evenire iubeas Troianis, quam antea tibi placuit; nam *te* i. q. animum tuum, secundum Cic. Tusc. I, 22, 52. *Cum nosce te dicit, hoc dicit, nosce animum tuum.* Ceterum cf. infra v. 260. et Aen. IV, 595. *Quae mentem insania mutat?* Conington practer necessitatem *quae* pro *cur* vel *quomodo* positum censet, quemadmodum supra v. 8. *quo numine laeso* pro: quam ob laesionem numinis. — *genitor* secundum Schol. Maii fortius vocabulum quam *pater*, „quia pater fit et adoptione, genitor non nisi qui genuit.“ — **238.** *Hoc*, scil. promissis istis. — „*occasum* [cf. II, 432.] *Troiae solabar.* Proprie solamur animum, tum dolorem, tum mala et malorum causas: h. e. solando minuimus, tollimus. Cf. Geo. I, 293. et IV, 464.“ *Heyn.* Sic infra XII, 110. *metum*, Moret. 29. *laborem*, Ovid. Fast. II, 821. *lacrimas*, Claud. de nupt. Hon. et Mar. 46. *vulnera*, et si de prosaicis scriptoribus quaerimus, Cic. in Vatin. c. 11. *miseriam*, pr. Mil. 35. *brevitatem vitae*, Tac. Ann. II, 36. *repulsam*, ibid. XVI, 13. *cladem*, Plin. Ep. VIII, 11. *desiderium solari* legimus. Cf. Olivet. ad Ecl. Cic. p. 400. Thiel. et Peerlkamp. ad h. l. Burm. ad Claud. IV. Cons. Hon. 234. idemque ad Val. Fl. II, 151. — **239.** „*rependens*, compensans, *fata contraria*, Troianorum calamitates [vid. ad Aen. IX, 136.], *fatis* sc. aliis, iisque melioribus, novo Italiae regno, h. e. sperans, fortunam Troianorum futuram esse tanto laetiorem. Plane aliter *contraria fata* dicuntur Aen. VII, 293. [ubi, ut IX, 136., de diversorum hominum contrariis fatis sermo est]“ *Heyn.* Biedermann. in Diss.: Quomodo solemur fatis contraria fata? (Friberg. 1780.) Noehden. *Anmerk.* I. p. 27., Voss. in Progr. Crucenac. a 1832. p. 3. Haeckerm. Expl. p. 9. et in *Zeitschr.* XIX. p. 46. et Thiel. *fatis* pro Dativo habent, et Haeckerm. quidem praeter locum illum Aen. VII, 293. *fatis contraria ostris Fata Phrygum* conferri iubet Aen. IV, 628. *litora litoribus contraria*, Ovid. Met. XIV, 301. *verba contraria verbis* et Tibull. III, 4, 83 *votis contraria vota.* Sed quid tum significat *rependens?* cum *rependere* semper sit i. q. par pari reddere, compensare aliquid aliqua re, et cum Ablativo construi soleat. Cf. e. g. Gellius I, 3. (a Coningt. laud.) *Rependere et compensare leve damnum debilitatae honestatis maiore alia honestate* et multos similes locos. — Cum v. 240. sententia cf. Aen. VI, 62., quod autem ad verba attinet, infra v. 599. *omnibus exhaustos iam casibus* et III, 708. *pelagi tot tempestatibus actus* (quos locos Coningt. comparat.) — **241.** *Quem finem.* Vid. adnott. ad Aen. III, 145. — *das* pro facis constituis. Cf. infra IV, 225. Liv. XXVI, 41, 9. *ea fato quodam data nobis sors erat* etc. — **242—249.** „Antenor, et ipse Troia profugus [*mediis elapsus Achivis*, ut II, 318. *telis Panthus elapsus Achivom*] nactus est novas sedes, condito Patavio; cur Aeneas non simili fortuna potitur?“ *Heyn.* Fuit autem Antenor Aesyetae et Cleomestrae filius, senex Troianus et Priamo familiarissimus, sed Graecis clam favens (Hom. Il. III, 203. 262. Dictys I, 6. 11. V, 8. Lycophr. 340. ibique Tzetz. Suid.

Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum et fontem superare Timavi,
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum et pelago premit arva sonanti.

καλιάδιον alii), de cuius in Italiam adventu Aelius Largus, Ovidii aequalis, singulare epos conscripsit. Vid. Ovid. ex P. IV, 16, 17. Cf. de eo Heynii Exc. VII. ad h. l. Stoll. in Pauly *Realencycl.* I. p. 1082 sqq. ed. 2. et Stiehle in Philol. XV. p. 593 sqq. De Henetorum s. Venetorum colonia ab eo in Italiam superiorem ducta cf. Strab. V. p. 212. et XII. p. 608. Cas. Plin. H. N. VI, 2, 2. III, 19, 23. Solin. 44. et Livius I, 1. *casibus deinde variis Antenora* (et ipsum Troia profugum) - - *venisse in intimum maris Adriatici sinum*, quem Vergilius *Illyricos sinus* appellat, ut Cic. Manil. 12, 35. *mare Illyricum*, quia magnae maris Adriatici parti Illyricum adiacet. — *intima* (vel ut Ribbeck. cum schedis Vat. scripsit *intuma*: vid. adnott. ad Geo. IV, 66.; i. e. ad intimum maris Adriatici sinum sita) *regna Liburnorum*, Illyrici populi, in ora maritima habitantis, de quo vid. librum meum geogr. III. p. 837. — *tutus*, incolumis, opponitur verbis *tot casibus actos*. — „*Fontem Timavi*, h. e. Timavum, *superat*, [praeternavigat: cf. Ecl. VIII, 6. Aen. III, 698. Ovid. Trist. I, 11, 5. Tac. Ann. XV, 46. Nep. Them. 3. Liv. XXXI, 23. etc.], quatenus classe litora legens (neque enim aliter, nisi cursu propius ad Illyricum litus servato, mare Adriaticum tuto navigari potest; cf. Liv. X, 2.) praetervectus erat sinum Tergestinum, in quem Timavus immittitur; de quo eiusque *oribus novem* [i. e. fontibus ex montium cavernis prorumpentibus, non ostiis, ut Nauck. p. 14. interpretatur] vid. not. ad Ecl. VIII, 6. Ex iis prorumpit aqua magno cum fragore, *vasto cum murmure montis* [vid. supra ad v. 55.]; statimque in unum flumen collecta maris speciem refert late agros inundantis: *It mare proruptum, et p. p.*“ *Heyn.* Cf. Schilleri nostri: *Und der wilde Strom wird zum Meere.* Ceterum verba *vasto cum murmure* repetuntur a Silio I, 469. et *cum murmure montis* in Anth. Lat. I, 172, 28. — *proruptum*, quod cum vi erupit. Cum enim *prorumpere* etiam transitivo sensu usurpetur (cf. adnott. ad Aen. III, 572. et VII, 459.), potest Part. Perf. Pass. eodem fere sensu dici, quo alibi Part. Praes. Activi *praerumpens*. (Quare non opus est, ut cum Heusing. ad Vechner.. Hellen. p. 511., Vossio ad Ecl. T. II. p. 395., Thielio, Kappesio I. p. 34., Siebelisio p. 15. aliisque *proruptum* pro Supino habeamus, ita usurpatum ut apud Hor. Od. I, 2, 15. *Tiberis it deiectum monumenta regis*, hoc sensu: Timavus it, ut prorumpat (active) mare, Timavus ante se rumpit mare vel ut cum Kappesio et Siebelisio explicemus: *it* (in) *mare* (de qua Praepositionis omissione diximus supra ad v. 2.), quamquam Aen. VII, 32. legimus *Tiberinus - - In mare prorumpit.*) Sic enim apud Sil. III, 51. *Proruptum exundat pelagus.* Cf. etiam Aen. VII, 459. *toto proruptus corpore sudor.* Val. Fl. IV, 507. *proruptus Vesevus.* ib. VI, 632. *proruptus imber.* Stat. Theb. II, 626. *Proruptus sanguis.* Cic. pr. Rosc. Am. 24, 68. *prorupta audacia.* Heins. ad Claud. in Stilich. II, 462. Burm. ad Val. Fl. IV, 507. Ruperti ad Sil. Ital. III, 51. et quae nos ad Geo. IV, 369. adnotavimus. Hanc explicationem, etiam Wagnero, Gossravio, aliis probatam, Haeckerm. p. 9 sq. imprimis contra Ladew. defendit, qui tamen postea mutata sententia et ipse nobiscum consensit. — *pelago*, aquarum abundantia pelago simili. Cf. supra adnott. ad v. 181. — *premit arva*, dum inundans vastat arva. Cf. Cort. ad Lucan. IV, 107. (*qua zona nivalis perpetuaeque premunt hiemes*) et quae supra ad v. 84. de *incumbendi* voc. adnotavimus. (Quae Henry *Tw. years* I. p. 83—95. fusius de h. l. disputavit, unde pauca quaedam repetiit in Philol. XI. p. 504 sq., ea omnia vir doct. nunc recte retractat, quare a me omittuntur). Ceterum Schirach. p. 541. non iniuria reprehendit poëtam, qui Venerem hoc loco, non se ipsum loqui debere oblitus sit. Negari enim nequit, hanc poëticam regionis descriptionem a Veneris persona, imprimis si tempus et causam spectamus, qua illa Iovem *adloquitur*, prorsus esse alienam: quod etiam Ursinus, *Heyn. (in Exc. ad h. l.)*, Wagn. et Gossr. senserunt. Non mirum

Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
Teucrorum et genti nomen dedit armaque fixit
Troïa; nunc placida conpostus pace quiescit:

---

est igitur, Peerlkampium et Ravium (in Sched. p. 35.) hos versus omnin Vergilio abiudicare et pro glossemate geographico habere, quod iure re prehendit Siebelis l. l. Adduntur enim hi versus, ut difficultates, qua Antenor feliciter superaverit, magis premantur. — **247.** ***Hic***, in his locis litori Adriatici, et quidem in intimo sinus recessu inter Euganeos, qui tum hae loca tenebant, Patavium ille condidit. *Hic* enim Adverbium est, noi Pronomen cum *ille* coniunctum, ut III, 558. V, 675. et alibi. — *tame* aut fere i. q. saltem (cf. adnott. ad Ecl. X, 31.), ut Antenori, qui salten certam sedem in Italia invenerit, in seqq. opponatur Aeneas, cui, quam quam ad multo maiora natus sit, hactenus ne pedem quidem in Itali ponere contigerit (cf. adnott. ad v. 249); aut simplicius: quamquam cum tot difficultatibus conflictandum fuerat. — ***ille*** cum vi dictum, cu v. 250. opponitur *nos*. Quod illi licuit, quidni etiam nobis? — ***urbe Patavi.*** Cf. Ruddim. II. p. 37 sq. et Ramsh. §. 96, 4, g. De ips urbe, quam nunc *Padova*, *Padua* dici inter omnes constat, cf. lib meus geogr. III. p. 580. — **248.** ***Teucrorum*** pendet a voc. *sedes*. Naucl p. 15. coniungit verba *Teucrorum et genti*, Copulam ita postpositai censens, ut v. 262. et alibi. — ***genti nomen dedit***, scil. *Venetorum* (c Liv. I, 1, 3. *gens universa Veneti appellati*), quod vulgo veteres a *Henetis* Paphlagoniae, quos Antenori viae socios fuisse aiunt, ductum ess volunt. (Cf. liber meus geogr. III. p. 578). Sunt etiam, qui cum Servi perperam de poëtico *Antenoridarum* nomine cogitant, quod legitur v. ap. Messal. Corv. de progn. Aug. 10. ab Heynio laud. Henry denique (*Tw years* I. p. 96. et Philol. XI. p. 505.) coll. Livio I, 1. parum probabilit de nomine *Troiae* cogitat locumque adeo sic vult distinctum: *genti nom dedit, armaque fixit, Troïa,* non reputans, poëtam hic de *gente* loqu *urbem* autem ab Antenore conditam diserte *Patavium* appellare. — „***arm que fixit Troïa***, pace scil. et tranquillo otio parto; quod suavi reru imagine reddidit, petita illa ab iis, qui militia missi arma suspendebant figebant.“ *Heyn.* Cf. Eurip. Hec. 898. (a Wagn. laud.) Aen. IV, 495. *arma fi thalamo*, Aen. XII, 768. *figere dona*, Hor. Ep. I, 1, 4 sq. ibique Schmid. et O bar., cum adnott. ad (Ecl. VII, 24. et) Aen. V, 484. De forma *Troïus* vid. sup ad v. 119. — ***Nunc placida conpostus pace quiescit.*** „Pro simpl *quiescit* dixit *compositus quiescit*. Sane *componi* absolute mortui dicunt et iidem *quiescere*. At Veneris consilio, quo hoc exemplum affert, n conveniret, Antenoris *mortem placidam* laudare. Sed dicendum, poëtam l. *compositum* novo exemplo usurpasse, ut sensum intenderet, tranquil vita frui Antenorem, ut *se componere* dicuntur ii, qui se quieti dant somno. Nec *pax* mortuis tribuitur.“ *Heyn.* Adsentiuntur huic explicatio iam Burmanno probatae (qui conferri iubet adnott. ad Val. Fl. V, 296. Rutil. I, 161. et infra ad Aen. III, 387.), Schirach. p. 362., Hübler l. c. 6. Bach. ad Ovid. Met. VII, 444, Peerlk., Henry (*Tw. years* I. p. 96. et Phil XI. p. 505.), Kappes I. p. 35. Nauck. p. 15., Haeckerm. in *Zeitschr.* XIX. p. 4 Gossrau, et Ladew. Conington, quibus nunc me ipsum adiungo, commotus pot simum fragm. Varronis Atacini ap. Senecam Controv. III, 16. *Desierant latra canes urbesque silebant, omnia noctis erant* ***placida composta*** *quiete* Lucr. VI, 73. verbis *placida cum pace quietus* coll. cum simili loco Aen. VI 321 sqq. *Is genus indocile - - Composuit legesque dedit. - - Sic placi populos in pace regebat,* praeterea Ennio Ann. XVIII, 7. p. 66. Vahl. *Sicut fo equus - - nunc senio confectus quiescit* (a Coningt.) et Curtio IV, 20. *Mu ego casibus defuncta - - nunc tamen longa pace cuncta refovente, s tutela Romanorum mansuetudinis acquiescit* (ab Henr. laud.) et destitut a spe locum inveniendi, ubi *pax* pro morte posita appareat. Prius cu Iahnio, Wagn. et Handio et Stat. Silv. I. p. 50., (adsentiente Bryc haec verba de morte Antenoris intellexi, cum pacis et tranquillitatis no *iam insit verbis* antecedentibus *armaque fixit*, verbis autem *nunc - - qu scit in sequentibus* per oppositionem respondeant haec: caeli quibus adnu

Nos, tua progenies, caeli quibus adnuis arcem,
Navibus — infandum! — amissis unius ob iram
Prodimur atque Italis longe disiungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?"
Olli subridens hominum sator atque deorum

---

arces, vox *compositus* plerumque de mortuis dicatur et hoc tantum defuisse videatur absolutissimae felicitatis imagini, ut Antenor felicem rerum suarum cursum usque ad mortem servarit, ante quam veteres neminem beatum fuisse praedicarunt, ita ut placida demum et beata morte felicitas humana omnibus suis numeris et partibus expleri censeretur. *Compositus* igitur, ut alibi etiam de dormientibus dicitur (Varro ap. Senec. Ep. 56. Ovid. Aen. I, 4, 53. Val. Fl. VII, 246. al.), sic hic de secure et tranquille vivente. Cf. Geo. IV, 338. *Vix defessa senem passus conponere membra.* Tac. Ann. III, 44. Prop. I, 11, 13. II, 2, 2. Silius XVII, 359. aliosque locos ab Henr. allatos docte de h. l. disputante. Sic autem a Venere, quae filio suo non placidam mortem, sed felicem vitam optat, aptissime sibi opponuntur sententiae: Antenor nunc placida pace in quietis sedibus fruitur, Aeneas vero etiamnum Italiae oris longe disiungitur et cum periculis conflictatur. De forma *conpostus* vid. supra ad v. 26. adnotata. — **250.** „Magno cum artificio se ipsam facit unam ex Troianis, qui iniuriam tulerint: *Nos, tua progenies.*" *Heyn.* Weickert. (Adnott. in Aen. L. I. II. p. 7.) rectius censet, Vergilium hic sequi vulgarem illum fori Romani morem, ex quo causae patronus mala illa, quae cliens suus passus est, ad se quoque pertinere fingit. (Cf. Weisk. ad Cic. pr. Rosc. Am. §. 7.) *Nos* enim i. q. ego et Aeneas meus. Eadem ratione Sol Aeetae filii causam agit apud Val. Fl. I, 513., quem locum Wund. una cum Soph. Aj. 269. hic comparat. — *caeli quibus adnuis arcem,* quibus (cui) promittis post mortem inter deos relatum iri. — *adnuere*, κατανεύειν (ut ap. Hom. Il. II, 112. ὑπέσχετο καὶ κατένευσεν), nutu promittere. Cf. infra IX, 106. X, 115. XII, 187. Hor. Od. IV, 6. 22. Val. Fl. I, 40. Catull. LXIV, 204. Tibull. IV, 1, 133. etc. Praesens autem rem viridius indicat, quam Perf. *adnuisti.* Cf. supra v. 99 sq. *iacet, volvit* ibique adnott. — **251.** *infandum!* hic et Geo. I, 479. interiectionis modo interpositum, ut alibi *indignum* (Hor. Ep. I, 6, 22. Ovid. Met. V, 36. id. Am. I, 6, 1.), *miserum* (Aen. VI, 21.), *malum* (Cic. Verr. II, 1, 20. Phil. X, 9, 18. Ter. Phorm. V, 7, 55. et saepius), *nefas* (Aen. VIII, 688. X, 673. Hor. Od. III, 24, 30.) et similia. Cf. Bentl. ad Hor. Sat. II, 5, 79. Cort. ad Lucan. I, 626. Bach. ad Ovid. Met. V, 37. Obbar. ad Hor. Ep. I, 6, 22. Vol. I. p. 313. et Ruddim. I. p. 320. — **252.** „Callide et invidiose illa: *unius ob iram,* sc. Iunonis, [cf. v. 4.], et *navibus amissis,* pro navium parte, et *prodimur,* per fraudes perdimur, per insidias Iunonis calamitatibus vexamur." *Heyn.* — *Italis longe disiungimus oris,* mari medio aliisque terris interiacentibus. Burm. confert Val. Fl. II, 562. *quamvis longis disiungimur oris.* — **253.** *Hic pietatis* (qua Aeneas insignis fuit) *honos? Hic* est hic ipse, non alius, ideoque fere i. q. talis, ut nos: *ist das der Lohn?* Cf. adnott. ad Ecl. VII, 33. et Wagn. Qu. Virg. XX. p. 475. — *honos* i. q. praemium; ut Aen. V, 249. 308. Ovid. Met. II, 285. *hunc fertilitatis honorem refers?* Ter. Eun. V, 6, 22. *Hic pro illo tibi munere honos est habitus?* ubi vid. Ruhnk. Verba ipsa *Hic pietatis honos?* leguntur etiam Eleg. ad Liv. v. 133. et in Anth. Lat. IV, 55, 1. De forma *honos* cf. adnott. ad Ecl. III, 56. Geo. III, 118. cett. — *Sic nos in sceptra,* in promissum Italiae regnum (vid. adnott. ad Aen. III, 296.), cum Troiano exciderimus, *reponis,* restituis? Cf. Val. Fl. V, 698. (Donec Aeeten) *Graius nepos in regna reponat.* id. VI, 742. *solio reponere fratris.* Silius V, 486. *certabat pulsos per regna reponere reges.* Peerlkamp. confert Val. Fl. IV, 7., ubi eadem amara ironia: *Sic Iuno ducem fovet?* Adde Epit. Iliad. 102. *Haec ita dona refers nobis? sic diligor a te?* — *sceptra* pro regno, insigne pro re ipsa, ut supra v. 78. VII, 422. *IX, 9. 267. X,* 852. Ceterum verba *sic nos in sceptra reponis repetuntur in Anth. Lat.* I, 178, 34. — **254—296.**

Voltu, quo caelum tempestatesque serenat,
Oscula libavit natae, dehinc talia fatur:
„Parce metu, Cytherea; manent inmota tuorum

„Sequitur nobilissimus locus, in quo sub vaticinii specie arte non improbabili explicantur origines Romae, incrementa splendorque imperii Augusti. — **254—256.** Aliter haec Vergilius adornavit, quam Homerus sua, cum Thetidi annuentem facit Iovem Il. I, 517 sqq., in quibus Iovis maiestas augustior. At hic placidi, *μειλιχίου*, Iovis suavis imago." *Heyn.* Praeter locum laud. Vergilius etiam Hom. Il. XVI, 53 sqq. ante oculos habuit. Singulari autem arte hic Iovem inducit de omni Romanorum historia breviter exponentem et futuram populi magnitudinem praedicentem, quo simul occasionem sibi parat Augusto ingeniosa ratione adulandi. — **254.** Cf. Ennius Ann. I, 31. p. 9. Vahl.: *Olli respondet rex Albai longai.* Antiquiorem Pronominis formam Codd. etiam IV, 105. V, 10. 197. 284. 358. VI, 321. VII, 458. 505. VIII, 94. 594. IX, 740. X, 745. XI, 120. XII, 18. 309 et alibi praebent, semel etiam Plur. *ollis* Aen. VIII, 658. Cf. Varro L. L. VI. p. 89. Bip. Quint. VIII, 3, 25. Prisc. I, 6, 33. p. 553. P. Isidor. Orig. I, 34. Columna ad Ennium p. 50. (p. 17. Hessel.) Planck. ad eiusd. Med. p. 78, et quae nos disputavimus in Praef. ad Lucr. p. XVIII. sq. Wagn. memorat, Vergilium hac antiquiore forma in narratione modo gravi et sedata, numquam in orationibus uti. Cf. etiam Niebuhr. Lect. Vol. II. p. 155. a. 1844. a Coningt. laud. — „*subridens, μειδιόων.* Compara similia XII, 829. In v. 255. Ennium [Ann. fr. inc. 3. p. 67. Vahl.] ante oculos fuisse notat Servius: *Iuppiter hic risit, tempestatesque serenae Riserunt omnes risu Iovis omnipotentis.* Sed Ennius, utut oratio horrida est, multo vividius rem expressit. *Heyn.* — Verba *hominum sator atque deorum* redeunt Aen. XI, 725. — **255.** *Vultu, quo - - serenat.* Sic solent poëtae oculorum vultusque singularem quendam habitum circumscribere. Cf. e. g. Prop. V. (IV,) 6, 33. *quali adspexit* (Apollo) *Pelopeium Agamemnona vultu.* Ovid. Met. II, 748. *Adspicit hunc oculis isdem, quibus abdita nuper Viderat Aglauros flavae secreta Minervae.* Deos autem vultu suo vel laeto vel irato in regno suo et pacem restituere et turbas movere, res est satis nota. Cf. supra v. 127. Peerlk. comparat suavem imitationem Ovidii Fast. IV, 6. (Venus) *risit et aether Protinus ex illa parte serenus erat.* Wund. adnotat, ad *caelum* et *tempestatem* diversam verbi *serenandi* requiri significationem, comparans infra v. 355. Ovid. Met. II, 312. Tib. III, 3, 21. et similia zeugmatis exempla. Ceterum ut Heynius inscriptionem ap. Gudium p. V. n. 3. IOVI OPT. MAX. SERENATORI, sic Henry (*Class. Mus.* XIX.) apte comparat imaginem Iovis sereni in lucerna fictili Musei Passer. Tom. I. tab. 33. repraesentatam cum inscriptione IOVI SERENO SACR. cui in *Tw. years* I. p. 98. et Philol. XI. p. 505. addit inscriptionem IOVI SERENO in Boissardi Topogr. Romae. V. tab. 24. et verba Martialis IX, 25, 3. *haec sunt Iovis ora sereni.* — *Oscula libavit natae. Oscula* in hac dicendi formula prima significatione accipiendum videtur, qua idem valet, quod labella (parvum os, *στομάτιον*); ut *oscula libare* prorsus eadem ratione dictum sit, qua *fluvium, amnem, dapes libare* (cf. Ecl. V, 26. IV, 54. Aen. I, 737. V, 92.). Illa autem significatione legitur *osculum* e. g. apud Hor. Od. I, 13, 15. Ovid. Met. I, 499. Martial. XI, 92, 7. Petron. 126. alibi, fortasse etiam Aen. XII, 434. et ap. Phaedr. IV, 23, 7., quamquam *delibare oscula*, quod ibi et ap. Suet. Aug. 94. (a Coningt. laud.), legitur, non prorsus idem est quod *libare oscula.* Cf. etiam adnott. ad Geo. II, 523. Schirach. p. 476. et Wakef. ad Lucr. VI, 621. Wagn. conferri iubet Ilgen. ad Cop. p. 57. Imitatur hunc locum Silius I, 104. *Olli permulcens genitor caput oscula libat.* — „*Natae,* cum energia adiectum, licet *olli* antecesserit, ut revocetur in animum persona, de qua agitur. Ita semper fere Homerus, *τῷ δ'* — *Ἕκτορι* et al." *Heyn.* — *Parce metu, φείδεο τοῦ φοβεῖσθαι, spare die Furcht,* i. e. noli metuere. Nam *parcere* alicui rei interdum idem est quod abstinere aliqua re, desinere, cessare aliquid facere. Vid. *infra II, 534. Non tamen abstinuit, nec voci iraeque pepercit,* qui locus

ata tibi; cernes urbem et promissa Lavini
:oenia sublimemque feres ad sidera caeli
:agnanimum Aenean; neque me sententia vertit.
ic tibi — fabor enim, quando haec te cura remordet,

---

cet, quomodo haec significatio e primaria prodierit. Sic IX, 656. *bello*, o. II, 339. *flatibus*, Liv. VI, 3, 4. *lamentis*, Cic. Planc. 35, 86. *auxilio*, aut. Pseud. I, 1, 3. *labori parcere* etc. Cf. etiam Ecl. III, 94. et Geo. 339. Ceterum de contracta Dativi forma (*metu*) vid. adnott. ad Ecl. 29. — *Cytherea*, *Cythera* et *Cythereis* Venus dicitur, quia ex spuma ris exorta in Cytheram insulam (nunc *Cerigo* dictam) primum egressa ; (Hesiod. Theog. 188 sqq.) ibique antiquissima templa habuit. Herod. I, 5. Paus. III, 23, 1. Hor. Od. I, 4, 5. Ovid. Met. IV, 288. etc. et obitz. ad Lucian. Char. c. 5. Vergilius hac una nominis forma (*Cythe-*) utitur. Vid. infra v. 657. IV, 128. V, 800. VIII, 523. 615. Respexit nc locum Silius III, 571. *pelle metus - - - Cytherea.* — *manent mota tuorum Fata tibi;* quia Venus v. 237. quaesiverat: *quae te tentia vertit?* *Manere* verbum proprium de immutabili fato, quod extra s positum ne Iovi quidem, qui solus fata novit, ad irritum reddere t. Cf. adnott. ad Aen. I, 39. Sic etiam VII, 314. Val. Fl. IV, 709. *fati certa nam lege manebat.* II, 572. *Priami sed quis iam vertere mi Fata queat? Manet immotis nox Dorica lustris* etc. — 258. *Lavi-* a nominativo *Lavinium* (vid. ad v. 270.); nam Vergilius quoque, ut nes fere aureae aetatis poëtae, Genitivum Substantivorum in *ium* et *ius* inentium non in *ii* sed in *i* terminavit. Vid. adnott. ad Aen. IX, 151. 258. *urbem et promissa moenia*, h. e. promissam Lavinii urbem. Wagn. Qu. Virg. XXXIII. p. 545. cum iis, quae ad Ecl. II, 8. et alibi notavimus. — 259. „*sublimemque feres* cett. Propter v. 250. *caeli ibus adnuis arcem.* Bene addidit *feres*, ut gratius esset, quod per am fieret, ut docet Servius. Recipietur utique olim Aeneas inter deos, n. XII, 794. *Indigetem Aenean scis ipsa et scire fateris Deberi caelo tisque ad sidera tolli.* Utrumque ex Ennio I. Annal. [fr. 47. p. 12. Vahl.] us erit, *quem tu tolles ad caerula caeli Templa.*“ *Heyn.* Aeneam autem, i, in bello cum Etruscis gesto subito ex hominum conspectu ereptus, mici fluminis gurgite haustus putabatur, Iovis Indigetis (Διὸς χθονίου) nine vere inter deos relatum esse, narrant Liv. I, 2. et Aur. Vict. de G. R. 14. Cf. etiam Ovid. Met. XIV, 600. Tibull. II, 5, 43 sq. et n. Hal. I, 64. Ribbeck. et hic recepit Adverb. *sublimen*. Vid. adnott. ad Geo. 42., ubi adde Ritschl. Opusc. II, 462 sqq. — *ad sidera caeli.* Cf. adnott. Ecl. V, 51. — „*magnanimus*, quod semel notamus, male de generosa animi ole accipiunt; est *fortis*, *animosus*, ex μεγάθυμος, μεγαλήτωρ, quae omnia bellicam virtutem referenda.“ *Heyn.* Redit hoc Aeneae epitheton V, 17. et 204. Alibi aliis heroibus, XII, 144. et 878., etiam Iovi tribuitur. — Iam rte ad illam Veneris quaestionem (v. 237.) Iupiter respondet: *neque sententia vertit*, i. e. etiamnum cum fatis consentio, quaeque antea licitus sum, praestabo. Ne forte, coll. X. 608. *nec te sententia fallit* et ilibus locis, *nec* pro *neque* scriptum malis, vid. Wagn. Qu. Virg. XXXII, 3. ., ubi *nec* fortius et gravius, *neque* mollius et lenius esse, ideoque hoc tro loco, quo nihil mollius ac lenius cogitari possit, magis convenire tur. Iterantur haec verba in Anth. Lat. I, 147, 35. et I, 170, 50. — . *Hic* (Aeneas) opponitur *Ascanio*, qui v. 267. commemoratur. Cf. ott. ad Ecl. III, 5. et Wagn. Qu. Virg. XX, 7. — *tibi*, ut supra v. , est Dativus ethicus, quem vocant (cf. adnott. ad Ecl. VIII, 6.), cum um *geret* coniungendus, quod perspexerunt Wakef. et Wagn., quibus in edit. etiam Iahn. adsensus est, postquam prius cum Servio coniunxit *fabor enim* (tibi, non aliis, tibi soli). Sed primum haec oppositio i — non aliis) multo languidior est h. l. altera (fabor — non celabo), quam Dativ. obiecti facillime intelligi potest ex verbis adiectis, ndo (quidem) *haec te cura remordet;* deinde vero iam Wagn. verissime otavit, *duo vocabula ita posita, ut utrumque spectet ad aliquid opposi-*, *in ipsis tamen nulla sit inter se oppositio*, non solere ita iungi e'

Longius et volvens fatorum arcana movebo —
Bellum ingens geret Italia populosque ferocis
Contundet moresque viris et moenia ponet,

iuxta poni (ut h. l. *hic* et *tibi* iuxta posita sunt), ne alterius vis per alterum deprimatur; denique cf. locus simillimus IV, 20. *Anna, fabor enim* etc. Quare non erat, cur Thiel., Henry in Philol. XI. p. 506., Haeckerm. Expl. p. 10 sq. et in *Zeitschr.* XIX. p. 47. et Kappes l. l. p. 37. ad Servii explicationem reverterentur et Thiel. quidem post Iahn. plura de Part. *enim* tertio enuntiationis loco posita disputaret, Henry autem premeret voc. *tibi* et *te*, quae sibi invicem respondeant. Ceteri recentiores editores nobiscum faciunt. — **262.** „Quandoquidem haec cura te mordet, cruciat, rem tibi exponam et fata altius repetam.“ *Heyn.* — *remordet* pro iterum iterumque mordet, non cessat mordere, usurpatum videtur, ut Aen. VII, 402., ap. Lucr. III, 837 sqq. *Advenit id, quod eam* (animam) *de rebus saepe futuris Macerat* - - - *Praeteritisque male admissis peccata remordent.* ibid. IV, 1131. *Aut quom conscius ipse animus se forte remordet.* Iuven. II, 35. *vitia* - - - *castigata remordent.* Liv. VIII, 4, 3. *Libertatis desiderium remordet animos.* Ceterum conferendae sunt *mordaces sollicitudines* apud Hor. Od. I, 18, 4. et *edaces curae* ap. eund. Od. II, 11, 17. Respexerunt autem hunc locum Claud. B. Gild. 302. *non impar naturae cura remordet* et auctor epigr. in Anth. Lat. III, 84, 1. *Vince mero curas et quidquid forte remordet, Comprime.* — **262.** *Longius et volvens.* Plures Codd. *Longius evolvens;* sed Copula aegre desideratur. Ipsa autem locutio, nisi malis cum plurimis editoribus, etiam Nauckio l. l., Aldenhov. *Ueber d. Virgil. Fatalismus* p. 26. not. 57. et Dietschio Theol. Verg. p. 19., de metaphora cogitare a libro sumpta, qui longius volvitur, evolvitur, ut plura legi possint („quasi Iupiter librum fatalem manu teneat ac non tantum primas paginas introspiciat, sed medias quoque et extremas“), quod tamen Iove minus dignum videtur (nam locus, ad quem Ladew. provocat, Ovid. Met. XV, 809—814., a nostro multum discrepat, quamquam etiam Wagn. censet, „Ovidium haec verba arripuisse ac rhetorice, sed parum feliciter, exornavisse“), ita est explicanda, ut Iupiter narrando id efficere cogitetur, ut fata ipsa quasi ante Veneris oculos volvantur, ideoque, si summam rei spectamus, *longius volvere* idem fere sit, quod altius repetentem narrare, quomodo fata volvantur. Cf. etiam III, 102. ibique adnott. Thiel. minus probabiliter coniungit verba *longius movebo* et Kappes l. l. *fabor longius.* — *arcana movere*, quasi occlusa aperire et in lucem protrahere. Cf. Schirach. p. 498. Heyn. *movebo* simpliciter per proferam, narrabo, explicat, coll. Bentl. ad Hor. Od. III, 7, 20. (ubi legimus *historias movet.*). Cf. etiam adnott. ad Aen. VII, 45. 641. et X, 163., ubi *cantus movere*, et Ovid. Met. XIV, 20., ubi *carmen movere* legitur. Pauci quidam Codd. et editt. vett. *monebo* vel *docebo*, temere. — **263.** *Bellum ingens*, ut Geo. II, 279. — *Italia*, pro in Italia, more Graecorum. Cf. ad Geo. I, 134. Aen. I, 2. et al. adnott. — *populos feroces*, Rutulos et Etruscos. *contundet*, superabit, vincet, ferociam eorum frangens. Cf. Liv. XXVII, 12. *adhortatus milites* (Hannibal), *ut memores Trasimeni Cannarumque contunderent ferociam hostis.* eiusd. XL, 52, 6., ubi de *contusa Antiochi regis classe* sermo est. Similiter Hor. Od. III, 6, 10. *impetus*, ibid. IV, 3, 8. *regum minas*, Prop. I, 1. 10. *saevitiam*, et Cic. Rep. I, 1, 1. *bellum contundere* dixerunt, et Cic. Phil. XIII, 13. coniungit *contundere* et *frangere*. *Ferocia* autem militum in laude est. Cf. Sall. Cat. 11. Iug. 102. Liv. III, 27. Tac. Hist. II, 76. a Gossravio laud. — **264—266.** „*moresque viris et moenia ponet*, urbem condet Lavinium et novum imperium fundabit legibus (*mores ponet*) per illud triennium, quo regnum tenebit.“ *Heyn.* *Mores* pro legibus etiam VI, 853. et VIII, 316. legitur; *ponere* autem tam *moenibus* quam *moribus*, i. e. legibus, convenire, Burm. docere studet locis Lucani II, 12. (*sive nil positum est*) et Aen. X, 623., qui tamen non prorsus eiusdem sunt generis. Aptius conferri poterant Hor. Sat. I, 3, 105. Silius XIII, 533. Cic. Verr. II, 5, 11., ubi *leges ponere*, et Prop. V, (IV,), 9, 64., ubi *iura ponere* legimus, et Graecorum νομοθετεῖν. Wagn. tamen zeugma statuendum et *dabit* ad *mores* supplendum esse censet, quod iure vituperan'

Tertia dum Latio regnantem viderit aestas
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur, — Ilus erat, dum res stetit Ilia regno —

Nauck. p. 15. et Ladew. *Imponere mores* etiam infra VI, 853. legitur VIII, 42. XI, 708. Tibull. II, 5, 56. *hic magnae iam locus urbis erit*, qui locus omnino cum nostro conferendus, etc. Cf. Schwab. ad Phaedr. V, 2, *Moenia, urbes ponere* pro condere, satis tritum. Cf. Cerda ad Aen. VIII, 52. Heins. et Burm. ad Ovid. Met. III, 13. et Ruhnk. ad Vellei. I, 2. — 265 sqq. Aeneas per triennium regnabit, per triginta annos Ascanius, per trecentos Albani reges; Romae autem imperium erit infinitum. — *Tertia dum* cett., h. e. *donec*. Animadvertas autem Partic. *dum* cum Futuro exacto coniunctam et cf. Hand. Tursell. II. p. 304. — *aestas*. Vid. adnott. ad Geo. III, 190. — *terna hiberna*, scil. castra, h. e. tres hiemes; *terna* pro tribus. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 73. — *Rutulis subactis*, Turno victo ac caeso. Noli vero *Rutulis subactis* pro Ablativis absol. habere; est potius tertius Casus cum *transierint* coniungendus et Graecorum more usurpatus pro: ex quo Rutuli subacti erunt. Cf. Iuven. XIV, 10. *Cum septimus annus Transierit puero* (a Coningt. comparatus) Demosth. in Mid. c. 24. *μαρτυροῦμεν ἤδη τῇ κρίσει ἐκείνῃ διαγεγονότα ἔτη ὀκτώ* et Thucyd. I, 3. med., quos locos Wunderl. laudat, et Buttmann. ad eand. in Mid. orat. p. 169. Vid. etiam supra ad v. 102. Ceterum Rau in Sched. p. 35 sq. vv. 265. et 266. levibus de causis suspectos habet. — 267. *At puer Ascanius*. Vid. supra ad v. 261. De Part. *at* transitioni inserviente, „ubi ad aliam vel rem, vel personam, vel tempus (alii oppositum) oratio confertur,“ cf. Wagn. Qu. Virg. XXXVII, 2, a., qui Aen. I, 305. 689 sqq. IV, 156. 296. 393. 642. V, 178. 188. 210. 258. VI, 9, 232. VII, 500. 511. 774. 789. multosque alios locos congessit. — *cui* (vel *quoi*, ut Ribbeck. scribit: vid. eius Proleg. p. 413. et adnott. ad Geo. I, 344.) *cognomen Iulo*. Peerlk. acute adnotat: „Iupiter sic loquitur, quasi Troiani suo monitu ac voluntate, ipsi nescientes et imprudentes, hoc fecissent, ut *Iuli* cognomine vocare inciperent *Ilum*.“ Burm. commemorat lectionem *Iulus;* sed *Iulo* praeter Codd. nobis cognitos defendit etiam Rufin. de Schem. Lex. p. 33. ap. Burm. Cf. Gronov. ad Liv. I, 1. extr. Beneck. ad Iustin. XIII, 7, 1. Ruddim. II. p. 125 sq. Ramsh. §. 116. not. alii. Iam Servius docet: „Dicimus et *nomen mihi est Cicero* et *Ciceronis* et *Ciceroni*. Melius tamen Dativo.“ Ceterum *Iulus* hic ex Graecorum ratione est nomen trisyllabum, apud Hor. Od. IV, 2, 2. et alibi Latina pronuntiatione bisyllabum. — 268. Heyn. hunc versum subditicium esse singulari Excursu (VIII. ad h. l.) ostendere studuit, secutus in hac re Virum doct. Britann. in Miscell. Obss. Vol. I. p. 5. et 82., atque etiam Gossr. minus aptum et talem censet, quem Vergilius haud dubie emendaturus fuisset. Tuentur autem eum Codd. omnes, Servius et Auctor libelli de progenie Aug. ab Heynio ipso laud. (qui v. 267. et 268. recitat); tuetur etiam Homeri auctoritas, Il. VI, 402 sq. *τὸν ῥ' Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον, αὐτὰρ οἱ ἄλλοι Ἀστυάνακτ'· οἶος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ*, quem vix dubitare possumus quin poëta ante oculos habuerit; tuetur denique ipsius loci ratio, cum iam illud *nunc* tale additamentum exspectari iubeat et causa aliqua, unde ipsum Iuli cognomen Ascanio venerit, vix reticeri potuerit; quibus causis permoti cum Iahnio (supra ad v. 109.), qui etiam cf. in Annal. suis XLIII. p. 38. et Wagn. asteriscos ab Heynio adpictos sustulimus, in quo omnes recentiores editores nos secuti sunt. Similem autem nominis alicuius explicationem et etymologiam apud Vergilium haud raro deprehendimus. Vid. Aen. I, 288. III, 334. VII, 411. VIII, 271. 331. 338. 343. etc. Ceterum Ascanium antea Iulum appellatum fuisse, non nisi Romanorum scriptorum est commentum, in imperatorum gratiam effictum. Ascanii quidem nomen in fuga demum ipsi inditum, prius vero *Euryleonem* vocatum fuisse, refert Dionys. I, 65. Cf. Heynii Exc. XVII. ad l. II. et Ovid. Met. XIV, 609., qui haud dubie Vergilii locum ante oculos habuit. — *dum stetit*. Vid. infra ad III, 16. adnott. *Res stetit Ilia regno* poëtice dictum pro: *res stetit* (i. e. *incolumis mansit*) *Ilio regno* (dum regnum Ilium incolume fuit), si

Triginta magnos volvendis mensibus orbis
Imperio explebit regnumque ab sede Lavini
Transferet et longam multa vi muniet Albam.
Hic iam ter centum totos regnabitur annos

---

mul cum regio imperio cecidit etiam (eversa est) res Ilia. \ enim *standi* h. l., ut saepe, i. q. incolumem esse. Cf. Geo. IV, 20(II, 56. et imprimis II, 88. *Dum stabat regno incolumis*. Wagn *Ilio regno* minus recte pro Dativo habuit, coll. parallelo Livii loc(*res Latina et regnum avitum paternumque puero* (Ascanio) *stetit* iure vituperat Siebelis p. 16., in explicando loco nobiscum conse quare Wagn. in recentiss. edit. sententiam suam recte mutavit. autem, cui *res stetit Ilia regno* non Latinum videtur, proponit conie *dum res stetit Ilia, regni Triginta menses* etc. Sed vide Iahn. Ar l. p. 39. — **269—271.** „Trigesimo regni anno Ascanius Alban gam condidisse sedemque regni a Lavinio in novam urbem tulisse traditur. [Cf. Cato ap. Serv. ad h. l. Varro R. R. 18. et Dion. Hal. III, 34.] Quem si verbis sensum inesse voluit, locutus est poëta pro: Ascanius XXX annos imperio explebit, *cum* r transferet. Si tamen ad communem grammaticam rationem verba nihil definit poëta, sed Ascanium XXX annos esse regnaturum, et regni tempore urbem novam conditurum ait. Sed prius cum poëtae nibus convenit; cf. inf. VIII, 42. 47. 48. — *orbes*, annos, *ma* longos, ut alibi, epitheto ex natura anni deprompto, quatenus mensium spatia comprehendit. [Cf. Aen. III, 284. etc.] Argutatur in Somn. Scip. II, 11. et Serv. cum aliis interpretibus in h. v." *Triginta magnos orbes* ex hoc loco repetit poëta Anth. Lat. III, 81. *volvendis mensibus*. Participium Futuri Passivi ut Participium sentis Passivi usurpatum legimus etiam IX, 7. *volvenda dies*, i. volvens; quocum cf. supra v. 234. ibique adnott., Ennii Annal. 60. p. 76. Vahl. *clamor ad caelum Volvendus per aethera mugit* et Qu. Virg. XXIX, 4., (qui huc etiam refert Aen. I, 494., ubi vid. a Schmidt. *über den Infin.* p. 62. Goerenz. ad Cic. Acad. II, 43, 1 Ritschl. Parerg. I. p. 27. — *magnos orbis*. Cf. Aen. V, 46. *orbes*. — **270.** *ab sede*. Sic Heins. ex Med., Rom. aliisque libris meli Cf. Cort. ad Lucan. I, 482. Hand. Turs. I. p. 5 sq. et adnott. ad (171. De genitivo *Lavini* a voc. *sedis* pendente Weickert. l. l. c iubet III, 295. VII, 697. 714. VIII, 231. X, 68 sq. Suet. Octav. Ramsh. p. 167. (§. 106. b. p. 313 sq. ed. 2.) Beier. ad Cic. Off. II, 5, 16 Matth. ad Cic. Cat. II, 24. alios. Vide etiam supra ad v. 247. autem non a Nomin. *Lavinum* descendit, sed contractum est ex *L* (Vid. adnott. ad Ecl. I, 32. et Aen I, 2. IX, 151.) Veram enim nominis formam *Lavinium* fuisse, satis probatur per nomen gentile *niensis* et *Lavinius*; a *Lavino* si duceretur, Wagnero auctore, vel *La* vel *Lavinensis*, vel etiam *Lavininus* formandum esset. Vid. etiam ad v. 9. et 258. Erat autem *Lavinium* oppidum Latii maritimu Aenea conditum et in coniugis honorem ita appellatum, unde A coloniam Albam Longam deduxit, quae regum sedes mansit us(Romuli tempora. Cf. de eo liber meus geogr. III. p. 715. — **271.** *T feret*, quo? ex verbis statim sequentibus apparet. — *muniet*, e et moenibus cinget (cf. supra v. 7.), *multa vi*, magnis opibus, hominum rerumque apparatu. Praeivit Lucr. I, 729. *multa munita vi*. — **271.** *longam Albam* hic, ubi de urbe demum condenda ser *Longa* vero *Alba* infra VI, 766., ubi urbs iam condita et nomine cogitatur, cum recentissimis editoribus nunc scripsimus. Nauck. idem discrimen intercedere docet, quod inter *der grosse Alexan Alexander der Grosse*. Aliter censet Süpflius, etiam hic *Longa* scribens. De ipsa urbe vid. librum meum modo comm. III. p. 717. — Per CCC annos reges e Troiana stirpe Albae Longae esse regnatur(— *iam* de eo, quod nondum est, sed aut statim (ut hoc loco) a tempore certe fiet, ideoque confidenter exspectari potest (ut nos: *e*

Gente sub Hectorea, donec regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus
Romulus excipiet gentem et Mavortia condet

---

schon werden, er wird schon kommen etc.). Cf. Aen. IV, 566. VI, 676. 6. Wagn. Qu. Virg. XXIV, 5. et Hand. Turs. III. p. 125. (Aliter tamen Conington, qui, si eum recte intelligo, *iam* per: ab eo inde tempore explicandum censet.) — *ter centum*. Vid. adnott. ad v. 71. Cf. Iustin. XLIII, 1, extr. *Alba trecentis annis caput regni fuit*. — „*regnabitur gente sub Hectorea*, regnum tenebitur a regibus Troianae stirpis. Cf. XII, 826. *Sit Latium; sint Albani per saecula reges* etc. — *Gens Hectorea* est Troiana simpl., ut V, 190. *Hectorei socii*. Ex Troiana saltem stirpe, si non omnes ex Aeneae prosapia, oriundi fuerunt reges, qui Albae Longae imperarunt.“ *Heyn*. De ipsa re cf. etiam infra VIII, 42 sqq. et Iustin. XLIII, 1. extr. — **274**. Rhea Silvia etiam Horatio Od. III, 9, 8. IV, 8, 22. Ovidio Fast. II, 598. aliisque *Ilia* vocatur ab Ilio, quasi Troiana stirpe oriunda, quare eadem Horatio Od. III, 3, 32. *Troica sacerdos*. — *regina*, h. e. regio sanguine orta, ut βασίλισσα; vid. adnott. ad IX, 223. *sacerdos*, virgo Vestalis. Conington dubium videtur, utrum *regina*, an *sacerdos* Adiectivi loco positum sit; equidem vero, si omnino talis quaestio movenda, non dubito, sacerdotem esse caput sententiae. (Cf. etiam VII, 660. et Hor. l. l.) Dictum autem est eadem ratione qua Sall. Iug. 12. (ubi vid. Fabri et Dietsch.) *mulier ancilla* et similia. Cf. etiam supra v. 21., infra v. 382. et adnott. ad Ecl. VIII, 13. Geo. II, 145. Aen. III, 324. etc. *Marte gravis*, e Marte gravida, gemellos uno partu edet. Rheam Silviam, Numitoris, regis Albani, filiam fuisse, quam Amulius avunculus Vestalem esse voluerit, ne umquam stirps Numitoris propagaretur, satis constat. Ex quorundam narratione Rhea Silvia post Romuli Remique partum in Tiberim praecipitata uxor dei fluminis facta est (cf. Hor. Od. I, 2, 17. et Conon. Narr. 48.); alii vero eam in carcerem coniectam et a filiis liberatam esse narrant. (Dion. Hal. I, 10.) Ceterum *gravis* pro gravidus legitur etiam ap. Ovid. Fast. II, 615. *iacet illa* (Rhea Sylvia) *gravis* (e Marte), III, 22. Met. IX, 638. Plin. H. N. IX, 6, 5, et alibi; quare etiam tropice Aen. VI, 516. de equo Troiano: *armatum peditem gravis attulit alvo*, Liv. XXVIII, 15. *nubes graves imbre* etc. — *Prolem dare* legitur etiam ap. Nemes. Cyn. 118. et in Anth. Lat. VI, 84, 67., ubi hic locus sic variatur: *His demum exactis geminam dabit Ilia prolem*. Verbum proprium legimus Aen. VII, 660., *quem Rhea sacerdos Furtivo partu sub luminis edidit oras*. Ceterum vid. adnott. ad Geo. IV, 204. et de nomine *Iliae* sic postposito infra ad v. 412. — **275—277**. Romulus Romam condet. Ut *lupam nutricem* commemorare possit, Romulum antiquorum heroum more lupinam pellem gessisse narrat. Cf. de hoc more Aen. V, 37. VII, 688. VIII, 553. IX, 304. XI, 679. Silius II, 156. etc. — *laetus tegmine* (i. e. pelle) *lupae* Heynio et Thielio nihil aliud est, quam ornatus, succinctus (ut infra v. 323. *succinctam - - tegmine lyncis*). Nescio tamen, an rectius explices: in gratam laetamque lupae nutricis memoriam pelle lupina indui solitus; quamquam me non fugit, alibi eiusmodi epitheta, velut *laetus, gaudens, tutus* etc., nihil fere aliud significare, quam *habens, gestans, utens*. Cf. e. g. infra v. 696. II, 417. etc. Simillimus est Ovidii locus Met. I, 475. *silvarum latebris captivarumque ferarum Exuviis laetus*. Propert. V, (IV,) 10, 20. Romulo *galeam* modo *lupinam* tribuit; Vergilium autem de pelle lupina, corporis tegmine, cogitare vix dubium videri potest, imprimis si infra v. 323. II, 722. V, 37. VII, 666. VIII, 460. XI, 576 sq. et Geo. IV, 342. comparamus. (Cf. etiam Henry *Tw. years* I. p. 98., qui recte censet, Vergilium, si de galea modo cogitasset, potius ut Aen. VII, 888. scripturum fuisse.) — *Romulus excipiet gentem*. Heynius (cui Conington adsentitur), de gente regia cogitans antea commemorata, minus recte explicat: „succedet in regno Albano Romulus.“ Non enim Albae regnavit Romulus, sed Romae, quam condidit; quare rectius Ladew. et Wagn. cum Iahnio Annal. l. l. p. 39: „Numitor et Amulius cum filios non reliquissent, propagavit post eos

Moenia Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Iuno,
Quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat,
Consilia in melius referet mecumque fovebit

---

gentem Romulus.“ Sed alia etiam defendi potest explicatio, ut *gentem* pro populo positam habeamus et *excipere* cum Thielio ad asylum referamus, quod Romulus Romae aperuerit; quare etiam adiungantur verba *et Mavortia condet moenia*. Similiter etiam Siebelis p. 17.: „recipiet gentem (Albanam) apud se, h. e. in civitate sua. - - Quod autem partem tantum Albanorum civium excepit, nihil obstat; nam *excipiet gentem* non necessario cogit, ut totam gentem exceptum iri arbitremur.“ Peerlk. temere coni. *Romulus excipiens*, (quod pro veniens, nascens positum accipit) *gentem et M. condet moenia*. Sed vide quae Iahn. Annal. l. l. contra eum disputat. — „*Moenia Mavortia*, Roma a Martis filio condita; ut saepe al. Sunt haec omnia vaticiniorum et oraculorum more per ambages ac pleniore ore exposita, quam in oratione Iovis ad filiam exspectari poterat.“ *Heyn.* — 278. 279. Sensus est: Romanorum imperium nec locorum nec temporum finibus circumscribo. *Metae* enim ad ambitum, *tempora* ad diuturnitatem imperii referenda. *Rerum metas*, h. e. terminos imperii. Cf. X, 472. III, 429. etc. imprimisque Sil. VII, 478. *Hic regna, et nullae regnis per secula metae*, praeterea autem Anth. Lat. I, 147. 10. *nec metas rerum, nec tempora pono* et Rutil. Itin. I, 137. *nullis obnoxia tempora metis;* quod autem attinet ad vocem *res* pro imperio magnaque potentia positam, Aen. I, 268. IV, 49. VI, 857. VII, 600. X, 88. etc. — *pono - - dedi;* rectissime, asyndeton enim sic est explicandum: Non *pono* imperio Romano terminos neque loci neque temporis; nam iis *dedi*, constitui, *imperium sine fine* mansurum, infinitum. *Aeternam urbem* Tibulli II, 5, 23. (ubi vid. interpp.) et aliorum significat. Nauck. p. 16. comparat Hor. Od. III, 3, 45. *nomen in ultimas Extendat oras* (Roma). Respicit hunc locum Sulpit. Sat. v. 33. *Aut frustra uxori mendaxque Diespiter olim Imperium sine fine dedi, dixisse probatur.* Ceterum noli putare, Iovem hic se fato superiorem significare, immo etiam haec secundum fata dat ac ponit. Cf. etiam Dietsch. Theol. Verg. p. 20. et supra ad v. 257. adnott. — 280 sqq. „Ipsa Iuno aliquando studio Romanorum tenebitur. Fuit enim cum Iove et Minerva rerum Romanarum tutela. — *Iuno fatigat metu*, h. e. terroribus, *mare, terras, caelum*. Verearis fortasse, ne turgere videatur oratio; sed subest sententia: Iunonem omnia nunc miscere, ut Troianos perdat. Inf. IX, 400. *Proinde omnia magno Ne cessa turbare metu;* ut VII, 301. *Absumptae in Teucros vires caelique marisque.*“ *Heyn.* Rectius tamen *metu* passivo sensu dictum putes: *aus Furcht.* Cf. supra v. 23. *Id metuens - - Saturnia* etc. — *fatigare* absolute positum est vexare, requiescere non sinere, ut VI, 533. *quae te fortuna fatigat* et VII, 582. *Martem fatigare.* Cf. etiam VIII, 94. *remigio noctemque diemque fatigare,* Lucr. III, 838. *curisque fatigat.* id. V, 1422. *belloque fatigant.* Ep. ad Caes. de ord. rep. II, 10, 5. *multipliciter animus curis atque laboribus fatigatur.* Tibull. IV, 1, 184. *quamvis Fortuna - - me adversa fatiget.* Ovid. Met. I, 573. *locum sonitu fatigare* et multa similia. Cf. Thiel. ad h. l. imprimisque Unger de Valgio Rufo p. 231 sq. et adnott. ad VIII, 94. — *aspera Iuno*, ut apud Prop. V, (IV,) 9, 71. et al. Cf. adnott. ad v. 14. huius libri. — 281. *Consilia in melius referet*, animo mutato in rectam viam, a qua declinavit, revertetur et in meliorem partem consulet. Heyn. comparat infra XI, 425. *Multa dies - - Retulit* (mutavit) *in melius*, et Wund. Tac. Ann. I, 33. f. *animum in bonum vertere.* Henry autem *Tw. years* I. p. 99. et Philol. XI. p. 506. nos iubet ipsam Iunonem de hac mentis mutatione dicentem audire ap. Ovid. Fast. VI, 41 sqq. — Praepositionem *in* Adiectivis adiectam efficere notionem Adverbii modum exprimentis, satis notum. Sic *in melius* legitur etiam apud Celsum II, 2. (ubi opponitur *in peius*); contra *in peius* etiam Quinct. Inst. I, 3, 1.; *in deterius* Tac. Ann. XIV, 43.; *in maius* Sall. Iug.

nos, rerum dominos, gentemque togatam.
lacitum. Veniet lustris labentibus aetas,
domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
io premet ac victis dominabitur Argis.
tur pulchra Troianus origine Caesar,

Tac. Hist. III, 7. Cf. Cort. ad Plin. Epist. III, 11, 1. Kritz. ad l. Walch. ad Tac. Agr. p. 305. et quos laudat Hand. in Tursell. 330 sqq. — 282. Macrobio teste Sat. VI, 5. Vergilius hunc versum, ecundum Suet. Octav. 40. Augustas in populi concione recitavit, a sumpsit. — *Romanos, rerum dominos,* h. e. orbis terrarum ores. Cf. Hor. Od. IV, 14, 49. Ovid. Fast. I, 515 sqq. II, 136 sqq. Planc. 4, 11. etc. Sic *rerum domini* et *rerum domina* etiam ap. Prisc. 81. et Auson. ord. nob. urb. in Wernsd. Poët. L. min. V, 1323, 9. erba autem *gentemque togatam* spectant ad togae, h. e. pacis, c virtutes, ut totius versus sententia sit: Romanos et belli et pacis claros; nam sine bellica virtute numquam *rerum domini* fieri ›nt. Henry l. l. paullo subtilius explicat: Romanos, qui toga, pacis inducti orbi terrarum imperant, coll. Cic. Cat. II, 13. III, 6. 10. e autem in *toga* commemorata offendamus, Heyn. cogitandum esse ıt, maiorem dignitatem in toga olim fuisse, quam nunc in ullo nti genere.“ *Heyn.* Nemini enim praeter civem Romanum toga uti Quid quod adeo exsulibus eius usus erat interdictus? Cf. Plin. Ep. *Carent togae iure, quibus aqua et igni interdictum est.* Quare ap. d. III, 5, 10. legimus *Anciliorum et nominis et togae oblitus,* ›cum Florus IV, 11. sic imitatur: *Antonius patriae, togae, fascium* a Cicerone autem pr. Rab. Posth. 10, 27., Sallustio Iug. 21, 2. Romani *κατ' ἐξοχήν togati* appellantur. Cf. omnino Heind. ad ıt. I, 3, 31. et Obbar. ad eiusd. Ep. I, 1, 96. — 283. *Sic placi-* sic a fato est constitutum; quod alibi *sic visum, οὕτως δέδοκται.* nd. ad Hor. Sat. II, 6, 22. Plures Codd. addunt *est;* sed in talibus, *placitum, licitum, datum* etc., Verbi substantivi omissionem, vel ssa Coniunctione, sollemnem esse docet Wagn. Qu. Virg. XV, 9. ›n. II, 488. 624. IX, 135. III, 2. X, 106. — 283—285. Splendide ›rum bella cum Graecis gesta et Achaiam in provinciae Rom. redactam indicat. — *lustris* doctius quam annis, quia, cum plurium annorum spatium complectatur, sic temporis olim, post aecula, futuri notio melius exprimitur. — *domus Assaraci,* a Troianis oriundi. Assaracus enim, Trois filius, est proavus Vid. Hom. Il. XX, 230—241. Apollod. III, 12, 2. Conon c. 12. ıus Annal. I. fr. 29. p. 9. Vahl. *Assaraco natus Capys optimus* ›ium ex se Anchisen generat.* Cf. etiam Geo. III, 35. ibique ., Aen. VI, 778. cum Servii scholio, Silius XI, 297 sqq. etc. a praeclare per *Phthiam,* utpote Achillis patriam, et *Mycenas,* ınonis sedem, declarata, nec non per *Argos,* quos tum Diomedes (Il. II, 559 sqq.): erat tamen haec urbs tantae tum dignitatis, ut omerum tota Graecia per *Argos,* et totus exercitus *Argivorum* no-ısigniretur. Inf. VI, 839. *Eruet ille Argos, Agamemnoniasque s.* Gravissima vocabula etiam ista: *Servitio premet - - domi-r.*“ *Heyn.* Cf. de his locis libri mei geogr. Vol. III. et de *Phthia* , Thessaliae regione, p. 889., de *Mycenis* (quarum memorabiles e apud vicum *Kharvati* reperiuntur) p. 998. et de *Argis* (quae m *Argo* vocatur) p. 999. Ceterum de totius loci forma et compo- (*Venit - - Cum - - premet - - dominabitur*) cf. adnott. ad Geo. I, *servitio premet* fortius, quam supra v. 54. *imperio premere*: tiam *dominabitur* adiectum. *Argis* sextus, non tertius est Casus, 'erba *victis Argis* pro Ablat. absol. habenda. — 286 sqq. „Ad ım referas haud dubie verius, quam ad Iulium Caesarem cum Cerda et aliis ap. *Burm.* [etiam Iahnio Annal. l. l. p. 39.] Nam ›arum imperium v. 287.* facile Caesari tribuitur, neque is *spoliis onustus,* neque ab eo pax restituta v. 290. Contra de Augusto

Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius, a magno demissum nomen Iulo.
Hunc tu olim caelo spoliis Orientis onustum
Accipies secura; vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent saecula bellis

---

illa ubique obvia. Vid. impr. Aen. VI, 793 sq. Is vocatus *Iulius* C iure adoptionis; *nomen Iulii* autem cum esset *demissum* [vid. *a magno Iulo*, h. e. nomen, quod ad eum, adoptione in g *Iuliam* assumptum, venit, *Troianus* inde appellatur." *Heyn.* Peerl praeter necessitatem pro *Iulius a* coni. *Iulia stirps*, Augustum a Rc Iulium Caesarem appellatum esse negans. Sed verissime Siebelis opponit, multum differre, utrum *Iulius Caesar* scribatur, an *Caesar* cedat, *Iulius* sequatur post longius intervallum, idque potius pro s tione habendum esse: *der Iulier* (i. e. Iulia gente ortus), plenum nomen Augusto ex adoptionis iure fuisse C. Iulio Caesari Octa Praetera cf. quae Iahn. Annal. l. l. (cui tamen in interpretando ips non adsentior) et Freudenberg. l. l. p. 12. contra Peerlk. disputa *pulchra origine*, i. e. clara, egregia, nihil amplius. Sunt enim, Venere huius gentis matre, temere cogitent. — 287. *Imperium o - - terminet*, totum orbem terrarum imperio suo subiiciet. Cf. inf 795 sqq., ubi idem multo magnificentius profertur. Similes sententi solum apud poëtas, verum etiam apud pedestres scriptores Roma haud rarae. Cf. v. c. Cic. Cat. III, 11, 26. IV, 10, 21. pr. Arch. 1 etc. — *famam qui terminet astris*, qui ut terminet - -, est in Cf. infra v. 379. *fama super aethera notus*. Ecl. V, 43. *usque ad notus*. Hor. Od. I, 1. extr. Prop. I, 9, 17. etc. — 288. *Iulius - - n* Eandem appositionem habemus infra III, 19. — *demissum*, dedu nomen, quod ab Iulo, qui gentis Iuliae auctor habebatur, ad eum d Cf. Geo. III, 35. *demissaeque ab Iove gentis nomina*. Hor. Sat. II, *ab alto demissum genus Aeneae*. Tac. Ann. XII, 58. *Nero Ro Troia demissum et Iuliae stirpis auctorem Aeneam - - exsecutus*. autem varia pronuntiandi ratione in eodem versu obvia offendi: *Iulius* - - nam vel optimi Romanorum poëtae in nominibus ab litera I incipie eam haud raro tamquam consonantem proferre solent. (Cf. Weiche Lucii Varii et Cassii Parm. vita et carmm. Grimae 1836. p. 344.) etiam in mediis vocabulis per synizesin fieri, supra ad v. 2. vidimu apud Catull. LXIV, 37. uno eodemque versu legimus *Pharsaljam Pharsalia tecta frequentant*. (Cf. Corn. Mülleri Spicileg. animad Catulli Carm. in nupt. Pel. et Thet. Hamb. 1836. p. 12 sq.) — *spoliis Orientis onustum*, quemadmodum Claud. IV. Cons. Hon *Arcadius captae spoliis Babylonis onustus*. Temporum autem ratio de ea expeditione cogitari, quae a. u. 724. ab Aegypto per Syri Asiam minorem facta est, cuiusque mentio etiam Aen. VIII, 685. ini De bello Parthico a. 734. suscepto (ad quod Heyn. et alii haec verl ferunt) prioribus Aeneidos libris nondum sermo esse potest. Vid. Comm vita carminibusque Virg. p. XXV. cum not. 54. Nec minus, quae Burm. a disputat, ut conferas suadeo. — (in) *caelo Accipies*. Sic infra v *gremio*, VI, 393. *lacu*, VIII, 178. *toro accipere*, ap. Liv. IX, 7, 9. *urbe tectisque accipere* etc. De ipsa re autem cf. Geo. I, 24—4 16—39. Aen. VI, 792—798. VIII, 678—688. adnott. ad Ecl. I, 6 et ad Ovid. Trist. I, 1, 20. — *secura*, nemine intercedente, Iunone pl Cf. supra v. 279 sqq. — *vocabitur votis*, honores divinos ac Cf. Ecl. V, 80. Geo. I, 42. et Aen. V, 234. De Augusto autem in d numerum referendo et iam tunc Laris instar a Romanis coli coept quae ad Ecl. I, 7. Geo. I, 24. et alibi adnotavimus coll. cum iis, Hertzberg. de Diis Rom. patriis etc. p. 47 sq. et Freudenberg. Vind. p. 12 sqq. disputarunt. — *hic quoque*, ut Aeneas ipse. Cf. su 259 sq. — 291. „Ad Ianum clausum a. U. C. 725., et pacem per ter *orbem restitutam* recte refertur. [Cf. Suet. Octav. c. 22. Hor. Od. *8 sq. etc.]* Nec tamen hinc probare aliquis suscipiat, hoc ipso

Cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt; dirae ferro et compagibus artis

---

primum Aeneidis librum esse scriptum. [Cf. Diss. de vita et carmm. Virg. l. l.] — *saecula aspera mitescent*, tempus illud erit pacatum, finitis bellis. Tribuitur tempori, quod hominum est." *Heyn.* Cf. adnott. ad Geo. I, 468. et II, 295. — *positis bellis.* Cum *arma ponere*, *deponere* saepissime dicatur, veteres haec verba interdum etiam ad bellum transferunt. Sic infra VIII, 639. et Claud. Laud. Ser. 204. *posito certamine.* Ovid. Met. VIII, 47. *poterat deponere bellum.* ibid. XIV, 571. *deponendique pudore Bella gerunt* (ubi ad *deponendi* rectius fortasse *bella*, quam *arma* suppleas) etc. — **292—296.** „Fidem ait, religiones patrias et concordiam, exstinctis bellis et discordiis, remp. esse temperaturas. — *Fides cana*, prisca, antiqua, qualis maiorum fuit." *Heyn.* Eadem de causa Aen. V, 744. *Vesta* (ad quam etiam hic epitheton est extendendum) nominatur *cana* et *Veritas* a Varrone apud Nonium IV, 25. Cf. etiam Hor. Carm. saec. 57. *Iam Fides et Pax et Honor Pudorque priscus* et Martial. I, 16, 2. *si quid longa fides canaque iura valent.* Eodem redit Henrici (*Tw. years* I. p. 102. et Philol. XI. p. 506.) explicatio „*hoary*, *die vor Alter grauende.*" Minus recte Schirach. p. 352. (Acronem secutus) hoc epitheton intelligere videtur, cui *cana* idem est quod *alba*: „nam Fides, inquit, albo velata panno incedit. Hor. Od. I, 35, 22. *et albo Fides velata panno.*" Fides autem Romae colebatur in templis a Numa Pompilio (Dion. Hal. II. extr.) et ab Attilio Calatino (Cic. N. D. II, 23.) exstructis. — *Vesta*, Ἑστία, Saturni et Rheae filia, custos domorum et civitatum, (concordiae, pacis, securitatis publicae: cf. Geo. I, 498.), patria erat Romanorum dea, cuius cultum antiquissimum Numa Lavinio Romam transtulit. (Dion. Hal. II, 8. Liv. I, 20. Ovid. Fast. VI, 269. alii.) — „Cum his *Romulus* et *Remus* [cf. Geo. II, 533. *Remus et frater*] *iura dabunt*, imperio Romano praeerunt, rem Romanam tuebuntur; redibit res ad pristinam illam temporum sanctitatem et integritatem, quae erat ante parricidium Remi a Romulo commissum." *Heyn.* Igitur fratrum concors commemoratio, quorum nominibus non opus est ut certos Vergilianae aetatis homines significari putemus, utique pacis et tranquillitatis symbolum esse potest et cadit Peerlkampii sensum ridicule detorquens explicatio: „tempore Romuli et Remi redibunt; caedes igitur fraterna et perpetua bella redibunt. Cf. Heynii excurs. ad h. l. Wagn. Vergilium alios auctores secutum esse putat, qui Remum non a Romulo, sed ab alio homine (Celere? quem Serv. ad Aen. XI, 603. et Ovid. Fast. IV, 837. nominant) occisum retulerint. — *Iura dabunt*, i. e. leges ferent, quibus iura continentur, (quare etiam Hor. Sat. I, 1, 9. coniungit *iuris legumque peritus*) omninoque prima iuris fundamenta condent, non solum ius dicent. Cf. infra v. 507. III, 137. V, 758. VII, 246. VIII, 322. 670. Geo. IV, 561. Ovid. Met. I, 576. Prop. V, (IV), 11, 18. Liv. I, 8, XXX, 32. Hor. Od. III, 3, 44. Lersch. Ant. Verg. §. 2. et Henry *Tw. years* I. p. 102. et Philol. XI. p. 506. p. 6. sqq. Ceterum Bach. ad Ovid. Met. I, 217. hunc locum temere adiungit iis, in quibus duo Nomina per Praepos. *cum* coniuncta sequatur Pluralis Verbi numerus (qua de re conferendi viri docti, quos Kritz. ad Sall. Cat. 43, 1. laudavit); neglexit enim vir doct., verbum *dabunt* etiam ad *Fidem* et *Vestam* esse referendum. Neque id omnino verum est, quod Bach. ibid. docet, in eiusmodi locis, qualis hic est, vel Hor. Sat. I, 10, 85. *Te, Messala, tuo cum fratre* et similibus, *cum* prorsus idem esse, quod *et;* immo ei nomini, cui alterum per *cum* adiungitur, plerumque priores partes deferuntur. (Cf. omnino Heindorf. ad Hor. l. l. Ruhnk. ad Ter. Eun. II, 2, 10. Obbar. ad Hor. Ep. I, 6, 18. Vol. I. p. 311. et Handii Turs. II. p. 138.) Probe autem animadvertendum, hic quidem, ubi salva Romuli gloria fieri posset, Remi quoque mentionem fecisse poëtam, supra vero v. 276., ubi nisi Romuli scelere commemorato fieri non potuisset, prorsus eum siluisse. Ceterum *vix tanti est, ut* Peerlkampii temerariam afferam coniecturam *Numa cum vate Quiriti I. d.*, quam multis verbis probare

Claudentur Belli portae; Furor impius intus
Saeva sedens super arma et centum vinctus aënis
Post tergum nodis fremet horridus ore cruento."
Haec ait et Maia genitum demittit ab alto,

---

studet, quamque etiam Siebelis p. 18. iure portentosam dicit. — **293.** Cum verbis *dirae portae* longius disiunctis cf. v. 74, 99, 190, 195, 454. III, 162. 175. etc. a Kappesio I. p. 39. congesti. — *ferro et compagibus, ἓν διὰ δυοῖν.* Cf. Aen. II, 627. *ferro crebrisque bipennibus* et vid. adnott. ad Ecl. II, 8. VIII, 95. Geo. I, 335. Ceterum Henry (*Class. Mus.* XIX. *Tw. years* I. p. 103. et Philol. XI. p. 507.), qui de Adiect. *dirus* cum Ablat. rei constructo conferri iubet Plin. H. N. V, 4, [4.] Silium IV, 282. et Catal. XIV, 2., coniungit verba *dirae ferro et compagibus artis*, ut portae (totae ferreae) ea ipsa de causa dirae dicantur, quod magna ferri massa et singulis quidem partibus s. segmentis („*several pieces adapted to each other*" ?) compactae sint, non *claudentur ferro et compagibus*, quod Conington probare videtur. Sed vide, quae Kappes l. l. contra eum disputat. Accedit, quod Vergilius ipse Aen. VII, 622. ut Ennius (Ann. VIII, 2. p. 40. Vahl.) ap. Hor. Sat. I, 4, 61. *ferratos* modo *belli postes* (non *ferreos*, ut Lucan. I, 60.) commemorat et quod ibid. v. 609 sq. legimus *Centum aerei claudunt vectes aeternaque ferri Robora.* Sententia igitur haec est: Portae tam firmiter clausae non facile poterunt aperiri. — *artis.* non *arctis* scribendum esse, iam satis constat. Vid. Broukh. ad Tibull. I, 5, 53. Drakenb. ad Sil. VII, 280. Nolten. Lex. antib. p. 25. Kritz. ad Sall. Iug. 52, 6. Obbar. ad Hor. Ep. I, 5, 29. Vol. I. p. 247. Iani ad Hor. Od. I, 38, 7. Grotefendi Gr. Lat. II. p. 199. (§. 183.) Schneideri Gr. Lat. I, 2. p. 449. — „*Bellum, ὁ Πόλεμος*, h. l. dei personam sustinet: ut [infra VI, 279. Hor. Sat. I, 4, 61. et] ap. Plin. XXXV, 36, 16. — *Belli portae;* respicit Iani templum (cf. Aen. VII, 697 sqq. et Liv. I, 19.), quod, pace restituta, clausum quasi pro carcere et custodia Belli, quod *Furor* declarat, esse videtur." *Heyn. Belli fores* et *portam* etiam Val. Fl. III, 60. et 353. et *Sanguinei magna ostia Belli* idem V, 308. commemorat. — *Furor.* „Vergilius, ut rem variaret, Furorem cum Bello Iani templo inclusit. *Furor* enim inter Martis comites apud Stat. Theb. III, 424. Apud eundem VII, 52. in regia Martis habitat Furor." *Wund.* De Furore autem pro numine a veteribus habito cf. etiam Petron. c. 124. Heumann. Poecil. T. II. l. IV. c. 3. et Heynii Excurs. supra laud. Fortasse huc etiam trahendi infra v. 348., supra v. 350. et similes loci. — *Impius* autem dicitur ob bella civilia, quae proprie impia. Cf. *Mars impius* Geo. I, 511. Verba *Furor impius intus* iterantur ab Orosio VII, 5. (ubi male legitur *impius impius.*) — **295.** *Saeva arma,* ut VIII, 482. IX, 648. XI, 545. — *aënis nodis*, catenis, ut ap. Lucr. VI, 356. *nodi* et *vincla* coniunguntur. Putant autem, Vergilium hic spectasse Apellis picturam ab Augusto in foro dicatam, in qua Bellum, forma humana indutum, restrictis post tergum manibus Alexandri triumphantis currui iunctum conspiciebatur. Cf. Plin. H. N. XXXV, 36, 16. Ceterum imitantur h. l. Manil. I, 921. *iam bella quiescant, atque adamanteis Discordia vincta catenis Aeternos habeat frenos in carcere clausa,* Ovid. Fast. I, 702. *religata catenis Iampridem nostro sub pede Bella iacent,* et Calpurn. I, 46. *dabit impia vinctas Post tergum Bellona manus.* — **296.** *vinctus post tergum.* Cf. Aen. II, 57. et Calpurn. l. l. Ribbeck. scribit *pos tergum.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 29. — Sequentia verba *fremet horr. ore cruento* tam arcte cohaerent, ut supervacaneum sit quaerere, utrum *ore cruento* cum *horridus*, an cum *fremet* coniungendum sit, quamquam, si XII, 8. *fremit ore cruento* comparamus, hoc alterum praestat. Ceterum hic locus sic iteratur a Cassiodoro Var. V, 21. p. 80.: *de quo verius diceret vates Mantuanus: Claudentur litis portae; furor impius intus Inclusus fremit horridus ore cruento.* Rau in Sched. p. 37. praeter necessitatem coniecit *irritus* coll. infra V. 442. — **297—304.** „Observa, quam succincta in sqq. narratio sit. Bene autem deorum ministerium interponitur in hospitio Troianis parando, ne res miraculo careat." *Heyn.* — *Haec ait* post *talia fatur* v. 256. iteratum. Cf. adnott. ad Geo. IV, 499. — *Maia genitum*, Mercurium, quem illa Atlantis filia ex Iove

Ut terrae utque novae pateant Karthaginis arces
Hospitio Teucris, ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aëra magnum
Remigio alarum ac Libyae citus adstitit oris.
Et iam iussa facit, ponuntque ferocia Poeni
Corda volente deo; in primis regina quietum

---

peperit in Cyllene, Arcadiae monte. (Hesiod. Theog. 938. Paus. VIII, 17.) Cf. infra VIII, 138. — *demittit ab alto*, ut in Anth. Lat. I, 171, 3. *emittit ab alto*. — *demittit, ut pateant - - ne arceret*: consecutio temporum variata; nam Praesens historicum et Praesentis et Imperfecti Coniunctivus excipere solet, etiam apud historicos. Cf. Matth. ad Cic. Rosc. Am. 9, 25. Kritz. ad Sall. Cat. 33, 1. et 41, 5. Beneck. ad Iustin. II, 11, 11. Kühner. ad Cic. Tusc. V, 33, 96. Daehn. ad Nep. Milt. 4, 4. Vir doct. in Seebodii Bibl. crit. a. 1821. I. p. 176. Ruddim. II. p. 381. ibique Stallb., alii. Rectius, quam Iahn. ad Aen. VI, 754., de hoc loco indicat Thiel., qui apte conferens locum simillimum Plaut. Mil. Glor. II, 1, 52. *Dedi* (*tabellas*) *mercatori, qui ad illum deferat meum herum - - ut is veniret*, verbis *ut - - pateant* proximum missionis consilium et finem inesse censet, ceteris autem *ne - - arceret* secundariam modo sententiam, Iovis scilicet cogitationem aliquam cum illo consilio tamquam internam causam coniunctam. Scilicet sententia haec est: Iupiter Mercurium demittit, ut K. arces pateant; nam erat metuendum, ne Dido - - arceret. — Cum verbo *pateant* cf. supra v. 233., ubi contra *cunctus clauditur orbis*. — *novae Karthaginis* (vid. supra ad v. 13.). Servius adnotat, Livio teste ipsum Karthaginis nomen Poenorum lingua significare Novam Civitatem. Haud dubie enim vocabatur *Karthadhadtha*, quare etiam Solinus 30. et Isidor. Orig. XV, 1, 30. scribunt *Carthada*. (Cf. Bochart. Phaleg p. 468. Sic sane nomen Karthaginis Novae in Hispania ridiculum fere continet pleonasmum.) — **299.** *ne Dido finibus arceret*, quae Pygmalionis metu, quem infesta classe venturum timebat, omnem oram custodiri iusserat (cf. infra v. 564.), quare Troiani facile pro hostibus haberi et litore arceri poterant. *Finibus* autem (Ablat.) *arcere*, ut supra v. 31. *Arcebat Latio*, ubi vid. adnott. — *fati nescia*. Heynius cogitat de fato, quo Troianis Italia sit petenda; sed cum neque Mercurius de hac fati voluntate Didonem edoceat, et illa ipsa infra v. 569 sqq. Troianis sedes eligendi optionem faciat, Dietsch. Theol. Verg. p. 20. rectius statuit, Didonem nihil aliud monendam fuisse, nisi Aeneae conservationem in fatis esse. Ravio in Sched. p. 37. verba *ne fati nescia Dido Finibus arceret* e glossa nata videntur. Nauck. vero p. 17. locum sic distinguit: - - *Teucris; ne fati nescia Dido Finibus arceret, volat ille* etc.; sed recte Ladew. in Append. p. 239. opponit, sic Mercurio non solum fati notitiam, quam non habeat, sed etiam liberum consilium huius itineris faciendi adscribi, quod tamen Iove modo iubente susceperit. — **301.** *remigio alarum*. Alae avium cum navium remis comparari solent. Vid. ad Geo. IV, 59. et Aen. VI, 19. (ubi *remigium alarum* redit, quod etiam legimus in Anth. Lat. III, 235, 7.) — **302.** *Et iam iussa facit, ponuntque* pro vulg.: Vix iussa facit, cum - - ponunt. De hac vi Copulae *que* vid. adnott. ad Aen. II, 692. — *iussa facit*, ut infra IV, 295. *iussa facessere*. Supra v. 81. eodem sensu *iussa capessere* scriptum vidimus. — *ponunt ferocia corda*, feroces animos; mites et placidos animos accipiunt. Cf. Aen. XI, 366. *Pone animos*. Prorsus eadem ratione Liv. VIII, 1, 8. *animos feroces ponere*, similiterque Hor. A. P. 160. *iram*, Cic. ad Fam. VIII, 6. *inimicitias*, Liv. I, 19, 4. *curas ponere* cett. — **303.** *volente deo*. Coningtoni, qui comparat Aesch. Theb. 427. θεοῦ θέλοντος, „incertum videtur, utrum haec verba ad solum Mercurium sint referenda (quae simplicissima est ratio), an omnino de deorum voluntate accipienda;“ (quod equidem dubitaverim). Verba *imprimis regina - - mentemque benignam*, quamquam sane post antecedentia paullo languidiora videntur, non tamen propterea statim eiicienda esse, recte docet Siebelis p. 18. contra Peerlk. disputans, et provocans ad Silianam huius loci imitationem XIII, 160. *Motus erat placidumque animum mentemque quietam Troius in miseram*

Accipit in Teucros animum mentemque benignam.
    At pius Aeneas per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data est, exire locosque
Explorare novos, quas vento accesserit oras,
Qui teneant — nam inculta videt — hominesne feraene,
Quaerere constituit sociisque exacta referre.
Classem in convexo nemorum sub rupe cavata

---

rector susceperat Annam. Didonem autem hic taceri non potuisse,
promptu est. Cf. etiam Iahn. Annal. l. l. p. 41. — „*quietum - - a*
mum, *ἔχηλον*, pro placidum, propitium, *εὐμενῆ*.“ *Heyn.* Conington memor
animum mentemque (ut ap. Hom. *κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν*) eade
ratione coniungi Aen. VI, 11. et ap. Lucr. III, 142. 403., qui etiam
1183. scribat *animi mens* et III, 94. *animum - - mentem quam sae*
vocamus. Peerlk. utrumque versum inde a verbis *in primis regina* ta
quam Vergilio indignum censet delendum. — **305**. „Narratio redit ad
222. Paratur nunc Aeneae, terram incognitam explorantis, ad Carthagine
accessus, cui Venus mater intervenit. Cf. cum hoc loco Hom. Od. X, 1
sqq. *Per noctem plurima volvens*, *οὐκ Ἀτρεΐδην - - Ὕπνος ἔ*
γλυκερός, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα, Il. X, 4.“ *Heyn.* Repetuntur ha
verba in Anth. Lat. I, 170, 77. Cf. ibid. v. 72. *dum plurima vol*
Lucr. VI, 33. *volvere curarum fluctus.* Sall. Iug. 113. *haec secum i*
diu volvens, supra v. 50. et similes locos. Wund. (qui comparat *cadent*
apud Val. Fl. I, 355., h. e. qui ceciderat) *volvens* pro Participio Praesen
historici habet (qui volverat); rectius autem Wagn., qui Qu. Virg. XXI
1. Participium Praesentis pro Participio Perfecti apud Vergilium inven
negat, *volvens* de re durante accipit: dum volvebat. Cf. etiam adno
ad Aen. I, 492. et II, 15. Ceterum de illo usu Participii Praes. ab al
scriptoribus non alieno cf. Periz. ad Sanct. Min. I, 15, 2. Voss. Arist.
233. Wolf. ad Suet. Caes. c. 20. Heind. ad Hor. Sat. I, 5, 95. Walch.
Tac. Agr. 28. et in Emendd. Liv. p. 82. — **306**. *lux alma*, grata, iucu
da. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 17. — **307**. „Explorat loca nova, et quide
ad quas oras accesserit, venti vi, tempestate appulsus. Cf. supra v. 3
VII, 131.“ *Heyn.* Adde VII, 150. — *quas accesserit oras*, ut sup
v. 201. *accestis scopulos.* Cf. adnott. ad Aen. I, 2. — *vento*, scil. act
ut infra v. 333. — **308**. „*Qui teneant*, sc. illa loca; ne ad *oras* pe
nere putes, vetant interiecta haec: *inculta videt.*“ *Wagn.* — De br
syllaba *vidĕt* arsis vi producta cf. ad Ecl. IV, 51. VI, 44. 53. et al
adnott. — *hominesne, feraene.* Duplex *ne* pro *utrum - - an* posit
(ut nos: *ob Menschen, ob wilde Thiere*) apud poëtas saepius invenitur (
II, 738. V, 95. 702. XI, 126. XII, 321. Ovid. Met. III, 256. XIII, 912. X
503. Tibull. IV, 5, 20., ubi vid. Bach., etc.), rarissime apud pedest
orationis scriptores, velut ap. Cic. pr. Rosc. Am. 13. et Caes. B. G. V
14. (Cf. Ramsh. §. 174. III, 3. not. 1. et Hand. Tursell. IV. p. 86 sq.)
309. *exacta*, explorata et investigatione comperta. Cf. Silius I, 6
mittitque viros qui exacta reportent (imitatus Aen. IX, 193. *mittit*
viros qui certa reportent) Ovid. A. A. II, 130. *Calypso Exigit Ody*
fata cruenta ducis. Tac. Ann. II, 85. *exactum est a Titidio Labeo*
cur etc. Suet. Caes. 47. *margaritarum pondus sua manu exigere.* He
(*Tw. years* I. p. 106.) simpliciter per „facta, transacta“ explicat. — „Co
ductus ex Odyss. VI, 119 sqq., ubi Ulysses in Phaeacum insula experrect
et multo magis ex Odyss. X, 144 sqq., ubi Ulysses ad Aeaeam insul
appulsus est. — **310**. Classem occultat sub convexa rupe nemoribus c
sita. Vid. v. 162—165.“ *Heyn.* — *in convexo nemorum, sub ru*
cavata, quae supra nemoribus fornicatim curvatis tecta est. Intelligen
est autem locus supra v. 164 sqq. descriptus. Ceterum cf. infra v. 6
XI, 515. et Iustin. II, 10. extr. *convexa vallium;* de ipso autem dice
genere (*convexum nemorum* pro *convexa nemora*) cf. adnott. ad Geo.
393. Sic Aen. IV, 451. *caeli convexa.* Quae Henry in *Tw. years* I.
106 sqq. et Philol. XI. p. 508. de hoc loco disputavit, ut probaret, *conv*
esse lunatos fere litoris sinus, ea nunc ipse iure retractat. — *claus*

Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
Occulit: ipse uno graditur comitatus Achate
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia silva
Virginis os habitumque gerens et virginis arma,

---

occulit, ut supra v. 69. *submersas obrue puppes*. Vid. adnott. ad v. 63. — V. **311**. iteratur infra III, 229. De *horrentibus umbris* vid. supra ad v. 165. et ad X, 237. — *comitatus Achate*. Sic *comitatus* passive etiam ap. Cic. Cat. II, 2. pr. dom. 28, 76. Phil. XII, 10, 25. Ovid. Am. I, 6, 33. Tibull. III, 2, 13. Calpurn. III, 27. IV, 87. Anth. Lat. II, 192, 5. etc. et *comitor* Ovid. Trist. III, 7, 47., quod eo minus mirandum, quo saepius etiam forma activa *comito* apud eundem Ovidium (ex P. I, 9, 47. II, 3, 43. Met. VIII, 692. XIV, 259.) invenitur. Omnino cf. adnott. ad Ecl. IX, 53. — V. **313**. iterum legitur XII, 165. Expressit poëta Hom. Il. XII, 298. *δύο δοῦρε τινάσσων*. *crispans* nove dictum pro leniter vibrans, dum hastilia in manu celeriter euntis nutant tremuntque, ut etiam Wagn. et Ladew. recte explicant. Cf. Silius VIII, 374. *non illis solitum crispàre hastilia campo*. Similiter dicitur *coruscare* Aen. VIII, 661. Cf. etiam Ecl. X, 25. *quassans*. Henry (in *Class. Mus.* XIX, et *Tw. years* I. p. 108 sqq.), qui negat verbo *crispandi* inesse vibrandi notionem omnemque huius actionis commemorationem ab hoc loco alienam putat, comparans Francogallorum *doigts crespés* et Britannorum *grasp*, locum ita explicat, ac si scriptum esset: crispat manum in hastilia, i. e. plena manu circumplectitur hastilia, quae demissa ad latus gestat; quam tamen explicationem nimis quaesitam vir doct. recte nunc ipse reprobat. — *bina* pro duo. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 73. — *lato ferro*. Vid. Aen. IV, 131. *lato venabula ferro*. „Binas hastas gerere, mos fere heroum et apud poëtas (cf. XII, 165.) et apud artifices. *Achates* Aeneae comes datus, ut ap. Homerum *θεράποντες* heroum et *ἑταῖροι*, Idomenei Meriones, Diomedis Sthenelus, Achillis Patroclus, sicque alii. — **314**. Antequam silvam egreditur, *sese tulit obvia*, cf. inf. v. 503. et Ecl. VI, 57. [adde Aen. X, 552. et de formula *se ferre* pro ire Aen. I, 503. II, 456. 672. III, 599. V, 290. VII, 492. VIII, 199. IX, 597. XI, 762.], occurrit ei [*media silva* vid. Geo. III, 237.] Venus, puellae venatricis habitu et armis. Habuit, quem imitaretur, Hom. Odyss. VII, 19 sqq. et XIII, 221 sqq., ubi Minerva altero loco puellae, aqualem gestanti, in altero pastori assimilata, Ulyssi obvia et viae dux fit. Sed non infeliciter rem variavit Virgilius.“ *Heyn*. — **315**. *gerens*. Cf. XII, 472. *Cuncta gerens, vocemque et corpus et arma Metisci* et vid. adnott. ad Geo. II, 122. — *et virginis arma, Spartanae*. Primum Heyn. in repetitione voc. *virginis* haesit eamque parum suavem esse dixit, secutus communem illum multorum errorem, qui repetitionem eiusdem vocabuli post breve intervallum a veterum scriptorum elegantia abhorrere censent, sed longa disputatione huic loco adiecta refutantur ab Iahnio. Cf. adnott. ad Ecl. VI, 16. Et hic quidem verissime Wagn. docet voc. *virginis* necessario iterandum fuisse, quod aliter haec omnia, etiam *os* (quod absurdum esset) ad Spartanae similitudinem composita fuisse poëta diceret. *Virginis* autem *arma* sunt virginalia, quae virgini conveniunt, i. e. levia et habilia, quare etiam v. 318. *habilis arcus* commemoratur. Wagn. confert Callim. h. in Dian. v. 8 sq. *Δὸς δ' ἰοὺς καὶ τόξα· ἔα πάτερ· οὔ σε φαρέτρην, οὐδ' αἰτέω μέγα τόξον*. Ceterum idem Wagn., cum ex vulg. ratione poëta, postquam *Spartanae virginis arma* Venerem gestare dixit, quasi se revocans male haec subiiciat: *vel qualis equos* etc., rectissime mutavit distinctionem loci, post *arma* et *Spartanae* (ubi vulgo Semicolon ponitur) Commata ponens. Sic habemus hanc sententiam satis aptam: Virginis os habitumque gerens et virginis arma, *vel* Spartanae, vel Thressae; neque opus est Waardenburgii (in Opusc. orat. p. 196.) coni. *Virginis os habitumque gerens Dea, virginis arma Sp.*, multo minus autem Peerlkampii audaci commento: *Numinis os habitumque gerens, sed virginis arma*, quod recte impugnant Siebelis p. 18 sq. et Iahn. *Annal. l. l. p. 23. In voce enim virginis* repetita minime haerendum est

Spartanae, vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalyce volucremque fuga praevertitur Hebrum.

---

et Venerem Deae os habitumque prorsus deposuisse, apparet ex v. 405.; nam abiens demum dea agnoscitur. Denique *virgini Spartanae* Markland. ad Stat. Silv. V, 2, 118. p. 270. male substitui voluit *Sarranam* (i. e. Tyriam: vid. adnott. ad Geo. II, 506.); habemus enim h. l. communem aliquam comparationem, et poëta in universum describit speciem habitumque virginis venetricis, qualem lector sibi repraesentet, non qualem Aeneas sibi videatur conspicere. — *qualis equos fatigat*, scil. cursu suo, quem equi celeritate aequare vix possunt. Cf. Aen. V, 253. *Veloces iaculo cervos cursuque fatigat*. Sic locum cum Servio (qui memorat, ne equites quidem insequentes Harpalycem assequi potuisse), Henrico in Philol. XI. p. 508., Ladew. et Coningtone nunc explico. (Prius cum Heynio falso cogitavi de Harpalyce ipsa equo insidente.) *Fatigat* autem et *praevertitur* non satis recte Wund. docet pro *fatigavit* et *praeversa est* positum esse. Solent enim poëtae in comparationibus, ubi rerum omnibus notarum fit mentio, quae, quamvis longe ante actae sint, tamquam praesentes cogitantur, tempore Praesenti uti. Sensus est igitur: qualis Harp. in fabulis et artium monumentis fatigat, sive qualem Harpalycen equos fatigare meminimus. Eadem ratio est loci Tibulli II, 4, 55. *Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni*, i. e. quidquid veneni Circen, Medeam habuisse scimus vel habere cogitamus. Cf. Iahn. ad Aen. II, 275. p. 457. ed. II. idemque ad Ovid. Trist. IV, 1, 19. Bach. ad Prop. III, 22, 13. et *Geist der Röm. Eleg.* p. 175. cum adnott. ad Ecl. VI, 30. et VIII, 45. — 317. „*Harpalyces* in vetustis fabulis notum nomen. Alia est ab Iphiclo spreta, a qua cantilena *Harpalyce* dicta, ut ex Aristoxeni ὑπομνήμασι narrat Athenaeus XIV, 3. p. 619. F. Alia Clymeni filia, de qua ex Euphorione Parthenius Erotic. c. 13. Hic tertia, paullo illa notior ceteris, Harpalyci, Amymnaeorum (ita legendum; sic Amymnos Epiri memorat Steph. Byz.) Thraciae regis, filia, quae in silvis educta venatibus et cursibus sese duraverat. De ea vid. h. l. Serv. et Hygin. f. 193.“ *Heyn.* — *fuga praevertitur Hebrum.* Cf. Silius III, 307. *cui cesserit incitus amnis: Tanta fuga est. Fuga* enim de omni celeri motu dicitur, de celeri incessu (Geo. III, 142. Aen. IV, 430.), navigatione (VII, 23.), volatu (Geo. III, 201. Aen. IX, 15.), eademque ratione verbum *fugiendi* de navigatione infra III, 268., *refugiendi* de volatu III, 258. etc. Fortasse huius loci memor Gratius Cyn. 378. scripsit *latumque fuga superabitis amnem*. — *praevertitur*. Cf. Aen. VII, 807. *cursuque pedum praevertere ventos* et XII, 346. *vel equo praevertere ventos.* — *Hebrum.* Heynius, Heumannum (Poecil. T. II. p. 379.), Gesnerum et Bentleium (ad Hor. Od. I, 25, 20.), Burmannum (ad Anthol. Lat. T. II. p. 290.), Brunckium, alios secutus, pro omnium Codd. lectione recepit Rutgersii (Lectt. Venuss. c. 6.) coniecturam *Eurum* (quam etiam Schirach. p. 540., Peerlkamp., Bryce et Ribbeck. Codd. lectioni praetulerunt (cf. Ribbeck. Proleg. p. 364., ubi Bentleius l. l. testis citatur), cum *Hebro*, qui alibi lenis et placidus fluere dicatur, *volucer cursus* non conveniat, comparatio autem celeritatis cum ventis satis nota et accommodata sit (coll. Aen. VII, 807. VIII, 223. et Geo. III, 193.); sed quam in ipsa Vergilii editione deseruit lectionem, eandem iure tuetur Heynius in Obss. ad Tibull. I, 7, 14. Ad librorum enim omnium, Nonii p. 307. 362., Prisciani VIII, 35. p. 803. et Acronis ad Hor. Sat. I, 3, 38. auctoritatem accedit manifesta huius loci imitatio Siliana II, 73 sqq. *Quales Threiciae Rhodopen Pangaeaque lustrant Saxosis nemora alta iugis cursuque fatigant Hebrum innupta manus;* et profecto Thressae Nymphae velocitas aptissime comparatur cum Thracii fluminis celeritate. (Cf. Abr. Voss. in Annott. ad duos priores Aen. libros. Crucenaci 1832. p. 3.) Illud autem, quod Hebrum lene et placido flumine provolvi tradunt, Codicum lectioni non obstare, Heyn. ipse concedit, cum poëtarum in his non semper summa sit subtilitas, coll. Burmanno ad Val. Fl. V, 180., cui Iahn. addit eiusd. observat. ad Anthol. Lat. T. II. p. 290. et Hand. ad Stat. I. p. 372. (Cf. etiam quae Wagn. infra ad III, 76. adnotavit.) Accedit, quod etiam Stat. Theb. IX, 438. et Claud. in Rufin.

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis,
Nuda genu nodoque sinus collecta fluentis.

I, 332. Hebro celerem et concitatum cursum diserte tribuunt. Quae cum ita sint, Codd. lectionem revocare cum Wakef. (qui etiam ad Lucr. I, 1003. conf.), Both., Iahn. et Wagn. non dubitavimus, nosque secuti sunt Gossr. (qui erroris periculum cum Klopstockio nostro Wingolf. I. *Die Wasser Hebrus wälzten mit Adlereil des Celten Lager* subire, quam cum aliis poëtae vim inferre malit), Haupt., Ladew., Henry in *Tw. years* I. p. 112. (qui confert Silium III, 306. *Autololes, levibus gens ignea plantis, Cui sonipes cursu, cui cesserit incitus amnis*) et Conington. (Sic etiam apud Hor. Od. I, 25, 20. recentissimi editores iure defenderunt lectionem *Hebro* contra Bentleii aliorumque scripturam *Euro*.) De ipso Hebro cf. adnott. ad Ecl. X, 65. — 318. *Namque humeris* etc. Veste succincta erat, ut genua nuda apparerent, et comam solutam arcumque cum sagittis habebat puellae Spartanae vel Thressae more. Male autem interpp. quidam haec ad Spartanarum puellarum exercitationem palaestricam referunt, in qua nudae conspiciebantur; neque erat, cur Heyn. cogitaret de Spartanarum „brevibus tunicis, iique ad femur usque dissutis, ut nudum femur in incessu appareret;“ immo Wagn. verissime docet comparationem cum puella Lacaena institutam ad arma tantum spectare, reliquum autem habitum, qui hoc loco describatur, omnibus venatricibus cum ipsa Diana esse communem, coll. Christodor. in Anthol. Iacobs. T. III. p. 172. v. 308 sqq. *ἢν δ' ἐπὶ γούνων παρθένιον λεγνωτὸν ἀναζωσθεῖσα χιτῶνα, καὶ τριχὸς ἀκρήδεμνον ἀνιεμένη πλόκον αὔραις*. Cf. etiam Interpp. ad Callim. h. in Dian. 11. et ad Oppiani Cyneg. I, 97. — *de more - - venatrix*, pro vulgari: *more venatricis*. Vid. etiam III, 65. 369. IV, 57. VI, 39. X, 532. etc. — *habilem arcum*, *ἀραρότα*, qui facile haberi, tractari potest: cf. Aen. IX, 305. 365. XII, 432. Liv. XXII, 46. *habilis brevitate gladius* etc. (cf. Heyn. et Dissen. ad Tibull. I, 9, 7. et Burm. ad Ovid. Met. II, 531.): hoc igitur loco, cum de virgine sermo sit, fere i. q. levis (ut Val. Fl. III, 523. *levis omnibus arcus*). — *humeris suspenderat*. Cf. Hom. Il. I, 45. *τόξ' ὤμοισιν ἔχων*, a Coningt. comparatus. Imitatus est hunc locum Nemes. Cyneg. 88. *pictamque pharetram Suspende ex humeris*. — 319. *dederat ventis comam diffundere*. „Ita Daphne venatrix comis solutis apud Ovid. Met. I, 529.“ *Wund*. Amplificavit hunc locum Claudianus de R. P. II, 30 sqq. Ceterum *dederat diffundere*, *δῶκεν ἀνέμοις φέρεσθαι*, pro: dedit diffundendam. Cf. supra v. 66. 79. infra V, 248. 262. 307. 538. IX, 362. Sil. IV, 347. *dederatque lacum transmittere nando*. Stat. Theb. I, 177. *Exsulibus servire dabor?* ibid. IV, 178. *Huic parere dati* Stat. Silv. V, 3, 213. *primusque dedisti Non vulgare loqui*. Hor. Od. I, 26, 2. *Tradam - - Portare ventis* etc. Huc pertinent etiam notissima illa *habeo dicere, scribere, polliceri* et similia. Cf. de hoc dicendi usu Quinctil IX, 3. Sanctii Min. III, 6. Drakenb. ad Liv. I, 54, 9. Gronov. ad eiusd. XXXVII, 33, 5. Westerh. et Ruhnk. ad Ter. Andr. III, 2, 4. Bach. ad Ovid. Met. V, 619. Dissen. ad Tibull. III, 4, 48. Thiel. ad Aen. IX, 362. Ruddim. II. p. 230. ibique Stallb. Ramsh. §. 168. 4. not. 2. alii, et quod ad Graecos attinet, Casaub. ad Athen. I, 7. p. 24., Herm. ad Viger. p. 205. alii. — 320. *Nuda genu*, tunica igitur ita succincta erat, ut tantum summum genu attingeret, non ad pedes deflueret. Infra enim v. 404., ubi Venus deae speciem rursus induit, *pedes vestis defluxit ad imos*. Sic Ovid. Met. X, 536. *Nuda genu, vestem ritu succincta Dianae*, et auctor carminis in Anth. Lat. I, 147, 21. hunc locum sic imitatus: *Venus - - Nuda genu, nudos cervix cui lactea crines Corripit* (colligit?) *in nodum*. Quod ad constructionem attinet, cf. Aen. VIII, 425. *nudus membra*, XI, 489. *nudus tempora*. Ovid. Met. VII, 183. *nuda pedem* etc. et adnott. ad Ecl. I, 54. — *sinus fluentes*, vestem *βαθύκολπον*. *Fluendi* verbum (ut nostrum *wallen*) haud raro de amplis laxisque vestibus usurpatur. Cf. Ovid. A. A. III, 301. *Haec tunicis fluentibus auras excipit*. Prop. IV, 16, (III, 17,) 32. *Et feries nudos veste fluente pedes*. Tibull. I, 6, 14. Et *huic effuso cui toga laxa sinu*. Sic Catull. LXIV, 68. de *fluitante amictu*,

Ac prior „Heus, inquit, iuvenes, monstrate, mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Succinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.“
Sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus:
„Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,

Tac. Germ. 17. de *fluitante veste*, Lucan. II, 362. de *fluxo amictu* lo(Vid. etiam Aen. V, 179. -- *Sinum* tunicae *collegerat nodo* verba Heyn. rectissime non de fibula (ut IV, 139. VI, 301. et Claudi R. P. II, 40. *Collectae tereti nodantur iaspide vestes*), quam in hu non in pectore gestabant, sed de cingulo capit. Comprobant enin interpretationem loci Stat. Theb. IV, 265. *micat igneus ostro, Und que sinum nodis irrugat Iberis*. Non igitur *nodo* pro *in nodum* po ut Aen. XI, 776., quae Nauckii p. 18. est sententia; ibi enim ad verba *fulvo auro*. Henry, qui in *Tw. years* I. p. 113. neque de neque de cingulo, sed de veste ipsa in nodum collecta cogitandum c hanc explicationem, quam loco Aen. VI, 301. et imagine Dianae i Pio Clem. III. tab. 38. probare studuit, nunc ipse retractat. C *collecta sinus* pro collectos habens sinus, s. sinus nodo sibi coll Cf. de hac constructione adnott. ad Ecl. I, 54., ubi praeter hunc locu possunt Aen. II, 210. 219. 221. 273. III, 428. et X, 157. Scalig. ad Manil. I Burm. ad Ovid. Met. IV, 369. et Thiel. ad h. l. — **321**. *iuvenes*. S appellat, quia nomina eorum se nescire fingit. Ceterum cf. adno Ecl. I, 8. et 42. — **322**. *errantem*, ferae alicuius vestigia pers tem. — **323**. *Succinctam pharetra*, ut alibi gladio, ferro, succinctus dicitur (Auct. ad Herenn. IV, 52. in Liv. VII, 5, 3. XL etc.). *Succingere* enim est interdum i. q. cinctu adiungere aliquid VI, 555. *palla*, XII, 401. *amictu succingi*); pharetra autem ab h pendet cingulo vincta. Cf. Aem. Magn. Arb. 75. in Wernsd. Poët. L III. p. 223. *succincta togam ritu pharetratae Dianae*. Geo. IV, 342 mus *incinctae pellibus*. Codd. quidam minoris pretii, Rom. a m. Nonii p. 350, 8. Cod. w. exhibent *pharetram*, quam lectionem etiam p. 1081. tamquam deteriorem commemorat. — *tegmen lyncis*. V v. 275. Maculosae autem lyncum, pantherarum et similium ferarum venatoribus imprimis acceptae. Cf. Aen. XI, 577. Madvig. in *Ti for Philol. og Paedag.* 1859. p. 36. (vid. Philol. XV. p. 553.) *pharetra* distinguens verba potius sic vult coniuncta: *et maculos* melius *maculoso*: quod vere legi in uno Cod. Vindob. testatur Ri Proleg. p. 353.) *tegmine lyncis - - cursum;* cui tamen Ekius ibid. p recte opponit, bestiarum pellem poëtis Latinis non dici *tegmen*, n tegendum corpus humanum adhibitum; quare Ribbeck. Proleg. p. 3 parte Madvigio adsentiens, recipiendam censet Cod. Gud. a m. pr. lec *et maculosae tegmina lyncis Aut sp. a. c. c. prementem*, quod propter p unde fiat tegmen, lynx a venatrice agitetur; sed dubito, num bene co potuerint *tegmina lyncis aut cursum apri prementem*, quae plane diversa notiones. Vid. etiam, quae Ladew. in Append. p. 239 sq. contra utrumq putat et Haeckerm. in *Zeitschr.* XIX. p. 47. — **324**. *prementem. Pren* e. urgere, acriter insequi) haud raro de feris, quas venatores persequuntu Geo. III, 413. (ubi, hic ut *clamore premere*) et Aen. IX, 790. (Cf. etiam i 467. II, 530. VIII, 249. IX, 330.) Ceterum hic pro *aprum premere* poëtic *sum apri premere*. Verba *Aut spumantis apri cursum* repetuntur in Lat. I, 172, 9. — **325**. *et Veneris contra* etc. De respondente Copula X, 628. et XII, 623. usurpatur, ut de alloquente Geo. IV, 380. Cf. Qu. Virg. XXXV, 11., qui laudat Creuzer. ad Cic. Rep. I, 36. De n autem Veneris nomine cf. infra ad v. 554. adnotata. — **326**. *a neque visa*. Cf. infra IV, 83. Cic. Lael. 12, 41. *num quid simile p Rom. audierat aut viderat?* id. pr. Cael. 12. in. *Equidem multos et i hac civitate et audivi*. Ter. Phorm. II, 3, 85. Egon' *aut te visu auditum velim* etc. De omisso autem Verbo subst. est vid. infra

O — quam te memorem, virgo? namque haud tibi voltus
Mortalis, nec vox hominem sonat; o dea certe;
An Phoebi soror? an Nympharum sanguinis una?
Sis felix nostrumque leves quaecumque laborem

---

494. — **327.** „Lineas horum versuum videas in Odyss. VI, 149 sqq., ubi Ulysses in terra ignota Nausicaam simili modo alloquitur; et Nausicaa respondet fere v. 192 sqq. ut Venus v. 338.; add. Od. IV, 376 sqq., ubi Menelaus cum Idothea sermonem habet. Cf. Hymn. in Vener. 92 sqq. et 107 sqq. [et Apoll. Rhod. IV, 1411 sqq. a Coningt. laud.] Imitatus est usque ad fastidium copiosus Stat. Theb. IV, 176 sqq. Cf. mox ad v. 334.“ *Heyn*. Habemus autem hic Aposiopesin quandam. Post *o* enim proprie debebat sequi Vocativus, quem, verum deae nomen ignorans, Aeneas omittit. *Quam te memorem?* i. e. quo nomine te appellem? Wund. comparat similem locum Demosth. p. Cor. p. 232. *Εἶτ' ὦ — τί ἄν εἰπών σέ τις ὀρθῶς προσείποι;* cui Conington addit Aristoph. Nub. 1378. *ὦ τί σ' εἴπω*; Burm., quem Nauck sequitur, cum Vergilius, si illud voluisset, haud dubie scripsisset *Sed quam te memorem, virgo?* haec minus probabiliter sic distinxerat: *O* (*quam te memorem?*) *virgo. Namque* etc., Thiel. autem *O — quam te memorem? — virgo;* ut etiam vox *virgo* cum dubitatione aliqua proferatur. — **328—332.** Divina Veneris natura, quamvis humana specie recondita esset, tamen elucet nec prorsus celari potest. Sic etiam V, 646. Iris sub Beroes specie Troianarum mulierum coetum ingressa Pyrgonem fallere non potest, quod apte commemorat Siebelis p. 19. Cf. etiam similis locus Stat. Theb. IV, 746. *nam te vultusque pudorque Mortali de stirpe negant.* — *vox sonat hominem*, h. e. sono prodit hominem. Verbis sonitus, ubi Accusativum regunt, inest notio sono aliquo indicandi, significandi. Cf. infra VI, 50. Geo. III, 338. Anth. Lat. III, 162, 3. *Quem nisi vox hominem labris emissa sonaret.* Ovid. A. A. III, 286. *femineum quid sonare.* ibid. 288. *raucum sonare.* Pers. III, 21. *Sonat vitium percussa fidelia.* Cic. Brut. 73, 259. *Cotta sonabat contrarium Catulo.* id. Off. III, 21. *haec duo verba inter se discrepare, re unum sonare videntur.* - *O dea certe.* Cf. Hom. Od. XVI, 183. *ἦ μάλα τις θεός ἐσσι.* Cf. idem ille Aem. Magn. 79 sq. ibid. p. 224. *Te quicumque deus silvosa per antra vagantem Conspiceret, veram crederet esse deam* et similis locus Ovid. Met. XIV, 841. *O dea, namque mihi nec quae sis dicere promptum, Et liquet esse deam.* — **329.** *an Phoebi soror? an N. s. una?* Duplex *an* non pro *utrum* - - *an* positum, sed duas hic esse et diversas interrogationes, iam Heyn. vere adnotavit. Similis est locus Cic. Brut. 23, 89. *paucis antequam mortuus est, an diebus, an mensibus.* Vid. autem de h. l. et de similibus, ubi affirmatio formam interrogationis induit, Hand. Turs. I. p. 315. — *sanguinis*, e genere Nympharum una. Vid. supra v. 19. IV, 230. VI, 778. 836. etc. Peerlk. praeter necessitatem coni. *Nympharum agminis una*, coll. Stat. Achill. II, 225. *Unam virgineo natarum ex agmine poscunt* et Claud. rapt. Pros. III, 58. *natarum agminis una*, quos putat huius loci esse imitatores. Si autem adnotat: „Diana pudica, omnem virorum contactum exosa, neque Nymphas habebat matres, neque natas ex incesto Nympharum,“ haud dubie rem nimis intendit; quid enim impedit, quominus Dianam Naidis alicuius vel Hamadryadis, quae non ad ipsius comites pertineret, filiam sibi adiunxisse cogitemus? Recte igitur Iahn. Annal. l. l. p. 41. et Siebelis p. 19. Codd. lectionem contra Peerlk. defendunt. — **330.** „*Sis felix*, *χαῖρε θεά, ἵληθι*, sis propitia. Ecl. V, 65. *Sis bonus o felixque tuis.* Petitum ab auspiciis et ominibus.“ *Heyn*. Quam Heynii explicationem ob illum ipsum Bucol. locum etiam Wagn. probat. Minus recte Wund.: „A Graeco *χαῖρε* in hymnis usitatissimo, Callim. in Iov. 94. in Dian. 259., hanc formulam repetes; Latinis proprium *salve*.“ *Felix* autem activa significatione (pro: felicem reddens) praeter Ecl. l. l. etiam Geo. I, 345. legi videtur, ubi vid. adnott. — *quaecumque*, qualiscumque dea es, respectu verborum antecedentium *an* - - *an*. Coningtonem *quaecumque* pro Vocativo habere miror. — *leves laborem nostrum et* - - *doceas*. Pelle sollicitudinem nostram docendo *sub quo caelo etc.* — **331.** *tandem* bene exprimit Aeneae post longe

Et, quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas; ignari hominumque locorumque
Erramus vento huc vastis et fluctibus acti.
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra."
Tum Venus: „Haud equidem tali me dignor honore;
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram
Purpureoque alte suras vincire cothurno.

---

errores in regionem sibi prorsus incognitam delati admirationem et dubitationem (*wo in aller Welt wir uns jetzt befinden*). Prorsus eadem ratione infra v. 369. *Sed vos qui tandem?* Cf. praeter multos alios locos Cic. Mil. 3, 7, *in qua tandem urbe hoc - - disputant?* Ter. Adelph. IV, 5, 51. *In qua tandem civitate te arbitrare vivere?* et Drakenb. ad Liv. III, 9, 9. Burm. infra ad v. 369. Beneck. ad Cic. Cat. I, 1, 1. alii. — **332**. De versu hypermetro (quo Nauck p. 18. infinitam dubitationem et ignorantiam prodi putat, coll. Aen. II, 745.) vid. ad Geo. I, 295. II, 69. 344. alibi adnott. — **333**. Heins. e pluribus Codd. edidit *et vastis*, quem plurimi editores secuti sunt. Sed meliores libri (quibus etiam Medic. adnumerandus, in quo legitur *et vastis fluctibus*, sed altero *et* inter *vastis* et *fluctibus* superscripto) *vastis et*, quod nos cum Wagn. revocavimus, qui docet, ea Adiectiva bisyllaba, quae per se maiorem quandam vim habeant, a Vergilio ita in medio versu collocari, ut altera syllaba sub ictum cadat; quo fiat, ut ad ipsius Adiectivi significationem accedat rhythmi gravitas; et quod ad hoc ipsum Adiect. *vastus* attinet, Geo. IV, 362. 422. 430. Aen. I, 52. 86. 146. 162. 245. II, 780. III, 13, 191. 414. 431. 605. 617. 647. 656. V, 198. 368. 432. 821. multosque alios locos comparat. (Ceteri recentiores editores praeter Süpfl., Bryceum et Coningt. nos secuti sunt.) — **334**. „Odyss. XVI, 183 sqq. Telemachus Ulyssem, a Minerva augustiore forma ac corporis specie dei instar ornatum, alloquitur simili fere oratione. Neque dissimile Alcinoi dictum Ulyssisque responsum Od. VII, 199 sqq. 208 sqq." *Heyn*. — *multa hostia*. Vid. adnott. ad Ecl. I, 33. et de ipsa re etiam Ecl. I, 7. — *cadere* verbum proprium de victimis, quae mactantur. Cf. Hor. Od. III, 18, 5. Ovid. Fast. IV, 652. Tibull. I, 1, 23. etc. De totius versus ratione cf. adnott. ad Geo. III, 562. — **335**. *Tum Venus*. De omissione verborum *dicendi*, *respondendi*, *secum cogitandi* et similium maxime in oratione affectus plena cf. Cort. ad Lucan. II, 522 Bach. ad Ovid. Met. VI, 3. Ruddim. II. p. 358. Ramsh. §. 208, 2, c. alii. Ex Vergilio huc pertinent Aen. I, 37. 76. 370. 559. II, 42. 657. 675. III, 84. 265. IV, 416. 702. V, 870. VI, 347. 509. 544. 560. 695. 713. 860. (868? ubi vid. adnott.) VII, 552. VIII, 313. 469. IX, 390. multique alii loci, quos diligenter collegit Wilms. Progr. p. 17 sq. — *haud equidem* tam saepe a Romanis coniungi, nemo mirabitur, qui cogitaverit, *haud* habere vim cum gravi asseveratione negandi. Cf. Geo. I, 415. Aen. V, 399. Plaut. Mil. III, 1, 35. Merc. III, 1, 16. Ter. Hec. II, 1, 35. Cic. Legg. III, 11, 26. etc., quos locos Hand. Tursell. III. p. 31. congessit. — „*Tali honore*, ex v. anteced. intellige divino; vult enim mortalis virgo videri, non dea. [Cf. supra v. 49.] — **336**. Poenorum mores et historia respiciuntur etiam infra v. 621. 742. IV, 494 sqq. et alibi. Cf. Movers *Die Phoenizier* I. p. 582. 611. 612 sqq. 675. alibi. Duncker *Gesch. d. Alterth*. I. p. 157. 167. 169. 170. 401. et Schrader in Muetzellii *Zeitschr*. etc. VII. p. 724. — **337**. Ad venantium habitum pertinebat cothurnus, ne a sentibus et silicibus laederentur crura. Versus ex Livio Andronico adumbratus: *Sed iam purpureo suras include cothurno*. Cf. sup. Ecl. VII, 32." *Heyn*. Wagn. conferri iubet Peerlkamp. in Biblioth. crit. Vol. II. p. 35. et Weichert. Poëtar. Lat. Carm. Reliq. p. 68 sqq., qui versus istos non Livii, sed Laevii esse doceat. De cothurno autem venatorum, qui differt a cothurno tragico (Ecl. VIII, 10.) eiusque forma cf. Böttiger *Kl. Schriften* I. p. 213.) Quia *surae* eo vinciuntur, Catullo Epithal. 132. dicitur *tegmina surae*. Recte *alte*, quia cothurnus excurrebat per tibiam. Cf. Heins. ad Ovid. Am. III, 1, 14. et adnott. ad Ecl. VII, 32., ubi (quemadmodum etiam ap. Nemes. Cyn. 90.) *puniceus* cothurnus, ut hic *purpureus*. Ribbeck. cum Palat. scripsit *coturno*. Vid. ad Ecl. VII.

Punica regna vides, Tyrios et Agenoris urbem;
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,

---

32. — **338.** „Mira brevitas pro: vides Punica regna, ubi Tyrii sunt et urbs Agenoris. Nam urbem ipsam Aeneas, cui *media silva* occurrerat mater v. 314., videre non potuit. Et infr. v. 365. *cernes* dicitur.“ *Wund.* — *Agenoris urbem;* a progenie Agenoris conditam. Agenor quidem ex Aegypto oriundus primus Sidonis, non Tyri postea demum a Sidoniis conditae (Iustin. XVIII, 3. cf. etiam Iesaias 23, 12.), rex fuisse perhibetur (Apollod. II, I, 4. III, 1, 1.); sed Sidon et Tyrus a poëtis haud raro confunduntur, quare etiam infra v. 446. 613. IX, 264. XI, 74. *Sidonia Dido.* et Carthago *urbs Sidonia* I, 678. IV, 345. etc. Nauck p. 19. Carthaginem eodem iure *Agenoris urbem* appellari docet, quo Roma ap. Ovid. Am. I, 8, 42. *Aeneae urbs* dicatur, et Siebelis p. 20. etiam ap. Silium I, 15. XVII, 58. 198. 392. et 404. *Agenoreus* pro Carthaginiensis legi commemorat. Iteratur autem hic versus in Anth. Lat. VI, 84, 8 sic mutatus: *Punica regna videns, Teucros et Agenoris urbem.* Peerlk. tamen, temere haerens in *Agenoris urbe*, hunc versum duabus adeo coniecturis vexavit, aut *Tyrioque ab Agenore stirpem*, aut *Tyriaque ab origine stirpem* legendum esse censens. Cui Siebelis l. l. vere opponit, non poëtam ad lectorem, sed Venerem ad Aeneam loqui, qui quamquam audiverit Punica se regna videre, non tamen scire possit, Tyriorum s. stirpis Agenoreae esse urbem eamque in Libycis finibus sitam; idemque censet Iahn. Annal. l. l. p. 41 sq. — **339.** „*Sed fines Libyci* sunt, h. e. terra est Libyae pars; (fines saepe pro ipsa regione;) simulque *fines* pro incolis, Libybus, dixit, qui erant populus indomitus, asper et ferox. Nam ad Libyes, non ad Phoenices, hoc spectat: *genus intractabile bello*, indomiti, invicti.“ *Heyn.* Wagn. quidem, ab Heynii ratione discedens, post *Libyci* gravius distinxit, ut alterum hemistichium ad Tyrios referatur, quorum (Carthaginiensium scil.) fortitudinem Romani satis fuerint experti, cum contra nulla causa appareat, cur Libyes hoc epitheto ornentur; sed recte videtur Iahn., iam ipsorum verborum ordinem premens, cum Heynio facere, cum poëta hoc epitheton adiecisse videatur, ut appareret, cur Tyrii terram non expugnaverint, sed mercati sint. (cf. v. 367.) [In min. tamen edit. Wagn. mutata sententia haec adnotat: „Haec Tyrii tenent, mansueti homines, sed finitimi iis sunt feroces Afri.“] Quod autem attinet ad appositionem per synesin factam, *fines* (sunt) *Libyci, genus* pro: fines habitant Libyes, genus etc., cf. locus simillimus Aen. IV, 40. *Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello.* Similes loci sunt infra v. 533. Geo. II, 97. Aen. III, 15. IV, 40. 201. V, 734. VII, 670. Ovid. Fast. III, 102. *Graecia, facundum, sed male forte genus.* Liv. IV, 3. *Sutrium, socios populi Romani, obsidebat.* Alia exempla suppeditant Cort. ad Sall. Cat. 5, 8. et Heusing. ad Cic. Off. I, 34. 22. (Contrarium habemus infra v. 533., ubi vid. adnott.) Non igitur opus est coniectura Viri docti Brit. in *Class. Journ.* 1814. *Nr.* XVIII. p. 590. prolata *Adfines Libyci*, cuius Wagn. mentionem fecit, neque Peerlkampii commento *Vicini Libyes.* Ceterum cf. Grat. Cyneg. 159. *genus intractabilis irae*, Senec. Hippol. 229. et 271. *animus intractabilis*, Senec. Epist. 25. *aetas dura et intractabilis*, Gell. XVIII, 7. *homo intractabilior* etc. — **340**. De ratione, qua Vergilius Carthaginiensium fabulis ad Didonem s. Elissam, deam suam tutelarem, pertinentibus usus fuerit in carmine suo componendo cf. imprimis Movers *Die Phönizier* I. p. 609 sqq., qui de Didone dea etiam Iustin. XVIII, 6, 8. *Quamdiu Carthago invicta fuerit, pro Dea culta est* conferri iubet. Fabula de *Didone* s. *Elissa* (Aen. IV, 335. 610. V, 3.), Pygmalionis, regis Tyrii, sorore et avunculi sui Acerbae (quem Vergilius *Sichaeum* vocat) coniuge, quae marito a Pygmalione occiso Tyro fugerit et Carthaginem condiderit, est notissima. Cf. *Pauly Realencycl.* II. p. 1011 sqq. — Bothius in Virg. Vergil. p. 12. dubitans de formula dicendi *regere imperium*, scribi voluit *gerit*, quam coniecturam repetit Gent. *in Annot. crit. in* Virg. Aen. (Lugd. Bat. 1864.) p. 1.; sed *vid. Ovid. Ep. ex P. III, 3, 61. Sen.* Troad. 248. adeoque Livium XXX, 40, 26., *omnes dictione regere imperium* usi. Et *iura regere* dixerunt Stat.

Germanum fugiens. Longa est iniuria, longae
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
Huic coniunx Sychaeus erat, ditissimus agri
Phoenicum et magno miserae dilectus amore,

Theb. XI, 165. et Manil. IV, 59. Vid. Markland. ad Stat. S. I, 2, 267. Saepius sane dicitur *imperio regere populos, terras*, ut Aen. VI, 851. Lucr. V, 1127. et alibi; sed cum hic *imperium* de terra, cui imperat, dictum sit, recte etiam dici poterat *imperium regit*. Wagn. haud raro sic Nomina cum Verbis cognatae significationis coniungi comprobat locis Geo. III, 192. *sinuare volumina* et Cic. Part. or. 32. et 40. *partitiones distribuere, dividere*. Cf. etiam adnott. ad Aen. XII, 680. — **341—344.** *Germanum fugiens*; Dido enim manet domo profuga, etiamnum quasi Pygmalionem fratrem fugit. Iterantur autem haec verba in Anth. I, 178, 458. „Longe suavissima metaphora: non totam rem per ambages, quasi longum aedificium perneabo, sed leviter tangam, summam rerum enarrabo, extremitates quasi exponam, initium et finem." Haec *Schirach*. p. 409. — *Longa est iniuria* (scil. fratris) pro: longum est, narrare iniuriam; *longae ambages*, i. e. longis ambagibus opus esset, si rem enarrare vellem. Cf. autem Lucr. VI, 1080. *Nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam*. — *sequar* (scil. narrando), exponam. Geo. II, 434. *quid maiora sequar?* Cf. etiam Aen. II, 434., ubi *prosequi* eodem sensu legitur. — *fastigia rerum*, rerum capita, res maxime illustres. Videtur hunc locum imitatus esse Stat. Theb. II, 267. *Longa est series, sed nota malorum prosequar*, quem Peerlkamp. confert. Praeterea hunc locum respexit Prisc. laud. Anast. 148 *laudum relego fastigia summa*. Narrationem subiectam pluribus verbis persequitur Iustinus XVIII, 4, 3 sqq. Cf. Heynii Excurs. XI. — **343.** *Sychaeus* Heins. ex Med., Pal. aliisque antiquioribus Codd. restituit:' vulgo *Sichaeus*. Brunck. edidit *Sycchaeus*. Ceterum secundum Iustinum l. l. Didonis avunculus et coniux, qui erat Herculis sacerdos, vere vocabatur *Acerbas*, quare Servius ad h. l. eum *Sicharbam* nominatum fuisse refert. (Cf. etiam Movers l. l. p. 614.) Ceterum animadverte poëtarum Romanorum in pronuntiatione nominum propriorum, imprimis externorum, inconstantiam; hic enim *Sychaei* prima syllaba producitur; paullo post vero v. 348. (ut alibi semper: cf. IV, 20. 502. 552. 632. VI, 474. Ovid. Heroid. VII, 79. et 99. Silius I, 90. III, 245. IV, 825.) corripitur. Simile variatae pronuntiationis exemplum deprehenditur in *Sĭcania* I, 557, et *Sĭcani* V, 293. in *Āpulus* et *Ăpulia* ap. Hor. Od. III, 4, 9. 10. etc. Cf. omnino adnott. ad Aen. III, 35. et Drak. ad Silium IV, 778. Non igitur erat, ut Peerlkamp. propterea nimis audacter coniiceret *coniux aequaevus*. — Pro *ditissimus agri* (quod etiam legitur ap. Silium V, 260., ut ap. Servium Pompeium p. 141. L. et Cassiod. de orth. p. 564. ed. Ven. 1729.) in pluribus editt. ex Huetii (in Huetianis p. 62.) coniectura legitur *ditissimus auri*, quod etiam Heyn. (et cum eo Peerlkamp.) praeferendum censet, non tam, quod Pygmalion v. 349. 358. 363. tamquam *avarus* describatur (quae res sane nihil probat), quam „quod in tali gente, qualis Phoenicum, mercatu et navigatione inclyta, ex *auri* potius copia quam ex latifundiis declarari debuisse videantur divitiae;" quae etiam Ribbeckium videntur movisse, ut *auri* adeo in contextum reciperet, a recentioribus editoribus iure destitutus (cf. eius Proleg. p. 364.); nam hic quoque Vergilius Romanorum suorum ingenium rationemque sequitur. (Vid. etiam Iahn. Annal. l. l. p. 26.) Recte Codd. lectionem defendit Wagn. Qu. Virg. XXXIX., qui poëtae menti latifundia illa et immensas agrorum possessiones divitum Romanorum obversatas esse suspicatur, comparans Tibull. I, 1, 2. III, 3, 12. et Cic. Rep. I, 17. Cf. etiam infra X, 563. et VII, 537. Vergilium autem saepe Romanorum potius, quam hominum, de quibus narrat, mores et instituta respicere, alibi iam vidimus. De constructione vid. ad Geo. II, 136. — **344.** *miserae dilectus amore*. *Misera* appellatur futuri temporis ratione habita, quo orbata erat marito tam caro. Est igitur *ὕστερον πρότερον*; nam infra demum narratur, cur misera fuerit. *Burm.* minus recte hoc epitheton refert ad infelicem Didonis, quo Aeneam deperibat, amorem, coll. locis Ovid. Epist. VII, 7. et Am. II, 18, 31.

Cui pater intactam dederat primisque iugarat
Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios inmanior omnis.
Quos inter medius venit furor. Ille Sychaeum
Impius ante aras atque auri caecus amore
Clam ferro incautum superat, securus amorum

Nauck p. 19. comparat Hom. Il. XIX, 287. *Πάτροκλέ μοι δειλῇ πλεῖστον κεχαρισμένε θυμῷ.* — *magno dilectus amore.* Cf. Anth. Lat. I, 172, 11. *ante alios dilectus amore.* — *pater*, Belus. Vid. infra v. 621. — *intactam*, virginem, Homericum *κουριδίην ἄλοχον* (vid. Buttmann. Lexil. I, 12.). Cf. Hor. Od. I, 7, 5. *intacta Pallas.* Iuven. VI, 162. *intactior omni* - - *Sabina*, i. e. castior. — „*primisque iugarat Ominibus* h. e. nuptiis, [*primis hymenaeis*, Stat. Theb. II, 202. et *primo hymenaeo*, Silius III, 64.], pro quibus auspicia nuptialia dici solent; unde sumpsit *omina*. Propert. III, 19, (IV, 20), 14. *Contineant nobis omina prima fidem* pro amore.“ *Heyn.* Nuptiis enim antecedebant sacrificia cum auspiciis coniuncta. Cf. infra IV, 59. Val. Max. II, 1. Tac. Ann. XI, 27. Iuven. X, 336. Catull. LXI, 19. etc. Praeterea Wund. docet, *omina* hic esse fausta auspicia, cum Catullo teste LXI, 19. *bona tantum nubat alite virgo.* — *primis*, ut intactam. Nondum ob alium maritum antea capta erant omina. — *iugare* autem, i. e. in matrimonium dare, patri proprie convenit. Vid. Doering. ad Catull. LXIV, 21. Sic Stat. Theb. II, 202. *primis Hymenaeis* - - - *iugari* (ubi Lactantius nostrum locum comparat). — **346.** *germanus*, scil. eius, Didus, nam ad *Huic* v. 343. haec sunt referenda. — *ante alios inmanior omnis. Ante* et *praeter alios*, *omnes*, *cunctos*, *ceteros* a poëtis et posterioribus prosae orationis scriptoribus interdum Comparativis et Superlativis per abundantiam quandam adiungitur. Sic apud Suet. Galb. 9. legimus *Galba multo praeter ceteras altiorem crucem statui iussit*, apud ipsum autem Virg. Aen. IV, 141. et VII, 55. *ante alios pulcherrimus omnes*, ut ap. Tibull. III, 4, 93. *longe ante alias omnes mitissima mater*, Nep. Att. 3, 3. *quod* - - *unus ei ante alios fuerit carissimus*, et Liv. I, 15, 8. *longe ante alios acceptissimus militum animis.* Cf. Hand. Turs. I. p. 386 sq. Ruddim. II. p. 82. 101. 305. Ramsh. §. 305. extr. Dissen ad Tibull. l. l. alii. — *Quos inter*, int. Sychaeum et Pygmalionem. De Praepos. postposita vid. adnott. ad Geo. I. 161. et Aen. I, 132. — *furor* autem significantius quam ira, inimicitia. Conington conferri iubet Hor. Epod. VII, 13. et Lucan. I, 8. Burmann., Heumannum secutus (Poecil. T. II. p. 380.), *furorem* hic litera maiuscula scripsit, nescio an recte; qua de re vid. adnott. ad v. 294. Ceterum *furor medius venit* eodem modo dictum, quo II, 508. (ubi vid. adnott.) *medius in penetralibus hostis* et similia. (Cf. etiam Geo. IV, 436. Aen. I, 76. VII, 169.) Hoc autem magis poëticum, quam aliquot Codd. (inter quos etiam Med.) lectio *medios*, quamquam etiam Serv. haec adnotat: „Ordo est: *inter quos medios.*“ Lectionem vero *medius* (quam Iahn. quoque in Annal. suis XLIII. p. 34. defendit) etiam Lactant. ad Stat. Theb. I, 84. agnoscit et Seneca Ep. 14. agnoscere videtur sic scribens: *Qui furentium principum armis medius intervenit.* — **349.** *ante aras*, scil. domesticas (cf. enim infra IV, 21. *miseri post fata Sychaei Coniugis et sparsos fraterna caede Penatis*), quo detestabilius fit scelus. — *auri caecus amore.* De eius divitiis et habendi cupiditate cf. Movers l. l. p. 613- — **350.** *Clam ferro incautum* (vid. Aen. III, 332. et Drak. ad Silium II, 99.) *superat*, opprimit, necat; omnia magna cum vi et affectu dicta. — „*Securus amorum germanae*, nil curans amorem, quo illa maritum amplectebatur, ne ea quidem cogitatione a scelere revocatus, quod sorori, quae valde coniugem amabat, summos luctus crearet. VII, 303. *Optato conduntur Thybridis alveo, Securi pelagi atque mei.*“ *Heyn.* De verbo *securus* cum Genit. constructo cf. Aen. X, 326., Anth. Lat. I, 146, 5. et 168, 10. (in quibus locis redeunt verba *securus amorum*), Aen. VII, 304. Lucan. V, 526. Ovid. Tr. I, 1, 49. Pers. VI, 12. Claud. de nupt. Hon. 229. Tac. Hist. III, 41. *et vid. supra ad v. 343.* Tuentur autem receptam lectionem plurimi Codd.

Germanae; factumque diu celavit et aegram
Multa malus simulans vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Coniugis; ora modis attollens pallida miris
Crudelis aras traiectaque pectora ferro
Nudavit caecumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaque excedere suadet

---

et Schol. Hor. Crucq. ad Or. III, 8. Med. AMOREM, superscripta t litera V, Rottend. II. et Bern. III. a m. pr. *amore*. De Plurali autem hic p vid. infra ad v. 463. — *aegram*, scil. animo; *aeger* enim de animi, *aegrot* corporis valetudine dici solet. Vid. supra ad v. 208. — **352.** *malus* ad fra ac dolum spectat. Wunderl. Obss. ad Tibull. I, 5, 20. *malus* Commatis i dendum et pro exclamatione accipiendum esse censet; cf. tamen adnott. ad VIII, 559. et Iahn. ad Geo. I, 320. p. 394. editt. II. — *vana spe* ma desideratum, quem fortasse aliquo profectum simulabat, reditum — *lusit*, decepit. Cf. infra v. 408. VII, 440. XI, 427. Ter. IV, 5, 63. Cic. ad Q. Fr. II. 12. etc. Verba *vana spe lusit a tem* repetuntur in Anth. Lat. I, 146, 14. 170, 91. et 178, 19. — **353.** *sed*. De postposita Partic. *sed* cf. adnott. ad Ecl. IV, 63. — *in so* (quod redit infra II, 270. 353. et alibi) idem est quod *per somnu* 636. Temere ambigit Serv., utrum a *somno* an a *somnio* deducendun Burm. conferri iubet Comment. ad Val. Max. I, 7. ext. 10. et E Advers. VIII, 20. — *imago*, simulacrum, *εἴδωλον*. Cf. Aen. IV, 654 293. — „*coniugis inhumati*, auget rei atrocitatem [quod ne sepel quidem Pygmalion Sychaeum a se interfectum] et somnii narrati prob tatem epitheton hoc, si memineris, insepultos, nisi humentur, quieti non posse.“ *Heyn.* In verbis *ora modis pallida miris* ante o habuit Lucret. I, 124. *simulacra modis pallentia miris*, h. e. miro pallida. Cf. etiam Geo. I, 477. et Aen. X, 822., ubi verba *modis pal miris* redeunt. Wagn., Haupt., Coningt. et Nauck p. 19. versum sic disting *Coniugis, ora modis att. pallida miris; Crudelis* etc., ut *attollens* pertine voc. *imago*; et Nauck quidem post Peerlk. comparat Apul. Met. 8. *umbra illa misere trucidati Tlepolemi*, *pallore deformem att faciem*, *quietem interpellat uxoris*. Wagn. autem malit ita scri esse a Vergilio: *inhumati venit imago Coniugis, ora modis attollens pa miris, Crudelisque aras*, quod probat Peerlk.; cum tamen haec Copula desi que causa appareat, cur veniat ora iam attollens, quae potius attollit de dum - - nudat, ratio, quam nos cum reliquis editoribus amplexi sumus, vi praeferenda. Vide etiam Iahn. l. l. p. 34. — **355.** *Crudeles aras*, h. e. locu scelus crudele in se commissum, quod per *traiectaque pectora f* significatur. Sic autem poëtas haud raro praedicata, quae ipsis homi aliquid agentibus conveniunt, ad res transferre, quae cum illorum a aliqua ratione coniunctae sunt, satis notum. Cf. III, 44. *crudeles terr litus avarum*, III, 616. *limen crudele*, VI, 563. *limen sceleratum*, VI, *nemora fortunata* etc. Conington quaestionem movet, utrum caed Pygmalionis, an in Sychaei domo patrata fuerit, utrum igitur *ara* Penates in iis) participes quasi, an spectatores modo et testes c cogitandae sint, atque coll. infra IV, 21. et Ovid. Her. VII, 113. ad alteram opinionem amplectendam proclivis est. Mihi vero cum natu ipsius, tum epitheton *crudeles* priorem rationem probabiliorem re videntur. — *Traiicere* i. q. transfodere. Cf. Aen. II, 273. IX, 63 339. 400. Caes. B. G. VII, 25. etc. — **356.** *Nudavit*, cum clam esset caedes, manifestam fecit. Ceterum *nudavit*, cui communis inest monstrandi, duplici significatione accipiendum, propria ad *pectora*, in pria (pro *monstravit*) ad *aras* relatum. Cf. Hand. ad Stat. Silv. I, 2, quae de zeugmate ad Geo. I, 93. adnotavimus. — Hinc *caecum sc* occultum (vid. infra II, 453. III, 706. V, 163. et adnott. ad Geo. I 464. III, 210.), *domus*, ab affini commissum. Cf. Ovid. Her. VII, 11 *357. Codd. scriptura* fluctuat inter *patria* et *patriam*, ut fere semp *talibus locis*. (*Med. patriae*.) Sed recte iam Burm. vel ob antece *fugam praetulit* lectionem *patriaque*, comparans infra III, 60. sce

Auxiliumque viae veteris tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His commota fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni
Aut metus acer erat; navis, quae forte paratae,
Corripiunt onerantque auro. Portantur avari
Pygmalionis opes pelago; dux femina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernis

---

excedere terra. Accedit, quod etiam Cento Vergil. in Anth. Lat. I, 178, 166 exhibet *patriaque excedere suasit*. Cum h. l. conferri potest Ovid. Epist. VII, 113 sqq., ubi Dido haec ipsa Aeneae scribit. — **358.** „*auxilium viae*, ut sint auxilium viae. De hoc appositionis usu, insigni brevitate, vid. Wolf. ad Tacit. Ann. I, 3. [et Iacob. Disquiss. Virgill. Part. I. p. 13. similemque locum Aen. I, 636.] — Cum indicat, ubi reconditi sint thesauri, ipse [quasi] *recludit tellure*, h. e. effodit e tellure. Ablativi verbis e Praepositione *re* compositis similiter adiecti Aen. IV. 545. Geo. II, 313.“ *Wund.* Adde Geo. I, 275. II, 520. (ubi vid. adnott.) IV, 88. Aen. I, 679. II, 115. IV, 244. 546. V, 99. 178. 409. IX, 32. X, 330. 473. — *veteris* ex Med. aliisque Codd. pro *veteres*, quod Pal., Rom. et Gud. exhibent, cum recentissimis editoribus nunc recepimus; nemo enim *veteris* pro Genitivo habebit cum *viae* coniungendo. — **359.** *Thesauros*. Ribbeck. *thensauros*. Vid. ad Geo. IV, 229. Ceterum de ipsa re cf. Iustini XVIII, 4, 6 sqq. narratio. — *ignotum argenti pondus* etc. Iustin. *aurum metu regis terrae crediderat; quam rem etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur*. — **360.** *fugam sociosque parabat*. Cum *fugam parare* Conington comparat *cursum parare* IV, 299., cum *socios parare* autem *comites parare* II, 181. Cf. etiam Cic. Lael. 15, 54. *amicos parare*. Imperfecto autem hic utitur poëta, quia sermo est de re non uno tempore peracta. — **361.** „*Odium crudele*, μῖσος ἀπηνές, proprie quale est immanis animi, magnum [Rectius Wagn.: „quale proficiscitur ab ira recenti et quasi cruda, ergo asperrimum.“] Sic crudelis, atrox, saevus et similia poëtis pro ingens. — *metus* autem *acer*, δριμύς, vehemens, proprie de animo exasperato.“ *Heyn.* Iteratur hic totus locus *Conveniunt - - acer erat* in Anth. Lat. I, 170, 105., *odium crudele tyranni* autem ibid. 168, 8. et 170, 31. — **364.** „In verbis *Pygmalionis opes* vis et acumen inest, scilicet quas ille animo et spe iam praeceperat, ut et in altero *dux femina facti*, ad hoc faciendum duce Didone.“ *Heyn.* Aliter, sed minus recte, nisi fallor, Gossr.: „*Pygmalionis opes*, non quas ille iam suas putabat, quod nimis argutum est (?); sed quae ex iure hereditatis ipsi cedere debebant;“ cui tamen explicationi etiam Siebelis p. 20. et Kappes l. l. p. 39. adsentiuntur, idemque Conington statuere videtur (haec adnotans: „*the treasures were his from the time when he slew their owner.*“) Ceterum *opes* cum Henrico (*Class. Mus.* XX. *Tw. years* I. p. 115 sq. et Phil. XI. p. 509.) non de solis thesauris, iam v. 359. commemoratis, intelligo, sed omnino de opibus, quibus regni magnitudo et firmitas nititur, navibus, viris, armis etc. Cf. infra v. 571. et Suet. Caes. 79. *Quin etiam valida fama percrebruit, migraturum Alexandriam vel Ilium, translatis simul opibus imperii.* Conington quidem huic explicationi adversatur, sed etiam Siebelis l. l. nihil impedire censet, quominus de propriis quoque Pygmalionis opibus plus vel minus abreptum esse putemus. Peerlk. male coni. *spes*, quamquam non immemor est locorum Ovid. Her. VII, 150. *Accipe et advectas Pygmalionis opes* et Alcimi Aviti V. *portantur avari sic Pharaonis opes*. Vide etiam quae Iahn. l. l. p. 42. et Siebelis l. l. contra eum disputant. Verba *dux femina facti* iterantur in Anth. Lat. I, 147, 39. et 178, 437. — **365.** *Devenere locos*. Sic IV, 165. *devenire speluncam*, Val. Fl. I, 84. *devenire silvas*, Ovid. Met. III, 462. *verba aures non pervenientia nostras* cett. Cf. supra ad v. 2. et 307. — *cernis*, i. e. cernere potes, cernere licet; quo sensu Praesens saepissime a poëtis, interdum etiam a prosae orationis scriptoribus usurpatur, ut a Cic. Acad. II, 33, 106. *Unde memoria, si nihil percipimus?* (quem

Moenia surgentemque novae Karthaginis arcem,
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.

---

locum Wagn. affert.) Haec autem est multorum Codd., inter quos Medic., lectio; alii (Pal., Rom., Gud. et duo Bern.) *cernes*, quod Burm., Heyn., Bryce et Ribbeck. praeferunt, cum superato demum coll. v. 419. Aeneas Carthaginem conspiciat. Sed primum Futurum propterea ferri non potest, quod Venus v. 370. dicit: *Quo tenetis iter?* ideoque non potest iam nunc sumere, eos Carthaginem ituros esse; deinde etiam quam maxime offendunt verba *nunc cernes*, et verissime Wagn. docet, *nunc* non aliter a Vergilio cum Futuris iungi, nisi ita, ut Praesentis et Futuri notio iungatur, ut Ecl. V, 49., ideoque si de consilio praesenti tempore capto eoque statim exsequendo agatur, ut Geo. II, 2. Aen. X, 582. coll. Ecl. VI, 6. Geo. II, 226. Aen. IV, 654.; quemadmodum etiam, ubi Perfectis *nunc* adiiciatur, utriusque temporis, praeteriti et praesentis, ratio habeatur, ut Ecl. VIII, 35. IX, 53. Aen. IV, 345. 356. VIII, 99. etc.; quae omnia in h. l. non cadere, quisque facile intelligit. *Cernis* igitur impersonaliter capiendum (*man sieht*) fere i. q. sunt, inveniuntur. — **366.** *surgentem*, condi coeptam et in altum crescentem; unde etiam ad *moenia* supplendum videtur *surgentia*, quamquam etiam urbis *moenia* iam absoluta possunt cogitari, cum adiiciatur *ingentia*. Cf. autem adnott. ad Ecl. VI, 39. Geo. III, 29. et IV, 12. — **367.** *Devenere - - mercatique* sunt *solum*. (Cf. adnott. ad Ecl. I, 53. et ad Prooem. Aen. v. 1. p. 3. et Weickert. l. l. p. 7. cum iis, quae supra ad v. 237. adnotavimus.) Iahn. tamen, Venerem consulto sententiam non absolvere existimans, quod satis indicet Partic. *sed* v. 369., *mercati* pro Participio habet et *condidere arcem* vel tale quid supplet. At Partic. *sed* nihil aliud indicat, nisi nolle Venerem narrationem inceptam latius persequi (cf. Aen. I, 135. II, 100. et Wagn. ad Aen. VI, 511.); dixerat enim v. 342., se *summa* tantum *fastigia rerum* velle attingere; unde non sequitur, sententiam ipsam non esse absolutam. — *facti de nomine*, ut v. 523. *ducis de nomine*. Iterantur haec verba in Ciri 487. — *Byrsam*. „Arx Carthaginis, media urbe sita, a Phoenicibus appellata esse videtur בָּצְרָה (Bosra), *munimentum;* cui respondet vox Hebraica בֶּצֶר, *locus praecisus*, *munitus*. - - - Huic opinioni et derivationi nominis favet natura arcis, a Strabone XVII. p. 1176. ita descripta: *Κατὰ μέσην δὲ τὴν πόλιν ἡ ἀκρόπολις, ἣν ἐκάλουν Βύρσαν, ὀφρὺς ἱκανῶς ὀρθία.* Graeci duram vocabuli pronuntiationem mollientes *Bosra* in *Βύρσα* mutasse (vid. Casaubonum ad Strabonis locum et Simonis Onomasticum p. 192.) indeque alii, argumento ex significatione Graecae vocis [apud Graecos enim *Βύρσα* est detracta pellis] petito (Tacit. Hist. V, 2.), fabulam de *tergore taurino* composuisse videntur.“ *Wund.* Sollicitat hunc totum versum 367. Beckius de sensu crit. II. p. 62., quippe similem ei, qui supra erat 109.; Peerlkampio autem et Ravio in Sched. p. 38. praeterea etiam v. 368. spurius videtur; atque etiam Ribbeck. utrumque versum tamquam spurium uncis inclusit. (Cf. eius Proleg. p. 67.); sed verissime censet Wagn., non esse verisimile, Vergilium rem a multis celebratam silentio praeteriisse. Poterat vero etiam hos versus defendere Silii auctoritate, qui haud dubie Vergilium ante oculos habuit I, 24. sic scribens: *Tum pretio mercata locos nova moenia ponit, Cingere qua secto permissum litora tauro.* Praeterea idem vir doct. censet, ordinem sententiarum non satis esse commodum, ac totum locum multo fore expeditiorem, si transpositis versibus hoc ordine procedat oratio: *Mercatique - - Taurino - - Devenere - - Moenia* cett.; quare adeo suspicatur, fortasse transpositos esse versus a Tucca et Vario ob ingratam vocis *facti* iterationem; cui tamen recte adversatur Weickert. l. l., qui quaerit: num devenerint postquam sint mercati? et docet, inter *devenere* et *mercati sunt* similem intercedere rationem, atque inter verba *explebit - - regnumque transferet* v. 270 sq. Pedestris sane orationis scriptor sic dixisset: Devenere locos, ubi nunc ingentia cernis moenia surgentemque Karthaginis arcem, mercatique sunt solum quantum taurino possent circumdare tergo, facti de nomine Byrsam. — **368.** *Taurino - -*

Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris?
Quove tenetis iter?" Quaerenti talibus ille
Suspirans imoque trahens a pectore vocem:
„O dea, si prima repetens ab origine pergam
Et vacet annalis nostrorum audire laborum,
Ante diem clauso conponet Vesper Olympo.

---

tergo. *Tergum* vox exquisitior pro pelle, corio. Cf. supra v. 211. V, 351. Ovid. Met. XII, 96. XIV, 225. A. A. II, 655., fortasse etiam Aen. VI, 243. etc.; quare etiam interdum pro rebus ponitur, quae ex corio sunt factae, velut pro scutis (Aen. IV, 412. X, 718. coll. cum Ovid. Met. XII, 96.), caestibus (Aen. V, 403.), tympanis (Stat. Achill. VIII, 221. Theb. VIII, 221.) etc. — **369**. „In *qui tandem* interrogationis vim auget Particula, et desiderium intentius sciscitantis inde elucescit." *Heyn*. Cf. supra ad v. 331. adnott. Pro *aut venistis* Rom., Minoraug. aliique, etiam Codd. quidam Quinctil. IX, 2, 7., *advenistis*, quae lectio fortasse prodiit ex Med. scriptura AUDUENISTIS (litera T superscripta.) — **370**. Verba *Quove tenetis iter* repetuntur Aen. IX, 375. *Quove* post *aut*, ut VI, 614. 842. X, 92. et alibi. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXXVI, 3., qui inter Particulas *ve*, *vel*, *sive*, *aut*, maxime in comparativis, interrogativis et negativis enuntiationibus certum a poëtis discrimen non observari docet, nisi quod *vel* a commotiore oratione excludatur. Thiel. docet, contineri his verbis notissimam illam quaerendi formulam eorum, qui ex improviso sibi occurrant, *unde et quo?* ποῖ καὶ πόθεν; de qua conferri iubet Heind. ad Plat. Lys. 1. eundemque ad Hor. Sat. II, 4, 62. et Ruhnk. ad Xen. Mem. II, 8, 1. Ceterum cf. similis locus Aen. VIII, 113 sq. et (quem Ladew. comparat) Liv. I, 1, 7. *Percunctatum deinde, qui mortales essent, unde aut quo casu profecti domo* etc. — **370**. *talibus* (his), scil. *verbis respondet*. Cf. infra v. 559. *Talibus Ilioneus*. — *trahit a pectore vocem*. Cf. III, 246. IV, 553. V, 482. 780. VI, 55. VII, 292. XI, 377. 840. — **371**. *Suspirans* cett. Βαρυστενάχων Hom. Il. I, 364. et saepe alibi. Cf. Ovid. Met. X, 402. *suspiria duxit ab imo Pectore* et XI, 709. *attonito gemitus a corde trahuntur*, Hor. Epod. XI, 10. *latere petitus imo spiritus*, Apoll. Rhod. II, 207. ἐξ ὑπάτοιο στήθεος ἀμπνεύσας et similes locos. — **372—374**. „Si ego fata nostra ordine exponere velim et tu ea audire velis, dies nos deficiat. Homerus minus sobrie Od. III, 113 sqq. et XIV, 196. annos pro die ponit." *Heyn*. Adde eiusd. Od. XI, 330. — *pergam* absolute pro pergam narrare (scil. fata mea). Cf. Cic. Verr. II, 3, 20. *Pergam atque insequar longius*. id. Brut. 74. in. *Sed perge de Caesare et redde quae restant*. id. de Legg. II, 22, 69. *Sed perge cetera* al. Goerenz. ad Cic. de Legg. I, 13, 37. et Boetticher. Lex. Tacit. p. 19. Wagn. *pergere* hic significare putat narrationem ordine et ad finem pertextam. — „*repetens a prima origine*, ἀπ' ἀρχῆς, Soph. Ai. 1097. Simillimus locus est Geo. IV, 285. 6." *Wund*. — *repetens* hoc connexu verborum fere i. q. exordiens. Cf. Cic. pr. Arch. I. *inde usque repetens*. id. de Or. I, 20, 91. *cum repeteret a Corace*. Tusc. I, 48, 116. *repetunt ab Erechtheo* etc. — **373**. „In *annalium* nomine argutatur Macrob. Sat. III, 2., et post eum alii. Gravius est vocabulum quam historia, narratio, eoque magis epicum. — **374**. *Olympus*, h. e. caelum [vid. adnott. ad Ecl. V, 56.], *clauditur* modo nubibus obductis, modo tenebris noctis praetentis, ut h. l. Nec huc trahenda *porta caeli* Geo. III, 261. [Quidni? Occidentalis caeli porta clauditur Phoebo invecto.] *Vesper conponet diem*, non quasi mortuum et sepultum; sed quia quieti se reddere [et componere se ad somnum: cf. Geo. IV, 189. 438.] videtur sol occidens; tamquam thalamo clauso aliquis se somno tradit." Haec *Heyn*., qui simul memorat, non simile esse illud *condere diem* Ecl. IX, 52., ubi vid. adnott. Schirach. p. 362. cum Scaligero aliisque alteram explicationem de sepultura quadam diei sequitur. Cf. omnino supra ad v. 249. adnotata et Plin. Ep. II, 17. in. *composito die*. — Ceterum neutiquam probare possum, quod Wagn. (quem sequuntur Gossr., Süpfl. et Conington), spreta omnium fere Codicum lectione *conponet*, quam etiam Nonius p. 255, 2. Lactant. ad Stat.

Nos Troia antiqua, si vestras forte per auris
Troiae nomen iit, diversa per aequora vectos

Theb. I, 231. et Schol. Crucq. Horatii Epist. II, 3, 8. auctoritate sua tuentur, in contextum invexit scripturam *conponat*, a Rom. tantum, Pal. a m. pr. et Corrado auctore ab aliis quibusdam (Pierii) Codd. exhibitam, quae sane Heumanno (Poecil. III. p. 380.) vulgari elegantior (!) videtur. Apertum est enim, errare virum doctiss., cum dicat, ut *conponet* recte se haberet, antea scribendum fuisse *si vacat*, non *si vacet*, quod a poëta scriptum sit, quia tum nec virgini audire nec ipsi Aeneae narrare vacaverit; conditioni autem, cui locum non esse ipsi significemus, certum quendam eventum adiungi non licere;" nec quae Qu. Virg. VI, 3. de eadem re disputat, omnia vera dixerim. Primum enim *si pergam* et *si vacet* non id significant, quod Wagn. arbitratur; hoc enim si poëta vellet dicere, neque Aeneae pergendi nec puellae (Veneri) audiendi tempus suppetere, non *pergam* et *vacet*, sed *pergerem* et *vacaret* scribere debebat. Immo ne scire quidem ille potuit, utrum deae vacaret, an non vacaret se audire, quamquam ea sororem aliquam hic errantem sibi quaeri v. 321 sqq. significaverat; quare rectissime per Coniunctivum Praesentis loquitur, quo res prorsus in incerto posita relinquitur: *si pergam* (quod, si me tantum measque rationes, non tempus specto, quominus faciam nihil impedit), *et si tibi vacet* (quod utrum sit an non sit, scire nequeo). Eiusmodi autem sententias conditionales haud raro sequi apodosin per Indicativum prolatam, ubi eventus certissimus cogitetur, quaecunque sit conditionis ratio, satis notum est; (cf. adnott. ad Aen. II, 54 sq. et al.) itaque h. l. Coniunctivum excipere poterat Indicativus Futuri, cum haec sit sententia: sive vacet tibi audire, sive non vacet, si pergam in narrando, profecto nox ingruet, priusquam ad finem pervenero. Simillimus est Ciceronis ille locus Tusc. V, 35, 102. *Dies deficiet, si velim paupertatis causam defendere*, ubi Wagn. vehementer errat, si Orellium scripturam *deficiat* defendisse existimat; immo et Orellius (in utraque editione, qui etiam cf. in Addendis Vol. II. P. 2. p. 639.) et Klotzius lectionem *deficiet* ex optimis Codd. rectissime servarunt. Etsi igitur Wagnero largior, illos locos a doctiss. Obbario in Iahnii Annall. Vol. XIII. p. 421. laudatos, quos ipse profert (Hor. Epist. I, 16, 54. *Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis*, Sat. I, 9, 54. *Velis tantummodo - - Expugnabis*, et Prop. IV, (V,) 5, 9. *Illa velit, poterit*), ab hac re esse alienos, ceteros tamen ab eodem Obbario ibidem commemoratos, quos Wagn. tacet, Cic. pr. Quinct. 21, 68. *Quod si velim confiteri, illud, opinor, concedent*, et Tusc. I, 13, 29. *Si - - eruere coner, ipsi illi - - profecti in caelum reperientur*, ubi ne varietas quidem scripturae deprehenditur, vere huc quadrare iudico; neque tales locos, quales sunt Hor. Od. III, 3, 7. *si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae* et Iuven. XII, 115. *si concedas mactare, vovebit*, nihil probare dixerim. Alia res est Virg. Ecl. II, 57. VII, 68. X, 33., ubi et Codicum auctoritas et sensus Coniunctivum Praesentis pro Indicativo Futuri retinere nobis suadent. (Vid. adnott. ad hos locos.) Ceterum cf. de hoc usu Indicativi Futuri Heindorf. ad Hor. Sat. I, 4, 140. Kritz. ad Sall. Iug. 42, 5. Klotz. ad Cic. Tusc. V, 36, 102. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 2, 34. Vol. I. p. 162. Non supervacaneum autem mihi videbatur haec aliorum causa etiam in hac edit. repetere, quamquam Wagnerum, nunc veriora edoctum, in min. edit. lectionem *conponet* tacite restituisse vidi. Ceterum cf. similes loci Mar. Vict. in Wernsd. Poët. L. min. III, 108, 50. *ante diem, Salmon, tenebris nox humida condet, Quam possim mores huius percurrere turbae* et Saleii Bassi ibid. IV, 271, 197. *sed prius emenso Titan versetur Olympo, Quam mea tot laudes decurrere carmina possint.* — *clauso Olympo.* Vid. supra ad v. 373. — V. 375 sqq. ad Veneris quaestiones ita respondetur, ut primum verba *quibus venistis ab oris?* tum demum 278. illa *qui tandem* (estis?), denique v. 280. ultima illa, *Quo tenetis iter?* respiciantur. — *Troia antiqua*: vid. ad v. 12. coll. adnot. ad Ecl. I, 63. et IV, 58. — *si per aures iit*, si pervenit ad aures vestras. Sic Lucr. I, 418. *Argumentorum sit copia missa per aures* (a Coningt. comparatus). Similiter Sil. Ital. III, 135. *ire per ora*

Forte sua Libycis tempestas adpulit oris.
Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penatis
Classe veho mecum, fama super aethera notus.
Italiam quaero patriam et genus ab Iove summo,

---

nomen et Tibull. IV, 1, 175. *per claros ierint tua facta triumphos.* Vid. Hand. Tursell. IV. p. 433. et Iacob. ad Lucil. Aetn. 68. Ceterum cf. Hom. Od. XV, 403. *εἴ που ἀκούεις.* — **376.** *diversa per aequora* Heyn. explicat: „alia via, quam qua iter parabamus; ex illis: *Οἴκαδε ἱέμενοι, ἄλλην ὁδὸν, ἄλλα κέλευθα Ἤλθομεν* [Od. IX, 261 sq.]. Rectius autem intellige maria longe distantia, procul disiuncta, ut Aen. III, 4. *diversa exilia*, ubi vid. adnott. Cf. etiam infra v. 756. — „*tempestas adpulit, δεῦρο πέλασε κῦμα. Forte sua*, (ut dicitur *sponte sua*), casu, qualem tempestas afferre solet. Habuit in his, quam sequeretur, poëta orationem Ulyssis ad Polyphemum Odyss. IX, 259 sqq.“ *Heyn.* Adiiciuntur autem haec verba, ne Tyrii Aeneam malo consilio et hostili animo venisse putent. Cf. etiam infra v. 527 sqq. Supervacanea igitur audax Gentii Annot. crit. p. 3. coniectura *Orta furens.* Peerlk. mera coniectandi prurigine abreptus, suspicatur Vergilium scripsisse *per aequora ventis Iactatos Libycis* etc.; nam quae addit ad excusandam coniecturam: „in tempestate semper est casus,“ ea ipsa comprobant Codd. lectionem. Subst. autem *forte* post Adverb. *forte* modo praegressum neutiquam potest offendere. Vid. infra ad v. 429. adnott. Ceterum cf. etiam Iahn. Annal. l. l. p. 43. — **378.** *Sum pius Aeneas.* Apertum est, poëtam imitari voluisse gravissimum illud *Εἴμ' Ὀδυσσεύς - - καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει* Hom. Od. IX, 19., quod tamen ei minus feliciter cessisse, verissime docet Naegelsbach. in Act. liter. Monac. l. l. Nr. 110. *Pius* fuit in patrem (III, 481.), in patriam, in deos; et hanc in deos pietatem (de qua iam Hom. Il. XX, 298 sq. agit) imprimis hic spectari, docent verba adiecta *raptos qui ex hoste Penates Classe veho mecum.* Cf. etiam II, 691. et Heynii Excurs. XII. ad h. l. — *raptos Penatis*, (s. *Penates*, ut Bryce, Haupt. et Ribbeck. scribunt), festinanter et cum periculo ex urbe iam ab hostibus occupata et incensa ablatos. Vid. supra ad v. 6. et 68. imprimisque infra ad II, 293. et 717. De *raptis* ab Aenea *Laribus* etiam Tibull. II, 5, 20. loquitur. — *ex hoste*, ut ambiguitas evitetur, quae inesset verbis *ab hoste.* — **379.** *super aethera notus.* Praeter Homeri locum supra laud., quem Verg. imitatus est, cf. etiam supra v. 287. *famam qui terminet astris.* Nugantur autem, qui multis verbis poëtam ob hanc Aeneae sui ipsius laudem student defendere; nam haec verba magis bellum Troianum et Aeneae fata, quam herois virtutem respicere patet. Rau in Sched. p. 38. eo adeo procedit, ut vv. 378. et 379. spurios censeat. — **380.** „Fabulam poëta sequitur, qua Dardanus a Corytho Tyrrheno genus ducere [vel ex urbe Tyrrhena eiusdem nominis, quae postea Cortona vocabatur, oriundus] ferebatur, cum Corythus Samothracicus in eum esset translatus similitudine nominis. Vid. Aen. VII, 205 sqq., 240. VIII, 134 sqq. adde III, 167 sq. VII, 122. [205 sq. 240 sq.] II, 620. Hactenus Italia est Aeneae patria, et hactenus *genus quaerit*, petit terram, in qua progenitor ortus erat; pro hoc dicit, petere se stirpem et originem generis a Iove ducti, quatenus Dardanus, Iovis filius ex Electra et generis auctor, ex Italia oriundus est. Cf. III, 94 sqq.“ *Heyn.* Similis locus legitur Aen. III, 129. *Cretam proavosque petamus.* — *et genus ab Iove summo.* Nauck p. 21. explicat „principia generis nostri ab Iove oriundi“ et cum *patria* conferri iubet *proprias sedes* Aen. III, 167. Burmann., paucorum Codd. minoris pretii auctoritate motus, Copulam sustulit, quem Heyn., Thiel. (qui *genus* habet pro Accus. remotioris Obiecti) et Peerlkamp. (certe in adnot. subiecta) temere secuti sunt. Immo rectissime Wagn. (quem etiam Gossr. ceterique recentiores editores sequuntur) Copulam, quam Wunderl. iam restituendam censuerat, ad Cod. Med. auctoritatem provocans, ex bonis Codd. revocavit, cum iis, quae v. 375—379. de sua persona exponat Aeneas et quae v. 380. sqq. de frustrato hactenus consilio Italiam petendi dicat, minus commode interponatur v.

Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor
Matre dea monstrante viam data fata secutus;
Vix septem convolsae undis Euroque supersunt.
Ipse ignotus, egens Libyae deserta peragro,

---

380. sui generis commemoratio. Addo aliam causam. Ad Didonis quaestionem *vos qui tandem?* Aeneas iam responderat v. 378 sq.; nunc respondet ad alteram *Quo tenetis iter?* Quare etiamsi Copula ex Codd. auctoritate esset omittenda, tamen locus non aliter posset explicari nisi per appositionis illud genus (*Italiam patriam, genus ab Iove summo*), de quo supra ad v. 339. diximus. Iahn. *patriam* interpretatur: ut sit patria (vel: quam patriam fatum mihi destinavit), et *genus* Nominativum habens servata tamen Copula et Semicolo post *mecum* posito locum sic interpretatur: „idem, qui fama super aethera notus et Iovis summi genus sum, quaero Italiam patriam;" eamque rationem probavit Censor eius in Diar. lit. Ienens. a. 1827. Supplem. n. 94. p. 366.; temere, ut mihi videtur. Primum enim si *genus* Nominativus esset per appositionem ad Aeneam referendus (quae etiam Burmanni et Peerlkampii est sententia), admodum ambigue scripsisset Vergilius, Copulam adiiciens, *Italiam quaero patriam ET genus;* deinde vero non tamquam fama super aethera notus, vel quia tam clarus et celebratus est, Italiam quaerit patriam, sed deorum oracula secutus. Quae Peerlkamp., comparans Iustin. XVII, 3. *Quae et ipsa genus Aeacidarum erat,* opponit: „Aeneas in Italia quaerere poterat patriam, *genus ab Iove* non poterat quaerere. Hoc secum ferebat. Erat ipse hoc genus," ea satis refutantur Heynii adnot. supra posita. Siebelis p. 21. versus sic vult transpositos: 377. 380 (omissa Copula *et*). 378. 379., qua traiectione non opus est, si Aeneam commotiore dicere animo ideoque logicum sententiarum ordinem minus curare cogitamus. Ladew. verba *et genus ab Iove summo* si vere Vergilii sint, ab eo interim modo adiecta censet versus explendi causa, ut postea latius exponerentur. Ceterum cf. Avien. descr. 115. *Ausonis haec regio est, pubi genus ab Iove summo.* — 381. *Bis denis.* Cf. supra ad v. 71. adnott. — *Phrygium aequor,* litori Troadis seu Phrygiae minoris praetentum, aliis hoc nomine non dictum. — *conscendi aequor navibus,* pro vulgari: *conscendi naves* et navigavi aequor. Qui enim *in altum* evehitur, is et *aequor conscendere* dici potest. Iteratur hic versus in Anth. Lat. II, 103, 1. *Bis denis Italum conscendit navibus aequor.* — 382. *Matre dea monstrante viam,* ex Aen. II, 589 sqq. Ceterum cf. supra v. 273. — *data fata* „monstrata tum per auspicia tum per oracula III, 95 sqq. 163 sqq. 375 sqq." *Heyn.* Adde Aen. I, 205. IV, 614. V, 703. VI, 45. 72. 376. VII, 239. 255. 584. IX, 137. Cic. Div. I, 44, 100. Liv. V, 15, 4. XXIX, 10, 8. etc. Et hic quidem ea deorum monita respici, quae Aeneae data fuerint, priusquam ab Antandro solverit, docent Aldenhoven l. l. p. 14. et Dietsch. l. l. p. 20., cui *data fata* sunt, „quae ex fatis Dii vel qui eorum regnator est Iuppiter constituerunt, decreverunt, posuerunt." *Dare* autem *fata* eodem sensu legitur e. g. ap. Val. Fl. I, 534. ubi Iupiter dicit: *cum fata darem* (quem locum et ipsum a me allatum esse, Dietsch. non debebat reticere, in alio eiusdem poëtae loco addendo me lapsum notans.) Praeter omnem igitur necessitatem Peerlk. coni. *mea fata.* — 383. *Vix septem convolsae* etc. Wagn. recte interpretatur: „ex harum, undis Euroque convulsarum, numero vix septem supersunt." Cf. v. c. Lucan. III, 528. *Crebraque sublimes convellunt verbera* (remorum) *puppes.* Wund. *convolsae* explicat per quassatae. Servius perperam dubitat, utrum *undis Euroque* cum *convolsae,* an cum *supersunt* coniungendum sit. — 384. *ignotus* active h. l. dictum putat Cort. ad Lucan. V, 500., non recte; sensus est: Quamquam fama super aethera notus sum, tamen nunc ignotus (*ungekannt*) deserta Libyae peragro. Peerlk. etiam hunc versum coniectura vexavit, *exsul* pro *Libyae* elegantius fore iudicans et comparans Ovidii Ibin 113. *Exsul, inops erres* atque Sen. Med. 20. *per urbes erret ignotas egens Exsul.* Sed quisque videt, *Libyam* Europae et Asiae oppositam necessario addendam fuisse,

Europa atque Asia pulsus." Nec plura querentem
Passa Venus medio sic interfata dolore est:
„Quisquis es, haud, credo, invisus caelestibus auras
Vitalis carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo atque hinc te reginae ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios classemque relatam
Nuntio et in tutum versis Aquilonibus actam,
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Aspice bis senos laetantis agmine cycnos,

---

quod etiam Iahn. Annal. l. l. p. 34. censet. — **385.** „Eum interpellavit, vel *non passa querentem*, pro *non passa eum queri plura*, graeca ratione; vel, *inter fata querentem, non passa*, sc. queri *plura*: *οὐδ' εἶα κλαίειν*, Iliad. VII, 427." *Heyn.* Priorem rationem ut simpliciorem cum Thielio, Gossravio, Nauckio p. 21., Ladew. et Wagn. (in edit. min.; in maiore enim alteram secutus erat) amplector. Eadem ratione *pati* infra VII, 421. et *sinere* X, 426. cum Participio loco Infinitivi iungitur. Ceterum cf. Val. Fl. VI, 469. *Nec passa precari ulterius* et Silius XIII, 661. *Nec passi plura in medio sermone loquentis Sic adeo incipiunt.* — *Interfandi* vocab. apud Livium III, 47, 4. VII, 36. 9. XXXVI, 27, 3. 28, 4. Plin. Ep. I, 23. et alibi legitur. — **387. 388.** „O carum te superis, cum Carthaginem delatus sis [diis imprimis caram]! Expressit autem illud, quod aliquoties apud Homerum, *οὐ γὰρ ὀΐω σε θεῶν ἀέκητι γενέσθαι τε τραφέμεν τε*, ut Odyss. III, 27. *vitales auras* ex antiquo sermone habet; vid. v. c. Lucret. III, 406. et al. [III, 576. V, 855. VI, 1226.]" *Heyn.* — *carpis.* Sic carpere haud raro apud poëtas pro capere, quae ultro se offerant, iisque uti; metaphora, ut videtur, ducta a floribus et fructibus, qui ad viam crescentes ab omnibus possunt carpi. Cf. Geo. III, 435. Aen. IV, 522. 555. Hor. Od. I, 11, 8. Pers. V, 151. Martial. VII, 46, 11. Ovid. Fast. III, 622. etc. Vid. Gossr. ad h. l. Alio sensu *aëra carpere* legitur Geo. IV, 311. — *invisus caelestibus*, gravissima vel miseri vel scelerati et abiecti significatio. Cf. Valcken. ad Eur. Hippol. 408. Heind. ad Hor. Sat. I, 3, 123. (ubi *Dis inimice senex* legitur) et Thiel ad h. l. — **389.** *se perferre ad* aliquem locum alibi non videtur inveniri. Senecae enim locus, a Burm. laud., Epist. 58. *Plato ipse ad senectutem se diligentia pertulit* alius est generis. Cf. autem infra III, 345. *cum sese a moenibus heros - - adfert*, atque Burm. ad h. l. et ad Val. Fl. IV, 199. Ravio in Sched. p. 39. hic versus spurius videtur, cum absurdum sit ad naufragum in terra ei incognita dicere: „quaere limen reginae," quasi qui viam nosset, praeterea autem offendant verba *Perge modo* in hac brevi *ῥῆσι* bis posita (cf. v. 401.); quae altera causa certe paullo gravior est, quam prior. — **390.** Naves per tempestatem amissas cum sociis mox te reperturum nuntio; *tibi* autem cum *nuntio* coniungendum. — *classem relatam*, reductam, reducem. Plures Codd. *receptam;* sed *relatam* melius quadrat ad *reduces* et *versis aquilonibus*. Alibi sane *referri* potius dicitur de navibus, quae vel invito gubernatore adversis ventis in portum reiiciuntur (Senec. Epist. 85, 29. et Ovid. Am. II, 9, 31 sqq. et Burm. ad h. l.), vel ex portu in altum redeunt (Hor. Od. I, 14. in.) — **391.** *in tutum*, in portum, ad litus. — *versis aquilonibus*, h. e. ventis mutatis, ita ut secundi fierent. — *actam. Agi* ventis naves vulgo dicuntur. Cf. Hor. Od. III, 7, 5. Ovid. Met. IV, 420. etc. — *vani parentes.* „*Vanus* non modo qui pollicetur, quae praestare nequit, sed et qui profitetur vel falsam vel inanem doctrinam." *Heyn.* Ideoque qui ipsi decepti alios quoque decipiunt. Sic *vani haruspices* apud Cic. Div. I, 19. in., *vanus auctor* ap. Liv. XXIX, 32, 10. etc. — **393—399.** „Duodecim naves cum Antheo, Sergesto, Cloanthoque servatas mox v. 584. videbimus. Has totidem olores significant, quos ab aquila [qui etiam XII, 247. *fulvus Iovis ales*, atque V, 255. et IX, 564. *Iovis armiger*, ut ap. Ovid. Met. IV, 362. eadem de causa *regia ales* vocatur] modo agitatos [sedibus suis exterritos] et dispersos (hoc significat *turbabat*), hoste abacto, ludibundos plaudentesque in terram devolare ostendit Venus. - - - *Dissident* autem *olore*

Aetheria quos lapsa plaga Iovis ales aperto
Turbabat caelo; nunc terras ordine longo
Aut capere aut captas iam despectare videntur:

---

et aquilae auctore Plinio X, 74, 95. Athen. IX. p. 393. D. *μάχεται δὲ* (*ὁ κύκνος*) *καὶ τῷ ἀετῷ αὐτὸς μάχης μὴ προαρξάμενος*. Hinc ap. Homerum in cycnorum anserumve gentem irruens aquila inducitur egregio v. c. loco Il. XV, 690 sqq." *Heyn*. Cf. etiam Aristot. H. An. V, 34. et XVII, 24. cum Aen. IX, 563. et XII, 447 sqq. Antiqui interpretes mirantur, quo iure Vergilius augurio cycnorum utatur, cum cycni inter aves augurales non inveniantur. Sed cum cycnus avis sit Veneri sacra, licuit utique poëtae hic ex iis augurium repetere, quemadmodum etiam Aen. VI, 194. e columbis, quae et ipsae inter aves augurales non inveniuntur, augurium postulari facit. Accedit, quod, Servio teste, Aemilius Macer in *Ὀρνιθογονίᾳ* certis verbis dicit: *Cycnus in auguriis nautis gratissimus augur: hunc optant semper, quia numquam mergitur undis*. Cf. Iahn. ad h. l., qui docet, inter augurium et auspicium hoc interesse, quod augurium et petatur et certis avibus ostendatur, auspicium qualibet avi demonstretur et non petatur. — **393**. *bis senos*, non i. e. *bis sex* Aen. XII, 899., sed positum est, quia de duabus senorum partibus sermo est, quamquam alibi etiam distributivos numeros pro cardinalibus usurpari vidimus ad Ecl. VIII, 73. — *laetantes*, quod liberati a periculo et rursus in unum agmen congregati sunt. *agmine*, non amplius turbati, sed rursus collecti. Peerlkampio totus hic versus sono et cursu tam illepidus videtur, ut eum a Vergilio sic scribi potuisse non credat. Quare hanc suadet verborum transpositionem et mutationem: *Agmina bis senos laetantia conspice cycnos*. Sed recte Siebelis p. 22.: „Non animadvertit *bis senos* propterea primum obiecti locum tenere, quod ille numerus hic propter duodecim amissas naves alicuius momenti est," vereque Iahn. Annal. I. l. p. 34. Imperativum *Aspice* optime versum incipere docet. — **394**. *apertum caelum* aliis (ut Thielio) est serenum, aliis (ut Heynio) liberum et volantibus pervium. Equidem cum Weickerto l. l. p. 7. interpretor: nullum usquam praesidium praebens, ubique patens aquilae impetui. Cf. Caes. B. C. III, 84. *ut equites mille apertioribus etiam locis septem milium Pompeianorum impetum sustinere auderent*. Apertum igitur caelum opponitur quodammodo *terris captis* et comparatur cum alto mari (*pelago aperto*, Aen. V, 212.), ubi Aeneae naves omnibus ventis fuerant expositae et ab iis turbatae, ut cycni ab aquila. Cf. Ovid. Met. VI, 693., ubi Boreas *Idem ego*, inquit, *cum fratres caelo sum nactus aperto — Nam mihi campus is est — tanto molimine luctor*. Aliter supra v. 155. *caelum apertum* erat i. q. serenum. — **395**. *Turbabat*, non *turbaverat*, quia tempus modo praeteritum opponitur praesenti. Cf. Aen. I, 239 sq. II, 22 sq. 472 sq. 726 sq. III, 183 sq. 490 sq., quos locos Iahn. comparat. — *ordine longo*, longo agmine. — V. **396**., cuius sensum editores omnes inde a Burmanno non perspexerunt, quomodo intelligendus sit, primus recte indicavit Weickert. l. l. Cycni, postquam aquila discessit, laeti de periculo superato rursus in agmen coierunt et ordine longo volantes locum quaerunt, ubi considant; atque pars eorum (posteriores puta *longi ordinis*) adhuc incerti, quo loco sidere velint, e longinquo oculis *capiunt terras*, i. e. eligunt considendi locum, alii (priores agminis) iam locum elegerunt et in eum (*terras iam captas*, sc. a se oculis, non, ut Burm. Thiel. et Gossr. explicant, ab aliis, qui in terram iam descenderant) despectant, sive loco, in quem delabantur, iam electo, in eo est, ut considant. Unde apparet, non opus esse Aug. Weicherti coniectura in Epist. crit. p. 47. prolata: *aut terram nunc despectare*. Ceterum de locutione *locum capere* (i. e. eligere) vid. Geo. II, 230. *Ante locum capies oculis* Caes. B. G. IV, 26, 5. V, 23, 4. et Burm. ad Ovid. A. A. I, 234. Consentiunt nobiscum ceteri recentiores editores (etiam Wagn. in min. edit., qui prius locum aliter explicuerat), Siebelis p. 22., Kappes I. p. 40 sqq. et Nauck. p. 21. neque dissentire videtur Haeckerm. in *Zeitschr*. etc. XIX. p. 47. Henry autem (*Class. Mus*. XX., *Tw. years* I. p. 118 sq. et Philol. XI. p. 510 sq.) hanc proponit explicationem: cycni iidem (non diversae eorum partes) *videntur*, conspi-

Ut reduces illi ludunt stridentibus alis
Et coetu cinxere polum cantusque dedere,
Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum

---

ciuntur, *aut* (et) *capere terras*, insidere terram, *aut* (et), postquam rursus evolarunt, terras antea *captas* quasi cum contemptu *despectare;* quam imprimis propter Partt. *aut* - - *aut* a poëta usurpatas et ob comparationem v. 400. institutam probare non possum. Rau in Sched. p. 39. toto versu tamquam spurio eiecto v. 395. *terris* (i. e. a terris) pro *terras* scribendum esse censet. — *despectare terras* etiam ap. Ovid. Met. IV, 623. legitur. De verbo autem *videntur* passive capiendo pro conspiciuntur vid. infra ad v. 494. adnotata. Cum Pal. *captus* (*u* tamen in *o* mutato) *iam respectare* et Gud. *captos iam* - - *espectare* exhibeant, Ribbeck. (quem iure nemo recentiorum editorum secutus est et Conington acriter obiurgat) paullo cupidius e coni. edidit *aut capsos iam respectare*, haud dubie Velleium I, 16. respiciens. (Cf. eius Proleg. p. 321., ubi Salmas. ad Vell. l. l. et ad Vopisci Proc. 13. laudatur.) Nam quis tandem hic cogitabit de capsis (*Thierkäfige, Menageriekasten*), quos cycni tamquam perfugium respiciant? Recte etiam Ladew. in Append. p. 240. Ribbeckio opponit, tali perfugio omnino iam non opus esse cycnis, aquila eos persequi desistente. — **397.** *reduces* ex dispersa fuga etiam super mare extensa, salvi et incolumes super terra denuo congregati, ubi facile se recondere possint. Conferas autem cum hoc loco supra v. 390. *reduces socios.* — *ludunt*, utpote laetantes (v. 393.), quod salvi sunt reversi. — *stridentibus alis* (ἀγαλλόμενοι πτερύγεσσιν) exquisitius quam clangentibus. Vid. supra v. 102. — **398.** *Et coetu cinxere polum.* De his verbis *Weickert.* l. l. sic exponit: „Neque offendor versu 398.; nam haec est sententia: qui modo cinxere polum cantusque dedere, nunc reduces (i. e. iamiam in terras delapsuri) ludunt stridentibus alis. Quod autem hic versus adnectitur Part. *et*, de eo tenendum, quod dixi ad v. 365. de liberiore, qua utuntur poëtae, enuntiatorum nectendorum rationes.“ Scilicet his verbis, quibus non quae ante dissipationem fecerint cycni indicatur, ut Ladew. et Wagn. censent, sed quae periculo liberati faciant, antecedentia illa *reduces ludunt stridentibus alis* amplificantur modo et alio laetitiae indicio augentur; in Perfectis autem *cinxere* et *dedere* non haerendum, tempus enim respicitur modo praeteritum, quo aquila ab insectatione desistente cycni antea dispersi rursus congregati sunt, antequam reduces terram longo ordine capiunt. Consentit mecum in hac loci explicatione Sintenis l. l. Cf. etiam Kappesii de h. l. disputatio p. 45 sq. — *polum*, caelum: vid. supra ad v. 90. Cf. etiam Aen. V, 13. *cinxerunt aethera nimbi.* Peerlk. temere coni. *lacum*, cum cycni non in terra versantes, sed tantum sub caelo volantes augurium dare possint. Cf. etiam Iahn. Annal. l. l. p. 43. — *cantusque dedere*, scil. laetos; quo alluditur ad nautas, qui et ipsi in reditu et portum propinquum petentes laetos cantus edere solent. *Dare* autem *cantus*, ut *vocem, gemitum dare* et similia. Cf. Aen. I, 405. VII, 560. IX, 704. etc. De cantu autem cycnorum vid. ad Aen. IX, 458. Ceterum Ladew. versus male sic transponendos esse censuit: 393. 297. 298. 394—96. 399. etc.; vide enim quae contra eum disputat Wagn. Lect. Verg. p. 401 sq. — **399.** *Haud aliter.* Cf. Hand. Turs. III. p. 21 sq. — *puppesque pubesque.* Coniugton comparat Hom. Il. I, 179. Οἴκαδ' ἰὼν σὺν νηυσί τε καὶ σοῖς ἑτάροισιν. Peerlk. putat pro *puppesque tuae* poëtam elegantius scripturum fuisse *puppesque ducum!* Sed vid. Iahn. l. l. — *pubes tuorum*, i. q. turba (comitum) tuorum. Cf. Geo. I, 343. II, 167. Aen. II, 477. 798. V, 74. 119. Hor. Epod. XVI, 7. *Germania pubes.* id. Od. III, 5, 21. *captiva pubes* etc. Non autem licuisse Vergilio, ut *puppes tuae*, sic etiam *pubes tua* scribere, quod Peerlk. requirit, recte docet Iahn. l. l., cum *pubes tua* non comites, sed liberos Aeneae significaret. Charisius duobus locis Inst. I. p. 53. et 113. vituperans Codd. scripturam legit *puberesque*, quod eo magis mirandum, cum sequatur *tenet* et *subit.* Quinctil. vero Inst. IX, 3. et Rufinianus p. 32. cum Codd. conspirant. Cf. Burmann. ad h. l. De alliteratione *puppesque*

Aut portum tenet aut pleno subit ostia velo.
Perge modo et, qua te ducit via, dirige gressum."
Dixit et avertens rosea cervice refulsit
Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem
Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos,
Et vera incessu patuit dea. Ille ubi matrem
Adgnovit, tali fugientem est voce secutus:
„Quid natum totiens, crudelis tu quoque, falsis

---

pubesque vid. adnott. ad Ecl. VIII, 79. — **400.** *Aut portum* (iam) *tenet*, ut cygni illi, qui terram iam captam despectant, *aut - - subit ostia*, ut illi, qui demum capiunt terram. — *ostia* h. l. ut V, 281. aditus portus. Plenius Cicero Verr. IV, 53, 118. (urbs) *in utriusque portus ostium aditumque proiecta est.* — **401.** *qua te ducit via.* Cf. Ecl. IX, 1. ibique adnott. — **402.** „Observa modum praesentiae divinae testificandae ex more veterum. Digrediens dea numen specie divina manifestum facit; ad hanc refer pulcherrimam cervicem, comam odoratam, pallam ad talos demissam cum levi incessu." *Heyn.* In discessu autem solent dii numen suum antea celatum indicare. Cf. infra IV, 277. V, 658. IX, 659. — *avertens*, scil. se. Vid. supra ad v. 104. et 234. — „Sin in *rosea cervice* non tam Horatii Carm. I, 13, 2. auctoritatem, quam rationem desideras, aut puta *roseum* esse omnino suave vel pulchrum, aut colorem floridum exprimi in tenera cute etiam candidissima perlucentem." *Heyn.* Cum *rosea cervice* Wund. confert Aen. II, 593. *roseum os Veneris*, (ubi tamen vid. adnott.) et ap. Homerum quoque hymn. in Vener. 182. *δειρὴν* Veneris admirari Anchisen memorat. Conington de pulchra cervice Veneris conferri iubet Hom. Il. III, 396. et de roseo colore Anacr. 53. *Ῥοδοδάκτυλος μὲν Ἠώς, Ῥοδοπήχεες δὲ Νύμφαι, Ῥοδόχρους δ' Ἀφροδίτη.* Adde Aen. XII, 606., ubi *roseae genae*, et Ovid. Met. VII, 705., ubi Aurora *roseo spectabilis ore*. Cf. etiam Mitscherl. ad Hor. Od. I, 13, 2. — *refulsit.* Cf. infra v. 588. II, 590 Hor. Od. I, 12, 28. et Pers. Prol. 12. (a Coningt. allati). Ceterum verba *rosea cervice refulsit* iterantur in Anth. Lat. I, 147, 22. — „*Ambrosiae comae*, ambrosia — deorum hoc unguentum est — delibutas, ab Homero habet, Il. I, 529." *Heyn.* Vid. etiam ad Geo. IV, 415. Thiel. non inepte confert Ovid. Fast. V, 375. *tenues secessit* (dea) *in auras. Mansit odor; posses scire fuisse deam* et Eurip. Hippol. 1391., ubi *θεῖον ὀδμῆς πνεῦμα* deam prodit. — *vertice*, quod Wund. ad *comae* trahendum et i. q. *in vertice* esse censet, rectius cum verbo *spiravere* coniungas, et pro *a vertice* positum accipias, ut Geo. loco modo laud. v. 417. *dulcis - - spiravit crinibus aura* et Aen. X, 544. *veniens Marsorum montibus Umbro.* Sic etiam Wagn., Ladew. et Haeckerm. l. l. Respexit hunc locum Silius VII, 469. *spirantem sacro traxerunt vertice odorem.* — **403.** *pedes vestis defluxit ad imos.* „*Palla* Veneris vel ex illo nota Iliad. V, 315. *πέπλοιο φαεινοῦ πτύγμα* et 338. *Ἀμβροσίου διὰ πέπλου, ὅν οἱ Χάριτες κάμον αὐταί.* Itaque habitum deae declarat." *Heyn.* Omnino enim palla s. vestis usque ad pedes defluens plurimarum dearum (excepta tamen Diana: cf. supra ad v. 320. adnott.) erat vestimentum. Cf. Spanhem. ad Callim. in Apoll. 32. Interpp. ad Propert. IV, 16 (III, 17,) 32. Gierig. ad Ovid. Met. XI, 165. Bach. ad Tibull. III, 4, 35. Dissen. ad eiusd. I, 7, 46. alii cum adnott. ad Aen. V, 619. Defluit autem nunc vestis, quae antea fuerat succincta. Cf. supra v. 320. ibique adnott. — **405.** „*incessum*, cogita levem illum et volatui similem, columbarum instar." *Heyn.* Iahn. hac de re conferri iubet Vossii Epist. mythol. 22. T. I. p. 138. et *Antisymbol.* T. II. p. 66., cui adde Lessing. in fragmm. ad Laocoontis Vol. II. relictis p. 34. Vid. etiam supra v. 46. infra V, 647. Ovid. Met. III, 609. similesque locos. Verba *Et vera incessu patuit dea* repetuntur in eodem illo Anthol. loco v. 23. — De hiatu (*dea. Ille*) in sensus pausa et ante graviorem distinctionem admisso cf. adnott. ad Ecl. II, 53. — **407.** *totiens.* Ideoque iam antea aliquoties sub falsa imagine Venus se obtulerat filio. Vergilius unum modo similem Veneris

Ludis imaginibus? Cur dextrae iungere dextram
Non datur ac veras audire et reddere voces?"
Talibus incusat gressumque ad moenia tendit.
At Venus obscuro gradientis aëre saepsit
Et multo nebulae circum dea fudit amictu,
Cernere ne quis eos neu quis contingere posset
Molirive moram aut veniendi poscere causas.
Ipsa Paphum sublimis abit sedesque revisit

---

cum Aenea congressum infra narrat II, 589., ubi tamen vera dea apparet. Ceterum cf. adnott. ad Ecl. III, 72. — *quoque* cum *crudelis*, non cum *ludis* coniungendum esse, in promptu est; quare verba *crudelis tu quoque* Commatis inclusimus. — **408. 409.** Cf. verba Ulyssis ad matrem inter umbras versantem Odyss. XI, 209 sq. — *veras - - voces*, scil. matris, non alienae virginis; cur mihi non licet tecum colloqui, ut filius cum matre. Cf. Bentl. ad Hor. A. P. 318. Ceterum eadem fere verba iterantur infra VI, 689. Conington comparat Catull. LXII, (LXIV,) 166. *Nec missas audire queunt nec reddere voces.* — **410.** *Talibus incusat.* Cf. Epit. Iliad. 103. *Talibus incusat dictis irata trementem.* — *gressum tendit.* Sic *iter tendere* infra v. 656. VI, 240. VII, 7. Ovid. Met. II, 547., *cursum tendere* Lucr. V, 630. Sil. IX, 216. Liv. XXIII, 34, 5. Val. Fl. I, 483. et saepius. — **411.** *At Venus* pro: Venus autem. Vid. adnott. ad Geo. II, 246. — **412.** „Densa nube circumfudit eos. Ab Homero eum hoc petiisse notum est. Imprimis compara Odyss. VII, 14. 39—43., quem locum iam monstravit Macrob. V, 4., de Ulysse, quando Alcinoi regiam intrat, ad cuius exemplum totus Aeneae ad Carthaginem et Didonem aditus est adumbratus. Adde [Hom. Il. V, 344.] Apollon. III, 210—214. et alios. Totum locum expressit Val. Flacc. V, 400 sqq." *Heyn.* Quanta autem arte hic Homeri exemplum secutus sit poëta, quisque facile intelligit. Sic enim potest Aeneas otiose laetari laudibus suis ab Ilioneo praedicatis (v. 522 sq.) et suavissima voluptate perfusus testis fieri amoris et venerationis suorum. Et quam efficax deinde subitus Aeneae progressus ex nube post verba illa Didonis: *atque utinam rex ipse - - adforet Aeneas* (v. 575.)! — **412.** *multo* (i. e. denso, ut Homerus πολλὴν ἠέρα dixit) *nebulae amictu.* Cf. Hom. Il. XV, 308. εἱμένος ὤμοϊιν νεφέλην et Hor. Od. I, 2, 31. *Nube candentes humeros amictus Augur Apollo.* — *dea* nomini Veneris in altero demum enuntiato per appositionem magna cum vi additum, ut infra v. 692. Cf. etiam similem certe locum XII, 632 sqq., praeterea autem supra v. 195 sq., infra 496. 717 sqq. II, 403. III, 162. 628. IV, 91. VII, 19. XII, 901 sq. et Henrici adnott. ad v. 718. in *Tw. years* I. p. 165. et Philol. XI. p. 530. Rau in Sched. p. 40. hunc versum, qui sensu non differat a priore, in suspicionem vocat et ex inani variandi studio ortum suspicatur. — **413. 414.** *eos*, paullo negligentius, cum poëtae Casus obliquos Pronominis *is, ea, id* tanquam ἐγκλιτικοῦ usurpati studiose evitare soleant. Cf. Iahn. ad Ovid. Trist. I, 1, 13. idemque et Schiller (p. 103.) ad Hor. Od. III, 11, 18. Bach. ad Ovid. Met. IV, 745. et imprimis Orell. in singulari excursu ad Hor. l. l. scripto, Vol. I. p. 407 sq. Loci huc pertinentes praeterea sunt Ovid. Met. VIII, 16. Trist. III, 4, 27. Tibull. I, 6, 25. etc. — *contingere*, vim, iniuriam iis inferre. — *moliri moram*, fortius quam facere. *Moliri* enim non facile dicitur, nisi de rebus difficilibus magnumque laborem et apparatum requirentibus. Cf. infra v. 424. II, 109. III, 6. VI, 477. etc. — Ceterum non haerendum in Particulis *ve* et *aut* (de quibus vid. supra ad v. 370.) post *ne* et *neu* positis, quibus non opponitur, sed subiungitur aliquid antecedentibus; quare etiam II, 187. *ne - - aut - - neu* et IV, 338. et XII, 135. *neque - - neque - - aut* dici poterat. — *Poscere* pro quaerere legitur etiam Aen. III, 59. *quae sit sententia, posco.* — **415.** „Versus ex Homero, sed ornatius expressi, Od. VIII, 362 sqq. Compara Hymn. in Vener. 58. 59 sqq. et Od. VII, 80. 81 sqq. de Minerva. At ex Vergilio Statius Theb. V, 61. *Illa Paphon veterem centumque altaria linquens.*" *Heyn.* Etiam h. l. Codd.

Laeta suas, ubi templum illi, centumque Sabaeo
Ture calent arae sertisque recentibus halant.
Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Iamque ascendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet adversasque aspectat desuper arces.

---

quidam *Paphon* praebent, quod, Wagn. teste, ex suis quoque Codd. Cort. ad Lucan. V, 496. Cf. adnott. ad Ecl. VI, 13. De Papho \ sacra cf. adnott. ad Geo. II, 64. et Aen. X, 51. coll. cum iis, quae ad v. 16. adscripsimus. — *sublimis abit.* Cf. v. 259. X, 144. G 404. Ovid. Met. IV, 720. VII, 531. Liv. I, 16. 34. etc. — **416.** „ turis et sertorum odores exhalantium tantum fit mentio, non victim caesarum, satis docte interpretes referunt ad morem sacrorum Ve quod arae nullus sanguis offundebatur, maxime Paphiae Veneri. Vid. Hist. II, 3. *sanguinem arae Veneris affundere vetitum.*" *Heyn.* Cf. t loci Hor. Od. I, 19, 16. et IV, 11, 8. a Coningtone allati. — *laeta* He Wagn. interpretantur: quoniam gaudet Papho. Equidem cum Wu Venerem laetari puto, quod de incolumitate filii bene sperat. Spes de filii salute concepta Veneri gravior profecto erat laetandi causa, veneratio, qua Cypri incolae eam prosequebantur. Mecum cons videtur Conington, *laetam* Venerem opponi *tristiori* v. 228. ratus. Sequ ad quae Wagn. provocat, causam modo continent, cur Paphum abier *centum arae.* Vid. adnott. ad Geo. III, 18. (et Aen. IV, 20 *Sabaeo ture.* Cf. Geo. I, 57. et II, 117. — **417.** *sertis hala* apud Tibull. III, 4, 23. *Spirabat Syrio myrtea rore coma.* Vid. a ad Geo. IV, 109. — **418.** Socios visendi cupidi properant ad u „*Corripere viam* doctius quam *iter celerare;* sic *corripere gre* doctius etiam V, 144. *corripuere campum currus.* Et sic *rapere.* Vi Val. Fl. I, 4." *Heyn.* Adde Geo. III, 104. Aen. V, 144. 316. VI, Ovid. Met. II, 158. *Corripuere viam,* et Plin. Epist. IV, 1. *tanto viam ipsam corripiemus.* Similiter Hor. Od. I, 3, 32. *gradum corr* Nescio an Gossrau hunc verbi usum recte sic explicet: „ita ut amb termini brevi intervallo temporis interposito ab eo, qui it, atting atque in unum quasi corripiantur." — *qua semita monstrat.* Cf. v. 401. *qua te ducit via, dirige gressum.* — **419.** *Iamque.* Vid. Turs. III. p. 143 sq., qui docet, poëtas narrationibus suis hac Par addere perspicuitatem et lumen, quo oculi quasi in res praesentes vert Cf. infra II, 615. et XI, 182. — Imperf. *adscendebant* post *corripuere viam* non potest offendere. Vid. supra ad v. 395. Sensu Celeriter viam ad collem ducentem confecerunt, tum collem lente a debant, et iam summum collis fastigium assecuti mirantur etc. — *co* quales prope Carthaginem plures fuisse Polyb. I, 46. et 43. refe „*qui plurimus urbi imminet* ad magnitudinem refero montis sub urbis moenibus accubantis. Pro *magno monte* poëta diceret *multum mo* ut Geo. III, 52. *plurima cervix,* longa et crassa." *Heyn.* Cf. adnot Geo. l. l. Ecl. I, 34. XII, 60. Aen. VI, 659. Peerlk. comparat Stat. I, 114. *qua plurimus arce Cithaeron Occurrit caelo.* Respexit hunc] auctor carm. in Anth. Lat. III, 81, 51. *In summo collem, qui plurin hunc iuxta sequitur.* — *urbi imminet,* ut supra v. 165. — **420.** *ctat.* Wund. comparat Tac. Agr. c. 24. *Britannia Hiberniam ad* Adde Colum. VIII, 8, 2. *tabulatum, quod adspicit meridiem,* i. e. diem versus spectat, situm est. Wagn. conferri iubet Waarden Opusc. p. 169. Peerlkamp. pro *arces* coni. *aedes,* quod statim narre 424., Poenos *moliri* demum *arcem;* quae res, quamquam habet a offensionis, non tamen hanc coniecturam excusat. Recte enim Siebel 25.: „Arx ita iam stare potuit, ut admirabilem adspectum praeberet que tamen perfecta esse; id quod confirmant I, 366. *surgentemque Carthaginis arcem* et IV, 260. *Aeneam fundantem arces et tecta nov conspicit.*" Ladewigio *arces* hic sunt colles muniti, ut Geo. II, 535., ad locum etiam Wagn. in min. edit. nos delegat. — **421.** „Sic Ulysses Phae urbem: Θαύμαζεν δ' Ὀδυσεὺς λιμένας καὶ νῆας ἐΐσας etc. Odyss.

Miratur molem Aeneas, magalia quondam,
Miratur portas strepitumque et strata viarum.
Instant ardentes Tyrii; pars ducere muros
Molirique arcem et manibus subvolvere saxa,
Pars optare locum tecto et concludere sulco;

---

43 sqq. [Conington Vergilium hic Apollonii Rhod. III, 215 sqq. memorem fuisse putat.] Magnum aedificii opus bene cum casis et tuguriis componitur. *Magalia* sunt agrestia aedificia *stativa;* id nomen suburbia Carthaginis retinuerunt. Cf. IV, 259. 60.“ *Heyn.* Cf. liber meus geogr. II. p. 850. — *molem* scil. aedificiorum (*den Riesenbau.*) Cf. Hor. Od. III, 29, 10. *desere* - - *molem propinquam nubibus arduis*, i. e. Romam. Non igitur opus est, ut cum Peerlk. scribamus *moles*, aut cum Siebelisio p. 23. *molem* ad solum arcem referamus. *Magalia* (quorum nomen haud dubie a semitico מגור derivandum, cui cognatum videtur graecum *μέγαροι*) Isidor. Orig. XV, 12. ita describit: *Magalia aedificia Numidarum agrestium oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinae sunt, sive rotunda in modum furnorum, et magalia dicta, quasi magaria, quia magar Punici novam villam dicunt.* Cf. etiam Plaut. Poen. prol. 86. Serv. ad h. l. et quae ad Geo. III, 340. adnotavimus, ubi alteram nominis formam *mapalia* invenimus, qua etiam Silius XIV, 7. XV, 419. locum nostrum respiciens utitur. Magalia autem hoc quoque loco antea stetisse, Aeneas ex circumiectis magalibus (vid. IV, 259.) facile potest concludere, quod vere memorat Ladew., quare non opus est haec verba cum Servio ad poëtam referre. Peerlkamp., et in voc. *molis* et in *magalibus* haerens, totum versum ut spurium damnat, cui recte adversantur Rau in Sched. pag. 41 sq. et Siebelis p. 23. — **422.** *strepitus* frequentiam hominum significat. Conington confert Hor. Od. III, 29, 12. *Omitte mirari beatae Fumum et opes strepitumque Romae.* — *strata viarum*, pro: stratas vias, ex Lucretio I, 316. et IV, 416. sumptum. Diximus de hoc poëtico dicendi genere supra ad v. 310. ad Geo. I, 393. II, 284. et alibi. Cf. etiam Thiel. ad h. l. Ladew. comparat Liv. XXX, 10, 14. *constrata pontium.* — **423—425.** *Instant* operi Tyrii; ut plene dixit Silius II, 407 sqq., hunc locum imitatus: *Condebat primae Dido Carthaginis arces Instabatque operi subducta classe iuventus* cett. et sic Virg. ipse infra v. 504. (Dido) *instans operi regnisque futuris.* Absolute tamen, ut h. l., *instare* etiam infra II, 491. et in Anth. Lat. I, 171, 9. *Instant ardentes* legitur. „Cum Dativus *operi* desit, vide an malis iungere *instant* - - *ducere* - - *optare.* Sic Aen. II, 627. *instant eruere* [cui loco addi poterat X, 181. Lucr. IV, 998. *corripere instant* etc.]; verbum *instant* ardorem et festinationem notat. Neque obstat, quod *pars* - - *pars* interpositum. Vid. Ecl. I, 65. 66. Tum distinctio mutanda est.“ Haec *Wund.*, (cui adsentiuntur Gossrau, simul coll. loco Aen. XI, 887. docens, sequens, *pars* - - *pars* huic rationi non obstare, et Conington) nescio an recte; vulgarem tamen distinguendi rationem deserere non ausus sum. — *ducere muros* legitur etiam Hor. Od. IV, 6, 23. Sall. Hist. II. (*Murum ab angulo dextri lateris ad paludem haud procul remotam duxit*, a Servio laud.) et alibi. Sic etiam Graeci *ἐλαύνειν τεῖχος*. Ceterum Henry (*Class. Mus.* XX.) *muros* recte, puto de ipsius arcis, non urbis, moenibus intelligit; censet enim, arcem ante omnia exstruendam et muniendam, dum demum (v. sequ.) urbem aedificandam fuisse, et de duabus operarum partibus sermonem esse, quarum altera in arce, altera in urbe condenda occupata sit; cum non iidem simul et arcem in medio constitutam et urbis muros exstruere possint, quibus muris omnino non statim opus sit, arce iam condita. Consentit nobiscum Ladew. — **424.** *moliri arcem*, magno labore aedificare. Cf. infra III, 6. 132. Geo. I, 271. et 329. Hor. A. P. 399. *oppida moliri* et supra ad v. 414. — *subvolvere saxa*, in sublime efferre ad arcem in editiore loco exstructam muniendam. — **425.** *Pars optare locum tecto*, ut concludi potest ex eo, quod locum sulco concludunt. *optare*, i. q. eligere, destinare, Graec. *ὄπτειν*, nostrum *sich aussehen, aussersehen.* *Optare locum* hoc sensu legitur etiam infra III,

[Iura magistratusque legunt sanctumque senatum;]
Hic portus alii effodiunt; hic alta theatri

---

109. 132. V, 247. et ap. Petron. c. 122. Cf. etiam Aen. VIII, 503. Liv. VI, 25, 5. *Ut ex collegis optaret, quem vellet* etc. Drakenb. ad Sil. XIII, 689. Cort. ad Sall. Iug. 79, 8. Ernest. Clav. Cic. s. v. Rupert. ad Liv. III, 64, 5. et Heusing. aliique ad Cic. pro Rosc. Am. II, 3. Quare procul dubio reiicienda est altera lectio (a Rom. a m. pr. et 16 Codd. Henrici exhibita) *Pars aptare locum t.*, quam tamen Kappes l. l. p. 46 sq. defendit et per praeparare aedificio condendo explicat, alteram lectionem fortasse ex Aen. III, 109. ortam iudicans. Meliorem scripturam (quam Henry in 24 Codd. invenit) etiam Donati (ad Andr. IV, 5, 2.) auctoritas tuetur. — *concludere sulco*, fossa ducta, qua fundamenta aedium ponantur, aut linea descripta, intra quam domus aedificetur, ut Kappes p. 48. explicat. Certe non de fossa circum aedes ducta cogitandum, quare etiam Servius adnotat: „Civitas enim, non domus, circumdatur sulco;" quamquam Lersch. Ant. Verg. §. 19. p. 30. morem urbem condendam *aratro designandi* (Aen. V, 755.) a Vergilio hic etiam ad singulas aedes privatas transferri suspicatur. Henry autem (qui tamen nunc retractat omnia, quae de h. l. scripsit in *Tw. years* I. p. 124 sq.) putat *tecto* ad omnes urbis domus et *concludere sulco* ad totam urbem referendum esse, ut *locum tecto* sit i. q. locum ad aedificandum idoneum. — 426. „In hac urbis condendae descriptione poëta plura a Romanorum moribus institutisque ad Poenos transtulit, ideoque novae urbi *iura, magistratum* et *senatum*, qui Romae ab initio urbis fuerant, adeoque *theatrum* tribuit. Vid. Ant. Maioragius de Senatu c. 9. et Lersch. de morum in Virg. Aen. habitu p. 39 sq." *Iahn.* Heyn. tamen cumque eo Hand. ad Gronov. Diatr. in Stat. c. 2. p. 13., Peerlkamp., Gossr. et Rau in Sched. p. 42. hunc totum versum neque grammatico aliquo vinculo cum ceteris connexum, neque sententiae convenientem, cum reliqua omnia ad aedificia nova spectent, quae excitentur, adeoque versui 507. repugnantem spurium habuere et a librariis ex ipso illo v. 507. et Aen. V, 758. confectum; quare eum cum omnibus recentioribus praeter Henricum in *Tw. years* I. p. 125. et Coningtonem, consentiente ipso Wagnero, qui prius illis adversatus fuerat, in Philol. Suppl. I. p. 376., uncis inclusimus, tamen, ac si Vergilianus esset, interpretati sumus. Vid. etiam quae Siebelis p. 24. disputavit. Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 47. versum abesse quidem posse, sed propterea non statim spurium iudicandum esse censet. — *Iura magistratusque legunt*, quae Burm. de magistratibus iuridicis intelligit, Voss. autem cum Servio sic explicat: „eligunt loca, ubi iura dicantur, aut magistratus creentur," equidem potius cum Wagn. et Iahnio per zeugma interpretanda censeo: iura constituunt magistratusque legunt, qui ius dicant, leges administrent. Cf. adnott. ad Geo. I, 93. Alia zeugmatis exempla vide Aen. II, 259. IV, 100. 131 sq. VII, 188. 444. 754. X, 72. XII, 930 sq. Ceterum de concione s. comitiis videtur cogitandum, in quibus Aeneas haec omnia institui cernit; quamquam in carmine non omnia ad amussim exigenda, in quo licuit ea omnia commemorari, quae, ubi nova urbs conditur, fieri solent, etsi non omnia uno eodemque tempore fiebant et ab Aenea vere conspici poterant. — *sanctum senatum* ab Ennio petitum videri potest (vid. v. 74. ed. Hessel.; s. p. 38. Vahl.); quamquam *sanctus* omnino proprium est Senatus epitheton. Cf. Cic. Cat. I, 4, 9., ubi Senatus vocatur *orbis terrarum sanctissimum gravissimumque consilium.* Hor. Od. IV, 5, 3. *patrum sanctum concilium. Sacrum* dixit Iuven. XI, 29. — 427. *portus effodiunt*, proprie, nam duos habebat Carthago portus inter se cohaerentes, quorum maior, bellicis navibus destinatus, proprio nomine *Cothon* dicebatur. Cf. Serv. ad h. l. Strabo XVII. p. 832. Hirtii B. Afr. 62, 5. ibique Cellar. et Davis., Bochart. Chan. I, 24., Estrup Lineae topogr. Carthaginis (Havn. 1821.) p. 35. et liber meus geogr. II. p. 850. — 427—429. *Hic alta theatri* etc. Ribbeck. ex solo Nonio p. 340, 20. recepit *hinc.* — „An *theatri* structuram Phoenicibus recte, atque adeo in ipso rerum initio, dederit, viderit poëta: Graecarum profecto civitatum coloniis hoc accommodatius. Sed

Fundamenta locant alii immanisque columnas
Rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris.
Qualis apes aestate nova per florea rura
Exercet sub sole labor, cum gentis adultos

---

res praeclare ob oculos posita." *Heyn.* Urbem autem theatro carentem Romanus homo non poterat cogitare; quare hoc ex amore, quo Romani ludis scenicis studebant, non ex ipsius rei probabilitate iudicandum. Cf. etiam Aen. V, 288. et 664. atque Lersch. Ant. Verg. p. 32 sq. — Heyn. in maiore edit. recepit lectionem Codd. Rom., Pal. a m. pr., fragm. Vat. et Bern. II. III. *theatris*, quae, si grammaticam spectas, fortasse defendi potest Geo. IV, 161.; sed *theatri* praeter Servium et Nonium 340, 20. Mediceus, Gud. a m. sec. aliique meliores Codd. exhibent, quos cum Wagn. secuti sumus (adsentientibus omnibus recentioribus editoribus praeter Ribbeckium); imprimis cum sequens *scaenis* Singularis in Pluralem mutandi ansam praebere facile potuerit, praeterea autem non verisimile sit, in nova urbe condenda plura simul inchoata esse theatra. (Iahn. in contextu quidem retinuit *theatri*, ad X, 476. vero cum Heinsio et Heynio alteram lectionem praetulit.) — „*alta*, quod tertio versu post iterum legitur, coniectura non tollendum esse, patebit ex Geo. II, 125. Cf. Aen. I, 504. 505. 579. 582." *Wund.* Adde Aen. I, 103. 106. 107. 109. I, 336. 338. 340. I, 375. 377. II, 203. 211. III, 195. 200. 202. 209. III, 195. 198. 201. 204. III, 262. 264. 268. V, 487. 489. 504. 505. V, 819. 821. etc., Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 97. repetitam vocem *alta* diversa, quam habeat, notione excusari censet; nam prius *alta* dicitur de fundamentis theatri, ad quae superne despiciunt, alterum de columnis, ad quas ex inferiore loco aliquando suspicient. Cf. Iacobs. in Disquis. Virg. I. p. 6. et adnott. ad Aen. I, 315. Siebelisio autem l. l. vox non sine vi iterata ad magnificentiam theatri augendam facere videtur. Nihilominus Peerlkamp. pro *alta* coni. *lata*. — *fundamenta locant* pro magis usitato *iaciunt.* (Vid. ad V, 631.) Ribbeck. ex uno fragm. Vat. recepit *petunt*, ceterorum librorum lectionem ex IV, 266. huc translatam ratus. Sed recte adversatur Conington, neque alius quisquam recentiorum editorum secutus est. — **429.** *excidunt.* Cf. infra VI, 42. Suet. Calig. 37. *excisae rupes durissimi silicis.* id. Claud. 20. *partim effosso monte, partim exciso* cett. et Markl. ad Stat. Silv. III, 1, 110. — *decora alta.* Vid. infra II, 448. Rutil. Itin. I, 93. *densis decora alta tropaeis.* Silius III, 144. *decora alta relinquam?* Stat. Theb. V, 422. *decora alta patrum.* Ceterum Conington commemorat M. Aemilii Scauri theatrum trecentis sexaginta columnis ornatum (Plin. XXXVI, 15, 24.) — **430—436.** „Expressa ex Georg. IV, 162—169., ubi vide. Cf. Aen. VI. 707. — 709. Praeiverat Homerus Il. II, 87 sqq." *Heyn.* Ut hic ab apibus, admodum industrio et laborioso animalium genere, ita infra IV, 402. a formicis comparationem sumit poëta. — *aestate nova*, initio aestatis (ubi *sol terras caelumque aestiva luce reclusit*, ut Geo. IV, 51. legimus). Cf. *novos soles* Geo. II, 332. et similes locos. — *qualis*, tali labore, qualis etc. — *florea rura* legimus etiam in Anth. Lat. I, 155, 4. et in Wernsd. Poët. L. min. VI, 406, 15. — **431.** „*sub sole*, per diem, interdiu, ut *sub die*, *sub nocte* accipitur poëtis; supra quoque Ecl. II, 13. *sole sub ardenti* nihil aliud est, quam in sole." *Heyn.* Ita etiam Schirach. p. 590. haec verba interpretatur. Cum tamen, si nihil aliud significarent, quam interdiu, satis languerent, siquidem per se patet, noctu apes cessare, equidem potius cum Thielio explico: cum sol splendet; constat enim, sole splendente apes imprimis laboriosas esse. Neque aliter in loco ab Heynio allato *sole sub ardenti* explicandum: quo tempore sol ardet; *sub sole* autem significantius quam: in sole. Cf. Ecl. II, 13. Ovid. Met. I, 602. *sub nitido die.* Hor. Od. I, 1, 25. *sub Iove frigido* etc. — *Exercet labor.* Kritz. Sall. Cat. 11. in. (*Sed primo magis ambitio, quam avaritia animos hominum exercebat*), „res, inquit, exercent homines, cum eos ita occupatos habent, ut in iis toti sint et quasi defixi teneantur, eoque aut exagitentur, aut fatigentur;" quod comprobat coll. Geo. II, 415. Hor. Epist. I, 11, 28. *strenua nos exercet*

Educunt fetus aut cum liquentia mella
Stipant et dulci distendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent:
Fervet opus redolentque thymo fragrantia mella.
„O fortunati, quorum iam moenia surgunt!“
Aeneas ait et fastigia suspicit urbis.
Infert se saeptus nebula — mirabile dictu —
Per medios miscetque viris neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media laetissimus umbrae,

---

inertia. Liv. XXXIX, 40, 9. *simultates et exercuerunt Catonem et ipse exercuit eas*, et Ruhnk. ad Ter. Heaut. I, 1, 21. — **432**. Qui hic sequitur locus paucis modo vocibus mutatis iteratur ex Geo. IV, 163—169., ubi vid. adnott. (Ceterum cf. adnott. ad Ecl. V, 37.) — *liquentia* hic producta, sed correpta prima syllaba infra V, 238., ubi vid. Heyn. Qua in re nemo haereret, etiamsi Participium non eodem iure a *līqui* atque a *lĭquere* deduci posset, cum Lucretius vel uno eodemque versu (IV, 1255.) scribat: *Crassaque conveniunt lĭquidis et līquida crassis*. Ceterum *liquentia mella* etiam ap. Calpurn. Ecl. II, 66. et *liquata mella* ap. Ovid. Fast. IV, 152. legimus. Cf. etiam Aen. IX, 679. *liquentia flumina* (cum Geo. II, 187. et Aen. III, 28.) — **433**. *distendunt* ad ingentem mellis copiam referendum. Sic Tibull. II, 5, 84. *Distendet spicis horrea plena Ceres*. Cf. etiam adnott. ad Ecl. VII, 3. et Geo. I, 49. — **434**. *agmine facto*. Vid. supra v. 82. — **436**. *Fervet opus*, fervide agitur. Sic Tibull. I, 10, 53. *bella calent*. Contrarium est *frigere*. Cf. Ruhnk. ad Ter. Eun. III, 3, 11. et Iacobs *Blumenl*. II. p. 429. Vir doct. in Miscell. Obss. T. II. p. 29. pro *mella* coni. *tecta*, ne idem vocabulum post breve intervallum repetatur. Sed vide, quae supra ad v. 315. et alibi adnotata sunt. Rau in Sched. p. 43 sq. hunc totum locum v. 426—436. in suspicionem adducere conatur! — **437**. „Egregia ad affectum haec exclamatio. Quid enim, his rebus conspectis, Aeneae, per maria et terras erranti, ut novam sedem quaereret, nova urbe condita optabilius videri potuit?“ *Heyn*. Cf. similis locus Aen. III, 493 sqq. — **438**. *fastigia suspicit urbis*. Ideoque iam ex colle (v. 419.) descenderat Aeneas, et in eo erat, ut urbem ipsam intraret. Ceterum cf. VI, 579. 668. Cic. N. D. II, 2. *cum caelum suspeximus*. id. de har. resp. 9. *cum suspexerit in caelum* etc. — **439**. **440**. „Observa, quomodo in singulis vulgarem formam evitaverit; etiam ipso graecismo: *μίσγεται ἄνδρεσσιν*, immiscet se turbae, nec cernitur ab ullo, *οὐδενὶ ὁρᾶται*. Cf. tamen Hom. Odyss. VII, 37—42.“ *Heyn*. Ceterum ad *miscet* ex antecedentibus *Infert se* Pronomen reflexivum supplendo repetas; quare hic locus non iis adnumerandus, de quibus supra ad v. 234. disputavimus. — **439**. *saeptus nebula*. Cf. Anth. Lat. II, 192., 7. *nebula saeptus pervenit ad urbem*. Contra Stat. Silv. I, 1, 32. *puro celsum caput aëre saeptus*. — *mirabile dictu*. Cf. Geo. II, 30. III, 275. IV, 544. Aen. II, 174. 680. III, 26. IV, 182. VII, 64. VIII, 252. — V. **440**. laudatur Apuleio de deo Socr. p. 145., sed falso Iuturnae adscribitur. — **441**. Templum in luco conditum ex veterum more, et hic quidem *in media urbe*, Praepositione adiecta, cum proprie de spatio medio sermo sit. Vid. infra II, 328. 512. 665. III, 624. V, 110. 160. etc. coll. adnot. ad Geo. III, 217. Ceterum de hoc more Carthag. lucos media in urbe serendi cf. Movers *Phöniz*. I. p. 582. — Lectionem *umbrae*, quam Probi apud (Serv. et Pomp. Sab.), sched. Vat. a m. pr. et trium Codd. Burmanni (Montalb., Bigot. et Mentel. III. a m. sec.) auctoritas tuetur, tamquam exquisitiorem restituit Heinsius, quem nos cum recentioribus editoribus omnibus praeter Iahnium, qui plurimorum librorum scripturam *umbra* defendit, et Markland. Epist. crit. p. 121. secuti sumus, cum apertum sit, meliorem illam lectionem, qua omnis ambiguitas evitatur, iuxta illud *media* multo facilius in alteram mutari potuisse, quam contra, quare etiam Haeckerm. Expl. p. 11. lectionem *umbrae* defendit, coll. Stat. Theb. VI, 91. *Silva largae opulentior umbrae*. Quod autem Wagn. proponit discrimen

Quo primum iactati undis et turbine Poeni
Effodere loco signum, quod regia Iuno
Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello
Egregiam et facilem victu per saecula gentem.

---

constructionis, qui contendit, Adi. *laetus* et Part. *laetans*, ubi proprie usurpentur, adiunctum habere Ablativum, sed ubi copiam quandam et affluentiam significent, requiri Genitivum, ut Aen. XI, 73., ubi *laeta laborum* sit laboriosa, πολυεργὸς, πολύτεχνος, ἐργάτις, *kunstreich*, (sed rectius explicatur: laeta hoc ipso labore, quod suis manibus vestem amato texere poterat), id certe a poëtis non strenue servari, primum docet ipsius Vergilii auctoritas, qui in gemino illo loco Geo. II, 112. scripsit *litora myrtetis laetissima*, (ubi tamen Haeckerm. *myrtetis* pro Dativo habere vidimus), contra vero Aen. XI, 280. *nec veterum memini laetorque malorum* (ubi non erat, cur Wagn. Genitivum a solo verbo *memini* pendere censeret), deinde etiam posteriorum poëtarum usus, qui Adiectivo *laetus* etiam proprie posito saepe Genitivum iungunt, ut Sil. VII, 338. XIV, 279. Stat. Theb. V. 118. Val. Fl. III, 650. VI, 266. Claud. IV. Cons. Hon. 393. Sall. Hist. II, 91. Quare puto, poëtas Romanos utraque constructione promiscue fuisse usos, et hic quidem Genitivum a Vergilio esse positum, quod Ablativus ambiguitatem aliquam efficere poterat, in parallelo autem Georg. loco Ablativum, quod forma *myrtetorum* carmini minus conveniens videbatur. Ceterum de graeca illa constructione cf. adnott. ad Geo. IV, 310. et 491. Similes loci Aeneidos, ubi Codd. scriptura fluctuat inter Ablativum et Genitivum, ita tamen ut illum plures et meliores libri tueantur, sunt VII, 81. VIII, 223. IX, 246. X, 453. XI, 338. XII, 766., ad quos vid. adnott. — **442** sqq. Eadem res narratur a Silio II, 411 sqq. et Iustino XVIII, 5. Wagn. non repugnaverit, si quis *primum* cum Substantivo *signum* iungere velit, coll. Qu. Virg. XXVIII, 3, s., ubi comparatur imprimis III, 537. *primum omen*, i. e. quod modo in litus egresso obtigit. Sed simplicior est ratio, ut explicemus: primorum aedificiorum fundamenta fodientes, vel „dum aedificandi causa primum fodere incipiunt," ut etiam Ladew. et Wagn. ipse in min. edit. locum explicant. — **443–445.** „*Signum*, omen intelligam. Sic: *caput equi - - atque omen clamore salutant*, Silius II, 411. Poëtam agnosce in hoc, quod non simpliciter inventum, sed ab *Iunone monstratum*, obiectum fodientibus, narrat." *Heyn.* *caput acris equi.* Cf. Aen. IV, 156. VIII, 3. et Ovid. Met. VII, 542. Silio II, 411., de eadem re agenti, vocatur *bellator equus*. Significatur eo futura Carthaginis fortuna bellica. (Cf. Iustini l. l. *equi caput repertum, bellicosum potentemque populum futurum significans.*) De capite equi in numis huius urbis apparente et de cultu Ποσειδῶνος ἱππίου ibi florente Kappes l. l. p. 48. conferri iubet Apollod. III, 1, 1. II, 5, 11. Diod. Sic. XIII, 86. et Movers. Phön. I. p. 664., Henry autem *Tw. years* I. p. 126. etiam lucernam antiquam (in Passerii Lucern. fict. T. II. tab. 27.) commemorat, caput equi iaculo transfossum ostentantem, quod symbolum Carthaginis captae habeatur. — *Sic* (hoc signo) *nam* (de Part. *nam* postposita cf. Aen. III, 379. X, 585. Hor. Sat. II, 3, 20. et 41. id. Epist. II, 1, 186. Plaut. Mil. IV, 9, 2. Bentl. ad Hor. Sat. II, 6, 78. et Hand. Turs. IV. p. 3. omnino autem vid. adnott. ad Ecl. IV, 63.) portendebatur, fore Poenos gentem bellicosam (cf. inf. III, 539.) et *facilem victu*, quod Heyn., memor fortasse loci Geo. II, 460., (quem etiam Ladew. comparat, *facilem victu* pro *facili victu* „*leichten Erwerbs*," positum censens, ut melius respondeat verbis *egregium bello*) interpretatur: „quae habitura esset victum facilem et expeditum, affluentem ex agrorum ubertate et cultu," rectius autem Wagn. (qui *victu* pro Supino habet, ut III, 620. *visu facilis*) latiore sensu de omnis generis felicitate ideoque de Carthaginiensium opibus et omnium rerum affluentia omnino dictum Vergilioque illud Homericum θεοὶ ῥεῖα ζώοντες obversatum fuisse putat. Comparat autem Vir doct. formulas dicendi *facillime agere* et *facilius vivere* apud Ter. Adelph. III, 4, 56. et Plaut. Curc. V, 2, 6. atque Theocr. XI, 7. Οὕτω γοῦν ῥάϊστα διάγ' Κύκλωψ. Phaedr. III, 7, 13. Taubm. ad Plaut. Epid. II, 2, 29. Westerh. ad Terent. l. l. Gracv. ad Cic. Ep. ad Fam. III, 12. et ad Iustin. II, 1.

Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine divae,
Aerea cui gradibus surgebant limina nixaeque
Aere trabes, foribus cardo stridebat aënis.

---

cum adnot. sua ad Geo. II, 460. Contrarium est *asper victu* Aen. VIII, 318. Alio sensu ap. Senecam Ep. 90. legimus *sapiens victu facilis*. Peerlkamp., cui Wagneri explicatio non satisfacit, imprimis cum *victus* tantum de re tenui dici soleat (cui Siebelis p. 24. recte opponit *basilicum victum* ap. Plaut. Pers. I, 1, 32., *luxuriosum victum* ap. Quinct. V, 10, 27. et *eximia veste et victu convivia* ap. Lucr. IV, 1127.), Vergilium *haud facilem vinci* scripsisse putat. Eademque ratione Iahn. Annal. XLIII, 1. p. 44. (comparans Aen. III, 621.) et Haeckerm. Expl. p. 12. et in *Zeitschr.* XIX. p. 47. etiam Codd. lectionem explicant, *victu* pro Supino verbi *vincendi* habentes, ut *gens facilius victu* sit, quae facile vincat (*siegreich.*) Sed recte Henry in *Tw. years* I. p. 127. et Philol. XI. p. 512. cumque eo Conington memorat, verba *bello egregiam et facilem victu* respondere v. 14. *dives opum studiisque asperrima belli*. (Henricum tamen, quae nobiscum consentiens ll. ll. disputavit, nunc retractare video.) — 446. *Iunoni*. Ex loco templi media in urbe conditi concludendum est, ipsum deae tutelari urbis sacratum fuisse (cf. Vitruv. I, 7. et Lucian. de dea Syria §. 28.), quam re vera eandem cum Didone ipsa habendam esse, Silium I, 81. secutus suspicatur Movers *Phoeniz.* I. p. 611. — *Sidonia Dido*, immo Tyria; sed vid. adnott. ad v. 338. — 447. *Condebat*, pro quo *condiderat* exspectaveris, quod Peerlk. scribi mavult, Wagn. positum censet, aut quia aliqua pars operis restiterit, aut potius quia rem imprimis memorabilem expositurus sit poëta. Prior tamen causa praestat, quod coll. v. 455. etiam Ladew., Siebelis p. 25. et Haeckerm. ll. ll. censent; neque erat, cur Wagn. in min. edit. templum iam exaedificatum fuisse contendens mutata sententia Imperfectum paullo artificiosius explicaret, haec adnotans: „*Condiderat* significaret conditum esse hoc templum ante effossum caput equi [quod sane verissimum]; *condebat* significat propter effossum Didonem cepisse consilium eius condendi: ergo ista res effecit, ut ibi conderet templum;" quamquam etiam Iahn. in Annal. suis XLIII. p. 20. similem protulit sententiam. — *Templum donis opulentum et numine divae. Dona* non tam de donariis, quam de vasis, utensilibus totoque apparatu sacro intelligit Wund.; *numen* autem *divae* cum Servio accipit de simulacro deae ex auro aliave pretiosa materia facto, quam explicationem etiam Schirach. p. 510. et Haeckerm. p. 13. amplectuntur. Alii (ut Burm., qui coll. Ovid. Am. III, 1, 2. 13, 8. et Fast. III, 296. docet, saepe *numen inesse loco* dici, qui venerabilis et religione horrendus sit, et Iahn. ad Aen. I, 8. p. 436. edit. II.) *numen* ad deae praesentiam et maiestatem referunt, qua adeuntibus horrorem iniecerit et petentibus auxilium tulerit. Ita vero *opulentum* paullo durius dictum esset; quare cum Wagn. rectius locum sic capimus, ut templum, quod per numinis summam potentiam et auctoritatem (vid. supra ad v. 8.) donis ditatum sit, propterea ipsum divae numine opulentum dicatur; eademque est Dietschii Theol. Verg. p. 8. sententia locum sic explicantis: „Condebat templum, quod opulentum futurum erat, cum hominum pietas maximas eo opes collatura easque sua potentia diva Iuno, regina caeli, tuitura et conservatura esset." Ceterum cf. adnott. ad Aen. II, 178. — 448. 449. „Ad heroicorum temporum magnificentiam pertinet, quod omnia ex aere fecit. Unam laudabo Alcinoi regiam Odyss. VII, 86 sqq. Homerus eandem elegantiam ad deorum sedem, Olympum, transtulit." *Heyn*. Cf. etiam Iliad. I, 426. Od. IV, 71. XIII, 4. — *Aerea cui gradibus surgebant limina*, cuius templi limen erat ex aere. *Surgere* autem non modo totum aedificium dicitur (ut supra v. 366. arx), sed etiam singulae eius partes, imprimis editae et altae, ut h. l. fores, ad quas per gradus adscendebatur (vid. adnott. ad Geo. IV, 541.). *nixaeque aere* (i. e. aeneis columnis: cf. adnott. ad Aen. I, 35. VI, 165. Ecl. X, 59. etc.) *trabes*. Hanc lectionem, iam a Servio in multis libris inventam, quibuscum etiam plures Burmanni Codd. conspirare videntur, et a Probo p. 9,

rimum in luco nova res oblata timorem
, hic primum Aeneas sperare salutem
et adflictis melius confidere rebus.
ıe sub ingenti lustrat dum singula templo

---

xhibitam (cf. Ribbeck., qui eam invenit in Bern. II. a m. pr.) mpium et Henricum (*Class. Mus.* XX, qui etiam conf. in *Tw. years* 28 sqq. et Philol. XI. p. 513.) secutus nunc recepi pro vulgari *e aere trabes*. Rectissime enim Henr. observat, mirum fore, si rum, maximi templorum ornamenti, in tam magnifico templo delo nulla omnino mentio fieret, et si Vergilius nihil nisi aeneas trabes orare voluisset, nullam apparere causam, cur orationem variaverit *limina - - nexae aere trabes*), imprimis autem ad comprobandam ctionem facere apertam huius loci imitationem apud Stat. Theb. . *Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur Limina, ferratis nt tecta columnis*. Vulgatam Heyn. et Wagn. sic interpretantur: *exae*, i. e. postes nexi, iuncti liminibus aereis, *surgebant*, erant ex, d durum est iungere *surgebant aere*, et ea est collocatio verborum, ssario iungi debeant *trabes nexae aere*, quae Wunderlichio (qui t Graec. *χρυσόδετος* pro *χρύσεος* usurpatum et Soph. Electr. 837. *τοις ἕρκεσι κρυφθέντα γυναικῶν*) simpliciter aereas significare r, ut nectere aliquid aliqua materia nihil aliud sit, quam fabricare de materia; eamque explicationem, si omnino haec lectio probanda ır, et ipse praeferrem alteri ab Heynio propositae, ut *nexae aere* int postes aereis cardinibus iuncti, quemadmodum apud Claud. R. 237. *ferrati postes; immensaque nectit claustra chalybs*, i. e. ex facti erant cardines immensarum valvarum; neque adsentirer de postibus lapideis aere iunctis cogitanti et *trabes Hymettias* Od. II, 18, 3. comparanti, cum iuxta fores aereas et limina aerea ıbie etiam postes aerei intelligendi essent. Immo, si *nixae* legimus, ıe omnia sunt aerea, gradus, columnae, trabes, ianuae; nam *aerea* um ad *limina*, sed etiam ad *trabes* pertinere censeo. (Consentiunt n Haupt., Ladew. et Wagn. ipse in recentissima editione (qui putat, trabes e ligno factas atque aere modo obductas fuisse, ut olim in Pantheo, quae etiam Coningtonis est sententia, *nexas aere* . q. *aeratas* esse censentis), dum Bryce, Ribbeck. et Coningt. itemque m. in *Zeitschr.* XIX. p. 48. plurimorum sane et optimorum Codd. lecti-*xae* servant, quam mutata sententia nunc etiam Henry videtur praeım ex 52 Codd. ab eo collatis 49 eam exhibeant; sed quid hac in re uctoritati tribuendum sit, iam ex eo apparet, quod virorum doctorum, m. Vat. inspexerunt, alius *nixae*, alius *nexae* in eo legisse sibi videtur, on mirum, eandem varietatem lectionis inveniri IV, 217. V, 279. Geo. . Quod autem toties materiam repetit poëta, facit Homeri exemplo. r apud Ovid. Met. II, 107. legimus *Aureus axis erat, temo aureus, summae Curvatura rotae*, ubi Bach. praeter h. l. comparat Aen. . Callim. in Apoll. 33 sqq. in Dian. 110. in Del. 260. Adde eiusd. let. IV, 637 sq. — **450** sqq. Totum, qui sequitur, locum usque ad Rau in Sched. p. 44 sqq. suspectum habet, et multa in eo vituperat, is v. 450. 453. 458. 459. 462. 469. 477. 483. 488., quae (maximam satis levia) hic repetere longum est. — **450**. *Hoc in luco*, in nplum erat conditum. (Vid. v. 441.) — *nova res*, non exspectata, Constat autem Adi. *novus* hoc sensu et in bonam et in malam dici. Cf. Ruhnk. ad Ter. Phorm. V, 7, 79. Matth. ad Cic. pr. m. 1. Bach. ad Tibull. II, 6, 37. et *Geist der Röm. Eleg.* p. *timorem*, quomodo Dido eum cum sociis exceptura esset. — **452**. *ctis melius confidere rebus*, h. e. *in* afflictis rebus, et *con*bsolute positum pro confidenter sperare. Sic certe sequente Infinitivo cus. constructo (Cic. ad Att. I, 10. VI, 7. 9. Verr. V, 69. in Liv. 6. cett.) vel Particula *ut* (Cic. ad Qu. fr. I, 2. Plin. Epist. II, 5,) hoc verbum etiam a pedestris orationis scriptoribus saepe usurpari — **453**. *sub templo*, in inferioribus templi partibus. Sic IX, *idimus obscuris primum sub vallibus umbram*. Martial. XI, 85, 9.

Reginam opperiens, dum, quae fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se operumque laborem
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas
Bellaque iam fama totum volgata per orbem,
Atridas Priamumque et saevum ambobus Achillen.

Hic miserum Scythica sub rupe Promethea radat cett. — **454**. *Reginam opperiens*. Quaeri potest, unde sciat Aeneas, reginam illuc esse venturam? Scilicet ab operis in condenda urbe occupatis hoc audivisse putandus est. — Verba *quae fortuna sit urbi* ad opulentiam urbis spectant, quae iam supra v. 447. indicata est et ex templi magnificentia apparet. Altera enim Wagneri explicatio, ut haec ad fortunam resque urbis in artis operibus expressas referamus, minus placet. Haeckerm. p. 14. *fortunam* explicat per incrementa (*das Gedeihen, Aufblühen.*) — **455**. „*Artificum manus*, h. e. opera, et *operum laborem*, opera affabre elaborata, *inter se*, dum varii generis et artificii opera comparat.“ *Heyn*. Verba igitur *inter se* ad *miratur* refert: dum inter se miratur (mirabundus comparat) artificum manus etc. eademque ratione Wagn.: „dum modo has (picturas), modo illa (opera statuariorum et caelatorum) contemplatur.“ Sed *mirari* vix significare potest mirabundum comparare; quare nunc iudico, Servium Vossium et Haeckerm. p. 14. et *Zeitschr*. XIX. p. 48. rectius coniungere *manus inter se*, scil. certantes vel „manus artificum inter se operantium,“ ut Siebelis p. 25. explicat. Kappes autem l. l. p. 49. verba *inter se* non solum ad *artificum manus*, sed etiam ad *operum laborem* pertinere censet plura exempla Pron. reflexivi ad Casum obliquum relati colligens, imprimis simillimum locum Aen. II, 454. Eademque est Schraderi in Muetzellii *Zeitschr*. VII. p. 723. sententia: „*Die Worte inter se beziehen sich auf den ganzen Vers u. bezeichnen das Zusammengehören u. Ineinandergreifen der verschiedenen Arbeiten*.“ Certe non est causa, cur verba *inter se* cum Ladew. et Ribbeck. corrupta habeamus et huius coniecturam *intrans* amplectamur, quam defendere studet Cod. Bern. III. lectione a m. pr. *intra se* (cf. eius Proleg. p. 346.), sed quae adversatur versibus antecedentibus, unde Aeneam iam prius in templum intrasse patet. Peerlkamp. vero (coll. Aen. VII, 452. X, 457. et Silio VIII, 196. *dumque inter se mirantur*) coni. *mirantur* (scil. Aeneas et Achates) *inter se*, non perspiciens, quam male hic se habeat Pluralis inter *lustrat* et *videt*. (Cf. etiam, quae Kappes l. l. p. 49 sqq. contra Peerlk. disputat.) *Manus* autem Wund. rectius certe, quam Heyn., refert ad artem (*Kunstweise*) cuique artifici propriam (nostrum *Styl*), coll. Petr. Satyr. 83. *Zeuxidos manus vidi, nondum vetustatis iniuria victas* et Stat. Sylv. I, 3, 47. *veterum* (artificum) *manus*, quibus adde eiusd. Theb. VIII, 305. *Prometheasque manus* et Mart. IV, 39. *comparasti - - solus veteres Myronis artes, Solus Praxitelis manus Scopaeque, Solus Phidiaci toreuma caeli*. Rectissima autem omnium videtur Ladewigii et Haeckermanni l. l. explicatio: manus artificum in fingendo vel pingendo occupatas, nam templum nondum erat conditum, sed demum condebatur (v. 447.). Ab *arte* autem s. singulis ornamentis, quae perita artificum manus (Aen. XI, 439. XII, 210.) aedificio addiderat, distingue *operum laborem* (cf. Geo. II, 155. et Aen. I, 507.) i. e. magnos labores, qui in ipsa operum exstructione subeundi erant, in saxis subvolvendis (v. 424.), fundamentis locandis, columnis excidendis (v. 428.) etc. Cf. adnott. ad Geo. l. l. Eadem fere repetit Haeckerm. l. l., qui adeo, si quis *operum* pro pleniore forma *operarum* positum haberi velit, non prorsus adversetur, [qua tamen Vergilius non nisi in nominibus propriis utitur: vid. infra ad v. 565.] totumque locum vernacule sic reddit: „*Während Aeneas staunend das* (*bunte*) *Unter-Einander der schaffenden Künstler u. arbeitenden Werkmeister betrachtet*. — **456**. *videt - - pugnas* etc. „Ea, quorum argumenta hic exponuntur, aut depicta putanda sunt in pariete, Graecorum more, aut sculpta anaglypho opere in pariete et in ipsis foribus; ut inf. VI. 20 sqq.“ *Heyn*. Vide infra ad v. 466. Hae autem imagines templo Iunonis prorsus erant convenientes, cum bellum Troianum a Iunone esset excitatum. Cf. supra v. 24. — **458**. Pro *Atridas*, quod Schaefer. ad

Constitit et lacrimans „Quis iam locus, inquit, Achate,
Quae regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus! Sunt hic etiam sua praemia laudi;
Sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt.

Lamb. Bos. p. 291. recte defendit, Seneca Ep. 104. hunc versum afferens exhibet *Atridem;* sed Singularis iis debetur, qui voc. *ambobus* non convenire tribus putabant, quod quomodo explicandum sit, statim videbimus. — „*Saevum ambobus Achillem; saevus* fuit in Priamum, Hectore caeso; in Agamemnonem saeviit ira et pervicaci odio propter ereptam Briseidem; itaque saevum omnino accipiam pro infestum, iratum; nam *saevus* poëtis de iracundo." *Heyn. Ambobus* Wund. et Thiel. positum censent, quia in voce *Atridas* de Agamemnone praecipue cogitetur. Quod negat Wagn., qui *saevum* non solum *iratum*, sed etiam *nocentem* significare, et ita Atridae utriusque causae saevum fuisse Achillem docet. Et recte quidem. Nam voci *ambo*, ut Graeco ἄμφω et ἀμφότεροι (de quo vid. Schaefer. loco modo laud.), interdum inest notio duarum partium, quae sibi opponuntur, vel certe distinguuntur, ita quidem ut numerus singulorum, qui alterutram partem efficiant, plane non spectetur. Unde tamen minime sequitur, veram esse Brunckii sententiam, qui, coll. loco VII, 470., parum probabiliter *ambobus* pro *Troianis* et *Achivis* positum esse censet. Ut autem hic Adiect. *saevus* cum Dativo construitur, sic Verbum *saevire* ap. Tibull. I, 2, 88. — Ceterum pro vulgari forma *Achillem* ex Cledonio Gramm. p. 1884. P. et cod. Dorvill., quocum conspirant Codd. quidam Nonii p. 388, 12., revocavi scripturam *Achillen*, Wagnerum secutus, qui Qu. Virg. III, 1. docet, Nominum Graecorum masc. gen. in *as* et *es* desinentium Accusativum a Vergilio terminari in *an* et *en*, et ex optimorum librorum fide ubique recte edi *Acesten*, *Aenean* (vid. ad Aen. V, 850.), *Anchisen*, *Antoren*, *Niphaten*, *Oronten* (vid. Heins. ad Aen. I, 113.) cett.; quare etiam de forma *Achillen* non dubitandum, quam Heins. et Burm. etiam in antiquis Ovidii Codd. Am. II, 18, 1. III, 6, 1. et alibi invenerunt. (Vid. etiam adnott. ad Ecl. I, 65. supra ad v. 30. et infra ad v. 581.) Non reticendum quidem, ceteros Codd. omnes cum Prisc. XVIII. p. 202. Nonio p. 388. et Arus. Messio p. 214. hic formam *Achillem* tueri, quam Süpfl., Bryce, Ribbeck. et Ladew. receperunt; sed Codd. in hac re non magnam esse auctoritatem, vere contendit Wagn., cum haec forma nominis apud Vergilium non nisi in fine versuum legatur Aen. I, 458. IX, 792. XI, 438., et ultima eius litera etiam in antiquissimis libris, ut in ipso Med., per lineam transversam exprimatur, quae interdum etiam literam *n* designet, ut in Med. Ecl. IX, 10. Aen. V, 298. VI, 445. IX, 184. X, 128. Denique non negligendum, Frontonem in Exemplis elocutt. p. 495. ed. Maii legisse *saevum ambobus Ulyssem*, et Peerlkampium hunc totum versum propter leves illas difficultates spurium censere, quem Siebelis p. 25. recte contra eum defendit. — **460.** *nostri laboris*, h. e. famae de nostris calamitatibus, *plena*, ut nos: *die Stadt war voll von diesem Ereigniss*. Cf. adnott. ad II, 11. et IV, 189. — **461.** *En Priamus!* Sic *en* cum Nomin. etiam Aen. IV, 597. (ubi vid. Thiel.) V, 639. 672. alibi construitur, cum Accus. autem Ecl. V, 65.; dubia est constructio Aen. VIII, 612. Vid. Hand. Turs. II. p. 367 sqq., qui docet, rariora quidem esse Accusativi adiuncti exempla, sed non falsa. — „*laudi* pro virtute et rebus gestis, quae laudem merentur, ut saepe; scil. ex Homerico κλέος. Virtuti etiam hic honos suus habetur." *Heyn.* Cf. infra V, 355. VIII, 273. IX, 252. X, 825. Burm. ad Val. Fl. VI, 546. et Grysar *Theor. d. lat. Stil's* p. 302. *Praemia laudis* etiam apud Cic. pr. Mil. 30, 81. legimus. Sic *praecepta laudis* ap. Cic. de Legg. I, 24, 62. et similia. — **462.** „*Sunt* etiam hic *lacrimae*, h. e. miseratio, *rerum*; deflentur res, h. e. casus humani, sunt hic, qui lacrimas impertiant casibus et calamitatibus aliorum. Imitatus haec Val. Fl. I, 723 sq., sed alium in sensum: *Sunt hic etiam tua vulnera, praedo; sunt lacrimae carusque parens*, pro: est hic, quo lacrimae tibi exprimi possint, parente necato." *Heyn.* Cf. etiam Wernsd. Poët. L. min. VI. p. 484. *Sunt mihi, sunt lacrimae. Lacrimae* igitur *rerum* sunt lacrimae propter res. Wagn. apte comparat

Solve metus; feret haec aliquam tibi fama salutem."
Sic ait atque animum pictura pascit inani
Multa gemens largoque humectat flumine voltum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graii, premeret Troiana iuventus,

---

infra II, 784. *lacrimas dilectae pelle Creusae* (i. e. ob Creusam amissam effusas) X, 863. *Lausi dolores*, i. e. ex Lausi caede, et II, 413. *ereptae virginis ira*, i. e. ob ereptam virginem, Eurip. Hec. 743. ed. Matth. *ὁρῷς νεκρὸν τόνδ', οὐ καταστάζω δάκρυ*; eiusd. Suppl. 1148. *γόων ἅλις, τύχας* (ubi vid. Markland.). Cf. etiam Perizon. ad Sanctii Min. II, 3, 1. et II, 13, 2. Ruddim. II. p. 42. not. 6. Drakenb. ad Liv. IV, 45, 8. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 5, 26. Cort. ad Sall. Cat. 38, 4. Kritz. ad eiusd. 52, 6. multique alii. Male igitur Burm. sic distinguit: *Sunt lacrimae*: *rerum et mentem m. t.*, ut *mortalia rerum* sint *res mortales;* contra quem bene disputat Schirach. p. 472. — *mentem mortalia tangunt*, casus humanarum rerum misericordia afficiunt incolarum huius terrae animos; populus, ad cuius terras appulimus, habet humanitatis sensum. „Illud vero praeclarum, quod humanitatis cultum ex conspectis artis operibus colligit, ex eorumque argumentis. Imitationem loci habes ap. Val. Fl. I, 723. 724." *Heyn.* *Tangere* (nostrum *rühren*), ut ap. Cic. Att. II, 19. *Minae Clodii modice me tangunt* et alibi saepissime. Peerlk. temere haerens in *lacrimis rerum*, nec minus temere putans pro *mentem* potius *mentes* scribendum fuisse (cf. II, 35. 54. VIII, 440. IX, 292. etc.), etiam hunc versum coniectura vexavit, Vergilium *sunt lacrimae, reor, atque homines m. t.* scripsisse suspicatus. Sed vide Siebelisium l. l. et Iahnium l. l. p. 44 sq. — 463—465. *Solve metus* (scil. corde, animo, quod additur infra v. 562.) hic et V, 420. pro vulgari: solve animum metu. Sic *pone metus* ap. Ovid. Am. III, 6, 61. 62. *Solvere metus* dixerunt etiam Hor. Epod. 9, 37. Lucan. V, 782. et Plin. H. N. XI, 37., ut *solvere iras* Ovid. Met. IX, 274. De Plurali nominum abstractorum vid. adnott. ad Ecl. VII, 4. et Aen. IV, 28. Vocabulorum autem affectum aliquem significantium Pluralis usurpatur ad altiorem affectus gradum exprimendum. Sic *amores* Ecl. IX, 56. X, 6. Aen. I, 350. IV, 28. V, 334., *irae* Aen. I, 11. II, 381. VII, 15. etc. Cf. Unger de Valgio Rufo p. 226 sq. — „*Haec fama*, quod Troianorum calamitates in his ipsis terris innotuerunt, hoc nobis horum hominum animos praebebit propitios. Sed cum maiore benevolentiae significatione ad Achatem amicum retulit: *tibi*." *Heyn.* — *tibi* enim est Dativus ethicus, quem vocant, ut sensus sit: crede mihi, persuadeas tibi, hanc famam nobis allaturam esse salutem. Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 6. — *feret* pro adferet. Cf. Burm., qui comparat Ovid. Am. III, 5, 32. Claud. IV. Cons. Hon. 117. et VI. Cons. 283. ibique Heinsii adnott. — 464. *pascit animum*, ut alibi (v. c. Lucr. II, 419. Cic. Phil. XI, 3.) oculi pascuntur. (Cf. etiam Plaut. Poen. IV, 5, 2., ubi adeo *oculis epulas dare* legitur.) Utrumque coniungit Cic. Verr. V, 26, 65. *pascere oculos animumque exsaturare*. — *inani*, quia imagines modo rerum, non res ipsas repraesentat. Cf. e. g. Ovid. Fast. V, 463. *inanis imago*, Trist. III, 11, 25. *inanis umbra* cett. Iterantur autem verba *atque animum pictura pascit inani* in Anth. Lat. Burm. I, 146, 6. „Ceterum in sqq. observa intelligentiam poëtae in descriptione rerum, et h. l. quidem seu pictarum seu sculptarum, v. 475. tempestive transeuntis ad eam orationis formam, qua res quasi ante oculos geri videntur, non pictae adspici." *Heyn.* — 465. *Multa gemens*, *πολλὰ στενάζων*. Vid. ad Geo. III, 226. — „*largoque humectat flumine vultum* ad nostri sermonis rationes non est exigendum; et *humectat* est exquisite pro irrigat, neque *humectat* ieiunum putandum post *largo flumine*." *Heyn.* Cf. Aesch. Prom. 399. *δακρυσίστακτον - - ῥέος παρειὰν - - ἔτεγξε* et Hom. Il. IX, 14. *δακρυχέων ὥστε κρήνη μελάνυδρος*. *Humectare*, vox antiquior, quam poëtae magis pedestri voc. *irrigandi* praeferre solent. Cf. infra XI, 90. Lucr. I, 919. *Et lacrumis salsis humectant ora genasque*. Ovid. Met. IX, 656. *et humectat lacrimarum gramina rivo*. Stat. Theb. IV, 591. *largis humectant imbribus ora*. *Quare humectans* simpliciter pro lacrimans ap. Plin. H. N. X, 3, 3. et XI,

Phryges, instaret curru cristatus Achilles.
procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
noscit lacrimans, primo quae prodita somno 470

---

l. Cf. etiam adnott. ad Geo. IV, 126. — 466—468. Videt in parie- porticus sibi contrariis et in plures ariolas dispertitis octo imagines, m binae sibi respondent, victoriae Hectoris victoria Achillis, morti mors Troili, Troadibus Palladi supplicantibus Priamus Achilli suppli- et Memnonis pugnae Amazonum proelium. Cum autem Iliacis tem- is pingendi ars nondum inventa fuerit, Heynius in Exc. XV. ad hunc de anaglypho opere ex aere facto cogitat (coll. praeter multos alios io ipso Geo. III, 26. et Aen. VI, 20 sq.) cique rationi non obstare *picturae* v. 464. arbitratur, quae poëtica elegantia de „quovis opere, figuras rerum ac signa repraesentet" dici possit. Cum tamen aliud lum vocabuli hac latiore significatione usurpati nusquam inveniri vi- ', pictura autem multo breviore tempore confici possit, quam sculptura, Vergilium de templo brevi ante condito loquentem etiam hic suae ; mores ad antiquissima illa tempora transtulisse putaverim. Vide v 469., ubi *nivea vela* nostrae opinioni favere videntur. „Respicit mum pugnam, Patroclo occiso, factam, cum versus castra fugerent , insequentibus Troianis et instante Hectore, Il. XVII.; quo facto die iti Achilles, novis a Thetide acceptis armis, prodit et Troianos fugat, emque occidit Il. XIX—XXII. Cum Rhesus mox sequatur, noluisse temporum ordinem servare dicendus est. Cum v. 467. bene compa- l. XIV, 14. Τοὺς μὲν ὀρινομένους, τοὺς δὲ κλονέοντας ὄπισθεν, et ', 7." Haec *Heyn.*, qui huic loco plures adiecit excursus. — *Vide- uti - - fugerent Graii* eodem modo dictum, quo Ecl. VI, 31. *ut, uti - - fuissent*, ibid. v. 64. *canit, ut - - duxerit* etc. — *Hac - -* ro *hac - - illac*. Cf. Prop. I, 3, 13. *et quamvis duplici correptum ; iuberent Hac Amor, hac Liber, durus uterque deus* et Hand. Turs. 3. Vid. etiam, quae de *hic - - hic* ad Ecl. IV, 56. adnotavimus. — *ere* hostem, verbum proprium de hac re. (Cf. Liv. I, 57, 3. Caes. VII, 3. IV, 32. B. C. III, 46. cett.) Sic Aen. VIII, 249. *Desuper s telis premit.* Cf. etiam supra v. 324. — 468. *instaret curru.* Ovid. Met. XII, 73. *Iam curru instabat Achilles.* — „In *cristatus* Servius vim quaerit, cum secundum Hom. Il. XIV, 380. in Achillis terribile quiddam fuerit; Wagn. autem memorat, aptiorem a Servio potuisse locum Il. VI, 469 sq. λόφον ἱππιοχαίτην δεινὸν ἀπ' ἀκροτάτης ος νεύοντα νοήσας." Cf. etiam infra XII, 89. — 469—473. De , Thraciae rege et Hecubae fratre, eiusque sociis a Diomede occisis deque eius ab Ulysse abductis vid. Hom. Il. X, 433 sqq. 470 sqq. et Heynii XVI. ad h. l. — „*niveis tentoria velis* dixit, deserto priscae ae- nore. Erant enim Achivorum et Troianorum tuguria, κλισίαι, stipi- vimine et aggere terrae munita. [Cf. Hom. Il. XXIV, 448 sqq.]" Simile anachronismi genus iam supra v. 168. in ancorarum usu de- ıdimus. *Vela* de tentoriorum tegumentis legitur etiam apud Cic. V, 12, 30. *tabernacula carbaseis intenta velis.* — 470. *primo somno* coll. Eurip. Rhes. 600. paullo artificiosius explicat: „prima nocte, Rhesus ad Troiam transegit," adsentiente tamen Kappesio l. l. p. qui conferri iubet Hom. Il. X, 251 sqq. 471. et 578. Equidem cum erl. Obss. in Tibull. I, 10, 8., Thielio et Peerlk. interpretor: alto somno; s enim somnus altissimus. Sic Phaedr. III, 10, 30. *uxorem dormien- ubiculo, Sopita primo quae nil somno senserat*, Propert. I, 3, 3. *et accubuit primo Cepheia somno*, neque aliter *primus sopor* ap. IX, 90. et *prima quies* infra v. 723. II, 268. VIII, 407. et Ovid. VIII, 33. *Prima quies aderat, qua curis fessa diurnis Pectora somnus* (Consentit mecum Henry in *Tw. years* p. 132. et Philol. XI. p. qui *primo somno* pro Ablativo instrum. habet cum *prodita* coniun- . Commode autem somno tributum, *prodere*, quod per somnum ı. Sequitur Maronem *Ovidius Heroid. I, 40. Rhesus somno proditus.* *praeterea confert Heroid. X, 5. Me somnusque meus male prodidit*

Tydides multa vastabat caede cruentus,
Ardentisque avertit equos in castra, priusquam
Pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix puer atque impar congressus Achilli,
Fertur equis curruque haeret resupinus inani,
Lora tenens tamen; huic cervixque comaeque trahuntur
Per terram et versa pulvis inscribitur hasta.

---

et tu. — 471. *Tydides.* Proprie Ulysses erat adiungendus, quem tamen poëtae licuit omittere. — *vastabat,* h. e. hominibus orbabat. Cf. Geo. IV, 16. Hirt. B. G. VIII, 24. *fines vastare civibus.* Cic. Sext. 24, 53. *forum vastatum ac relictum.* id. Agr. II, 16. Liv. III, 32, 2. et al. Ceterum *vastabat* Imperf., quia res per aliquod tempus durans cogitatur, iuxta Perf. *avertit* ἀοριστικῶς positum. Cf. exempla similia a Matth. ad Cic. pr. Rosc. Am. 44, 127. et Kritzio ad Sall. Cat. 10, 1. prolata. — *caede* cum *cruentus* coniungendum, quod sine eiusmodi additamento languet, non cum *vastabat.* Cf. Lucan. IV, 2. *Caesar Martem saevus agit non multa caede nocentem,* ubi Peerlk. pro *nocentem* legi vult *cruentum.* — 472. *ardentis equos.* Cod. Moret. II. *albentes,* atque etiam Heyn. coll. Aen. XII, 84. coniicit *candentis,* cum hic color Rhesi equis constanter tribuatur (Hom. Il. X, 437. Eurip. Rhes. 404. Epit. Iliad. 735.); sed haud dubie ceterorum Codd. omnium lectio *ardentis* retinenda et per animosos, alacres, fortes explicanda, ut infra VII, 781. Verissime enim docet Wagn.: „equos Rhesi fatales consentaneum est fuisse acerrimos et fortissimos; quod etiam in pictura expressum apparere poterat.“ Servius autem ad Aen. I, 752. adnotat, hos Rhesi equos originem duxisse a Thracii Diomedis equis illis humana carne vescentibus (de quibus praeter alios cf. Unger de Valgio Rufo p. 375.) — *avertit,* abigit; *avertere* enim de praeda abigenda haud raro dicitur. Cf. infra X, 78. Caes. B. C. III, 59. Liv. I, 7, 5. XXXVII, 8. extr. Catull. 64, 5. Stat. Theb. IV, 648. cett. Burm. ad h. l. Drakenb. ad Sil. III, 321. Oudend. ad Lucan. III, 150. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 4, 37. Ruperti ad Liv. T. I. p. 28. alii. Ceterum cf. infra v. 528. *raptas ad litora vertere praedas.* — 472. 473. „Fatale hoc fuisse [Troiam a Graecis expugnari non posse], si Rhesi equi gustassent herbam et aquam Scamandri, Homerus non habet; neque is, quem Euripidem non esse nuper post alios evicerunt Valckenaerius et Beckius, auctor Rhesi. Nam v. 600—604. vix eo referre possis. At memorat eam fabulam Eustath. et Schol. ad X, 435., qui Pindarum auctorem laudat (Fragm. p. 151.), nec non Serv.“ Haec *Heyn.,* cuius cf. Exc. XVI. ad h. l. De *Xantho* s. Scamandro vid. librum meum geogr. II. p. 118 sq. et quae scripsi in Pauly *Realencycl.* VI. p. 2159 sq. nota. — Post hunc versum Ribbeck. transposuit v. 479—482. (cf. eius Emend. Verg. p. 11.); sed vide quae Ladew. in Append. p. 240 sq. verissime contra eum disputat. — 474. „*Troilus,* Priami filius congressus e curru cum Achille iam ante Iliadis tempora, vulnere adverso accepto, exciderat curru, pedibus inter lora impeditis, ut supina cervice traheretur.“ *Heyn.* Cf. Hom. Il. XXIV, 257. Quint. Smyrn. IV, 155 sqq. Apollod. III, 12, 5. Lycophr. 307. ibique Tzetz. Senec. Agam. 747 sq. Hor. Od. II, 9, 15. Mythogr. Vatic. I, 210. alii et Heynii Exc. XVII. ad h. l. Henry *Tw. years* I. p. 133. commemorat, in Millingen *Peintures des Vases Gr.* tab. 17. apparere vas Troili monumentum sepulcrale ostendens, unum, quod supersit, artis opus ad Troilum pertinens. — *puer.* Sic Horatio l. l. *impubis Troilos.* — *armis amissis* de solo clypeo intelligendum; nam hastam certe manu adhuc tenebat, quamquam ita inversam, ut per terram tracta sulcos faceret (s. *pulverem inscriberet*). Cf. v. 478. — 476. *Fertur equis.* Cf. Geo. I, 513. — *inani curru,* rectore privato. Verba *curruque haeret resupinus inani* iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 170, 136. — 477. *Lora tenens tamen.* Heyn. iure miratur, Quinctilianum VII, 9, 7. dubium facere, sitne *tamen* cum *tenens,* an cum sequentibus coniungendum. — 478. *pulvis inscribitur hasta.* Recte enim et *inscribere alicui rei*

Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis peplumque ferebant
Suppliciter tristes et tunsae pectora palmis;
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.

---

aliquid et *aliquid aliqua re* dicitur. Cf. Ecl. III, 106., Plauti locus deperditus ap. Serv.: *corpus virgis ulmeis inscribere*, Silius XIII, 328. *Pan imo - - vix ulla inscribens terrae vestigia cornu* et adnott. ad Aen. VI, 229. Ceterum animadverte syllabam brevem post antecedentem longam arsis vi productam et cf. adnott. ad Ecl. VI, 53. — V. „479—482. ex Il. VI, 289—312., ubi, Heleno docente, Hector ad urbem regressus Hecubam ad Minervae templum in acropolin Troianarum matronarum pompam ducere, donariique loco deae peplum egregie elaboratum consecrare iubet, ut Diomedis impetum illa reprimat. .[Adde Iliad. VI, 87 sqq.] — *Interea* non ad tempus potest referri, sed inter cetera tabularum argumenta, in alia area, ecce, occurrit hoc, quod - -.“ *Heyn.* Süpflius tamen, hic aliam rem imagine repraesentari censens, quam ab Homero l. l. enarratam, *interea* propria significatione positum putat; nescio quomodo, cum aptum non videam inter hanc et priorem imaginem connexum. Ribbeckium hos versus alio loco posuisse, iam supra indicavimus. — *non aequae*, iniquae, infensae Troianis. — 480. *Iliades* mulieres Troianae etiam II, 580. et III, 65. vocantur. — *crinibus passis*, solutis et per collum sine lege sparsis; quod praecipuum erat luctus indicium. Vid. infra II, 403. III, 65. Hor. Serm. I, 8, 24. Ovid. Fast. III, 219. Caes. B. G. I, 51. extr. VII, 48. Liv. I, 13. in. Cf. etiam Ter. Heaut. II. 3, 49. Phorm. I, 2, 56. et Kirchmann. de Funer. II, 12. p. 200. Multi Codd. *sparsis;* sed vulgaris lectio, cui etiam Nonius p. 370, 12. patrocinatur, aptior, cum secundum Gellium XV, 15. *sparsi* crines sint vi et furore soluti et turbati, *passi* autem consilio soluti et expansi; quare illi conveniunt bacchantibus, vaticinantibus omninoque furibundis, hi contra lugentibus et supplicibus. Cf. Iahn. et Peerlk. ad h. l., Burm. ad Aen. II, 403. et Ovid. A. A. III, 709. Drak. ad Liv. I. 13, 1. et (quos Ribbeck. Proleg. p. 147. laudat) Kretzschmer de Gellii fontibus p. 86 sq. et Hertz. de Gellio et Nonio in Fleckeis. Annal. phil. a. 1862. p. 788. -- *peplumque ferebant*, quo dono deam placarent. „Peplum illud aut deae signo iniiciebatur pro amictu, aut tantum ad genua apponebatur, ut ap. Homerum l. c.; et sic Athenis in Panathenaeis Minervae, (vid. Cirin. v. 21 sqq.) Iunoni Olympiae, et sic porro.“ *Heyn.* Cf. Heynii Excurs. de Palladio inf. ad II, 293. Raro omnino Latini hoc vocabulo graeco utuntur, quo *κατ' ἐξοχήν* fere vestem illam Minervae quinto quoque anno in Panathenaeis oblatam significant. Cf. praeter ll. ll. Plaut. Merc. Prol. 66. et Stat. Theb. X, 56. De Veneris amictu legitur apud Claud. Nupt. Honor. 122. Cf. etiam Manil. V, 387. etc. Erat omnino vestis ampla et longa, usque ad pedes demissa, quae faciem adeo et brachia velabat, et qua potissimum feminae pompam ducentes et festos dies celebrantes utebantur. Cf. Poppo ad Xen. Cyrop. III, 1, 13. — 481. Prius cum Wagn. (qui confert Sil. VI, 572. *Solliciti laeti*) coniunxi verba *suppliciter tristes* et explicui: *supplicantum modo tristes*, ut in summo rerum discrimine; nunc vero, cum sane offendat voc. *ferebant* tam nude posita et *tristes* additis verbis *tunsae pectora palmis* iam satis prematur, cum Heynio, Ladew. et Kappesio I. p. 54. coniungo verba *ferebant suppliciter*, vel potius cum Henrico (in *Tw. years*. I. p. 133. et Philol. XI. p. 513.) *ibant* (et) *ferebant suppliciter*, ut hoc Adverbium ad totam sententiam pertineat, etiam ad crines passos et tunsa pectora. — *tunsae pectora*, i. e. sibi tundentes pectora. Cf. adnott. ad Geo. I, 206. coll. cum iis, quae de Accus. remotioris Obiecti ad Ecl. I, 54. Geo. III, 383. supra ad v. 228. et alibi adscripsimus. Ceterum de plangoribus feminarum vid. infra ad IV, 668. — V. 482. iteratur VI, 469. „*Diva solo fixos oculos aversa tenebat.* Homer. l. c. v. 311. *Ὣς ἔφατ' εὐχομένη· ἀνένευε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη.* Sed in Vergilio suavior rei imago esse videtur *aversa facies oculis in terram fixis*, quam *renuens caput.*“ *Heyn.* *Aversi* vocantur dii, qui *non curant, non audiunt hominum preces.* Cf. Hor. Epod. X, 18. Cic. ad

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici
Tendentemque manus Priamum conspexit inermis.
Se quoque principibus permixtum adgnovit Achivis

Brut. ep. 16. Tibull. III, 3, 28. ibique Huschk. Mitscherl. ad Hor. Od
23, 19. Iahn. ad Ovid. Trist. I, 3, 45. Bach. *Geist d. Röm. Eleg.* p
188. Conington conferri iubet contrariam sententiam ap. Ovid. Tr
3, 45. *Ad vatem vultus rettulit illa* (Venus) *suos*. — 483—487. „N
argumentum: *redditio corporis Hectorei* ex Iliad. XXIV, 478 sqq.
vel ad artis rationem: *raptaverat* [adhuc spirantem: cf. etiam Ae
272.]; nam hoc antecesserat, et corpus lacerum et foedatum immane
contumeliam vel in tali opere arguere poterat. [Conington apte conf
milem locum Aen. VIII, 642 sq. ibique Plusquamperf. *distulerant*.]. H
corpus circa muros Troiae ter raptatum ex Cyclicis petiit Vergilius [e
eum Prop. IV, (III), 1, 28.]. In Homero tantum fugatur ter circa mur
XXII, 208.]; caesus autem statim ad naves, e curru ligatus, trahitur
v. 399. sqq.]." *Heyn*. Cf. Heynii Exc. XVIII. ad h. l., in quo dc
Vergilium imprimis Eurip. Androm. 105. 106. ab Ennio Latinam f
(cf. Ennii Andromach. fr. 12. p. 239. Hessel. s. p. 105. Vahl. *Vidi* - -
Hectorem quadriiugo raptarier) ante oculos habuisse; Vergilium aute
Homerum, ob oculos fuisse auctori Epit. Iliad. 1004. *pedibusque exsc*
membra Ter circum muros victor trahit, ubi cf. Wernsdorf. Poëtt. mi
IV. p. 742. Cogitandus autem est Achilles in tentorio sedens et ant
Priamus supplex et divinum illud: *Μνῆσαι πατρὸς σεῖο* iamiam far
piens. — *auro corpus* (mortui) *vendebat Achilles*, scil. Priamo
qui noctu precibus adierat Achillem, ut filii corpus sepeliendum rec
Hom. l. l. v. 232. *χρυσοῦ δὲ στήσας ἔφερεν δέκα πάντα τάλαντα*. Cf.
adnott. ad Aen. II, 273., unde apparebit, Henricum locum sic intel
corpus ipso demum raptando prorsus exanimatum vendebat Achilles.
rum cf. Aen. VI, 621. *Vendidit hic auro patriam*. Conington pr
comparat Stat. Silv. II, 7, 55. *Ludes Hectora Thessalosque currus E*
plex Priami potentis aurum. — 485. *Ut spolia* etc. *conspexit*, *tun*
(vid. ad Ecl. VI, 27.) *ingentem gemitum dat p. ab imo*; non inanes
querelas, unus enim ille gemitus longe significantior. — *gemitum*
redit metaph. dictum II, 53. *gemitum dedere cavernae*. Saepius l
gemitum edere, velut Ovid. Her. XI, 51. Met. II, 623. cet. Vid. etia
nott. ad VII, 560. — „Adstant ex alia parte *spolia*, h. e. arma, (
caesum Hectorem spoliaverat victor, *currus*, cui illigatum eum rapta
et *ipsum corpus amici*, sc. Hectoris, ex curru supinum, pulveri i
bens, quod quoque die orto ter circa Patrocli tumulum ductare s
Achilles. Vid. Il. XXIV, 44 sqq." *Heyn*. Henry tamen (*Class. Mus*
rectius non de Achillis, sed de Hectoris *curru* cogitat, cum iuxta cor
spolia Hectoris non sit locus Achillis currui, hic autem non conspi
Hector victoris currui alligatus, sed corpus eius iam venditum Priamo.
Achilles antea *raptaverat* (v. 483.). De Partic. *ut* ter repetita Burm
ferri iubet Ecl. VI, 66. Geo. I, 135. Aen. I, 290. 398. 660. Drakenb. a
XII, 187., sua ad Suet. Tib. 21. Gronov. ad Gell. III, 9. et ad Liv. XX
9. — 487. „*Manus inermes* noli inertem putare ornatum. Nam
eo spectant, quod intraverat hostilia castra, supplex ad genua Achilli
cubiturus. [Aliter hunc locum intelligit Henry: vid. infra ad II, 6
488. Cum Achivis *permixtum* proelio, *προμάχοις μιχθέντα*, seu pu
tem Aeneam saepe ap. Homer. invenias, imprimis Il. V. et XX.; at
ad posteriora tempora respicitur." *Heyn*. Puta igitur, ad aliam ima
transire poëtam, quae concursum pugnantium repraesentabat. Sed
prioribus prolixum, ita hic, ubi Aeneas semet ipsum conspicit, brev
eum esse decebat. Ceterum non temere Servius quaerit, quomodo *A*
se potuerit in pictura cognoscere? adeoque de nomine adscripto co
recte tamen adiungit, potius ex factis fortibus (quidni etiam ex ar

ue acies et nigri Memnonis arma.
Amazonidum lunatis agmina peltis
›silea furens mediisque in milibus ardet,
subnectens exsertae cingula mammae,

---

si de vultus similitudine cogitare nolumus ?) facile eum potuisse (Cf. etiam de h. l. Ribbeck. Proleg. p. 126.) — *adgnovit.* Vat., Rom., Bern. III. et Ald. III. *agnoscit,* quod, iam Fabricio pro- coll. v. 470. recepit Iahn., qui Perfectum huic loco ab iis illatum qui etiam haec verba ad Part. *ut* v. 486. referrent. Sed quamquam ›st, poëtam in hac tota descriptione Praesentibus et Imperfectis uti; cum hic Aeneas appareat tantum, nihil vero egregie ab eo factum ›ur in pictura, quod Praesens propius ad oculos admoveret, non Vagn. (qui etiam cf. in Philol. Suppl. I. p. 315.) adnotat, a vehe- mo animi affectu, qui regnet in proxime praegressis, ita per Perfe- ilchre ad sedatiorem orationem transiri; quo fiat, ut illa magis ex- ›cant. Imprimis autem me movit Codd. auctoritas, ut Perfectum n. Praesens ex ipso illo v. 470. facile poterat repeti. Consentiunt n omnes recentiores editores, etiam Ladew., qui prius *adgnoscit* . — **489.** Agnovit Memnonem pugnantem, Tithoni et Aurorae filium ra v. 751., ubi etiam de eius armis diximus, coll. cum Hom. Od. et Hesiod. Theog. 984.), qui Indos et Aethiopes (quo spectant n *niger* et *Eoae acies,* e regionibus Troadi ab oriente sitis adductae) auxiliaturos adduxisse et postquam Antilochum, Nestoris filium, rit, fortiter pugnans ab Achille occisus esse a poëtis Homero ibus traditur. Praeter locos modo laud. cf. de eo Hom. Odyss. . Quint. Smyrn. II, 100 sqq. Dictys IV, 4. VI, 10. Pind. Nem. . Paus. X, 31. Heyn. ad Apollod. p. 300 sqq. et Excurs. XIX, Müller. ad Tzetz. in Lycophr. v. 18. p. 304. Walz. in Pauly *Real-* IV. p. 1757 sqq. Movers *Phöniz.* I. p. 228 sq. alii. De eius Vulcano fabricatis vid. Aen. VIII, 384. ibique adnott. — *Eoae* Cf. Geo. II, 115. *Eoae domus Arabum.* Ovid. Am. II, 6, 1. *Eoi* t. Sic terrae orientales Horatio Od. I, 35, 35. *Eoae partes,* populi Ovidio Am. I, 15, 29. simpliciter et absolute *Eoi* vocantur. Videtur alludi in Anth. Lat. Burm. I, 107. *Filius Aurorae, Phoebi na- lumnus, Producit gentis millia tetra suae. - - - Iam nunc mon- maneat qui Pergama casus, Cum nigrum Priamus suscipit auxi-* **490—491.** „De Amazonibus duce Penthesilea auxilium Ilio ferentibus :. Smyrn. libro I. Induxerunt autem Amazonas in belli Troiani n poëtae, qui post Homerum scripsere, quia celeberrimae erant in historia Amazonum impressiones in Asiam minorem factae, imprimis ›iam et Lydiam; quarum una in Priami tempora incidit: vid. Il. De reliquis loci classici apud Strabonem [XI. p. 504. et XII, 552. ıt.“ *Heyn.* Cf. Heyn. in Excurs. XIX. ad h. l. idemque ad Apol- 5, 9. p. 372 sq. Interpp. ad Ovid. Met. XII, 611. et Iustin. II, 4. — *lunatae,* i. e. in formam lunae iam semiplenae factae, propriae mazonum. Cf. etiam infra XI, 663.; quare exercitus Amazonum eb. V, 145. *lunatum agmen* vocatur. — **491.** *Penthesilea,* Martis ›e filia (Hygin. f. 112.), ab Achille occisa esse fertur. (Vid. Dictys et Tzetz. ad Lycophr. 999. omninoque Teuffel. in Pauly *Realencycl.* 19.) — Heyn. distinctionem in fine versus 491. sustulit, quam Wagn. rocavit: nihil enim ad ardorem faciunt, quae v. 492. adiiciuntur, *rix* similiter illatum orationi, ut *dea* infra v. 691 sq. Ceterum e. furit, fortiter pugnat, magna cum vi antecedenti *furens* ad- Cf. Bentl. ad Hor. Epod. XIX, 30. *Ardere* de pugnandi cupididate ro dicitur, ut supra v. 423. et 472. — „*subnectens cingula e* exquisitius quam *subnectens mammam cingulo*, balteo subnexam [Vid. adnott. ad v. 305. coll. cum IV, 139.] Dextra scilicet pa- :t nudata, ut venatricibus delectis Dianae Callim. in Dian. 213. ι δέ σφιν ὦμοι δεξιτεροί, καὶ γυμνὸς ἀεὶ παρεφαίνετο μαζός.“ Quod attinet ad constructionem cf. Geo. III, 166. circlos Cervici

Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,
Dum stupet obtutuque haeret defixus in uno,
Regina ad templum, forma pulcherrima Dido,
Incessit magna iuvenum stipante caterva.
Qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi

---

subnecte. — *Exsertus* (vel, ut Haupt. et Ribbeck. scribunt, *exertus* tamen Wagn. Orth. Verg. p. 436.) pro nudatus legitur etiam XI, 6 803. in locis huic simillimis, ut apud Stat. Achill. I, 346. *exserta br* Sil. VIII, 587. *exserto humero* etc. Iteratur hic versus in Anth. Burm. VI, 84, 5. — Versus **493**. egregie formatus, ut totus de Amaz locus est pulcherrimus. — *Bellatrix* pertinet ad antecedentia *mec milibus ardet* etc., *virgo* tantum *viris* opponitur. — *audetque concurrere virgo* ex Homerico Ἀμαζόνας ἀντιανείρας Il. VI, 18 189. natum videri, iam alii notarunt. De verbo *concurrendi* prop pugnantibus, qui manus conserunt, cf. Bremi ad Nep. Iphicr. I, 4. terpp. ad Hor. Sat. I, 1, 7. — **494** sqq. „Interea, dum mirando hae opera contemplatur Aeneas, Dido advenit. Cum hac oeconomia ren laudatum locum Odyss. VII, 133 sqq.“ *Heyn.* — *Dardanio* H (*Tw. years* I. p. 135. et Philol. XI. p. 514.) cum singulari vi adiectum tur, cum Aeneas has imagines in terra peregrina conspiciens Dardan recordationum plenus esse debeat. — *videntur Aeneae*, h. e. ab *Videri* enim hic passive capiendum, quemadmodum supra v. 326. 39 IV, 16. Aen. II, 591. 624. Ter. Andr. III, 5, 10. Cic. Acad. I, 11, 4 25, 79. Caes. B. G. I, 22. Liv. IV, 40, 2. Ovid. Am. III, 11, 15. ex 1 9, 18. multisque aliis locis. Wagn. Qu. Virg. XXIX, 4. *mirandu* supra v. 269. *volvendus*, pro Participio Praes. Passivi positum esse mans, haec sic interpretatur: „dum Aeneas haec videt et miratur.“ simplicius: dum Aeneas has res admirabiles, admiratione dignas, Nam non solus Aeneas, sed unus quisque haec debebat admirari. — *haeret defixus.* Vid. VII, 249 sq. coll. cum VI, 156. VIII, 520. et quae ad v. 226. adnotavimus. — Verba *obtutuque haeret defixus in uno* ite in Anth. Lat. Burm. III, 81, 65. Henry ll. ll. confert Petron. c. 89. *video totum te in illa haerere tabula, quae Troiae halosin ostenc* **496**. *Regina*, caput sententiae, iure incipit versum, quem nomen *Di* res minoris etiam momenti, quam eius pulchritudo, recte claudit, Henry ll. ll. bene animadvertit. — **497**. *Incessit*, cum dignitate quad maiestate, tamquam regina; ut supra v. 46., ubi vid. adnott. — *iuv stipante caterva.* Cf. infra IV, 136. Ovid. Met. III, 186. *comitum stipata suarum.* Cic. p. Mur. 24, 49. *Catilina stipatus choro iuve* Liv. XLII, 39. *stipante turba.* Plin. Pan. 23, 3. *stipatus satellitum* Wernsd. Poët. L. min. VI, 490, 3. *Innumera pariter comitum stipan terva* cett. Activam autem constructionem passiva longe fortiorem cum voluntarium iuvenum comitatum significet, in promptu est. Cod. Rom. lectio *comitante* ex II, 40. 370. V, 76. invecta est. (Cf. Ril Proleg. p. 281.) Ceterum mira est Burmanni opinio, qui ob comparat cum Diana, quam Nymphae comitentur, *iuvenes* de puellis (coll. adnc Phaedr. II, 2.) aut certe de iuvenibus utriusque sexus, ut apud Suet 31., vult accipi. Immo rectissime iam Gellius IX, 9. principes Tyrios ligit. — **498**. „Comparatio splendida Didonis cum Diana, quam tra poëta post Homerum Od. VI, 102—110. et Apollon. III, 876 sqq.“ *Qualis*, quo habitu, qua forma, cum voce *Diana*, non cum Verl iungendum; cf. adnott. ad v. 499. — *Eurotas*, notissimus Pelop fluvius iam Ecl. VI, 83. commemoratus, qui Spartam permeans in Laconicum effunditur (nunc *Vasili-Potamo* et in extremo cursu *Iri* vo Cf. liber meus geogr. III. p. 873. Lacedaemone autem, ut in Delo i praecipue vigebat Dianae cultus, quare adiungitur *Cynthus*, mons in tali Deli insulae parte situs (nunc *Castro* appellatus: vid. librum *modo comm. III.* p. 1025.), ad cuius radices Delos oppidum erat cond *in quo monte cum* Apollo et Diana nati esse perhibeantur, hi dii hav

Exercet Diana choros, quam mille secutae
Hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram
Fert humero gradiensque deas supereminet omnis;
Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus:
Talis erat Dido, talem se laeta ferebat
Per medios, instant operi regnisque futuris.
Tum foribus divae, media testudine templi,

Cynthius et Cynthia vocantur. Cf. Ecl. VI, 3. Geo. III, 36. Hor. Od. III, 28, 12. etc. — *per iuga Cynthi.* Cf. Aen. IV, 147. *Ipse iugis Cynthi graditur.* — **499.** *Diana* prima syllaba producta invenitur etiam apud Hor. Od. I, 21, 1. Ovid. Met. VIII, 352. et Prop. III, 26, 14. (II, 28, 60.) (Cf. Diomed. II. p. 436. P. et Iahn. ad Hor. Od. III, 4, 4.) Alibi Vergilius syllabam ubique corripit, etiam Nominativo XI, 582. — *Exercet choros*, i. e. ducit, instituit. Similiter *ludos exercere* apud Prop. IV, 13, (III, 14,) 3. et infra Aen. III, 281. *palaestras exercere.* Vid. etiam Geo. I, 268. 403. Aen. VII, 380. et similes locos et cf. Bach. ad Ovid. Met. VI, 145. — Schirach. p. 402. haec scripsit: „Nescio vero, an illa comparatio Dianae choros agentis cum Didone, quae incessit magna iuvenum stipante caterva, ut opus urgeat, satis sit iusta. Quae similitudo Dianae venantis cum Didone aedificante? Et cur cernimus Dianam, ut illa pharetram fert humero? Saltem optem aliis hanc imaginem magis placere, quam mihi.“ Sed in eiusmodi comparationibus summam tantum rei spectandam, non unum quodque verbum aurificis statera examinandum esse, non est cur memorem. Poëta hoc unum vult indigitare, Didonem pulchritudine et maiestate deae, et viragini quidem deae, similem apparere. — **500.** *Hinc atque hinc.* Vid. supra ad v. 162. — *glomerantur.* Cf. infra IV, 155. IX, 539. 689, imprimis autem IX, 440. (*Quem circum glomerati hostes hinc comminus atque hinc Proturbant*) et de animalibus Aen. VI, 311. Geo. IV, 79. cett. — *Oreades*, Nymphae montium, venetricum habitu Dianam solent comitari. — *pharetram fert humero* bene adiicitur, quoniam dea humeris tenus *deas omnes*, i. e. ceteras Nymphas, *supereminet.* Cf. autem simillimus locus Ovid. Met. III, 181. *tamen altior illis* (Nymphis) *Ipsa dea* (Diana) *est colloque tenus supereminet omnes;* unde tamen non sequitur, etiam in nostro loco cum Pal., Rom. et Goth. II. scribendum esse *dea supereminet.* Cod. enim Med., in quo legitur DEAS ^{S}UPEREMINET receptae favet lectioni. Cf. etiam adnott. ad Geo. II, 219. et quae Kappes. I. p. 54. disserit. Henry, quamquam in 46 Codd. invenerat lectionem *deas*, tamen in *Tw. years* p. 136 sqq. et in Philol. XI. p. 515. alteram a tribus modo suorum Codd. exhibitam (Gothano illi addit August. C. et Bamberg. A. a m. sec.) ad v. 412. et 692. provocans praetulit; (nunc tamen sententiam videtur mutasse, cum in exemplo libri mihi donato omnia, quae de h. l. commentatus est, expunxerit.) Ceteri recentiores editores nobiscum consentiunt. — **502.** *Latona*, *Λητώ*, Coei Titanis et Phoebes filia (Hesiod. Theog. 404.), quae ex Iove Apollinem et Dianam in Delo monte peperit. (Hom. hymn. in Apoll. 45 sqq. Callim. hymn. in Delum, Apollod. I, 4, 1.) Animadvertas autem *tacitum* matris in liberis intuendis defixae gaudium admodum pulchre commemoratum. Thiel. inter alia comparat Ovid. Am. I, 2, 39., ubi Venus *Laeta triumphanti* (Cupidini) *de summo mater Olympo Plaudit.* — *tacitum pectus.* Burm. confert Ovid. Epist. XIII, 69. *tacito in pectore dixi* et Stat. Theb. II, 481. *tacito sub pectore.* — *pertemptant*, permeant, replent. Vid. adnott. ad Geo. III, 250. (et ad Ecl. I, 49.) — **503.** *talem se laeta ferebat.* Iterantur haec verba in Auson. cent. nupt. 44. et in Anth. Lat. I, 170, 165. Cf. supra ad v. 314. adnott. — **504.** Urbem condendam praeclare *opus regnumque futurum* appellat, quia totum regnum hac una urbe nitebatur. *Instare* cum Dativo rei conficiendae constructum legitur etiam ap. Tac. Agr. 18.; cum Accus. autem infra VIII, 433. — **505. 506.** Ordo verborum hic est: *Saepta armis subnixaque alte solio resedit foribus divae*, h. e. in parte templi propinqua

Saepta armis solioque alte subnixa resedit.
Iura dabat legesque viris, operumque laborem
Partibus aequabat iustis aut sorte trahebat:
Cum subito Aeneas concursu accedere magno

---

foribus, *media testudine templi*, i. e. simpliciter sub testudine s. sub tecto templi testudinato; nam, Praepositione *in* non addita, Romanis omnia dicuntur *media*, quae sunt post principia. Vid. adnott. ad Aen. VII, 566. (Quamquam *mediam testudinem* etiam proprie posse intelligi, infra videbimus.) Peerlkamp. tamen, hoc non concedens et *foribus divae* cum *media testudine* templi conciliari posse negans, coniicit: *foribus divae media, a testudine templi*, hac addita explicatione: „ab ea parte, ubi iacet testudo templi, e regione testudinis s. medii templi,“ quod quam otiosum sit, quisque videt. Cf. etiam, quae Siebelis p. 26. et Iahn. Annal. l. l. p. 45. contra eum disputant. Et ille quidem verba *media test. templi* a *resedit* seiungens locum paullo artificiosius sic explicat: „foribus media parte testudinis immissis sive ad mediam testudinem ducentibus;“ hic vero, quem etiam Ladew. et Conington sequuntur, *foribus divae* interpretatur: in προνάῳ [gradibus elato „*in der durch Stufen erhobenen Vorhalle des Tempels*:“ Ladew.], et *mediam testudinem* de media eius tecto intelligit, cui tamen rationi adversari videtur adiecta vox *templi*, quae de toto templo cogitari iubet. Rectius igitur Haeckermanno Expl. p. 15. (qui etiam cf. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 48.) *fores divae* non sunt portae templi in publicum ferentes, „sed adyti potius, quo continebatur *numen* illud (s. simulacrum) *divae* v. 447.“, ut igitur Dido „ante Iunonis penetralia, medio in templo testudinato resederit“ (coll. Varr. L. L. IV, 33. VI, 4. R. R. III, 5. et Lucan. II, 127.) et *diva* pro statua divae dictum sit, quemadmodum II, 168. et 227.; eamque explicationem, quam etiam Henry *Tw. years* p. 138 sqq. et Philol. XI. p. 515 sq. proponit et docte defendit, cum Wagnero nunc amplector. Ribbeck. denique dubiam recepit Cod. Pal. lectionem *media e testudine*. Schrader. aliique temere haeserunt in voc. *medius* post pauca verba repetito; diversa enim significatione usurpatur. Cf. Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 97. et quae supra ad v. 315. adnotata vides. — De *testudine*, i. e. concameratione, cf. Varr. L. L. IV, 33. p. 45. Bip., qui docet, *Cavum aedium si sub divo sit, dici impluvium, si fornice testudinato tectum, testudinem*. Vid. id. ibid. VI, 4. de R. R. III, 5. et Cic. Brut. 22, 87. Ceterum Vergilius hic Romanorum morem spectat, apud quos Senatus saepe in templa cogebatur, et ad fores templorum tribunal ponebatur. Cf. Gellius XIV, 7. — **506**. *Saepta armis*, armatis satellitibus. Sic *arma* haud raro. Cf. infra X, 150. Liv. IX, 9. XXXI, 12. etc. Etiam nos: *von Waffen umringt*. — „*solio alte subnixa resedit;* erant enim throni excelsi, ideoque pedibus subiecta scabella. (Cf. Hom. Odyss. IV, 136.)“ *Heyn*. Rectius vero Henry (*Class. Mus.* XX. et *Tw. years* I. p. 141.), cui etiam Conington adsentitur, non putat de scabello esse cogitandum, cuius commemoratio poëta non esset digna (?); sed *solio subnixa* explicat: ipsum solium premens, in solio recumbens, coll. Aen. III, 402. *subnixa Petelia muro*. Claud. Epith. Hon. et Mar. 99. *Caesariem tunc forte Venus subnixa corusco Fingebat solio*, Ciris v. 195. *subnixae nubibus altis* et ibid. 348. *cubito subnixa*. Mentel. I. et Moret. II. *alto*, ut apud Ovid. Epist. IX, 153. *Solio sedet Agrius alto*. Sed plurimorum Codd. scriptura praestat. Ceterum verba *solioque alte subnixa resedit* repetiit Auson. cent. nupt. 48. et respexit hunc locum Stat. Theb. II, 385. *Sublimem solio saeptumque horrentibus armis*. — **507**. Verba *Iura dabat legesque viris*, quae iterantur in Anth. Lat. Burm. I, 172, 8., iuris normam et reipublicae disciplinam legibus ordinandam spectant. Vide supra ad v. 293. adnott. — **508**. Opus aedificationis *partiebatur* inter cives suos vel de sententia vel sorte. — *operum laborem*. Vid. supra v. 455. — *sorte trahebat opus*, sorte ducta suum cuique laborem aedificandi assignabat, quod nemo mirabitur, cum infra II, 201. adeo *ductus Neptuno sacerdos* appareat. — **509**. *Cum subito* saepe coniunguntur. Vid. infra v. 535. II, 620. 731. III, 137. 590. XII, 249. — *concursu magno*, cum multorum Poenorum concursatione,

ergestumque videt fortemque Cloanthum
nque alios, ater quos aequore turbo
t penitusque alias avexerat oras.
simul ipse, simul percussus Achates
ıe metuque; avidi coniungere dextras
sed res animos incognita turbat.
nt et nube cava speculantur amicti,
una viris, classem quo litore linquant,

—

. 519. *clamore* ad multitudinem comitum referendus est. In tem locis Latinos simplici Ablativo conditionis uti cum Verbo rcte cohaerente, res satis nota. Vid. Brem. ad Nep. Dion. 8, 2. Cic. Cat. III, 2, 6. et Kritz. ad Sall. Cat. 49, 2. — 510. *An-*31. et *Cloanthus* v. 222. inter amissos socios commemorati; ero nunc primum fit mentio. — *avexerat.* Lachmann. ad Prop. Peerlk. et Haeckerm. Expl. p. 15. et in *Zeitschr.* etc. XIX. p. Heinsio credens, hanc esse meliorum Codd. lectionem: vid. ı. l.) *advexerat* Vergilio restituendum existimant. Sed quamvis urae etiam corruptae lectiones *adverterat, aduxerat, adduxerat* leantur, omnis tamen loci sensus vulgarem flagitat lectionem. t enim, hanc esse sententiam: Aeneas et Achates mirantur pa-laetantur, cum eos, quos tempestas ab iis seiunxerat et in alias exerat, rursus hic adesse videant. Cf. etiam, quae Iahn in L. phil. XLIII, 1. p. 46. de hoc loce disputavit. De adiecto ıus. *oras* vid. supra ad v. 2. — 513. Aeneas stupet, quod so-ı ducesque navium, quas ventus dispulerat, praeter exspectatio-alvos et congregatos reperit. *Obstipuit.* Sic Codd. Rom., et Bern. II. auctoritate nunc scripsimus cum recentissimis edi-Wagn. Orth. Verg. p. 461. et Ribbeck. Proleg. p. 451. (Haupt. scribunt *Opstipuit.*) Cf. autem loci simillimi Aen. VIII, 121. anto percussus nomine Pallas* et IX, 197. *Obstipuit magno cussus amore.* — *simul - - simul* pro *et - et* positum non s (vid. Geo. III, 201. Aen. I, 631. II, 220. V, 675. IX, 318. 58.), sed etiam pedestris orationis scriptoribus (vid. Caes. B. G. II, 65, 4. III, 50, 12. Tac. Ann. XIV, 40. etc.) satis usitatum . — *percussus.* Sic fragm. Vat., Rom. et a m. pr. Pal., ern. II.; sed Med. aliique boni Codd. *perculsus*, quod, ut minus quadrat, ita cum *laetitia* minime coniungi potest; quare ef. ad Lucr. I, 262. et Conington hanc lectionem praeferentes. m, *percelli* nisi de gravioribus rebus, quibus animi vires plane non usurpari, *percuti* vero leviorem spectare affectum, quo idem et vulneretur, neque tamen prorsus consternetur et ener-ıs. Cf. de horum verborum ubivis fere confusorum discrimine ntl. ad Hor. Epod. XI, 2. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 1, 98. idemque Opp. T. I. p. 7. Wolf. ad Tac. Ann. I, 12. Bremi ad Nep. Dion. ad Cic. pr. Deiot. 6, 17. Kritz. et Dietsch. ad Sall. Cat. 6, 2. ım *percussus* ἀπὸ κοινοῦ non minus ad Pron. *ipse*, quam ad ferendum, ut supra v. 144. *Cimothoe simul et Triton adnixus.* — *ia*, quod vident se servatos, *metu*, quod sunt in aliorum po-orum mens hostilis videtur. — *coniungere ardebant.* Cf. II, 105. IV, 281. Ovid. Met. V, 166. *ruere ardet utroque* etc. — *icognita*, i. e. conditio sua dubia et incerta, cum nesciant, ido et Carthaginienses socios suos ideoque etiam se ipsum, si conspectum, excepturi sint. Iteratur hic totus versus in Anth. I, 172, 7. — 516. „*Dissimulant* pro vulgari: continent nus prorumpant, quia rerum eventus et conditionem non sa-*Heyn.* Heyn. igitur intelligi vult ardorem prorumpendi, similiter-on animi contentionem („*their emotions*“); sed simplicius simul ntiam suam. — *nube cava.* Vid. adnott. ad II, 360. — Peerl-gis placeret, si *hic versus infra* demum post v. 519. positus 7. *linquant, quo litore classem liquerint*, ut adhuc ibi sit

Quid veniant; cunctis nam lecti navibus ibant
Orantes veniam et templum clamore petebant.

(quo litore etiamnum classem linquant: vid. supra ad v. 79.); altera enim explicatio, quam prius adieci, ut totum locum sic capiamus: speculantur, quam fortunam sibi fuisse, quo litore classem se reliquisse, qua de causa huc venisse viri narraturi sint, fortasse paullo artificiosior. — **518.** *Quid veniant,* ob quid, cur veniant, ut apud Graecos τί pro διὰ τί; vid. infra VI, 389. Plaut. Amph. I, 1, 12. Ovid. Met. XI, 622. Caes. B. G. I, 47. Liv. XXXI, 39. in.; quibus omnibus locis *veniendi* verbo interrogativum *quid* adiungitur. Cf. omnino Donat. ad Ter. Andr. I, 4, 7. et Adelph. III, 3, 50. Heins. ad Ovid. Met. V, 651. (quos Burm. laudat) Weickert. Annott. in Aen. libr. II. prior. p. 8. Zumpt. §. 358. Ramsh. §. 174. 1. not. 5. alii. — *cunctis nam* etc. Non possum adsentiri Iahnio, Wagnero aliisque, qui, vulgarem scripturam *cunctis* (navibus) deserentes, ediderunt *cuncti*, ita tamen ut Iahn. (in priore edit.), Thiel. et Süpfl. coniungerent *cuncti nam lecti navibus ibant,* Wagn. autem, bene sentiens, quantopere aures laederentur verbis *cuncti nam lecti*, maiore distinctione post *cuncti* posita, qua iniucundus sonus evitaretur, vel certe leniretur, haec cohaerere statueret: *Quid veniant cuncti,* i. e. quid veniant, et cuncti quidem in unam videlicet legationem coniuncti; cui in altera edit. etiam Iahn. adsentitur. Codd. auctoritas, quorum Gud. (a m. pr.), Pal., duo Goth., Mentel. I. (a m. pr.) et II., Moret. I. et II., fragm. Moret., Minogaur., Lips. obl., duo Bern., alii (ex Henrici Codd. omnino 17), ut etiam Servius et Donatus, *cunctis*, Med. vero, fragm. Vat. (a m. pr.) Rom., quatuor Paris., alii (inter Henrici Codd. 23) *cuncti* exhibent, nisi vulgatae scripturae magis patrocinari, certe utramque aequabiliter tueri censenda est, praesertim cum vel Particula *nam* postposita (in qua non haerendum esse, ad Ecl. IV, 61. docuimus), vel voc. *lecti* vicinitas librarios, ut *cunctis* in *cuncti* mutarent, facile movere potuerit. Quis autem non videt, si Wagneri opinio vera esset, Vergilium ita scripsisse, ut verbis *nam lecti navibus ibant* post illa *Quid veniant cuncti* contradictio, quam vocant, in adiecto inesse videatur, cum, praegressis verbis *classem quo litore linquant,* nemo haec *Quid veniant cuncti* aliter intelligere possit, quam de toto classiariorum numero? Tum neque illud, quod *lecti erant navibus* causam continet, cur *cuncti* veniant, neque hoc cognoscere cupiunt socii, quid cuncti, non singuli veniant, sed omnino c u r classe relicta huc accedant, et ita quidem, ut e x u n a q u a q u e n a v e lecti appareant viri; nam hoc tantum, quod legati a quavis nave pari haud dubie numero delecti veniunt et certo festoque ordine, bini fortasse, progrediuntur, necopinae et mirae rei speciem praebet, qua Aeneas eiusque comites insolitum quoddam et singulare exspectare iubentur. Unde non aliter, nisi hoc epitheto addito, *cunctis navibus lecti*, haec iustam priorum continere causam, facile perspicitur. Si autem Iahn. censet, tum potius *omnibus navibus* scribendum fuisse, veramque interpretationem hanc esse: „quid omnes simul (coniuncti) veniant, id quod vix exspectandum fuit, cum ad diversas naves pertinerent eaeque naves antea dispersae essent;“ equidem contendo, ea ipsa de causa, quod antea dispersae fuerant naves, hic *cunctis* non inepte scribi potuisse pro *omnibus.* Ceterum post me etiam Peerlkampio, Gossravio, Bryceo, Henrico (in *Tw. years* I. p. 142. et Philol. XI. p. 518.), Siebelisio p. 26., Ribbeckio et Coningtoni lectionem *cunctis* probatam video, quorum alter hoc novum argumentum adiungit: „Custodes, qui a litore arcebant, permiserunt, ut Troiani legatis missis a regina peterent veniam. Neque enim omnes Troiani ultro naves inanes reliquissent, neque tanta erat custodum multitudo, ut eos invitos abstrahere potuissent, neque capere eos, qui appulerant, sed depellere debebant custodes,“ Henr. autem conferri iubet Aen. XI, 60. et VII, 152. Nihilominus etiam Haeckerm. Expl. p. 15 sq. (et in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 48.), Kappes I. p. 54 sqq., Schrader in Muetzellii *Zeitschr.* VII. (1853.) p. 726. et Ladew. cum Wagnero praeferunt alteram lectionem. — **519.** „*Orantes veniam* simpl. propitiam et benevolam voluntatem, ut ne escendere ac litus tenere prohiberentur. Scilicet, ut sequens oratio v. 425 sqq. ad intelligendum expedita sit, cogitandum,

Postquam introgressi et coram data copia fandi,
Maximus Ilioneus placido sic pectore coepit:
„O regina, novam cui condere Iuppiter urbem
Iustitiaque dedit gentis frenare superbas,
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos a navibus ignis,
Parce pio generi et propius res aspice nostras.

---

aves illas ad litus, quod raro adiri solebat, appulsas pro praedatoriis, ληστρικαῖς, fuisse habitas. Accurrerant Poeni, prohibentes Troianos scendere, si fecissent, igni naves comburere minati erant." *Heyn.* Eadem ignif. *venia* sane etiam IV, 432. et XI, 101. legitur, quem locum comparans onington Heynio adsentitur. Nihilominus rectius cum Ladew. explicueris: eniam, quod peregrini huc venerint, coll. Aen. III, 144., ubi vid. adnott. Vagn. tamen potius cogitat de venia reginae conveniendae, cum adiiciatur: *t templum* (quo Dido se contulerat) *clamore petebant,* quam explicationem ire reiicit Conington. De Participio Praes. *orantes* vid. adnott. ad Aen. I, 114. Verba *Orantes veniam* repetuntur in Anth. Lat. Burm. I, 170, 15. — **519**. *clamore,* non suo, sed multitudinis eos stipantis et ad emplum comitantis. Conington tamen illam praefert rationem, ut ipsorum *lamor* opponatur placidae orationi Ilionei v. 521. — V. **520**. iteratur XI, 48. atque etiam in Anth. Lat. I, 168, 17. legimus *postquam data copia andi.* Quod autem Poeni Troianorum sermonem intelligunt sine interrete, cuius commemoratio a poëta epico aliena esset, in carmine neminem ffendet; quamquam hoc per se magis mirandum, quam quod apud Homeum Graeci et Troiani sine ulla difficultate inter se colloquuntur. — **521**. *Maximus,* sc. natu (ut v. 654.) et propterea etiam auctoritate (ut etiam en. III, 107.); utrumque enim arcte cohaeret. Cf. Cic. Verr. IV, 62, 138. *ncipit is loqui, qui et auctoritate et aetate et, ut mihi visum est, rerum su antecedebat.* Conington conferri iubet Liv. XX, 17. *senatu dato naximus natu ex iis* (legatis Locrensium) etc. Idem Ilioneus etiam VII, 712. eterorum nomine loquitur. Commemoratur praeterea infra v. 559. 611. II, 212. 249. IX, 501. 569. Vid. supra ad v. 120. — *placido pectore,* i. e. placido animo, qui se prodit placida et leni oratione. Sic *Placido re* legatos alloquitur Latinus VII, 194. Infra autem II, 107. Sinon *icto pectore fatur,* i. e. ad fraudem composito animo. — **522** sqq. „Oratio gregie ad consilium et ad affectum dicentis audientisque comparata, cum ua non sine fructu compares alteram ad Latinum R. habitam Aen. VII, 13 sqq." *Heyn.* Gossr. apte haec adnotat: „Inest captatio benevolentiae, uae dicitur. Tu, cui maxime benignum se praestitit Iupiter, non deeris niseris; quae iustitia regis subiectos, non eris iniusta in peregrinos; quae rbe condita hoc loco humanitatis semina iecisti, non ostendes te inhuanam." — *novam urbem.* Vide supra v. 298. — *dedit condere.* Vid. supra ad v. 66. et 319. — **523**. „*gentes frenare superbas,* eroces, int. Afros, non Poenos. [Cf. etiam Kappes I. p. 56. et Conington, ui confert *Numidas infrenos* IV, 41. et ibid. v. 320. Ladew. tamen sine usta causa censet, vocem *iustitia* iubere haec de Poenis intelligi.] — *ustitiam* ad totum mitiorem vitae cultum *legesque ac iura data* (v. 07.) refer, quibus feritatem eorum mitigavit Dido." *Heyn.* — *vecti aria,* per maria, ut *navigare aequor* v. 67., ubi vid. adnott. Plane adem ratione Val. Fl. V, 670. *Ibimus indecores frustraque tot aequora ecti.* — **525—526**. *Infandos ignes* Heyn. explicat „qui adversus fas usque gentium inferuntur" (quod essent *nefandi* ignes); rectius Gossr.: quos commemorare non licet sine horrore." Vid. infra ad II, 2. — *pium genus,* Troiani h. l., qui nullam iniuriam, nullum nefas commierant praedas agendo. Nam *pietas* interdum pro iustitia memoratur, uatenus haec metu deorum et religione sancitur." *Heyn.* Accedit, quod eneas ipse proprio quasi epitheto *pius* vocatur, unde facile in omnem ius gentem potest illud transferri. Cf. v. 378. cum III, 266. et VII, 21., bi Troes rursus *pii vocantur.* — „*propius aspice res nostras,* condiionem et locum, quo sumus, accuratius inspice; sc. deprecatur iudicium

Non nos aut ferro Libycos populare Penatis
Venimus aut raptas ad litora vertere praedas;
Non ea vis animo nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae;
Oenotri coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

---

de se ex primo rerum adspectu fortunaeque specie, postulatque a regina, ut accuratius sibi, qui sint, exponi patiatur. Non se ad populandas incolarum terras ac sedes venisse ait.“ *Heyn.* Ceterum cf. Aen. II, 690. — 527. *ferro populare Penates*, qui, haud raro cum Laribus confusi, pro aedificiis et habitationibus ponuntur. Cf. Ovid. Met. XII, 551. *inque meos ferrum flammasque Penates Impulit* et Cic. pr. Rosc. Am. 8. *nudum eiicit domo atque focis patriis diisque Penatibus praecipitem exturbat.* Quid quod Ovid. Met. I, 174. canere ausus est: *coelicolae - - suos posuere penates?* — *populare* quod hic, ut supra v. 471. *vastare*, ad caedem hominum spectat, qui domus (Penates) incolunt, cum *populari* dicatur locus, qui incolis privatur, active usurpatum legitur etiam Geo. I, 185. Aen. IV, 403. XII, 263. Liv. III, 6. *urbs Romana morbo populatur.* Prop. IV, 17,(III, 18), 29. *luctus populavit Achivos.* Plaut. ap. Diomed. I. p. 395. *Quae ego populabo probe.* Pacuv. ap. Non. I. 185. *Patriam populavit meam.* Ovid. Met. I, 249. Eutrop. IX, 8. cett. De constructione *venimus populare*, quae Graecorum usum imitatur, ex quo verbis consilium significantibus simplicissima ratione Infinitivus adiungitur, vid. adnott. ad Ecl. IV. 54. et Geo. I, 280. Imprimis verba eundi, veniendi et mittendi ita construi solent; velut Plaut. Bacch. IV, 3, 18. *Parasitus modo venerat aurum petere.* Ter. Phorm. I, 2, 52. *vultisne eamus visere?* Liv. XLII, 25, 8. *Legati veniunt speculari dicta factaque.* Ter. Eun. III, 3, 22. *misit orare, ut venirem* cett. — 528. *vertere praedas*, pro avertere, abigere. Vid. supra ad v. 472. et cf. infra VIII, 208. et Ovid. Met. II, 842. *Argentum - - ad litora verte.* — *ad litora*, ut inde abducantur navibus. Vid. v. 472. — 529. „*Ea vis*, audacia, ut alibi, cf. XII, 799.; *superbia*, insolentia. Verba *nec tanta superbia victis* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 56. — „V. 530. ex Enniano [Ann. I, 21. p. 12. Hess. s. p. 7. Vahl.] *Est locus, Hesperiam quam mortales perhibebant* expressum esse, iam Servio notatum et Macrobio VI, 1., elegantiore utique oratione. Porro v. 530—533. repetuntur III, 163 sqq.“ *Heyn.* — *locus* h. l. pro regione. *Hesperia* veteribus aut Italia est (ut etiam infra v. 569. VII, 601. VIII, 148. Ovid. Met. II, 458. Lucan. I, 224. etc.), aut Hispania (Hor. Od. I, 36, 4. Lucan. IV, 14. cett.). De Italia tamen saepius usurpatur. Ceterum cf. locus similiter conformatus supra v. 12. — 531. „*Terra antiqua*, a prima inde hominum memoria habitata, non ignobilis et obscura, cf. not. ad v. 12.; *potens armis atque ubere glebae*, incolarum fortitudine et soli ubertate excellens, *οὖθαρ ἀρούρης*. [Hom. Il. IX, 141.: adde *γουνὸς ἀλωῆς* Od. I, 193.] Nobilissimus inter veteres versus.“ *Heyn.* — *uber glebae*, pingue et fertile solum, fertilitas. Cf. Geo. II, 185. 234. 275. Aen. III, 95. VII, 262. Colum. X, 90. *ubera campi.* Tac. Hist. III, 34. *ubere agri floruit* Cremona cett. — 532. *Oenotri* (ut recte Rom., dum Med. male *Oenotrii* exhibet: cf. Wagn. in Var. lect.) *Οἰνωτροι* s. *Οἰνῶτροι*, ex vulgari opinione ab Oenotro, Arcadiae rege, dicti, qui coloniam in Italiam inferiorem (in Bruttium) deduxit (cf. Strab. V. p. 209. et VI. p. 254 sqq. Paus. VIII, 3. Dionys. Hal. A. R. I, 11. II, 1. Heynius ad Apollod. p. 264. et in Excurs. XXI. ad h. l.); unde poëtis tota Italia vocatur *Oenotria* (Val. Fl. I, 589.), *Oenotrius* autem pro Italo usurpatur. Cf. Aen. VII, 85. Sil. I, 2. XII, 650. VIII, 221. IX, 474. Claud. Stilich. II, 262. et Heins. ad Sil. IX, 473. et XIII, 51. Rectius autem nomen a Graeco *οἶνος* deduci videtur, ut sit terra vini ferax. Cf. liber meus geogr. III. p. 489. — *minores*, proprie natu, Vergilius ad posteros transferre solet. Vid. ad Aen. VIII, 268. — 533. *ducis de nomine*, ex vulgari opinione, quae Italiae nomen ab Italo quodam deduxit (cf. Arist.

Hic cursus fuit:
Cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion

---

de Rep. VII, 10. Thuc. VI, 2. Dion. Hal. I, 35. 72. Hygin. f. 127. Plut. Rom. 2.), quod rectius ab Oscorum vocabulo *vitlu*, *vitelu*, (i. e. bos) derivatur, et terram bubus abundantem significat. Vid. liber meus geogr. III. p. 488. Ceterum cf. Aen. VII, 671. et Avien. descr. 955. *plebemque suo de nomine dixit.* — *gentem* posuit pro *terra*. Sic iam Hom. Od. XVII, 526. Θεσπρωτῶν ἐν πίονι δήμῳ. Cf. idem Il. II, 547. Od. VI, 3. etc. Nep. Dat. 4. *qui Cappadociam tenebat, quae gens iacet supra Ciliciam.* Flor. II, 7, 1. *secutae statim Africam gentes Macedonia, Graecia, Syria.* Liv. V, 34. *Celtarum, quae pars Galliae tertia est.* Similiter Caes. B. Civ. I, 18. *Sulmonenses, quod oppidum* etc. Contrarium supra vidimus v. 339. — *Hic cursus fuit.* Hanc lectionem ex omnibus fere Codd. pro vulgari *Huc cursus fuit* Wagn. restituit, verba sic explicans: „hanc terram navium cursu petebamus," Heyniumque laudans, quod IV, 46. praestantissimorum Codd. auctoritatem secutus ediderit *Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.* Alteram vero scripturam in Qu. Virg. XVI, 1. ex Servii adnot. „vel *iste* cursus, vel pro *illuc*" ortam suspicatur. Pronomen autem demonstrativum interdum fungitur vice Adverbiorum loci. Cf. infra IV, 46. V, 798. et VI, 18. Iahn., qui in priore edit. hunc Pronominis usum non agnoscens, cum „cursus nondum descriptus sit," receptam lectionem reiecerat, in altera et ipse tacite eam restituit, quam etiam ceteri recentiores editores praeter Peerlk. et Bryceum omnes receperunt. Ceterum cum hic primus nobis offeratur versus mancus et imperfectus, pauca hac de re disputanda videntur. Habemus autem ex optimorum Codd. consensu in Aeneide hos LV versus imperfectos: *a*) unius vocabuli: I, 560. II, 346. 720. III, 640. *b*) duorum verborum: II, 66. 233. 767. III, 218. 661. IV, 44. V, 322. 574. 653. VII, 702. VIII, 41. 536. IX, 167. 520. X, 17. 580. 728. XI, 375. 391. *c*) trium vv.: I, 534. 636. II, 614. 623. 640. IV, 400. 503. VI, 94. VII, 129. 248. 439. VIII, 469. IX, 295. 467. 761. X, 284. 876. XII, 631. *d*) quatuor vv.: II, 468. III, 470. 527. IV, 361. 516. V, 294. VII, 455. VIII, 760. IX, 721. X, 490. *e*) quinque vv.: II, 787. III, 316. V, 792. 815.; ex quo indice patet, libris V., IX. et X., cum reliquis comparatis, plurimos, VI., XI. et XII. vero paucissimos eiusmodi versus contineri. Quos si Servius ad Aen. IV, 361. aliique (ut nuper etiam Zille in Progr. Gymn. sui, Lips. 1865.) censent a Vergilio consulto et certo quodam consilio relictos esse, scilicet ut animo lectoris argumenti gravitate commoto ad meditandum mora daretur; huic opinioni ut paucos quosdam locos, velut infra v. 560. II, 233. 346. 720. III, 218. 640. XI, 375. alios opitulari putes, adversantur tamen imprimis illi loci, in quibus ipsa sententia et connexus non est absolutus, ut poëtam aliquid additurum fuisse, quisque facile perspiciat; praesertim cum ipsi illi loci haud raro tam plani sint et simplices, in quibus mens neutiquam commorari et defigi possit. (Cf. Aen. I, 636. 560. II, 66. 767. III, 316. 470. IV, 44. 516. V, 294. VI, 94. VII, 439. 702. VIII, 41. 536. IV, 467. 520. 721. X, 728. 876. XI, 391.) Quid? quod nonnulla hemistichia inveniuntur, quae salvo sensu salvoque connexu prorsus abesse possint, velut IV, 503. V, 653. X, 284. alia? Quare Heynius ad Donat. vit. Virg. §. 59. et in Disquis. I. de carm. epico extr. (T. II. p. 35 sq. ed. Wagn.), huius rei causam ex properantia quadam et festinatione poëtae repetendam esse, verissime contendit; cui sententiae accedit celeberr. Weichert. l. l. p. 73., doctissime, ut solet, hac de re disserens; qui, ad Donati (vit. Virg. XII, §. 46—49.) et Servii (ad Aen. VI, 164. 862. IV, 324.) auctoritatem provocans, hanc festinationem ortam esse docet, „partim ex vehementiore enthei pectoris motu, quo percitus poëta animum, obiecta sublimium phantasmatum specie inflammatum, ingrata absolvendi loci alicuius explendique versus mora inhiberi nollet; partim ex laudabili studio totum opus celeri calamo consignandi, antequam singulas partes melius concinnaret, carminis descriptioni animo conceptae adaptaret, lacunas expleret et aspera laevigaret." Sic igitur Vergilius eiusmodi versus explendos alteri totius carminis recensioni *reliquit, quam quominus perficeret,* praematura impeditus est

In vada caeca tulit penitusque procacibus Austris
Perque undas superante salo perque invia saxa
Dispulit; huc pauci vestris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum? quaeve hunc tam barbara morem

---

morte. Quod autem ipsi poëtae per fatum non licuerat, id sibi licere existimarunt Grammatici et librarii; quo factum est, ut plurimi illi versus imperfecti ab istis hominibus suo Marte explerentur; quod, ut ei ipsi loco accidit, qui nobis haec disserendi occasionem praebuit, cum in Codd. Dorvill. sic expletus legatur: *huc cunctis ire voluntas*, ita etiam de II, 614. 640. 767. 787. III, 661. X, 284. 490. 876. XI, 375. 391. aliis valet; idemque Weichertus statuendum esse suspicatur de V, 595. III, 110. et 484., qui pleni apparent in nostris editionibus. De aliorum vero integritate versuum, qui et ipsi quibusdam Viris doctis suspecti sunt, velut III, 340. 380. 661. 691. IV, 237. 244. VI, 824. VII, 444. VIII, 676. IX, 24. 667. X, 460. XI, 171. 309., eidem Viro eruditiss. minime dubitandum videtur; quod adnott. ad hos locos vel probabitur, vel repudiabitur. — **535.** *Subito fluctu adsurgens Orion.* Quod proprie de mari dicitur (*fluctu adsurgere*: cf. etiam Geo. II, 160. *fluctibus adsurgens Benacus*), hic poëtice tribuitur Orioni, quo media aestate (Plin. XVIII, 28, 68.) oriente atque ineunte hieme (vid. ad Aen. VII, 719.) occidente procellae mare turbare solent; quare ab eodem (qui propterea Aen. IV, 52. et Prop. III, 8, (II, 16), 51. *aquosus* vocatur) tempestates excitari dicuntur Hom. Il. XVIII, 486. XXII, 29. Hor. Od. I, 28, 21. III, 27, 17. Epod. X, 10. XV, 7. Virg. Aen. IV, 52. VII, 719. alibi; qua de re Wund. conferri iubet Idelerum in: *Monatl. Corresp. von Zach. Dec.* 1813. p. 547. Erat autem Orion ex veterum mythis sive Hyriei, venatoris celeberrimi, sive ipsius Neptuni filius venatorque strenuus et Dianae minister, ingenti corpore praeditus, qui vel a scorpione, vel a Diana ipsa occisus inter stellas relatus est. Vid. Hom. Od. V, 120. 272. XI, 570. Ovid. Fast. V, 499 sqq. Apollod. I, 4, 3. ibique Heyn. p. 21 sqq. alios. Ceterum cf. adnott. ad Aen. III, 517., ubi etiam de duplici mensura Casuum obliquorum huius nominis agitur. — *fuit -- cum tulit.* Eadem consecutio temporum exstat apud Tac. Hist. I, 11. extr., quem Wund. confert. De usu Particulae *cum* in adiungendis rebus necopinatis cum singulari quadam vi usurpatae cf. adnott. ad III, 301. — **536.** *vada caeca,* latentia. Vid. supra ad v. 356. De ipsa re vid. supra v. 110 sqq. — „*procacibus Austris,* ventorum procellosorum vi ac tempestate victos, partim per altum partim inter scopulos penitus nos disiecit.“ *Heyn.* — *Procaces austri,* venti vehementes; Horatio Od. I, 26, 2. Epod. XVI, 22. Ovid. Her. XI, 14. aliis *protervi*, Lucretio VI, 110. *petulantes*, Gr. ἀσελγεῖς. Vid. Cerda ad h. l. et Wakef. ad Lucr. l. l. — **537.** „*superante salo,* fluctibus, victa a maris ac procellarum vi navigantium arte et labore. Ita sup. v. 122. *vicit hiems*, et inf. II, 311. *Volcano superante.*“ *Heyn.* Non erat, cur Conington dubitaret, utrum *superans* hic sit vincens („*overpowering*“), an tantum tumescens et alte adsurgens („*rising high*“). De *salo* pro mari posito cf. Aen. II, 209. Ovid. Am. II, 11, 24. Prop. I, 6, 2. I, 15, 12. Catull. LXII, 16. Sen. Herc. Oet. 731. Hippol. 332. multique alii non solum poetarum loci et Bremi ad Nep. Them. 8, 7. — **538.** *adnavimus,* appulimus. Cf. infra IV, 613. VI, 358. Ita etiam solutae orationis scriptores dixisse patet ex Cic. Rep. II, 4, 9. *Illa magna commoditas; et, quod ubique gentium est, ut ad eam urbem possit adnare.* Plenius, *navibus adnare* scripsit e. g. Liv. XXVIII, 36, 12. — *pauci;* quia Ilioneus de Aeneae ceterorumque, qui cum eo servati erant, navibus nihildum comperit. — **539.** Heyn. sic distinxit: *Quod g. h. hominum, quaeve* etc., haec addens: „Potest interpungi: *Quod g. h. hominum?* sc. est. Sed hoc non quaeri poterat: verum: qui homines, *quae patria*, quae tam barbara, est *haec terra vestra*, ut permittat hunc morem?“ Sed recte Wagn. ab illa interpunctione, quam omnes recentiores editores cum eo secuti sunt, fortiorem exire orationem censet, cum hic omnis vis posita *sit in Pronomine Quod,* i. e. quam ferum et inhumanum. Ceterum Macrobio *teste Sat. VI, 1,* 32. haec verba sumpta sunt ex Furii l. VI., ubi legantur

Permittit patria? hospitio prohibemur harenae;
Bella cient primaque vetant consistere terra.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter,
Nec pietate fuit nec bello maior et armis.

Quod genus hoc hominum, Saturno sancte create; quo magis etiam comprobatur nostra huius loci distinctio. — *quae hunc tam barbara m. P. patria?* quae terra tam barbara est, ut hunc morem permittat? Gossr. *patriam* positum censet pro terra, quae patria esset moris, hoc sensu: *Wo ist diese Sitte zu Hause?* — **540.** *Hospitio harenae,* ornate pro: ab escensu in litus, quod statim post *primam terram* dixit. Litus autem (Servio iam memorante) iure gentium commune omnibus fuit. Cf. Cic. pr. Rosc. Am. 26, 72. *Nam quid est tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis?* (Cf. etiam Aen. VII, 229.) De *harena* (vid. ad Ecl. VI, 8.) pro litore posita vid. supr. ad v. 107. Verba *hospitio prohibemur harenae* iterantur ab Orosio V, 2. et in Anth. Lat. I, 178, 93. — **541.** *Bella cient,* homines hic habitantes. Cf. V, 585. De *prima terra* cf. Wagn. Qu. Virg. XXVIII, 2., qui comparat II, 334. 612. V, 338. 341. IX, 696. aliosque locos, ubi *primus* pariter de loco usurpatur. Vid. etiam Geo. II, 44. *primi litoris oram,* imprimis autem cf. Val. Fl. III, 305., qui procul dubio hunc locum ante oculos habuit sic scribens: *quae (tellus) nos primis prohibebit harenis.* Rau in Sched. p. 50. versum 541. redundare et ab alia manu explicandi causa adiectum putat. — **542.** Haec sententia haud raro a veteribus scriptoribus prolata invenitur, ut a Cicerone Finn. I, 16, 51., a Livio III, 17. et alibi. Quod attinet ad Coniunct. *si* sequente adversativa Particula, *si* et *at* eadem ratione sibi respondent infra IV, 612. VI, 405. Geo. IV, 239. et in aliis locis a Gronovio ad Liv. XXIV, 37. et Beiero ad Cic. Off. I, 31, 114. p. 245. congestis, velut Ter. Eun. V, 2, 47. Liv. l. l. etc. Cf. etiam quae supra ad Prooem. Aeneidos v. 4. p. 4. disseruimus. De Partt. *si* - - *tamen* cf. Ruhnk. ad Vellei. II, 41. Cort. ad Sall. Iug. 85. et Thiel. ad h. l. — *mortalia arma* (pro: mortalium arma, ut Geo. III, 319. *cura mortalis*), quibus iniuriae vindicta a vobis exigi potest. — *temnere* pro usitatiore contemnere legitur etiam infra v. 665. VI, 620. X, 737. Lucr. III, 970. Hor. Sat. I, 1, 16. II, 2, 38. Tac. Hist. III, 47. etc. — **543.** *At sperate deos.* Cf. Hom. Od. II, 66. θεῶν δ' ὑποδείσατε μῆνιν. — *sperate,* i. e. metuite. Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 26., ubi addi possunt Doederl. Synon. III, p. 57. Huschk. ad Tibull. I, 9, 23. Stallbaum. ad Plat. Apol. c. 26. p. 76. et infra Aen. IV, 419. — *memores fandi atque nefandi.* Conington comparat Catull. XXVIII, (XXX,) 11. *Si tu oblitus es, at dii meminerunt, meminit Fides.* — *fandum atque nefandum,* i. q. fas et nefas; ut apud Catull. LXIV, 406. *Omnia fanda, nefanda malo permixta furore.* Particulam autem *atque* etiam contrariis copulandis inservire, Wagn. Qu. Virg. XXXV, 25. his locis coll. docet: Geo. I, 505. (*fas atque nefas*) IV, 475. Aen. IV, 190. VI, 127. 306. IX, 595. 755. Multa exempla ex aliis scriptoribus sumpta praebet Hand. Turs. I. p. 461 sq. — **544.** Habemus h. l. duas virtutes primarias Aeneae, pietatem erga deos (ex qua etiam prodit pietas in homines et iustitia: cf. Cic. N. D. II, 61, 153. *cognitio deorum, ex qua oritur pietas, cui coniuncta est iustitia reliquaeque virtutes* et ibid. I, 2, 4. *Et haud scio, an pietate adversus deos sublata una excellentissima virtus, iustitia, tollatur*) et virtutem bellicam, h. e. eas, quas tota antiquitas primas esse voluit viri hoc nomine vere digni, paucis verbis egregie expressas. Cf. etiam infra VI, 759. VII, 243. IX, 772. XI, 126. — *quo iustior alter* etc. Cf. infra VI, 164. Grat. Cyneg. 103. *haud illo quisquam se iustior egit* et Anth. Lat. II, 192, 2. *Vir magnus bello, nulli pietate secundus.* Ceterum haec verba cum toto v. 545. iterantur in Auson. cent. nupt. 5 sq. — „*Iustior pietate,* ut vulgo iungi video (etiam a Thielio, *Haeckerm. Expl. p. 16.,* Wagnero in min. edit. et Ladew., qui

Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Aetheria neque adhuc crudelibus occubat umbris,

---

memorat, veteres pietatem in parte iustitiae posuisse et conferri iubet Cic. Nat. deor. I, 41, 116. *Est enim pietas iustitia adversum deos.*] durissimum. Praestat interpungere: Quo *iustior alter, Nec p.*, h. e. Quo nec alter iustior, nec maior fuit pietate, bello et armis. Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής, de Agamemnone Il. III, 179." *Heyn.* Quam explicationem iure amplectitur Weickert, negationem interdum ad verba antecedentia e sequentibus et apud Graecos et apud Latinos repetendam esse docens, coll. Beckio ad Demosth. de Pace init. Abresch. Dilucid. Thuc. p. 84. Schaefer. ad Lamb. Bos. p. 777. Buttm. et Matth. ad Soph. Phil. 771. Matth. in ampl. Gr. §. 609. p. 1227. et Held. ad Caes. B. C. III, 71., quibus praeter Oudendorp. ad eund. Caes. l. adde Hand. Tursell. IV. p. 140. §. 18. Gossr. confert Caes. B. C. III, 71. *Sed in literis, quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia laureae praetulit.* Idem valet de aliis Particulis ex altero sententiae membro in priori repetendis. Cf. infra XI, 174. (*si*) VI, 692. VII, 296. et VIII, 143. (*per*), II, 654. V, 512. VI, 416. (*in*) etc. (Consentiunt mecum Gossr., Bryce et Conington.) Ceterum cf. etiam Aen. XI, 126. Ut hic *pietate maior*, sic XI, 292. *pietate prior.* — *bello* et *armis* non differre, sed eandem rem declarare, iam Heyn. adnotat; et Wagn. conferri iubet Weichert. ad Val. Fl. VIII, 470., cui adde Drak. ad Liv. III, 69, 2. Cf. infra Aen. IV, 615. VII, 235. Sen. Agam. 61. Sil. VIII, 217. (ubi vid. Interpp.) XI, 615. Liv. I, 27, 3. III, 69, 2. IV, 1, 5. 9, 11. 37, 5. IX, 10, 5. Tac. Hist. II, 74. etc. Ceterum cf. loci simillimi infra VI, 403. 769. et XI, 126. — Cum v. 546. cf. Hom. Od. XIV, 44. et XX, 207. — V. 546 sq. scribens, quibus opponuntur infra v. 555 sq., poëta ante oculos habuit Homeri: Εἴ που ἔτι ζώει, καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο. εἰ δ' ἤδη τέθνηκε, καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισιν, Od. XX, 207. XIV, 44. et al. — *vesci aura*, pro vita frui, ex Lucretio V, 383. (*quaequomque vides vesci vitalibus auris*) sumptum, redit infra III, 595. *Quid puer Ascanius? superatne et vescitur aura?* Cf. etiam Stat. Theb. I, 237. *nec iam amplius aethere nostro Vescitur.* Ceterum in hoc utroque loco Wagn. Qu. Virg. IX. p. 409. arbitratur, Singularem *aura* ob soni elegantiam esse positum, cum hic superior versus et inferior claudatur Ablativo Pluralis, *armis* - - *umbris*, illic autem antecedentis versus extremum vocabulum sit *oris.* Alibi enim, ubi de aura, qua circumfundimur, de aëre (*Atmosphäre*) sermo est, ubique Plurali utitur Vergilius. Cf. praeter Geo. IV, 499. Aen. VII, 287. X. 898. XII, 267. cett. imprimis supra v. 387., ubi *auras vitales carpere* legimus. Vid. tamen adnott. ad VI, 204. 747. VII, 230. 646. Henry (in *Tw. years* I. p. 144. et Philol. XI. p. 517.) premens hunc Singularem et versum ex Hom. *Εἴ που ἔτι ζώει καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο* translatum censens, coll. Statii loco, quem modo laudavimus, (ubi sane de caeli adspectu sermo est), Aen. VI, 829. (*lumina vitae*) et Silio XIII, 497. (*frui luce*) explicat potius: si caeli lumen (*auram luminis* ap. Lactant. de Phoen. 45.) conspicit. Vide tamen, quae Kappes. I. p. 56 sq. contra eum disputat, utramque explicationem recte, puto, coniungens et *aura aetheria vesci* per *Licht u. Luft schöpfen* explicans. Lachmann. tamen ad Lucr. III, 405. p. 167., ubi pariter *aetherias auras* removendas putat, potius et hic *aura Aëria* et VI, 761. *auras Aërias* scribi vult, ut V, 520., cum *aether* non nisi de superioribus purisque aëris regionibus dicatur, neque quod Statio licuerit, etiam Lucretio et Vergilio sit condonandum. Sed nonne etiam VI, 436. et XI, 104. Vergilius loquitur de vita hominum in *aethere* degenda? Cf. etiam quae Conington contra Lachm. disputat. — 547. *neque adhuc*, i. e. nondum. Vid. Ecl. IX, 35. Aen. X, 855. XI, 70. — *umbris* Heyn., Wagn. et Haeckerm. Expl. p. 17. male pro tertio Casu habent, ut *occubare umbris* sit i. q. *occumbere morti* II, 62. Immo *occubare umbris* i. q. in umbris, inter umbras cubare, iacere. Cf. Aen. V, 371. et X, 706. *Umbrae* autem pro Orco positae, ut Aen. VI, 734. et ap. Silium *I, 439. XI, 142.* XV, 167.; quare etiam epitheton Orci (*crudelis*, ut apud *Hor. Od. II, 3, 24. nil miserans*, Epist. II, 2, 179. *non exorabilis auro*

tus; officio nec te certasse priorem
t. Sunt et Siculis regionibus urbes
: Troianoque a sanguine clarus Acestes.
ım ventis liceat subducere classem
aptare trabes et stringere remos,

—

as transfertur, de cuius causa cf. adnott. ad Geo. II, 492. Noli erere in hac tautologia, quae videtur. Wund. conferri iubet ententiae artificiosam iterationem apud Iuven. VII, 53 sqq. aud rara est apud poëtas Graecos et Romanos haec ratio senirmative expositae addendi eandem sententiam negative expres-48. Prius cum Heinsio (quem Heyn., Wagn., Süpfl., Gossr., Haupt. sequuntur) ex uno Cod. Hamb. (quocum conspirat unus ırici) recepimus *ne*, Commate post *metus* distinguentes; nunc ea, quae Henry in *Tw. years* I. p. 145. et Philol. XI. p. 518. I. p. 59 sqq. exposuerunt, cum Iahnio, Thielio, Ladew., Ribb. et restituimus omnium ceterorum Codd. (quorum Henry 40 enutionem *nec*, quam etiam Nonius p. 254, 28. Charis. p. 240. et Donat. ²horm. prol. 21. tuentur atque etiam Schirach. p. 356. Voss. in ucenac. p. 202. et Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 40. com-ìensus est: Si Aeneas adhuc vivit, nihil timemus (immo certissime ossumus, Italiam nos assecuturos esse); nec te tunc poeniteat, obis officium praestitisse, certissime enim remunerationem exotes. — 549. *Poeniteat.* Rectius fortasse *Paeniteat*, ut recen-.tores scribunt. Vid. adnott. ad Ecl. II, 34. et X, 16. — „*urbes*, puta Troianis et amicas, id quod proximo versu indicatur; et Egestam ab Acesta conditam.“ *Wagn.* — 550. *Armaque.* ınc cum Ribbeckio, Ladew. et Coningtone hanc omnium fere ionem, etiam a Vossio, Progr. laud. p. 5., Haeckerm. Expl. Verg. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 49. et Henrico in *Tw. years* I. p. *arma* in omnibus 49 Codd. a se collatis invenit, sed nihilominus Philol. XI. p. 518. sententiam suam mutavit) defensam, cui ıem Wagn., Bryce, Haupt. et nunc etiam Henry sequuntur) Cod. Med. lectionem *Arvaque.* Quamquam enim verissimum est, n. contendit, arma ad timorem Poenis incutiendum commemorata d animos exasperandos idonea ab hoc loco prorsus esse aliena, itatio prius fraudi mihi fuit), nunc tamen intellexi, iam verba *o nec te certasse priorem Poeniteat* praecavere, ne Ilionei verba ; haberi possint, immo significare, *arma* ad gratiam Didoni n adhibenda commemorari; et bene Haeckerm. I. l., quae hic tacite indicet, ea infra IV, 48. Annam aperte eloqui memorat. em iuxta *urbes* multo facilius ex v. 569. huc poterant transferri, cum etiam ibi Acestes commemoretur, quam in omnibus fere *arma* mutari, quae etiam supra v. 247 sq. cum *urbe* condita ıtur. Cf. etiam XII, 192 sqq. Sententia igitur haec est: (Adeoque n Italia considere non contigerit), possumus certe in Sicilia sedes bi Acestes, popularis noster, benigne nos excipiet, ut tibi, a qua ıd petimus, nisi ut classem ventis quassatam hic secure reficere eat, armis auxiliaribus, si quando opus sit, gratiam referre pos-· De *Aceste* vid. supra ad v. 195. — Post hunc versum poëtam ı per Acesten referenda plura additurum et iis, quae Ilioneus v. ;t, paullo accuratius praefaturum fuisse, Ribbeck. haud temere r, in cuius editione propterea v. 551 tribus asteriscis a v. 550. r. — 551. *subducere,* in litus et trabibus fulcire. Cf. Hom. 75 sq. Hor. Od. I, 4, 2. etc. Sic *subducere puppes, naves, classem* en. III, 135. Caes. B. Civ. III, 23. Liv. XXIII, 28. XXIX, 1. 2. al.; contrarium est *deducere* Aen. III, 71. IV, 398. et alibi. *ceat subducere classem* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 79. — silvis liceat trabes *aptare* navibus, ad usum navium accommodare, V, 753. *et Geo. I, 172.): (nam* male Heins. e Cod. Montalb. : *e. eligere, praetulit,* notatus propterea a Schirach. p. 601.) et

Si datur Italiam sociis et rege recepto
Tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus;
Sin absumpta salus et te, pater optume Teucrum,
Pontus habet Libyae nec spes iam restat Iuli,
At freta Sicaniae saltem sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten."
Talibus Ilioneus; cuncti simul ore fremebant

---

stringere ferro (cf. Geo. II, 368.) *remos*, sive arbores, quibus pro remis utamur (cf. Aen. IV, 399.), h. e. naves reficere, reparare. Vid. adnott. ad Geo. I, 317.); de omissa autem Praepos. *in* vid. ad Geo. III, 237. Aen. III, 220. al. — **553**. *Italiam tendere*, rursus omissa Praepos. *in*. Vid. supra ad v. 2. adnott. — *rege*, duce. Vid. supra v. 514. — **554**. *ut Italiam Latiumque petamus*. Vid. ad Aen. I, 177. 325. Voc. *Italiam* (sicut III, 254.) repetiit, ut Pron. *eam* evitaret. Vid. Ecl. II, 33. 56. 57. 63. III, 101. V, 42. X, 69. Aen. I, 325. III, 524. 607. IV, 312, 13. VI, 360. X, 149. 202. XI, 140. Ovid. Tr. II, 401. Met. V, 157. Hor. Od. II, 18, 37. cett. et cf. Iahn. ad h. l. id. ad Ovid. Trist. III, 5, 11. Wagner. ad Eleg. ad Messal. p. 13. Bach. ad Ovid. Met. I, 141. Schneider in Iahn. Annal. LXI. p. 256. alii. Praeterea hic Italiae nomini iterato ex opposito Siciliae nomine singularem vim accedere, bene docet Wagn.; quare etiam in utroque versu eandem sedem tenet; unde patet, Weichertum de verss. iniur. suspp. p. 97. temere haerere in hac voce repetita. Bene autem iuxta se ponuntur *tendere Italiam*, i. e. cogitare de itinere in Italiam faciendo, parare profectionem in Italiam, et *petere Italiam*, re vera eo iam proficisci. Ceterum Heyn. male censet, verba *Italiam petamus* pendere ab omissa notione *rogamus, liceat nobis per te*, ut etc. Immo rectissime *Wund.* (cui etiam Wagn., Iahn. et Coningt. adsentiuntur): „Iunge: *apt. tr.* et *str., r., ut petamus Italiam, si datur - - aut Siciliam, si salus absumpta.* Vide hanc membrorum posituram apud Cic. Catil. I, 7, 18. *Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe, si est verus, ne opprimar, sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.*" Rau in Sched. p. 51. totum versum 554. delendum et *Italiam* cum locutione *et stringere remos*, ut cum verbo motum significante, iungendum censet; quae mira esset dicendi ratio. — **555**. **556**. Amisso Aenea nulla iam salus speranda Troianis. Conversionem orationis in Vocativum animi vehementer agitati signum esse, vere observat Gossrau, coll. loco Aen. II, 56. — „*Sin absumpta salus*, si nulla salus, nulla salutis spes est, sin periimus, siquidem is periit, in quo res nostrae positae sunt, una cum Iulo." *Heyn.* Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 178, 239. Cf. etiam Epit. Iliad. 934. *exhausta paene salute.* — *pater optume Teucrûm*. Cf. Aen. V, 358. — **556**. *habet*, mortuum retinet, ita ut te nunquam remittat. Cf. VI, 362. Ovid. Met. I, 361. *si te modo pontus haberet.* ibid. XI, 701. *Et sine me me pontus habet.* Hor. Od. I, 28, 9. *habent Tartara Panthoiden* (ubi vid. Mitscherl.) et Claud. VIII, 93. *Hunc Alpes, hunc pontus habet* etc. — *nec spes iam restat Iuli*, si spes, quae antea fuit, abiicienda est. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXIV, 2. et adnott. ad Geo. III, 252. *Spes Iuli* autem non tantum „ornate pro Iulo" positum, quod Heyn. censet; sed sic accipiendum: Iulus, in quo spem nostram ponimus. Si, patre amisso, ne filius quidem superstes est, cui confidere possimus. Cf. *spes surgentis Iuli* Aen. IV, 274. VI, 364. et X, 524. (Henry in *Tw. years* I. p. 148. et Philol. XI. p. 519. paullo subtilius explicat: „*at his present age nobody, and only the promise of a man, er wird nicht als eine Person, sondern nur als eine Hoffnung erwähnt,*" et in schedis mecum communicatis comparat Serv. ad Aen. VI, 877. „Est autem Ciceronis in dialogo: *Fanni, causa difficilis laudare puerum; non enim res laudanda, sed spes est*" et Aristot. Eth. Nicom. c. 9. *Οὐδὲ παῖς εὐδαίμων ἐστίν. οὔπω γὰρ πρακτικὸς τῶν τοιούτων διὰ ἡλικίαν. οἱ δὲ λεγόμενοι διὰ τὴν ἐλπίδα μακαρίζονται.*) — **557**. Tum Siciliam liceat repetere. — *Sicania*, Sicilia. Vid. adnott. ad Ecl. X, 4. ubi etiam de duplici mensura vocis egimus. — *sedes paratas* ab Aceste, *qui laetus nos recipiet*. Sic infra IV, 75. *urbs parata*. — *regemque petamus Acesten*, ut nobis rex sit Aeneae loco. — **559**. *Talibus*

lanidae.
Tum breviter Dido voltum demissa profatur:
vite corde metum, Teucri, secludite curas.
dura et regni novitas me talia cogunt
ri et late finis custode tueri.
genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem
ıtesque virosque aut tanti incendia belli?
obtunsa adeo gestamus pectora Poeni,
tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.

ıeus, scil. reginam adloquitur. Cf. supra ad v. 335. adnotata. *Tali-* ıro *his*, ut supra v. 208., ubi vid. adnott. — „*Fremitus* h. l. ac ıur adsensum commotis hominum animis indicat. Simplicius Homeri- [Il. I, 22. et al.]: "Ἔνϑ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν Ἀχαιοί." . Cf. infra VIII, 717. X, 96. V, 555. Ovid. Met. I, 199. *Confremuere* ı (dii) cett. — **561**. *voltum demissa.* Cf. Stat. Silv. I, 2, 11. *Ipsa nuptam genetrix Aeneïa duxit, Lumina demissam et dulci probitate tem.* Thiel. de hac veterum mulierum coram viris verecundia conferri Musgrav. ad Soph. Oed. Col. 243. Concedo quidem Henrico (in Philol. 519.), hic non cogitari posse de pudore et timiditate quadam Didonis, amen cum eo cogitaverim de misericordiae significatione, quae non demissis oculis prodi, sed potius de gravi et tranquillo, qui decet rem et reginam, habitu. Cf. etiam Kappes l. l. p. 61. et Haeckerm. Expl. sq., qui, clementiam et benignitatem significari ratus, coll. Val. Fl. 40. *demissaque supplex Haeret ad ora ducis*, haec verba reddit per *lerablassender Miene.*" Fortasse tamen non errat Donatus haec ad- ı: „non solum propter femineam verecundiam, sed etiam propter ı v. 539—541." — **562**. *Solvite corde metum.* Vid. supra ad v. 'odd. quidam *corda metu*, sed vid. etiam Silium XII, 324. *Solvite ıres corde timores* et Anth. Lat. Burm. I, 178, 183., ubi in tragoedia rgilii versibus consuta verba *Solvite corde metum* repetuntur. Heyn. h. l. praeferendam censet paucorum quorundam Codd. lectionem ; sed recte Wagn. Qu. Virg. IX. extr. p. 416. hic, ubi de certo aliquo ıermo sit, praestantissimorum Codd. lectionem unice veram esse censet. *'ecludite curas*, exquisitius quam excludite, eiicite, deponite solli- ıem ac metum. [Similiter Cic. p. Cael. 9, 22. *excludere cupiditatem.*] 3. *Res dura*, quod vulgo res durae, dura rerum conditio, quae cogit l vel invitos facere (*moliri*)." *Heyn.* Wagn. confert Liv. XXXIV, 5. - - ıent: *at legem in se latam per bellum, temporibus duris, in pace et te ac beata republica abrogaretis.* Didonis *res dura*, aspera est ob ı Pygmalionis, et recte Peerlk. reiicit Burmanni coni. *Res dura. At novitas* etc. — **564**. *custode* pro custodibus, ut saepe miles, eques, , remex etc. Singulari numero pro Plurali ponuntur. Vid. infra II, ı5. IX, 380. cett. et Iahn. ad Ovid. Trist. I, 10, 4. Ramsh. §. 203. a. p. 958 sq. alii. — **565**. *Aeneadas* pro Troianis iam supra v. 157. ıs, ubi vid. adnott. — *Aeneadum* autem pro Aeneadarum; de qua vi forma, quae redit VIII, 180. X, 120. et XI, 503. et qua Lucretium n suum exordiri constat, cf. Priscian. VII, 3, 9. p. 733. P. Schneider. ıt. II, 1. p. 23 sq. Lachm. ad Lucr. V, 440. p. 292. Buecheler *Grundr. t. Dekl.* p. 9. 69. Neue *Formenl. d. Lat. Spr.* I. p. 17 sq. Corssen *Krit.* ·. p. 225. et *Ueber Ausspr.* etc. I. p. 589. ed. 1. Quod ad ipsam rem at- cf. infra VII, 195., ubi etiam Latinus rex fata Troianorum satis sibi nota icit. — *quis Troiae nesciat urbem?* Cf. Stat. Theb. I, 227. *quis fu- 'admi nesciat?* — **566**. „Possis sane per *virtutes virorum* exponere; sed e tamen utrumque vim habet suam, nec amplectar facile ieiunam figuram ıdyn. *Virtutes*, res praeclarae, fortiter gestae." *Heyn.* Wagn. priorem em magis poëticam censet, locumque sic interpretatur: viros eximia ıs laude condecoratos, coll. Catull. LXVIII, 90. *Troia virum et vir- omnium acerba cinis.* — *tanti incendia belli.* Cf. Cic. pr. Marc. et de Rep. I, 1. in., ubi *incendium belli* legimus. — **567. 568**. *adeo* ı. *versu tam) obtunsa pectora*, h. e. stupida ingenia (cf. II, 200.

Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva
Sive Erycis fines regemque optatis Acesten,
Auxilio tutos dimittam opibusque iuvabo.

---

improvida pectora); ideoque: non tam barbari sumus, ut Troianorum res praeclare gestas et fata ignoremus neque commiseremur. Cf. Hand. Turs. I. p. 141. *Obtundere* autem saepe ad sensus et affectus hominum transfertur. Cf. Cic. de Senect. 23, 83. *animi acies obtusior*. id. Tusc. I, 33, 80. *multa* - - *quae acuant mentem, multa, quae obtundant*. eiusd. fragm. ap. Lactant. II, 5, 4. *quidam hebetis obtusique cordis*. Gellius XIII, 24. med. *obtuso ingenio esse*. Sic ap. Auct. ad Herenn. III, 9, 17. Sil. II, 297. Stat. Silv. V, 1, 170. alibi *obtusae aures* etc. et apud Claud. in Eutrop. II, 47. eodem sensu *retusum cor*. Burm. conferri iubet Donatum ad Ter. Eun. V, 2, 41., qui explicat: „Non sunt corda nostra ab humanitate aliena;" quare etiam Haeckerm. Expl. p. 19. cum Thielio de animi vel cordis duritie cogitari malit, comparans Lactant. et Eutrop. ll. ll. et locum sic interpretatur: „Non adeo barbari sumus, ut hospitio vos prohibeamus arenae (nam id supra v. 539 sqq. questus erat Ilioneus), nec tam ignari, ut Aeneadum genus Troiaeque urbem nesciamus." Cf. Aen. VII, 195. Ceterum *obtunsa* Med., Rom., Pal. (a m. sec.), Gud. (a m. pr.) et duorum Bern. auctoritate cum Haupt., Wagn., Ladew. et Coningt. scripsimus. Vid. ad Geo. I, 262. (ubi adde Ribbeckii Proleg. p. 148.). Ribbeckium hic *obtusa* servasse miror. — *gestamus*. Conington comparat Lucr. VI, 1145. *caput incensum fervore gerebant*. — „*Sol iungit equos*, pro consequente: agit; *aversus*, in aversa, remota ab aequatore caeli parte." *Heyn*. Sed dubito, num *aversus* simpliciter pro *remotus* poni potuerit, ut nihil aliud significetur, nisi: non regiones tam remotas incolimus, quo nulla harum rerum notitia pervenerit; immo etiam propriam Participii notionem (tergum obvertens) respiciendam esse censeo; nam caelum mite et clemens etiam animos mitiores et clementiores reddere, frigidum contra et asperum feritatem et immanitatem iuvare putabatur. (Vide etiam, quae Henry in *Tw. years* I. p. 149 sq. et in Philol. XI. p. 519. de h. l. disputat.) Vid. Silius XV, 334., aperte Vergilium imitatus, quem tamen non recte videtur intellexisse haec scribens: *Sed quisnam aversos Phoebum tum iungere ab urbe Romulea dubitabit equos?* (Cf. Peerlk. ad h. l.) Haeckerm. p. 19. praeterea conferri iubet Claud. Ep. Pall. et Cel. 62. Stat. Theb. I, 683 sqq. V, 297. et Val. Fl. I, 518 sqq. Ceterum cf. etiam similes loci Aen. VI, 796. et VII, 225 sqq. — **569**. *Hesperiam magnam*, simpl. potentem. Vid. adnott. ad Aen. I, 148. Sic *Italiam magnam* Aen. IV, 345. De paribus syllabis in vicinas arses cadentibus *Hesperiám mágnám* vid. Qu. Virg. XXXIII, 8. extr. cum adnott. ad Geo. III, 219. et supra ad v. 225., de epexegesi autem per simplicem copulam additam adnott. ad Geo. I, 498. Ceterum de *Saturniis arvis* vid. adnott. ad Ecl. IV, 6. et Geo. II, 173. — **570**. *Eryx* aut rex est antiquissimus Siciliae ab Hercule occisus (Apollod. II, 5, 10. Hygin. f. 260.), aut mons huius insulae satis notus cum celeberrimo Veneris templo (cf. Aen. V, 759.), quae inde saepe Erycina appellatur (Hor. Od. I, 2, 33. Cic. Verr. II, 8, 22. Ovid. Her. XV, 57. cett.). Et hic quidem de monte, non de antiquo illo rege cogitandum. De ipso autem monte, qui nunc *S. Giuliano* vocatur, vid. librum meum geogr. III. p. 781. — *optatis*, praefertis, eligitis. Vid. supra ad v. 425. Quare non opus est, ut, mutata etiam structura, cum Wagn. intelligamus: *si optatis* venire in Siciliam et ad Acesten. — **571**. „*Auxilio tutos*, quod in prosa: rebus necessariis instructos, munitos. Pedestris esset oratio, si acciperes: *dimittam* cum *auxilio*, praesidio." Ita *Heyn*. rectissime. Non igitur huc pertinent, quae ad Ecl. X, 24. disputavimus; neque prorsus huc quadrat locus a Wund. collatus, Tac. Ann. I, 39. *legatos* (quorum vitae timendum erat) *praesidio auxiliarium equitum dimittit* (Germanicus). Etiam Conington *tutus* recte Participium habet cum *auxilio* coniungendum, ut VI, 238. et IX, 143., *auxilium* autem minus recte de praesidio intelligit. — „*opes* dicuntur omnia, quibus subvenimus, recreamus, res necessariae. [Vid. supra ad v. 364.] *Et erant Troiani omnium egeni* v. 599. Alio sensu hic versus legitur VIII, 171." *Wund*. — **572**. *pariter mecum*, hic i. q. una mecum et aequo cum

et his mecum pariter considere regnis:
quam statuo, vestra est; subducite navis;
'yriusque mihi nullo discrimine agetur.
utinam rex ipse Noto compulsus eodem
t Aeneas! Equidem per litora certos

---

ure (cf. v. 574.) Hand. ad Stat. Silv. I, 2, 37. *pariter* per *simul* Sic *pariter mecum* etiam apud Cic. Verr. V, 67. 173. et Curt. III, Vagn. *pariter* explicat „pari cum Poenis iure." Voss. ad Ecl. II, m minus recte interpretatur: iuxta me (*um mich, bei mir*). Ceten. cum h. l. comparari iubet Apollon. Arg. I, 827. — 572. *Voltis* voltis), - - *vestra est*; ut etiam nos: *Wollt ihr* - -, *euer ist die* c. Vid. adnott. Geo. II, 519. Recte enim Wagn. sustulit interrognum huic versui vulgo appictum (quod ex recentioribus editoribus iington temere restituit); cum eiusmodi interrogatio, quae usurpetur ui alteri gratum et volupe fore existimet (ut Ecl. III, 28. Aen. VI, inus convenire videatur Didoni, non tam invitanti et hortanti, quam relinquenti. — Pro *regnis* Ladew. prius ex uno Cod. Rom. re*erris*, sed iure propterea vituperatus ab Haeckerm. Expl. p. 19. postea ı lectionem rediit. De peculiari enim et proprio Troianorum regno non posse, iam docet v. 574., quod et ipsum non fugit Haeckerm. quod etiam Aen. IV, 373. legimus *eiectum litore, egentem Excepi lemens in parte locavi.* — 573. *Urbem quam statuo, vestra est,* ctionem inversam, quam dicunt, non nisi apud poëtas hic ibi obviam. h. Gramm. Gr. §. 474. Buttm. ad Soph. Phil. 706. Ruhnken. ad Ter. ol. 3. Goerenz. ad Cic. Acad. I, 80, 30. Davis. et Kühner. ad Cic. Tusc. . Ochsner. Ecl. Cicer. p. 42 sq. Krüger. *Untersuch. aus d. Geb. d. chl.* Fasc. III. §. 87. Ruddim. II. p. 19., Bryceum ad h. l., alios. Exempla haec habemus: Plaut. Amph. IV, 1, 1. *Naucraten quem convenire navi non erat.* id. Curcul. III, 49. *sed istum, quem quaeris, ego sum.* n. IV, 3, 11. *Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!* n Ter. Andr. Prol. 3. *populo ut placerent, quas fecisset fabulas.* . VI, 1. *Quos cum Matio pueros miseram, epistolam mihi attu-* Liv. I, 1, 3. *in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur statuere urbem,* pro condere, ut alibi *ponere.* Vid. ad Aen. II, Ceterum his verbis, quibuscum cf. similis locus Ovid. Fast. III, *ec tellus quantulacunque vestra est,* Didonem non cedere possesre, sed tantum liberalius loqui pro: potestis una nobiscum parique enis iure hac in urbe vivere, in promptu est. — *subducite* ne putrescant in salo. Cf. III, 135. Contrarium est *deducere* — 574. *mihi agetur,* a me regetur, tractabitur. Fortasse auctor co ἄγειν cogitavit; apud Latinos enim aliud exemplum verbi ac significatione de hominibus usurpati me invenisse non memini, m *regnum agere* apud Florum I, 6, 2., *imperium agere* apud N. VII, 28, 29. et similia apud alios legi me non fugit. Cf. d Flori l. c. et Arntzen. ad Aur. Vict. Vir. Ill. 47, 1. — 575. 'agn. delevit Commata post *ipse* et *eodem* vulgo posita; cum hic it appositioni locus et *compulsus* arcte cohaereat cum *Adforet,* ıc delatus esset. — *Noto eodem,* quo vos, *compulsus.* Sic rba rectius coniunguntur, quam si *eodem* pro Adverbio loci . Notum autem et Eurum pro vehementioribus ventis a poëtis s videri, hoc ipso loco coll. docet Wunderl. Obss. in Tibull. I, De Euro vid. ad Geo. II, 339. — *utinam ipse - - Adforet* . Cf. VII, 263 sqq. *Ipse modo Aeneas - - - Adveniat.* — 576. non idem est, quod *quosdam,* sed homines, quibus fides haberi *verlässige Leute*), indicat. Sic *homines certi* ap. Cic. Verr. IV, 46, 103. ad Fam. I, 7. VI, 12. XVI, 11. ad Att. V, 17, 1. pro 11. pr. Marc. 6, 16. cett. Nep. Paus. 2, 4. etc. Vossius tamen Progr. p. erm. Expl. p. 20 et in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 49. atque Henry l. XI. p. 520. (*qui conferunt Sil. XI, 274. Nec non et certis venus*) *potius explicant per „eigens dazu Erlesene, Expresse."*) - -

Dimittam et Libyae lustrare extrema iubebo,
Si quibus eiectus silvis aut urbibus errat."
His animum arrecti dictis et fortis Achates
Et pater Aeneas iamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Aenean compellat Achates:

---

577. *Dimittam*, in diversas partes emittam. — Wagn. recte Comma pro Semicolo in fine versus posuit, cum hic sit sensus: lustrare extrema iubebo et explorare, an forte erret. In verbo *lustrare* enim interdum latet notio *explorandi;* quod etiamsi non esset, saepe ante Part. *si* (nostrum *ob*: vid. supra ad v. 181. adnott.) supplendum est Participium aliquod, ut *visurus*, *exploraturus* etc. Cf. supra v. 181. II, 756. VI, 78. X, 458. XII, 727. Neque in Indicativo *errat* haerendum, cum, nulla dubitationis significatione adiuncta, huic *si* ubique Indicativus addatur. Cf. praeter Wagn. ad h. l. Schmid. et Obbar. ad Hor. Epist. I, 7, 39. (*Inspice, si possum donata reponere laetus.*) Ellendt. ad Cic. Brut. 49, 184. (*An tu id laboras, si huic modo Bruto probaturus es.*) Ruhnken. ad Ter. Eun. III, 4, 7. (*Visam, si domi est.*) Held. ad Caes. B. C. II, 34. Herzog. ad eiusd. B. G. I, 8. Dissen. ad Tibull. III, 1, 19. et de Graeco *εἰ* Viger. p. 505. ibique Herm. p. 835. Stallb. ad Plat. Apol. c. 12. extr. alii. Gossr. locum potius sic capiendum esse suspicatur: lustrare iubebo, ut reperiatur, si errat. — **578.** *eiectus* verbum proprium de naufragis. Cf. Gronov. ad Senec. Controv. III, 16. et Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 3, 18. Vid. etiam infra IV, 373. *eiectum litore, egentem Excepi* et Cic. pr. Rosc. Am. 26. — Pro *urbibus* pauci quidam Codd. *montibus*, quod Burm. et Peerlk. (qui provocat ad Sedulii Carm. pasch. 18. [I, 211.] *omnibus hirsutus silvis et montibus errat* et Aen. XI, 569. *solis exegit montibus aevum*) praetulerunt, cum rarae admodum in Africa sint urbes (cf. tamen IV, 40. *Gaetulae urbes* et ibid. v. 173. *Extemplo Libyae magnas it fama per urbes*) neque proprie *in* illis errare dici quis possit, omninoque naufragi in locis solis, non in urbibus errent. Sed recte Heyn. alteram lectionem (quam Henry in 37 Codd. invenit, dum in uno modo Goth. *montibus* scriptum vidit: cf. Philol. XI. p. 520.) ita defendit, ut doceret, *urbibus errare* positum esse pro errare per urbes et urbes omnino hominum habitationes indicare, silvis oppositas: *silvas* autem et *montes* tam saepe coniungi, ut librariorum lapsum facile prodant. Heins. *rupibus* coniecerat. — **579.** „Prorumpit tandem omnia videns satis tuta et secunda esse Aeneas et in conspectum prodit." *Heyn.* — *animum arrecti dictis. Arrigere animum* etiam Sall. Cat. 39, 3. Iug. 68, 4. 84, 4. 86. in. 93, 7. alibi legitur. Cf. etiam Tac. Ann. III, 11. *arrecta civitas*, Virg. Geo. III, 105. *arrectae spes* etc. Magis usitatum est *animum erigere.* Discrimen tamen inter utramque dictionem intercedere, bene docet Kritz. ad Sall. Cat. l. l., secundum quem *erigitur* is, qui cum antea afflictus et quasi abiectus iacebat, rursus attollitur et vires resumit; contra animus *arrigitur* (*ad* aliquam rem *regitur*), si re aliqua ita commovetur et excitatur, ut eam non negligat, sed ad eam se advertat. (Iniuriam igitur mihi facit Conington adnotans, Heynium et me utrumque verbum videri confundere.) De Singul. *animum* pro Plurali posito Burm. conferri iubet supra v. 529. [adde Aen. IX, 721.] Ter. Heaut. III, 3, 9. II. 4, 10. Liv. II, 52. Cic. Phil. VII, 2.; et, cum alibi etiam *animos* de uno homine saepe dicatur (coll. adnot. sua ad Phaedr. II, 2., ad Lucan. VI, 176. VII, 100. IX, 9. et Drakenb. ad Liv. II, 27. et 29.), in hac re solos Codd. spectandos esse docet. — **580.** *erumpere nubem*, ut Digest. XXIX, 5, 3. *erumpere vincula.* Sic Tac. Ann. I, 61, 5. *elabi*, Hor. Od. IV, 15, 9. *evagari*, Liv. I, 29, 6. et Plin. Ep. VI, 20. *egredi*, Stat. Theb. V, 258. *exire* cum Accus. construunt. (In Propertii loco a Coningtone laudato IV, 2, (III, 3,) 21. pro Lipsii coni. *praescriptos evecta est pagina gyros* Henr. Keil., recentissimus editor, restituit vulg. lectionem *praescripto sevecta est pagina gyro.*) Imitatus est h. l. Val. Fl. V, 466. *Admonet his socios, nebulamque erupit Iason.* — **581.** *compellat*, adloquitur. Cf. II, 279. 370. III, 474. V, 161. VI, 499. X, 606. XI, 532.

dea, quae nunc animo sententia surgit?
, tuta vides, classem sociosque receptos.
abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
rsum; dictis respondent cetera matris."
ı fatus erat, cum circumfusa repente
t se nubes et in aethera purgat apertum.
t Aeneas claraque in luce refulsit
merosque deo similis; namque ipsa decoram
iem nato genetrix lumenque iuventae

Animo sententia surgit (*der Gedanke steigt in der Seele* nsilium oritur animo, ut saepe *est mihi sententia, sic stat sententia* ia. Cf. etiam Aen. IX, 191. *quae nunc animo sententia surgat.* ɔn suspicatur, haec verba ex Apoll. Rhod. I, 463. *Αἰσονίδη, τίνα ιετὰ φρεσὶ μῆτιν ἑλίσσεις;* translata esse. — **583.** *receptos,* . Vid. supra ad v. 178. — **584.** *Unus,* Orontes. v. 113 sqq. — . supra v. 390 sqq. et VI, 334. — **586.** *Οὔπω πᾶν εἴρητο ἔπος,* rss. XVI, 11. Ceterum cf. quae supra ad v. 412. adnotavimus. — *ircumfusus repente* etc. Cf. Hom. Od. VII, 143. *καὶ τότε ᾽ιτοῖο πάλιν χύτο θέσφατος ἀήρ.* — **587.** „*Purgat se,* solvitur, ur nebula (*καὶ τότε δή ῥ᾽ αὐτοῖς πάλιν χύτο* (non *λύτο*) *θέσφατος* l. VII, 143.) in *aethera apertum,* ut aër purus reddatur [cf. ad Aen. VI, 42. et V, 20., ubi contra *in nubem cogitur aër*], et *lux,* remota nebula; et *refulsit* pro vulgari: apparuit, nihil [Rectius Wagn. de nitore, signo vigoris, accipit, coll. supra v. *ea cervice refulsit.*] Nunc puta eum adstitisse multo pulchriorem ı, quam unquam antea. Valent autem haec ad primos statim gniculos, conspecto Aenea, in Didone excitandos. Declaratur forma tas viri per partes: species oris et pectoris heroe vel deo digna, ıvenilis, gratus oculorum vigor." *Heyn.* Ceterum Codd. quidam in uod vulgatae longe praeferendum censet Wakef. ad Lucr. III, 507. ituperatus a Coningtone. (Vid. etiam supra ad v. 547.) Cum m Codd. scriptura conspirant etiam Nonius 236, 9. et Serv. ad , 20. — **589.** „Locus effictus ad Homericam formam, Odyss. VI, 5. et, nisi huc iidem translati, XXIII, 156—162., ubi Ulyssi Minerva ecus divinum impertit. Verba *Os humerosque deo similis* ornatius nt formam augustam et divinam, quam Homerus simplicius: *θῆκε ζονά τ᾽ εἰσιδέειν καὶ πάσσονα.* Cf. Odyss. XVI, 174 sq." *Heyn.* *eros,* scil. latos ac torosos, corporis robur viriumque efficaciam e, docet Heyn. coll. Val. Fl. II, 490., ubi Hesione Herculi: *me namque potes: neque enim tam lata videbam Pectora, Neptunus um iungeret astris, Nec tales humeros pharetramque gerebat* Videtur autem poëta de Apolline maxime cogitasse, cuius cum pulchritudo, tum humeri et caesaries ante omnia celebrantur. . Od. I, 2, 31. Val. Fl. II, 491. et Tibull. I, 4, 37., a Thielio eterum vid. Hom. Od. VI, 235. coll. cum v. 232. (vid. infra) *ὣς κατέχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις.* Verba *Os humerosque deo* iterantur in Auson. cent. nupt. 51. — **590.** „*ipsa decoram iem nato genetrix - - afflarat,* non quasi comas eius brea promissiores mutarit; sed, - - - (omnino) effecit dea, ut similis ɔollini vel Baccho, qui in vulgus notabiles sunt caesarie sua." e *caesarie* vid. adnott. ad Geo. IV, 337. Peerlk., temere haerens s *caesariem afflarat,* coni. *decorem caesarii,* Vergilio obtrudens *ecor* nusquam praeterea ab eo usurpatam et insolentem Genitivum pro *caesariei.* Vid. etiam Iahn. Annal. l. l. p. 46. — *lumen ıe purpureum* pro iuventa pulcherrima. *Lumen* est nitor, qui proprie tribuitur et de rebus varii generis dicitur. Sic Val. Fl. . et Stat. Theb. IX, 802. *ferri,* Colum. X, 97. *calthae,* ibid. 258. . 4. *hyacinthi lumen* commemoratur. *Lumen* igitur *iuventae,* quod *etiit Auson. cent. nupt. 51.* (*vel lux iuventae* ap. Val. Fl. V, 366.)

Purpureum et laetos oculis afflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam adloquitur cunctisque repente
Improvisus ait: „Coram, quem quaeritis, adsum
Troïus Aeneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Troiae miserata labores,

---

fere i. q. *flos iuventae* ap. Liv. XXVIII, 35. XL, 6. etc.: *purpureus* autem omnino pro pulcher, nitidus (cf. adnott. ad Ecl. IX, 40.), quamquam hic etiam proprie de rubore intelligi potest. Imitatus est hunc locum Val. Fl. V, 366. *roseae perfusum luce iuventae.* Iuventam autem cum caesarie eodem modo iunxit Tibull. I, 4, 37. *Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuventas; Nam decet intonsus crinis utrumque deum.* Cf. etiam Ovid. Met. XIII, 914. et Claud. XXXI, 41. — **591.** „*Laetos oculis afflarat honores*: fecit, ut inesset oculis desiderabilis aliqua venustas, gratia, *χάρις καὶ ἵμερος; honores* dixit pro honore; *honos* autem pro pulchritudine; res nota. *Laetos* ad oculorum fulgorem, qualis in lucido iuventae et pulchritudinis flore esse solet, referes; nam *laeta* poëtis proprie lux, nitor.“ *Heyn.* Hand. ad Stat. Silv. I, 2, 113. docet, omnibus iis locis, in quibus *honos* aut de pulchritudine, aut de gratiosa dignitate dicatur, hoc uno excepto, usurpari Singularem. Cf. tamen etiam Sil. XII, 243. *niveosque per artus It Stygius color et formae populatur honores.* Vergilium, ut Plurali uteretur, metri ratio videtur movisse, quamquam vel nulla metri ratione habita numeros variare solet. Cf. Wagn. Qu. Virg. IX, 3. p. 408 sqq. Ceterum de *honoris* voc. pro gratia, pulchritudine usurpato cf. adnott. ad Geo. II, 404. Quanta autem sit vis oculorum in amore conciliando, satis notum. Thiel. omnino conferri iubet Cic. de Or. III, 29. de Legg. I, 9. Quinct. Inst. IX, 14. alios. — „*afflarat*, quod Homerus dixit affuderat, *κατέχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις* — et *κὰκ κεφαλῆς χεῦεν πολὺ κάλλος Ἀθήνη. Afflare* hoc sensu ductum videtur inde, quod contactus hoc genus est minus sub sensum cadens; unde *spirare, spiritus* etiam ad res non sensiles traductum; itaque et vates et poëtae *afflari* dicuntur [cf. Aen. VI, 50.], quippe *contacti, percussi.* Ita etiam *fulmen afflare* dicitur [vid. Aen. II, 649.].“ *Heyn.* Cf. Claud. B. Gild. 208. et Heyn. ad Tibull. II, 1, 80. — **592. 593.** Comparatio haec est: Venus auget Aeneae pulchritudinem decore singulis eius membris circumfuso, sicut artifex ebori etc. decus addit auro circumiecto. Cf. similis locus Aen. X, 134 sqq. Oratio autem variata est pro: quale decus manus artificum (cf. supra v. 455.) addunt ebori aut argento aut Pario marmori, si ea includunt auro, nam verba *fulvo circumdatur auro* etiam ad ebur pertinent. — *aut ubi*, i. e. aut quale est decus, ubi etc. De Particulis *aut* et *ve* sibi respondentibus cf. adnott. ad v. 370. Imitatur hunc locum poëta Anth. Lat. I, 170, 66. *Ac veluti Pariusve lapis circumdatur auro.* De *Pario lapide* cf. adnott. ad Geo. III, 34. — *Argentum - - - circumdatur auro.* Cf. Hom. Od. VI, 232. *ὡς δ' ὅτε τις χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνήρ.* — *flavo auro*, ut Aen. VII, 279. et XI, 776. *fulvum aurum.* Ceterum ebur, argentum, marmor cett. haud raro pro ipsis operibus, artificiis eburneis, argenteis, marmoreis cett. ponuntur. Cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 4, 28. (*Hunc capit argenti splendor, stupet Albius aere.*) Schmid. ad Hor. Epist. I, 16, 17. (*I nunc, argentum et marmor vetus aeraque et artes Suspice*) et quae nos ad Geo. II, 193. Ecl. X, 59. et alibi adnotavimus. — **594.** *sic* Burm. cum Servio non ad sequentia Aeneae verba, sed ad habitum eius et formam pulcherrimam, qua Veneris beneficio praeditus erat, vult referri; quod equidem probare non possum; immo *sic* nihil aliud est, nisi: his verbis. — **595** sq. Praeclara et affectus plena oratio. Cf. Hom. Od. XXI, 207. *Ἔνδον μὲν δὴ ὅδ' αὐτὸς ἐγὼ κακὰ πολλὰ μογήσας* et XXIV, 321. *Κεῖνος μέν τοι ὅδ' αὐτὸς ἐγώ, πάτερ, ὃν σὺ μεταλλᾷς* et Appulei. Met. V. p. 332. *quam lugetis, adsum.* — **597.** *sola:* nondum enim quemquam alienae stirpis

Quae nos, reliquias Danaum, terraeque marisque
Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos
Urbe, domo socias, grates persolvere dignas
Non opis est nostrae, Dido, nec quidquid ubique est
Gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem.
Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid

---

invenerat Aeneas, quem misereret Troianorum. — **598.** *reliquias Danaum*, a Danais relictos, stragi Troianorum ab Achivis factae superstites. Vid. supra v. 30. et III, 87. — **599.** *exhaustos*, attritos, vexatos. Cf. Curt. IV, 16. extr. *corpora tanto cursu exhausta.* Lucan. IV, 638. *exhausti sudoribus artus.* II, 340. *partu exhausta* etc. (cf. etiam Geo. IV, 248.) Sic respondet hic locus verbis supra v. 240. lectis. *tot casibus actos.* Unus Ribbeck. coll. Aen. IV, 14. X, 57. et XI, 256. fragm. Vat. a m. pr. lectionem *exhaustis* recepit, quam sane etiam Serv. agnoscere videtur, lectioni *exhaustos* haec adiiciens: „Sic veteres dicebant *cladem hausi*, i. e. pertuli.“ Sed etiam Peerlk. *exhaustos* hic requiri docet. — Conington memorat, hoc unum esse exemplum Genitivi *omnium* a Vergilio epico metro accommodati. — **600.** Wold. Ribbeck. conferri iubet poëtae trag. verba ap. Aelian. V. Hist. III, 129. (fr. adesp. 107. Nauck.) ἄπολις, ἄνοικος etc. — *socias*. Cf. supra v. 573. *Sociare* autem *urbe*, *domo* pro recipere in urbem, in domos positum esse, quisque videt. Ceterum haec duo, *urbem* et *domos* s. *tecta*, haud raro coniungi memorat Burm., coll. Liv. IX, 7, 9. Ovid. Epist. VI, 55. (et Met. XIII, 633.) Conington comparat *consortia tecta urbis* Geo. IV, 153. — *grates persolvere dignas* redit II, 537. Fortasse hunc locum respexit Stat. Theb. VII, 379. *Nec laudare satis dignasque rependere grates Sufficiam; referent Superi.* — **601.** *Non opis est nostrae* paullo insolentius dictum pro: non est in potestate nostra, non valemus, impares sumus. Simili tamen ratione utitur hoc vocabulo Hor. Ep. I, 9, 9. *Dissimulator opis propriae.* — *quidquid ubique est Gentis Dardaniae*, quotquot sunt Dardani. Cf. Hor. Sat. I, 6, 1. *Lydorum quidquid Etruscos incolit fines*, ibique Heindorf. Lucan. VII, 363. *quidquid hominum sumus.* Liv. XXIII, 9, 3. *iurantes per quidquid Deorum est.* Hor. Epod. V, 1. *At o Deorum quidquid in caelo regit.* Liv. II, 5. 35. 49. III, 17. 25. Ceterum *quidquid ubique* etiam Hor. Sat. I, 2, 60. et Lucan. II, 162. coniungunt. — **602.** Non reticendum, Peerlk. alterum hemistichium *magnum quae sparsa per orbem* aliena manu additum censere, cum Aeneas de aliis Troianorum coloniis tum nihil sciverit, immo ipse dixerit, *se esse reliquias Danaum*, cumque praeterea varient Codd. etiam *quae magnum* et *aspera* exhibentes. Sed recte opponit Rau in Sched. p. 52., scire Aeneam Troianos per omnes Graeciae populos in captivitatem esse abductos (Aen. III, 325.), in Creta ipsum reliquisse partem suorum (ib. 190.), et ab Aceste Troiano in Sicilia vix discessisse (I, 549 sq.), si autem Aeneas verbis *nos, reliquias Danaum*, significare voluisset, iam nusquam Troianos praeter se et suos superesse, ne verbis quidem uti potuisse *quidquid ubique est gentis Dardaniae* idemque fere censent Sintenis p. 26. et Iahn. Annal. l. l. p. 46. — **603.** Cf. Hom. Od. VI, 180. *si qua pios respectant numina*, i. e. si numina sunt, quae pios respiciunt. Cf. II, 536. *si qua est caelo pietas* et V, 688. *respectare* et *respicere* imprimis dicitur de gratia et favore, quo dii homines prosequuntur. Vid. Serv. ad Aen. I, 230. Taubm. ad Plaut. Capt. IV, 2, 54. (coll. eiusd. Bacch. IV, 3, 24. et Rud. V, 2, 29.) Bentl. ad Hor. Ep. I, 1, 105. Ruhnk. ad Ter. Andr. IV, 1, 18. et Orell. ad Hor. Od. I, 2, 36. — **603.** *si quid - - iustitia est:* si iustitia in ullo pretio, honore est. *Aliquid* enim haud raro praegnanti, quem dicunt, sensu dici constat pro magno aliquo et gravi. Cf. Ovid. Fast. VI, 27. *Est aliquid, nupsisse Iovi, Iovis esse sororem.* id. Met. XIII, 241. *Est aliquid, de tot Graiorum millibus unum legi.* Cic. ad Div. VI, 18, 4. *ego quoque aliquid sum. id. in Caecil. 15, 49. ut tu tamen aliquid esse videare. Tusc. I, 10, 20. V, 36, 104. ad Att. III, 15, 5.* etc. Nititur autem lectio *iustitia* ab

**Usquam iustitia est et mens sibi conscia recti,
Praemia digna ferant. Quae te tam laeta tulerunt
Saecula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae**

Heinsio revocata, quem ceteri editores omnes (nam etiam Iahn. in altera edit. Nominativum tacite restituit) iure secuti sunt, Medic. a m. pr. et Gud. auctoritate (quibus Ribbeck. etiam fragm. Vat., Pal., Rom. et aliquot Codd. Prisc. p. 1029. P. adiungit) et Servii testimonio, qui locum sic explicat: „si valet apud homines iustitia.“ Vulgo legitur *iustitiae*, ut sensus sit aut: si qua iustitia usquam in terris reperitur, quae dubitatio eo minus huc quadrat, cum nunc ipsum Dido iustitiam et aequitatem se colere ostendat, aut: si quid iustitiae est apud deos, quae sententia quomodo cum verbis *et mens sibi conscia recti* coniungi poterat? Quam facilis autem fuerit vere lectionis in alteram mutatio sequente Verbo substantivo, quisque videt. Quare probare non possum, Haeckermannum Expl. p. 20. et in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 49. atque Henricum (de Codd. scriptura cum Ribbeckio non prorsus consentientem et inter 34 Codd. a se collatos 30 lectionem *iustitiae* continere memorantem) mutata sententia, quam in *Tw. years* I. p. 152. protulit, in Philol. XI. p. 520. rursus exstitisse vulgaris lectionis patronos. (Cf. etiam, quae Kappes l. l. p. 62 sq. contra Henricum disputat.) Haeckerm. autem propterea verba *mens sibi conscia recti* artificiose sic explicare coactus est: „Scilicet non *recte facti*, ut XI, 812. Ovid. Met. VIII, 530. IX, 706. Iuven. XIII, 193. Val. Fl. III, 262., ait noster, sed nude *recti*: dii autem, si quis omnino, conscii sunt recti, i. e. *haben ein Bewusstsein vom Rechten*. Enimvero sunt numina, ut ipse ait Vergilius Aen. II, 141. *conscia veri*.“ Noli tamen ob locum Aen. IX, 252. cum Peerlk. et Siebelisio p. 26. verba sic distinguere: *Di tibi* (*si qua pios respectant numina, si quid Usquam iustitia est*) *et mens sibi conscia recti Praemia digna ferent*. Fortasse hunc locum ante oculos habuit Stat. Theb. II, 359. *oculos polo demittere si quos Iustitia et rectum terris defendere curat.* — **605.** „Felix hominum aetas, in qua te, tam generosam feminam, nasci contigit. Cf. Odyss. VI, 154 sqq. De hac laudandi ratione vid. Ovid. Met. IV, 322 sqq. et ibi Burm.“ *Heyn.* — *laeta saecula* sunt fausta, felicia. Cf. Val. Fl. IV, 31. *laeti venti.* ibid. 540. *laeta sors.* Plin. H. N. XI, 37, 77. *laetum prodigium.* Suet. Caes. 77. *exta laetiora* cett. Cf. etiam infra VI, 649. *nati melioribus annis.* — Pro *tulerunt* duo Codd. Burm. *tulere*, fortasse rectius (vid. adnott. ad Ecl. V, 34. et X, 13.), quamquam Wagn. pleniorem formam incitatius loquenti convenientiorem censet. — Verba *qui tanti talem genuere parentes* spectant communem veterum opinionem, parentum naturam animumque propagari in liberos, de qua Thiel. conferri iubet Wyttenb. ad Plut. de ser. num. vind. p. 84. Cf. autem Epit. Iliad. 623. *qui te genuere parentes?* Ladew. apte comparat Schilleri nostri verba in Virg. Aurel.: *Welch glücklich Land gebar dich? Sprich, wer sind die gottgeliebten Eltern, die dich zeugten?* — **607—610.** Cum hoc toto loco cf. Ecl. I, 59 sqq. V, 76 sqq. Tibull. I, 4, 65 sqq. Hor. Epod. XV, 7 sqq., Ovid. ex P. IV, 5, 41 sq. et Sil. It. VII, 476 sq., ubi simili asseveratione notio voc. *semper* circumscribitur. Wold. Ribbeck. conferri iubet similem locum in Certam. Hes. et Hom. p. 324, 10. Goettl. — Peerlk. (recte notatus a Siebelisio p. 27. et Iahnio Annal. l. l. p. 47.) et Rau in Sched. p. 52 sq. utrumque versum 607. et 608. ut a colore et gravitate carminis epici prorsus alienum (?) spurium censuerunt, haud dubie nescientes, hos versus non solum ab omnibus Codd., sed etiam ab Isidoro Orig. II, 4, 6. Schol. Hor. Epod. XV, 7. et Probo 5, 8. Keil. exhibitos una cum v. 609. ut Vergilianos repeti in Anth. Lat. I, 180, 2—4. — „Quod Tibullus I, 4, 65. nude: *dum robora tellus - - vehet*, hoc ornatius extulit Vergilius: donec umbrae silvarum [?] *convexa* montium, h. e. latera et ambitus, adeoque montes convexos, obscurabunt, et ornatius *lustrabunt* [obibunt], *umbra pro flexu* solis procedente et circumagente se.“ *Heyn.* Rectius *explicueris: Dum* umbrae de montibus cadentes (cf. Ecl. I, 83.) i. e.

Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt,

---

ipsorum montium, lustrabunt declivia, fastigata montium latera ideoque ipsas valles. Cf. Iustin. II, 10. extr. *convexa vallium*, Plin. V, 5, 5. *convexa vallis* atque etiam supra v. 310. *convexa nemorum*. Eandem fere sententiam iam Henry in *Tw. years* I. p. 152 sqq. et Philol. XI. p. 521 sq. protulit, quem tantum in eo non sequor, quod *montibus* explicat: inter montes. (Cf. autem docta eius disputatio de voc. *convexus* (= convectus), qua comprobantur Isidori verba Orig. III, 38. *Convexum enim curvum est, quasi conversum seu inclinatum et ad modum circuli flexum.*) Hudemann., qui in Muetzellii *Zeitschr.* a. 1853. VII. p. 654 sq. bene de h. l. disputat, in summa re nobiscum consentiens, *umbras* intelligit de nubium ad montium cacumina collectarum umbra declivia montium latera s. valles lustrante i. e. obeunte (*durchwandern, durchziehen*), de qua verbi signif. conferri iubet Ecl. II, 12. Geo. IV, 519. Aen. I, 581. III, 385. IX, 58. Ovid. Ib. 113. Cic. Fin. II, 25, 87. Tusc. IV, 19, 43. Prorsus aliam, sed minus probabilem, loci expediendi rationem ingressus est Markland. ad Stat. Silv. II, 3, 35. p. 102., qui, cum *convexa* alibi nusquam de vallibus usurpetur, *montibus* autem pro *e montibus* mire dictum esset, cum veteribus quibusdam Gramm. ac Schol. Hor. Crucq. Od. I, 28. et Epod. XV. suspicatus est, verba sic esse coniungenda: *Lustrabunt, convexa polus dum sidera pascet* (i. e. convexi poli sidera); cui coll. Ovid. ex Pont. IV, 9, 129. *Tu nostras audis inter convexa locatus Sidera - - preces* adsentiuntur Hand. ad Gronov. Diatr. in Stat. T. I. p. 326., Iahn., Haeckerm. Expl. p. 21. et in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 49., Kappes. I. p. 66 sq. et Ribbeck. Sed quid sibi volunt verba *umbrae montibus lustrabunt?* quis unquam usus est simplici verbo *lustrandi*, Accusativo Obiecti non addito? Haeckermanni enim conversio: „*so lange an Bergen Schatten hinziehen*" ex libidine est facta. Quare Ribbeck. coactus est suspicari, Vergilium fortasse inter v. 607. et 608. interponere voluisse, quid in montibus umbrae lustrarent; quamquam Proleg. p. 65. etiam verbum absoluta vi pro *circumvagari* positum defendere studuit, provocans ad Corssenii Symb. crit. p. 410. sqq. Heinsius autem (cum quo faciunt Wakef. ad Lucr. I, 232. et Vossius p. 202.) eo adeo progressus est, ut coniiceret: *dum montibus umbrae Lustra dabunt* (quam coniecturam, Iahnio minime displicentem, Voss. conversione german. expressit), Burm. denique, fretus duorum Codd. lectione *instabunt, constabunt* legendum esse suspicatus est. Quid Meyer. in Progr. Utinensi a. 1842. p. 5 sq. (ab Haeckerm. laud.) de hoc loco iudicaverit, dicere non possum. — **polus dum sidera pascet** non significant: dum caelum sidera habebit, vel: dum sidera in caelo errabunt, ut Heyn. hunc locum capit, coll. Callim. in Del. 176. *Τείρεσιν, ἠνίκα πλεῖστα κατ᾽ ἠέρα βουκολέονται*, a quo non multum differt Haeckerm. p. 22. *pascet* per sustinebit explicans, ut ap. Plin. XIV, 1, 3. *vitis brevitate crassitudinem pascens*, coll. Silio VII, 476. *Dum sidera caelo Lucebunt* et Tibull. I, 4, 66. *Dum caelum stellas vehet;* sed apertum est, hic sequi poëtam Epicureorum rationem, ex qua aetheri ipsi insunt particulae igniferae, unde sidera nutriuntur (cf. Lucr. I, 232. *unde aether sidera pascit* et Schleiermacher. in Wolffii et Buttm. *Mus. d. Alterthums-Wiss.* I. 3. p. 400 sqq.), non vero (ut Wagn. et Ladew. putant) Heracliti et Stoicorum sententiam de aquarum vaporibus stellas alentibus (de qua cf. Cic. N. D. II. 46. Tusc. I, 19, 43. Lucan. X, 258. Burm. ad Val. Fl. II, 62. Heins. ad Ovid. Trist. I, 11, 16. Drak. ad Sil. VII, 639. alii et liber meus geogr. I. p. 499 sq.). Quare non satis mirari possum, Thielium miseram recepisse Brodaei coniecturam *palus dum s. p.* Cf. potius Anth. Gr. adesp. 348. (Pal. IX, 821.) *ἕως πόλος ἀστέρας ἕλκῃ* (a Wold. Ribbeckio laud.). Ceterum Med., Gud. a m. pr. et Isidori Orig. II, 4, 6. minus recte *pascit*. (Vulgarem lectionem Henry in 40 Codd. invenit, *pascit* tantum in uno Gud. a m. pr.) De *polo* pro caelo posito vid. supra ad v. 90. Burm. hic conferri iubet *Barth. ad Stat. Theb. IV,* 748. Oudend. ad Lucan. IX, 531. *alios.* — ***609. 610.*** „*Quocunque abiero,* beneficii accepti memor ero; nam

Quae me cumque vocant terrae.“ Sic fatus amicum
Ilionea petit dextra laevaque Serestum,
Post alios, fortemque Gyan fortemque Cloanthum.
Obstipuit primo adspectu Sidonia Dido,
Casu deinde viri tanto, et sic ore locuta est:
„Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quae vis inmanibus adplicat oris?

---

manent etiam ea, quorum memoria servatur.“ *Heyn.* Rectius *Wagn.*: „Aut inepta usus est poëta hyperbola, aut haec ita accipienda sunt: In iis terris, in quibus consedero, ut perennis sit beneficii tui memoria, efficiam.“ Plane alia est Henrici sententia, qui (*Class. Mus.* XX. et in *Tw. years* I. p. 155.) locum sic capit: Tua laus semper manebit, quamvis ego quid de me fiat nesciam, quo tandem venturus sim ignorem. Putat enim Vir doct., longe maiorem esse Didonis laudem, si Aeneas eam non a sua praedicatione suspensam faciat, sed, sui respectu non habito, omnino perennem fore significet. Ceterum v. 609. legitur etiam Ecl. V, 78. — *Quae me cumque vocant terrae*, fati ratione habita, cui parendum est (cf. Aen. III, 494. *nos alia ex aliis in fata vocamur.* Aen. V, 656. *fatisque vocantia regna* et adnott. ad Geo. IV, 496.); quae verba simul urbane et blande respondent ad Didonis invitationem v. 572., quod bene perspexit Henry l. l. — **610.** De vocabulo dicendi (*Sic fatus* post *ait* v. 595.) iterato vid. adnott. ad Geo. IV, 499. — **611.** *Serestum* ne quis vitiose scriptum existimet pro *Sergestum*, quem supra v. 510. poëta commemoravit, meminerit ibid. v. 511. diserte scriptum legi *Teucrorumque alios*, atque hic etiam *Gyan* adiungi, cuius supra nondum mentionem factam viderimus. Evincit autem rem locus XII, 561., ubi legimus: *Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum*, qui etiam Brunckium errare docet, *Sergestum* et *Serestum* unius eiusdemque-nominis varias modo formas habentem. Ceterum *Serestus* etiam IV, 288., V, 487. et IX, 171. commemoratur. — **612.** De iteratione epitheti *fortis* vid. adnott. ad Ecl. IV, 6. — **613.** „*Obstipuit*, animo perculsa est, quod iam futuri amoris est signum.“ Serv. — *primo adspectu* pulchritudinis eius. *Primo* enim cum *adspectu* coniungendum, non pro Adverbio habendum esse, quod apud Vergilium rarius omnino inveniatur, censet Wagn. Qu. Verg. XXVIII. extr., huc etiam trahens simillimum locum Aen. IV, 176. *Parva metu primo; mox sese adtollit in auras.* Sed etiamsi verba sic coniungimus, tamen Adiectivum loco Adverbii positum habeamus necesse est, cum sequantur verba *casu deinde viri.* (Cf. adnott. ad VII, 528.) Paulo subtilius enim quam verius Siebelis p. 27. haec adnotat: „Poëta tamen non sine ratione *primo adspectu* scripsit, quoniam non tam in adspectu ipso erat cur obstupesceret, quam in primo tamque subito adspectu;“ quamquam *primo - - deinde* magis prosae orationi convenire (quod Iahn. Annall. l. l. p. 34. contendit) non negaverim. Nihilominus etiam Geo. IV, 310. legimus *primo - - mox* et Aen. V, 654. et 659. *primo - - tum.* Ceterum Henry apte comparat Propert. IV, (V,) 4, 21. *Obstupuit regis facie et regalibus armis Interque oblitas excidit urna manus.* — **614.** *casus* est fortuna, τύχη, ut statim v. sq. Respexerunt hunc locum Silius II, 412 sqq. et Val. Fl. VII, 288. — *sic ore locuta est.* Idem pleonasmus redit VI, 76. et IX, 319. repetiturque in Anth. Lat. VI, 84, 53. Vid. infra ad VI, 76. — Peerlk. etiam hos versus coniecturis vexavit: *Obstupuit primum* (quod in Med. legatur PRIM superscripta modo litera O) - - - *Casu deinde viri: tandem sic ore locuta est* (quod Val. Fl. l. l. ita legisse videatur). — **615.** *Quis te - - casus Insequitur*, quo tandem nomine appellem casum illum, qui te insequitur? *Casus* etiam hic i. q. fortuna Cf. supra v. 240. *eadem fortuna viros tot casibus actos Insequitur.* — **616.** „*inmanibus oris* Libyae, cuius immanes et feri incolae [quae haud dubie unice vera est explicatio: cf. infra IV, 39 sqq.]; sive etiam horridae et asperae incultaeque terrae; aut ipsa litora periculosa navigantibus. - - *adplicat*, *ita tulit, ut navem applicueris*: ut v. 377. *adpulit.*“ Heyn. Cf. Aen. XII,

Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire
Finibus expulsum patriis, nova regna petentem
Auxilio Beli; genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum et victor dicione tenebat.
Tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis
Troianae nomenque tuum regesque Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat

---

303. *terrae adplicat ipsum.* — **617. 618.** „Secundum Hom. Il. II, 820. 281. Sic Nympharum partus ad fluminum ripas plerumque collocant poëtae.“ *Heyn.* Quod iam Servius adnotat. — *Tune ille Aeneas*, tam clarus, inclytus. Cf. II, 540. IV, 215. V, 391. cett. et Wagn. Qu. Virg. XXI, 6. Peerlk. conferri iubet Val. Fl. IV, 467. *Tune ille Odrysiae Phineus rex inclytus orae?* et Heins. ad Ovid. Her. XIV, 95. — *quem Dardanio Anchisae* etc. Cf. Hom. Il. II, 819 sq. De hiatu *Dardanio Anchisae* vid. adnott. ad Ecl. II, 24. et cf. Aen. III, 74. XI, 31. — **618.** *Alma Venus*, ut ap. Lucr. I, 2. et in Anth. Lat. I, 178, 6. Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 17. — Verba *Simoentis ad undam* redeunt III, 302. De voce *unda* Singulari numero usurpata, ubi merae inservit circumlocutioni (velut Geo. II, 163. III, 349. IV, 355. 508. Aen. X, 833. cett.), vid. Wagn. Qu. Virg. IX. p. 415. de *Simoente* autem supra adnott. ad v. 100. — **619—626.** „Teucer, [Aiacis maioris frater, cum a Troia Salaminem reverteretur] a patre Telamone non admissus (cf. Horat. Od. I, 7, 21.), cum [novas sedes novumque regnum quaerens] Cyprum petiisset, accessisse ad Belum, Sidonis ac Tyri regem, putandus est, ut cum ab eo copiae in Cypro haberentur, earum auxilio adversus incolas insulae uteretur, quos in nova sibi sede, Salamine, paranda alienos et infestos experiebatur.“ *Heyn.* Cf. Eurip. Hel. 89 sqq. 144 sqq. Soph. Ai. 1036. Pind. Nem. IV, 76. Vellei. I, 1. Iustin. XLIV, 3. et Heynii Excurs. XXIII. ad h. l. Cum v. 620. cf. Anth. Lat. II, 192, 75. *Evandrum Arcadia profugum nova regna petentem.* — **621.** *Belus.* Nomen regium (*Bel*), tamquam mollius, proprii nominis loco posuit poëta. Vero enim nomine Elisae (s. Didonis) et Pygmalionis pater vocabatur *Mutgon* vel *Matgen* (vid. Ioseph. in Apion. I. p. 927.), vel rectius *Mutto* (vid. Movers de Phoen. II, 1. p. 353. et Ieep. ad Iustin. XVIII, 4, 3.) Alii eum *Mettinum, Mettem, Methrem* appellant. Cf. interpp. ad Iustin. l. l. et Heyn. l. l. — *Opimam* Cyprum, i. e. *opulentam*, ut ap. Hor. Od. I, 7, 11. *Larissa*, I, 31, 4. *Sardinia*, II, 12, 22. *Capua opima* commemoratur. Cf. etiam Cic. pr. leg. Man. 6, 14. Agr. II, 19, 51. Liv. XXXI, 41. Auct. B. Hisp. 11. etc. cum Aen. II, 782. De ipsa insula (nunc *Kebris* appellata) eiusque fertilitate vid. librum meum geogr. III. p. 1044 sq. et Pauly *Realencycl.* II. p. 823. — **622.** *dicione.* Vid. supra ad v. 236. Pro *tenebat* unus Menag. I *premebat*, quod Heynio exquisitius videtur, sed fortasse ex VII, 37. et X, 54. huc translatum. — **623.** *casus mihi cognitus - - nomenque regesque.* Simile protozeugma, ubi Praedicatum, pluribus Subiectis commune, unius tantum et primi quidem numerum genusque sequitur, habemus e. g. V, 343. Mesozeugmatis exemplum praebet II, 460. *Turrim, unde Troia videri, et Danaum solitae naves, et Achaïa castra.* Hypozeugma denique invenimus e. g. Ecl. I, 58., ubi cf. adnott. — *casus*, interitus, *urbis*, ut infra II, 507. *Urbis captae casum* et ap. Ovid. Met. XIII, 576. *casus Troiae* etc. — **624.** „*reges Pelasgi* pro Achivorum ducibus; etiam hoc licentius et posteriorum poëtarum Graecorum exemplo [qui Pelasgos, antiquissimos Graeciae incolas, interdum omnino pro Graecis veteribus commemorant]; nam Homero Pelasgi diversus ab Achivis sunt populus, in Thessalia Larissam incolens: [cf. Il. II, 840. X, 429.].“ *Heyn.* Vid. infra II, 83. 106. 152. VI, 503. VIII, 600. IX, 154. — **625.** *Ipse*, non alii solum, sed adeo *ipse hostis.* Cf. Wagn. Qu. Virg. XVIII, g., qui comparat locos *Ecl. V, 62 sqq. Geo. I,* 16. Aen. IV, 465. VII, 220.

Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.
Quare agite, o tectis, iuvenes, succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Iactatam hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali miseris succurrere disco."
Sic memorat; simul Aenean in regia ducit
Tecta, simul divom templis indicit honorem.
Nec minus interea sociis ad litora mittit

VIII, 298. alios. — „*Teucros*, Troianos, ab antiquiore illo Teucro dictos, a quo Dardanus fuit exceptus, cum e Samothracia in terram Troianam traiecisset: vid. Apollod. III. 12 sqq. Ab his originem ducere videri volebat Teucer Telamonius, propter maternum genus. Erat enim ex Hesione Laomedontis filia natus, quam Telamon a sodali Hercule muneris loco acceperat. Vid. Soph. Ai. 1300." *Heyn.* Adde Diod. IV, 41. Apollod. III, 12, 7. et cf. Klopferi Lex. myth. I. p. 860 sq. s. v. Hesione. — *insigni laude*, ut apud Lucr. VI, 95. *ut insigni capiam cum laude coronam.* — *ferebat* pro *efferebat*, quod pedestres scriptores cum laude coniungere solent. Sic etiam Liv. VII, 10. *miris pro concione eam pugnam laudibus tulit.* Cf. etiam Aen. VIII, 288. Verba *insigni laude ferebat* iterantur in Anth. Lat. I, 146, 3. — **626.** *seque ortum volebat* (scil. esse), prorsus ut nos: *er wollte von ihm abstammen*, i. e. asseverabat se ortum esse, ortus haberi volebat. Cf. Cic. de Or. II, 60, 246. *qui se vult dicacem.* de Finn. V, 5, 13. *Strato physicum se voluit.* de Off. II, 22, 75. *Qui vero se populares volunt.* de Div. II, 44, 93. *Volunt illi, omnes eodem tempore ortos* cett. et Goerenz. in Iahnii Annall. a. 1826. I, 2. p. 312. De homoeoteleuto *ferebat - - volebat* vid. adnott. ad Aen. IV, 256. — *ab stirpe* pro vulg. *a stirpe* Heins. e Medic. (qui a m. pr. exhibet AD, a m. sec. AB) aliisque bonis libris restituit. Cf. adnott. ad Geo. I, 171. Ribbeck. tamen *a* restituit. — **627.** *Quare* non nisi cum *agite* vel *age* coniunctum ap. Verg. legitur. Cf. Geo. II, 35. Aen. VII, 130. 429. VIII, 273. — *agite - - succedite;* quemadmodum Geo. II, 35. Aen. VIII, 273 sq. Cf. Plaut. Curc. I, 88. *agite bibite.* Stich. I, 3, 68. *agite licemini.* Stat. Theb. XI, 478. *agite ite, obsistite* cett. Cf. Hand. Tursell. I. p. 205. et infra adnott. ad III, 169. — *tectis succedite nostris*, ut Aen. VIII, 123. *nostris succede penatibus hospes.* -- **628.** *per multos - - labores Iactatam*, ut Aen. VI, 693. *iactatum periclis.* Praeterea cf. Aen. I, 3. 29. 182. IV, 14. et similes locos. — **629.** *consistere terra* ut Aen. VI, 807. — **630.** „Sensus: ipsa *οὐκ ἀπειρόκακος*, ipsa tot mala experta, animum habeo pronum ad succurrendum aliis, qui fortuna adversa iactantur." *Heyn.* Peerlk. non inepte comparat Epist. ad Hebr. 4, 15. — **632.** „*Simul divum templis indicit honorem.* Si de supplicatione diis propter felicem Aeneae hospitis adventum decreta cum Serv. et aliis intelligimus, a more antiqui saeculi recedere dicendus est poëta et deflectere ad suae aetatis vitam. Nam, ut ex toto Homero satis constat, heroicis temporibus hospitis adventu in domo sacrum fit caeditur victima, et ex ea epulo sacro hospes excipitur. [Conington tamen conferri iubet Aesch. Agam. 87 sqq. 594 sqq. 1056 sq.] Veterem illum heroum morem Vergilii exemplo deseruit etiam Val. Fl. II, 650 sq. *Simul hospita pandi Festa iubet, templisque sacros largitur honores.*" *Heyn.* Ceterum cf. Aen. III, 264. (numinibus) *meritos indicit honores* et Caes. B. G. VII, 90. *supplicatio indicitur*, de voc. *honoris* autem adnott. ad Geo. III, 486. et supra v. 49. — *templis honores indicere* legimus etiam Aen. III, 264. ap. Silium VII, 90. et alibi. Val. Fl. II, 650. hunc locum sic imitatur: *Sic memorat - - simul hospita pandit Tecta iubet templisque sacros largitur honores.* Verba *templis indicit honores* legimus etiam ap. Silium VII, 90. Quod attinet ad duplex *simul* (de quo vid. supra ad v. 513.), Conington adnotat, hic et II, 220. eo duo Verba cum eodem Subiecto, supra vero v. 513. et V, 675. duo Subiecta cum uno Verbo coniungi. Adde Aen. XII, 268. et 758. atque praeterea etiam Geo. III, 201. et Aen. IX, 318., ubi duo Praedicata sic cum uno Verbo coniunguntur. — **633.** *Nec minus interea.* Vid. Geo. II, 429. — **634.** „*Hor-*

auros, magnorum horrentia centum
ıum, pinguis centum cum matribus agnos,
laetitiamque dii.
ıs interior regali splendida luxu

—

tis seu pilis [cf. adnott. ad Geo. I, 151.] et *terga suum* pro ı toto loco ante oculos poëta habuit Odyss. VIII, 59 sqq." *'ga* apud poëtas haud raro totum animal significant, haud dubie ım totius corporis pars maxime carnosa ideoque etiam praestan-. Cf. Aen. III, 242. VI, 422. VII, 20. (coll. cum Ovid. Met. et Moret. 57., ubi *terga suis* pro solo petasone posita videntur.) ›8. (ubi vid. adnot.) *taurinum tergum* pro tota pelle tauri usurpatum Ceterum cf. similem locum Aen. V, 96 sq. — **636.** „*Munera ıque dii*, h. e. diei: ut tauri, sues, ovesque cum agnis sint ıuibus diem tam faustum hilariter exigant. Sunt τὰ ξεινήϊα, spitalia." *Heyn.* Retinui quidem hanc lectionem ab Heynio, Brun-io, Wagn. et omnibus recentioribus editoribus (praeter Coningto-iam a Kappesio I. p. 68 sq. defensam, qui omnes sequuntur Gellii m IX, 14. sic scribentis: *In illo versu nihil dubium est, quin dii scripserit pro diei; Munera laetitiamque dii: quod ›s dei legunt, ab insolentia scilicet vocis istius abhorrentes. Sic ›s dii a veteribus declinatum est, ut fames fami* etc. (cf. r. de Gellii fontibus p. 95 sq. et Ribbeck. Proleg. p. 173. et 203.); ıs veritate mihi nondum esse persuasum fateor. Ut enim non illam secundi Casus formam, de qua erunt fortasse qui dubitent, lius in altero loco, ubi pristina huius vocabuli flectendi ratione ›. I, 208. (ad quem l. vid. adnott., ubi viris doctis de hac forma us adde Koenium de lingua epica Rom. p. 81 sqq.) potius *die* quamquam literas *e* et *i* antiquioribus temporibus sexcenties con-constat, ita ut etiam in illo ipso Georg. loco Charis. p. 101. *dii* uisse contendat; ut porro non opponam Codd. (etiam Med., Rom. uctoritatem, qui omnes fere *dei* videntur exhibere (Henry in 46 in duobus modo, Helmst. et Goth., *dii* invenit), cum insolentior ›leta forma pro causa corruptionis haberi possit; ipsa tamen sen-› est, quae magnopere offendat, Vergiliumque aliud quid scripsisse ›icari. Quis enim, quem non plane fugit veterum vivendi ratio Maronis de his rebus loquendi mos et consuetudo (cf. Aen. I, 195. 30. V, 248. IX, 165. cett.), sibi persuadere potest, poëtam in de-convivii tam lauti laetique apparatu ciborum modo mentionem ›sque tam accurate enumerasse, vinum vero, certissimum com-itiae incitamentum, prorsus tacuisse? cui etiam probabile videatur, ›m subtili pulchri venustique sensu praedito *tauros* illos, *sues*, us?) *diei laetitiam* appellari? quamquam Siebelis. p. 27. adnotat: s pecudes non misit, ut simpliciter dono essent, sed tamquam donum festi illius diei." Quod quam mirum esset, probe sen-Servius, qui utramque lectionem novit, si *dii* praeferendum sit, ›tilius et parum probabiliter distinguendum censet inter pecudes ıltrum destinatas, quae ad multorum dierum usum sufficiant, et a ad hunc potissimum diem hilariter exigendum comparata; Heins. ›rm., Bothius p. 12. (collato Iacobs. ad Anthol. Palat. p. 225.) r. p. 202., Müller in Progr. Blankenb. a. 1837., Haeckerm. Expl. p. *Zeitschr.* etc. XIX. p. 49., Henry, (in *Class. Muss.* XX., *Two. years* Philol. XI. p. 487. et 523.) et Conington lectionem *dei* amplectun-mnes vero eadem ratione explicant. Plerique (etiam Bryce, qui tuans propensus tamen videtur ad meum explicationem proban-Conington) de Bacchi muneribus cogitant, quem deum cum alii n Vergilius ipse infra v. 734. *laetitiae datorem* nuncupent. Cf. 414. Διονύσου γάνος, Hesiod. Scut. H. 400. οἷα Διόνυσος δῶκ' ἄρμα etc. Wagn. opponit, Bacchum non simpliciter *dei* nomine gnari potuisse; immemor haud dubie loci Aen. IX, 336. *multoque mbra deo victus, i. e. Baccho s.* vino, quamquam non nego hunc *i connexus clare docet, quis* deus intelligendus sit, non prorsus

Instruitur mediisque parant convivia tectis:
Arte laboratae vestes ostroque superbo,
Ingens argentum mensis caelataque in auro

---

nostro esse similem. Gravior causa mihi videtur defectus Copulae ante *munera*, quam et ipse aegre desidero. Nihilominus suspicor, poëtam, vere de vino cogitantem, utique scripsisse *munera laetitiamque dei*, ita quidem, ut, cum deum praedicato aliquo minus vulgari et usitato accuratius indicare vellet, quod non statim sibi succurreret, versum alteri recensioni imperfectum relinquere, quam tritum quiddam et quotidianum ponere maluerit. (Cf. etiam supra ad v. 534. adnott.) Henry autem (qui prius mecum de Baccho cogitaverat) nuper in Philol. l. l. novam iniit rationem, ut tauri illi, sues et agni vocentur munus tam splendidum et laetificum, ac si a deo aliquo missum sit, quam explicationem fulcire studet coll. Aen. VIII, 200., qui tamen locus nihil probat, cum Dido, huius muneris auctor, aequari nequeat Herculi, Iovis filio, post mortem inter deos relato, qui propterea ipse iam vivus pro deo haberi potuerit; similiterque etiam Haeckerm. ll. ll. explicat: „Adeo nitidum erat id pecus, ut vel deus *tali* munere laetus foret" *wahre Gottesgeschenke, an denen ein Gott seine Freude haben könnte;* contra quas interpretationes magis etiam valere videntur, quae supra lectioni *mun. laetitiamque dii* opposuimus. Peerlk. denique, et ipse sentiens, *laetitiam dei* significare debere vinum, quod ut commemoretur et rerum series et consuetudo postulet, paullo audacius coniecit *muneraque laticemque Lyaei.* (Vid. quae Siebelis p. 27. contra eum disputat.) — **637**. Iam Catullus dixerat LXIV, 46. *quacunque opulenta recessit Regia -- Tota domus gaudet regali splendida gaza.* Burm. cum Serv. *splendida* explicat: ut splendida sit, *splendida instruitur* accipiens pro *splendide instruitur*, coll. supra v. 506. VII, 343. VIII, 30.; quod vix probaveris. *Splendere* autem et *splendidus* de convivii apparatu proprie dici, demonstrare studet coll. locis Cic. pr. Quinct. 30. Claud. B. Gild. 181. in Rufin. II, 340. et adnott. ad Phaedr. XIV, 24. Vid. etiam Obbar. ad Hor. Ep. I, 5, 7. Vol. I. p. 254. Rectius tamen cum Henrico in *Tw. years* I. p. 158. coniunxeris verba *splendida regali luxu*, quam *instruitur regali luxu.* Verba *At domus interior* redeunt II, 486. atque *mediisque parant convivia tectis* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 44. et *tectis* in *mensis* mutatis ibid. VI, 84, 17. Conington comparat Cic. Verr.: Act. c. II. 34, [84.] *instructa et exornata domus* et ibid. IV, 27, [62.] *omnibus rebus instructum et paratum convivium.* Ceterum cum *interior domus* et *mediis tectis* tautologice dicta sint, Peerlkamp. praeferendam censet lectionem *At domus interea,* quam exhibet Cod. Ambrog. Frontonis Exempl. Eloc. p. 525. ed. Maii. — **639**. *vestes,* scil. sunt vel instruuntur. In narrandi enim et describendi brevitate saepe Substantiva sola sine Verbis poni, vere memorat Wagn. coll. Geo. II, 473. Aen. III, 216 sqq. 392. IV, 201 sq. V, 822 sqq. VII, 732. VIII, 678 sqq. XI, 633. Hic autem Verbum eo facilius poterat omitti, cum praecedant verba *domus instruitur.* Intellige autem vestes stragulas purpureas magna arte textas. Qua signif. voc. *vestes* etiam Geo. II, 464. Hor. Sat. II, 6, 103. Cic. Phil. II, 27, 66. Ovid. Met. VIII, 657. alibi legitur, neque raro cum Adiect. *stragulus* coniunctum (Cic. Verr. II, 7, 20. Liv. XXXIX, 6, 7. cett.). Omnino semper fere, ubi de vestibus tamquam de rebus splendidis, magnificis, pretiosis sermo est, hoc sensu capiendum est vocabulum, fortasse etiam Aen. III, 483. — *arte laboratae,* nove dictum pro magna arte textae pictaeque. Cf. tamen Ovid. Met. III, 158. *antrum arte laboratum nulla.* — *ostro.* Vid. infra v. 700. V, 111. Hor. Od. III, 29, 15. *coenae sine aulaeis et ostro,* et adnott. ad Geo. I, 207. — *superbo,* i. e. splendido. Vid. infra v. 697. II, 504. etc. Sic *ostroque superbo* etiam in Anth. Lat. I, 178, 23. De hoc autem Ablativo materiae vide quae infra ad v. 655. adnotavimus. Noli enim coniungere *ostro laboratae.* — **640**. *Ingens argentum,* quod redit III, 466., est ingens copia argenti, vasorum argenteorum, ut *pecunia magna* magna vis pecuniae apud Tac. Hist. I, 66. Nep. Cim. 1. cett. et *magnitudo pecuniae* ap. Cic. Inv. II, 56. Heyn. minus recte de magnis vasis cogitat. Ceterum cf. supra ad v. 593. adnotata. Verba Ingens argentum *mensis*

Fortia facta patrum, series longissima rerum
Per tot ducta viros antiquae ab origine gentis.
Aeneas — neque enim patrius consistere mentem
Passus amor — rapidum ad navis praemittit Achaten,
Ascanio ferat haec ipsumque ad moenia ducat.
Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.
Munera praeterea Iliacis erepta ruinis

---

iterat Auson. cent. nupt. 60. — *caelataque in auro* etc. Vasa aurea, in quibus caelata i. e. opere anaglypho seu exstantibus figuris repraesentata sunt praeclara maiorum Didonis facinora. Cf. adnott. ad Ecl. III, 37. Construitur autem *caelandi* voc. modo cum Praepos. *in* (e. g. Plin. H. N. XXXIII, 12, 55. *Satyrum in phiala*, *Areopagitas in scyphis*), modo cum simplici Ablativo (Cic. Div. I, 36, 79. *speciem argento*, Ovid. Met. V, 188. *clypeo flumina* cett.) — *Fortia facta*, ut Aen. X, 369. et ap. Liv. XXVI, 39, 3. *multis fortibus factis*. Cf. etiam Aen. VII, 232. 474. X, 282. 397. 791. XII, 322., contra vero Aen. II, 548. VIII, 483. XI, 812. etc. — „*series rerum ducta*, deducta; non autem de opere e metallo conflato, ut *duci* solet dici alibi.“ *Heyn.* Verba *series longissima rerum* repetuntur in Auson. cent. nupt. 17. — *antiquae gentis.* Heyn. cum Brunck. edidit *antiqua* (origine), quam lectionem si ab omnibus fere Codd. exhiberi censet, vehementer errat. Immo Med. et alii boni libri (Pal., Gud. et Bern. III. certe a m. sec.) vulgarem lectionem tuentur, quam revocavimus cum Wagn., qui censet, librarios elisione deceptos et memores fortasse similium locorum supra v. 733. Geo. IV, 286. etc. epitheton ad proximum voc. accommodasse. Vid. etiam adnott. ad IX, 179. Etiam Iahn., Gossr., Thiel. et Ladew. Wagnerum secuti sunt, dum Süpfl., Bryce, Ribbeck. et Conington restituerunt lectionem *antiqua*, quam plurimi sane Codd. praebent (Rom., duo Rottend., duo Paris., fragm. Mor., alii, a m. pr. autem Pal., Gud. et duo Bern.) — **643.** „Affectus paternus bene a poëta exhibitus; tum generosum Aeneae studium benevolentia reginae provocatum. — *amor non passus est mentem consistere;* ergo eum agitavit, permovit, ut filio nuntiari iuberet fortunae vices secundas, eumque arcesseret.“ *Heyn.* — *patrius amor.* Vid. adnott. ad Aen. VI, 33. *Consistere* i. q. tranquillum, quietum fieri vel esse (*Ruhe finden, haben*). Cf. Cic. Phil. II, 28, 68. *neque vigilantem, neque in somnis posse mente consistere.* pr. dom. 54. extr. *ut neque mens, neque vox, neque lingua consisteret* cett. Transfertur imprimis ad quiescentes vehementiores animi affectus. Vid. Burm. ad Petron. 46. idemque ad Quinct. Decl. 349. et Bach. ad Ovid. Met. VI, 627. (*infractaque constitit ira*). — **644.** *rapidum praemittit Achaten*, i. e. rapide praemittit, Praedicato, quod Subiecto convenit, vel per Adverbium exprimendum erat, ad Obiectum relato, ut saepe apud poëtas. Cf. etiam quae supra ad v. 169. adnotavimus et Obbarium in Diariis Schol. Darmstad. 1832. ch. 150. p. 1201 sqq., multa exempla afferentem. *Rapidus* autem de concitato hominum incessu non raro dicitur. Cf. Aen. VII, 156. XI, 909. XII, 81. cett. et adnott. ad Aen. I, 42. — *praemittit Achaten*, ut ante epulas a Didone paratas et priusquam alii mittantur a regina legati, qui sociis in navibus relictis laetam nuntium de Carthaginiensium hospitalitate adferant, haec nuntiet Ascanio ipsumque cum muneribus adducat. Cf. etiam Weickert l. l. p. 9. Heyn. *praemittere* pro simplici *mittere* positum censet, quod neutiquam probari potest. Eadem ratione Achates infra VI, 34. praemittitur. — *ferat*, nuntiet haec omnia. *Ferre* pro referre, nuntiare, redit II, 160. *si vera feram.* Cf. Ter. Phorm. V, 6, 17. *Quod fers, cedo.* Tac. Ann. I, 5. *fama eadem tulit.* VI, 47. *commentarii ad senatum missi ferebant* XV, 60. *haec ferre Granius Silvanus iubetur* etc. — **646.** *stat* non pro simplici *est* positum, quod Heyn. existimat; sed i. q. semper versatur, posita est, ut perpetuitatis, constantiae notio accedat. Vid. adnott. ad Aen. II, 163. — *cari parentis*, i. e. amantis, paullo fortius dictum, quam Homeri φίλου πατρός. — **647—656.** „Apud Homerum munera fere ξεινήϊα *hospitibus advenis* dantur ab iis, qui eos excipiunt.

Ferre iubet, pallam signis auroque rigentem
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivae Helenae, quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos,
Extulerat, matris Ledae mirabile donum;

Hoc loco iubet Aeneas apportare Achatem e navibus, quae Didoni donet.“ *Heyn.* — Cum v. **647.** cf. VII, 243. *fortunae - - parva prioris Munera, reliquias Troia ex ardente receptas* et III, 476. *Pergameis erepte ruinis.* — *ferre iubet,* omisso Accus. Obiecti. Vid. adnott. ad Ecl. VI, 85. — *palla,* vestis ampla et superior (deorum imprimis, vatum et mulierum) a collo usque ad pedes defluens, cuius nomen secundum Varronem apud Serv. ad h. l. et Isidor. l. infra laud. a Graeco πάλλειν deducendum, ut a mobilitate inferioris potissimum amplarum vestium partis appellata sit, ex alio autem Varronis loco L. L. IV, 39. ab Latino *palam* repetendum, quod superius sit vestimentum. Cf. Aen. VI, 555. VIII, 702. XI, 576. Hor. Sat. 1, 2, 98. id. ad Pis. 215. Ovid. Am. III, 13, 26. Tibull. III, 4, 35. Val. Fl. I, 385. Isidor. Orig. XIX, 25, 2. Spanhem. ad Callim. H. in Apoll. 32. Markland. ad Stat. Silv. II, 3, 16. Gierig. ad Ovid. Met. XI, 166. Iacobs. *Blumenl.* II. p. 112. Dissen. ad Tibull. I, 7, 46. Schirach. p. 569. s. v. *rigere.* Creuzer. *Symb.* II. p. 330. Boettigeri *Sabina* II. p. 140. Lersch. Ant. Verg. §. 79. p. 242. et Thiel. ad h .l. — „*palla signis auroque rigens* plena ac densa auro, quo pertextae et effictae sunt in tela figurae. Aen. XI, 72. *Tunc geminas vestes auroque ostroque rigentes Extulit Aeneas*: quas Dido — *tenui telas discreverat auro.* — *Rigentes togas* ex nostro duxit Claud. I, 205.“ *Heyn.* Videntur igitur *signis auroque* figura illa ἑνὸς διὰ δυοῖν dicta, de qua ad Ecl. II, 8. egimus, quamquam hic etiam notiones disiungere possumus. Nos similiter: *von Gold u. Stickerei strotzen.* Cf. etiam Lucr. V, 1427. *veste Purpurea atque auro signisque rigentibus apta,* quem Maro ante oculos videtur habuisse, et Ammian. Marc. XVI, 10. *rigentia auro vexilla.* Burm. praeterea Salmas. ad Vopisci Carinum c. 20. et Rubenium de re vestiar. I, 2. conferri iubet. Verba *pallam signis auroque rigentem* iterantur in Auson. cent. nupt. 58. — „*circumtextum velamen acantho,* praetextum acanthi foliis vestis oram ambientibus. De *acantho* vid. ad Ecl. III, 45., ubi in poculis ansae acantho circumlitae, ut apud Ovid. Met. XIV, 701. crateris os. — *croceum,* quod eius modo species est; nam vulgare genus est flore albo. Calpurn. Ecl. IV, 68. *rutilum* dixit, ubi Tityrum *cantantem rutilo spargebat acantho Nais.* Et similiter puto *Sidonium* Statius dixit in loco ex nostro expresso Silv. III, 1, 37. 38. *Hic tibi* (Hercules) *Sidonio celsum pulvinar acantho* (h. e. cui intextus ex purpura acanthus) *Texitur, et signis crescit torus asper eburnis.*“ *Heyn.* De aliis acanthi epithetis cf. Gebauer de poët. l. p. 202 sq., de eiusmodi autem ornamentis acanthinis Salmas. ad Hellan. p. 45. Sturz. Voss. ad Geo. IV, 123. et Iahn. cum Gierigio ad Ovid. Met. XIII, 701. — „*velamen* seu omnino peplus, vestis, seu expressum est τὸ κρήδεμνον, quo caput velari et, si complicaretur, frons religari poterat. [Hoc probabilius.] Abstulerat cum Helena Paris multas vestes et ornamenta, κειμήλια, quae ipsa cum Helena repetebant Achivi. Vid. Il. III, 70. et al.“ *Heyn.* — *Argivam Helenam,* Ἀργείην Ἑλένην (Hom. Il. II, 177. a Coningt. laud.) latiore sensu pro Spartana. Verba *Ornatus Argivae Helenae* iterantur in Auson. cent. nupt. 42. — **651.** *cum peterĕt.* Vid. adnott. ad Ecl. IV, 51. VI, 44. al. — *hymenaei* (fortasse etiam *Hymenaeus* Singul. numero: vid. tamen ad Aen. IV, 127. al.) pro ipsis nuptiis etiam III, 328. IV, 99. Geo. (III, 60.) IV, 516. Stat. Theb. III, 283. et saepe apud poëtas legitur. Verba *inconcessosque hymenaeos* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 7. — **652.** *Leda,* celeberrima Tyndarei, regis Spartani, uxor, Helenae, Castoris, Pollucis et Clytaemnestrae mater (Hygin. f. 14. 77. Apollod. I, 7, 10. alii), quae secundum Hom. Il. III, 426. 237. et Od. XI, 298 sqq. solam *Helenam* ex Iove, Dioscuros autem ex Tyndareo peperit. — **653.** „Habes *sceptrum,* h. e. hastam vel scipionem, insigne puellae regiae, ut omnino

Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami, colloque monile
Bacatum et duplicem gemmis auroque coronam.
Haec celerans iter ad navis tendebat Achates.
At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia, ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat donisque furentem
Incendat reginam atque ossibus inplicet ignem;

---

hominum genere vel honore insignium. Sic apud Eurip. Troad. 150. Hecuba *Σκήπτρῳ Πριάμου διερειδομένα* choros se celebrasse dicit." *Heyn.* Cf. etiam Stat. Theb. VI, 81. — *Iliones* historiam nemo praeter Hyginum f. 109. 240. et 243. refert. Erat autem Priami et Hecubae filia, Polymnestori, Thraciae regi, nupta, ex quo Deipylum suscepit. Parentes autem cum ei Polydorum, fratrem natu minimum (vid. adnott. ad III, 49 sqq.), educandum tradidissent, Ilione miro, quo hunc amplectebatur, amore commota est, ut fratre cum ipso filio permutato Polydorum filium, Deipylum fratrem esse simularet; quae fraus effecit, ut Polymnestor, praemio Graecorum corruptus, ipsum filium pro Polydoro interficeret. Ilione autem, prius marito e medio sublato, ipsa sibi manus intulit. Attius scripsit de ea tragoediam, quare commemoratur Horatio Sat. II, 3, 64. et Ciceroni Acad. II, 27, 88. et Tusc. I, 44, 106. Cf. Heynii Exc. XXIV. ad h. l. — *maxima*, scil. natu. Vid. supra ad v. 521. — **654.** *collo*, tertio Casu, ut collo ornamentum esset. — *monile bacatum* (cf. adnott. ad Ecl. X, 27., ubi adde Corssen. de pron. I. p. 38. ed. 2.) nove dictum pro monili margaritis ornato. Post Vergilium etiam Silius VIII, 134. dixit. Margaritae ipsae ob formae similitudinem etiam ab Hor. Epod. 8, 14., ab Ovidio Met. X, 116. et in Culice 67. *baccae* vocantur. Cf. etiam Heindorf. ad Hor. Sat. II, 3, 241. — **655.** „Coronam intelligo duplici materia, h. e. diadema aureum gemmis distinctum, quo in monumentis antiquioribus saepe deas ornatas videas. Ovid. Met. XIII, 704. *Dant pateram claramque auro gemmisque coronam.*" *Heyn.* Gossr. *duplicem coronam* proprio sensu dictam putat, coll. Val. Fl. VIII, 235. *Ipsa suam duplicem Cytherea coronam Donat et arsuras - - - gemmas;* sed hic ipse locus non aliter intelligendus atque noster, cum poëta sese ipse interpretans subiiciat *et arsuras alia cum virgine gemmas,* quod iam Heyn. perspexit. — *gemmis auroque* est Ablativus materiae, ut supra v. 167. ubi vid. adnott. Verba *duplicem gemmis auroque coronam* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 364.; verba autem *colloque monile* cum toto v. 655. iterantur in Auson. cent. nupt. 61 sq. — **656.** *Haec celerans*, i. e. vel celeriter allaturus, quemadmodum apud Hor. Od. II, 7, 24. *deproperare coronas*, ibid. III, 24, 62. *properare pecuniam* et similia; vel, quod probabilius videtur, haec (mandata) celeriter exsecuturus, ut *imperium* alicuius *celerare* legimus apud Val. Fl. IV, 80. 385. et alibi. *Celerare* cum Acc. Obiecti etiam infra VIII, 90. X, 249. et alibi legitur. De Participio Praesentis pro Futuri posito vid. ad Aen. II, 111. — *iter tendere* redit infra VII, 7. *Iter contendere* dicit Cic. pr. Rosc. Am. 34, 97. — **657** sqq. „Viderunt iam Germanus et Ursinus, in toto Veneris artificio et machinatione Vergilium ante oculos habuisse Apollonium III, 7 sqq., impr. 25 sq. 112 sq. Venus, Aeneae timens, ne Iunonis fraude Didonis et Poenorum voluntas in Troianos mutetur, reginam eius amore inflammat; eodem metu impulsa mox in nuptias consentit infr. IV, 107 sqq." *Heyn.* — **657.** *novas artes*, fraudes, ut infra VII, 477. Tibull. I, 4, 76. etc. Verba *At Cytherea novas artes* repetuntur in Auson. cent. nupt. 83. — **658.** *faciem*, corporis formam (*Gestalt*), ut Geo. II, 131. Aen. III, 310. V, 722. alibi. De constructione *faciem mutatus* vid. adnott. ad Ecl. I, 54. — **659. 660.** „*Donis furentem* vix, nisi dure admodum, dicas: quamvis v. 713. *Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo.* Melius *ut donis incendat reginam furentem*, amore inter haec ipsa actam, aut, ita ut amore furat, insaniat. Sic etiam alibi, *ut IV, 22. animumque labantem impulit*, ut labaret." Heyn.

Quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilinguis;
Urit atrox Iuno et sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:
„Nate, meae vires, mea magna potentia solus,

Nec *donis furentem*, nec *donis incendat*, ut meretriculam, iungi posse scribit Iacob. ad Lucil. Aetn. v. 112., sed Ablativo *donis* hoc significari: *dum dona affert;* contra quem recte disputat Wagn., qui iungens verba *donis incendat*, coll. infra v. 714., docet, mulieres, etiam alienissimas a meretricio more, donorum splendore et praestantia valde commoveri; *furentem* autem proleptice dictum ad utrumque enuntiatum hoc modo referendum: *incendat reginam et implicet ignem, ut furat* („furere eam faciat": Schirach. p. 447.). Cf. infra II, 430. IV, 22. etc. cum adnott. ad Geo. I, 320. et II, 353. Henry in *Tw. years* I. p. 159. et Philol. XI. p. 526. paullo subtilius premit genus donorum et cogitationes, quae iis in Didonis animo excitatae fuerint, cum croceum velamen flammei et duplex corona coronae nuptialis (? de qua conferri iubet Turnebi Adv. XXIX, 4.) memoriam ei afferre potuerint. — *Incendat reginam.* Vid. infra v. 687. — „*ossibus implicet ignem*, exquisitiore forma, quam *ossa implicet igni*, h. e. ipsis ossibus ac medullis, ut de amore loqui mos est, flammas inserat, immittat, insinuet." *Heyn.* Redit hoc totum hemistichium infra VII, 355. atque repetitur etiam in Anth. Lat. I, 178, 192. De *ossibus* vid. adnott. ad Aen. II, 120. Ad constructionem cf. Cic. de Div. I, 36, 79. *Dii vim suam naturis hominum implicant*, h. e. penitus immittunt. — **661. 662.** „*domum ambiguam* puto pro stirpe, gente Didonis dictam, et ad fraudulentum Pygmalionis ingenium respici. Locus Aen. I, 96. 97. aliter se habet." *Heyn.* Est igitur *domus ambigua* i. q. domus ambiguae fidei (cf. Liv. VI, 2, 3. *esse ambigua fide in amicitia alicuius*), fallax, cui fides haberi non potest. Sic II, 98. *spargere voces ambiguas*, i. e. suspicionum plenas, ideoque ambiguum s. male fidum aliquem reddentes. — *Tyriosque bilingues*, h. e. fallaces. Non miranda autem haec fallacia et perfidia populi soli mercaturae studentis. Quare *Punica fides, Punica religio* in proverbium abiit. Cf. Cort. ad Sall. Iug. 108, 3. Rupert. ad Liv. XXI, 4, 10. XXII, 6, 8. alii. *Bilinguis* eodem sensu legitur ap. Plaut. Pers. II, 4, 28. *Tamquam proserpens bestia est bilinguis et scelestus.* Phaedr. II, 4, 25. *Quantum homo bilinguis saepe concinnet mali.* Sil. II, 56. *Discinctos inter Libyas populosque bilingues* (i. e. Carthaginienses). id. XVI, 157. *Dimitte bilingues Ex animo socios* (ubi vid. Drak.) cett. Punctum prius in fine huius versus positum nunc in Semicolon mutavimus; cohaerere enim hunc versum cum sequente docent v. 670. et 671., quod vere animadvertit Conington. Venus timet, ne Iuno Tyriorum perfidia utatur ad Aeneam perdendum. — „*Urit Iuno atrox*, infesta; cogitatio de Iunonis in Aeneam odiis et consiliis eam cruciat." *Heyn.* *Urere* pro vexare, angere, pungere satis frequentatum. Cf. Ovid. Met. IV, 278. *tantus dolor urit amantes.* Sen. Herc. Oet. 620. *Urit miserum gloria pectus.* Flor. II, 6. Liv. X, 17. in. Vellei. II, 77. Cort. ad Lucan. IV, 578. Ruhnk. ad Ter. Eun. II, 2, 43. et Obbar. ad Hor. l. l. Fasc. V. p. 82. Cf. etiam Ecl. VIII, 82. — „*sub noctem:* vesperi haec geruntur. Vid. inf. v. 726. Narratum autem de dea secundum morem humanum: nocte quippe ingruente curae ac sollicitudines recrudescunt." *Heyn.* Cf. Aen. IV, 531. Ovid. Rem. Am. 585. *Tristior idcirco nox est, quam tempora Phoebi: Quae relevet luctus, turba sodalis abest.* idem Met. VIII, 81. *curarum maxima nutrix Nox intervenit.* Val. Fl. III, 361. *aspera curis nox* etc. — *cura recursat*, ut XII, 802. — **663.** *aligerum Amorem.* Sic apud Silium VII, 458. *aligeri* substantive sunt Cupidines alati: *Dumque hic aligeris instat Cytherea*, et apud Stat. Silv. III, 3, 80. Mercurius *summi Iovis aliger Arcas nuntius* vocatur. — **664—666.** „*Meae vires, mea potentia*, pro: per quem ego valeo et potens sum. Petiere hinc alii, ut Stat. Silv. I, 2, 135. *tu, mea summa potestas;* adde Ovid. Met. V, 365. [*Arma manusque meae, mea, nate, potentia*]. Paullo aliter filii patrum σθένος, robur, dicuntur; unde et Tragici, v. c. Eurip. Troad.

Nate, patris summi qui tela Typhoïa temnis,
Ad te confugio et supplex tua numina posco.
Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum
Litora iactetur odiis Iunonis acerbae,

---

570. Astyanax "Ἕκτορος ἶνις." *Heyn.* Cf. etiam Ovid. Am. I, 1, 13. (de Amore): *Sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna.* id. Met. V, 369. *Tu superas ipsumque Iovem, tu numina ponti Victa domas* etc. Theocr. Idyll. XIII. in. et Bionis Idyll. III. in. Difficile iudicatu est, utra distinguendi ratio praestet, ea, quam nos cum Wagn. et recentioribus editoribus omnibus secuti sumus (adsentiente Kappesio I. p. 70.), an altera, ut Comma (vel adeo Semicolon, quod Henry vult) ante *solus* ponatur et coniungantur verba *solus qui temnis*, cui patrocinantur Heyn., Wakef., Weickert., Iahn. ad Aen. XII, 858., Haeckerm. Expl. p. 23 sq. et in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 50. atque Henry in *Tw. years* I. p. 160 sq. et Philol. XI. p. 527. Illam enim suadet repetitus Vocativus *nate,* qui voc. *solus* ei praeposito valde languet meliusque prorsus abesset, et comparatio similis loci Aen. VIII, 581. *care puer, mea sola et sera voluptas;* huic vero favet Cod. Med. auctoritas et collati loci Ovid. Met. V, 365. *Arma manusque meae, mea, nate, potentia* etc. Stat. Silv. I, 2, 137. *Tu mea summa potestas, Nate* et Wernsd. Poet. L. min. IV, 92. *Laetare Cupido Terribilem divum* (Martem) *tuo solo numine victum,* qui omnes videntur hunc locum respicere. Quam autem Henry praeterea addit causam, Cupidinem neutiquam esse solam Veneris potentiam, quae etiam pulchritudinem suam et caestum habeat, ea non multum valet, cum apertum sit, Venerem hic filio blandiri velle, quo promptius ille mandata sua exsequatur. Quod ad nostram attinet rationem, satis notum est, Nominativum interdum praecedenti Vocativo ita subiici, ut appellationis causam contineat; ut igitur *Nate - - solus* sit i. q.: *Nate, qui solus es* etc. Cf. Aen. VI, 324 sq. *tu parce, - - Proice tela manu, sanguis meus.* Prop. II, 6, 19. *Tu criminis auctor, Nutritus duro Romule lacte lupae.* Ovid. Her. XIV, 73. *Surge, age, Belide, de tot modo fratribus unus.* Hor. Od. I, 2, 43. Liv. I, 2, 47. etc. Accedit, quod *solus* est in iis vocibus, quae carere Vocativo videntur (vid. Bauer. ad Sanct. Min. II, 6. p. 231 sq.); quamquam aliter statuit Priscian. V, 14, 77. (p. 673. Putsch.), qui ex Atticida in Hymenaeo hunc profert versum: *Felix lectule talibus sole amoribus.* Cf. etiam Ruddim. I. p. 135. et quae de Nominativo pro Vocativo posito ad Aen. XI, 464. disputavimus. — **665.** „Amor Iovis fulmina frangens aut calcans elegans poëtarum et artificum veterum lusus, suavi cum varietate expressus passim invenitur in gemmis; v. c. Mus. Flor. T. II. t. 16, 1. [ubi videmus Cupidinem Iovis fulmina ad genu frangentem]. — *tela Typhoïa* (*Τυφώϊα,* alibi *Τυφώεια*), quibus Iupiter usus est in Typhoeum [i. e. fulmina]." *Heyn.* De Typhone vid. adnott. ad Geo. I, 279. Ceterum optimi Codd. (Med., fragm. Vat., Rom.) Prisc. p. 588. P. et Servius praebent lectionem *Typhoëa,* quae metro adversatur; quare iam Brunck. *Typhoïa,* edidit, quae Adiectivi forma invenitur apud Claud. de R. P. III, 183. *cervix Typhoïa.* Vid. etiam supra ad v. 201. Iam Servius adnotat: „Multi legunt *Typhoïa*". Nihilominus Ribbeck. et Ladew. ediderunt *Typhoea* et ille quidem provocat ad Gramm. ineditum in Bibl. Leid., cuius Peerlk. haec affert: „*Typhoea* corruptum protulit. Doricum est. Illi enim de *ει* diphthongo *ι* abiiciunt et *e* sola brevis remanet". Sed cur praeter necessitatem hoc circuitu utamur? Rau in Sched. p. 53. hunc versum spurium censet. — **666.** Verba *Ad te confugio* hinc repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 3. et 194. — „*tua numina posco,* tuam opem et auxilium imploro, quod per *potentiam* et *numen* declarat." *Heyn.* Ceterum cf. Schirach. p. 536., qui admodum acerbum de toto h. l., utpote ridiculo et Venere indigno, fert iudicium. — **667.** *Frater.* Etiam apud Tibull. II, 5, 39. Aeneas *volitantis frater Amoris* vocatur. Magna autem cum vi voc. *frater* incipit sententiam. — *pelago* pro: in pelago, ut supra v. 3. (ubi vid. adnott.) *alto* pro: in alto. — *omnia cirum Litora.* Cf. adnott. ad v. 32. — *iactetur odiis* cett. Quia plurimi et praestantissimi Codd. (Med., Rom., Gud., fragm. Vat. a m. sec. etc.) exhibent *iacteturque,*

Nota tibi, et nostro doluísti saepe dolore.
Hunc Phoenissa tenet Dido blandisque moratur
Vocibus, et vereor, quo se Iunonia vertant
Hospitia; haud tanto cessabit cardine rerum.

Wagn. Qu. Virg. XII, 13. aut traiectionem statuendam esse censet, cum proprie dicendum esset, *pelago odiisque iactetur;* aut corruptelam in praegresso versu latere et vocem *pelago* occupare Verbi alicuius locum, quale *peragret;* aut denique *circum* pro *circet* a librariis invectum esse (quod verbum *circare* tueantur Brouckhus. ad Prop. IV, 9, 35. et Herm. Elem. doctr. metr. p. 619.). Equidem Copulam prorsus negligendam duxi, quam vanam modo de metro sollicitudinem invexisse mihi persuasum sit, et video mecum consentire Ribbeckium Proleg. p. 65. De productione autem syllabae brevis arsis et caesurae vi effecta vid. adnott. ad Ecl. I, 38. et Geo. II, 211. cum addend. coll. Fleckeisenio in Annal. suis LXI. p. 33. — *Iunonis acerbae.* Hanc difficiliorem lectionem, in quam librarii vix sua sponte deduci poterant, cum Ribbeckio et Coningtone ex fragm. Vat., Pal. et Gud. a m. pr., Minoraug. aliisque Codd. recepimus, cum vulgaris lectio *iniquae* (quam ceteri recentiores editores servarunt) facile ex VIII, 292. huc transferri potuerit, quamquam non reticendum est, etiam in Anth. Lat. I, 192, 2. legi *Aeneas odiis Iunonis pressus iniquae.* Etiam Aen. XI, 587. Codd. quidam deterioris notae pro *fatis urguetur acerbis* exhibent *f. u. iniquis,* quod ex Aen. II, 257. eo transferri potuit. Cf. autem Cic. Lael. 24. extr. *inimicus acerbus.* id. Catil. IV, 6. extr. *hostes acerbissimi.* ad Div. I, 4, 1. *Curio acerbus* etc. — **669.** *Nota tibi* (sunt) pro: notum tibi est, vel: res tibi notae sunt, Graecorum more. Cf. Herm. ad Viger. adn. 139. p. 739. Matth. Gr. §. 443. Kühner. Gr. §. 423. not. et quos hi laudant. Wund. comparat Plin. Paneg. c. 44. *An prona parvaque sunt ad aemulandum, quod nemo incolumitatem turpitudine rependit?* Peerlk. autem Claud. II. Rufin. 294. *ut cessisse duces - - cognita Rufino.* — *nostro doluisti dolore,* ut ap. Plaut. Pers. V, 1. v. ult. *Bene ei, qui hoc gaudio gaudet.* Cf. Ruddim. II. p. 158. — **670.** „Adumbratum putant ex notis verss. Odyss. I, 55—58., ubi Ulysses similiter a Calypso retinetur.“ *Heyn.* — *Hunc* Wagn. Qu. Virg. XX, 6. *a.* explicat *eum nunc,* ut *hic* de tempore intelligendum sit, quemadmodum infra v. 732. IV, 47. X, 629. alibi. Aliquot Codd. (Pal., fragm. Vat. a m. pr., Bern. III. alii) *Nunc,* quod Wakef., Ribbeck. et Conington, *hunc* ex v. 680. huc translatum censentes, praeferunt; sed Medic., Rom., Gud., Bern. II. alii et Anth. Lat. I, 14, 14., ubi verba *Hunc Phoenissa tenet* iterantur, vulgarem lectionem tuentur. — *tenet,* i. e. amore apud se retinet, explicatur verbis adiectis *blandisque moratur vocibus.* Cf. Burm. ad Val. Fl. VII, 257. a Peerlk. laud. — **671. 672.** „Sollicita est Venus et metuit, ne hospitium hoc Aeneae in Iunonia urbe [Iuno enim Carthaginis praeses: cf. supra v. 15.] ad eius exitium vertat (cf. IV, 96. etc.) Iunonis in Aeneam odiis.“ *Heyn.* — *quo se Iunonia vertant Hospitia.* Conington confert Ennii Alex. fragm. I. [p. 98. Vahl.] *Quo sese vertant tantae sortes somnium* et *Aeneia hospitia* Aen. X, 494. Gent. Annot. crit. p. 8. pro *Hospitia* praeter omnem necessitatem coni. *Consilia.* — „*tanto cardine rerum,* in tanto rerum momento, dum res summa agitur, an Troiani ab Italia fatalique regno averti possint, illa, sc. Iuno, *non cessabit,* sed novas adversus Aeneam machinas parabit, quibus eum perdat.“ *Heyn.* Subiectum enim sententiae (Iuno) ex verbis *Iunonia hospitia* est supplendum. Sic etiam apud pedestris orationis scriptores Substantivum ex antecedente Adiectivo intelligendum est. Cf. Cic. Brut. 29, 112. *aptum videbatur ad senatoriam sententiam, cuius* (senatus) *erat ille princeps, vel maxime.* Pacuv. ap. Cic. de Or. II, 46. *stomacho accommodatissimum lac caprinum, quoniam* (caprae) *vescuntur fronde magis quam herba.* Liv. II, 53. *Veiens bellum exortum, quibus* (Veientibus) *Sabini arma coniunxerant* etc. Cf. Gossr. ad h. l. — *Cardo* autem haud raro de eo dicitur, in quo maximum momentum est positum. Cf. Stat. Theb. X, 853. Sen. Troad. 52. Quinct. Inst. IV, 12, 3. XII, 8, 3. et Burm. ad

Quocirca capere ante dolis et cingere flamma
Reginam meditor, ne quo se numine mutet,
Sed magno Aeneae mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Regius accitu cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,

Val. Fl. V, 19. — **673.** *Cingere flamma* hinc repetitur in Anth. Lat. I, 178, 61. et 358. Sic etiam Aen. X, 119. *moenia cingere flammis* et alibi *flamma involvere, circumdare. Flamma* autem haud raro κατ' ἐξοχὴν de amore. Catull. LXIV, 92. *cuncto concepit pectore flammam.* Hor. Od. I, 27, 10. *digne puer meliore flamma.* Ovid. Met. VII, 17. *excute pectore flammas* cett. Ceterum cf. supra v. 660. — *ne quo se numine mutet*: ne dei cuiusdam (et hic quidem Iunonis) machinatione aliqua animus eius mutetur. Cf. adnott. ad Aen. I, 8. Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 50. de Didonis ipsius numine, i. e. voluntate, cogitat, quo tamen sensu *numen* hominibus tribui non solet, nisi ubi diis in aequo ponuntur. Vid. infra ad II, 396. — **675.** Post Part. *sed* ex antecedente negativo *ne* supplendum esse affirmativum *ut*, vix est quod commemorem, cum hoc genus breviter dicendi et Graecis et Latinis scriptoribus satis sit usitatum. Praeter multos alios cf. Stallb. ad Plat. Apol. p. 36. B. et ad Symp. p. 192. E. Drakenb. ad Liv. XL, 42, 11. Ruhnk. ad Rutil. p. 46 sq. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 1, 3. Bremi ad Nep. Thras. 3, 1. et Beneck. ad Iustin. XXX, 1, 8. — „*mecum*: pariter atque ego; amet Aeneam, quam ego amo, tueor, etsi aliter, et tamquam mater. Cf. Not. ad Ecl. II, 12.“ *Heyn.* Vid. etiam Ecl. II, 31. Geo. I, 41. II, 8. Aen. IV, 115. et similes locos, Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 48, 16. et Hand. Turs. II. p. 138. Rectius tamen Siebelis p. 27.: „*Mecum* non est: sicuti ego, pariter atque ego, sed potius *simul mecum* Aeneae amore teneatur.“ Serv. *mecum* male explicat: „per meos amores, me adnitente;“ quod tamen probare videtur Conington, comparans Aen. IV, 115. *Mecum erit iste labor.* Peerlk. tamen, cum maternus amor longe alius sit, quam amor, quo Cupido feminas incendere soleat (quod iam Serv. observavit), hanc profert coniecturam: *Sed m. Aeneae mentem incendatur amore.* Verissime autem Siebilis l. l. opponit, neminem reprehensurum esse matrem, quae pueros hortetur: amate mecum parentem vestrum. Cf. etiam Iahn. Annal. I. l. p. 47. Eiusdem farinae est Gent. l. l. p. 10. coniectura *pectus*, nec magis probandum Ribbeckii commentum: „Fortasse *media ut teneatur amore* secundum Graecam locutionem μέσον λαμβάνειν et ἔχειν.“ — **676.** „*qua*, h. e. qua ratione, ut IV, 115. plene dicitur. Cf. Val. Fl. I, 701. Et Ecl. IX, 44. *quacunque* eadem ellipsi usurpatur.“ *Heyn.* Ut etiam *aliqua* Ecl. III, 15. Cf. adnott. ad hoc locos coll. cum Aen. I, 682. V, 476. 590. XI, 293. multisque aliis locis. — *nunc accipe*, audi. Vid. infra ad II, 65. Verba *nostram nunc accipe mentem* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 49. 162. et 448. — **677.** *accitu*, ut alibi (imprimis apud Tacitum) *missu, monitu* et similia Substantiva verbalia haud raro usurpantur, si causa, cur quis aliquid faciat, ex alio pendet homine. Cf. Guntheri Latin. rest. P. II. p. 15 sqq. Goerenz. in Iahnii Annall. phill. et paedd. a. 1826. I. p. 296. Haase ad Reisig. *Vorles.* p. 702. Boettich. Lex. Tacit. p. LVI. sq. Bach. ad Ovid. Met. XIII, 216. et Ramsh. §. 171. III, 10. *Accitu istius* etiam apud Cic. Verr. III, 28. in. legitur. — *Ascanius* dicitur *regius puer*, quatenus *Aeneas* ipse saepe *rex* vocatur. Vid. adnott. ad Aen. I, 38. Cf. etiam Aen. V, 252., ubi Ganymedes *regius puer* vocatur. — *mea maxima cura. Cura*, i. e. in quo cura mea posita est (*Gegenstand der Sorge, Liebling*), imprimis de puellis amatis dicitur. Cf. Ecl. X, 22. Aen. III, 476. Prop. III, 32, (II, 34), 9. *tune meam potuisti tangere curam?* etc. Idem Ascanius etiam infra X, 132. *Veneris iustissima cura* vocatur. Wagn. haec verba otiosa censet et adiungit similibus additamentis otiosis, qualia sint supra v. 245 sq. infra III, 52. [ubi tamen vid. adnott.] V, 158. VIII, 95. X, 243. XII, 263. Sed rectissime Servius: „Ascanius, *cui regnum Italiae Romaque tellus* debentur [Aen. IV, 275.],

Dona ferens pelago et flammis restantia Troiae.
Hunc ego sopitum somno super alta Cythera
Aut super Idalium sacrata sede recondam,
Ne qua scire dolos mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius noctem non amplius unam

---

maxima cura Veneris introducitur, ut X, 132. et X, 50.“ Accedit, quod tota Veneris oratio accommodata est ad Cupidini persuadendum, quo etiam haec Ascanii notatio conferre poterat. Ceterum iterantur haec verba in Auson. cent. nupt. 8. — **679**. *pelago et flammis restantia Troiae*, i. q. supra v. 647. *Iliacis erepta ruinis*. Praepos. *ex* vel *de* notissimo poëtarum more omissa. Cf. adnott. ad Geo. I, 275. II, 520. al. Conington mihi obloquens *pelago* et *flammis* minus probabiliter pro Dativo habet. — **680**. Fragm. Moret. *Nunc ego*, ut supra v. 670. Sed recte Wagn. Qu. Virg. XX, 4. hunc locum iis adnumerat, ubi Pronomen *hoc* ad accuratius definitum Subiectum referatur, quales sint III, 49, IV, 189. 487. VII, 565. 611. IX, 364. XII, 416. 865. — *sopitum somno*. *Sopor* et *sopire* de alto somno dicitur; quare ap. Lucr. IV, 445. legimus: *quom suavi devinxit membra sopore Somnus, et in summa corpus iacet omne quiete* (ad quem l. vid. Wakef.). Thiel. comparat Hor. Od. I, 24, 5. *Ergo Quintilium perpetuus sopor urget*. Phaedr. III, 10, 31. *sopita primo quae nil somno senserat*. Nep. Dion. 2. *ut somno sopitus*. Plin. H. N. XXI, 18, 71. *papaveris semine somnum allici; sed modo servandum, ne sopor fiat*. Ladew. autem Soph. Oed. Tyr. 65. ὕπνῳ εὕδοντα. — **680—688**. Cf. infra X, 86. *Cythera*, *τὰ Κύθηρα* (vid. supra ad v. 257.) in utroque loco *alta* dicuntur, utpote insula quae alte prominet e mari. Cf. etiam X, 51., ubi *celsa Paphos atque alta Cythera* coniunguntur. De Cythera Veneri gratissima vid. supra ad v. 257. — *super Cythera, super Idalium* Heyn. interpretatur: „in templo super monte Cytherorum vel Cypri.“ *Super* autem saepe pro *in* et *ad* de locis altioribus dici Wagn. comprobat his locis: Aen. VI, 203. 515. VII, 557. Ovid. Met. XV, 875. *super alta perennis Astra ferar*. Liv. XXI, 5. *castris super ripam positis*; (quibus adde Aen. VI, 504. Ovid. Met. XIII, 477. *Illa super terram defecto poplite labens*. Phaedr. II, 6, 11. *ut scopulum super - - duram illidat corticem* et locos, ubi *super* c. Ablat. hoc sensu coniungitur: infra v. 700. Ecl. I, 80. Hor. Od. I, 12, 6. Propert. I, 21, 9. etc.) simulque commemorat contrarium usum Part. *sub* de humili loco coll. Aen. IX, 244. (ubi vid. adnott.) Geo. II, 157. Bach. ad Tibull. II, 3, 21. et Reisig. ad Oed. Col. v. 666. Vid. etiam supra ad v. 453. — „*Idalium*, *τὸ Ἰδάλιον ὄρος*, est mons in Cypro, ut v. 692. *in altos Idaliae lucos*; etsi et ipsa urbs *Idalia*, *Ἰδαλία χώρα*, appellata est *Idalium*, unde *Venus Idalia* dicta. Urbem saltem altero loco intelligas X, 86., quia cum Papho Idalium commemoratur: et ante v. 51. Sic *Γόλγοι καὶ Ἰδάλιον* ap. Theocr. XV, 101. Erat autem templum in monte positum. Cf. Strab. XIV. p. 1001. cum nott. Casaub.“ *Heyn*. Cf. etiam Catull. XXXVI, 12. LXIV, 96. Lucan. VIII, 716. Plin. H. N. V, 31, 35. Schol. Theocr. XVI, 100. cett. Hinc Aen. V, 760. *Venus Idalia*, Prop. V, (IV), 6, 59. *astrum Idalium* (sidus Veneris), Stat. Achill. I, 32. *volucres Idaliae* (columbae Veneri sacrae) et similia. Etiamnum vicus illius regionis ad Olympi radices situs (*Dalin*) antiqui nominis vestigia servavit. Cf. Engel *Kypros* I. p. 98. 153. et liber meus geogr. III. p. 1045 sq. — „*sacrata sede*, *ἐν τεμένει*, in templo. Sic Erechtheus abditus erat in Minervae templo Athenis Il. II, 549 et Phaëthon in templo Veneris apud Hesiod. Theog. 990. Similis fabula fuit de Cinyra: cf. Pindar. P. II, 27.“ *Heyn*. — **682**. *ne qua*, ratione ac via. Vid. supra v. 676. — „*medius occurrere*, in medio negotio: sup. v. 348. *Quos inter medius venit furor*, h. l. de eo, qui impeditum affert.“ *Heyn*. Cf. etiam Aen. X, 402. *Quam medius Rhoeteus intercipit*. Rau in Sched. p. 53 sq. etiam hunc versum non ipsius Vergilii esse censet. — **683**. „*faciem falle*, mentire, simula, falsam exhibe. *Facies* pro toto corpore et habitu. Cf. v. 658.“ *Heyn*. Sic apud Soph. Philoct. 129. *μορφὴν δολοῦν*. Ita imprimis Participium *falsus* pro ficto, simulato haud raro legi constat.

**Falle dolo et notos pueri puer indue voltus,
Ut, cum te gremio accipiet laetissima Dido
Regalis inter mensas laticemque Lyaeum,
Cum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem fallasque veneno.“**

Verba *Falle dolo* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 88. — *non amplius.* Vid. anott. ad Ecl. III, 105. Conington comparat Lucr. IV, 414. *Digitum non altior unum.* Verba *noctem non amplius unam* repetuntur in Auson. cent. nupt. 95. et in Anth. Lat. I, 178, 98. VI, 84, 44. — **684.** *notos pueri vultus,* ex more poëtarum pro: vultus puero proprios, solitos (cf. XII, 911. *non corpore notae Sufficiunt vires*); *induere* autem *vultus* metaphorice certe legitur etiam in Eleg. ad Liv. v. 181. *Urbs gemit et vultum miserabilis induit unum.* Thiel. praeterea comparat Liv. III, 38, 7. *adeo novum sibi ingenium induerat,* Drakenb. ad Sil. I, 38. et Heins. ad Claud. de Cons. Stil. 121. Ceterum de *faciei* et *vultus* discrimine Burm. conferri iubet Donat. ad Ter. Eun. II, 3, 5. Cic. pr. Cluent. 26, 72. *Recordamini faciem atque illos eius fictos simulatosque vultus.* Quinct. Inst. XI, 3. *Nonne in eadem facie tamen quasi vultus mutandus est.* — *pueri puer.* Solent veteres in iterandis iisdem vocabulis vim aliquam quaerere. Cf. infra V, 324. 569. X, 361. 600. 734. VII, 656. pluresque locos similes et vid. Paldamum de repet. vocum p. 6. Wagn. ad Aen. IV, 83. et V, 118. Iahn. ad Aen. I, 552. p. 451. ed. II. et quae ad Aen. III, 159. adnotavimus. — **686.** *inter mensas,* ut alibi *inter pocula, inter vina* etc. Conington confert Hor. Sat. II, 2, 4. *Discite non inter lances mensasque nitentes* [sic enim scribere debebat]. Verba *Regalis inter mensas* leguntur etiam in Anth. Lat. I, 168. 21., ut ibidem III, 93, 7. *regales dapibus gravare mensas,* haud dubie infra v. 706. ratione habita. — „*laticem Lyaeum* pro vulgari: laticem Lyaei. Sed poëtarum more pro derivato Adiectivo *latex Lyaeius,* quod vix usus ferret, ponitur.“ *Heyn. Latex* de vino legitur etiam infra v. 736. Geo. II, 192. Lucr. V, 14. Ovid. Met. XIII, 653. Val. Fl. I, 666. alibi; *Lyaeum* autem Bacchum dici a λύειν (qui curas solvit et dissipat, *der Sorgenbrecher*, vel, ex aliorum sententia minus probabili, qui corpus solvit et enervat), satis notum. Iam haud raro Lyaeus pro ipso vino ponitur, velut Hor. Od. I, 7, 22. Epod. IX, 38. Ovid. Am. II, 11, 49. Prop. IV, 4, (III, 5), 21. Sil. III, 370. alibi (cf. adnott. ad Ecl. IV, 32. et V, 69.), et *latex Lyaeus* eadem ratione dictum, qua *ursi Numidae* apud Iuven. IV, 99., *Numidae dentis opus* ap. Ovid. ex P. IV, 9, 28., *Romula gens* ap. Hor. Od. IV, 5, 1., *heroes sensus* apud Pers. I, 69. et multa id genus alia. Cf. Ruddim. II. p. 4. et quae ad Ecl. IV, 1., VIII, 13. supra ad v. 21. et alibi adnotavimus. Conington comparat *latices Lenaeos* Geo. III, 510. et *cinerem Sychaeum* Aen. VI, 552., ad quos locos vide adnott. — *dabit amplexus.* Vid. VIII, 405. et cf. adnott. ad II, 698. Respondet *amplexus petere* Aen. VIII, 615. — *oscula figere* ex Lucr. IV, 1175. *et foribus miser oscula figit.* Cf. Aen. II, 490. *oscula figunt* et Anth. Lat. I, 173, 105. *oscula figit. Oscula dulcia* haud raro, ut in Wernsd. Poët. min. IV, 497, 75. Totus autem v. 687. repetitur in Anth. Lat. VI, 84, 55. — „*occultum inspires ignem,* [quae verba hinc repetuntur in Anth. Lat. VI. 84, 48.] pro accendas, et iungitur etiam nova rei imago: *fallasque veneno,* h. e. per fraudem [clam] venenum [amoris] ei [non sentienti] instilles. Quod autem hoc ita adstruit poëta, ut Didonem inter convivii hilaritatem, quae animum relaxat, amore inflammet, naturae humanae convenienter comminiscitur.“ *Heyn.* Cum verbis *inspires fallasque* Schrader in Muetzellii *Zeitschr.* VII. p. 725. et Ladew. apte comparant Graeca λάϑε ἐμβαλών. Praeter Aen. VII, 650. *fallitque furentem Vipeream inspirans animam* cf. etiam Hor. Epist. I, 17, 10. *qui natus moriensque fefellit.* De amoris veneno cf. e. g. Sil. VII, 453. *tela blando medicata veneno* et Prop. III, 3, (II, 12), 18. *Si pudor est, alio traice tela tua* (Amorem adloquitur): *Intactos isto satius temptare veneno.* Ceterum vide etiam similes locos Val. Fl. VII, 259. *Occupat amplexu Venus et furialia figit Oscula permixtumque odiis in-*

Paret Amor dictis carae genetricis et alas
Exuit et gressu gaudens incedit Iuli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Inrigat et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliae lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adspirans complectitur umbra.
Iamque ibat dicto parens et dona Cupido
Regia portabat Tyriis duce laetus Achate.
  Cum venit, aulaeis iam se regina superbis

---

spirat amorem et Claud. in Eutrop. II, 188. *Infunditque animo furiale per oscula virus.* — V. **689** et **90.** iterantur in Anth. Lat. VI, 84, 52 sq. ultimis modo verbis in *sic ore locutus* mutatis. — **690.** „Suaviter pro: formam Ascanii induit. — *gaudens* adiectum, ut alibi *laetus.* Vid. v. 996." *Heyn.* Mihi potius *gaudens* sic explicandum videtur: sibi ipse placens in persona suscepta et tacito gaudio perfusus, dum meditatur dolum nectendum et amorem sibi per fraudem inflammandum. — *incedit.* Vid. supra ad v. 46. — **691.** „*quietem irrigare* habet ab antiquioribus poëtis, Lucretio [IV, 909. *somnus per membra quietem Irriget*] et Furio Antiate ap. Macrob. VI, 1. [*mitemque rigat per pectora somnum*]; qui duxere ex Homerico [Od. II, 395.] *ἐπὶ γλυκὺν ὕπνον ἔχευεν, περὶ δ' ἀμβρόσιος κέχυθ' ὕπνος.* Nata autem loquendi forma ex notione humoris primum *nocti,* tum *somno* adiuncta; unde *ὑγρὸς ὕπνος* [*liquidus* dictus Val. Flacco IV, 16., hunc locum imitato]. Ex eo artificum ratio ducta, quod Somnus cornu defundit quietem vel somnia." *Heyn.* Cf. etiam Geo. III, 511. *sopor irrigat artus* et Interpp. ad Sil. X, 356., ubi *oculis quietem irrorare* legitur. Conington praeter Val. Fl. l. l. conferri iubet similem certe locum Aen. V, 854. — **692.** *fotum gremio,* positum gremio, adiuncta tamen blandientis amoris notione verboque ab avibus omninoque animalibus, quae pullos fovent, ad homines et deos translato. Cf. infra v. 718. IV, 686. VIII, 388. Claud. I, 144. *Ipsa meo fovi gremio.* Cf. etiam Ecl. III, 4. ibique adnott. — De voc. *dea* post Veneris nomen adiecto vid. adnott. ad v. 412. — „*amaracus,* sampsuchum vel *maiorana,* quae inter coronarias est. Vid. Plin. XXI, 11, 35. 39.: *In Cypro laudatissimum et odoratissimum.* ibid. c. 22, 93.; et ut *umbram* h. l. efficiat, luxuriantius ibi nasci debet." *Heyn.* Cf. etiam Dioscor. III, 47. et Billerb. Flor. class. p. 156. Ex eo fiebat unguentum nobilissimum *amaracinum.* Cf. Lucr. IV, 1175. — **694.** *complectitur adspirans,* adhalando odores. Etiam Catull. LXI. (LIX), 7. *suaveolentis amaraci flores* commemorat, ex quo loco nescio an iure Henry in *Tw. years* I. p. 162. et Philol. XI. p. 527. concludat, amaracum Hymeni fuisse sacrum ideoque hic aptissime commemorari. — Cum ordine verborum *ibat - - et dona Cupido - - portabat* cf. II, 419. *saevitque tridenti - - atque imo Nereus ciet aequora fundo* similesque loci. — **696.** *duce laetus Achate,* nil fere aliud est, quam simplex Achate duce, vel Achatem habens ducem. Vid. ad v. 275. — **697** sqq. Cum toto hoc loco cf. Val. Fl. II, 332 sqq. Statius Theb. I, 514 sqq. et Silius XI, 278 sqq., qui omnes Vergilium imitati sunt. „*Aulaea* sunt vestes stragulae, *spondae* et toro iniectae. Sic erant *vestes arte laboratae et ostro* sup. v. 639. Alia sunt aulaea Geo. III, 25." *Heyn.* Rectius cogitaveris de coenatione in modum tentorii aulaeis intenta. Etiam Ladew. *aulaea* (partem pro toto positam) interpretatur „*einen Baldachin des Speisesalons.*" Henry ll. ll. (quem tamen video sententiam suam nunc retractare) cogitavit potius de solo lecto reginae aulaeis obducto et Conington incertus est, quid statuendum sit. Ceterum de *aulaeis* cf. Orell. ad Hor. Od. III, 29, 15. et de epitheto *superbis* adnott. ad Aen. II, 504. — *se componere* de eo dicitur, qui ab omnibus conspectus cum gravitate quadam et servato decoro corporis habitu considit vel decumbit (nostrum *sich zurecht setzen*). Cf. Plin. Epist. IV, 11. *postquam se composuit.* (Ovid. Met. XIV, 753. (de mortuo) *lecto compositus*). Ad apes translatum etiam Geo. IV, 189. legitur, ubi vid.

Aurea conposuit sponda mediamque locavit;
Iam pater Aeneas et iam Troiana iuventus
Conveniunt stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas Cereremque canistris
Expediunt tonsisque ferunt mantelia villis.

---

adnott. Sic *membra componere* Geo. IV, 438. Similiter etiam *togam componere* (*zurecht legen*) ap. Quinct. II, 3, 156. (ab Henr. laud.) — **698.** *sponda aurea*, lectum auro obductum, „*ein goldnes Speisesopha*“ regibus etiam a Cicerone Tusc. V, 21, 61. Suetonio Caes. 49. aliisque tribuitur. — *Aurea* duabus syllabis pronuntiandum, ut etiam infra VII, 190. utque alibi *antea*, *postea*, *interea* et similia (e. g. apud Lucr. II, 693. *eadem*, III, 930. *torreat*, Plaut. Pseud. II, 2, 71. *beatus* etc.). Cf. Ecl. III, 96. VII, 7. 54. Geo. I, 397. II, 200. Aen. I, 2. V, 352. VI, 280. VII, 190. 609. et quae his locis adscripsimus. — *mediamque locavit* scil. *se*, quod ex antecedentibus repetendum (vid. infra v. 718.). Medius enim locus, tamquam primus et honorificentissimus, reginae debetur (cf. infra VII, 169.); neque Romanos tantum mores a poëta hic spectari (cf. Plut. Cic. c. 2. Cat. min. 57. Sull. 5. Cic. de Rep. I, 12.), sed etiam apud Africae populos eandem consuetudinem obtinuisse, docet Sallust. Iug. 11, 3. *ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret.* Gossr., cui haec se collocandi ratio contra omne decorum esse videtur, locum potius sic explicat: „medio in conclavi aliquantulum a ceteris remotam.“ Quae ultima verba certe non ad Aeneam et Ascanium possunt referri (cf. infra v. 718.); quare prius cum Heynio explicui: in media sponda se locat regina, ut Aeneas et Ascanius ad utrumque eius latus accumbant; nunc tamen, cum Aeneas et Ascanius in proxime antecedentibus non diserte commemorentur, immo Aeneas demum post Didonem intret (v. 699.), coll. infra v. 738. potius cum Henrico (*Tw. years* I. p. 163.) et Ladew. locum ita capio, ut ab altero reginae latere Troianos, ab altero Poenos accubuisse censeam. Et Henr. quidem mensam sic collocatam videtur cogitare ⊓, ut Dido [cum Aenea et Ascanio?] in extrema et transversa mensa (*head of the table*, *am obern Ende der Tafel*) accumbat. Ceterum respexit hunc locum Val. Fl. II, 346. *iam medium Aesonides, iam se regina locavit*, quem comparans Peerlk. locum nostrum sic explicat: „non mediam inter vicinos, sed mediam in lecto suo“, quod nemo facile probabit. Ceterum cum Iahn. et Wagn. Punctum vulgo post locavit positum in Semicolon mutavimus, ut sententiae ita cohaereant: *Cum venit* - -, *Iam* (etiam) *pater Aeneas* etc. Adversatur nobis ceterisque recentioribus editoribus Conington, Punctum restituens. — **700.** „Postquam Dido considerat, discumbunt locis suis Troiani; instruuntur mensae epulis; tum v. 707. etiam Poeni ad mensas accumbunt. Interea apportantur munera Aeneae v. 709., et Dido a falso Ascanio amore Aeneae accenditur. — *strato ostro*, super toro purpurea veste stragula tecto. Cf. v. 639.“ *Heyn.* Adde infra v. 708. et Stat. Achill. II, 82. *picto discumbitur ostro.* De Praepos. *super* vid. ad v. 680. adnott. V. 700. cum sequente hemistichio repetuntur in Auson. cent. nupt. 41 sq. — **701. 702.** „Post discubitum - - aqua affertur ad manus lavandas; afferuntur ad eas tergendas (non ad mensas integendas, ut quidam commentantur: hoc enim ut ne opus esset, mensas cum ipsis ferculis tolli mos erat) χειρόμακτρα levia ac mollia; simulque instruitur mensa pane e canistris deprompto et apposito. Apud Homerum panis (quippe crustae vel placentae nostrae similior) in canistris apponitur, ut Od. I, 147. et al.; quod pressius sequitur noster Aen. VIII, 180. 181.“ *Heyn.* — *manibus* tertium esse Casum sive a *dant* pendentem, sive cum *lymphas* coniungendum, in promptu est. Cf. supra v. 654. Plures Codd. melioris notae (Rom., Gud., al.) inverso verborum ordine *Dant manibus famuli lymphas*, quos Iahn. secutus est. Nos ceteros Codd. et Priscianum de fig. num. c. I. p. 1346. secuti cum reliquis editoribus vulgarem et naturalem verborum ordinem servavimus. — *que* — *que*, i. e. alii — alii: vid. Wagn. ad h. l. et Qu. Virg. XXXIV, 1., Ecl. I, 64. Aen. VI, 616. X, 130., XI, 76 sq. **206. 606.**, ubi vid. adnott. — Verba *Cererem*, panem (vid. ad Ecl.

Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longam
Cura penum struere et flammis adolere Penatis;

IV, 32. et V, 69.) *canistris expediunt*, promunt singulis convivis distribuendum. Cf. infra IV, 592. Caes. B. G. VII, 18. Liv. XXIV, 26, 10. Ovid. A. A. I, 422. cett. imprimisque Varr. R. R. II, 10, 6. *cibaria expedire pastoribus.* Si tamen comparo Hom. Od. I, 110. *σῖτον δὲ δμωαὶ παρενήνεον ἐν κανέοισιν*, et Aen. VIII, 181. *onerantque canistris Dona laboratae Cereris*, proclivior sum ad amplectendam Siebelisii p. 28. et Henrici in Philol. XI. p. 528. explicationem: panem in canistris struxerunt, ut coenaturis paratus esset. — *mantelia tonsis villis*; vid. adnott. ad Geo. IV, 377., ubi eadem verba leguntur. Utebantur autem iis non solum post manuum lavationem, sed etiam in ipsa coena ad manus tergendas. Cf. Beckeri Gallus II. p. 153. a Siebelisio laud. Ceterum Peerlk., quem offendit *panis* medius inter *lymphas* et *mantelia* commemoratus, cuique ipsa *mantelia* fastidium pariunt, utrumque versum 701. et 702. spurium censet et ad exemplum loci Geo. IV, 376. huic sane simillimi formatum, Ravius autem in Sched. p. 54 sq. his versibus eiectis non contentus totum locum v. 699--706. exsulare iubet. — **703. 704.** „In interiore aedium parte erant feminae, quae panem canistris struerent, ut circumferretur et distribueretur convivis [in atrio epulantibus: cf. v. 726.]: quod vs. 701. *Cererem canistris expediunt.* Apud Gellium IV, 1. *struere penum* est instruere et adornare edulia ac cibos.“ *Heyn.* Neque aliter h. l. capiendum est, ubi neutiquam de solo pane cogitandum. Cf. autem Hom. Od. VII, 103. *πεντήκοντα δέ οἱ δμωαὶ κατὰ δῶμα γυναῖκες* etc., atque similis locus Silii XI, 276 sqq. — *ordine longam - - penum.* Hanc difficiliorem lectionem, quam exhibent Cod. Palat. et Charis. I. p. 57. P., fortasse etiam Priscian. V, 34. p. 654. P., vulgari *ordine longo* cum Wagnero (quem etiam Süpfl., Kappes. p. 72., Haupt., Ladew., Ribbeck. et Conington sequuntur) praeferre non dubitavimus, quamtumvis illam, a ceteris Codd., Nonio p. 247. coll. p. 58., Eugraphio ad Terent. Eun. II, 3, 18., Schol. Pers. ad Sat. III., Servio et Donato exhibitam, defendant Heinsius, Heynius, Gossr., Bryce, Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 50. et Henry (*Tw. years* I. p. 164. et Philol. XI. p. 529., qui eam in 53 Codd., *longam* vero in uno modo August. C. invenit). Utramque lectionem iam antiquitus in libris inventam fuisse, testatur Gellius IV, 1. Iam si Vergilius ipse vere scripsisset *ordine longo*, hanc locutionem ei satis familiarem (cf. v. 395. II, 766. VII, 482. 754. VIII, 722. XI, 144.) nemo facile mutasset; contra vero altera lectio longe difficilior ex his ipsis locis facillime potuit mutari, imprimis si forte imperitior librarius aliquis haesit etiam in feminino vocabuli genere. Accedit, quod etiam Ausonius Idyll. III, 28. sic scribens: *Conduntur fructus geminum mihi semper in annum. Cui non longa penus, huic quoque prompta fames*, haud dubie hunc locum ante oculos habuit. *Longa* autem *penus* (quae secundum Cic. N. D. II, 27, 68. *est omne, quo vescuntur homines*: cf. etiam Plaut. Pseud. I, 2, 45. Truc. II, 2, 19. Ter. Eun. II, 3, 19. etc.) est i. q. dapes per longam seriem dispositae (non penus in longum tempus sufficiens, ut Conington ad Gellii l. l. provocans verba intelligere videtur) et *ordine* cum *struere* coniungendum, i. e. certa quadam ratione, bene et recte; ut vere explicat Wagn., *recte* et *ordine* apud Cic. Verr. V, 84. Liv. XXXIII, 12. et alibi coniungi demonstrans. Cf. etiam Ecl. I, 73. Geo. IV, 4. Aen. III, 179. XI, 241. etc. Noli igitur vocem *ordine* cum Conington a Verbo *struere* seiungere et ad famulas earumque negotia rite divisa referre. Ceterum Serv. adnotat, *struere* (quod Wagn. explicat „in singulos missus componere“) verbum proprium esse de hac re, quapropter etiam ferculorum compositores *structores* appellati fuerint, qua de re cf. Silius XI, 279. Tac. Ann. XV, 37. Iuven. II, 136. XI, 136. Martial. X, 48, 15. Petron. 35. Conington tamen latiore sensu pro *instruere* omnino (*to furnish or replenish*) accipiendum esse censet. — *Cura penum struere.* Hic non Infinitivum pro Gerundio positum, sed *penum struere* Nominativum Subiecti esse, quemadmodum ap. Tac. Ann. XIV, 14. *Vetus Neroni cura erat curriculo quadrigarum insistere, nec minus studium cithara ludicrum*

Centum aliae totidemque pares aetate ministri,
Qui dapibus mensas onerent et pocula ponant.
Nec non et Tyrii per limina laeta frequentes
Convenere toris iussi discumbere pictis.
Mirantur dona Aeneae, mirantur Iulum
Flagrantisque dei voltus simulataque verba

---

in modum canere (*Fahren war eine Liebhaberei von ihm, Citherspiel seine Lieblingsbeschäftigung*), vix est quod commemorem. Cf. quae de hac constructione ad Geo. I, 305. adnotavimus. — „*et flammis adolere Penates*, h. e. flammas in Penatibus; *Penates* autem dicti aut pro foco, aut pro penetrali, sive omnino pro domo; VII, 71. *castis adolet dum altaria taedis* pro taedas in altari, ut alibi *adolere focos*, *aras* et alia; et Geo. IV, 379. *adolescunt arae ignibus*, ardent ignes in aris. Statius totum h. l. expressit Theb. I, 512 sqq., ubi - - *adolere focos epulasque recentes Instaurare iubet*. — *Adolere focos*, quamquam sententia ambigua, etiam expressit Silius XI, 278., qui locus ex nostro est adumbratus.“ *Heyn*. *Altaria* et *aras adolere* praeter l. l. Aen. VII, 71. legitur etiam ap. Lucr. IV, 1233. Tac. Hist. II, 3. et Ann. XIV, 30. De voce *adolere* explicanda vid. adnott. ad Ecl. VIII, 65. et ad Geo. IV, 379. Sic etiam *incendere aras* et *altaria* infra III, 279. et VIII, 285., ubi vid. adnott. Ceterum hic non de solis dapibus coquendis (ut Coningtoni videtur coll. Aesch. Agam. 1038. et 1056.), sed etiam de sacris faciendis cogitandum puto; nam ture in aris accenso (vid. Geo. l. c.) coluntur Penates (quos a *penu* nomen duxisse veteres existimarunt, Cicerone teste de N. D. II, 27, 68.). Schirach. p. 320. de solis sacrificiis h. l. intelligit et sic etiam *Wagn*.: „tus in focis accendunt ad habendum Penatibus honorem.“ — **705. 706.** „Ducentis aliis ministerium dapum et vini apponendi mandatum. — *pares aetate*, intell. iuvenes, pueros, ex more. Val. Fl. II, 653., loco hinc expresso: *centumque pares primaeva ministri Corpora*. [Henry ll. ll. et Wagn. comparant Tac. Ann. XV, 69. *Vestinus decora servitia et pari aetate habebat*.] Cibus apud Homer. statim ab initio apponitur; vina in poculis circumferuntur a pueris; maiores calices ad libationem faciendam ad finem coenae; ut etiam hic infra v. 723.“ *Heyn*. — *dapibus mensas onerent*. Vid. supra ad v. 686. — *onerent* - - *ponant* pro vulg. *onerant* - - *ponunt* ex plurimorum et optimorum Codd. auctoritate cum Wagn. restituimus, qui propterea sustulit Punctum vulgo in fine v. 704. positum. In Coniunctivo autem, cuius rationem Wagn. e dictione *quibus cura est* explicandam censet („quibus haec cura iniuncta est, ut onerent et ponant“), equidem, vel si non praecederent verba *quibus cura penum struere*, minime haererem; quidni enim poëtae constructionem ita variare licuerit, ut antea de re, quae vere est, historice per Indicativum locutus (*Dant*, - - *Expediunt* - -) iam sic pergeret: Praeterea centum aliae totidemque ministri adsunt, ut onerent et ponant, consilio Didonis, quae famulas et ministros instituerat, spectato? Iahnium, qui prius et ipse Indicativum in adnot. ad Aen. V, 347. defenderat, in edit. II. sententiam suam retractasse et Coniunctivum recepisse video, eundemque etiam ceteri editores me recentiores praeter Bryceum et Henricum in Philol. XI. p. 529. (qui tamen Indicativum in octo modo Codd. inter 44 a se collatos invenit) omnes exhibent. — **707.** *per limina laeta Convenere*, i. e. in domum. *Laeta* autem sunt *limina*, quia convivium paratur, in quo omnia sunt laeta et hilaria; quae laetitia propterea ad ipsum coenaculum s. triclinium transfertur. Ceterum cf. supra adnott. ad v. 441. et 591. Alterum huius versus hemistichium iteratur in Auson. cent. nupt. 29., Anth. Lat. I, 178, 417. et cum toto versu sequente ibid. VI, 84, 25 sq. — **708.** *tori picti*, pulvinaria vestibus stragulis, quae acu pictae sunt, tecta. Cf. IV, 206. Verba *iussi discumbere* Wund. cum verbo *mirantur* melius coniungi putat; sed rectius iunxeris *Convenere iussi*, i. e. *Convenere et iubentur* discumbere. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXIX, 5. et adnott. ad Geo. I, 206. — **710.** „*Flagrantes dei vultus*. Arbitror *oculos fulgentes*

Pallamque et pictum croceo velamen acantho.
Praecipue infelix, pesti devota futurae,
Expleri mentem nequit ardescitque tuendo
Phoenissa et pariter puero donisque movetur.
Ille ubi conplexu Aeneae colloque pependit
Et magnum falsi inplevit genitoris amorem,
Reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto
Haeret et interdum gremio fovet, inscia Dido,

---

indicari, utpote Amoris; saepe apud Ovidium *igne*, *ignis fulgore micantes*, item *flagrantes oculi*, *flagrantia lumina amantum*.“ *Heyn.* Etiam Cic. pr. Cael. 20, 49. *flagrantiam oculorum* in iis notat, qui ad amorem pellicere cupiunt. Cf. etiam Catull. LXIV, (LXII,) 91. *flagrantia declinavit Lumina*. Nihil tamen impedit, quominus simul de genis flagrantibus cogitemus. — 711. „*pictum* int. h. l. *circumtextum*, ex v. 649. Totum hunc versum post superiorem abesse aequo animo ferrem.“ *Heyn.* Etiam Rau in Sched. p. 56. et Ribbeckius (cf. eius Proleg. p. 67.) hunc versum, quem praetermittit Servius, Peerlk. autem intactum reliquit, spurium censent. Recte tamen eius αὐθεντίαν defenderunt Iahn. et Wagn., qui haec adnotat: „Potest hic versus e v. 648 sq. conflatus videri; sed solet ita, quae modo in universum commemoravit, deinde per singulas partes persequi Vergilius;“ et in min. edit. turbata rerum compositione significari Tyrios modo dona, modo Iulum (i. e. Cupidinem) miratos esse verissime memorat. Adiicere poterat, verba *et pictam croceo velamen acantho* hinc repeti in Auson. cent. nupt. 60. — 712—714. Hos tres versus Ribbeck. Proleg. p. 68. dittographiam sequentium v. 715—722. habet. — *infelix Phoenissa, pesti devota futurae*, pro: amori exitiabili destinata. Sic infra IV, 90. *peste teneri*, amore pestifero, exitioso. *Pestis* pro pernicie etiam V, 699. X, 55. et saepius legitur. Cum verbis seqq. *Expleri mentem - - tuendo* (intuendo) cf. Val. Fl. VII, 121. *Visu fruitur - - Implerique nequit*, et Stat. Theb. VIII, 650. *illam unam - - Adspicit et vultu non exsatiatur amato*. De constructione per Accus. remotioris obiecti vid. adnott. ad Ecl. I, 54. — Verba *pesti devota futurae* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 115. et totus, qui sequitur, versus ibid. I, 146, 7. — 714. *movetur* fortius, quam *delectatur*, *tenetur*. Verborum ordinem, quem nos cum Heyn., Wagn. (et recentioribus editoribus omnibus) secuti sumus, Brunck. ex optimis plurimisque Codd. et Charisio Inst. II. p. 191. P. pro vulg. *puero pariter* restituit. Wagn. comparat Geo. I, 455. Aen. II, 729. IX, 559. — 716. „Ruit primum puer in amplexum patris, inde ad reginam procedit. Desiderium patris ex absentia dixit *amorem magnum*, quem explevit, satiavit amplexu.“ *Heyn.* — *complexu - - - pependit*. Cf. Geo. II, 523. *pendent circum oscula nati*. — *implevit genitoris amorem*, satisfecit amori erga patrem, ficto amore erga patrem ita se gessit, ut ad amorem omnibus numeris perfectum nihil deesse videretur. Sic iam Burm. locum interpretatus est, quem nunc cum Iahnio, Peerlk. et Ladew. sequor. Similiter *implere* pro satisfacere vel explere legitur e. g. ap. Plin. Epist. X, 56. *partes officii implere*, Ovid. Am. III, 1, 30. *leges implere*, alibi. Peerlk. de verbo *implere*, in quo haeret, Cortium ad Plin. Epist. p. 350. et Lucan. VI, 213. Ruhnk. ad Vell. Pat. II, 95. et Walch. ad Tac. Agr. 44. conferri iubens, multa hic turbata esse suspicatur. — *falsus genitor*, i. e. qui fallebatur, qui putabat, verum esse Ascanium. Cf. Burm. ad Ovid. Heroid. II, 37. Coningtoni vero, qui hanc explicationem reiicit, *falsus* simpliciter est i. q. non verus, ut infra III, 302. *falsus Simois*. — 717. *Reginam petit*: „accurrit ad Didonem et oscula, quae quasi in ore adhuc sunt ei, figit; ita ut Aeneas quasi Didonem osculari videatur.“ *Gossr.* — *Haec* opponitur antecedenti *Aeneae*. Cf. adnott. ad Ecl. IX, 16. — 718. *oculis haeret* in puero. Cf. Val. Fl. VI, 657. *Regina virum, neque enim deus amovet ignem, Persequitur lustrans oculisque ardentibus haeret*. — De verbis

Insidat quantus miserae deus. At memor ille
Matris Acidaliae paulatim abolere Sychaeum
Incipit et vivo temptat praevertere amore
Iam pridem resides animos desuetaque corda.
Postquam prima quies epulis mensaeque remotae,

---

gremio fovet Heyn. haec adnotat: „Haec noli ex nostro sedendi more aestimare; nam Iulus iam tum pubes fuit, siquidem ante septem annos patris ductu e Troia egressus est. Sed accumbentium situs animo repraesentandus est: ex quo Iulus applicare se gremio reginae [iuxta se accubantis] potuit.“ Sed *gremio fovet* proprie dictum esse, probat verbum *insidat.* Poëta, veram Ascanii minimum quatuordecim annos nati aetatem non curans, hic, ut alibi, veritatem poëticae inventioni postponit. Ceterum *gremio fovet* eadem ratione dictum, qua VIII, 388. *amplexu fovere* et similia. Cf. etiam Hom. Il. XXI, 506. supra v. 692. et infra IV, 84. — *Haec - - - Dido.* Vid. adnott. ad Aen. I, 195. et 412. — 719. *Insidat.* Hanc Med., Pal., Gud. a m. sec. aliorumque Codd., Nonii p. 311, 20. et Servii ad Aen. VI, 708. lectionem nunc cum recentissimis editoribus praeter Haupt. omnibus (etiam Wagn. ipso in min. edit., quocum prius eam impugnaveram) praetuli alteri *insideat*, non retractans quidem, quae prius de discrimine verborum *insidĕre* et *insidēre* exposui, at considerans in prioribus scriptum esse *interdum gremio fovet,* ut etiam de tempore, quo subinde *insidat,* non solum, quo iam *insideat,* apte cogitari possit. An ceteros editores eadem causa moverit, nescio. — *quantus deus.* Vid. supra ad v. 664. — *miserae* longe significantius, quam simplex *sibi.* — „*Acidalia*, Venus ab Acidalio fonte, qui est in Orchomeno Boeotiae civitate, in quo se Gratiae lavant, quas Veneri constat esse sacratas.“ *Serv.* Huius fontis praeter Servium nemo mentionem facit; neque hoc Adiectivum praeter h. l., Mart. VI, 13, 5. (ubi *nodus Acidalius* i. q. zona Veneris) et IX, 14, 3. (ubi *arundo Acidalia,* ad illum fontem crescens, commemoratur) usquam legi videtur. — *abolere Sychaeum,* h. e. Sychaei memoriam, desiderium, amorem. Plenius Val. Max. VIII, 14. *abolere memoriam hominis,* ut ap. Tac. Hist. I, 84. *foedissimae noctis abolere memoriam* et similia. Silius I, 61. hunc locum imitatus scripsit *abolere Aegates.* Ceterum eadem brevitate Verg. Aen. I, 78. *Iovem* pro: Iovis gratiam, Aen. II, 312. *Ucalego* pro: domus Ucalegontis, III, 275. *Apollo* pro: aedes Apollinis, Tibull. IV, 9, 1. *iter ex animo sublatum puellae* pro: metus de itinere suscipiendo sublatus ex animo puellae, et IV, 1, 183. (ex Ungeri coni. de Valg. Rufo p. 30 sq. et 451.) *Fortuna, ut Mystes illum, me adversa fatigat,* i. e. Mystae amor. — „*praevertere,* exquisite pro simplici: occupare amore. Nam quod occupamus, in eo simul praevertimus alios, ne occupent.“ *Heyn.* Wunderl. Servium secutus sic explicat: „antequam a Iunone capiantur, impellere:“ rectius autem Wagn.: „tentat amore Aeneae Didonem ante incendere, quam prioris mariti memoria refricetur.“ Sic etiam Siebelis p. 28., coll. Aen. I, 317. et VII, 807. Peerlkampio tamen verbum *praevertere* obscurum et huic loco minus conveniens videtur, quare hoc toto versu praeter primum vocabulum eiecto et v. 716. in auxilium vocato hanc audacissimam suadet versuum verborumque transpositionem: *paulatim abolere Sychaeum Incipit, et falsi implevit genitoris amore Iam pridem resides animos desuetaque corda.* Sed vide quae Siebelis et Iahn. ll. ll. contra eum disputant. — „*amore vivo,* ut *flamma viva;* opp. *resides animi,* animus ad amandum iners et qui desuevit amare.“ *Heyn.* Melius perspexit Wagn. *vivum amorem* hic opponi veteri illi et paene intermortuo Sychaei. Cf. etiam Schirach. p. 332. Propterea addit *desuetaque corda,* quae desuescere paene inceperant amare. Cf. etiam Aen. VI, 814. ibique adnott. et VII, 693. *resides populos desuetaque bello Agmina.* Ceterum hunc locum ante oculos habuit Claud. Rapt. Pros. praef. II. sic canens: *Desuetae repetit fila canora lyrae Et resides levi modulatur pectine nervos.* — 723. „Epulis peractis fit libatio, delectat cantus citharoedi, seruntur sermones; Aeneas exoratur, ut fata sua exponat. *Postquam prima quies epulis,* h. e.

Crateras magnos statuunt et vina coronant.
Fit strepitus tectis vocemque per ampla volutant
Atria; dependent lychni laquearibus aureis

---

cum primum epulandi finis est factus. Nam *libatio* ad finem coenae fiebat: vid. v. 705. VIII, 184. et 273. 279. 280. Cf. sup. ad v. 216." *Heyn.* Wagn. confert Liv. XXI, 5, 9. *Cum prima quies silentiumque ab hostibus fuit.* Ceterum cf. adnott. ad Geo. III, 130. — *mensas* non totas intellige cum ipsis fulcris et pedibus, quibus etiam ad pocula collocanda opus erat, sed tabulas, in quibus cibi appositi fuerant, quas cum novo quoque cibo mutatas esse constat, quare etiam singula fercula *mensae* vocabantur. Cf. etiam supra ad v. 216. adnotata, ubi mensae (*Tische*) omnino non aderant. His mensis s. dapibus remotis epulas secuta est compotatio (s. *mensae secundae*, Geo. II, 101.) cum libatione. — 724. Cf. Hom. Il. I, 469 sqq. *Crateras magnas statuunt*, quia nunc incipit compotatio, in qua utebantur maioribus poculis. Vid. etiam Hom. Il. VI, 256. et adnott. ad Ecl. V, 68. Iterantur autem haec verba in Auson. cent. nupt. 23. — *Iam vina coronant* duplici modo explicari potest. Si ad Homeri locum laud., unde reliqua petita sunt (ubi *κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο*), ad Iliad. VIII, 232. (ubi de copia cibi potusque: *πίνοντες κρητῆρας ἐπιστεφέας οἴνοιο*) et similes locos respicimus, pocula usque ad marginem implent vino, quod marginem eorum ambit (*στέφει*); sed si aetatis Vergilianae morem et simillimos poëtae nostri locos, ut Geo. II, 528. (ubi vid. adnott.) et Aen. III, 525. spectamus, praeferenda est altera interpretatio: sertis cingunt pocula; eaque etiam Schirachii (p. 366 sqq.) et omnium recentiorum commentatorum est sententia. Nec minus Buttmann. in Lexilogo II. p. 100. ed. 2. et Nitzsch. ad Hom. Odyss. I, 419. Vergilium, Homeri verba non recte intelligentem, vere crateres corollis ornatos significare voluisse existimant. Cf. etiam Aen. VII, 146., ubi hic versus uno tantum vocabulo mutato iteratur. — 725. „Comparant illud *Μνηστῆρες δ' ὁμάδησαν ἀνὰ μέγαρα σκιόεντα*, Oyss. I, 365. et alibi repetitum." *Heyn.* — *Fit strepitus*, nam vina linguas solvunt animosque bibentium exhilarant. Explicantur autem haec verba sequentibus *vocemque volutant.* Cf. Burm. et alii ad Petron. 39. Pauci Codd. (Pal., Menag. I., Bern. II. a m. pr., dum Gud. a m. pr. *Id* exhibet) *It strepitus*, quod Peerlk. et Ribbeck. praeferunt, coll. Aen. IV, 443. 665. V, 451. VIII, 595. IX, 497. 661. XI, 192., quibus opponi possunt Geo. IV, 188. Aen. II, 209. et VI, 220. Servius utramque lectionem novit. — *vocem volutant*, ampli coenaculi respectu habito. Prosaice dicendum erat: vox, i. e. clamor, se volutat per atria. Ceterum cf. infra V, 149. *vocem volutant litora*, X, 98. *caeca volutant Murmura*, et Ovid. Met. XII, 55. *confusaque verba volutant. Sic verba volvere* etiam ap. Cic. de Or. III, 47. in. et Brut. 70, 246. Codd. quidam Pluralem *voces* exhibent, qui Peerlk. videtur praeferendus. — *per atria*; nam in atrio Romani coenabant antiquissimis temporibus. Cf. Gessneri Thes. v. *tablinum.* Iteratur hic versus in Anth. Lat. VI, 84, 18. et alterum eius hemistichium cum toto v. 726. in Auson. cent. nupt. 31 sq. Pro *ampla* Codd. quidam et Schol. Hor. Od. III, 19, 23. exhibent *alta*, quod ex IV, 665. huc translatum videtur. — 726. „Continuatam in multam noctem coenam indicare vult poëta. Observa et hic summum ornatum verborumque dignitatem in re tenui. Non lucernas vel candelabra posuit, sed *lychnos* et *funalia.* Cf. Odyss. VII, 100 sqq. de regia Alcinoi." *Heyn.* Maro imitatus videtur Lucr. V, 296. *pendentes lychni claraeque coruscis Fulguribus - - tedae.* Ribbeck. provocans ad Ritschel. in Mus. phil. X. p. 450. ex Pal. a m. sec., Mentel. I., Menag. I. Bern. III. a m. pr. et Auct. de gen. nom. p. 84, 4. H. recepit formam *lychini.* — *laquearibus aureis. Laquear* s. *laqueare* (i. e. res laqueorum similis) significat ornamenta cava et depressa in contignationibus, interstitia trabium anaglyphis et picturis ornata (*Tafelwerk mit Zierrathen*). Cf. Beckeri Gallus II. p. 218. ed. 2. Laquear Singul. numero usurpatum praeter Culicis v. 62. vix unquam invenitur; *laquearia* autem saepius commemorantur, v. c. infra VIII, 25. Sil. VII, 142. Sen. Ep. 14. Plin. H. N. XXXIII, 3, 18. *Laquearia, quae nunc et in privatis domibus auro teguntur.* Idem significant *tecta laqueata*

Incensi et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque poposcit
Inplevitque mero pateram, quam Belus et omnes
A Belo soliti; tum facta silentia tectis:
„Iuppiter — hospitibus nam te dare iura loquuntur —,
Hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis
Esse velis nostrosque huius meminisse minores.

---

apud Cic. Leg. II, 1, 2. Tusc. I, 35, 85. Verr. I, 51. in. Hor. Od II, 16, 11. alibi, et *lacunar* (lacunarum simile quid) apud eosdem Tusc. V, 21. 62. et Od. II, 18, 2. itemque ap. Vitruv. VII, 7. Cf. etiam Markl. ad Stat. Silv. IV, 2, 31., qui utramque vocem eiusdem originis esse censet, ut a *lacu* — *lacunar* et inde *lacunarium*, *lacuarium*, *laquearium* formatum sit. — De synaeresi *aureis* vid. supra ad v. 698. — **727.** *funalia*, funiculi cera illiti. Vid. Hor. Od. III, 26, 6. Sil. VI, 667. Cic. de Sen. 13, 44. *Cereus funalis* ap. Val. Max. III, 6, 4. legitur. — *vincunt.* Cf. Stat. Theb. I, 520. *Ast alii tenebras et opacam vincere noctem Adgressi tendunt auratis vincula lychnis.* — **728—730.** Cf. Stat Theb. I, 539 sqq., Vergilium imitatus. *Hic*, i. e. tum, de tempore, ut apud Graecos ἔνθα pro τότε. Cf. Geo. IV, 264. Aen. II, 122. 199. 386. 533. 699. 735. 743. III, 369. 453. IV, 648. et permulti alii loci, quos collegit Wagn. Qu. Virg. XXIII, 2, b. Aliorum, etiam pedestrium, scriptorum locos afferunt Burm. ad Val. Fl. I, 535. Heind. ad Hor. Sat. I, 9, 7. et Hand. Tursell. III. p. 79. — **729.** *pateram*, qua semper libabatur. Cf. Aen. III, 354. XII, 174. etc. — *omnes a Belo*, sc. orti, originem ducentes, i. e. reges Tyriorum, qui genus suum a Belo ducebant. Vid. supra ad v. 160. Geo. II, 243. (et III, 2.) Conington *a Belo* minus probabiliter explicat: inde a Beli tempore. Ceterum hunc Belum alium esse atque Didonis patrem supra v. 621. commemoratum, in promptu est. — „*soliti*, sc. mero implere, h. e. qua usi fuerant. A Belo autem Tyriorum regum stirpem ducere solebant Graeci. Vid. Apollodor. II, 1. Serv. supra ad v. 642. et Salmasii Exerc. Plin. p. 402. Ex nostro Silius I, 87 sqq. [*omnisque nepotum A Belo series.*]" *Heyn.* Conington comparat locum similem Aen. IX, 300. *Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat.* — *facta silentia* post strepitum (v. 725.), quia nunc fit libatio. Cf. Val. Fl. II, 347 sq. *sacris dum vincitur extis Prima fames, circum patera it Bacchus et omnis Aula silet.* Cf. etiam Aen. XI, 241. *tum facta silentia linguis* etc. — **731—735.** Preces inter libandum ad Iovem ξένιον, hospitalem, factae. Cf. Hom. Od. VII, 179 sqq. — *Iuppiter — hospitibus nam* etc. Vid. supra ad v. 65. et 444. — „*hospitibus te dare iura*, praeesse, sub tutela eos habere; non aliter usus loquendi fert, quatenus *dare iura* simpliciter est imperare. Dicerem esse: *qui hospitibus illatas iniurias ulcisceris*; sed, an *dare iura* pro ius reddere, ulcisci, dicatur, dubito. [Et recte quidem; valet potius: Iovem (*Δία ξένιον*) constituisse iura hospitum, quae etiamnum tueatur. De Praesente autem vid. adnott. ad Ecl. VIII, 45.] Expressa illa Homerica Od. VII, 179 sqq. Adde Od. XIII, 50 sqq. et plures alios locos." *Heyn.* Ceterum Haupt. et Ribbeck. *locuntur*. Vid. ad Ecl. V, 4. et 28., ubi adde Corssen. de pron. I. p. 73. ed. 2. — **732.** Cum nocte res agatur, argutantur nonnulli in vocabulo *diem*. Sed verissime docet Wund., loqui Didonem nostro more et intelligendum esse diem, cui noctis illa pars, qua coenatum, adnumeretur; coll. Caes. B. G. IV, 29. *Eadem nocte accidit, ut esset luna plena, quae dies maritimos aestus maximos in oceano efficere consuevit.* Vid. etiam Donat. ad Ter. Andr. I, 2, 25. Interpp. ad Ovid. Fast. V, 442. et Frontin. I, 5, 19. et Burm. ad h. l. — *Tyrii Troiaque profecti* eadem ratione coniunguntur Aen. IV, 111. — **733.** *esse velis.* *Velle* verbum sollemne esse de diis, adnotat Thiel., comparans formulam illam *cum diis volentibus* (Cat. R. R. c. 141. et Cic. Off. I, 12, 6.) et Livii plures locos (I, 16, 3. VII, 26, 4. XXIV, 21, 10. XXXIX, 16, 11.), ubi *volens* et *propitius* coniunctum de diis usurpatur. — *huius* cum vi repetitum pro *eius*, quod languidius esset. Vid. ad v. 742. — *minores*, nepotes, posteros. Cf. supra ad v. 532. adnott. Conington memorat, quantum discrepet ab hoc

Adsit laetitiae Bacchus dator et bona Iuno;
Et vos o coetum, Tyrii, celebrate faventes."
Dixit et in mensam laticum libavit honorem
Primaque libato summo tenus attigit ore;
Tum Bitiae dedit increpitans. Ille inpiger hausit

---

loco Didonis imprecatio infra IV, 622 sqq. — 734. *Adsit*. Servius commemorat alteram lectionem *Adsis*, quae tamen in Codd. nobis cognitis non invenitur. *Adesse* verbum proprium de diis, qui invocantur, ut praesentes vel auxilium ferant, vel festum aliquod concelebrent. Cf. Geo. I, 18. Aen. III, 116. IV, 578. VIII, 78. X, 255. 461. Tibull. I, 1, 37. 5, 21. 7, 49. Ovid. Met. III, 613. Catull. LXII, 5. multique alii loci, Gronov. ad Sen. Hippol. 974. Drak. ad Silii XVII, 80. Ruhnk. ad Ovid. Her. IV, 15. — *Bacchus laetitiae dator*. Heyn. confert *Δῶρα Διωνύσου πολυγηθέος* ap. Hesiod. Op. et D. 614. De Baccho, qui cur invocetur, ex verbis additis *laetitiae dator* (cf. supra v. 636.) facile intelligitur, Carthagine culto vid. infra ad IV, 58. — *bona Iuno*, benigna, propitia, fortunans, *χρηστή, ἀγαθή*. Cf. adnott. ad Ecl. V, 61.; quo loco collato Wagn. iubet coniungi *bona adsit*, cui tamen contradicit Conington *bonam Iunonem* explicans „*the giver of blessings*," quod sane Baccho, *laetitiae datori*, bene respondet. — *coetum*, convivium (cf. Catull. LXIV, (LXII), 33. 385. 407. a Conington. laud.) et *celebrare* pro interesse. Cf. Cic. Att. I, 19, 9. *conventus celebrare*. id. Verr. I, 26, 66. *convivium celebrare sermone et laetitia*. Aen. VIII, 173. *sacra - - - celebrate faventes* etc. — 736—740. Finitas epulas sequitur sollemnis libatio. Cf. Aen. VIII, 279., ubi, ut hic, *in mensam laeti libant*. *Laticum*, laticis, *honorem*, h. e. vinum in deorum honorem libatione effusum. *Latices* absolute de vino etiam apud Val. Flacc. I, 666. *Hac* (patera) *pelago libat latices*. Cf. infra IV, 207. Vid. etiam Macrob. Sat. III, 2. et 11. Imitatur h. l. Sil. VII, 748. *In mensam -- sacrum libavit honorem* et XI, 303. *Bacchi de more liquorem Irrorat mensis*. — *Mensam* autem *secundam* intelligendam esse, docet v. 723. cum Geo. II, 101. collatus. — 737. „*libato*, h. e. postquam libatum erat, vel libato laticum honore, alteri tradit vel tradi iubet poculum, unde primo loco gustaverat regina, ut et ille libatione facta biberet; quod is laetus lubensque facit." *Heyn*. Wakef. (et Iahn. in priore edit.) ex uno Cod. Hamb. edidit *libatum*, Both. autem recepit Heinsii coniecturam, minus etiam ferendam, *libatos*. Dido enim non poterat attingere *libatum vinum*, quod non erat in poculo, sed in mensam effluxerat. Nemo autem unquam *libatum vinum* dixit pro vino, unde libatum est. Quod attinet ad usum Participii absoluti, vid. infra II, 129. *composito*, Cic. Off. II, 12., 42. de Finn. II, 27, 83. Caes. B. G. VII, 52. Liv. XXXIV, 31. Iustin. II, 5. aliosque locos et cf. Perizon. ad Sanct. Min. III, 9. Ruddim. II. p. 297. Ramsh. §. 171. III, 3. Beneckium ad Iustin. XXXII, 1, 9. et quos Kritz. laudat ad Sall. Cat. 41, 5. — *summo tenus attigit ore*, primis labiis degustavit, ut decet feminam, imprimis ex antiquorum sentiendi ratione. Recte enim Servius: „Et verecundiam reginae ostendit et morem Romanum. Nam apud maiores nostros feminae non utebantur vino, nisi sacrorum causa certis diebus." Peerlk., cui hoc nimis tenue et orationi prosae aptius videtur, quique praeterea haeret in otioso illo *Primaque*, hanc profert coniecturam non minus audacem quam languidam et ieiunam: *Vinaque vix labio summa tenus attigit ora, Cum Bitiae* etc. (Cf. Iahn. Annal. l. l. p. 48.) Verba *summo tenus attigit ore* iterantur in Anth. Lat. I, 14, 19. Conington comparat Lucr. I, 940. *Labrorum tenus*. — 738. „*Προὔπινεν* illa et *dedit*, propinavit, iterum repletum praeberi iussit, *increpitans*, simpl. adhortans, invitans, ut et ipse biberet; nil amplius. Obiurgandi hic nec locus, nec dignus vel reginae vel epici poëtae persona talis sarcasmus. (Cf. etiam Aen. III, 454. Liv. I, 7. Caes. B. G. II, 30. et quod ad simplex verbum *increpare* attinet, Aen. IX, 127. X, 278. Liv. I, 51. in. II, 10. VI, 37. in. similesque locos, quamquam non ubique satis clarum est, utrum modo clara voce inclamare, an obiurgare verbisque

Spumantem pateram et pleno se proluit auro;
Post alii proceres. Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quem maximus Atlas.

---

castigare aliquem significet.] Recedit a more nostro res etiam in eo, quod non Aeneae hospiti a regina praebetur poculum; nam in honorem eius adventus diis libatur.“ *Heyn.* Non minus recedit poëta ab Homeri usu, apud quem vina inter convivas distribuuntur a praecone ad singulos accedente. (Vid. Odyss. VIII, 70. et al.) – *Bitias* (ut paullo post *Iopas*) Punicum est nomen (vid. Drakenb. ad Sil. II. 409. et 733. et Servius ad h. l.), qui Bitiam, classis Punicae praefectum a Livio commemorari refert, cuius nomen idem esse videtur cum *Bithyae* nomine ap. Appian. Pun. 111. 114. 120. et Zonar. IX. 30. apparentis, quamquam etiam inter Aeneae comites alius erat Bitias, quem Turnus occidit. Vid. infra IX, 672. 700. et XI, 396. — **739.** „*pleno auro se proluit*, poculum vini plenum hausit, quod tantum labris attigerat Dido; *proluere se*, gulam, dictum puta, ut *vino perfundi*, *madere*, *tingui*, de ebriis; quae omnia notiora sunt. *Multa prolutus vappa* etiam Hor. Serm. I, 5, 16.“ *Heyn.* Cf. Copae v. 29. *Aestivo recubans te prolue vitro*, Hor. Sat. II, 4, 27. *praecordia mulso prolueris melius*, et Pers. Prol. 1. *fonte labra prolui caballino*. De *auro* autem pro poculo aureo vid. Stat. Theb. IV, 187. *vacuantque profundo Aurum immane mero* et Burm. ad Val. Fl. I, 148. coll. iis, quae ad v. 593. huius libri, ad Ecl. X, 59. Geo. II, 193. al. adnotavimus. — **740.** „Ad Homeri imitationem, imprimis Od. VIII, 62 sq. Heroicis temporibus semper ἀοιδὸς conviviis, quae fere cum re divina erant coniuncta, aderat. Cf. Quinctil. I, 10, 10. — *crinitus*: proprius is citharoedorum habitus, comam alere; fortasse Apollinis exemplo. [In Ennii certe fragm. ap. Cic. Acad. pr. II, 28, 89. (p. 97. Vahl.) et infra Aen. IX, 638. *crinitus Apollo* commemoratur.] Traduxisse tamen ex suis temporibus ad vetera videtur Vergilius.“ *Heyn.* Verba *cithara crinitus Iopas* repetuntur in Anth. Lat. VI, 84, 22. Servio teste hic Iopas erat „unus de procis Didonis, ut Punica testatur historia,“ qua de re dubitare liceat. (Vid. adnott. ad v. sequ.) — *personat*, canit cithara, magna voce usus, ut per magnum spatium audiatur, alia significatione, quam qua legitur hoc voc. Aen. VI, 171. 418. Stat. Silv. II, 7, 88. Cic. Phil. II, 41. et alibi (ubi Accus. Obiecti additur). Cf. potius Cic. pr. Cael. 20. in. *non loquuntur solum, verum etiam personant* et Tac. Ann. XVI, 4. *plebs personabat certis modis plausuque composito*, quibus etiam addendus videtur eiusd. Ann. XIV, 15. *ii dies et noctes personare*, ubi *dies* et *noctes* Accusativum temporis habeo. Sic poëtis etiam simplex verbum *sonare*. Vid. adnott. ad Ecl. V, 64. et Burm. ad Val. Fl. V, 691. idemque ad Phaedr. III, 16. — *docuit quem m. A.* Sic plures Codd., in quibus Med., Pal., Rom. et Gud., quos cum Iahnio secuti sumus, suadente etiam Wakef. Silv. crit. IV. p. 36. Vulgo *docuit quae m. A.* Sed nova, quae incipit versu sequ., sententia de argumentis carminum mira ratione adiuncta videri debet, si iam antea argumenti vel uno verbo mentio facta est; et quam facile ex *quem maximus* fieri potuerit *que* s. *quae maximus* in promptu est (quare non mirandum, Henricum in 29 Codd. *quae*, in septem *quem*, in ceteris *q̄* invenisse.) Quod autem Wagn. vulgatam retinens opponit, illa verba *Iopas cithara personat* flagitare Accusativum Obiecti *ea*, *quae docuit*, hoc iusta causa destitutum videtur. Quidni enim poëtae *personandi* vocem absolute usurpare licuerit? quam simili certe ratione usurpatam iam supra vidimus ap. Tac. Ann. XVI, 4. et mihi quidem *personat* sine Accusativo Obiecti longe fortius commovere videtur exspectationem (quemadmodum nos: *der Sänger greift in die Saiten*). Recte igitur Wagn. in recentiss. edit., ut omnes recentiores editores praeter Peerlk. et Henricum (*Two. years* I. p. 167. et Philol. XI. p. 531.), mutata sententia et ipse nobiscum facit coll. Aen. V, 705. (Vid. etiam Haeckerm. in Muetzellii *Zeitschr.* etc. VIII. p. 255 sqq. et XIX. p. 50.) Si enim Servius scribit: „*quae* legendum est, non *quem*; nec enim istum docere potuit, qui Didonis erat temporibus,“ quod Henry quam maxime premit, hoc non multum valet in carmine, imprimis si

Hic canit errantem lunam solisque labores;
Unde hominum genus et pecudes, unde imber et ignes;
Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones;

Iopam iam senem esse cogitamus, ut eiusmodi citharoedos, quem poëtae ab Atlante, Laomedontis et Herculis aequali, edoctum fingere iure suo licuerit. (Vid. infra.) „Quod Atlantem cantus magistrum facit, fabulam alicuius poëtae Graeci redolet, uti illud, quod Ecl. VI. Silenus physica docet. Atlanti vulgo tributa siderum notitia ac sphaera inventa. Cf. Intpp. ad Ovid. Met. IV, 631. etc. Obss. ad Apollod. p. 271. Idem inter primos philosophos recensetur a Diogene Laert. in prooem. [§. 1.]; quamquam haec omnia ad solum astronomiae studium referri possunt. [Cf. etiam Cic. Tusc. V, 3, 8. Plin. VII, 56, 57. Diod. III, 60. IV, 27. Paus. IX, 20, 3. Schol. Apoll. Rh. IV, 264. Tzetz. ad Lycophr. 873. Heraclit. de incred. 4. Servium ad h. l., alios.] Cum Iopas Tyrius, nunc Poenus, citharoedus inducendus esset a poëta, acute Atlantem e vicinis Mauretaniae montibus auctorem carminum, quae cecinit, ei arcessivit." *Heyn.* — *maximus Atlas.* Ribbeck. cum Med., Rom., Mentel. I. et paucis aliis libris ubique scripsit *Atlans*, fortasse rectius. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 457. Ribbeck. Proleg. p. 434. et Corssen. l. l. p. 255. — **742—748.** „Praeclare etiam hoc ad rationes antiquissimorum temporum, quibus omnis philosophia naturae qualicumque contemplatione continebatur, quod carminis argumentum ex cosmogonia et ex physicis petitum est." *Heyn.* Vid. similem locum Ecl. VI, 31 sqq., praeter quem Conington etiam Apoll. Rh. I, 496 sqq. conferri iubet. Nihilominus Rau in Sched. p. 56 sq. hunc totum locum v. 742—746. ab alia manu adiectum putat. — *Hic.* Iahn. (coll. locis Aen. V, 708. VI, 684. VII, 48. IX, 449. etc. et Bachio ad Ovid. Met. XI, 160.) Vergilium rectius *isque* scripturum fuisse, nihil tamen mutandum esse censet, cum poëtae, ubi sententiae ratio id patiatur, Pronomen *id* evitare (vid. supra ad v. 680.), imprimis autem ubicumque aliqua Pronominis emphasis aut oppositio captari possit, Pron. *hic* uti consueverint. (Cf. Iahn. ad Ovid. Trist. I, 1, 13. et in Nov. Annal. phil. et paed. Suppl. Vol. IV. p. 635. Wagn. Qu. Virg. XVII. p. 455. alii.) Hoc igitur loco Iopas Pronomine *hic* apte distinguitur ab Atlante antea commemorato et evitatur illud, ne quis, Pron. *is* posito, hoc totum enuntiatum ad Atlantem referat. Bothius, coll. v. 321., coni. *Ac canit*, qua coniectura parum numerosa facile supersedemus. — *errantem lunam* pro *lunae errores* seu cursus. *Errare* autem et *vagari* (*vaga luna* Hor. Sat. I, 8, 21., *vagus sol* Catull. LXIV, 272. Tibull. IV, 1, 7.) verba propria de sideribus, quae quamquam certum cursum habent, tamen non sunt fixa, sed alia atque alia loca adeunt. Cf. Geo. I, 337. Heindorf. et Dissen. ad Hor. et Tib. ll. ll. Lunae autem errores hic eo aptius commemorantur, quia ab iis etiam pendet lunae varietas, cuius causam Iopas exposuisse censendus est. — *solis labores*, defectus eorumque causas. Cf. Geo. II, 478., locus nostro simillimus. Sic etiam *lunae labores* ap. Silium XIV, 348. Henry, cui *solis errores* prius (*Tw. years* I. p. 168. et Philol. XI. p. 531.) nihil aliud significare videbantur, nisi diurnos et annuos circuitus (*diurnal and annual revolutions*), ut *Errantem lunam solisque labores* sit i. q. *labores errantis lunae et solis*, nunc sententiam suam ipse retractat. — *ignes*, cum *imber* addatur et de rebus caelestibus in seqq. sermo sit, de fulminibus intelligendum. Conington de elementis aquae et ignis sermonem esse censet, comparans Lucr. I. 714. *Et qui quattuor ex rebus posse omnia rentur, Ex igni, terra atque anima procrescere et imbri*, quod tamen, cum terra et aër non adiiciantur, et Vergilius scribat *unde imber* et *ignes*, elementa autem ipsa sint omnium rerum principia, minus est probabile. — **744.** De *Arcturo* vid. adnott. ad Geo. I, 204., de *Hyadibus* ad Geo. I, 138., ex quo loco in Codd. quibusdam etiam huc invito metro translata est lectio *Pliadasque* s. *Pleiadasque, Hyadas*, fortasse quia librarii haeserunt in tautologia *pluviae Hyades.* (Sed cf. *Plemyrium undosum* Aen. III, 693., *stagnantem Hebrum* ibid. v. 698. et similes locos.) — „*gemini Triones* sunt Helice et Cynosura, Ursa maior et minor, *teriones*, h. e. boves, dictae, quia ab antiquis hominibus sub boum iugo iunctorum forma sidera haec comprehensa fuisse videntur. - - - Usus etiam tulit hoc, ut septem in altero horum *terionum*,

Quid tantum oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausu Tyrii, Troesque sequuntur.
Nec non et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido longumque bibebat amorem
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa;
Nunc, quibus Aurorae venisset filius armis,

Ursa maiore, stellae clarissimae (cf. Cic. N. D. II, 41.) *septentriones* appellarentur. De signis his vid. Eratost. I. 2. 8. 14. Idem versus III, 516.“ *Heyn.* Cf. adnott. ad Geo. III, 381. — **745. 746.** Canit, cur dierum spatia decrescant et rursus increscant diversis anni temporibus. Cf. Geo. II, 481. 482., ubi eosdem duo versus legimus ibique adnott. Hic vero non possum reticere, Henricum (*Tw. years* I. p. 168 sq. et Philol. XI. p. 531.) cum eoque Ladew. et Coningtonem ad Geo. l. l. potius cogitare de noctibus hibernis et ad verba *quae mora obstet* intelligere „quominus Oceano se tinguant;“ cui tamen explicationi per se minime spernendae et locis ab Henrico collatis, Ovid. ex P. II, 4, 25. Her. XVIII, 113. Senec. Agam. 53. Lucr. V, 698. et Auson. Prec. cons. des. 49., quodammodo adiutae adversari videtur Particula adversativa *vel*, quae indicat, Vergilium neutiquam quasi curta sententia de hiemali modo rerum conditione loqui voluisse. — **747.** Pauci quidam Codd. et Schol. Lucani I, 133. praebent *plausum* vel *plausus* ex vulgari dicendi ratione (cf. Geo. I, 411. *ingeminare voces.* Aen. V, 457. *ing. ictus*, ibid. 434. *ing. vulnera* etc.: vid. ad Aen. I, 233.), eamque lectionem defendunt Günther. in Animadvv. ad aliquos Aen. locos p. 8 sqq. Henry in *Tw. years* I. p. 170. et Ribbeck. in Proleg. p. 66. (quamquam in contextu *plausu* servavit.) Sed iure Heins. et cum eo Voss. p. 203. revocavit optimorum et plurimorum Codd. lectionem *plausu*, quae defenditur simillimo loco Aen. IX, 811. *ingeminant hastis*, pro: hastis ingeminant ictus, i. e. alias super alias iaculantur hastas. Cf. etiam Geo. I, 333. Aen. III, 199. IV, 531. et V, 227. ibique adnott. — **748.** De usu Particularum *nec non* cf. Hand. Tursell. III. p. 234. — *Noctem sermone trahebat.* Cf. Ovid. Met. XII, 159. *noctem sermone trahunt.* Sic etiam *diem trahere* ap. Petron. c. 111. et *tempus trahere* Aen. VI, 537. *Vitam trahere* (Aen. II, 92. etc.) satis notum. Cf. etiam Geo. III, 379. *noctem ludo ducere* ibique adnott. et Anth. Lat. III, 81, 87., ubi locus noster absurde sic mutatus iteratur: *vario noctem sermone requirunt.* — **749.** *Infelix Dido*, utpote nescia, quid mali sibi impendeat. Cf. supra v. 712. — *longum bibebat amorem*, imbibebat quasi longo haustu. Dido permulta rogabat, ut noctem traheret eoque diutius praesentia et colloquio Aeneae frueretur, et sic amorem iam captum magis magisque imbibebat. De verbo *bibendi* vid. adnott. ad Aen. IV, 359. Verba *longumque bibebat amorem* iterantur in Anth. Lat. I, 146, 4. et *longum amorem* legimus etiam infra III, 487. — **750.** Habemus hic pulchrum Epanalepsis exemplum, cum idem vocabulum et incipiat et finiat versum. Cf. Iul. Rufinian. de schem. lex. ed. Ruhnk. et Frotsch. p. 240.: „Epanadiplosis est, cum idem verbum in eadem sententia et primum et extremum. Latine dicitur inclusio“, Iani A. P. p. 419. et Ecl. VII, 4. *Ambo - - - ambo*, Geo. IV, 342. *Ambae - - - ambae*, V, 567. *Alba - - - albam*, Aen. IX, 127. *Ultro - - - ultro*, XI, 358. *Ipsum - - - ipso*, XII, 29. *Victus - - - victus.* — *super Priamo.* Cf. adnott. ad Geo. IV, 559. et supra ad v. 29. Sic Aen. X, 839. *Multa super Lauso rogitat.* — **751.** *Aurorae filius*, Memnon. Vid. supra ad v. 489. „Memnonis *arma* nec apud Pindarum, nec apud Dictyn et Quintum quidquam habent praecipui. - - Itaque nisi poëta fabulam parum nunc notam secutus est, nec commentitium est, quod in Servianis legitur, a Vulcano facta fuisse ei arma, [quod Arctinus in Aethiopide sua primus finxisse videtur: cf. Welcker *Der epische Cyclus* p. 211 sqq.]; ad barbaricum exercitus Memnonii apparatum, a Troiano more diversum, referendum est. Cf. Dictyn IV, 4. et 5. Quod nisi probare malis, accipienda verba sunt simpliciter, ut sit variata oratio

Nunc, quales Diomedis equi, nunc, quantus Achilles.
„Immo age et a prima dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaum casusque tuorum
Erroresque tuos; nam te iam septima portat
Omnibus errantem terris et fluctibus aestas.“

---

pro vulgari: *multa rogitans — porro super Memnone et Diomede et Achille.* - - Sed ut huic rationi non satis confidam, facit primum, quod etiam supra v. 489. *nigri Memnonis arma* memorata singulare quid de armis eius indicare videntur, et quod v. 752. subiecti *Diomedis equi* similiter certa aliqua ratione sunt dicti.“ Haec *Heyn.* in Excurs. XXVI. ad h. l. — *quibus armis* pro: *cum* vel *in* quibus armis, ut Aen. IX, 269. *quibus ibat in armis.* Cf. adnott. ad Ecl. X, 24. Aen. II, 122. III, 64. IV, 517. — *Diomedis* autem *equi* (qui rursus commemorantur X, 581.) non diversi videntur ab Rhesi equis iam supra v. 472. commemoratis, quos Diomedes abduxerat, et qui propterea facile ipsius Diomedis dici poterant. (Cf. Hom. Il. X, 567.) Quod enim Heyn. in eodem Exc. obiicit, etiam aliis equis, Aeneae abductis, superbiisse Diomeden in ludis funebribus Patrocli (Il. XXIII, 290 sq.), hoc nihil valet, cum Rhesi equi et per se longe celebriores et iam in antecedentibus commemorati sint. Conington nescit, utrum equi Aeneae a Diomede erepti (Hom. Il. V, 263 sqq.), an, quibus Diomedes in curriculo equorum vicerit (Il. XXIII, 377 sqq.), an denique, quibus curru vectus Diomedes cum Aenea congressus fuerit (Il. V, 295.), sint intelligendi. — **752.** „*quantus* quam magnus et corporis viribus et animi virtutibus.“ *Heyn.* Henry *Tw. years* I. p. 171. et Philol. XI. p. 531. de sola corporis magnitudine cogitat, quae sane imprimis spectanda, quatenus cum ea etiam arcte cohaeret terribilis fortitudinis notio. Cf. Aen. XI, 283. *quantus In clipeum adsurgat* et ibid. 644. *Tantus in arma patet.* Val. Fl. V, 209. *quantus iacet Inachus antro.* Ovid. Met. XIII, 842. *Adspice, sim quantus* etc. De insigni corporis magnitudine, qua Achilles excelluerit, Henry confert Lycophr. Cass. 860. Quint. Calabr. III, 60. 709. Hor. Od. IV, 6, 9. Prop. II, 7, 51. (II, 9, 13.) alios. — Rau in Sched. p. 57 sq. vv. 751 et 752. ab inepto Grammatico adiectos putat. — **753.** „*A prima origine*, excidium Troiae a simulato inde Achivorum reditu equoque fabricato. [Vide infra II, 13 sqq.] Male alii post Servium: a raptu inde Helenae.“ *Heyn.* — *dic.* Secundum Rhemn. Palaemon. Art. gramm. p. 1382. Vergilius dixit *dice;* eamque Imperativi formam, ubicumque per metrum licet (VI, 318. 343. VII, 546. neç minus *duce* Geo. IV, 358. et Aen. XI, 464.), reponi iubet Wakef. ad Lucr. II, 484. Cf. adnott. ad Geo. l. l. — **754.** *casus tuorum* in patria ante et inter Troiae excidium, *erroresque tuos*, post Troiae eversionem et fugam e patria. Cf. infra II, 10., ubi Aeneas: *Si tantus amor, inquit, casus cognoscere nostros.* — **755.** *septima aestas.* Vid. adnott. ad Geo. III, 190. Cf. autem Aen. V, 626. *Septuma post Troiae excidium iam vertitur aestas* etc., quem locum cum nostro vix conciliari posse, cum Aeneas secundum IV, 193. *hiemem, quam longa,* cum Didone transegisse perhibeatur, iam veteres animadverterunt. (Cf. Serv. ad h. l., Conrads. p. XIII. XV. et Ribbeck. Proleg. p. 78 sq., qui non solum propterea, sed etiam quod haec Didonis computatio per se satis inepta sit, hunc librum a poëta versu imperfecto finitum et verba *nam te iam septima - - fluctibus aestas* ab antiquo interpolatore addita esse suspicatur). „Annorum numerum vel ex ipso Aenea vel ex Teucro scire potuit. Cf. v. 619 sqq. Ceterum cum Aeneae narratione novus rerum ordo exsurgit, qui interquiescendi locum opportunum praebet.“ *Heyn.*

P. VERGILI MARONIS

AENEIS.

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Aeneas Didonis voluntati se satisfacturum et, quamvis luctus verba praepediat, Troiae excidium plene enarraturum profitetur (1—12.) Narratio ipsa haec est: Graeci decimo iam belli anno Ilium vi expugnari posse diffidentes ad dolum confugiunt fugamque simulantes circa Tenedum insulam latitant, equo ligneo tantae magnitudinis, ut urbis portis recipi non posset, cuius uterum armatis impleverant, in agro Troiano relicto (13—56.), quem Sinon, a popularibus suis capitis damnatum ad Troianos se confugere insidiose simulans, donum Graecorum esse fingit Palladi ex voto dedicatum pro reditu, quod si Troiani in urbem suam invehant, eos Graecis exitium esse paraturos. (57—199.) Paullo post Laocoon, Neptuni sacerdos, qui hastam in equi latus contorserat, una cum filiis suis a serpentibus e mari advenientibus necatur (200—227.), cuius supplicio territi Sinonisque dolo decepti Troiani diruta muri parte equum in urbem trahunt et in arce constituunt. (228—249.) Nocte autem insecuta Graeci a Tenedo reversi ab armatis illis, qui equo ligneo nunc a Sinone reserato inclusi fuerant, caesis portarum custodibus in urbem intromittuntur. (250—267.) Aeneas per somnum ab Hectore monitus, ut fuga sibi consulat et deos tutelares patriae incendio eripiat (268—297.), sed turpi fugae honestam mortem praeferens, postquam urbem captam videt, cum paucis comitibus hostem fortiter adgreditur. (298—360.) Et primum quidem Troiani feliciter pugnant, postea autem, Coroebi consilium secuti, ut caesorum hostium arma induant, et a Graecis agniti telis obruuntur. (361—437.) Dum sic Troianorum dolus in ipsorum perniciem vertit, Priami regia a Graecis expugnatur et diruitur Priamusque ipse a Pyrrho, Achillis filio, interficitur. (438—558.) Aeneas horrore percussus et ab omnibus desertus meminit patris senis, coniugis parvique filii (559—566.); Helenam autem conspiciens ira exardescit eiusque caede patriam ulcisci statuit, mitigatus tamen a Venere matre domum patriam repetit familiam suam e periculo erepturus. (567—633.) Anchisae igitur patri diu fugae reluctato, tandem vero deorum ostentis victo sacra patria et Penates committit eoque in humeros suos sublato Ascaniumque filium manu ducens fugam capessit, Creusa uxore ipsum a tergo sequente. (634—729.) In hac autem trepida fuga Creusam amittit, cuius quaerendae causa totam urbem pererranti obvia fit umbra uxoris, quae eum de morte sua certiorem facit et de ipsius sorte consolatur. (730—794.) Tum Aeneas ad suos revertitur, quorum magnam multitudinem utriusque sexus confluxisse videt ipsum, quocumque terrarum confugere velit, in exsilium sequi paratam. (795—804.) (Ceterum Macrob. Sat. V, 2. „omnia, quae hunc librum faciant, paene ad verbum a *Pisandro* transscripta esse“ refert; qua de re cf. Heynii Exc. I. ad hunc librum p. 486 sqq. et Welcker *Der epische Cyclus* p. 99 sqq.)

Conticuere omnes intentique ora tenebant.
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
„Infandum, regina, iubes renovare dolorem.
Troianas ut opes et lamentabile regnum
Eruerint Danai, quaeque ipse miserrima vidi

„Hic et tertius liber episodium de Troiae excidio Aeneaeque erroribus complectuntur; quod praeclare poëta intexuit, quippe cum Aeneae fatis imprimis coniunctum, et ad excitandam admirationem natura sua et magna rerum inter homines fama eximie aptum. Quod autem Aeneae partes narrantis tradidit, eo illud commodi assecutus est poëta, ut tota narratio maiorem habeat auctoritatem, magisque miserationem faciat, cum ab eo exponantur res, qui earum *pars magna* fuit ipse. - - - Est hic liber inter perfectissimas operis partes ipsius poëtae iudicio habitus; quippe quem cum quarto et sexto Augusto speciminis loco praelegerit. [Vid. Diss. de vita et carm. Verg. p. XXII, cum nota. 58.]. Quem autem ex antiquioribus poëtis ante oculos habuerit Vergilius in excidio Troiae exponendo, disputatum est in Excursu ad huius libri princ.; ubi suspicatus sum, eum Iliadem parvam cum Euripidis tragoediis imprimis esse secutum.“ *Heyn.*

1. *Conticuere - - tenebant.* Vid. adnott. ad Aen. III, 588. *Intenti ora tenebant*, habebant vultus et oculos intentos et conversos in Aeneam. Noli tamen *intenti ora tenebant* cum Servio dictum putare pro *intenta ora tenebant;* immo quia ipsi intenti erant in rem, etiam ora in Aeneam conversa tenebant. Similiter Aen. VIII, 520. *defixique ora tenebant.* Cf. etiam Aen. VII, 250. *defixa Latinus - - tenet ora* et Anth. Lat. II, 194, 7. *Conticuere omnes intentique ore loquentis Ora tenent.* Haeckerm. in Muetzellii *Z.* XI. p. 739. et in Comm. in Aen. II. p. 5. parum probaliter *ora tenebant* explicat: *sie hielten den Mund,* coll. Lucano IV, 172. Verba *conticuere omnes* praeterea repetuntur ibid. II, 193, 13. et totus versus in Auson. Perioch. XIII. Odyss. — 2. „*ab alto toro: altus* tantum ornat. Et erant tricliniares lecti magnificentiae causa alti; accedebant pulvini.“ *Heyn.* Cf. VIII, 541. et XI, 301. — 3. „Cf. Odyss. IX, 12 sqq. et VII, 241. 242.; sed in Vergilio omnia ornatiora. Reluctatur Aeneas, narrationemque principio deprecatur; nimium enim sibi animum iri commotum harum calamitatum recordatione; quas ne Achivos quidem, cladis auctores, sine lacrimis narraturos esse; noctem praeterea extremam (cf. Od. XI, 328 sqq.) vix longam narrationem ferre.“ *Heyn.*—*dolorem infandum,* quem ut verbis exprimam vix a me impetrare possum (*einen unaussprechlichen*) ideoque fere i. q. horribilem, acerbissimum. (Cf. Aen. I, 251. 525. II, 132. IV, 85. VIII, 483. 578. etc. atque Henr. in *Tw. years* II. p. 3.) — *iubes renovare,* scil. me, *dolorem.* De omisso Accus. Obiecti apud verbum *iubendi* cum Infin. Activi constructum vid. adnott. ad Ecl. VI, 85. Imitatus videtur h. l. Stat. Theb. V, 28 sqq. *Immania vulnera, rector, Integrare iubes* etc. Similis est etiam locus Ovid. Met. XIV, 465. *Admonitu quamquam luctus renovatur amaro.* Ceterum cum Ladew., Haupt. et Ribbeck., quibus etiam adsentitur Haeckerm. in Comm. p. 6 sqq. et in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 50., nunc mutavi vulgarem loci distinctionem, ex qua post *dolorem* Comma et post *fui* Punctum ponitur, quamque Wagn. et Conington retinuerunt atque ille etiam in Lect. Verg. p. 415. defendit, contendens illa distinctione loco inferri inusitatum genus structurae nimium animi motum indicans et a gravi et sedata simplicitate, quam ingressus orationis eiusmodi narrationi praemittendus requirat, alienum. Sed nonne magis haerendum in verbis *renovare dolorem* (quae per se nihil significare possunt, nisi recordando renovare animi dolorem s. denuo dolere) pro *narrando renovare dolorem* positis? Loci enim, in quibus verba dicendi haud raro omittuntur, sunt alius generis. (Cf. etiam de h. l. Wyttenb. in Ecl. hist. p. 384., a quo tamen recte dissentit Unger de Valgio Rufo p. 351.) De constructione *fari* (narrare, canere etc.), ut cf. Ecl. VI, 31. 65. etc. — 4. *regnum lamentabile,* quod lamentabile exitium habuit (*beklagens-, beweinenswerth,* ut Ovid. Met. VIII, 262. *lamentabile tributum*). Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 170, 7. — 5. *eruerint,* ex fundamentis quasi everterint. Quod attinet ad mutatam

Et quorum pars magna fui — quis talia fando
Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi
Temperet a lacrimis? Et iam nox humida caelo
Praecipitat suadentque cadentia sidera somnos.

---

constructionem *ut eruerint — quaeque vidi*, cf. Ecl. III, 41. V, 47. Geo. I, 25. 51. 255. 311. 433. II, 120. 207. 285. III, 24. 180. Aen. I, 124. 742. IV, 293. V, 648. VI, 60. 709. 890. IX, 722. X, 150. 162. 759. XII, 917. et vid. Drak. ad Liv. XLI, 6, 4. Bentl. ad Hor. Od. I, 1, 7. Wunderl. ad Tibull. I, 3, 18. Goerenz. ad Cic. Legg. III, 8, 19. Gernh. ad Cic. Cat. m. 3, 7. Ochsner. ad Cic. Ecl. p. 188. Bach. ad Tibull. II, 1, 17. idemque ad Ovid. Met. III, 581. Becker. Eleg. Rom. p. 199. Kritz. ad Sall. Cat. 5, 9. multique alii. — Verba *quaeque ipse miserrima vidi* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 321. — *quorum pars magna fui*, quarum calamitatum magna pars me ipsum attigit. Cf. infra VI, 31. X, 426. Ovid. A. A. I, 170. *Et pars spectati muneris ipse fuit.* id. Met. XIV, 482. *vellemque horum pars una fuissem.* id. Her. III, 46. *et fueram patriae pars ego magna meae.* Silius XI, 506. *pars ipse haud parva laborum.* Sen. Herc. fur. 732. *magna pars regni trucis Et ipse dominus.* Sen. Cons. ad Marc. 18. *Erisque et spectatrix et ipsa magna pars conantium.* id. de tranq. an. 14. *Canus Caianae caedis magna portio.* Thiel. conferri iubet Cuperi Obss. II, 6. Ceterum ex his ipsis verbis satis apparet Aeneae consilium et totius libri argumentum. Non enim vult omnem Troiae expugnationem accurate enarrare, sed tantum quae ad se pertineant commemorare, quippe qui hac tota narratione nihil aliud spectet, quam quomodo Didoni placeat eiusque misericordiam et favorem sibi concilicet. Non abs re erit commemorare, Henricum (*Class. Mus.* XXI. et *Tw. years* II. p. 4 sqq.) inde repetere causam Vergilii contra magnum Napoleontem defendendi, qui in libro *Précis des guerres de César par Napoléon; écrit par M. Marchand à l'île St. Hélène sous la dictée de l'Empereur.* Par. 1836. Vergilium vituperat, quod illam expugnationem minus recte et accurate atque ita enarraverit, ut leges strategeticas saepe violaret. — *fando*, i. e. cum talia fatur. Hunc rariorem usum Gerundii ita pro Participio Praes. Act. positi, ut non sit Ablat. causae, sed tantum actionem aliquam in idem tempus incidentem significet (quemadmodum infra v. 361. III, 481. et IV, 333. rursus *fando*, Aen. XI, 160. autem *vivendo* legimus), apud Livium aliquoties deprehendimus, ut VIII, 17. *Novi deinde consules - - populando usque ad moenia atque urbem pervenerunt.* id. XXI, 34. *Hannibal nec temere credendo, nec aspernando, - - benigne cum respondisset.* XXII, 14. *Qui modo Saguntum oppugnari indignando foedera et deos ciebamus.* Cf. etiam Heins. ad Ovid. Met. XV, 497. Ruddim. I. p. 307. II. p. 255. et quae infra ad v. 81. adnotavimus. Silius Vergilium imitatus II, 651 sq. *quis tristia fata piorum Imperet evolvens lacrimis.* — 7. „*Myrmidones* et *Dolopes* ad Achillem et Neoptolemum, eius filium, spectant. Vid. Iliad. II, 684. [et IX, 484.]. Cf. inf. v. 29. — *miles Ulixi.* Mirum est, quod hoc de Achemenide (vide III, 614.) accepisse Asinium Pollionem memorant Servius et Pomponius." *Heyn.* Quibus autem populis Ulysses imperaverit, narratur ap. Hom. Il. II, 631 sqq. — *durus* aut omnino strenuus, fortis, ut Geo. II, 170. *Scipiadas duros bello*, aut potius severus, saevus (*hartherzig*), ut infra III, 273. *saevus Ulixes.* Sic Tibull. III, 4, 76. *vincuntur molli pectora dura prece.* III, 2, 3. *ferreus ille fuit: durus et ille fuit* etc. Alio sensu *durus* legitur infra III, 94. — De forma *Ulixi* vid. supra ad Aen. I, 30. *Ulixem* autem, non *Ulyssem*, si Codd. fidem sequimur, constanter dixisse videntur veteres Romani. Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 70. — 8. De constructione verbi *temperandi* (sibi) cum Praepos. *a* cf. adnott. ad Geo. I, 360. Quod hic *temperare a lacrimis*, ap. Silium l. l. *imperare lacrimis.* — 8. 9. Cf. Hom. Od. XI, 330 sq. Nox descendit in oceanum et sidera cadunt, ideoque iam extremum est noctis tempus. — 9. *praecipitat*, omisso Pronomine reflexivo. Vid. supra ad I, 234. *Praecipitare* ita usurpatum legitur etiam infra IX, 669. XI, 617. Lucr. II, 248. IV, 630. VI, 292. Cic. N. D. I, 32, 89. de Or. III, 55, 209. Caes. B. C. III, 25. in.

Sed si tantus amor casus cognoscere nostros
Et breviter Troiae supremum audire laborem,
Quamquam animus meminisse horret luctuque refugit,
Incipiam. Fracti bello fatisque repulsi

Liv. V, 18, 7. VII, 6, 9. XXV, 11, 6. alibi. Addito Pronomine Cato apud Frontonem p. 69. *Dum se intempesta nox praecipitat*. Cf. etiam Ovid. Trist. I, 3, 47. *nox praecipitata* idemque Met. IV, 91. (ubi vid. Bach.) *lux Praecipitatur aquis et aquis nox surgit ab isdem*, et Interpp. ad Tibull. III, 4, 17. Praeterea vid. infra ad v. 250. — *nox humida* propter *humentes umbras* (IV, 351.) et *pruinosas tenebras* (Ovid. Met. V, 142.). Quare apud Stat. Theb. X, 148. etiam Somno *humentes alae* tribuuntur. — *cadentia sidera*, occidentia, ut saepe apud poëtas. Cf. infra IV, 81. (ubi hic versus fere totus iteratur) et 480. Hor. Epod. 10, 10. Ovid. Met. IV, 626. etc. et Burm. ad Lucan. I, 15. — *suadent somnum*, invitant ad somnum. Cf. Ecl. I, 56. ibique adnott. Ovid. Fast. II, 635. *Iamque ubi suadebit placidos nox humida somnos*, id. Met. XIII, 418. *Iamque viam suadet Boreas* et Stat. Theb. X, 116. *primosque hortantia somnos lumina*. — **10.** *Si tantus amor* etc. Cf. Hom. Od. XI, 380. *εἰ δ' ἔτ' ἀκουέμεναί γε λιλαίεαι*. — *amor cognoscere*. De voc. *amoris* pro *desiderio* posito vid. adnott. ad Ecl. IX, 56. et Aen. I, 171., et de constructione cum Infinitivo Geo. I, 305. et ad Aen. I, 704. Sic ap. Stat. Silv. III, 2, 40. *amor pandere* et ap. eund. Theb. I, 698. *amor mergere*. Respexit hunc locum imitator Vergilii in Anth. Lat. I, 178, 413. *Sed si tantus amor menti, si tanta cupido est*. — *supremum laborem*, ipsum urbis excidium, interitum. Conington confert Claud. Eutrop. II, 289. *Phrygiae casus venisse supremos*. *Labor* enim (a *labendi* verbo ductum voc.) respondens Graeco *πόνος* et *μόχθος* interdum aerumnas significat, quibus vires atteruntur. Cf. Aen. I, 460, 597. IV, 78. VII, 481. IX, 202. — **12.** „*refugit*, ad formam Aoristi pro Praesente. Locum expressere alii, v. c. Seneca Agam. 417 sqq. [ubi verbum *refugit* cum Infinitivo *loqui* construitur, ut h. l. *animus refugit* cum Infinitivo *meminisse*]. E Ciceronis Phil. XIV. [c. 3, 9.] expressum versum volebat Muret. Var. Lect. V, 3. Saltem similia sunt: *Refugit animus, P. C., eaque formidat dicere, quae* cett.“ *Heyn*. In Ciceronis tamen loco *refugit* procul dubio est Praesens, ut in illo simillimo Tusc. I, 45, 108. *ita tetra sunt quaedam, ut ea fugiat et reformidet oratio* et ap. Senecam l. l., ubi coniunguntur verba *refugit atque inhorrescit*. In nostro autem loco et similibus (ut IX, 10 sq. X, 726. 804. XII, 351 sq.) Perfectum non pro Praesente, sed de re hoc ipso temporis momento iam vere praeterita usurpari, in promptu est. Sententia enim haec est: Nunc, memoria rei facta, horret animus, ut etiam antea eam sibi revocare evitavit; nihilominus luctu oppresso incipiam. Non autem huc trahendus est usus Perfecti *ἀοριστικῶς* positi de re, quae fieri solet (vid. ad Geo. I, 49.). Ceterum de variatione temporis in eodem versu cf. Interpp. ad Tibull. IV, 2, 7. Catull. LXIV, 148. al. Peerlk. tamen, in hac diversi temporis coniunctione haerens, vitii aliquid subesse censet, et quamquam etiam has duas coniecturas profert: *refugitque dolore* et *luctu refugitque*, difficultatem felicioribus fortasse expediendam relinquit. Dubito, num inter hos feliciores numerare velit Gentium in Annot. crit. in Verg. Aen. (Lugd. Bat. 1864.) p. 11. coniicientem *luctusque resurgit*. Ceterum cf. quae Freudenberg. Vind. Verg. p. 15 sqq. Haeckerm. l. l. contra Peerlkampium omninoque de hoc loco disputant. — **13.** *incipiam* Henrico (*Class. Mus.* XXI. et *Tw. years* II. p. 11.) non est i. q. initium faciam, sed rem suscipiam, in manum capiam (*unternehmen*), quod probat Conington, et ille quidem comparat Aen. X, 876. Lucr. I, 50. Tibull. IV, 1, 1. Hor. Sat. I, 1, 94. similesque locos, ut Aen. VI, 493. Ter. Andr. I, 3, 13. V, 1, 17., quibus hic addit Ecl. V, 10. et Geo. I, 5. Discrimen autem tam subtile est, ut multis in locis utraque significatio locum habere possit. — *fracti bello*, attriti et paene devicti ideoque i. q. infra v. 109. *longo fessi bello*. Cf. infra v. 170. XII, 1. Hor. Sat. I, 1, 5. *Miles - - multo iam fractus*

)uctores Danaum tot iam labentibus annis
nstar montis equum divina Palladis arte
ledificant sectaque intexunt abiete costas.
'otum pro reditu simulant; ea fama vagatur.

ısmbra labore etc. Prop. II, 8, 31. *Viderat illa fuga fractos in litore lchivos.* Cf. Huschk. ad Tibull. III, 2, 6. — „*Fatis repulsi*: quoniam ıtale erat, non nisi post novem annos Troiam capi; vid. Iliad. II, 328. . Impedimentis interpositis ab exitu votorum *reiici* dicimur, ergo et *pelli*.“ *Heyn.* Sed cum illo oraculo bono potius animo essent, quam esperarent hortari debuerint Graeci, Dietsch. Theol. Verg. p. 21. *fata* ectius intelligit de calamitatibus et cladibus belli, ut verba *fatis repulsi* lio tantum modo idem exprimant, quod *fracti bello*. — **14.** *Ductores* oëtae ob pleniorem sonum dicere amant pro ducibus. Cf. infra VI, 334. III, 6. 470. 513. Geo. IV, 88. etc. Sic *Ductores Danaûm* etiam ap. Lucr. , 87. — *labentibus annis* non pro *lapsis* dictum, adhuc enim in eodem pere Achivis tempus terebatur. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXIX, et adnott. d Aen. I, 305. et 492. Verba *tot iam labentibus annis* iterantur in Anth. at. I, 170, 141. — **15.** „*Instar montis*, ad montis magnitudinem; reviter magnam imaginem rei animo obiecit statim ab initio. Ita fabulae er se puerili dignitatem adiecit.“ *Heyn.* Cf. *Instar montium eductae 'yramides*, Tac. Ann. II, 61. Omnino autem poëtae solent res celsas ıdeoque homines magnos) cum montibus comparare. Cf. infra IX, 674. 'er. Phorm. I, 2, 18. Pers. III, 65. Ovid. Trist. I, 2, 19., e Graecis autem lom. Od. IX, 191. X, 113. Callim. H. in Dian. 52. cett. Burm. ad Anth. [, 262, 3. et Waardenburg. Opusc. p. 170. Quod ad ipsam rem attinet, f. infra v. 186 sq. — *divina Palladis arte* (quae verba repetuntur ı Anth. Lat. I, 178, 137.), i. e. Pallas fabros in exstruendo equo consilio ıo et praeceptis adiuvit, nam verus equi fabricator etiam secundum Verilium (infra v. 264.) erat Epeus. Quare Hom. Od. VIII, 493. τὸν Ἐπειὸς ποίησεν σὺν Ἀθήνῃ et Il. XV, 71. εἰσόκ' Ἀχαιοὶ Ἴλιον αἰπὺ ἕλοιεν Ἀθηναίης διὰ βουλάς. Eurip. Troad. 10. Ἐπειὸς μηχαναῖσι Παλλάδος γκύμον' ἵππον τευχέων ξυναρμόσας. Hygin. f. 108. *Epeus monitu Minervae equum fecit.* Quid, quod Proclus e Lesche tradit, Epeum fecisse ούρειον ἵππον κατ' Ἀθηνᾶς προαίρεσιν? Sic etiam Argo navis, quae ecundum Ovid. Trist. III, 9, 8. *cura pugnacis facta Minervae est* :f. etiam Val. Fl. I, 93. *Tritonia - - - Moliri hunc* (Argum) *puppim ıbet*), ap. Catull. Epithal. 8. Phaedr. IV, 6, 7. et Claud. B. Get. 15. ab ıea Pallade facta esse dicitur. Peerlkamp. praeter necessitatem coni. *quum, divinam Palladis artem, Aedificant*, coll. Aen. V, 350. — „*inexunt costas abiete secta*, h. e. trabibus abiegnis, tantum ad delarationem ulteriorem vocis *aedificant* spectat. *Intexunt* simpl. est *texunt*, onstruunt. *Texere* autem de trabibus iunctis et in fabrica e ligno, nprimis navium, frequens est. Cf. inf. v. 112. [et XI, 326.]“ *Heyn.* *itexere* pro texere legitur etiam Aen. X, 785. *opus* (scutum) *tribus tauris* . e. coriis taurinis) *intexere.* — *costas.* Conington confert Lucr. V, 1297. ı *equi conscendere costas* [cui loco adde Geo. I, 273.] et Pers. VI, 31., bi de navi dicatur [ut etiam ap. Plin. XIII, 9, 19.] — *abiete secta.* e voc. *abiete* tribus syllabis pronuntiando vid. ad Aen. I, 2. — **17.** Sparserant famam, equum hunc Palladi esse positum, votis pro reditu ısceptis. Servius *votum* pro Participio habet, id est vovisse pro reditu. idem: *Attius in Deiphobo inscriptum dicit: Minervae donum armipouti Danai abeuntes dicant.* Cf. Hygin. f. 108. et ibi Not. Quod hic ex oto equus dicatus dicitur, non repugnat iis, qui ad Palladem placandam ıstructum dicunt: Quint. XII, 38, 379. In id etiam consentit Vergil. ıfra v. 162 sqq.“ *Heyn.* De votis autem et sacris pro felici alicuius :ditu factis cf. quos laudat Obbar. ad Hor. Ep. I, 3, 36. Vol. I. p. 221. 'eterum Peerlk., coll. infra v. 31. 44. 189., Attii verbis modo laud., lygino f. 108. *In equo scripserunt: Danai Minervae dono dant*, et Senec. gam. 626. *Vidimus simulata dona molis immensae*, pro *Votum* ıiicit *Donum*, cum votum ; demum post reditum, si voti compotes

Huc delecta virum sortiti corpora furtim
Includunt caeco lateri penitusque cavernas
Ingentis uterumque armato milite conplent.
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant,

---

facti essent, solvendum fuerit. Sed vid. Hal. Troiae ap. Petron. 89. *Stipant graves equi recessus Danai et in voto latent.* Ceterum cf. etiam Hor. Od. IV, 6, 31 sqq. — **18—20.** „Ductores Danaum *sortiti*, sortione facta, *includunt huc caeco lateri*, h. e. in latus sive corpus equi occultum, in quo occulti latere poterant.“ *Heyn.* — *huc caeco lateri.* Cf. adnott. ad Ecl. I, 53. Quod attinet ad constructionem, cf. Geo. II, 76. *Huc germen includunt.* — *Caecum* autem *latus* i. q. obscurum, tenebricosum, in quo nemo videre potest, ut infra III, 203. *caligo caeca.* Lucr. II, 55. *caecae tenebrae.* Cic. Mil. 19, 50. *caeca nox.* Sil. XI, 456. *Chaos, caeca sine sidere moles* etc. Cf. etiam quae de cognata signif. ad Aen. I, 356. et 536. adnotavimus. — *delecta virorum corpora* poëtice pro: *viros delectos*, i. e. praestantissimos (*auserlesene*, ut ap. Cic. Sext. 49. in. et Vatin. 9. extr. *delecti viri et principes civitatis*), quod minime adversatur voci *sortiti*, nam etiam inter delectos institui potest sortitio. De circumlocutione ipsius personae per voc. *corpus* facta vid. ad Aen. I, 193. Ceterum *penitus conplent* coniungendum; *complere* autem (*ausfüllen*) fortius esse, quam *implere* (*anfüllen*), Thiel. docet, simul commemorans, Vergilium cum Lucretio imprimis amare hoc vocabulum. „Fuerunt autem Ulyssis praecipuae ea in re partes. Vid. Odyss. VIII, 494. *ὄν ποτ' ἐς ἀκρόπολιν δόλον ἤγαγε δῖος Ὀδυσσεύς, duxit*, h. e. *fecit, ut duceretur in arcem.* Et sic ceteri, ut Quintus XII, 22 sqq., apud quem Calchas vates primus fraudis auctor est, modum et rationem Ulysse subiiciente; et ap. Tryphiod. 44 sqq. Helenus Troia profugus. Denique observasse non poeniteat, quam ornate poëta equum designaverit, eiusque notionem quam mirifice variaverit; ut *cavernam, uterum, latebras, curvam compagibus alvum*, et sic porro.“ *Heyn.* — *armato milite conplent.* Cf. Hom. Od. VIII, 495. *ἀνδρῶν ἐμπλήσας.* Henrico (*Class. Mus.* XXI, *Tw. years* II. p. 15. et Philol. XI. p. 597.) iidem novem duces infra v. 260 sqq. nominati intelligendi videntur, qui v. 18. *delecta virum corpora* vocantur, ut haec verba prioribus per epexegesin addantur; praeter illos enim duces alios milites equo inclusos fuisse negat, et sic Vergilium contra Napoleontem defendit (cf. adnott. ad v. 5.), qui poëtam vituperans docet, equum multis militibus armatis impletum non potuisse tam latenter muris admoveri neque tam facile et fraude non detecta in urbem introduci. Sed ut Napoleonti concedam, rem parum credibilem esse, etiamsi „*seulement cent guerriers*“ equo inclusos cogitemus, inde tamen non sequitur, solos illos novem duces in machina latuisse, qui rei efficiendae vix suffecissent, atque etiam v. 328 sq. et 400 sq. plures ex equo prorupisse videntur indicare. Quid autem impedit, quominus vel nihil tribuentes licentiae poëticae machinam viginti vel triginta armatos continentem cogitemus? Vergilium certe praeter illos novem duces etiam alios milites equo inclusos cogitasse, ex ipsis eius verbis videtur apparere *delecta virum corpora includunt - - penitusque cavernas - - armato milite conplent;* novem enim homines ingentis equi alvum *penitus complere* non poterant. Cf. etiam Eustath. ad Hom. Od. XI, 522. et Quint. Smyrn. XII, 314. 327 sqq. Ceterum de Singulari *milite* pro militibus vid. ad Aen. I, 564. et infra v. 495. — **21—23.** *Est in conspectu*, scil. Troiani litoris. Cf. multos locos eadem ratione conformatos: Geo. III, 146. Aen. I, 159. II, 713. III, 163. (IV, 481.) V, 124. VII, 563. VIII, 597. (IX, 381.) XI, 316. 522. etc. — *Tenedos* insula, olim *Leucophrys* dicta, agro Troiano praetenta, XL stadiis a continente abest. Vid. Hom. Il. I, 38, 452. et saepius, Herod. I, 151. VI, 31. Thuc. VII, 37. Strab. XIII. p. 900. Cas. Plin. V, 31, 39. Mela II, 7. alii. Etiamnum Tenedos, apud Turcas autem Bogdscha Adassi vocatur. Vid. librum meum geogr. II. p. 161 sqq. De graeca nominis terminatione cf. adnott. ad Ecl. VI, 13. — „*dives opum* [ut I, 14. cf. adnott. ad Ecl. II, 20. et Aen. V, 73.] propter incolarum divitias; nisi ad templum maxime Apollinis

ınc tantum sinus et statio male fida carinis;
ıc se provecti deserto in litore condunt.
ɔs abiisse rati et vento petiisse Mycenas.

ınthei respicit, quod in insula erat, Iliad. I, 38. Eodem, quod *notissam* (*fama* poëtice ornat) vocat, pertinere puto. [Hoc altius repetitum etur. Rectius Wagn. Vergilium sua potius tempora respicere censet, i res Troicae summorum poëtarum carminibus celebratae iam omnibus rint notissimae. Ceterum imitatur haec Senec. Troad. 224. *Nota fama nedos*]. Nunc tantum *sinus et statio*, h. e. ea vastities in insula Graecis] facta, ut illa hoc uno nota sit, quod *naves* tempestate iactatae litorum recessu, quem *sinum* appellat, *stationem*, etsi *parum tutam*, ɔent. Eodem mox spectat *desertum litus*, in quo condunt se Achivi.“ yn. — *manebant*, stabant, florebant. Cf. infra v. 56. 455. et XI, 615. *male fida* Serv. falso interpretatur „in perniciem nostram,“ quia ibi eci latuerant. Immo *male* haud raro Adiectivis additum vitiosam aliım virtutis, quae Adiectivo exprimitur, rationem indicat, quae alterum in partem modum excedit, ut per se et *parum* et *nimium* significare sit; plerumque tamen defectum aliquem indicans idem est quod *non is, minus, parum*, nostrum *nicht recht*, ideoque non tam fortiter negat, ım simplex negatio *non*. Sic *male fidus* etiam apud Tac. Hist. I, 52. itur: *male fidas provincias*; infra v. 735. (ubi vid. Gossr.) *numen m. icum*, IV, 8. (Dido) *m. sana* (quod etiam apud Cic. Att. IX, 15. Hor. . I. 9, 3. Ovid. Met. III, 474. alibi invenitur), Geo. I, 105. *m. pinguis*, r. Od. I, 9. extr. *m. pertinax*, Sat. II, 5, 45. *m. validus*, Sat. I, 9, 65. *salsus*, Ovid. Met. VII, 741. *m. tectus*, id. Her. VII, 27. *m. gratus*, t. VI, 785. *m. sobrius*, Lucan. I, 87. *m. concordes*, Suet. Aug. 21. *iones m. quietae* cett. (Cf. etiam Geo. I, 360. et 448.) Alterius significationis exempla ad Geo. I, 105. collata vide. Cf. omnino Bentl. ad Hor. III, 14, 11. Heind. ad eiusd. Sat. I, 2, 129. Ruhnk. ad Vellei. II, 47. h. ad Tibull. I, 4, 24. idemque ad Ovid. Met. III, 474. 730. IV, 285. i, Thiel. ad h. l., imprimisque Hand. Turs. III. p. 584. -- *statio* o, i. e. locus, ubi stare possunt naves, sed minus tutae (*eine Rhede*), ortu probe distinguenda. Quare Silius XIV, 201., hunc locum imitatus: *iusti quondam portus, nunc litore solo Subsidium infidum fugientibus ora nautis.* Henry comparat Vell. Pat. II, 72. *Exitialemque tempeem fugientibus statio pro portu foret* et Conington memorat, *stationi male* e oppositam esse *stationem tutissimam* Geo. IV, 421. Ceterum verba *insula* etc. significant: insula praebet sinum male fidum etc., nam epitheton ad *sinum* et ad *stationem* pertinet. Non raro enim *esse* id dicitur, d habet tantum aliquid. Conf. Wunderl. Praef. p. VIII. Ex hac em interpretatione loci patet etiam, vulgo male Semicolo in extremo v. interpungi, quod cum Wagn. in Comma mutavimus. — 24. *Huc - - condunt;* nam recte dicitur *se condere in locum*. Cf. Aen. XI, 187. an. II, 609. *Brundusii tutas condit se Magnus in arces.* Senec. Cons. Marc. 22. *condere se in tenebras.* Conington, cum non *in litus*, sed *in re* adiiciatur, potius coniungi vult verba *Huc provecti*, cui rationi tat collocatio verborum *Huc se provecti - - condunt;* et cum conditi eant in litore, quidni etiam scribi potuit *huc - - in litore se condunt?* etiam supra v. 18. Ceterum hic per prolepsin de re sermonem esse, ım postea demum Aeneas comperire potuerit, in promptu est. Cf. infra 31. 59. 237. 248. 396. 455. 686. 741. III, 17. 595. al. et quae Kappes gr. II. p. 5 sq. disputavit. — 25. *abiisse*. Eadem forma plenior, cui mmatici contractam *abisse* praeferre solent, legitur etiam Aen. III, 606. , 140. (*periisse*), V, 196. (*rediisse*), V, 595. (*subiisse*); ut *petiisse* III, . Scilicet poëtae in eiusmodi rebus metri causa liberius versantur. — *ti*, scil. sumus; ellipsis paullo durior, quae tamen redit V, 192. 687. et i. — „*vento petere Mycenas* est omnino navibus advehi Mycenas. ilis compositio est apud Val. Fl. I, 391. *remo petere Colchos.* Adde . IV, 381.“ *Wund.* Imprimis vid. infra v. 180. coll. cum I, 307. III, . IV, 46. et 381. Thiel. tamen cum Heynio *vento* explicat *vento secundo*

Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu:
Panduntur portae, iuvat ire et Dorica castra
Desertosque videre locos litusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles;

---

i. e. cum ventus secundus esset. *Mycenae* autem pro tota Graecia positum, ut saepissime apud poëtas. De omisso Accusativo Subiecti *eos*, qui ex omni connexu facile intelligi potest, praeter Thiel. ad h. l. et eos, quos laudat Kritz. ad Sall. Cat. 31, 7., cf. Garaton. ad Cic. Verr. I, 8, 22. Huschk. ad Tibull. I, 3, 27. Iahn. ad Ecl. VII, 19. Beneck. ad Iustin. XXXVIII, 1, 7. Frotscher. ad Rut. Lup. p. 112 alios. Historicos saepius quam Ciceronem, Latinos autem omnino rarius quam Graecos hunc Accusativum omittere, satis constat. Nihilominus etiam Cicero pro Deiot. 8. *Addit etiam illud, equites non optimos misisse* et simile ratione alibi. Vergilius hunc Accusativum Subiecti non solum omittit, si idem est Subiectum, quod inest Verbo Infinitivum regenti (ut Aen. II, 433. III, 200. 603. IV, 493. XI, 503. etc.), sed etiam si diversum (ut Aen. III, 184. VI, 457. VII, 290. IX, 354. etc.). Ribbeck. suspicatur, verba *et vento petiisse Mycenas* fortasse ex v. 180. huc inlata esse, cum imperfectam reliquisset poëta sententiam, quare etiam tribus asteriscis inter v. 25. et 26. positis lacunam indicat. — 26. „*omnis Teucria,* sc. gens, ait *Serv.;* aut *Teucria* terra, regio. Sunt utique omnes Troiani. Sic *Dardania* v. 281. pro ipsis Teucris.“ *Heyn.* — *solvit se luctu,* liberat se a luctu. Sic apud Prop. V, (IV), 6, 41. *aliquem metu solvere,* Hor. Epod. XVII, 45. *dementia solvere,* Liv. VII, 3, 9. *religione solvere* et multa similia; imprimis autem cf. Lucret. III, 916. *Dissolvant animi magno se angore et metu.* Inversa constructione supra I, 562. scriptum vidimus *corde metum solvere.* — 27. *Panduntur portae.* Sic etiam ap. Silium XII, 744. et Petron. in Wernsd. Poët. L. min. IV, 756, 15. Conington de portis apertis, pacis signo, conferri iubet Hor. Od. III, 5, 29. et A. P. 199. — *iuvat ire,* ut ap. Stat. Theb. I, 616. et Nemes. in Wernsd. Poët. L. min. I, 290, 100. huius loci memores. — „*Dorica castra.* Habet hoc a posterioribus poëtis. Homerus Achaeos, Argivos vel Danaos memorat [et sic Verg. ipse infra II, 462. *Achaica castra*]. *Dorum* nullae fuere opes, nisi postquam cum Heraclidis in Peloponnesum descenderant LXXX annis post Troiam captam. - - Homerus etiam hoc addit, castris ab ipsis Achivis fuisse ignem subiectum, Odyss. VIII, 501. Sequitur id Quintus Cal. XII, 337. et 30., Tryphiod. v. 138. 207 sqq. et ceteri.“ *Heyn.* Ceterum iam Servius notat τὸ κακέμφατον in his *Dorica castra;* quare Wagn., non immemor, veteres vel maxime obscoenitatem ex eiusmodi coniunctione nascentem fugisse, coll. Cic. Orat. c. 45. et Quintil. Inst. VIII, 3, 45., hic et infra VI, 88. legi malit *Doria castra,* et formam Adi. *Dorius* (ut alibi *Achaius, Troius, Maeotius*) comprobare studet duobus locis Pindari Nem. V, 69. Heyn. Ἰσθμὸν Δωρίαν et Isthm. II, 22. Δωρίων σελίνων; quae certe iis, quae Iahn. ad Aen. I, 119. de diversa significatione Adiectivorum in *ius* et *icus* exeuntium (paullo subtilius sane) disputavit, non convenirent. Mihi non laudandus quidem Vergilius, nihil tamen mutandum videtur h. l., cum neque Propertius II, 8, 32. et V, (IV), 6, 34. *Dorica castra* scribere dubitaverit. Similis est etiam Tibulli locus I, 4, 6. *tempora sicca canis* (ubi vid. Bach. et Huschk.) et infra v. 462. *Achaica castra.* Praeterea cf. Geo. II, 13. *glauca canentia* et Aen. III, 203. *caeca caligine,* quamquam in his locis, cum syllabae *ca ca* non Iambum efficiant, res paullo aliter se habet. Alia exempla eiusdem κακοφωνίας, quae tamen nihil obscoeni continent, ut Aen. V, 71. VII, 135. et VIII, 286. *tempora ramis,* V, 222. *currere remis,* VIII, 315. *duro robore,* XII, 630. *honore recedes* etc., collegerunt Obbar. in Seebodii Nova. Bibl T. V. Vol. I. p. 183. Beier. ad Cic. Off. I, 18, 61. Bach. et Huschk. ad Tibull. I, 4, 6. Bentl. ad Hor. Od. II, 20, 10. Ochsner. ad Ovid. Met. IV, 783. (T. II. p. 531. ed. Bach.) Naeke in Mus. Rh. III. p. 380. Wagn. ad Aen. V, 71. et Iahn. ad Aen. VI, 310. — V. 28. infra V, 612. paullo mutatus sic redit: *Desertosque videt portus classemque relictam.* — 29. De Partt. *hic - - hic* pro *hic - - illic* positis vid. adnott. ad Aen. I, 162. et de *Dolopibus*

.bus hic locus; hic acie certare solebant.
stupet innuptae donum exitiale Minervae,

ıd v. 7. Heyn. minus recte *hic* tantum repetitum et Dolopes Myrmi- ı Achillis accensos putat. — *tendebat*, tentorium habebat; militare ı. Intellige tabernacula, tentoria. Vid. infra VIII, 605. Liv. XXVII, XLIV, 5. extr. Caes. B. G. VI, 37. Suet. Galb. 12, 19. Curt. VII, 2. VII, 328. Silius XII, 749. Tac. Hist. I, 31, 55. etc. Imprimis cf. imillimus Ovid. Her. I, 35. *Illic Aeacides, illic tendebat Achilles.* ı Caes. B. C. III, 82. *praetorium tendere.* Contrarium est *detendere,* ntoria tollere. Vid. Caes. B. C. III, 85. Liv. XLI, 3, 1. Ceterum ı re vid. supra ad I, 469. adnott. — **30.** „*Classibus*, h. e. navibus ·am subductis. Cf. Fabretti ad tab. Iliac. p. 323." *Heyn.* Plurali utitur Verg., quia sermo est de singulorum populorum classibus in coniunctis (*das Schiffslager der Griechen*). Cf. Henry *Tw. years* II. — *acie* pro vulg. *acies* (quod exhibent Pal., omnes Gothani, Mino- duo Bern., Rufinian. de schem. Lex. p. 33. et Isidor. Orig. IX, 3, 59.) l., Rom., Gud. aliisque libris restituit Heinsius, quem Heyn. et ores editores omnes iure secuti sunt, quamquam Ribbeck. adnotat: ; autem *acies*, quo placere possit propter praegressum *classibus* 599.: (et VII, 42.)" Servius utramque lectionem affert. — **31—34.** ·rbis *stupet* -- *mirantur* male argutantur; poëtae iungunt talia, ıd varietatem orationis et copiam, modo ad ornatum vel vim adden- adem notione aliter atque aliter exposita." *Heyn.* Vid. infra v. 64. 5 sqq. IV, 86 sqq. ibid. 404. Thiel. ad Aen. VII, 573. et Wagn. Qu. VIII, 4, d. Alia exempla congresserunt Drakenb. ad Liv. I, 3, 2. ad Flor. IV, 10, 3. Ruddim. II. p. 342. et Kritz. ad Sall. Cat. 23, 6. e transitiva significatione usurpatum (*anstaunen*) legitur etiam Val. 620. *stupuitque fragorem* - - *Atlas.* ibid. V, 96. *omnia dum Mopsus* Petron. c. 29. *dum omnia stupeo.* Iuven. XIII, 16. Stat. Theb. IV, III, 150. alibi. Alia exempla Accusativi Obiecti verbis intransitivis habes Ecl. II, 1. Aen. II, 542. III, 195. IV, 509. VIII, 434. XI, 14. etc. — „*innuptae*, epitheton manifeste expressum ex Eurip. 538. χάριν ἄζυγος πώλου (h. e. ἀγάμου, παρθένου); h. l. tantum ad rem nihil facit." *Heyn.* Cf. Ovid. Trist. II, 293. Hor. Od. III, Prop. IV, 19, (III, 20), 7. a Thielio laud., ubi Minerva *virgo* et vocatur. *Innuptae* pro virginibus etiam ap. Verg. ipsum legimus V, 476. et Aen. XII, 24. — *donum Minervae*, quod a Graecis ıulationem oblatum, destinatum erat Minervae. Redeo enim nunc is iis, quae Kappes in Iahnii Annal. LXXII. p. 289. et in Progr. II. q. docte disputavit, ad priorem huius loci explicationem plurimis edi- probatam, quam in edit. 3. a Wagn. in errorem inductus temere (quod etiam Haeckermanno accidit in Comm. p. 10. et *Zeitschr.* 7. W. XIX. p. 50.). Fingunt enim Graeci, hoc equo Minervae ob- compensare velle Palladium raptum, quod ipsum ut reddant a se ıre non possint. Vid. potissimum v. 17. 183 sq. et 189. (ubi, ut *inervae* est Gen. obiecti a voce *donā* pendens ut ap. Cic. Verr. II, quem Gossr. laudat, *civium Romanorum dona* sunt dona civibus ›blata) coll. cum Laocoontis verbis v. 44. et 49. et Servii adnot. ad ›raeterea autem cum Attio v. 127. R. (*Minervae donum armipotenti* ıs *Danai dicant*) et Hygino fab. 108. (*Danai Minervae dona dant*), ›cos Henrico debeo. Nam video, etiam ab hoc viro doctiss. (qui n *Tw. years* II. p. 17. et Philol. XI. p. 598. interpretatus erat: , cuius causa fuit Minerva, donum, quod Minervae debebant) et a ro ipso, (qui prius explicaverat: donum a Graecis consilio Minervae Troianis oblatum) mutata sententia nunc probari explicationem propositam. (Vid. Henr. in Fleckeis. Annal. phil. a. 1867. p. 717., morat, hunc locum fere totum ex Eurip. Tro. 531 sqq. esse trans- et Wagn. in recentiss. edit. a. 1861.) — *exitiale* autem per pro- adiicitur ab Aenea narrante pro: quod postea exitiale esse cognovi; aliter v. 237. *fatalis machina* et v. 245. *monstrum infelix* accipien- (Cf. etiam Henry l. l.) -- „*exitiale donum* legitur etiam apud

Et molem mirantur equi; primusque Thymoetes
Duci intra muros hortatur et arce locari,
Sive dolo seu iam Troiae sic fata ferebant.
At Capys et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
Praecipitare iubent subiectisque urere flammis,

Val. Fl. V, 448. Sapientius autem Vergilius de equo consilia inire Troianos facit, antequam in arcem deductus erat, quam apud Homerum deducto iam in arcem equo, Odyss. VIII, 504 sqq., e quo loco pleraque hic expressa.“ *Heyn.* — **32.** *molem equi* (quae verba redeunt infra v. 150.) *mirantur*, stupore soluto. *Thymoeten*, quem Diod. Sic. III, 87. Laomedontis filium fuisse perhibet et cuius, Burmanno auctore, etiam Tzetz. ad Lycophr. 224. et Gud. inscr. CCXXXVI, 11. mentionem faciunt, nominat ex auctoritate Euphorionis, ut Serv. adnotat. Fuisse eum inter senes Iliad. III, 146. recensitos et ap. Quintum II. pr. Penthesilea caesa suadere, ut urbem relinquant incolae, Heyn. memorat. — **33.** *arce locari.* Heyn. de templo Minervae cogitat, cui tamen quomodo equus invehi potuerit, non liquet; templi enim parietes vix diruissent Troiani, ut urbis muros diruerunt (vid. infra v. 234.). — **34.** *dolo*; quia uxore filioque per Priamum occisis iustum causam proditionis habere Thymoetes videbatur; vid. Serv. — *Sic* i. q. ut id ita fieret. Cf. adnott. ad Aen. V, 50. — *fata ferebant* (*brachten es so mit sich*), ut alibi *res, usus, tempus, occasio, causa, natura fert.* Vid. Bentl. ad Ter. Heaut. IV, 1, 54. et Ochsner. ad Ecl. Cic. p. 322. a Thielio laud. Cf. etiam infra v. 94. Sabin. Epist. III, 31. *Nec si fata ferant, tulerint si cetera quamvis,* Val. Fl. VIII, 174. *et tua fata ferebant;* et Burm. ad Lucan. I, 393. — **35—39.** Capys et quibus melius consilium placebat, equum aut delendum, aut accuratius explorandum esse censuerunt. *Capys* autem, ab Homero non commemoratus, apud Vergilium aliquoties nominatur: Aen. I, 183. VI, 768. IX, 576. X, 145. Capuam ab eo esse conditam, etiam Liv. IV, 37, 1. et Silius II, 30. et 299. referunt. — *quorum menti*, i. e. quibus. Cf. Markland. ad Stat. Silv. IV, 6, 91., qui comparat Aen. VIII, 205. (*Caci mens*, i. e. Cacus.) Manil. II, 626. et Val. Fl. VI, 181. (*quibus mentibus* pro quibus); omninoque *mentem* haud raro „simpliciter pro *persona*“ poni docet coll. Grat. Cyneg. 96. Iuven. VI, 316. Ovid. A. A. III, 25. Ceterum cf. Aen. XI, 314. *quae sit dubiae sententia menti, Expediam.* — **36** sq. Cf. Hom. Od. VIII, 507 sq. — *Danaum insidias.* Cf. Hom. Od. VIII, 494. *ὅν ποτ' ἐς ἀκρόπολιν δόλον ἤγαγε δῖος Ὀδυσσεύς*, praeter quem Conington conferri iubet Eurip. Tro. 530., qui equum Troianum *δόλιον ἄταν* appellet. — *Pelago* pro: in pelagus. Vid. adnott. ad Ecl. II, 30. VIII, 101. Geo. II, 306. Sic ap. Ovid. Met. IV, 91. *lux - - Praecipitatur aquis.* Stabat autem machina mari vicina iuxta deserta Graecorum castra ideoque facile ex alto litore eo praecipitari poterat. — *insidias*, i. e. equum, quo parantur insidiae. — **37.** *iubent.* Charis. Inst. IV. p. 241. P. Nonius p. 400, 22. et Schol. Crucq. Hor. Od. I, 16. *iubet.* Sed cum Grammatici illi versum 25. (qui Pluralem flagitat) non adiiciant, ex eorum auctoritae locum non mutandum esse, verissime memorat Wagn. Qu. Virg. VIII, 5. Consentiunt etiam cum Codd. Prisc. XVII, 1, 11. et 23, 172. p. 1040. et 1150. Putsch. et Macrob. Sat. V, 5. — *subiectisque.* Cum duae proferantur sententiae, equum aut abolendum, aut explorandum esse, et prior sententia in duas partes sit divisia (equum vel in mare praecipitandum, vel flammis comburendum esse), Heyn. invitis omnibus libris invexit lectionem *subiectisve.* Sed satis constat, simplicem Copulam haud raro habere vim disiunctivam Particulae *vel* (vid. adnott. ad Geo. I, 442.); quare omnium Codd. lectionem cum Wund., Iahn. et Wagn. restituimus, quam etiam recentiores editores omnes receperunt. Cf. locum simillimum Tibull. I, 9, 49. *Illa velim rapido Vulcanus carmina flamma Torreat et liquida deleat amnis aqua.* Ladew. apte cum h. l. conferri iubet eundem Tibull. II, 8, 80. *Prodigia indomitis merge sub aequoribus, Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis.* — **38.** *cavas latebras.* Cf.

Aut terebrare cavas uteri et temptare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria volgus.
Primus ibi ante omnis magna comitante caterva
Laocoon ardens summa decurrit ab arce
Et procul: „O miseri, quae tanta insania, cives?
Creditis avectos hostis? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut haec in nostros fabricata est machina muros

κοῖλον λόχον ap. Hom. Od. IV, 277. et VIII, 515. (a Coningt. laud.) — *temptare* (vid. ad Ecl. I, 49.), explorare equi cavitatem, adiuncta tamen periculosi conatus notione, quod iam ad Ecl. IV. 32. docuimus. — **39.** *volgus incertum*, anceps, dubium, quid faciat, (ita ut hoc epitheton neutiquam ad solum ornatum additum sit, quod Heyn. censet), *scinditur* (cf. Tac. Hist. I, 13. *Hi discordes in duas factiones scinduntur*, Quinct. prooem. Inst. §. 13. *scidit deinde se studium*, Petron. in Wernsd. Poët. L. min. III, 51, 217. *pectora per dubias scinduntur territa causas*), *in contraria studia*, in diversas opiniones, sententias, consilia. *Studium* enim secundum Donat. ad Ter. Hec. II, 1. est *voluntas hominis intentior et impensior;* quare etiam a Cic. pr. Marcell. 10. in. et alibi *consilia et studia* coniunguntur. Imitatus est h. l. Statius Theb. V, 147. *Nec varius fremor, aut studia in contraria rapti Dissensus, ut plebe solet.* Totus autem versus iteratur in Anth. Lat. III, 81, 44. — **40.** „De *Laocoonte* vid. infra v. 201 sqq. — *primus ante omnes*, quia sequitur *magna comitante caterva*, quam turbam ille decursantem *ardens* ira antevertebat.“ *Heyn.* Non mirum autem, quod magna hominum turba sacerdotem iam seniorem summo ardore summaque festinatione ab arce decurrentem comitatur. Ceterum *primus ante omnes*, quo celeritas, qua Laocoon ira stimulatus accurrit, fortius exprimitur, legitur etiam infra V, 540., ut V, 833. *princeps ante omnes* et Senec. Herc. Oet. 1271. *primo et ante omnes mihi fletum abstulisti.* (Cf. etiam adnott. ad Geo. II, 475.) Wagn. Qu. Virg. XXVIII, 3, h. hunc locum cum v. 147. huius libri, III, 437. IV, 342. V, 497. 540. 746. X, 428. XII, 461. aliisque refert inter eos, ubi *primus* de exemplo dicatur, quod quis praeeat, ac proinde de eo, qui prae ceteris aliquid faciat vel patiatur. — **41.** *ardens*, scil. ira, ut ap. Hor. Sat. I, 4, 48. *At pater ardens Saevit* et alibi. — *ab arce*, *Περγάμῳ*, unde prospectus erat versus litus. — **42.** *Et procul.* Verba dicendi in concitatiore potissimum oratione saepe omitti, res est notissima. Prorsus eadem ratione Geo. IV, 353. *Et procul:* „*O gemitu* etc. Cf. etiam infra ad III, 85. adnott. Ceterum hoc *procul* aptissime hominis ardorem exprimit. Non exspectat, dum ad cives suos perveniat, sed iam ex longinquo, remotus adhuc, iis acclamat. — *O miseri. Miser*, ut *infelix* (XI, 175. ubi vid. Wagn.) „dicitur interdum is, qui parum opportuna vel facit vel loquitur.“ Cf. V, 671. — Verba *quae tanta insania, cives?* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 127. — **43.** *Creditis avectos hostes?* i. e. ne credite. Cf. infra v. 596. IV, 565. 592. XI, 389. XII, 39., quos locos congessit Wagn. Qu. Virg. XXXI, 5. Eadem ratione explicandum sequens *ulla;* nam *aut ulla putatis* i. q. nulla putetis. — **44.** *sic notus Ulixes*, in bonam partem? Nonne potius astutia eius et malitia satis nota? Cf. Lucan. V, 567. *Sic est tibi cognita, Magne, nostra fides?* Ovid. ex P. III, 7, 32. *An fortuna mihi sic mea nota fuit?* Sil. III, 110. *sic foedera nota* ibique Interpp. — **46.** Heyn. non temere pro *Aut haec* legi vult *Atque haec;* Ribbeck. autem, qui v. 45—47. asteriscos praeposuit, suspicatur, „poëtam ipsum dubium, utrum v. 45. an 46 sq. versui 48. opponeret, interim utraque adposuisse, ut tamen in edendo textu aut v. 45. aut 46 sq. omissurus esset“, quod probat Ladew., Conington autem reiicit. Et sane v. 45. et 46. minime se invicem excludere arbitror; potest enim equus aut iam continere armatos, aut in eum finem aedificatus esse, ut hostes in eius tergum *adscendant et inde* urbem speculentur in eamque, si fieri *possit, desiliant, potest vero etiam* alius quis dolus latere. Versum

Inspectura domos venturaque desuper urbi,
Aut aliquis latet error. Equo ne credite, Teucri,
Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentis."
Sic fatus validis ingentem viribus hastam
In latus inque feri curvam compagibus alvum

---

certe 45. delere non poterat auctor, nisi etiam v. 50 sqq. mutatis; v. enim 45. remoto, nulla prorsus apparet causa hastam in equi alvum contorquendi; nisi forte dixeris, Laocoonta eo tantum significare velle, machinam esse concidendam et destruendam. — **47**. „Adumbratum hoc ex poliorcetica posteriorum temporum, qua turris rotis subiectis muro admoveri solebat, ut demisso in murum ponte escensus oppugnatorum fieret in urbem." *Heyn*. Cf. etiam Veget. IV, 19., qui Maronem de equo Troiano loqui ut de machina oppugnatoria scribit. Vid. Schirach. p. 386. — *desuper ventura*. Cf. I, 164. 419. IV, 120. VI, 677. etc. — **48**. *aliquis*, i. e. alius quis, ut etiam Aen. IX, 186.; de quo dicendi genere praeter eos, quos iam Beneck. ad Cic. Cat. I, 6, 15. et Kühner. ad Tusc. III, 18, 43. laudarunt, vid. Ernesti ad Tac. Ann. I, 4. Heusing. ad Ovid. Her. XII, 80. Ruhnk. ad Vellei. I, 17, 7. Wolf. et Orell. ad Cic. Tusc. III, 14, 29. alii. — *error*, fraus, dolus, quemadmodum apud Liv. XXII, 1, 3. *errore sese ab insidiis muniérat.* Neque inepte contuleris Aen. VI, 27., ubi Labyrinthus *inextricabilis error* vocatur. Diomedes p. 429. minus bene distinxit: - - *latet error equo. Ne credite, T.*, quae interpungendi ratio etiam Servio commemoratur. — **49**. Habeo Danaos suspectos, etiam cum ultro dona offerunt. Versus nobilissimus. — *Quidquid id est* etc. Cf. Ovid. Her. XVIII, (XIX), 203. *Quidquid id est, timeo* et Anth. Lat. I, 178, 88. *Quidquid id est, timeo vatum praedicta priorum.* Sic *Quidquid id est* legitur etiam Nemes. Cyn. 219. Calpurn. Ecl. IV, 12. Rutil. Itin. I, 311. et *Quisquis is es* ap. Tibull. II, 3, 33. — *et dona ferentes*. De Part. *et* pro *adeo*, *vel* posita, quem eius usum male negavit Wolf. ad Tac. Ann. I, 4., praeter Broukhus. ad Prop. II, 19, 32. cf. Goerenz. ad Cic. Legg. II, 25, 63. et Acad. II, 18, 58. Brem. ad Nep. Thras. 1, 5. Matth. ad Cic. pr. Deiot. 10, 29. et Hand. Tursell. II. p. 520 sq. Lachmann. quidem ad Lucr. VI, 7. p. 348. adnotat: „ut ap. Verg. *timeo Danaos, et dona ferentes*, i. e. *et eos dona ferentes;* quam superlativam dicit coniunctionem Diomedes p. 411. - - Hoc ideo dico, ne quis forte pro *etiam* positum existimet;" sed vide, quae Conington recte contra eum disputat. — *dona*, quale hunc equum. Cf. v. 31. Henry *Tw. years* II. p. 19. conferri iubet Soph. Phil. 665. *ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κοὐκ ὀνήσιμα.* — **50**. *validis viribus*, magna vi, nil amplius. Cf. Epit. Iliad. 314. *Et magnam validis contorsit viribus hastam.* — **51**. *in latus inque curvam alvum.* Prius cum Thielio interpretatus sum: tanta vi hastam in latus infixit, ut illa in ipsum alvum penetraret; quod probare videtur Conington coll. Aen. X, 482 sqq. Nunc vero perlectis iis, quae Henry in *Tw. years* II. p. 20. contra Thielium disputat, cum eo, Heynio, Wagn. (qui etiam cf. in Qu. Virg. XXXIII, 5.) et Ladew. verba *inque f. curvam alvum* per simplicem epexegesin voci *latus* adiectam censeo, cum sequantur verba *utero recusso* et infra v. 231. legamus *qui cuspide robur laeserit et tergo* (quod respondet *lateri* in hoc loco) *scel. intorserit hastam*, unde apparere videtur, hastam non perforasse latus equi, quod in tanta machina tenue esse non poterat, sed in eo inhaesisse. De Praepositione iterata, qua ictus vehementia exprimitur, cf. infra VII, 99. et adnott. ad v. 358. huius libri. Haupt. et Ribbeck. scribunt *alvom.* Vid. adnott. ad Ecl. II, 22. et al. — *alvus curva compagibus* est ex compage lignorum curva facta. — *Ferus* vel *ferum* pro equo etiam infra V, 818. et de eodem equo Troiano ap. Petron. in Wernsd. Poët. L. min. IV, 755, 12. legitur, ut Adiect. *ferinus* pro *equinus* Aen. XI, 571. Cf. interpp. ad Phaedr. I, 12, 9., ad Ovid. Her. X, 114. et Met. VI, 77. (ubi alii pro *ferum* edunt *fretum*) et ad Auson. Epist. XXIV, 17. Apud Ovid. Fast. I, 550. etiam de bobus dicitur: *traxerat aversos feros.* Ceterum et *fera* (bestia) et *ferum* (animal) et *ferus* (Aen. VII, 489. Ovid. Met. VIII, 400. Phaedr. IV, 3, 3. Sil. VI, 268.?)

Contorsit. Stetit illa tremens uteroque recusso
Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.
Et, si fata deum, si mens non laeva fuisset,
Inpulerat ferro Argolicas foedare latebras,

---

dicitur. — **52.** *utero recusso,* i. e. repercusso, i. e. sonum reddente. *Recutiendi* vocabulum admodum raro in veterum scriptis invenitur. Vergilius autem verbis cum Praepos. *re* compositis libenter et cum amore quodam utitur, et hic quidem cum cumulata litera canina, tum numeris dactylicis trementem equum eo vividius pingere voluisse videtur. Quibus locis praeterea *recussus* legitur (Val. Fl. V, 167. Appulei. Met. IV. p. 87. et V. p. 114. Bip. Sidon. Apoll. II, 427.), ibi prima signif. valet quatiendo retro pulsus vel depulsus. — **53.** *cavernae* pro caverna, h. e. equo cavo. Wagnero *cavae cavernae* vix ferendum videtur, nisi iunxeris *cavae insonuere*, i. e. cavum quid sonuere; ut infra V, 866. *Tum rauca assiduo longe sale saxa sonabant*, Geo. IV, 370. *Saxosusque sonans Hypanis*, Aen. VII, 141. *Hic pater omnipotens ter caelo clarus ab alto Intonuit*. Quamquam autem per se non haerendum est in pleonasmo *cavae cavernae*, cum etiam ap. Lucr. I, 826. *sonitus sonans*, ibid. III, 826. (ubi vid. adnot. mea) *anxius angor*, ap. Plaut. Mil. IV, 1, 13. *pulchra pulchritudo* et similia legamus, et Lucanus III, 418. hunc locum sic imitatus: *Saepe cavas motu terrae mugire cavernas* verba sua vix per *cavum quid mugire* interpretaturum fuisse puto, tamen nunc cum Gossravio (sensum melius sic exprimente: „ita, ut cavas eas esse, i. e. equi uterum cavum esse facile posses cognoscere") Henrico in *Tw. years* II. p. 21. et Ladew. coniungo *insonuere cavae* et explico: ut cavae res sonare solent (nos: *hohl tönen, hohl klingen*) quarum sonus fuscus in seqq. apte per *gemitum* significatur. (Cf. adnott. ad Ecl. I, 58.) Ceterum vid. infra IX, 709. *Dat tellus gemitum*. Cf. etiam III, 555. *gemitus pelagi*. — **54** sq. Verba sic intelligenda esse patet: *si fata fuissent* (i. e. si fatale fuisset, ut insidiae detegerentur: cf. infra v. 433.) et *si mens non laeva* (non stulta) *fuisset*. Cf. autem Ecl. I, 16., ubi haec ultima verba iam legimus, ibique adnott. *Fata deûm* autem hic, infra v. 257. VI, 376. VII, 50. 239. al. commemorantur, quia dii decernunt, quod inde evenire necesse est. Cf. Dietsch. Theol. Verg., qui p. 11 sqq. accuratam instituit de *fati* notione disputationem et p. 13. nota 83. inter *deos* et *fata* eandem rationem intercedere docet, quam in civitate inter *magistratus* et *leges*. Heyn., quem sequitur Haeckerm. in Comm. p. 10 sqq. et *Zeitschr*. etc. XIX. p. 51., minus recte coniungit: *si fata deum non fuissent* (scil. ut insidiae laterent), vel *si fata deum non laeva fuissent* (quam rationem Noehden I. p. 80. Müller in Progr. Blankenb. a. 1837. p. 19. et Aldenhov. *d. Verg. Fatal.* p. 21. sequuntur); idemque memorat, verba etiam sic coniungi posse: *si mens laeva* (i. e. stultitia Troianorum) *non fuisset*, quae tamen ratio alteri videtur postponenda. Ceterum hic totus versus iteratur in Anth. Lat. I, 147, 42. — *Et, si m. n. l. fuisset, Impulerat*, at *fuit*, ideoque non potuit impellere; contra *si - - fuisset, Impulisset* significaret: si non fuisset, ut esse poterat, fieri poterat, ut impelleret. Itaque *impulerat* gravius indicat mentis perversitatem eorum, qui equum non diruerunt, quam Coniunct. *impulisset*. Cf. de hoc discrimine (quod temere negat Conington) Drakenb. ad Liv. XLI, 24, 4. Ruhnk. ad Vell. Pat. II, 52. Goerenz. ad Cic. Legg. I, 21. p. 87. idemque ad Cic. Fin. III, 10. p. 356. Wagn. ad Eleg. ad Messal. p. 44. Boetticher. in Lex. Tacit. v. *indicat*. p. 255. Kritz. ad Sall. Iug. 85, 48. Stallbaum. ad Ruddim. II. p. 378 sq. Gernhard. Opusc. p. 231 sqq. Iahn. ad Ovid. Trist. II, 97. Zumpt. §. 519. alii, et quae ad Geo. II, 54. Aen. I, 374. et IV, 18 sq. adnotavimus. Ladew. comparat Hor. Od. II, 17, 27. *me truncus illapsus cerebro Sustulerat, nisi Faunus ictum Dextra levasset*. Ceterum de constructione *impulerat - - foedare* vid. supra ad Aen. I, 10. — **55.** „*Argolicas latebras*, equum, quo latebant Argivi. — *foedare*, pro lacerare, ut aliis in locis de vulnere, aut mutilato corpore, ut αἰσχύνειν, λωβᾶσθαι, et simpl. vulnerare, inf. III, 241. VII, 575., unde et cum ea voce iungitur II, 286.; h. l. diffringere et dissolvere machinae compagem

Troiaque nunc staret, Priamique arx alta maneres.
  Ecce, manus iuvenem interea post terga revinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidae, qui se ignotum venientibus ultro,
Hoc ipsum ut strueret Troiamque aperiret Achivis,

[quo etiam externa eius species foedatur]. Ad verbum omnia expressa apud Petron. c. 89. v. 20 sq.“ *Heyn.* De *foedandi* verbo pro vulnerandi et lacerandi posito, quod quovis vulnere corpus quodvis foedatur, cf. III, 241. IV, 673. VII, 575. Ovid. Met. III, 522. XIV, 190. Tibull. IV, 1, 57. Drakenb. ad Liv. VIII, 10, 6. Walch. ad Tac. Agr. c. 35. p. 366. et Boetticheri Lex. Tacit. p. 204. — **56.** Recepi nunc cum Wagn. (quem etiam vide in Philol. Suppl. I. p. 315. et in eiusd. XVII. p. 170.), Gossravio, Ribbeckio, Ladewigio (in recentiss. edit.) et Coningtone antiquam Medicei et Mentel. I. lectionem *staret - - - maneres*, quam etiam Lips. obl. prius videtur exhibuisse; cum sic non modo homoeoteleuton huic loco minime conveniens evitetur, sed etiam enallage personae animi affectus melius exprimatur; nihil enim in urbe Troia vel augustius vel Aeneae carius fuisse indicatur, quam domum Priami. Wagn. comparat etiam locum consimilem VII, 684. *quos dives Anagnia pascit, Quos, Amasene pater*, ubi idem a Nominativo ad Vocativum transitus antiquam lectionem, sed in paucis admodum libris, obliteraverit, cui loco in Philol. XVII. p. 170. addit Silium VII, 565. *Mutassentque solum sceptris Aeneia regna Nullaque nunc stares terrarum vertice, Roma*. Haeckerm. autem (qui etiam cf. in Comm. p. 11 sq.) in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 51. Verg. ipsius Aen. II, 428 sq. III, 118 sq. et VII, 684 sq. Praeterea addi poterat locus Geo. II, 170. Thiel., Süpfl., Haupt. et Bryce retinuerunt lectionem *stares*, quam ex Ribbeckii Codd. Gud. et duo Bern. exhibent. — *maneres.* Cf. supra v. 22. et Ovid. Met. VIII, 114. (patria) *superata iacet. Sed finge manere.* — **57.** „Simonis fraudes etiam Quintus [XII, 261 sqq.], Tryphiodorus [v. 211 sqq.], Dictys, Dares, Tzetzes Posthom. 680 sq. memorant. Datum ei genus maternum commune cum Ulysse, nam filius Aesimi fuit, nepos Autolyci, cuius filia Anticlia, quae Ulyssem edidit: Schol. Lycophr. 344. et Serv. ad h. l. Videntur in eum poëtae, qui Homericas fabulas ornarunt, transtulisse, quae de Ulysse narrantur Odyss. IV, 244 sqq., praeivisse autem omnibus Lesches. Perperam enim ex Pisandro duxisse narrationem de Sinone Vergilium tradit Macrob. V, 2. Iliadis parvae particulam constituebat Sinon apud Aristot. Poët. 23. ὡς ὁ *Λέσχης* φησίν addit Tzetz. ad Lycophr. 344. - - Fuit Sinon etiam fabulae Sophocleae argumentum Hesychio laudatae. Ex hac aut alia tragoedia profecisse videtur Vergilius in Sinonis oratione, quae Graecarum tragoediarum eloquentiam et acumen redolet.“ Haec fere *Heyn.* in Exc. IV. ad h. l. Etiam apud Romanos hanc Sinonis fabulam in vulgus notam fuisse, apparet ex Plauti Bacch. IV, 7, 13. — *manus - - revinctum.* Vid. ad Ecl. I, 54. Cf. autem Auson. Cup. cruc. 60. *devinctum post terga manus.* Epit. Iliad. 540. *manibus post terga revinctis* et Ovid. Met. III, 575. *manibus post terga ligatis.* Ceterum Ribbeck. etiam hic *pos terga.* Vid. ad I, 296. — **58.** *trahebant* Heyn. interpretatur: cum festinatione adducebant, ut VI, 753. *Conventus trahit in medios.* Rectius autem Thiel. (coll. locis Claud. in Eutrop. II, 102. Lucan. VIII, 415. Ovid. Met. XI, 91. Hor. Epist. II, 1, 191. Iuven. X, 87. 99. aliis, itemque Ruhnk. ad Ter. Heaut. IV, 2, 11. et Kritz. ad Sall. Cat. 47, 4.) *trahere* verbum proprium esse docet de captivis, qui plerumque inviti sequantur. Cf. infra v. 123. 403., ubi pariter voluntas sequendi deest. Alibi (ut infra v. 321. 457. VI, 753. etc.) etiam ii *trahuntur*, qui ducentem non tam celeriter sequi possunt. — **59—62.** *Qui se - - ultro - - obtulerat.* Cf. infra VIII, 611. et Anth. Lat. I, 14, 8. *Obtulerat qui se ignotum venientibus ultro.* Haupt. et Ribbeck. *Optulerat* cum Med. et Rom. Cf. Ribbeck. Prol. p. 390. et Wagn. Orth. Verg. p. 414. — *hoc ipsum ut strueret*, sc. ut adduceretur ad regem et coram eo fabulam a se fictam proferre posset, qua Troiam Graecis aperiret. Henry in *Tw. years II.* p. 21. et Philol. XI. p. 599. verba sic vult construi: *strueret hoc ipsum, scil. ut Troiam aperiret*, sed recte Kappes. II. p. 6. docet, *strueret* et

Obtulerat fidens animi atque in utrumque paratus,
Seu versare dolos seu certae occumbere morti.
Undique visendi studio Troiana iuventus
Circumfusa ruit certantque inludere capto.
Accipe nunc Danaum insidias et crimine ab uno

---

aperiret notiones esse coordinatas, quae dicuntur, et verba *Troiamque aperiret* simplicem epexegesin epicam voci *strueret* adiungi. *Struere* voc. insidiarumper et doli. Cf. Liv. XXIII, 17, 10. *insidias*, Senec. Herc. Oet. 1468. *dolos*, Cic. Cluent. 64. in. *calamitatem*, Sen. Epist. 10. *pericula*, Cic. Att. V, 31. *sollicitudinem struere* etc. Vid. Burm. ad Val. Fl. III, 586. — *Troiam aperiret Achivis*. Cf. Silius XIII, 50. *nostris aperit mala Pergama fatis* et Stat. Theb. XII, 294. *faciles aperiret Athenas*. — **61.** *fidens animi* pro: animo fidens, animo confidente. Vid. ad Geo. IV, 491. et supra ad Aen. I, 178. Verba *fidens animi in utrumque paratus* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 43. et *obtulerat fidens animi* ibid. I, 172, 13. Lucan. autem IX, 373. hac constructione, ut videtur, male intellecta coniunxit adeo *fidens armorum*. Cod. Rom. et Seneca de vita beata 8. hic *fidens animo* exhibent, ut praeter alios locos legimus in Epit. Iliad. 714. *fidens animoque manuque*. — *in utrumque paratus*. Praeter Sen. l. modo l. cf. Hand. Tursell. III. p. 310. et Ruddim. II. p. 97. — **62.** „*versare dolos*, ut consilia, curas, h. e. agitare, h. l. cum adiuncta notione efficiendi, ad exitum perducendi.“ *Heyn*. Redit haec locutio respondens Graecorum *κέρδεα νωμᾶν* infra XI, 704. Cf. etiam Senec. Agam. 631. *licuit versare dolos*. Sic Val. Fl. II, 568. *dolos volutare*, idemque V, 292. similiter *dolos movere*. Cod. Bern. II. et Nonius 418, 27. exhibent *versare dolo*, atque etiam Serv. hic adnotat: „*Versare dolo*, dolo evertere et subaudis *Troianos:* aut *Dolos versare*, h. e. exercere,“ sed ad XI, 704. in loco nostro unam agnoscit lectionem *versare dolos*. Ceterum perinde est, utrum Infinitivos a *paratus* pendere, an voci *utrumque* per appositionem adiectos esse statuas. Peerlk. cum *versare dolos* significare non possit dolos ad exitum perducere, sed tantum moliri dolos, quod ab h. l. alienum sit, hanc profert coniecturam: *Seu superare dolo*, quam multis verbis comprobare studet. — *seu certae occumbere morti*, statim simulatque Graecum se significavit. Cf. infra 72. et 102. *Occumbere morti* ex Ennio [fr. Erechthei 5. p. 111, Vahl.] sumpta locutio, qui Servio auctore scripsit: *ut vos vostri liberi Defendant, pro vostra vita morti occumbunt fortiter*. Apud eundem Annal. XV. p. 108. Hessel. legimus *Occumbunt multi leto* (ap. Vahl. p. 59. vero *letum*). *Leto* utrum tertius an sextus Casus sit, non minus dubium quam apud Val. Fl. I, 633. *segni occumbere leto* et Sen. Hipp. 997. *flebili leto occubat*: vid. etiam Aen. I, 547. ibique adnott.); eandemque constructionem imitati sunt Ovid. Met. XV, 499. Phaedr. IV, 1, 14. (ubi *occumbere neci*), alii. Vulgo *occumbere mortem* dici constat (Cic. Tusc. I, 42. extr. Liv. XXVI, 25, 14. XXXI, 18, 6. Suet. Octav. 13. Sil. XIII, 380. etc.), vel etiam *morte* (Liv. I, 7, 7. Cf. Drakenb. ad Liv. ll. ll. Ruddim. II. p. 145. et Zumpt. §. 387.). Simplex verbum *occumbere* eodem sensu legimus supra I, 97. Ovid. A. A. III, 18. Lucan. IX, 567. Cic. ad Att. III, 15. Suet. Octav. 12. extr. Iustin. VII, 51. al. Ceterum verba *seu certae occumbere morti* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 99. et totus versus ibid. I, 178, 180.; Codd. autem Med., Gud., Bern. II., Pal. a m. sec. et Nonii l. l. male scribunt *certe*. — **63. 64.** „Ornatius, quam Quintus Cal. XII, 361. *ἄλλοθεν ἄλλος Μέσσον ἐκυκλώσαντο περισταδόν*.“ *Heyn*. — Verba *Undique visendi studio* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 104. — *circumfusa ruit* ornate pro circumfunditur. Solent enim poëtae Verba simplicia ita circumscribere, ut iis Participio positis aliud Verbum similis significationis adiungant, quo notio fortius exprimatur. Sic Aen. I, 26. *manet repostum*. II, 169. *sublapsa referri*. V, 864. *Classis advecta subibat*. VI, 310. *lapsa cadunt*. Ovid. Met. II, 453. *labens ibat rivus* etc. — *certant inludere capto*, h. e. certatim illudunt, contumeliis afficiunt. Peerlk. comparat Hegesipp. de excid. Hieros. III, 18. *alii certabant capto inludere*. — De Singul. et Plurali *coniuncto, ruit -- certant*, vid. supra ad v. 31. — **65.** *Satisfacit nunc Aeneas Didonis* voluntati supra 1, 372. prolatae.

Disce omnis.
Namque ut conspectu in medio turbatus inermis
Constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
„Heu, quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt
Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi
Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt?“

Accipe, audi. Cf. infra v. 308. I, 676. II, 308. IV, 611. VI, 633. etc. Contra *dare* pro dicere. Cf. adnott. ad Ecl. I, 19. — „*Ab uno crimine disce omnes*, pro vulgari *ex* unius scelere, et h. l. quidem fraude, ex uno exemplo, cognosce, quales, quam perfidi omnes Danai sint. Ita simpliciter accipio.“ Ita *Heyn*. rectissime; quare neque Peerlkampii coniectura opus est: *Disce omnia*, quae ne aptum quidem sensum praebet, neque Gentii Annot. crit. p. 13. *Disce homines*. Imitatur h. l. Silius VI, 39. *Nosces Fabios certamine ab uno*. Cf. etiam Cic. in Pison. 35, 85. *Cognoscis ex particula parva scelerum et crudelitatis tuae genus universum*, et Ter. Phorm. II, 1, 35. *unum cognoris, omnes noris*. Apud Suidam legi proverbium ἐξ ἑνὸς τὰ πάνθ᾽ ὁρᾷ, Peerlk. docet. — **67.** *conspectu in medio;* medius inter Troianos, ita ut omnes eum conspicere possent. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 178, 415. — *turbatus*, non „qui videbatur“, ut Gossr. explicat, sed vere turbatus, quia homo audax quidem est, sed non tam fortis, ut morte imminente vere turbari et consternari non possit. Non omnia enim in Sinone sunt ficta; timor certe hic est verus. Infra demum v. 76. (ubi vid. adnott.) *deponit formidinem*. (Sic etiam Henry *Class. Mus.* XXI. et *Tw. years* II. p. 25. hunc locum capit.) — *inermis* secundum Henricum in *Tw. years* II. p. 22. et Philol. XI. p. 600. hic et Aen. I, 491. non est i. q. sine armis, sed prorsus desertus et inops („*helpless and defenceless*“), coll. Tac. Ann. VI, 31. *Et senectutem Tiberii ut inermem despiciens*. — **68.** Egregie sententia adiuvatur exitu spondaico; ut etiam infra III, 517. *circumspicit Oriona*. Ipsi videmus quasi hominis metum, qui dubio suspensoque animo, quomodo Graeci se et mendacia sua excepturi sint, caute et anxie circumspicit et in vultu eorum, qui circumstant, animi sensa legere studet. Ceterum cf. Ovid. Met. VI, 169. *Constitit, atque oculos circumtulit alta superbos*. — **69.** Quorsum confugiam, omni spe salutis praeclusa? Quinct. Inst. IX, 2. legit: *Heu, quae me tellus;* quod cum Cunningh. Peerlk. praefert, cum aptius sit ad misericordiam et cum sequantur verba *aut quid iam misero* etc. Videtur autem hunc locum respicere Val. Fl. III, 304. *quinam reditus? quae me hospita tellus Accipiet? quae non primis prohibebit harenis?* Praeterea cf. Ennii Androm. fr. 9. (Trag. v. 112 sqq. p. 103. Vahlen.) imprimis verba *Quo accedam? quo applicem? Cui nec arae patriae domi stant* etc. et Cic. de Or. III, 56, 214. *Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne* etc. — **70.** Cf. Hom. Od. V, 299. (et 465.) ὤμοι ἐγὼ δειλός, τί νύ μοι μήκιστα γένηται; — *iam denique*, ut Aen. VI, 61. X, 890. XII, 497. *iam tandem*. Cf. adnott. ad Ecl. II, 7. — *restat*. Cf. infra XII, 793. *Quae iam finis erit, coniunx? quid denique restat?* et Ter. Adelph. III, 3, 3. *id misero restat mihi male* etc., a Thiel. laud. Verba *aut quid - - restat*? iterantur in Anth. Lat. I, 178. 434. — **71. 72.** „Et quem, tamquam hostem, insuper ipsi Troiani extremis afficient suppliciis.“ *Heyn*. Ribbeck ubique scribit *aput*, ut plerumque Med. et Rom. exhibent. (Cf. eius Proleg. p. 398.) Sed vid. Wagn. Orth. Verg. p. 426. et 429. — *super* pro insuper etiam infra Geo. III, 263. Aen. I, 29. IV, 606. V, 482. VII, 462. XI, 685. Hor. Sat. II, 7, 78. Ovid. Met. XII, 206. Cic. Leg. II, 21, 23. alibi. Cf. Burm. ad Phaedr. III, 11. et IV, 23. Heins. ad Val. Fl. VI, 88. Drak. ad Sil. IX, 275. Grysar *Theor. d. lat. St.* p. 462. Bach. ad Ovid. l. l. Lachmann. ad Lucr. VI, 514. p. 375. alii. — **72.** *poenas cum sanguine*, h. e. poenam cruentam, supplicium meum, *poscunt*. Cf. infra v. 366. *poenas dant sanguine Teucri*, i. e. vita, XI, 592. *det sanguine poenas*. IX, 422. *sanguine poenas Persolves*. Eodem modo Ovid. Met. XV, 87. dixit: *dapibus cum sanguine*

Quo gemitu conversi animi compressus et omnis
Impetus. Hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat; memoret, quae sit fiducia capto.
[Ille haec deposita tandem formidine fatur]:

---

gaudent. Vid. adnott. ad Aen. IV. 514. Ceterum Peerlk. coni. *poscant*, ut sensus sit: Quid restat, cum nec mihi locus apud Danaos sit, et Troiani praeterea vitam poscant. Poterat sane ita scribere Vergilius; sed invitis omnibus Codd. nihil mutandum, cum *cui* etiam pro *nam mihi* capi possit. — **73.** *conversi animi*, mutati, misericordia capti. Cf. Silii X, 623. *His dictis sedere animi minae, et conversa repente Pectora.* — **74.** *quo sanguine* (vid. ad Aen. I, 19.) *cretus* (ab obsoleto *creo*, unde *crescere*, formatum, non per syncopen ex *creatus* factum), pro natus, ut infra III, 608. (qui locus nostro simillimus) IV, 191. VIII, 135. IX, 672. Lucr. II, 906. IV, 1224. V, 6. et 61. Ovid. Met. IV, 607. XIII, 31. Varr. L. L. VI, 2. alibi. — **75.** „Interpunctione locus adiuvandus. Male distinguitur: *Quidve ferat memoret*, qua oratione nihil ieiunius post *hortamur fari.*“ *Heyn.* Distinctionem Heynio probatam (quam iuvat similis locus III, 608.) fere omnes recentiores editores nobiscum secuti sunt; Conington tamen locum sic distinxit: *Hortamur fari; quo sanguine cretus, Quidve ferat, memoret, quae sit f. c.* — *Quid ferat*, ut nos: *was er bringe*, i. e. quid velit dicere. Cf. infra v. 161. et VIII, 119.— *quae sit fiducia capto*, qua s. cuius rei fiducia ultro se captivum obtulerit; nam fidens animi se ultro obtulerat (cf. v. 59 sqq.), quamquam capto hosti a Troianis omnia erant metuenda. Heyn. minus recte interpretatur: „num habeat, quod ad veniam impetrandam afferre possit.“ Haeckerm. in Comm. p. 12 sqq. et in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 51. coll. Aen. X, 152. explicat: quae fides capto haberi possit („*welches Vertrauen dem Gefangenen gebühre*“), quem ad quaestiones propositas mendaciis responsurum esse timendum sit. Sed num *fiducia* pro *fide* poni possit, dubito. (Quae Henry in *Tw. years* II. p. 23. et Philol. XI. p. 600. contra me disputavit, propterea notatus a Kappesio II. p. 7., vir doct. nunc retractat.) Peerlk. verba *memoret, quae sit fiducia capto* una cum versu sequente tamquam spuria et ex simili loco infra III, 609 sqq. conficta exsulare iubet, adsentiente Gruppio in Minoe p. 198. (quem Kappes. affert); sed vide quae Freudenberg. Vind. Virg. p. 19. et Kappes. l. l. contra eum disputant. Ribbeck. autem invitis omnibus libris e coniectura supervacanea et parum felici edidit *Quive fuat*, *memores quae sit f. c.*, quod non facile cuiquam probabitur; et Servius commemorat lectionem *memorem*, quam qui Codd. contineant nescimus. Idem Ribbeck. nobiscum communicat supplementum huius loci a sodali seminarii Ritschel. propositum et ex parallelo illo libri III. loco petitum: *quidve ferat.* [*Priamus rex ipse haud multa moratus Dat iuveni dextram,*] *quae sit fiducia capto*, quod Coningtoni ipsius Ribbeckii coniecturam iure reiicienti non displicet. — V. **76.** abest a quinque Codd. (inter quos Pal., Gud. et Bern. II.), in aliis (inter quos Med. et Bern. I. III.) ab alia manu in margine est adscriptus et a Servio praetermittitur, quare, praesertim cum infra III, 612. in loco huic omnino persimili iterum legatur et versui 107. adversetur, ab Heinsio, Brunckio, Ribbeckio (qui eum in marginem inferiorem relegat), Ladewigio, Coningtone, aliis non temere in suspicionem vocatur, defenditur tamen a Wilmsio in Progr. Duisburg. a. 1865. p. 2., neque Freudenberg. l. l. eum videtur damnare. Iahnius (qui etiam vid. ad Geo. II, 129.), Pomponium Sabinum secutus, eum ab Aproniano vel ob repetitionem, vel ob verba *fatur* et *inquit* (qua de re vid. infra) sublatum esse statuit; Wagnero vero neutra res ita comparata videtur, ut Aproniamum offendere potuerit, quare nondum omnem scrupulum sibi exemptum esse confitetur. Heyn., contra Heinsium potissimum (qui verba *deposita formidine* Sinoni, homini audaci, non convenire dixerat) disputans, versum sic defendit: „Fingit Sinon et hoc, quasi deposuerit formidinem; ut v. 67. *turbatus constitit*, h. e. qui vellet videri turbatus.“ Sed si versus tamquam Vergilianus agnoscitur, nescio an Henry (*Class. Mus.* XXI. et *Tw. years* II. p. 24.) coll. v. 67. (ubi vid. adnott.) rectius de vera formidine cogitet, quam nunc demum Sino deponat, cum

„Cuncta equidem tibi, rex, fuerit quodcumque, fatebor
Vera, inquit; neque me Argolica de gente negabo;
Hoc primum; nec, si miserum Fortuna Sinonem

---

post illa *Quo gemitu conversi animi* etc. (v. 73 sq.) meliorem spem concipere et de fraude feliciter perficienda certius cogitare possit. — 77. *Fatebor* post *hortamur fari* per conclusionem aliquam iteratur pro: fari iussus fatebor. Sic V, 385. *Ducere dona iube. Cuncti - - iubebant.* Cf. etiam Aen. III, 523. V, 71. VI, 901. VII, 602. similesque locos et Iahn. ad Aen. I, 552. p. 450 sq. ed. II. — 77. „Haec Sinonis oratio [quacum cf. Achemenidis verba infra III, 613 sqq.] eximia arte est composita. A veris incipit dicere et in falsa desinet, ut bene Serv. Nota enim erant et confessa, quae de Palamede et Ulyssis odiis narrat; verum etiam Calchantis responsum, sed a Tragicis fere ad Polyxenae sacrificium in Achillis tumulo tractum. Praeterea, ut animi audientium tanto magis capiantur, etiam miserationem movet; imprimis v. 137 sqq., quos sine motu animi vix perlegas.“ *Heyn.* Ceterum vid. supra ad v. 57. — *Cuncta vera fatebor*, narrabo vere, *fuerit quodcunque*, h. e. quidquid inde mihi acciderit, Graec. *ὡς ἔσεται περ.* Bene Serv.: „id est, *quicunque me sequatur eventus.*“ Wagn. *quodcunque* refert ad *Cuncta*, coll. Liv. XXX, 17. *Quidquid aliud fecerit, quod cordi foret Masinissae, ea patres comprobare.* Xen. Cyr. VIII, 2, 12. *παρεῖχε πάντα ὅτου ἔδει* et Anab. II, 5, 7. *ᾧ τινι ἐντυχάνοιεν Ἕλληνι, ἢ δούλῳ ἢ ἐλευθέρῳ, πάντας ἔκτεινον*; (cf. etiam Haeckerm. in Comm. p. 13 sqq. et *Archiv f. Phil.* XVIII, 3. p. 441 sqq., qui locum Germ. sic reddit: „*Alles, was es auch* (*gewesen*) *sein mag*), sed recte Weickert. l. l. p. 9. Servianam explicationem praefert, quod Wagneri interpretationi non convenire videatur Coniunctivus modus. Immo *fuerit* cum Wund. et Thielio pro Futuro exacto accipiendum, quod etiam sine ulla relatione interdum pro simplici Futuro poni docet Wund. coll. Caes. B. G. IV, 25. *Ego certe meum officium praestitero.* Scilicet haud raro id, quod futurum est, animo ut iam factum cogitamus. Thiel. confert Liv. XXX, 30, 4. Prop. I, 19, 15. et Cic. Tusc. V, 4, 10., in quibus omnibus locis *fuerit* pro *erit* positum legatur. Ex Vergilio huc pertinent Geo. II, 51. Aen. IX, 297. X, 503. XI, 688. et similes loci. Neque aliter h. l. intellexit Phaedr. Prol. l. III. v. 27 sqq. sic scribens: *Sed iam, quodcunque fuerit* (*ut dixit Sinon, Ad regem cum Dardaniae perductus foret*) *Librum exarabo tertium Aesopi stilo*, i. e. quodcunque mihi accidet, sive inter poëtas habear, sive excludar eorum numero. Itaque haec Vergilii verba nihil aliud sibi volunt, quam Terentiana illa Hec. IV, 4, 47. *quidquid futurum fuerit.* Consentiunt nobiscum Gossr. et Süpflius, qui etiam hoc urget, sententiam illam non simpliciter adiectam esse vocabulo *cuncta*, sed inter *cuncta - - vera* interpositam. *Cuncta* enim, *quodcunque* omnino Latinum esse negaverim. (Henry prius Wagnero adsensus in *Tw. years* II. p. 30., nunc, reiecta sententia sua, quid de hoc loco statuat, nescio.) Ceterum ante Heyn. vulgaris lectio erat *fuerint quaecunque*, quam exhibent Codd. Minoraug. Bern. III. a m. pr., tres Paris., alii (omnino 30 Codd. Henrici), dum in Pal. et Gud. *fuerit quaecumque*, in plerisque autem editt. antiquis *fuerit quodcunque* legitur. — *inquit* adiectum, quamquam v. 76. praecessit *fatur*. Vid. adnott. ad Geo. IV, 499. — 78. *negabo*, fortius quam *nego*: *non is sum, qui unquam neget*, ut etiam nos confidentius loquimur: *ich werde das nicht leugnen*. Ovid. Met. X, 25. *nec me tentasse negabo* et XIII, 215. *nec me suasisse negabo.* — 79. *Hoc*, me esse Graecum, *primum*, sc. fateor, ut v. 690. *Hoc tantum*, sc. precor. Recte Peerlk.: „Hoc primum a me dictum esto. Potuissem fingere, me non esse Graecum, neque mea sponte ad hoc bellum profectum. Sed fateor, Graecus sum etc.“ — *nec, si miserum* etc. Haec ex Attio in Telepho [fr. 6. s. v. 619.] sumpta Macrobio teste Sat. VI, 1. *Nam si a me regnum Fortuna atque opes Eripere quivit, at virtutem non quiit.* — *Sinonem* cum vi quadam pro *me*. Vid. ad Aen. I, 48. — 80. *Finxit*, fecit, ut ap. Hor. Od. IV, 3, 12. *nobilem fingere*, i. e. efficere, reddere. Cf. etiam Aen. VIII, 365. — *vanum*. Vid. ad Aen. I, 392. — *improba*,

Finxit, vanum etiam mendacemque inproba finget.
Fando aliquod si forte tuas pervenit ad auris
Belidae nomen Palamedis et incluta fama

---

ut apud Hor. Ep. I, 1, 68. *superba Fortuna*, quae illudit rebus humanis. Cf. Obbar. ad Hor. l. l. Rupert. ad Tac. Ann. III, 18, 6. idemque ad Iuven. III, 40. VI, 698. VII, 197. Eadem vi et gravitate hoc Adiectivum postponitur Aen. XI, 767. et XII, 250. Quod autem attinet ad omnem orationis formam, Peerlk. praeter Macrobii locum iam allatum comparat Plaut. Trin. III, 2. 63. *Sed ut inops, infamis ne sim*, et Calpurn. Ecl. II, 61. *Rusticus es, fateor, sed non et barbarus Idas.* — 81. „*Fando*, h. e. narrando, aliorum narratione; alibi fama. Formula exordii etiam apud alios obvia: v. c. Apollon. II, 1041., ubi Brunck. confert Ovid. Met. XV, 497. [*fando aliquem Hippolytum vestras, puto, contigit aures*, qui locus ex nostro videtur fluxisse].“ *Heyn.* Adde eiusd. IX, 8. *Nomine si qua suo tandem pervenit ad aures Deianira tuas*, ubi Burm. pro *tandem* coniecit *fando*, cui tamen iure adversari videntur Iahn. et Bach. *Fando* erunt qui passive usurpatum esse dicant (ut Ecl. VIII, 71. *cantando*, Geo. II, 239. *arando*, 250. *habendo*, III, 453. *tegendo* etc.), de quo passivo Gerundii usu praeter eos, quos laudat Kühner. ad Cic. Tusc. I, 23, 53., cf. Ruhnk. ad Vellei. II, 151. Passov. ad Tac. Germ. 44. Walch. Emend. Liv. p. 181. Zumpt. ad Cic. Verr. I, 18, 54. Beneck. ad Iustin. Praef. §. 5. Weber. *Uebungssch. d. Lat. St.* Vol. I. p. 333. ed. 2. Ruddim. II. p. 255. Gruber. *Allgem. Schulzeit. Abth. II.* 1833. *Nr. 147. et 148.* alios. Recentissimis tamen temporibus exstiterunt, qui etiam in eiusmodi locis Gerundio activam significationem vindicarent (Hoffmann. in Iahnii Annall. VII, 3. p. 250. Kritz. in *Allgem. Schulzeit.* 1830. Nr. 112. et ad Sall. Iug. 62, 8. Billroth. Lat. Gramm. §. 261. cum not. 1. Weissenborn. *Syntax d. lat. Spr.* §. 38. not. 4. Gernhard. de Supino et Gerund. ap. Lat. Opuscc. p. 129. Eckstein. ad Voss. de Art. gramm. V, 9. p. 782. Ellendt in Diar. liter. Halens. a. 1832. ch. 136. p. 447 sq. Wagn. in edit. min. Virg. ad Ecl. VIII, 71. alii), vel potius, id quod mihi cum Bachio ad Ovid. Met. XV, 497. verissimum videtur, Gerundium pro Substantivo verbali plane abstracto haberent, in quo, per se spectato, nec agendi nec patiendi notio insit, quod vero, cum, in verbi temporis notionem mutatum, solvi possit per impersonale nostrum *man*, pro varia ipsorum locorum natura modo per Activum, modo per Passivum aptius convertatur; velut Ecl. VIII, 71. *Cantando rumpitur anguis, dadurch, dass man singt*, quod non minus recte reddideris *dadurch, dass Einer singt*, quam *dadurch, dass gesungen wird*, verbo *durch's Singen* cett. Quare supra v. 6. *fando* eodem iure usurpari poterat pro: cum talia fatur, *beim Sprechen, Erzählen*, quo hic ap. Cic. N. D. I, 29, 82., *ne fando quidem auditum est*, ap. Ovid. Met. l. supra laud. et ap. Silium X, 484. *si Porsena fando auditus tibi*) pro: *vom Hörensagen*. Cf. etiam Hand. *Lehrb. d. lat. Stils* p. 224. — 82. *aliquod nomen Palamedis.* Pronomen autem *aliquis* vel clarissimorum virorum nominibus adiici solet, ubi aliqua dubitatio significatur, num iis etiam, cum quibus loquimur, vir ille satis notus sit, ut in Ovidii loco supra laud. *aliquis Hippolytus*. Cf. Heins. ad Ovid. Met. XV, 494. et Burm. ad Ovid. Rem. 589. et Met. X, 560. et vid. supra ad Aen. I, 181. Germanice sic convertas: *Wenn irgend etwa der Name* etc. Wagn. in edit. min. haec adnotat: „Explicatius hoc sic dixeris: Fuit aliquis, Palamedes dictus, et audisti fortasse nomen eius.“ — 82. Fabula de *Palamede*, quamquam apud Homerum non invenitur, erat tamen antiquissima et a Posthomericis, qui vocantur, satis celebrata. (Cf. Pausan. X, 31. Schol. Eurip. Or. 432. Schol. Lycophr. 386. Hygin. f. 105. Serv. ad h. l.) Fuit autem Palamedes Nauplii, regis Euboeae filius, qui Ulyssem, ne in bellum Troianum proficisci deberet, mala fraude insanum se simulantem doli convicit; unde exitiabile Ulyssis odium exortum, quod Palamedis caedem adduxit. Duplex autem de ratione, qua interfectus fuerit, narratio invenitur. Aut enim Ulyssis et Diomedis fraude sublatus dicitur, qui eum, ut thesauri effodiendi causa in foveam vel puteum descenderet, inductum

Gloria, quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci, nunc cassum lumine lugent:
Illi me comitem et consanguinitate propinquum

---

lapidibus ibi obruerint (Dictys II, 15 sqq.); aut legitimo iudicio capitis damnatus esse fertur, quod in eius tentorio Priami literae cum magna pecunia, proditionis mercede, inventae sint, quas Ulysses clam ibi abscondendas curavisset, ut eum proditionis accusatum convincere posset. (Ovid. Met. XIII, 56 sqq. Hygin. f. 105.) Hanc alteram fabulam etiam Vergilius sequitur. Cf. Heynii Excurs. IV.* ad h. l. imprimisque libellus doctiss.: Palamedes. Scr. Otto Iahn. Hamb. 1836. 8. — *Belides* vocatur, quoniam avia eius, Amymone, Danai filia, Beli neptis fuit. Patronymicum autem a *Beli* nomine formatum proprie *Belĭdes*, non *Belīdes* pronuntiandum; sed Priscian. II, 7, 37. p. 584. P. hanc formam diserte refert inter exempla patronymicorum, quae penultimam vocalem contra regulam producunt; eademque huius nominis productio etiam apud Ovid. Heroid. XIV, 73. Stat. Theb. VI, 291. Sil. I, 75. et III, 650. invenitur, ut *Lycurgides* ap. Ovid. in Ibin. 503. et similia. (*Tyrrhīdae* infra VII, 484. minus huc pertinent, cum duplex fuerit nominis forma, *Tyrrheus* et *Tyrrhus*.) Iahn. conferri iubet Ouwens. Noctt. Hagan. III, 23. — 83. *falsa sub proditione*, h. e. sub falso crimine proditionis; nam literas eius ad Priamum datas, sed a se fictas, protulerat Ulysses. Conington confert Iuven. X, 69. *sub crimine;* Henry autem *Tw. years* II. p. 31 sqq. Servianam illam interpretationem impugnans explicat: dum fingebatur proditio („*during or at the time of a false or feigned treason.*“ — *Pelasgi*. Vid. ad Aen. I, 624. — 84. De cumulatis elisionibus vid. Wagn. adnot. ad Geo. II, 441., qui docet, plures elisiones in eodem versu se excipientes valere ad illustrandam rei vel vehementiam (ut illo loco), vel magnitudinem (ut Aen. VI, 552. XII, 897.), vel difficultatem (ut Aen. III, 505.), vel perpetuitatem (ut Aen. VII, 623.), vel pertinaciam (ut Aen. IV, 84.), vel indignationem (ut hic), aut indicare animum plenum irae (ut Aen. II, 96. et Geo. III, 332. IV, 330.), horroris (ut Aen. II, 12. III, 658. IV, 181. VII, 78. VIII, 81. 647.), perturbationis (ut Aen. IV, 203.). — *infando indicio*, delatione. Vid. supra ad v. 82. — *bella vetabat*, dissuadebat bellum et oppugnationem Troiae. Quam causam fingi ab homine fraudulento, quo certius Troianorum animos Palamedi ideoque et sibi conciliet, non est cur doceam. — „*demittere neci* ad similitudinem alterius formae: *demittere Orco, umbris*, h. e. ad loca infera, ex Homerico: ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν.“ *Heyn.* Sic *morti demittere* V, 692. X, 624. *dem. leto* Val. Fl. VII, 313., *dem. Orco* infra v. 398. et IX, 527. Hor. Od. I, 28, 11., *dem. umbris* Sil. I, 439. XI, 151., *dem. Erebo* id. II, 131., *dem. ad manes* id. IV, 342. Aen. XII, 884. *dem. stygiae nocti* Ovid. Met. III, 695. Eadem ratione Aen. XII, 464. *sternere morti*, VIII, 566. *sternere leto*, X, 319. *deiicere leto* etc. — *cassum lumine*, quod etiam ap. Lucr. V, 718. legitur, antique pro privatum vita. *Cassus* enim, de cuius origine vid. diversas Doederlini (Synonym. III. p. 102.) et Handii (Turs. II. p. 6 sq.) sententias coll. cum adnot. mea ad Lucr. III, 561., aut significat i. q. vanus, inanis (cf. Aen. XII, 780. *cassa vota*, Lucr. III, 1062. *cassa formido*), aut orbatus, privatus aliqua re. (Sic Aen. XI, 104. *aethere cassus*, et Cic. Arat. 369. *luminis cassus*.) *Lumen* ut *lux* (VI, 721.) haud raro pro vita. Cf. XII, 93. Inde *luminis orae* VII, 660. — V. 86. et 87. apodosin continent ad v. 81 sqq. *si forte* etc., et ante eos intelligendum est verbum *scitote* (me a patre missum esse), quod in eiusmodi locis saepe omitti constat. Cf. v. c. exempla Liviana a Fabrio ad Liv. XXI, 18, 8. congesta. „Sic Achilli Phoenix, Aiaci Telamonio Teucer comes (θεράπων ἑταῖρος) datus esse legitur; et plures singulis heroibus additi memorantur.“ *Heyn. Comitem et consang. propinquum*, i. e. et quidem, *et insuper*, cum etiam propinquus essem. Haud raro enim Copula magnam *nanciscitur* vim et gravitatem, si res natura sua non disiunctas ita coniungit, ac si diversae essent et altera non tam coniuncta cum priori, quam

Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis regumque vigebat
Conciliis et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus. Invidia postquam pellacis Ulixi —
Haud ignota loquor — superis concessit ab oris,

---

ab ea seiuncta. Vid. Wagn. Qu. Virg. XXXIV, 2., qui praeter hunc locum affert Ecl. VIII, 101. Geo. II, 290. 428. III, 238. Aen. IV, 102. VI, 640. VII, 357. VIII, 444. X, 734. alios, et cf. adnott. ad Ecl. III, 34. Ceterum Sino, Aesini filius, genus ab Autolyco duxit (Hygin. f. 108.), unde propinquitas illa cum Palamede explicanda. — „Versus 87. eximiae artis. Cf. infra III, 614 sq. et copiosiorem locum Ovid. Met. III, 583—596.“ *Heyn.* -- *misit in arma*, h. e. ad bellum. Ante oculos habuit hunc locum Lucan. III, 292. *Non corniger Hammon Mittere Marmaricas cessavit in arma catervas.* — Quod *pater pauper* est, Heynio ad amplificationem Homericae similem videtur pertinere; Servius autem coll. Ter. Ad. III, 3, 31. paupertatem militandi causam fuisse memorat. Mihi videtur ad miserationem augendam additum, atque etiam Wagn. in min. edit. verissime adnotat, valere haec ad mitigandam Troianorum iram, cum comes modo principis, non ipse unus e principibus, neque proprio illorum odio, sed sola consanguinitate et paupertate coactus ad Troiam venerit, coll. Ter. Heaut. I, 1, 58. *in Asiam hinc abii propter pauperiem atque ibi simul rem et gloriam armis belli repperi.* Imprimis etiam cf. Aen. III, 615. — *primis ab annis* Heyn. recte interpretatur: ab initio belli, neque aliter Kappes. II. p. 8. Haeckerm. in Comm. p. 14. et *Zeitschr.* etc. XIX. p. 51. et Ladew. Alii (velut Gossr., Wagn. in min. edit., Henry in *Tw. years* II. p. 38 sq. et Philol. XI. p. 600. et Conington) explicant: in iuventute prima (quemadmodum VIII, 517.), cui tamen explicationi obstare videntur *dulces nati*, qui v. 138. memorantur, quamvis Sino v. 57. ex Romanorum dicendi usu *iuvenis* appelletur. Immo ex necessitudine, quae inter eum (θεράποντα) et Palameden intercessit, eum non puerum fuisse, cum illi adiungeretur, est perspicuum. Non prorsus eadem est ratio loci illius Aen. VIII, 517., quem cum Val. Fl. I, 22. et Ovid. ex P. II, 5, 43. Henry conferri iubet. Peerlk., cui prior illa interpretatio et ipsa non satisfacit, cum omnes Graeci primo belli anno profecti sint nihilque in eo sit memoratu dignum, praeterea vero etiam Codd. fluctuent inter *ab annis*, *in annis*, *ab armis*, paullo audacius coni. *Pauper in arva pater primis haec misit in armis*, coll. Ovid. Met. VIII, 313. A. A. 181. et Sil. Ital. V, 580., ubi pariter *primis in armis* legatur. Sed vide, quae Freudenberg. p. 21. et Kappes l. l. recte contra eum disputant. — 88. 89. „*Dum stabat regno incolumis.* Durior oratio pro: dum erat incolumi regno, h. e. potestate sive auctoritate, quam habebat; vel pro: dum regnum eius stabat, erat incolume; ut *regnum* sit auctoritas, qua quis *regnare* dicitur, h. e. potens esse, opibus valere. Sensus igitur: quamdiu ille erat incolumi inter Achivorum principes auctoritate; unde ille *vigebat*, valebat, in *regum conciliis*.“ *Heyn.* Quae, nisi simplicius *regno* poëtice pro *in regno* positum accipere volumus, verissima videtur locum intelligendi ratio, quocum cf. Aen. I, 268. *dum res stetit Ilia regno* itemque Aen. IX, 596. ibique adnott. — *Stare* dicuntur, qui in felici statu suo manent, et statum, quo erat Palamedes, indicat Ablativus *regno*, h. e. regia auctoritate, dignitate; quo quidem sensu etiam patre adhuc vivente regis filio regnum commode potest tribui. Ladew. comparat Val. Fl. V, 608. *illa ducum cras regna videbis dissona.* Peerlk. tamen, hanc vim vocabulo *regni* inesse negans, coni. *Dum stabat rerum incolumis.* Ceterum Wund. comparat Cic. Off. II, 1. *Utinam respublica stetisset, quo coeperat statu!* — *regum* (vid. adnott. ad Aen. I, 268.) *conciliis vigebat*, in regum ducumque exercitus conciliis (i. e. simpliciter: inter reges) auctoritate sua multum valebat; erat enim σοφώτατος ἀνδρῶν et multarum rerum, etiam literarum inventor clarissimus. Codd. quidam (inter quos tamen etiam fragm. Veron. a m. pr.) *consiliis*. Sed etiam poëtae servant *discrimen utriusque* vocabuli satis notum. Concilium enim (*a conciendo*) *quivis est coetus* convocatus, *consilium* vero (a con-

Adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam
Et casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens et me, fors si qua tulisset,
Si patrios umquam remeassem victor ad Argos,

---

sulendo) non nisi consultantium s. deliberantium conventus. Cf. de hoc discrimine Gronov. ad Liv. XLIV, 2, 5. Oudend. ad Caes. B. G. V. 48. Bremi et Daehn. ad Nep. Epam. 3, 5. Herzog. ad Caes. B. G. I, 18. Kritz. ad Sall. Cat. 42, 2. et Iug. 29, 5. Beneck. ad Iustin. IX, 5, 2. alii. Wagn. tamen in edit. min. et Coningt. ediderunt *consiliis*. Quod attinet ad verbum *vigere* Conington confert Lucr. IV, 1156. *summo in honore vigere*. Adde Tac. Ann. IV, 20. *auctorite et gratia apud aliquem vigere* et similes locos. — **89**. Schirach. p. 425. *nomen decusque* per ἓν διὰ δυοῖν pro nominis decore positum censet. Rectius, nisi fallor, *nomen* ad famam, gloriam, *decus* ad auctoritatem, dignitatem, honorem retuleris; ita ut sensus sit: dum Palamedes auctoritate florebat, ego quoque propter cognationem aliquo honore et gloria gavisus sum. — *gerere* interdum i. q. habere. Vid. ad Geo. II, 122. Ceterum verba *et nos aliquod n. d. Gessimus* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 82 sq. – **90—93**. *Pellax* Ulixes est Homeri *πολύμητις*, *ποικιλομήτης*. Nusquam autem praeterea legi videtur hoc Adiect., nisi apud Auson. Epit. XII, 4. (*captus pellacis Laertiadae insidiis*) et Arnobium p. 58. (*pellax homo*) et p. 231. Harald. (*pellax Iuppiter*), qui aperte Vergilium ante oculos habuerunt. Bentleius tamen et Huschkius, cum etiam h. l. aliquot Codd. (Pal., Gud. et primus Bern. a m. pr., fortasse etiam fragm. Veron., in quo . . LLACIS, ita tamen ut A potius quam E ante L fuisse videatur) praebeant *fallacis*, Horatio quoque Od. III, 7, 20. et Tibullo III, 6, 47. pro vulg. *fallax* hanc vocem restitui posse suspicati sunt, quam sane supposito voc. *fallax* a librariis saepe expulsam esse, minime est improbabile. Cf. etiam adnott. ad Geo. IV, 443. Orell. ad Hor. l. l. suspicatur, Vergilium hoc epitheton (quod praeter Med. et alios bonos libros etiam Charisius p. 52., Velius Longus p. 2227. P. Donat. ad Ter. Phorm. I, 2, 17. et Servius testantur) ex antiquiore aliquo Tragico sumpsisse. – *Ulixi*. Vid. ad Ecl. VIII, 70 et Aen. I, 30. — **91**. *superis concessit ab oris*, e vita ad loca infera. Vid. supra v. 85. *Superae orae* eaedem, quae Geo. II, 47. *luminis orae* vocantur, ad quem l. vid. adnott., coll. cum iis, quae ibid. v. 171. adscripsimus. De *concedendi* vocabulo ad Ecl. II, 57. et X, 63. disseruimus. Cf. omnino Aen. X, 820. *vita per auras Concessit ad Manes* et Tac. Ann. XIV, 51. *Burrus vita concessit*. — **92**. *in tenebris*, inclusus domi, vitans hominum conventus. Cf. Sall. Iug. 14, 15. *clausi in tenebris cum maerore et luctu morte graviorem vitam exigunt*. Locutionem *in tenebris* amat Lucretius: cf. II, 15. 55. III, 77. V, 11. — *vitam trahere* pro misere vivere, *das Leben hinschleppen*, legitur etiam infra III, 646., Phaedr. III, 7, 12. Plin. H. N. XXVIII, 2, 3. alibi; quamquam apud Phaedr. IV, 4, 37. etiam *vitam luxu trahere* invenitur. Cf. etiam *senectam trahere* ap. Ovid. Met. VII, 2. (et supra ad I, 748. adnott.) Ceterum Petron. c. 45. hunc versum repetiit, Singulari modo in Pluralem mutato *afflicti - - trahebant*. — **93**. *casum insontis amici*. Cf. Aen. V, 350., ubi haec verba redeunt. Ribbeck. scribit *cassum*. Vid. ad Geo. I, 340. — *mecum indignabar*. Cf. adnott. ad Aen. I, 37. — **94**. *Nec tacui demens et me* etc. i. e. Attamen non tacui, quin etiam me etc. De Part. *neque* pro *nec tamen* posita cf. Bremi ad Nep. Eum. 4, 2. et Ages. I, 4 Herzog. ad Caes. B. G. IV, 26. Kühner. ad Cic. Tusc. I, 2, 4. Kritz. ad. Sall. Iug. 10, 6. alii. Copula autem praegressa negatione vim habet particulae *sed*. Cf. Aen. VII, 70. X, 343. II, 94. et Wagn. Qu. Virg. XXXV, 2. — *tulisset*. Coniunctivus Plusquamperfecti pro Coni. Futuri exacti, ut saepissime, cum in verbis *me promisi ultorem* (fore) lateat notio Futuri. Cf. infra v. 189. III, 652. VI, 880. IX, 41. etc. De ipso verbo *ferendi* vid. supra ad v. 34. — **95**. *ad Argos*. Quod Peerlk. affert, ut *paucorum quorundam* Codd. lectionem *ad agros* (quae etiam Heynio aptior *videtur, cum* de homine privato agatur) praeferendam esse ostendat, Si-

Promisi ultorem et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes, hinc semper Ulixes
Criminibus terrere novis, hinc spargere voces
In volgum ambiguas et quaerere conscius arma.

---

nonem, Palamedis, qui in Euboeae insula habitarit, consanguineum et comitem, Argos patriam suam appellare non potuisse, id nihil valet, cum etiam alibi Argos pro Graecia omnino ponatur. Cf. supra v. 55. 78. infra v. 119. I, 285. II, 178. 326. etc. — *remeare* autem proprie de victoribus dicitur. Vid. Cort. ad Lucan. VII, 256. et Burm. ad Val. Fl. IV, 589. — **96.** *Promisi ultorem*, h. e. minatus sum ultionem. Quod attinet ad verbum *promittere* cum simplici Accus. Obiecti constructum (pro: promittere se fore aliquem) cf. infra IV, 227. Senec. Controv. IV, 29. *promittere se oratorem*, Quinct. Decl. I, 6. *promittere se parricidam* etc. Imitatus est h. l. Claud. de laud. Stil. I, 241. *Cum se promitteret alter Exsulis ultorem*. De elisionibus cumulatis vid. supra ad v. 84. Ceterum in promptu est, in prosa oratione verba ita collocanda fuisse: Promisi, si unquam in patriam remeassem et fors si qua tulisset, me ultorem fore. — *verbis odia aspera movi*, odium Ulyssis concitavi. Cf. Wunderl. in Praef. p. XV., qui comparat Ovid. Am. III, 11, 43. *Facta movent odium*. — **97.** *Hinc*, ex hac re. Vid. Hand. Turs. III. p. 89. et cf. adnott. ad Geo. I, 5. III, 308. et Aen. I, 21. — „*prima mali labes* elegantius quam origo vel caussa [labentis in me mali]: κακοῦ δ' ἄρα οἱ πέλεν ἀρχή, Il. XI, 604. Explicat Iustin. XVII, 1. *Haec prima mali labes, hoc initium impendentis ruinae fuit*." *Heyn*. *Prima labes* igitur i. q. initium labis; *labes* autem interdum pro malo, calamitate, pernicie omnino dicitur; e. g. Cic. pr. Flacco 10. extr. *Innocentiae labes et ruina*. Val. Fl. V, 237. *regnorum labes* etc. — **98. 99.** *volgus* (cf. adnott. ad Aen. I, 149.) mascul. genere usurpatum admodum raro apud scriptores Augusto priores vel aequales legitur. Cf. Varro ap. Nonium. 3. n. 261. Caes. B. G. VI, 14. Sall. Iug. 69, 2. 73, 5. Liv. VI, 34. Nep. Alcib. 8. Apud Vergilium alias ubique est neutrius generis (Geo. III, 469. Aen. I, 149. 190. II, 39. 798. XII, 131.) Cf. etiam Charis. I. p. 21. Keil. — „*et quaerere conscius arma*. Varie haec exponi possunt, nec dixerim, quid verius sit. *Arma* esse possunt consilia, quae agitabat Ulysses ad depellendum imminens sibi a Sinone periculum; sic *conscius* sc. periculi imminentis. Possunt etiam *arma* (ut *machinae*, μηχαναί et τεύχεα) esse fraudes et insidiae, quas in Sinonem parabat; aut *conscius* communicato scilicet cum aliis consilio, cuius illi conscii fierent [quae etiam Wagneri est sententia]. Hoc verum videtur, cum statim Calchantem consiliorum socium assumpsisse dicatur." *Heyn*. Sic etiam Müller in Progr. Blankenb. 1837. p. 19., hunc sensum esse statuens: „*er suchte im geheimen Bunde (mit Kalchas) gewaltsamen Angriff*," quam argutiorem interpretationem recte reiicit Censor in Nov. Annal. phil. XXIV, 1. p. 117. Equidem locum paullo obscuriorem sic explico: conscius sibi iniuriae Palamedi illatae quaesivit socios, quorum armis (opera) se tueretur et me, quem illius ultorem fore sciret, persequeretur. *Conscius* in malam partem dictum (*schuldbewusst*) haud raro absolute usurpatur. Cf. Plaut. Most. III, 16. *Nil est miserius, quam animus hominis conscius*. Sall. Cat. 14, 3. *quos conscius animus exagitabat*. Catull. LXV, 24. *huic manat tristi conscius ore pudor*. Sen. Herc. fur. 629. *Pudorque serus conscios vultus tegit*. eiusd. Hippol. 495. Val. Fl. III, 211. ibid. v. 584. etc. Cf. Arntzen. ad Cat. Dist. I, 17. Brem. ad Nep. Dion. 911. Cort. ad Sall. Cat. 25, 4. Iacobs. in *Allgem. Lit. Zeitg*. 1807. n. 26. *Arma* vero iam Donatus recte interpretatur „consiliorum tela, quibus me confoderet." Consentiunt mecum Ladew. et Wagn. in min. edit.; Henry vero *Tw. years* II. p. 35. et Philol. XI. p. 600. *conscius* coll. Aen. II, 267. V, 455. similibusque locis simpliciter explicat: conscius consilii sui, quod ceteris occultat, et *arma* proprie dicta putat, ut Aen. XI, 229. *alia arma Latinis Quaerenda*. Haeckermanno denique (Comm. p. 15 sqq. et in *Zeitschr*. etc. XIX. p. 52.), qui *quaerere conscius* pro oxymoro habet, *conscius* est i. q. simplex *scius*, *arma* autem de thesauris reconditis, quibus Ulysses pro armis utatur,

Nec requievit enim, donec Calchante ministro —
Sed quid ego haec autem nequiquam ingrata revolvo?
Quidve moror, si omnis uno ordine habetis Achivos

---

capienda videntur; quod nemo facile probabit. Ceterum Peerlk. (cui etiam hic adsentitur Gruppe l. supra l.) haec verba *et quaerere conscius arma* habet pro spurio versus imperfecti supplemento, quae sane facillima est ratio difficultatem aliquam expediendi. Cf. etiam quae Kappes. II. p. 7. mihi adsentiens contra eum disputat. — **100**. *enim* Heyn. explicat per *δή*, *sane*. Rectius autem Weickert. p. 9 sq. eo causalem nexum indicari statuit, cum haec sit sententia: „quaesivisse Ulixem, quibus artibus et machinationibus me everteret, ex eo intellectum est, quod non requievit, donec est etc.;" quamquam Viro doct. affirmativam huius Particulae vim omnino neganti non adsentior. (Cf. adnott. ad Geo. I, 79.) De Particulis *neque enim* vid. adnott. ad Geo. II, 104. Kappes. II. p. 10. recte convertit: „*Und so ruhte er denn nicht.*" — *Calchante ministro*, iuvante. Cf. Sall. Iug. 33. *quibus iuvantibus quibusque ministris ea egerit.* — **101**. „Reticere Sinonem summa cum arte tum, cum maximam exspectationem excitasset, facile sentis." *Heyn.* De hac aposiopesi s. reticentia vid. ad Aen. I, 135.; de *Calchante* autem, Thestoris filio, vate celeberrimo in bello Troiano, qui Graecis, ut equum celeberrimum exstruerent suasisse, postea autem vel ipse sibi manus intulisse, vel moerore et stomacho confectus obiisse fertur, quod Mopsum in arte vaticinandi se superiorem invenisset, cf. Hom. Il. I, 69. 185. et II, 299. Hygin. f. 97. Strabo XIV. p. 643. Tzetz. ad Lycophr. 427. et 980. Cic. Div. II, 30. Ovid. Met. XII, 11. alii. — **101**. *Sed quid ego haec - - revolvo?* Peerlk. comparat Liv. XXXVIII, 48. *Sed quid ego haec ita argumentor?* Cf. etiam Ennii Annal. V, 15. (v. 210. p. 33. Vahl.) *Sed quid ego hic animo lamentor?* ibid. IX, 10. (v. 318. p. 48. Vahl.) *Sed quid ego haec memoro?* Catull. Epithal. 164. *Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris?* Ovid. Her. XV, 207. et Silium VI, 110., ubi *Sed quid ego haec?* coll. Heinsio ad Ovid. l. l. et Oudend. ad Appul. Met. II. p. 106. Cf. adnott. ad Geo. II, 434. Ceterum hic totus versus iteratur in Anth. Lat. I, 178, 157. et ex parte ibid. v. 222. (*Sed quid ego - - revolvo.*) — *Sed autem*, quod est mirantis et improbantis id, quod ipse faciat, praeter h. l. nusquam apud Vergilium invenitur; haud raro autem apud Comicos, e. g. Plaut. Rud. II, 6, 15. Truc. II, 3, 14. et Ter. Phorm. IV, 2, 11., in quibus locis omnibus *sed* ad superiora spectat sermonemque abrumpit, et *autem* (ut alibi in interrogatione) fere i. q. *tandem;* vid. Hand. Tursell. I. p. 575. et 583. Cf. v. c. Plaut. Asin. III, 3, 126. *quem te autem deum nominem?* Ter. Eun. V, 7, 5. *quid hoc autem 'st mali?* etc. Etiam nobis dicere licet: *Doch was erwähne ich aber noch - -?* Peerlk., qui fatetur, se nullum usquam exemplum coniunctarum Particc. *sed autem* invenisse (!), coni. *Sed quid ego haec aut cur nequidquam i. r.?* — *quid haec revolvo*, quare tam diu in his narrandis moror. De discrimine inter formulas *quid commemoro, quid loquor*, *quid enumero* et similes per Indicativum (de rebus, quae iam commemoratae sunt, sed ita ut facile reticeri potuerint), et inter *quid commemorem* cett. per Coniunctivum (de rebus, quae nondum sunt commemoratae, quasque ut verbo indicem sufficit) cf. imprimis Beneck. ad Cic. Cat. IV, 8, 16. — *ingrata*, aut: quae mihi apud vos nihil gratiae referent, quae vestra non intersunt, aut „quocum non libenter memini," ut Servius explicat. — **102**. *Quidve moror*, scil. vos narrando, quae vestra non interest scire; quamquam homo versutus hoc quam maxime Troianorum debere interesse bene novit. Cf. Tibull. IV, 1, 146. *Quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Mosynos. Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem* etc. Süpflius docet, in eiusmodi locis, ubi hac vel simili aliqua formula oratio subito abrumpatur, vulgo Accus. Obiecti *vos* solere omitti; velut Cic. Verr. IV, 46, 104. *ne multis morer.* id. Rosc. Am. 7, 20. et Verr. I, 13, 34. *ne diutius teneam.* Verr. IV, 49, 109. *non obtundam diutius* (sc. aures vestras). Ceterum Wagnerum secuti distinctionem huius loci mutavimus. Vulgo enim post *moror* signum interrogandi,

Idque audire sat est? Iamdudum sumite poenas;
Hoc Ithacus velit et magno mercentur Atridae.
Tum vero ardemus scitari et quaerere causas,
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae.
Prosequitur pavitans et ficto pectore fatur:

---

post *sat est* Semicolon, et post *poenas* Punctum ponitur, ut verba *Si - - habetis et - - sat est* arte cohaereant cum *iamdudum* etc., quam rationem probant Voss. in Progr. Crucenac. a. 1838. p. 1. et Haeckerm. in Comm. p. 17. et *Zeitschr.* etc. XIX. p. 52. Sed omnes recentiores editores nobiscum faciunt. — *si omnis uno ordine h. A.* Si omnes Graecos eodem loco habetis, si discrimen non facitis inter ceteros Graecos, quibus iure infesti estis, et me, qui vobis sum amicus rebusque vestris consulo. — *idque audire sat est.* Heyn., Süpfl., Gossrav. et Ladew. *id* explicant: esse me unum ex Achivis. Paullo aliter *Iahn.*: „*Idque* non ad verba *si omnes uno ordine habetis Achivos*, sed ad superiora referendum est. Quid plura narro vobis, qui omnes Achivos uno ordine habetis, et quibus iam satis est audire ea, quae adhuc narravi.“ Wagn. autem in min. edit. coll. Hor. Epist. I, 7, 37. *rexque paterque audisti*, verbum *audire* per appellari interpretatur, ut sensus sit: si satis est, (me) Achivum appellari. Peerlk. praeter necessitatem coni.: *Quidve moror? Si - - Achivos, Hoc me audire sat est.* — „*iamdudum* ita positum, ut possit per *quam primum* [vel *statim*] exponi, ut saepe. Vulgo dicimus: iamdudum sumere debebatis poenam.“ *Heyn.* Ita etiam Serv. et Donat. ad Ter. Andr. I, 4, 1. et recte Doederlein. Synon. IV. p. 267. (quocum faciunt Wagn., Ladew. et Ameis. in Iahnii Annal. LXII. p. 35.) ellipsin statuit plenae orationis: iamdudum sumendas sumite poenas. Aliter tamen Hand. Tursell. III. p. 160. censet, cuius sententiae prius perperam adsensi sumus. Vid. potius, quae ad Geo. I, 213. adnotavimus. — „Versus **104**. illustratur ex Iliad. I, 255. *Ἠ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες, Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ Εἰ* —.“ *Heyn.* Cf. etiam Ovid. Fast. II, 693. *Occidite inermem. Hoc cupiant fratres Tarquiniusque pater* et ibid. IX, 7. *Hoc velit Eurystheus, velit hoc germana Tonantis.* — *Ithacus* pro *Ithacensis*, *Ἰθακήσιος* (i. e. Ulysses); nam forma *Ithacesius* nusquam videtur inveniri. *Ithacus* Ulyxes etiam infra v. 122. III, 629. et apud Iuven. XIV, 286. dicitur. Praeterea forma Adiectivi *Ithacus* invenitur Ovid. Met. XIII, 512. Am. II, 12, 29. ex Pont. II, 7, 60. Prop. IV, 11, (III, 12,) 29. cett. Ita iam apud Graecos. Cf. Eurip. Cycl. 103. Ceterum cf. adnott. Aen. I, 119. et 519. — *magno mercentur*, magno emant; multum pecuniae impendant, si hoc efficere possint, ut vos me interficiatis (nostrum: *viel darum geben*). Thiel. docet, etiam Graecos ita loqui (*πριαίμην ἄν,* et *οὐκ ἂν πριαίμην*) coll. Xen. Mem. II, 5, 3. Soph. Ai. 477. Antig. 1171. Vid. ad Aen. IX, 206. Ceterum libri quidam *hoc magno mercentur*, quod praeferendum censet Peerlk., coll. Ovid. Her. l. supra l. — **105**. *Tum vero.* Rectissime Weickert. p. 10., comparans Graec. *τότε δή* et Hoogev. ad Viger. p. 498. b.: „nostro loco Particularum haec est vis: iam antea cupiebamus audire Sinonis narrationem, tum vero maxime, cum medium abrupisset sermonem.“ Est nostrum *da erst recht, da nun vollends.* Cf. infra v. 228. III, 47. IV, 396. 449. 571. et Henry in *Tw. years* II. p. 36. et Philol. XI. p. 600. — *ardemus.* Vid. adnott. ad Aen. I, 515. — *scitari causas*, ut ap. Ovid. Met. II, 51. *causam viae scitari.* Cf. etiam infra v. 114. Plaut. Capt. II, 2, 13. Hor. Epist. I, 7, 60. Ovid. Met. X, 564. etc. — Ribbeck. pro *causas* e coni. edidit *casus*, cum Pal. a m. pr. exhibeat CAvSVS. — **106**. *artis Pelasgae.* Vid. adnott. ad Aen. I, 624. — **107**. *Prosequitur* absolute pro: pergit narrando, ut ap. Silium XV, 104. Saepius dicitur *prosequi aliquid*, i. e. pergere in aliqua re accuratius enarranda. Vid. Cic. pro Rosc. Am. 30. Auct. ad Herenn. I, 9. in. Flor. III, 12. extr. Geo. III, 340. legimus *verbis prosequi.* Cf. etiam adnott. ad Aen. I, 342. Ameis. *prosequitur* refert ad *artes Pelasgas*, ut sensus sit: personam suam tuetur („*er bleibt seiner Rolle treu*“), quod mihi quaesitum videtur. — *pavitans.* Cf. VI, 498. et XI, 813. Hic autem de simulato pavore

„Saepe fugam Danai Troia cupiere relicta
Moliri et longo fessi discedere bello;
Fecissentque utinam! saepe illos aspera ponti
Interclusit hiemps et terruit Auster euntis.
Praecipue, cum iam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitantem oracula Phoebi

---

cogitandum esse, iam produnt verba adiecta *ficto pectore*. Troianorum enim curiosae quaestiones iam omnem Sinonis anxietatem sustulerant. — *Ficto pectore*, subdolo, ad fraudem composito animo, h. e. subdole et fraudulenter. Contrarium est *apertum pectus* ap. Cic. Lael. 26, 97. ubi vid. Seyffert. Ceterum cf. Aen. I, 521. *placido sic pectore coepit*, IX, 740. *sedato pectore Turnus*, X, 556. et XI, 685. *inimico pectore fatur*, XII 888. *saevo sic pectore fatur* et similes locos. — **109.** „*Moliri fugam* grave vocabulum pro parare. Vid. sup. I, 414.; et *fessi longo bello* eleganter adiectum vocabulo *discedere*.“ *Heyn*. *Discedere* autem prima et propria signif. accipiendum: abire in varios locos, regiones; sc. in suam quisque patriam tendebat. De ipsius rei veritate vid. Hom. Il. II, 110 sqq. coll. cum Ovid. Met. XIII, 216 sqq. — **110.** *Fecissent utinam!* tum ego non essem infelix. — **111.** *illos* - - *Interclusit hiemps*. Ut, de rebus dictum, *intercludere* idem fere est quod *impedire* (v. c. Caes. B. G. VII, 2. et Cic. Att. VII, 20. *intercludere alicui fugam*), ita etiam ad homines translatum, *intercludere aliquem* (ab aliqua re, vel cum simplici Ablat.); quare etiam interdum absolute dicitur, ut hic, ubi supplendum est: quominus irent. Cf. e. g. Cic. Att. VIII, 8. *Intercludor dolore, quominus ad te plura scribam*. — Pro *ponti* exspectaveris *ponto*, ut infra IV, 52. legimus *Dum pelago desaevit hiemps;* sed vide locos a Coningtone collectos: Stat. Silv. III, 5, 78. *hiemps montis*, Claud. Bell. Get. 151. *h. rerum*, Ovid. Her. V, 34. *h. amoris*, coll. cum Hor. Sat. II, 2, 17. *hiemat mare*. — **111—113.** „*Terruit euntes*, ire volentes, ut Graeci poëtae verbis utuntur, deterruit, quo minus navigarent.“ *Heyn*. Hic sane, cum non de ipsa profectione, sed de consilio proficiscendi sermo sit (nam nimis subtile esset sumere, aliquot naves vere iam cursum ingressas, sed statim Austro ad reditum coactas esse), *euntes* necessario pro *ituros* vel iter parantes accipiendum; quamquam raro omnino apud Vergilium Participium Praesentis pro Partic. Futuri positum videmus (de qua re praeter alios cf. Bach. ad Tibull. I, 3, 29.: vid. etiam infra ad v. 114. adnott.), neque alius, nisi huius ipsius verbi. Cf. loci Aen. IX, 243. XII, 73. VI, 392. a Wagn. Qu. Virg. XXIX, 2. *a*. collati, qui simul docet, Particip. *ituros* bis omnino apud Virg. legi, VI, 680. et 758. — *Trabes acernae*, supra v. 16. ex *abiete*. - - *contextus* (vid. sup. v. 16.) *staret*, esset; et *sonuerunt nimbi*, orti sunt turbines. Wakef. ad Lucr. V, 744. temere coni. *tonuerunt*. — **114—119.** „*Suspensi*, solliciti, dubii, quid faceremus. Quare interdum usurpatur de iis, qui oracula adeunt. Cf. III, 372. et IV, 9. — *Eurypyli* plures; vid. Burm. ad Ovid. Met. XII, 357.; celeberrimus Telephi filius, qui Troianis auxilio venit, et poëtis cyclicis atque etiam tragicis argumentum nobile olim suppeditaverat; de quo late Quint. Cal. VI, 119 sqq. At h. l. intelligendus is, qui fere apud Homerum invenitur, Euaemonis filius, ex Ormenio Thessaliae copias ducens. Vid. Il. II, 734 sqq. [ibique Ameis.]“ *Heyn*. — *scitantem*, quae omnium fere et optimorum Codd. est lectio, cum Iahn. et Wagn. pro vulg. Supino recepimus, quod Peerlk., contra Wagn. disputans, retinendum censet. (Etiam Süpfl., Gossr. et reliqui recentiores editores *scitantem* praetulerunt). Participium autem Praesentis non pro Partic. Futuri positum esse, sed, cum ita solvi possit: mittimus Eurypylum, isque scitatur oracula Phoebi, propriam Praesentis potestatem tueri, idem Wagn. docet Qu. Virg. XXIX. 2, 2., comparans Xen. Cyr. V, 4, 24. *κήρυκα ἔπεμψε πρὸς αὐτὸν, λέγοντα, ὅτι κ. τ. λ.* Soph. Ai. 768. (781.) *ὃ δὲ* - - *πέμπει με σοὶ φέροντα τάςδ᾽ ἐπιστολὰς Τεῦκρος φυλάσσειν.* ib. 813. (826.) *πέμψον τιν᾽ ἡμὶν ἄγγελον, κακὴν φάτιν Τεύκρῳ φέροντα.* Catull. XI, 9 sqq. *Sive trans altas gradietur Alpes, Caesaris visens*

Mittimus, isque adytis haec tristia dicta reportat:
„ „ Sanguine placastis ventos et virgine caesa,
Cum primum Iliacas, Danai, venistis ad oras;
Sanguine quaerendi reditus animaque litandum
Argolica." " Volgi quae vox ut venit ad auris,
Obstipuere animi gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.

---

monumenta magni etc. Liv. XXI, 6, 2. *legati a Saguntinis Romam missi auxilium ad bellum iam haud dubie imminens* *orantes*. Phaedr. I, 2, 22, *Alium* *rogantes* *regem misere ad Iovem*, ibique Burm., qui tamen loci non omnes eiusdem generis esse mihi videntur. — *Scitari* autem et *sciscitari* verba propria de consulentibus oracula. Cf. de illo Ovid. Met. X, 564., de hoc Liv. V, 15, 3. et Cic. Div. I, 34. 76. — **115**. *adytis reportat*. Vid. adnott. ad Geo. II, 520. et Aen. I, 358. De *adyto* vid. ad III, 92. — **116**. *placastis ventos*. Burm. de h. l. conferri iubet Parrhasium ad Claud. R. Pros. III, 282. — „*virgine:* expetita victima Iphigenia, substituta tamen mox cerva. Sed, cum haec fabula, post Homerum demum adscita, varie olim tractata fuerit, videntur etiam fuisse, qui Agamemnonis filiam vere immolatam traderent. Quod et Lucr. I, 85. sequitur: *Aulide quo pacto Triviai virginis aram Iphianassai turparunt sanguine foede* etc. — *cum venistis*, venire volebatis." *Heyn*. Rectius *Wund.*: „Mera est temporis notatio, ex qua, utrum ante profectionem, an in itinere, an post adventum in agrum Troianum sacrum illud factum sit, non patet. Neque in re nota opus erat notatione accuratiore." — **118**. Verba *Sanguine quaerendi reditus* iterantur in Grat. Cyneg. 411. et Anth. Lat. I, 178, 398. — *litare* (de quo verbo vid. adnott. ad IV, 50.) hic respondet *placandi* vocabulo v. 116. — *anima Argolica*, vita unius e numero Graecorum. Thiel., qui de ipsa re conferri iubet Lobeckii Aglaophamum I. p. 119., non dissimilem comparat Senecae locum Troad. 358., quo Calchas, Polyxenae caedem postulans, ad quaestionem *quid iubeat Deos effare* respondet: *Dant fata Danais, quo solent* *pretio*, *viam. Mactanda* *virgo* *est*. Ceterum animadverte, quam bene et graviter sibi respondeant v. 116. et 118. *Sanguine - - et virgine caesa*, — *Sanguine - - animaque Argolica*. — **119**. *volgi vox venit ad auris*. Repetuntur haec in Anth. Lat. I, 178, 148. verbis *et venit* in *pervenit* mutatis. Cf. etiam Silius XII, 338. *vulgique Deus* (i. e. vox Dei, oraculum) *pervenit ad aures* et Dict. Cret. de bello Troi. p. 21. *Quae vox ut ad exercitum venit*. — **120**. *Obstipuere*. Vid. adnott. ad Geo. IV, 351. — Vulgo *animis*; sed *animi* Medic. et plurimi alii Codd. praebent, quos cum Wakef., Iahn. et Wagn. secuti sumus, cum etiam Heinsius nullam alterius lectionis mentionem faciat, quae quomodo in editiones vulgares irrepserit, nescimus, imprimisque cum etiam V, 404. et IX, 123. ex optimorum Codd. auctoritate legendum sit *Obstipuere animi*. Intellige igitur *nobis*, Graecis. Conington vere adnotat, quominus *animi*, ut Geo. IV, 491. et Aen. X, 686., positum censeamus, impedire locos II, 73. III, 260. IX, 498. et similes. (Etiam recentiores editores omnes praeter Bryceum *animi* ediderunt.) — *gelidus tremor*, ut ap. Ovid. Met. II, 200. *gelida formido*, ibid. III, 100. *gelidus terror*, Heroid. XI, 82. *gelidus metus*, ibid. XVI, 67. *gelidus horror*, Lucan. I, 246. *gelidus pavor* etc. Vid. etiam infra III, 29., ubi *frigidus horror* legitur. — *per ima cucurrit Ossa*. Quia enim medulla ossibus inclusa sedes caloris habebatur (cf. Geo. III, 272. Aen. III, 308. et IX, 475. cum Hom. Il. XX, 406., unde adeo ossa *sudare* dicuntur Aen. VII, 458.), ossa haud raro variis affectibus tacta perhibentur, ut Aen. III, 57. et VII, 172. 458. pavore, Geo. III, 457. et Aen. V, 172. dolore, Geo. III, 258. 457. Aen. I, 660. VII, 355. VIII, 390. amore, Aen. IV, 101. furore etc. — **121**. *Cui fata parent*, h. e. dubitantium et metuentium, cui fata hoc parent, ut mactetur victima; quisque enim vereri poterat, ne sibi ipsi mors pararetur. Ceterum cf. supra ad v. 3. adnott. Sic etiam Haeckerm. in Comm. p. 18 sqq. et *Zeitschr*. etc. XIX. p. 53. locum recte interpretatur. Contra Müller. in

Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios; quae sint ea numina divom,

Progr. Blankenb. a. 1837. p. 21. (quocum ne bis idem dicatur et verbum *parandi* Obiecto careat, faciunt Gossrav., coll. loco Ovid. Met. XIV, 213., ubi *fata parare* sit i. q. mortem parare, Freudenberg Vind. Verg. p. 22., qui, coll. Ovid. Met. XIV, 213. *Talia fingebam misero mihi fata parari* et ibid. XIII, 454. *Sensitque* (Polyxena) *sibi fera sacra* [aliquot Codd. *fata*, quod probat Doering. ad Hor. Od. I, 15, 4.] *parari*, memorat, *fata alicui parare* sollemnem esse formulam de iis, qui diis pro victima immolentur, et Aldenhoven. *über d. Virg. Fatal.* p. 22.) *fata* Accusativum habet a verbo *parent* pendentem, ad quod ex voc. *mittimus* v. 115. intelligi vult *Graeci* vel *duces Graecorum* et verba sublato Commate post verbum *parent* sic construit: quem poscat Apollo, cui (i. e. ut ei) fata parent. Eamque rationem, quam tamen collocatio verborum non videtur iuvare, cum Censore Ienensi in *Allgem. Lit. Zeit.* 1840. n. 156. probat Iahnius, et ipse Accusativum Obiecti aegre desiderans, non tamen *Graeci*, sed *ea verba* intelligens, quod voluisse poëtam, qui modo v. 129. posuisset verba *quae vox*, credi vix potest. Sed quamvis Ovid. Met. XIV, 213. *fata parare* pro mortem parare dixerit, tamen ut *fata* pro Nominativo Subiecti habeamus, iam poscere videtur alter Nominativus *Apollo* post iteratum Pron. relativum et sine Copula, ideoque eadem constructione servata, adiectus; Accus. contra Obiecti (scil. caedem victimae) facile intelligi potest ex v. 118.; *parare* autem etiam alibi absolute ponitur, omisso Accus. Obiecti, ut Quinct. Decl. XVII, 5. *quaesivit, quid tererem, cui pararem* (cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 5, 19. et Iacob. in Quaest. Epic. p. 94. not.) et *Fata* aliquid *parare* haud raro dicuntur. Cf. Ammian. XXI, 15. *finem parantibus fatis*. Lucan. II, 68. *Non alios motus tunc fata parabant*, et VI, 783. *Quid fata pararent, Hi fecere palam*. Val. Fl. I, 326. *Sin aliud Fortuna parat*. Claud. in Rufin. I, 142. *Heu nescis - - quid fortuna paret* etc. Ceteri recentiores editores nobiscum consentiunt. Alii tamen locum corruptum censent et vir doct. quidem in Misc. Obss. II. p. 86. coniicit *cui fata* (i. e. mortem) *paret* (scil. Apollo), Peerlk. autem *quid fata parent* (quod propterea probari non potest, quia non dubium est, quid postulent fata, sed tantum quem), Dietsch. denique Theol. Verg. p. 21. *quod* (vel potius *quae*) *poscat Apollo*, ut haec sit sententia: „cui fata illud, quod Apollo necessarium esse dixit, destinaverint;" quam coniecturam, si quid mutandum esset, ceteris praeferrem. Sed vide quae Kappes II. p. 10. mihi adsentiens contra eam disputat. — *poscat*, ad mortem; de qua ellipsi cf. Drakenb. ad Sil. III, 202. Ceterum hi duo versus in Anth. Lat. I, 172, 70. sic in unum contrahuntur: *Obstipuit, cui fata parent, quem poscat Apollo* et verba *cui fata parent* iterantur ibid. III, 81, 102. Conington comparat Hor. Od. I, 4, 12. *seu* (Faunus) *poscat agnam* (ubi tamen rectius editur *agna*.) — 122. *Hic*. Vid. ad Aen. I, 728. — *magno tumultu*, cum magno tumultu. Vid. adnott. ad Ecl. IV, 60. (X, 24. Aen. I, 751. III, 64. et alibi). Sic Stat. Achill. I, 493. *Increpitans magno vatem Calchante tumultu* et Val. Fl. II, 312. *rapitur subito regina tumultu*. — 123. *protrahit*, invitum, reluctantem. Vid. supra v. 58. — *flagitat*, imperiose quaerit. Cf. Doederl. Synon. II. p. 143. — *Quae sint ea numina divum*, quod numen, h. e. quae voluntas Phoebi et sententia oraculi sit. Cf. ad Aen. I, 8. et 133. Cum tamen oraculum ipsum per se satis clarum sit (*anima Argolica litandum esse*), sensus horum verborum alius esse non potest, quam hic: quem Deus tamquam victimam immolari velit, ut iam Servius locum intellexit. Peerlk. tamen, ut omnis obscuritas tollatur, legi vult: *quem signent numina divôm*. Dietsch. denique Theol. Verg. p. 5., qui negat *numen* unquam esse deorum voluntatem oraculo significatam, locum potius sic interpretatur: „qui sint ii dii, scilicet qui tam atrocia postulent, ut quasi dubitans nec credens, id fieri posse, quaerat Ulixes, num dii sint, qui talia postulare possint." Conington suspicatur, fortasse respici primam vocis significationem (nutus), ut *quae sint numina* sit i. q. quem dii innuant, et Lachmanni sententiam ad Lucr. II, 632.

Flagitat. Et mihi iam multi crudele canebant
Artificis scelus et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam aut opponere morti.
Vix tandem, magnis Ithaci clamoribus actus,
Conposito rumpit vocem et me destinat arae.

---

prolatam (ubi *numine* propterea in *nomine* mutatur), *numen* numquam pro *nutu* poni, refelli censet Catull. LXII, (LXIV,) 204. *Adnuit invicto caelestum numine rector, Quo tunc et tellus atque horrida contremuere Aequora.* — 124. *Multi canebant*, vaticinabantur; quia vates vincta, non soluta oratione utebantur. Cf. infra v. 176. Aen. III, 373. 444. 457. V, 525. VI, 345. VIII, 49, 499. Cic. Div. II, 57, 117. Liv. I, 7, 10. Ovid. Met. II, 641. Tibull. I, 7, 56. Hor. A. P. 403. multique alii loci et Gronov. Obss. III, 24. — 125. *videbant*, providebant; *taciti*, apud se, secum. Recte autem *Wagn.*: „Vaticinabantur me peti Ulixis crudeli scelere tacitique praevidebant immolatum me iri.“ Quibus tamen sibi contradicens addit: „*multi* - - *et* i. e. *multi* - - *alii*, ut Ecl. I, 65. *pars* - - *et*;“ quae etiam Ladew. repetit. Cf. Hor. Epist. I, 7, 62. *mirari secum tacitus*. Iustin. XVI, 4. *tacitus colloquitur*. id I, 10. *tacitus edocet*. Martial. VI, 5. *tacitum te dicere credo*, et VI, 64. *tacitus quaeras*, ubi idem est, quod secreto, remotis arbitris. Cf. etiam Interpp. ad Ovid. Her. XIII, 69. Totus hic versus iteratur in Anth. Lat. I, 170, 98. et verba *Artificis scelus* (quae etiam infra XI, 407. redeunt) ibid. III, 81, 9. — 126. *Bis quinos*. Vid. adnott. ad Aen. I, 71. Videtur hunc locum respexisse Stat. Theb. III, 574. *bis seno premit ora die*. Virg. *bis quinos* scripsit, ut Hor. Epist. I, 7, 1. *quinque dies tibi pollicitus* etc., ubi vid. interpp. — „*Tectus*, h. e. tecte, ornate additum, est dissimulans, ut saepe etiam apud Ciceronem [e. g. pr. Rosc. Am. 40, 116. de Finn. II, 17, 54. de Or. II, 73, 296. Or. 42, 146.]; scilicet tamquam qui rem horrendam et in aliorum exitium vertentem eloqui detrectaret.“ *Heyn*. Vid. Matth. ad Cic. Rosc. Am. 40, 116. et pr. Deiot. 6, 16. Henry (*Class. Mus.* XXI.) *tectus* interpretatur per: domo se occultans, ut sensus sit: nihil praeterea dixit, sed domo se abdidit, et ita locum a Statio intellectum putat, qui Theb. III, 570. canat: *Ille nec adspectum vulgi, nec fida tyranni Colloquia, aut coetus procerum perferre, sed atra Sede tegi et superum clausus negat acta fateri.* (In recentioribus tamen scriptis haec recte non repetit.) — 127. *aut opponere morti*. Ut Particulae coniunctivae saepe disiunctivarum loco ponuntur (vid. adnott. ad Geo. I, 442.), ita etiam disiunctivae interdum inveniuntur, ubi copulativas exspectamus, cum verba tantum sint diversa, res eaedem vel certe simillimae. Cf. Geo. IV, 198. Aen. II, 127. 187. 779. 786. IV, 529. VI, 803. VII, 805. VIII, 205. Prop. I, 9, 10. Tibull. I, 4, 48. I, 9, 64. (ubi vid. Dissen.) Cic. pr. Quinct. 2. 8. et Wagn. Qu. Virg. XXXVI, 11. *Opponere morti*. Sic etiam XI, 115. *se opponere morti*. Ceterum verba *quemquam aut opponere morti* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 64. — 129. *Composito* (ut cum Ulysse compositum erat) pro usitatiore *ex composito* (Liv. V, 14, 2. XXXVI, 25.) vel *de composito* (Apulei. Apol. I. in.). Sine Praepositione legitur etiam ap. Ter. Phorm. V, 1, 29. (ubi vid. Ruhnk., qui etiam cf. ad Vell. Pat. II, 110, 2. et Suet. Iul. Caes. 20.) et Nep. Dat. 6, 6. (ubi vid. Brem. et Daehn.). Cf. etiam supra ad Aen. I, 737. adnott. — *vocem rumpit*, ῥήσσει φωνήν, i. q. erumpere facit, edit. Cf. III, 246. IV, 553. et XI, 377. Drakenb. ad Sil. IV, 528. Heins. ad Claud. R. Pros. II, 249. Burm. ad Val. Fl. I, 508. et Bach. ad Ovid. Met. X, 147. Vid. etiam infra ad v. 416. et Wilms. Progr. laud. p. 8. — *destinare* Wagn. recte explicat: designare, quem immolari velint dii; quod nos dicimus *als Opfer bezeichnen;* coll. Liv. IX, 24. *ducentos viginti quinque, qui omnium consensu destinabantur et infandae colonorum caedis et defectionis auctores, vinctos Romam deducunt*. Imitatur hunc locum Val. Fl. II, 283. *crudelis scopulis me destinat urna*. — Ceterum Calchantis *tergiversationem Heynio* videtur poëta adumbrasse ex Iliad. I,

Adsensere omnes et, quae sibi quisque timebat,
Unius in miseri exitium conversa tulere.
Iamque dies infanda aderat; mihi sacra parari
Et salsae fruges et circum tempora vittae.
Eripui, fateor, leto me et vincula rupi
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Delitui, dum vela, darent si forte, dedissent.

---

69 sqq. — **130**. *timebat* pro timuerat. Huius enim loci alia ratio est, atque Aen. I, 447., ubi vid. adnott. Verba *quae sibi quisque timebat* iterantur in Anth. Lat. I. 178, 425., ut sequentia *unius in miseri exitium* ibid. v. 220. et I, 170, 99. — **131**. *Conversa tulere* vulgo pro *converterunt* (scil. adsentiendo) positum esse censent (vid. ad Geo. I, 320. et supra ad v. 64). Equidem propter antecedens *adsensere* cum Iahnio praefero Ruaei explicationem: omnes passi sunt verti; quod sibi quisque timuerat, id a Calchante in me unum converti omnes libenter ferebant. Sic etiam Thiel., Ladew., Kappes II. p. 11. et Haeckerm. in Comm. p. 20. et *Zeitschr*. etc. XIX. p. 53. Aliter tamen Henry in *Tw. years* II. p. 38. et Philol. XI. p. 601. et Wagn. („converterunt et [trans] tulerunt in meum exitium"), contra quos disputat Haeckerm. ll. ll. — **132**. Verba *Iamque dies infanda aderat* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 48. Conington, comparans infra III, 356 sqq., memorat, non grammatice quidem, logice tamen cohaerere verba *Iam dies aderat* et *Eripui leto me*. — *sacra* de ipsa immolatione capiendum, ut ap. Ovid. Met. XIII, 454. *crudelibus aris Admota est, sensitque sibi fera sacra parari* et ap. eund. ex P. II, 75. *Dumque parat sacrum, dum velat tempora vittis*. (Vid. etiam supra ad v. 121.) — **133**. „*Salsae fruges*, mola salsa, h. e. far tostum contusum sale adsperso. *Σπονδάς τ' οὐλοχύτας τε μάλ' ἐσσυμένως ὑπαλύξας*, Quintus Cal. XII, 375." *Heyn*. *Salsas* tamen *fruges* vel *molam salsam* et *οὐλοχύτας* differre, docuit Vossius ad Ecl. p. 429. Romanus igitur mos ad Graecos transfertur, ut etiam alibi apud Vergilium. De Romanorum *mola salsa* vid. adnott. ad (Ecl. VIII, 82. et) Aen. IV, 517. — *vittas* et sacerdotes gerebant et hostiae (cf. Geo. III, 486. et infra V, 366.) ideoque etiam humanae victimae. Vid. etiam infra v. 156. Ovid. ex P. III, 2, 74. et Trist. IV, 4, 78. — **134**. *parari - - Eripui*. Ab Infinitivo absoluto, qui vulgo historicus vocatur, saepe ita transiri ad verbum finitum, ut stimuletur exspectatio, (coll. Aen. VI, 197 sqq. VIII, 213 sqq. 492 sqq. et XII, 216 sq.) docet Wagn. Qu. Virg. XXX, 1. — *fateor*. „Vide quam religiosum se simulet Sino, qui quod ad sacra destinatus effugerit, tamquam nefas fatendum putat." *Gossr*. Ceterum prius hemistichion verbis sic transpositis *Eripui leto, fateor, me* iteratur in Anth. Lat. I, 178, 156. — „*Vincula* non sunt vittae, sed, quibus ligatus servabatur, et ad aram adducebatur: etsi iam vittatus. Vid. infra v. 156. Ante aram vero soluta stabat hostia." *Heyn*. Cf. Iuven. XII, 5. *Sed procul extensum petulans quatit hostia funem*, et Silius XVI, 264. *Victimaque admotae stabat subiecta bipenni, Cum subito abruptis fugiens altaria taurus Exsiliat vinclis* cett. Etiam Wagn. adnotat: „Videtur laxus funis ei, cum, ut simulat, ad aram duceretur, iniectus esse, quo, si fugere conaretur, retineri posset." Peerlk. vero, cui etiam Haeckerm. ll. ll. adsentitur, non sine probabilitatis aliqua specie, Sinonem e carcere, in quo ante tempus sacrificii ligatus fuerit, aufugisse, eique interpretationi non obstare putat, quod infra v. 146. Priamus viro *manicas atque arta levari vincla* iubeat; pastores scil. Troianos eum ligavisse; si enim Sino vere iam ad aram adductus fuisset, in tanta hominum multitudine eum nec vincula rumpere nec aufugere potuisse; et sane *vincula rumpere* pro simplici aufugere legitur etiam infra VIII, 651. Val. Fl. 570. Ovid. Am. III, 11, 3. Cic. Catil. IV, 4, 8. et alibi. — **135**. *obscurus delitui*. Vid. adnott. ad Geo. II, 353. et Aen. VI, 268. — *in ulva*. Vid. ad Geo. III, 175. Videtur *hunc locum* spectasse Lucan. II, 70. *Exul limosa Marius caput abdidit ulva*. — *136*. Prius cum Wagnero, quem etiam Süpfl., Gossr., Bryce, *Ribbeck. et Conington* sequuntur, locum sic distinxi: dum vela darent, si

Nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi
Nec dulcis natos exoptatumque parentem;
Quos illi fors et poenas ob nostra reposcent

---

forte dedissent; nunc tamen cum intellexerim, sic oriri miram sententiam germanice sic reddendam: *Ich hielt mich verborgen, bis die Griechen absegeln würden, wenn sie etwa (bereits) abgesegelt wären*, vel certe (Coni. Plusq. pro Coni. Futuri exacti posito) *abgesegelt sein würden*, (nam quod Wagn. in edit. Heyn. adnotavit, *dedissent* esse i. q. daturi essent, id nunc ipse videtur retractare, cum in recentiss. edit. explicet per: „si futurum fuisset ut darent"), potius cum Iahnio, Peerlk., Haupt. et Ladew. itemque Haeckerm. in Comm. p. 20 sqq. *Archiv. f. Phil.* XVIII, 2. p. 313 sqq. et *Zeitschr. f. d. G. W.* XIX. p. 53. amplector Heynii distinctionem, numerorum elegantiam veritati rei postponens; nam sic demum apta prodit sententia. Ceterum Wagn. recte defendit hoc hemistichium (*si forte dedissent*) contra Heynium, qui suspicatus est, hunc versum imperfectum et ab aliena manu expletum esse: „nam placatis demum humano sanguine diis vela daturi erant Graeci; dubitari igitur poterat, postquam Sinon fuga se subtraxerat, quid illi facturi essent." Ceterum huius loci memor fuit Val. Fl. VII, 271. *spes et via sola salutis, Quam dederit, si forte dabit.* — **137.** „Sequentia egregie ad miserationem ficta. In quibus respexisse videri potest Il. V, 408. 409. — *patriam antiquam*, pristinam; nihil amplius. Omnibus colonis, exsulibus, transfugis prior patria est *antiqua patria.*" *Heyn.* De voc. *antiquus* pro *pristinus* posito cf. adnott. ad Aen. I, 23. Sed nescio, an Wagn. rectius interpretetur: longa consuetudine caram; quae etiam Coningtonis videtur sententia, cum adscribat „*an epithet of affection*" et hunc locum aliter capiendum esse doceat atque IV, 633. — **138.** Ribbeck. pro *dulcis natos* recepit Cod. Pal. a m. pr. lectionem *duplicis*, quam etiam Serv. novit haec adnotans: „Quidam sane non *dulces*, sed *duplices* legerunt, quia *dulces* leve esset et commune epitheton liberorum." Sed recte Conington hanc numeri commemorationem ieiunam censet et vulgarem lectionem locis Geo. II, 523. et Aen. IV, 33. defendi docet. Henry (*Class. Mus.* XXI. *Tw. years* II. p. 39. et Philol. XI. p. 601.) *natos* non de ipsius Sinonis liberis intelligit, cuius uxor non commemoretur, quique adhuc iuvenis sit et a patre *primis ab annis in arma missus* (v. 87.), sed de fratribus eius, qui solius parentis additi respectu habito *nati* dicantur; quod nemo facile probabit atque a viro doct. ipso nunc iure retractatur. — **139.** *fors* (pro *fors sit*) a poëtis saepe in modum Adverbii usurpari, satis constat; qua Particula veteres tum usos esse, cum oratio ad rem adscendat non per se notam, sed quae probabilitatem excedere videatur, ut per eam sententia exprimatur verborum: fieri adeo potest, ut —, recte docet Hand. Tursell. II. p. 710 sq. Cf. Aen. V, 232. VI, 535. XII, 183. Lucr. I, 488. (ubi Codd. lectionem *fors ita* pro vulg. *credere* restitui, quod probat Hand. l. l., ipsum tamen locum aliter atque ego explicans, dum Lachm. *credere* servans lectionem a me receptam contemptim alto silentio transit.) Val. Fl. IV, 620. cett. Cf. etiam adnot. mea ad Lucr. l. l. (et Orell. ad Hor. Sat. I, 6, 49., unum illum locum, ubi forma *forsit* reperitur). Singularis autem est poëtarum formula *fors et*, pro *fortasse etiam*, qua secundum Handium progreditur oratio ad rem opinione conceptam, sed gravitate et magnitudine ampliorem, ut respondeat nostro *vielleicht selbst, vielleicht sogar* (cf. Aen. XI, 49. Hor. Od. I, 28, 81., ubi vid. Lambin., Prop. II, 9, 1. etc.), eandemque (suadente iam Cortio ad Lucan. IV, 387.) etiam hic ex Codd. Medic. Gud. et Rottend. III. cum Wagn. revocavimus, cum vulgaris illa lectio *ad poenas*, cuius apud Servium nec vola nec vestigium reperitur, quamque etiam Ribbeck. in Codd. non videtur invenisse, utpote facilior ex hac difficiliore (*et poenas*) orta videatur, imprimis si sumimus, librarios non fugisse similem locum VIII, 495. *Regem ad supplicium praesenti Marte reposcunt.* Quare probare non possum, Thielium et Süpflium rediisse ad Heyn. lectionem *ad poenas*. *Poenas* autem Wagnero minime alterum Obiectum, sed *reposcere* hic cum simplici Accus. *quos constructum videtur,* cui alter Accus. *poenas* per appositionem adiungatur: itaque *quos poenas reposcunt* i. q. quos punien-

Effugia et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te per superos et conscia numina veri,
Per, si qua est, quae restet adhuc mortalibus usquam

---

dos reposcunt; coll. simili loco Aen. VI, 20 sq. *tum pendere poenas Cecropidae iussi — miserum! — septena quotannis Corpora natorum*, qui tamen non prorsus eiusdem est generis. Quare Ladew. potius comparat infra VII, 606. ideoque *quos* pro *a quibus* positum habet, quae ratio, etiam Haeckermanno in Comm. p. 21. et *Zeitschr*. XIX. p. 53. probata, sane Wagneriana est simplicior. Utut autem locum capis, significatio Part. *et* eadem manet et sententia est: Non solum spes nulla est liberos videndi, sed etiam timendum, ne illi pro me puniantur. Quare non erat, cur Süpflius cum Burm. et Heynio vulgarem lectionem defenderet, Wakef. autem e Cod. Colleg. Ies. ederet *forsan poenas*. Ceteri recentiores editores omnes nobiscum faciunt. — *reposcere* est i. q. ἀνταιτεῖν, ut ap. Liv. III, 23. *auxilium datum reposcere*, quem locum Wagn. comparat. — **140**. *ob nostra Effugia*, ob fugam meam. *Serv.* haec adnotat: „Dicendo *effugia* verbo sacrorum et ad causam apto usus est: nam hostia, quae ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, *effugia* vocari vetere more solet; in cuius locum quae supposita fuerat, *succidanea* etc." Apud alios enim scriptores *effugium* aut est ratio et via fugiendi (Lucr. III, 523. Cic. N. D. II, 47, 121. Ovid. A. A. II, 21. cett.), aut locus ipse, qua quis effugere potest (Hirt. B. Alex. 16. Liv. XXIV, 26, 12. Tac. Ann. III, 42. XII, 31. XVI, 15.). Cf. Drakenb. ad Liv. XXIII, 1, 8. et Boetticher. Lex. Tacit. p. 169. Duos modo praeter hunc novi locos, in quibus *effugium* nihil fere aliud significare videtur, quam ipsam *fugam*, Val. Fl. I, 803. *mors sera viam tentataque claudat Effugia* et Tac. Hist. III, 18. *propinqua Cremonensium moenia quanto plus spei ad effugium - - dabant*. — *culpam hanc*, i. e. meam (*nostra effugia*). Vid. adnott. ad IX, 205. — *piabunt*, h. e. expiabunt, pro punient, ulciscentur. Vid. infra v. 184. — V. **141**. iteratur in Anth. Lat. I, 172, 122. *Quod* est relativum infinitum, fere i. q. propter quod, quae cum ita sint, significans, ut apud Graecos ὅ pro καθ' ὅ, δι' ὅ. Cf. Hermann. ad Viger. p. 706. n. 27. Matth. Gr. Gr. §. 477. e. Kühner. Gr. Gr. 557. not. 4. Ramsh. §. 178. not. 2. d. Bentl. ad Ter. Andr. I, 5, 54. Schmid. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 7, 94. et Parei Lex. Plaut. s. v. *Quod*. Sic infra VI, 363. *Quod te - - Per genitorem oro, - - Eripe me* etc. Hor. Ep. I, 7, 94. *Quod te per Genium dextramque deosque Penatis Obsecro et obtestor, vitae me redde priori*. Ter. Andr. I, 5, 54. *Quod te ego per dextram hanc oro et per Genium tuum -- ne abs te hanc segreges*. Sil. XIII, 463. *Quod te per nostri Martis precor aemula facta, arce* etc. Ex quo Pronominis relat. usu ortum videtur illud dicendi genus, quo Particulis *si*, *nisi*, *ubi*, *ut*, *utinam*, *ne*, aliis Pronomen *quod* praefigitur. Etsi enim postea in eiusmodi compositionibus Pronomen vim suam plane deposuit, ita ut transitioni tantum inserviret, initio tamen de tali relatione ad antecedentia, ex quibus sequentia prodirent, cogitatum fuisse, vix poterit negari. Cf. hac de re Manut. ad Cic. Fam. XIV, 4. in. Bremi ad Nep. Hann. 1, 2. Beier. ad Cic. Off. I, 43, 5. et II, 8, 29. Kritz. ad Sall. Cat. 2, 2. Otto ad Cic. Finn. I, 20, 67. Ruddim. II. p. 355. Kühner §. 145. not. 22. Aliter de h. l. statuit Gossr., qui coll. X, 904. hanc esse structuram putat: *quod te oro, hoc est, miserere*. — „*conscia numina veri*, inspectores ac testes, me vera narrare." *Heyn.* Aliter Thiel., qui coll. Gronov. ad Liv. II, 48, 2. Ruhnk. ad Ter. Andr. IV, 1, 5. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 3, 208. Schmidio ad Hor. Ep. I. 7, 98. et Kühnero ad Cic. Tusc. III, 29, 72., *verum* hic pro *iusto*, *recto* positum censet, ut Sinon, obtestans Troianos, ad iustitiam deorum provocet, timendam iis, qui insonti vim afferant. (Quae Henry *Tw. years* II. p. 41. de hoc loco scripsit, ea vir doct. nunc iure retractat.) — **142**. Animadvertas obtestandi formulam per attractionem aliquam prolatam. Pro Accusativo enim, quem exspectas iuxta Praepositionem *per*, conditionalis sequitur sententia, ut Praepositio, quasi absolute posita, non habere videatur, quo referatur. Sed hanc ipsam enuntiationem conditionalem continere Obiectum ad Praepositionem pertinens, omnemque senten-

Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum, miserere animi non digna ferentis."
His lacrimis vitam damus et miserescimus ultro.
Ipse viro primus manicas atque arta levari

---

tiam ita esse solvendam: *per intemeratam fidem, si qua est* etc., vix est quod doceam. Ita etiam Graecos locutos esse constat. Soph. Phil. 469. *πρὸς νῦν σε πατρὸς - - - πρός τ' εἴ τί σοι κατ' οἶκόν ἐστι προςφιλές.* Loco nostro ex asse respondet, qui infra legitur X, 903. *Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro.* Cf. etiam IV, 314 sqq. VI, 459. X, 597. 903. XII, 56. Ovid. Met. VII, 854. *Per, si quid merui de te bene, perque manentem - - amorem, Ne - - patiare* et similes locos. Bene de hac re disseruit Krüger. in *Untersuch. a. d. Geb. der lat. Sprachl.* III. p. 211 sqq., qui etiam illos locos comparat, ubi *per* a Casu suo per alia vocabula, imprimis Pronomina interiecta, disiungitur, velut Aen. IV, 314. XII, 56. Liv. XXIII, 9, 2. *Per, ego te, fili, quaecunque iura liberos iungunt parentibus, precor quaesoque* (ubi vid. Rupert.), Sil. I, 658. Tibull. IV, 5, 7. Ovid. Fast. II, 841. Plaut. Men. V, 7, 1. Ter. Andr. V, 1, 15. etc. Cf. Broukh. ad Tibull. IV, 5, 7. Westerh. et Ruhnk. ad Ter. Andr. III, 3, 6. Drak. ad Silium I, 658. V, 82. eundemque ad Liv. XXIX, 18, 9. Oudend. ad Lucan. p. 798. Herzog. ad Sall. Cat. 35, 5. Mützel. ad Curt. IV, 55, 24. Hand. Tursell. IV. p. 440. alios. — Pro *restet* Med. a m. pr. et Bern. II. exhibent *restat*, quod unus Conington recepit, ut hic habeamus similem pleonasmum ac VI, 367., quem tamen locum, in quo *si* repetatur, cum nostro non posse comparari quisque videt. Cf. potius infra v. 536. Non magis probanda eiusdem Med. a m. pr. lectio *umquam.* Cf. supra I, 604. — „*fides*, quam hic inclamat, est iusti rectique observantia, h. l. iuris divini et humanitatis. *Heyn.* Cf. infra v. 541. — *intemeratus* i. q. inviolatus, vox poëtica (cf. III, 178. XI, 584. Stat. Theb. II, 724. cett.), qua tamen etiam pedestres scriptores posterioris aetatis utuntur (Tac. Ann. I, 42. 49. XII, 34. XVI, 26. cett.). Contra *temeratus* legitur VI, 841., ubi vid. adnott. — **144.** *non digna*, quibus non est dignus, quae non meretur. Sic Aen. XII, 811. *digna indigna pati.* Cf. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 2, 103. Ceterum hic versus primo voc. excepto iteratur in Anth. Lat. I, 170, 84. et 178, 213. — V. **145.** repetitur in Anth. Lat. I, 172, 121. *His lacrimis*, pro vulgari: ipsi cum lacrimis narranti. Wund. comparat Liv. XXXIV, 3. *negastis hoc piis precibus earum.* Wagn., Ladew. et Conington itemque Haeckerm. in Comm. p. 22. et *Zeitschr.* etc. XIX. p. 45. de sexto, non de tertio Casu cogitantes coll. infra v. 195. *Talibus insidiis - - credita res* explicant: his lacrimis moti vel inducti (*in Folge dieser Thränen, to this tearful appeal*) et ad *miserescimus* intelligunt *ei*; quae ratio mihi paullo artificiosior videtur. — *ultro* prius cum Heynio, Wagn. in Qu. Virg. XXVII. extr. et Doederl. *Lat. Syn. u. Etym.* III. p. 107. (coll. Lindem. ad Plaut. Capt. III, 4, 18.) explicui: non solum eius precibus et lacrimis impulsi, sed nostro etiam sensu commoti, facili promptoque animo, cui explicationi adsentiuntur Haeckerm. ll. ll., qui adeo *ultro* cum sequente versu cohaerere opinatur, ut II, 279. et V, 446., Bryce et Conington; nescio tamen an Schirach. p. 611., Ladew. et nunc Wagn. ipse in min. edit. rectius cum Servio interpretentur per *insuper, noch dazu, obendarein noch*, de qua vocis significatione diximus ad Geo. IV, 204. et Aen. V, 55. — **146.** *manicas atque vincla* eodem modo coniungit Silius XV, 141. (Etiam Geo. IV, 405. Cod. Mor. I. pro *manibus vinclisque* perperam exhibet *manicis vinclisque.*) Intelligenda autem sunt vincula supra v. 57. commemorata, nam vincula, quae Sino a Graecis sibi iniecta finxit, se rupisse mentitus est v. 134. — *levari.* Proprie *levare* vincula i. q. laxare, hic tamen pro demere, auferre positum. Prorsus enim dempta esse Sinoni vincula, patet e v. 153.; *levare* autem hanc habere vim et potestatem, docet vel unus locus Ovid. Met. VIII, 648. *Furca levat ille bicorni Sordida terga suis, nigro pendentia tigno.* Cf. etiam Liv. I, 34. extr. *superimpositum capiti decus levare* (et infra III, 36.) — Conington temere dubitat, utrum *viro* tertius an sextus sit Casus, cum Verg. alibi semper *levare aliquem aliqua re* construere

Vincla iubet Priamus dictisque ita fatur amicis:
„Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios;
Noster eris mihique haec edissere vera roganti:
Quo molem hanc inmanis equi statuere? quis auctor?
Quidve petunt? quae religio? aut quae machina belli?“
Dixerat. Ille, dolis instructus et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
„Vos, aeterni ignes, et non violabile vestrum

---

soleat. Sed locos, quos afferre poterat, Ecl. IX, 65. Geo. II, 400. Aen. X, 25., omnes alius esse generis et hic non nisi de Dativo cogitari posse, quisque videt. — **148.** *Hinc*, ex hoc tempore, i. e. posthac, in posterum; qua significatione hoc Adverbium inde ab Augustorum aetate usurpari coeptum. Cf. Aen. I, 194. II, 671. Val. Fl. III, 671. Tibull. II, 4, 35. Tac. Agr. 14. Ann. II, 67. Plin. IV, 23, 37. et Handii Tursell. III. p. 91. — „*amissos Graios* dixit, ut liberos, amicos, supra I, 217, socios *amissos*, quibus privati sumus.“ *Heyn.* Nisi malis cum Conington interpretari: Graios dimitte et obliviscere, coll. Donato ad Ter. Heaut. III, 1, 71.: „Quod nos dicimus *dimittere*, antiqui etiam dicunt *amittere*.“ — **149.** *Noster eris.* Conington (praeter Plaut. Mil. II, 5, 21. et Amph. I, 1, 243., unde appareat *nostrum* oppositum esse *alieno*) conferri iubet Cic. Q. fr. I, 1, 3. Ter. Ad. V, 8, 28. et Val. Fl. II, 561. et *eris* pro *esto* positum habet coll. Madvig. Gramm. §. 384. Ceterum haec verba arcte cohaerent cum superioribus, cum sensus sit: Obliviscere Graecos, (nam posthac) noster eris. Cf. etiam Henry in *Tw. years* II. p. 41. et Philol. XI. p. 601. — *mihique edissere*, i. e. sed his missis edissere. Vid. Wagn. Qu. Virg. XXXV, 2. Cf. autem Homeri (Il. X, 384. et al.) *Ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον*. Rarius *edisserendi* verbum legitur ap. Cic. Brut. 17, 65. de Leg. II, 22, 55, et Liv. XXII, 54, 8. XXVII, 7, 4. XXXIV, 52, 3. Hic versus in Anth. Lat. I, 178, 320. sic iteratur: *Fare mihi atque haec edissere vera roganti.* — **150.** *Quo*, quorsum, quem in finem. Sic Aen. IV, 98. XII, 879. Hor. Ep. I, 5, 10. (*quo mihi fortunam, si non conceditur uti?*) et alibi saepissime. — *molem equi.* Vid. supra v. 32. — **151.** „Quid in equo fabricando spectarunt: num religionis causa, ut deo alicui consecrarent [cf. supra v. 17.], an ut machina bellica esset, fabricati sunt? [Conington explicat: religionisne observandae an machinae fabricandae causa?] Mox v. 152. *dolis instructus* Homericum *κακοῖσι δόλοισι κεκασμένος, κερδαλεόφρων* Il. IV, 339.“ *Heyn.* — *arte Pelasga.* Vid. supra v. 106. — **154.** Haec omnia a Sinone bilingui simulate dici in promptu est. Cum enim sidera, quae testes invocat, nihil tale vidissent, re vera non licuit ei Graecorum sacrata iura resolvere. Vid. infra ad v. 161. „*Aeterni ignes* vix alii esse possunt, quam sol, luna et sidera, de quibus etiam Serv. ac Donatus acceperunt; nam paullo ante: *Sustulit ad sidera palmas.* Iis aeternitatem, numen tribui, et locum in iureiurando dari, notum est, et satis docuit Burmann. ad h. l.“ *Heyn.* Cf. infra III, 599. IX, 429. XII, 175. Per *ignes* etiam Horatio, in notissimo illo loco Od. I, 12, 46. *Micat inter omnes Iulium sidus, velut inter ignes Luna minores*, et Senecae Herc. Fur. 125. *nox victa vagos Contrahit ignes* sidera significantur; *aeterni* autem Sol Lunaque dicuntur in Gruteri Inscrr. p. XXXI, 10, 11. et p. XLII. Cf. etiam Lucr. V, 402. *Sol - - aeternam suscepit lampada mundi*, et de toto loco vid. Miscell. Obss. T. I. p. 228. — „*non violabile* bene ad periurii ultionem retulit: per quos nemo impune peierat.“ *Heyn.* Burm. de Sole periurii vindice conferri iubet, quae in Iove Fulguratore c. 15. disputaverit. Dietsch. Theol. Verg. p. 5. nota 25. de hoc loco sic iudicat: „Summa arte poëta Sinonem ita iurantem fecit, ut Troiani ei crederent et tamen ipse fidem servaret. Etenim cum sidera illud non vidissent, vere iuravit sibi nefas esse Graecorum iura resolvere, nec vero Troiani dubitant, quin illa rescindat.“ Marklandi coniecturam ad Stat. Silv. I, 1, 36. prolatam *Vestae numen*, quam Heyn. speciosissimam dixit, iam Vir doct. in Miscell. Obss. T. I. p. 7 sq. et Hand. ad illum

Testor numen, ait; vos, arae ensesque nefandi,
Quos fugi, vittaeque deum, quas hostia gessi:
Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura,
Fas odisse viros atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt; teneor patriae nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas servataque serves
Troia fidem, si vera feram, si magna rependam."

Statii locum p. 84. recte refutarunt, cum Vestae commemoratio a Sinonis persona et conditione, qui ad sidera manus tollat, prorsus aliena sit. Cf. etiam Iahn. ad Geo. II, 486. et Wagn. ad h. l. Nihilominus Peerlk., cum res die agatur neque alius ignis in caelo, ad quod manus tollat, praeter solem conspiciatur, recoquit Marklandi coniecturam, alteram etiam adiiciens: *et non violabile testor Troiae numen*, i. e. Vestam! — **155.** *enses*, invidiose pro Singulari, ut ap. Stat. Theb. XI, 629. Sic Pluralis haud raro apud poëtas. Cf. Aen. III, 120. 157. 488. IV, 219. VI, 41. VII, 217. VIII, 729. X, 36. 228. 532. et alios locos. Vid. etiam adnott. ad Aen. VII, 98. — *nefandi*, quod sibi nefarie et mala fraude paratas putat. — **156.** *vittae deûm*, quibus utuntur in sacrificiis deorum. Vide supra v. 133. — V. **157** sqq. Sino respondet ad Priami verba v. 148. *Fas mihi*, scil. *est*, non *sit*, quod Serv. intelligit. Non enim precatur, ut sibi liceat iura resolvere etc., sed testatur, sibi fas esse. Cf. simillimum locum Lucani X, 194. *Fas mihi magnorum, Caesar, secreta parentum Prodere ad hoc aevi populis ignota profanis* et Stat. Silv. I, 2, 82. *Fas mihi sanctorum venia dixisse parentum.* — *Graiorum sacrata resolvere iura.* Sic *sacrata iura*, i. e. leges sacrae, non violandae, etiam apud Ovid. Met. X, 321., *sacratae leges* ap. Cic. pr. Sext. 7, 16. pr. dom. 17, 43. Off. III, 31, 111. et saepius legitur. — „*Resolvit iura*, qui in ea peccat; Aen. IV, 27. *tua iura resolvo.* Ad iura gentis τῶν Ἑλλήνων communia pertinuisse videtur, consilia et conatus eius barbaris non prodere." *Wund. Iura resolvere* etiam ap. Silium XVII, 77. et alibi invenitur. - **158.** „Sequi debebat: Fas mihi est ex iusto odio in eos omnia arcana (haec sunt: *si qua tegunt*) proferre. Ex inversione agnosces poëtam." *Heyn.* — *ferre sub auras*, i. e. in vulgus efferre, divulgare. Cf. Ovid. Met. XI, 184. *efferre sub auras* et ibid. III, 296. *exierat iam vox properata sub auras.* Vid. etiam infra v. 259. Thiel. confert Graec. ἄγειν ὑπ' αὐγάς, de quo vid. Ruhnk. ad Timaeum p. 265., et Conington comparat Hor. Od. I, 18, 13. *sub divum rapiam.* — **159.** Cum Sino ad Troianos se transiturum semperque inter eos versaturum simulet, nullis porro officiis patriae praestandis se teneri perhibet. *teneri - - legibus* sollemnis formula dicendi. Vid. XII, 819. Cic. Phil. XI, 5, 11. id. Har. resp. 8. Ovid. Met. X, 203. al. et cf. Schütz. in Clav. Cic. s. v. §. 17. Herzog. ad Caes. B. G. IV, 22. et Bach. ad Ovid. l. l. — *nec ullis* fortius quam *nullis*. Cf. Ciris v. 269. *Cui Parcae tribuere nec ullo vulnere laedi.* Cic. Cat. II, 4, 8. *Nemo, non modo Romae, sed nec ullo in angulo totius Italiae oppressus aere alieno.* — **160.** *promissis manere*, ut apud Graecos ἐμμένειν τοῖς εἰρημένοις, τοῖς ὡμολογημένοις cett. (de quo cf. Stallb. ad Plat. Crit. c. 10.), pro magis usitato *stare promissis.* Sic infra VIII, 643. *dictis manere.* Saepius additur Praepos. *in*; velut Nep. Ages. 2. *in pactione manere.* Caes. B. G. I, 36. Cic. Att. VII, 15. etc. Verba *Tu modo promissis maneas* iterantur in Anth. Lat. I, 147, 38. — „*Servata* egregie adiectum, ut, quod *revelaturus sit*, ad Troianorum salutem pertinere videatur." *Heyn.* Respexit h. l. Senec. Epist. 92. *in quolibet rerum habitu servata servat.* — **161.** *si vera feram*, pro vulgari: dicam. Vid. adnott. ad Aen. I, 645. — *si magna rependam*, reddam quasi pro libertate mihi donata, si emero quasi libertatem meam aperiendis insidiis Graecorum. Cf. Schirach. p. 564. *Si* autem consulto ambigue dictum: Troiani putant esse affirmantis (pro *cum* positum); potest vero etiam esse dubitantis (pro *siquidem*). Omnino iam multi observarunt huius iurisiurandi artificium, in quo omnia verba ita sunt composita, ut Sino nihil omnino mentiatur, Troiani autem omnia male intelligant necesse sit.

Omnis spes Danaum et coepti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo
Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes
Fatale adgressi sacrato avellere templo
Palladium caesis summae custodibus arcis
Corripuere sacram effigiem manibusque cruentis
Virgineas ausi divae contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaum, fractae vires, aversa deae mens.

Subest enim haec sententia: Quam vera illa sunt, quae sunt falsa (me hostiam fuisse, aram effugisse etc.), tam vera sunt, quae vobis nunc dicam. Vid. supra ad v. 154. — **162.** „Fabulam instruxit Sinon hunc fere in modum: Equum esse donarium Minervae destinatum ad deam placandam, quod Palladium ex eius templo esset surreptum. Iram enim deae fuisse declaratam prodigiis v. 171—175.; quibus omni Troiae capiendae spe sublata, Calchantem monuisse Achivos, ut domum redirent, et, auspiciis novis captis, Palladium Troiam reveherent, aliamque iterum profectionem pararent. [Vid. tamen infra ad v. 178.] Interea dea, donario equi dicato, acquiescere visa est Graecis. — *Fiducia* idem fere est, quod spes certa; *belli*, de belli exitu; *stetit* pro vulgari: *posita fuit in.*“ *Heyn.* Cf. adnott. ad Aen. I, 646. — **163.** Conington *auxiliis* pro: per auxilia positum censet („*stood by the aid, was kept up by the aid*“) et comparat infra v. 352. *Di, quibus imperium hoc steterat,* Liv. VIII, 7. *disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res,* et XLV, 19. *regnum - - fraterna stare concordia.* — **164—170.** „Palladio rapto fortuna Achivorum mutata est. *Diomedes* h. l. *impius* propter Palladium ablatum.“ *Heyn.* Idem etiam eo, quod numina, Martem et Venerem, vulneravit, impium se ostendit. Cf. infra XI, 277. — *sed enim.* Cf. adnott. ad Aen. I, 19.; et hanc quidem sententiam sic solve: *Sed* ex quo Diomedes et Ulixes (hi *enim* tanti sceleris auctores erant) - - adgressi - - Corripuere sacram effigiem, - - cecidit spes Graecorum. — *scelerum inventor.* Cf. supra v. 125. *artifex.* De Ulixe, cuiusvis doli inventore, cf. Obbar. ad Hor. Ep. I, 2, 19. Ceterum cf. Claud. III. Cons. Hon. 102. *ferus inventor scelerum,* Petron. 79. *iniuriae inventor,* Tac. Ann. IV, 11, 71., *facinorum* et *flagitii repertor,* Epit. Iliad. 527. *fraudis commentor* et Aen. VI, 529. *hortator scelerum.* — **165.** *adgressi avellere,* ut VI, 584. *adgressi rescindere caelum.* — *Fatale Palladium,* quia inde pendet imperii fatum; quare Ovid. Fast. VI, 427. *Aetheream servate deam, servabitis urbem. Imperium secum transferet illa loci.* — *avellere;* Palladium enim catenis vinctum temploque alligatum fuisse, narrant mythographi. Ceterum de Palladii historia cf. Serv. et Heynii Excurs. IV. ** ad h. l. — **167.** *Corripuere,* per vim ceperunt. Cf. Corte ad Sall. Cat. 18, 5. — *manibus* (caede custodum arcis) *cruentis,* quo scelus eorum multo magis augetur. (Cf. infra ad v. 717. adnott.) — **168.** „Gravissime singula; etiam quod *vittas virgineas* deae memorat; nam est nihil aliud, quam *deam virginem* (supra v. 31. *innuptam*) *attingere,* contrectare, manibus impuris. [Vid. infra v. 718—20.] *Vittae* h. l. esse videntur in capite Minervae, et dea sine casside. Inf. v. 296. est Vesta vittata.“ *Heyn.* Memor huius loci Iuven. VI, 50. cecinit *Paucae adeo Cereris vittas attingere dignae.* De diversis matronarum et virginum vittis cf. Turnebi Adverss. XXIII, 5. Interpp. ad Ovid. A. A. I, 31. ad Prop. IV, 11, 34. et Gierig. ad Ovid. Met. I, 477. — **169. 170.** „Ex illo tempore spes Achivorum Troiae expugnandae evanuit, et secunda fortuna est mutata. — *fluere,* diffluere, dilabi [cf. Lucr. V, 281. Cic. Or. 3, 10. de Finn. II, 32, 106. pro Marc. 8, 23. Manil. II, 807. Sen. Cons. ad Marc. 21. etc.]; *retro sublapsa referri* pro vulgari: retro ferri, labi; de mole, quae in altum erat evecta.“ *Heyn.* Wakef. ad Lucr. I, 1038. translationem ex saxi fragmine, quod vetustas subruit, vel ruina qualibet decidente *repetit, Bryce* autem ab homine in loco declivi vel in acervo materiae *exaggeratae* non firmiter insistente, sed sensim delabente, et Conington ab

Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum: arsere coruscae
Luminibus flammae arrectis salsusque per artus

---

homine, qui stans in solido (XI, 427.) undis refluentibus abripitur. Wagn. haec ab aestu maris recedente translata esse censet rectissime. Henry autem (*Class. Mus.* XXI. *Tw. years* II. p. 43. et Philol. XI. p. 602.) *fluere et retro referri* coniunctim per retro fluere explicandum et imaginem non de mole in altum evecta, sed de flumine sumptam putat, coll. Geo. I, 200. *retro sublapsa referri* (ubi vid. adnott.) et Lucr. IV, 425. *omnia ferri et fluere*; (quam tamen sententiam nunc ab eo revocari video.) Inest autem non prorsus evanescentis, sed sensim modo cadentis spei notio, quod bene docet Kappes. II. p. 11 sq. Conington haec opposita censet v. 163. *spes stetit.* — 171—175. „Unde Pallas *Tritonia* dicta sit, iam veteres ignorarunt. E pluribus, quae memorantur, causis maxime probabilis est, quod a τριτώ, quod Aeolibus caput est, sit appellata Τριτογένεια, *capite Iovis nata.* Alii modo ab amne, modo a palude seu Libyae, seu Boeotiae, seu Thessaliae, seu Argolidis ductum nomen esse volunt.“ *Heyn.* Cf. idem Heyn. ad Hom. Il. IV, 515. VIII, 39. et ad Apollod. p. 297. Sed illam etymologiam, quae Heynio maxime probabilis videtur, admodum dubiam, nomenque Τριτογενείας, Tritoniae (Aen. II, 615. V, 704. XI, 483. Ovid. Met. II, 783. V, 250. al.) et Tritonidis (Aen. II, 226. Ovid. Met. II, 794. III, 127. al.) rectius a Tritone, Boeotiae flumine, in Copaidem paludem effluente, repetendum esse, recentiores Viri docti comprobarunt. Cf. Welcker. Prometh. p. 283. not. 494. Voelcker. *Myth. d. Iap. Geschl.* p. 218 sq. Preller *Griech. Myth.* I. p. 148. Nitzch. ad Hom. Od. III, 378. Creuzeri *Symbolik* II. p. 705 sq. Klopferi Lex. mythol. II. p. 264 sqq. et quae ipse in libro meo geogr. I. p. 30. II. p. 827. 835. et in Pauly *Realenc.* VI, 2. p. 2146. exposui. Probe autem discernendae sunt Graecae et Libycae de Tritonia fabulae. Cf. Krause in Pauly *Realencl.* V. p. 45 sq. — *ea signa dedit*: eius rei signa dedit, id significavit (sc. aversam esse mentem suam a rebus Graecorum). Cf. supra v. 75.) III, 504 sq. 660. IV, 237. VI, 153. VII, 595. XII, 468. Wagn. Qu. Virg. XVII, 2, 6. Wopkens. ad Sept. Sev. II, 8. Miscell. Obs. N. T. II. p. 19. et ad Hygin. fab. 106. p. 196. not. 4. Cort. ad Sall. Cat. 52, 8. p. 328. Kritz. ad eiusd. Iug. 54, 4. alii. — *monstra*, ostenta, portenta. Cf. adnott. ad Geo. IV, 554. — 172. *Vix positum - - arsere* pro: et arsere (cf. Aen. II, 692. ibique adnott. III, 8. V, 857. VI, 498. VIII, 520. XI, 296. cum adnott. ad Geo. II, 80.) vel cum arsere (cf. I, 34 sqq. II, 323. XII, 154.). Sic III, 90. *Vix ea fatus eram, tremere omnia visa repente.* X, 659. *Vix proram attigerat: rumpit Saturnia funem.* XII, 650. *Vix ea fatus erat: medius volat* etc. Ovid. Met. II, 47. *Vix bene desierat: currus rogat ille paternos* (ubi vid. Bach.). — „*arsere - - arrectis*, oculi Palladii exarsere ira; *lumina arrecta* exquisitius quam erecta, ut semper poëta, v. c. v. 206. [IV, 280. XII, 618.]; *erigere oculos, vultus*, ut contra *demittere, deiicere.* Porro Palladium sudavit, subsiliit clypeo hastaque mota; quibus ornatus Palladii declaratur.“ *Heyn.* Sudor autem e simulacris vel deorum vel hominum prorumpens malum omen habebatur. Cf. Cic. de Div. II, 27. in. Heins. ad Sil. I, 98. (*vultusque in marmore sudat Elisae*) Freinsh. ad Flor. II, 8, 3. et Ruperti ad Liv. I, 31. p. 87 sq. et ad Geo. I, 480. adnott. Ceterum Wakef. ad Lucr. VI, 1185. epitheto *salsus*, quod temere censet depravatum esse, *clarus* vel aliud eiusdem potestatis vocabulum substituendum esse suspicatur. Sed *salsus* aptissimum sudoris, sanguinis (Ennii Cresph. fr. 8. Attii Epin. fr. 12. Inc. fr. 39.), lacrimarum (Attii Med. fr. 15. Phin. fr. 7. Lucr. I, 125. 919., quorum locorum plurimos Coningtoni debeo: cf. Macrob. Sat. VI, 2. et Nonius X, n. 2.) epitheton; et sudoris quidem salsi causam quaerit Aristot. Problem. II, 3. Ceterum Servius: „Hoc [*salsus sudor*] Ennius de lamis dixit,“ quod Vahlen p. 178. in: „de lacrimis“ emendandum suspicatur. Et sane lamae commemoratio, cui mastiches generi secundum Plin. XII, 17, 36. *lacrima erumpit incisa parte summa*, ab Ennio aliena censenda. Peerlk. temere coni. salsus humor, cum *Servius doceat, „esse indicium* commoti numinis, ne forte in simula-

Sudor iit terque ipsa solo — mirabile dictu —
Emicuit parmamque ferens hastamque trementem.
Extemplo temptanda fuga canit aequora Calchas,
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis numenque reducant,
Quod pelago et curvis secum avexere carinis.

---

cro alter quilibet *humor* intelligeretur.“ Ribbeck. Proleg. p. 144. adnotat: „salsus sudor non displicuisset fortasse critico, si meminisset Sinonem mendacissimum et impudentissimum hominem talia tam putida fingere.“ — *ipsa*, totum Palladium oppositum singulis suis partibus, imprimis *luminibus arrectis* (cf. adnott. ad Geo. II, 297.), quod tamen negat Conington, *ipsa* per „*of herself*“ explicans. — *emicuit*, subsiluit. Cf. V, 319. — **175**. *parmamque ferens* Peerlkampio nimis frigidum videtur; quare coni. *parmam quatiens*. — *trementem*, quia emicat, exsilit. — **176—179**. Dubium est, utrum *Extemplo* cum *canit*, an cum *temptanda aequora* coniungendum sit; illud tamen praestare dixerim. — *Temptanda fuga aequora* pro: in Graeciam revertendum esse. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 32. — „*Omina ni repetant* [pro usitatiore *auspicia ni repetant*: vid. Drakenb. ad Liv. VIII, 30, 2.] *Argis* ductum videtur ab imperatoribus Romanis, qui ad auspicia repetenda ac renovanda Romam nonnumquam ex castris reverti solebant, si v. c. malum omen inciderat. Itaque similiter statuit, esse Achivis Graeciam repetendam, auspicia ibi instauranda, et cum ipso Palladio avecto, ut restituatur in sedem suam, revertendum.“ Haec *Heyn.*, quem Süpfl. et Wagn. in min. edit. non debebant sequi, ut infra videbimus. Weickert. autem l. l. p. 10. Thiel. et Conington amplectuntur I. H. Vossii explicationem, ex qua Graeci iubentur auspicia Argis instituta (*omnia*) eodem loco repetere et voluntatem numinis (*numen*) denuo explorare, quam secuti e Graecia profecti sint. Sed ut Weickerto concedam, Vossianam rationem poëta longe esse digniorem, et *numen reducere* id vere significare posse, quod ille suspicatur (cf. adnott. ad Aen. I, 8.), cum me non fugiat, ipsa auspicia interdum *deos* et *divos* vocari (cf. Hor. Od. IV, 14, 34. Ovid. Trist. II, 173. ibique Interpp.); nemo tamen non videt, quam mire dictum esset: voluntatem divinam secum sive avehere sive advehere navibus; praesertim cum v. 179. non ipsum vatem divino spiritu afflatum, sed Sinonem loqui audiamus, quod Indicativus *avexere* luce clarius demonstrat; et magnam esse totius loci ambiguitatem, cum quivis lector ante omnia de Palladio restituendo cogitet. Contra vero etiam Heynii interpretationi non exigua obstat difficultas. Quomodo enim Calchas de Palladio illo, *vix castris posito*, statim post prodigia ab eo edita tamquam de navibus iam avecto et reducendo potest loqui? Quamvis enim dicas, v. 179. non spectari tempus vaticinii editi, sed id ipsum tempus, quo Sinon Troianis hanc fabulam enarret, quamvis adeo totum v. 179. cum Gossravio (qui in verbis *numen reducant* explicandis Vossium sequitur) et Dietschio (vid. infra) suspectum habeas, restant tamen Calchantis verba *numen reducant*, quae iam ablatum Palladium videntur ponere. Nemini autem Sinon persuadebit, statim post illa prodigia simulacrum navi impositum et avectum fuisse, Calchanta autem tum demum haec cecinisse. Quare nisi sumas, Vergilium hanc fictam Sinonis narrationem consulto ita composuisse, ut homo iste sibi ipse contradiceret, aut ambigua et obscura proferret, vix alia superest via locum expediendi, quam ut statuas, iuberi Graecos a Calchante palladium suis manibus pollutum et *templo avulsum* (v. 165.) in sedem suam reducere, tempore, quo hoc faciendum sit, non accuratius constituto, *numen* autem pro deae simulacro esse positum, quia una cum Palladio etiam ipsa dea discessisse videbatur, cuius numen erat placandum, cuius mens propitia erat revocanda (vid. infra v. 183. et Iahn. ad Aen. I, 8. p. 437. ed. II. coll. adnot. nostra ad Aen. I, 447. et IV, 204.); et versum 179. a Sinone, cuius spreta eventorum veritate (nam Palladium non prius in Graeciam ablatum esse scimus, quam cum Troia *eversa totus rediret* Graecorum exercitus) intersit modo, ut fallat Troianos, *adiici*, *ut eorum animos magis exacerbet et ad equum in urbem recipiendum*

Et nunc quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites pelagoque remenso
Improvisi aderunt. Ita digerit omina Calchas.

---

eo certius commoveat. (Vid. etiam docta de h. l. Kappesii II. p. 12 sqq. disputatio.) Haec fere omnia cum iam in prima edit. disputaverim, non video, qui factum sit, ut Süpflius me cum Thielio Vossianae explicationi album calculum adiicere contenderet. Dietsch. Theol. Verg. p. 7. contra me disputans, et *numen* umquam pro simulacro dei positum esse negans, quamvis vox *dii* sic usurpetur Aen. II, 320., versum 179. simpliciter ut spurium delendum et *reducant* absolute positum censet pro in gratiam reducant s. reconcilient, quod dubito num alii probaturi sint, certe non probaverunt Kappes. l. l. et Haeckerm. in Comm. p. 24. Leniore medicina Ladew. in recentiss. edit. usus est, qui Büchnero suasore (Annot. crit. ad Cic. Or. pro Corn. Balbo hab. P. II. Suerini 1866. p. 12 sq.) versum 179. post v. 183. transposuit; sed ne hoc quidem opus esse arbitror. Verissime enim Wagn. et Haeckerm. l. l. (qui etiam cf. in Expl. Verg. p. 13.) contendunt, etsi numen simpliciter pro statua dici non soleat, numen tamen et praesentiam dei ita cum signo eius coniunctam cogitari, ut recte dicatur et avehi numen et reduci; Ladew. autem memorat, ut exercitus auspiciis habitis cum diis proficisci dicatur, ita etiam *numen placatum* ab eo *reduci* iure potuisse scribi. Ceterum Peerlk., cui poëta indignus videtur v. 179., satis audacter coni. *Quod pelago turpi secum avexere rapina*, quod commentum recte reiicit Freudenb. p. 24. — *pelago et curvis carinis.* Vid. adnott. ad Ecl. III, 34. et Aen. II, 86. — *Curvis carinis*, νηυσὶ κορωνίσιν, legimus etiam Geo. I, 360. Cf. praeterea Aen. VI, 4. *curvae puppes.* — Pro *avexere*, plurimorum (26 Henrici) et optimorum Codd. lectione, alii (13 Henrici) Codd. deterioris notae exhibent *advexere*, quod Ladew. prius receperat, postea vero cum ceteris editoribus recte reiecit. (Cf. etiam Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 54., qui tunc potius *advexerant* scribendum fuisse memorat, domum autem reditionem Graecorum a Sinone consulto bis commemorari, quo magis prematur.) Non enim probare possum, quod Henry in Philol. XI. p. 602. retractans partem eorum, quae in *Tw. years* II. p. 44 sq. scripsit, nunc defendit lectionem *advexere* totumque locum Palladii nulla omnino ratione habita sic interpretatur: Nisi Graeci *numen*, i. e. favorem deorum, quem secum e patria Troiam attulerunt, sed Ulyxis et Diomedis culpa amiserunt, *reducant*, i. e. ominibus Argis repetitis sibi rursus concilient. (Video tamen haec quoque a viro doctiss. nunc improbari, qui quod hodie de hoc loco statuat, nescio.) — **180. 181.** „Et nunc quod in Graeciam redierunt, hoc eo pertinet, eo consilio factum est, ut parent — sed poëta exquisite medium orationis membrum neglexit [vel potius, quae Wunderl. est sententia, brevitatem exquisitam secutus est]." *Heyn.* Ceterum verissime docet Wagn., eam esse horum enuntiatorum naturam, ut *parant* et *aderunt* manifesto apodosis ad *quod petiere* relatae rationem praese ferant. Comma, vulgo post *nunc* positum, iam in altera edit. Peerlkamp. secuti omisimus. — *quod*, i. e. *quod attinet ad id, quod*, etiam pedestribus scriptoribus satis frequentatum. Cf. Heins. ad Ovid. Her. XVII, 51. Ruhnk. ad Ter. Heaut. Prol. 16. Huschk. ad Tibull. I, 5, 47. Goerenz. ad Cic. Finn. I, 21, 71. et de Legg. II, 12. Kühner. ad Cic. Tusc. III, 30, 73. Ochsner. Ecl. Cic. p. 278. alios. — Verba *vento petiisse Mycenas* iam legimus supra v. 25., ubi vid. adnott. — **181.** *arma parant*, opes et copias bellicas instaurant, *deos parant comites*, sacris factis placatos. Vid. supr. I, 360. Henry haec verba versus 178. ratione habita, quem quomodo explicet, supra vidimus, idem significare censet, quod: nunc numen reducunt. — **182.** *Improvisi aderunt.* „Artificiose: neque enim mentitur et tamen decipit: nam verum metum falso metu abigit, ut dum reversuros timent, non timeant, ne non abierint." Haec Servius. Cf. Gron. ad similem Livii locum I, 52. Ceterum animadverte longam vocalem praecedente syllaba longa, *ut saepe, elisam.* Cf. Aen. IV, 411. VIII, 361. XI, 862. *etc. et quae de elisione diphthongi ae* ad Aen. X, 179. adnota-

Hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso
Effigiem statuere, nefas quae triste piaret.
Hanc tamen inmensam Calchas attollere molem
Roboribus textis caeloque educere iussit,
Ne recipi portis aut duci in moenia posset,
Neu populum antiqua sub religione tueri.

---

vimus. Horatii aliquot locos huc pertinentes collegit Orell. ad Sat. I, 9, 30. — *Ita digerit omina;* omen v. 172 sqq. commemoratum interpretatur et docet, quo quidque ordine secundum illud faciendum sit; nam distribuendi atque ita ordinandi notio ubique inest *digerendi* vocabulo. (Cf. infra III, 446.) Simili ratione ap. Ovid. Met. XII, 21. *Calchas novem volucres in belli digerit annos.* Pro *ex ordine narrare* legitur *digerere* v. c. Cic. Or. I, 41, 186. et Liv. II, 21, 4. — Pro *omina* pauci quidam Codd. deterioris notae exhibent *omnia*, satis languide. — 183. *pro Palladio,* loco Palladii in Tenedum insulam avecto. „Interea *moniti,* Calchantis monitu [cf. v. 185.], Palladii vice, quo rapto deae sibi iram conflavere, ad sacrilegium expiandum, *hanc effigiem,* hoc equi signum, statuerunt.“ *Heyn. Numen* tamen *laesum* non solum est raptum, sed etiam pollutum, impuris manibus contrectatum, contaminatum. Cf. Wunderl. ad Tibull. I, 3, 79. Quare non erat, cur Dietsch. l. l. scriberet: „Igitur donec demonstraverint, *laedere* idem esse ac *rapere*, ego hoc dici putabo: Hanc effigiem pro Palladio (scil. rapto) proque laesa eo divina potentia Palladis statuere;“ quocum tamen etiam Henry *Tw. years* II. p. 46. consentit, *numen* per „*the divine will, sanction, majesty*“ explicans. Ceterum cf. adnott. ad Aen. I, 447. *Piare* autem pro expiare, ut supra v. 140. Ovid. Fast. III, 291. 311. Sil. VI, 821. XVII, 565. al. Peerlk. comparat Ambros. Epist. I, 18, 17. *fames, quae triste piaret nefas.* „Quid Achivos adducere potuerit, ut equum Palladi consecrarent, ignoramus. Sinonis autem dolos hoc fere modo concinnatos esse puta: Achivos ait fraudem hanc machinatos esse, ut Troiani vicissim ad sacrilegium committendum pellicerentur, donario Minervae violato; quo facto iram deae in eos versum iri. Ne tamen equus pro donario ab ipsis in acropoli in Palladis templo collocari posset, eum in tantam magnitudinem exstructum esse, ne in urbem recipi posset. Ea nunc se Troianis prodere velle, ut in rem suam vertant; nam, ducto equo in Palladis templum deam tantum Troianorum studium esse suscepturam, ut non modo urbem tueatur, verum etiam ut Troiani vicissim Achivos bello sint petituri.“ *Heyn.* — 185. *Attollere* de celsis, magnificis aedificiis legitur praeterea III, 134. Plin. XXXVI, 5. Iuven. XIV, 95. (ubi eadem, qua hic, constructione: *dum meliore novas attollit marmore villas*: cf. etiam supra adnott. ad Aen. I, 655.) et alibi. — *immensam molem.* Cf. v. 32. 150. et Sen. Agam. 626. *vidimus simulata dona molis immensae.* — 186. *caelo educere,* tantum facere, ut caelum attingere videatur. Redit haec locutio VI, 178. De Dativo *caelo* pro *ad caelum* posito vid. adnott. ad Ecl. II, 30. (et Geo. II, 306.) — 187. Respondent sibi *Ne* et *Neu, aut* vero distinguit modo Verba *recipi* et *duci* tamquam duo membra eiusdem sententiae. Cf. etiam adnott. ad Aen. I, 414. — *posset.* Sic Pal., Gud. et Bern. II. a m. sec., quos cum recentissimis editoribus praeter Wagn., Süpfl. et Bryceum nunc secutus sum; fragm. Vat., Med., tres Bern. (I. et II. a m. sec.) *possit,* quod illi editores retinuerunt. (Cf. Wagn. in Philol. Suppl. I, p. 215.) Coniunctivo Praesentis haec verba tamquam Sinonis cogitatio proferuntur; si vero *possent* legimus ad Calchantis consilium pertinent, quod aptius videtur. Facile autem *posset* in *possit* mutari poterat propter simile verbum *iussit* in fine superioris versus positum. — 188. *antiqua sub religione tueri,* ne effigies eadem religione culta, qua antea Troiae Palladium cultum erat (ideoque *antiqua rel.*), populum huic religioni *quasi subiectum,* plane deditum, tueatur; quod certe equus ille, quamdiu nondum in urbem receptus erat, ex veterum opinione non poterat. Cf. etiam quae ad Aen. I, 23. adnotavimus, Serv. ad Aen. IV, 458. et Burm.

Nam si vestra manus violasset dona Minervae,
Tum magnum exitium — quod di prius omen in ipsum
Convertant! — Priami imperio Phrygibusque futurum;
Sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem,
Ultro Asiam magno Pelopea ad moenia bello
Venturam et nostros ea fata manere nepotes."
Talibus insidiis periurique arte Sinonis
Credita res captique dolis lacrimisque coactis,

---

ad Val. Fl. VIII, 8. — **189.** *violasset.* Vid. supra ad v. 94. adnott. — *dona Minervae,* i. e. Minervae oblata. Cf. Phaedr. IV, 15, 5. et vid. adnott. ad v. 31. (et 36.) Sic etiam Pentadius in Wernsd. Poët. L. min. III, 264, 13. equum Troianum vocat *munus Palladium.* — **190.** *exitium - - futurum.* Infinitivus cum Accus. pendet a notione dicendi, quae latet in verbo *iussit* v. 186. posito; de qua re satis nota cf. Perizon. ad Sanct. Min. IV, 5, 7. p. 222. Goerenz. ad Cic. Acad. II, 45, 138. Bremi ad Nep. Ages. 6, 2. Walch. Emendd. Livv. p. 268. Moebius ad Caes. B. G. I, 30. Cort. et Kritz. ad Sall. Cat. 21, 3. Zumpt. §. 620. multique alii. — *quod di - - convertant.* Mala omina et exsecrationes in hostes convertendo a se avertere posse veteres opinati sunt; quod Thiel. docet coll. Interpp. ad Soph. Phil. 1120. Ruhnk. ad Ter. Eun. IV, 3, 13. Mitscherl. ad Hor. Od. I, 21, 13 sqq. Voss. ad Geo. III, 513. p. 660. Ovid. Am. III, 11, 16. Eleg. ad Liv. Aug. 450. — **192—194.** „Sin a vobis in urbem inductus esset equus, Troianos, conversis fatis, Argos esse bello petituros et excisuros." *Heyn.* — *in ipsum,* in Calchantem. — *ascendisset in urbem.* Cf. infra v. 237. *scandit fatalis machina muros.* — **193.** *Ultro,* sponte sua, non lacessitam, non provocatam. Opponitur enim bellum, quod Troiani posteris eorum Graecorum, qui nunc ad Troiam pugnent, ultro illaturi sint, huic bello, quod a Graecis coacti seque modo defendentes gerant. Cf. X, 312. (Prius cum Wagn. Qu. Virg. XXVII, 2., qui tamen postea ipse sententiam mutavit, *ultro* hic et XI, 286. pro Graec. περαιόθεν positum de hoste ex ulteriore loco veniente intelligendum esse perperam censui.) — *Asiam,* Asiae gentes, Troiani cum sociis suis. Vid. adnott. ad Ecl. I, 62. (ubi addi possunt Aen. X, 365. et XII, 232.) — *Pelopea ad moenia,* Argorum et Mycenarum. *Pelopea* autem pro *Pelopeïa,* ut Prop. IV, 18, (III, 19), 20. *Pelopea domus,* ibid. V, (IV,) 6, 33. *Pelopeus Agamemnon,* Stat. Theb. X, 749. *Pelopea Phalanx,* Lucan. VII, 778. *Pelopeus Orestes* etc. Cf. de his Adiectivis ab nominibus propriis in *eus* formatis *Cephēus, Thesēus, Achillēus, Persēus,* et similibus Bentl. ad Hor. Sat. I, 2, 90. Burm. conferri iubet Lutat. ad Stat. Theb. I, 225. — **194.** *nostros ea fata manere nepotes,* „i. e. fore, ut nostris nepotibus id acciderет, quod vobis fore ut accideret, Calchas dixerat." Haec Wagn. Qu. Virg. XVII, 2, b. Vid. supra ad v. 171. *Manere* pro exspectare s. futurum esse legitur etiam VII, 596. X, 438. XII, 61. et alibi. Cf. etiam similis locus III, 505. *maneat ea cura nepotes.* — **195.** *Talibus insidiis,* cum addatur *periuri arte,* non tertium, sed sextum Casum s. Ablativum instrumenti, quem vocant, esse patet, ut sensus sit: talibus insidiis adhibitis, vel per has insidias effectum est, ut res crederetur. Vid. supra ad v. 145. — **196.** *lacrimis coactis* Heins. ex optimis Codd., Servio, Donato ad Ter. Eun. I, 1, 22. et Nonio p. 253, 22. restituit pro vulg. *coacti* (quod exhibent Gud. a m. sec. et quidam Nonii Codd.). *Coactus* enim de omnibus rebus dicitur, quae non sunt naturales, nativae, sed studiose affectatae; quare, ut hoc exemplo utar, ap. Quinct. Inst. IX, 4. extr. legimus: *Ut numeri sponte fluxisse, non arcessiti et coacti esse viderentur.* Ita *lacrimae coactae* hic, ap. Ovid. Met. VI, 628. (sicut *humor coactus* ap. Iuven. XIIII, 133.) et in Anth. Lat. I, 178, 333. sunt simulatae, (ut nos *hervorgepresste Thränen*). Thiel. comparat Ter. Eun. I, 1, 22. *falsa lacrimula, Quam oculos terendo misera vix vi expresserat,* et Prop. I, 15, 39. *Quis te cogebat - - fletum invitis ducere luminibus?* Magis etiam huc pertinet Ovidii locus Am. I. 8, 83. *discunt oculi lacrimare coacti.* Conington com-

Quos neque Tydides nec Larissaeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinae.
Hic aliud maius miseris multoque tremendum
Obicitur magis atque inprovida pectora turbat.

---

parat Aesch. Agam. 794. *ἀγέλαστα πρόσωπα βιαζόμενοι*. -- „*Achilles Larissaeus* simpl. Thessalus; nam Larissa [Pelasgiotidis Thessalicae urbs ad Peneum sita, etiamnum antiquo nomine, apud Turcas autem *Yeni scheher* appellata: cf. liber meus geogr. III. p. 886.] tum non Achilli parebat, sed Letho, et a Pelasgis habitabatur. Vid. Hom. Il. II, 840 sqq. — *mille carinae*, ut IX, 148. numero paullo liberius expresso, ut solent poëtae. Vid. Popium ad Iliad. II. Barnes. ad Eurip. Androm. 106. Munck. ad Hygin. f. 97. Wernsdorf. ad Poëtt. Latt. minn. T. IV. p. 645.“ *Heyn.* Adde Bach. ad Ovid. Met. XII, 7., ubi pariter *mille rates* Graecorum in bellum Troianum proficiscentium commemorantur, ut in Wernsd. Poët. L. min. III, 223, 65. legimus *Graecia coniurat repetendam* (Helenam) *mille carinis* et in Anth. Lat. I, 99, 3. *Troiam peterent cum mille carinis*. Conington confert Aesch. Agam. 45. *στόλον Ἀργείων χιλιοναύταν*. Secundum Hom. Il. II, 494 sqq. omnino erant 1186. Sed *mille* saepissime pro numero rotundo ponitur. Cf. etiam Varro R. R. II, 1. *Si numerus non est ad amussim, ut non est, cum dicimus mille naves iisse ad Troiam*. Ceterum *neque - - neque - - non - - non* eadem ratione sibi respondent Geo. I, 395. Cf. etiam Ovid. Her. IX. 15. — **199.** „Sequitur locus de *Laocoonte*, in quo animadvertendum, quam accommodate poëta omnia ad *terrorem*, quem hoc ostentum Troianorum animis non potuit non iniicere, extulerit. Cf. v. 228 sq. et Excurs. V. ad h. v. Homerici loci Il. II. 305 sqq., ubi Nestor ostentum Achivis in Aulide morantibus obiectum memorat, simile est exordium. Vid. Herderi *Crit. Wälder*. P. I. p. 98 sqq.“ Haec *Heyn.*, qui in Excursu illo de Laocoonte scripto suspicatur Vergilio in hac fabula Euphorionem ante oculos positum fuisse, quem quanti fecerit poëta noster, iam ad Ecl. X, 50. vidimus. (Cf. etiam Serv. ad h. l.) Et sane Vergilii narratio differt ab iis, quae Sophocles in tragoedia sua (cf. imprimis eius fr. 343. Nauck.) aliique scriptores de Laocoonte tradunt. Enumerationem multorum virorum doct., qui de hac fabula recentioribus temporibus scripserunt, vid. in Pauly *Realenc.* IV. a 760., ubi Preller doctissime de Laocoonte disputat. Ceterum Henry (*Class. Mus.* XXI. *Tw. years* II. p. 47. et Philol. XI p. 603.) verissime observat, hac tota narratione symbolice significari Troiae eversionem; venire enim serpentes a Tenedo, unde etiam classis Graecorum advecta sit, corripere sacerdotem, qui repraesentet religionem et deos Troianorum, quos Graeci expellant, et considere in arce, quam Graeci occupent; praeterea etiam singulis dictionibus, quibus poëta de serpentibus utatur (*ad litora tendunt* v. 205., *agmine certo* v. 212. etc.) hanc allegoricam comparationem cum classe et exercitu Graecorum Troiae exitium ferente adiuvari. In *Tw. years* autem et Philol. ll. ll. addit etiam Petron. c. 89. v. 35. [Wernsd. Poët. L. min. IV, 758.], ubi *strepitus* serpentum cum *remorum sono et tumida* eorum *pectora* cum *altis ratibus* comparentur. — *Hic* i. q. tum. Vid. adnott. ad Aen. I, 728. — *aliud*, alia res, respectu habito Sinonis v. 57 sqq. apparentis; sic autem haec verba construas: *aliud maius multoque magis tremendum miseris obiicitur*. Cf. similis locus XII, 244 sq. et Val. Fl. II, 209. locum nostrum imitatione sic exprimens *Hic aliud Venus et multo magis ipsa tremendum Orsa nefas*. — *obiicitur*, ut de ostentis et rebus miris vel inopinatis, pro *evenit*. — **200.** *inprovida pectora* Wund. interpretatur per: „Troianos credulos, a Graecorum dolo sibi non caventes.“ Equidem prius locum cum Heynio, Vossio, Weickerto p. 10. et Wagnero per prolepsin Adiectivi explicavi: turbat pectora ita, ut improvida fiant; ita enim haec res consternavit Troianos, ut omissa omni cautione id facerent, quod Sinon optabat. *Nunc vero cum* Kappesio II. p. 16. Haeckermanno in Comm. p. 25. et *Zeitschr.* etc. XIX. p. 51. Ladewigio et Conington (qui epitheton ad solam *mentis caliginem* Troianorum refert) simpliciter interpretor: quae hoc non

Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
Sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
— Horresco referens — inmensis orbibus angues
Incumbunt pelago pariterque ad litora tendunt;
Pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque
Sanguineae superant undas; pars cetera pontum
Pone legit sinuatque inmensa volumine terga. ;

---

exspectaverant, coll. Cic. pro Lig. 6, 17. *Fatalis quaedam calamitas incidisse videtur et improvidas hominum mentes occupavisse.* Henrico autem (*Tw. years* II. p. 48. et Philol. XI. p. 604.) *improvida* modo adiectum videtur, ut notionem verbi *turbare* pleniorem efficiat, quod recte improbat Kappes. l. l. et Henr. nunc ipse retractat. — *pectora*, ut supra I, 567. Ceterum verba *atque improvida pectora turbat* iterantur in Anth. Lat. III, 81, 9. — 201. „*Ductus sorte.* Vel ex historiis hoc habuit; interempto enim Neptuni sacerdote, ex aliis, ut mos erat, sacerdotibus Laocoon, qui Apollinis Thymbraei erat, sorte obtingente, Neptuni sacra curavit, ut narrat Serv. ex Euphorione; vel unum sacerdotii adipiscendi modum e pluribus posuit, ut poëta. Quod autem in his adiunctis paullo copiosior est, ex eo artem poëtae agnosce; facit enim exspectationem.“ *Heyn.* Cum autem *sortes ducantur* (cf. infra VI, 22. Cic. Div. I, 18, 34. II, 33. in. cett.), etiam qui sorte constitutus est sacerdos, ipse *ductus* vocatur. Cf. Tac. Ann. I, 54. XIII, 29. Sall. fragm. ap. Serv. ad h. l. (*Sorte ductus fusti necat*) et infra V, 498. Ceterum secundum Hygin. fab. 135. Laocoon non Neptuni, sed Apollinis erat sacerdos. — 202. „*Aras sollemnes* dixit, ad quas sollemne sacrificium parabatur; ut *sollemnis Circus*, in quo sollemnes ludi habentur, Ovid. Fast. V, 597., *sollemnia theatra* Art. I, 133., *campus sollemnis* Claudian. de VI. Cons. Hon. 5.“ *Heyn.* *Arae* autem pro ara, ut saepe, v. c. III, 65. Cf. Orell. ad Hor. Od. I, 14, 7. et adnott. ad Aen. VIII, 98. „Ceterum, quod in prima statim Troiani exsultatione de sacro Neptuno faciendo cogitasse feruntur, mirum videri potest. Sed Neptunus cum Apolline Troiae tutela est habitus; etsi Homerus solum Apollinem memorat. Illi itaque soluta obsidione sacra parantur χαριστήρια, et quidem in ipso litore, ut etiam ap. Hygin. 135. *ut sacrum faceret Neptuno ad litus;* et sic apud Homerum Neptuno sacra fiunt.“ *Heyn.* Cf. etiam infra III, 21. *Caelicolum regi mactabam in litore taurum.* — Cum v. 203 sqq. cf. Petron. Troiae halos. in Wernsd. Poët. L. min. IV, 758, 29 sqq. *Ecce alia monstra. Celsa qua Tenedos mare Dorso repellit - - - angues orbibus geminis ferunt Ad saxa fluctus* etc. — *gemini*, duo, ut saepe apud poëtas. Vid. adnott. ad Aen. I, 162. — *a Tenedo, in der Richtung von T. her*, i. e. ab ea regione, in quam Graeci se fugisse simulabant (cf. supra v. 21 sqq.); nam angues hic sunt signum periculi a Graecis renavigaturis imminentis. Quint. Smyrn. 443. et Lycophr. 347. serpentes a Calydnis, duabus parvis insulis iuxta Tenedum (ab Homero Il. II, 677. commemoratis: cf. liber meus geogr. II. p. 162. cum nota 22.) venisse tradunt. Ceterum cf. adnott. ad v. 199. — *per alta*, scil. maria, quod Substant. non solum a poëtis (vid. supra I, 3. 34. 126. Geo. I, 324. 443. etc.), verum etiam a pedestribus (velut Cic. Finn. IV, 23, 64. Caes. B. G. IV, 24, 28. cett.) haud raro omitti constat. Quid quod posteriores poëtae etiam Adiectivum addere non dubitabant? Cf. Avien. descr. terr. 84. *boreali ab alto.* Raro autem Pluralis huius vocis pro Singulari ponitur. — 204. Verba *Horresco referens* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 16. et I, 178, 322. — *incumbunt pelago*, pro innatant, sed cum significatione magnitudinis et ponderis, quo mare quasi premunt. Vid. adnott. ad Aen. I, 84. et similem Ovidii locum Met. IV, 690. *veniens immenso bellua ponto Eminet et latum sub pectore possidet aequor.* Imitatur autem hunc locum Nemes. de laud. Herc. 30 sqq. in Wernsd. Poët. L. min. I, 285. — *pariter, simul, pari conatu*, coniunctim, quod, praesertim si *tranquillum mare cogitamus*, horrorem rei mirum quantum auget.

Fit sonitus spumante salo: iamque arva tenebant
Ardentisque oculos suffecti sanguine et igni
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Auctor centonis Verg. in Wernsd. Poët. L. min. VI, 84, 10. hunc locum paulo mutatum sic repetit: *Incedunt pariter, pariterque ad limina tendunt.* — *pectora arrecta*, ut infra XI, 496. *cervicibus arrectis*. Cf. etiam I, 152. II, 173. IV, 280. X, 726. XII, 618. — „*iubae sanguineae*, φοῖται, rubentes hydrorum — nam hoc genus supplendum — barbae seu comae. Ap. Homer. Il. II, 308. δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινός.“ *Heyn*. *Sanguineus* i. q. purpureus, ruber. Vid. adnott. ad Ecl. X, 27. Angues iubati etiam a Plauto Amph. V, 1, 56. (ubi vid. Taubm.) et Livio XLIII. 13. commemorantur; Plin. vero XI, 37, 44. scribit: *Draconum cristas qui viderit non reperitur* (quod adnotat Conington.). — *superant* pro vulg. *exsuperant* cum Wund., Iahnio et Wagnero ex omnibus fere Codd. restituimus (in quo nos secuti sunt posteriores editores). *Exsuperant* Wagnero ortum videtur „e praegressa vocali, quae, cum citatius hic currant numeri, facile decipere potuerit librarium dictantis verba calamo excipientem.“ *Eminendi* significatio *superandi* verbo inest etiam v. 219.; et Accus. Obiecti adiicitur etiam Ovid. Met. I, 317. *superatque cacumine nubes* - - *Parnassus*. In eo autem, quod vox *superant* paullo post v. 219. redit, non haerendum. Cf. adnott. ad Aen. I, 429. — „*legit pontum* egregie de vestigiis incessus lenis vel tractus in superficie.“ *Heyn*. *Legere* enim haud raro significat locum aliquem tarde et lente peragrare, permeare (cf. Aen. XII, 481. *Aeneas legit orbes* (viae). Ovid. Met. V, 578. *saltus legere*. Senec. Med. 791. *luna caelum legit*); imprimis dicuntur naves *mare, aequor legere* (cf. Aen. III, 127. 706. Ovid. Met. XV, 709. Fast. IV, 289. 566. Prop. IV, (III,) 22, 12. cett.); quare hic de serpentibus per aquam natantibus. — *Pone* (i. e. tergo: vid. ad Geo. IV, 487.) *legit sinuatque*, i. e. pone legit sinuans. Cf. quae ad Ecl. VI, 20. VIII, 97. infra ad v. 224. 353. et alibi adnotavimus. Hanc autem lectionem *sinuatque* pro vulg. *sinuantque* ex Med., Pal., Gud., duobus Bern. et Lips. alt. cum Wagn. restituimus, qui Qu. Virg. VIII, 2, *a*. docet, Pluralem ex subiecto Plurali Nominis ortum esse ipsumque orationis nexum requirere Singularem. ad voc. *pars* referendum; cum haec sibi invicem respondeant: „Pectora, anteriorem partem, angues per mare invecti excelsa tenent, et pars cetera, posterior, in magnos sinus [spiram, orbem] est collecta.“ Ceterum cf. Ovid. Met. III, 42. (serpens) *immensos saltu sinuatur in arcus*. ibid. IX, 64. (anguis) *flexos sinuavit corpus in orbes* et Lucil. Aetna 47. *Squameus intortos sinuat vestigia serpens*. Peerlk. sine idonea causa locum sic mutandum censet: *iubaeque Sanguineae superant; undans pars cetera pontum Pone legit, sinuatque in mille volumina terga*. — „*Fit sonitus*, ut ostenderet serpentum magnitudinem, quorum in lapsu fluctus movebatur.“ Haec *Servius*. Cf. Ovid. I. l. v. 688. *unda Insonuit veniensque* etc. — *arva* pro littore. — 210. *suffecti oculos sanguine*, oculis suffusis sanguine, rubentibus et ardentibus. Cf. infra IV, 643. VII, 399. et Ovid. Met. VIII, 284. De voc. *suffectus* vid. Val. Fl. II, 105. *maculis suffecta genas*, coll. cum I, 821. *suffecta leto lumina*, et de constructione infra ad v. 273. — *ora sibila*, ut Geo. III, 421. et Aen. V, 277. *colla sibila*, συρίζοντα. Cf. Lucan. IX, 630. *illic e faucibus angues Stridula vibratis fuderunt sibila linguis*. Silius II, 586. *Ignea sanguinea radiabant lumina flamma, Oraque vibranti stridebant sibila lingua*. Wold. Ribbeck. addit Pelag. de arbitrii libert. p. 580. *palam sibilant impiique serpentes vibrantibus infecta linguis ora lambentes*. Heyn. conferri iubet Hesiod. Theog. 826. Scut. 235. et de ipso serpente, qui hic commemoratur, Quintum XII, 456. ἐπεσμαράγησε δὲ πόντος Νισσομένων, καὶ κῦμα διΐστατο· τοὶ δ' ἐφέροντο, Αἰνὸν λιχμώοντες. — *vibrare* verbum propr. de volubilitate linguae serpentum. Cf. praeter locos modo laud. Lucr. III. 657. *lingua vibrante, minanti Serpentis cauda* etc. Val. Fl. I, 61. *draco multifidas linguas vibrans*. Plin. H. N. XI, 37, 65. *Tenuissima serpentibus* (lingua) *et trisulca, vibrans, atri coloris* etc. et Oudend. ad Lucan. I.

Diffugimus visu exsangues. Illi agmine certo
Laocoonta petunt; et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Inplicat et miseros morsu depascitur artus;
Post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem
Corripiunt spirisque ligant ingentibus; et iam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum

---

658. Idem Geo. III, 439. significat *micare*. „Ceterum similes de ingentium draconum allapsu plures sunt poëtarum loci (cf. Cerda), v. c. de draconibus ab Hercule puero et a Cadmo interremptis cett. Ex Vergilio hausere Manil. V, 580 sqq. Ovid. Met. IV, 688 sq. Val. Fl. II, 497 sqq. Silius II, 584 sqq. imprimis VI, 149 sqq. et de eodem monstro, de quo noster agit, Petron. c. 89. v. 29 sqq. Adde Stat. Theb. 506 sqq.“ *Heyn.* Cf. etiam Lessingi Laocoon p. 55 sqq. et Schirach. p. 469. — 212. *exsangues*, pallidi, semianimi. Sic etiam alibi *exsanguis* de iis, qui metu sunt perculsi. Cf. Ovid. Met. IX, 224. *exsanguis metu.* Cic. har. resp. 1, 2. *Exsanguis atque aestuans se ex curia repente proripit.* Auctor carm. in Anth. Lat. I, 14, 11. haec verba sic iterat: *Diffugiunt visu exsangues.* — *agmine certo*, i. e. in certum scopum directo; recta via a destinato scopo non aberrantes Laocoonta petunt, ut Aen. XI, 767. *certam hastam*, Hor. Od. I, 12, 23. *certam sagittam*, Val. Fl. I, 366. *certa iacula* legimus. Conington observans, quam apte sibi opponantur verba *diffugimus* et *agmine certo petunt*, comparat Lucan. IX, 721. *semper recto lapsurus limite Cenchris.* *Agmen* autem de lapsu, tractu serpentum etiam infra V, 90. et Geo. III, 423. legitur. Videtur hunc locum respexisse Val. Fl. V, 354. *certo ceu me petat agmine.* — *miseros artus*, i. e. miserorum artus. Vide tamen adnott. ad Aen. I, 4. Vir doct. in Miscell. Obss. T. I. p. 29. temere coniecit *teneros artus.* — 215. *Inplicat*, circumdat spiris (vid. infra v. 217.). Cf. Ovid. Met. IV, 362. *nitentem contra elabique volentem Inplicat, ut serpens.* — „*morsu depascitur, ἐπινέμεται*, proprie de eo, qui devorat (sic poëtae, *morsu lacerare, consumere*); h. l. ornate pro mordet: neque aliter intelligendus Lycophronis *παιδοβρὼς Πόρκης.*“ *Heyn.* Neque hic simpliciter est *mordet*, sed morsu consumit, exhaurit. Cf. Geo. III, 458. Verba *morsu depascitur artus* repetuntur in Anth. Lat. I, 168, 23. Memores autem huius loci fuerunt Claud. Idyll. III, 11. et *vivos impune ferox depascitur artus* et Sympos. in Wernsd. Poët. L. min. VI, 536, 2. *Frondicomam subolem morsu depascor acuto.* — 216. *auxilio subeuntem.* Sic Petron. in Wernsd. Poët. L. min. IV, 762, 59. de eodem Laocoonte: *Accumulat ecce liberûm funus parens, Infirmus auxiliator.* Coningtoni incertum est, utrum *auxilio* Ablat. instrum. aut Dativus sit; mihi de Dativo non videtur dubitandum. Cf. Aen. I, 22. — *tela ferentem*, cum telo in manu adproperantem. Peerlk. haec adnotat: „Haec et alia in Laocoonte Vaticano non conspiciuntur. Neque Vergilius ex istis imaginibus praeclaros versus fingere potuit. Nam aetatem Plinii non superare videntur (?). Docta et elegans de isto Laocoonte est Disputatio L. I. F. Ianseni. Leidae a. 1840.“ — 217. *spiris ingentibus. Spira* (*σπεῖρα*) de variis rebus sinuatis et incurvatis dicitur, de basi columnarum, de genere operis pistorii, de ornamento quodam capillorum etc. De sinuosis serpentum flexibus legitur etiam Geo. II, 154. et Aen. XII, 848. Similiter apud Lactant. Op. D. 11. p. 255. Bip. *intestinorum multiplices spirae* commemorantur. Henry (*Tw. years* II. p. 52. et Philol. XI. p. 62.) recte distinguit inter *spiras* (*spirale Windungen*) serpentum erectorum et Laocoonta circumplicantium atque *orbes* eorum aquae innatantium (supra v. 204.) vel humi cubantium. — „*bis circumdati collo squamea terga*, cum corpus et collum eius, h. e. omnino superiorem corporis partem, tractibus corporum suorum bis circumdedissent, super eius caput eminent, emicant capitibus suis.“ *Heyn.* De constructione *circumdati terga* vid. ad Ecl. I, 54. et alibi adnott., de tmesi autem ad Ecl. VI, 6. Geo. III, 381

Terga dati superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos
Perfusus sanie vittas atroque veneno,
Clamores simul horrendos ad sidera tollit,
Qualis mugitus, fugit cum saucius aram
Taurus et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones

Aen. II, 567. etc. — 219. *capite*, scil. suo; si enim de Laocoontis capite cogitari voluisset poëta, scribendum erat *caput*. Cf. Voss. p. 204. Ladew. coll. Aen. I, 579. VII, 392. IX, 721. X, 334. Singularem ita explicat, ut cogitandum sit capita utriusque serpentis eadem altitudine sublata super Laocoontis caput ita sibi vicina esse, ut unum videri possint. — 220. *simul - - simul.* Vid. ad I, 513. — *tendit divellere.* De hac constructione cf. Markl. ad Stat. Silv. II, 6, 70. Barth. ad Prop. I, 4, 15. Schmid. ad Hor. Ep. I, 19, 16. Orell. ad eiusd. Ep. I, 10, 20. et vid. Aen. V, 155. X, 354. Hor. Od. III, 4, 51. Ep. I, 7, 31. II, 2, 57. etc. — *nodos*, quibus ligant sacerdotem, i. q. antea *spirae*. Cf. Ovid. Met. IV, 491. (Erinys) *Nexa - vipereis distendens brachia nodis*, et infra VIII, 260. *Cacum corripit in nodum amplexans*, i. e. brachiis quasi nodum stringens. (Vid. etiam supra I, 296.) — 221. Maxime ad horrorem facit, quod *vittas*, infulas sacerdotis (cf. X, 537.), commemorat, quae imprimis sacrae et inviolabiles habebantur. *Sanies* hic salivam veneno tinctam videtur significare, ut ap. Lucan. IX, 770. 783. 794. sanguinem venenatum. — *altro veneno.* Vid. adnott. ad Geo. II, 130. — 222. De *clamoribus* Laocoontis, a quo, cum neque heros sit, neque philosophus Stoicus, doloris victi questusque repressi laus aliena, singularem Excursum (VI. ad h. lib.) scripsit Heyn. — 223. Cf. similis comparatio ap. Hom. Il. XX, 403 sqq. Dubium est, utrum *Qualis mugitus* sit Accus. Plur., ad quem ex superiore versu *tollit* repetendum, an Nomin. Sing. omisso verbo *est*. Equidem cum Heynio et Wagnero priorem rationem sequor, quae mihi non solum simplicior, sed etiam aptior videtur, cum *clamoribus* bene respondeant *mugitus* Plur. numero; neque aliter veteres ipsi locum videntur intellexisse, cum Lactant. de M. Pers. 33. scribat *Quales mugitus fingit* (?) *saucius taurus* et Ovid. Met. V, 597. *mugitus victima diros Edidit*, uterque haud dubie hunc locum respiciens; Peerlk. tamen, Ladew. et Conington alteram rationem amplectuntur. Ceterum Verg. quam maxime amat in comparationibus usum Pronominis *qualis* aut Singulari (Ecl. VIII, 85. Aen. I, 430. 498. 592. IV, 70. 213. V, 273. VI, 205. X, 134. 641. XII, 4. 331.) aut Plurali (Aen. III, 679. IX, 679. X, 264. XI, 659.) positi. Cf. etiam infra ad v. 471. adnott.; de collocatione autem verborum *Quales mugitus* (tollit) *cum fugit taurus* pro: Quales mugitus tollit taurus, cum fugit etc. vid. adnott. ad Geo. III, 387. — *fugit cum saucius aram.* Cf. similes loci Livii XXI, 63. (*immolanti ei vitulus iam ictus e manibus sacrificantium sese cum proripuisset* etc.) et Taciti Hist. III, 56. — *cum fugit et excussit* Weickert. p. 11. docet idem esse quod: cum fugit excussa securi, coll. Wagn. Qu. Virg. XXXIV, 3. Sic Ecl. VIII, 96. *lupum fieri et se condere silvis* pro: lupum factum se condere. Vid. adnott. ad Ecl. VI, 20., supra ad v. 208., infra ad Aen. II, 353. 749. IV, 154. al. — 224. „*incertam securim*, non satis certo et valido ictu depressam. Imitatio Senecae Agam. 777. *cervice taurus vulnus incertum ferens*, et alia ap. Silium V, 64. 65. [*taurus - - pressamque ad colla bipennem Incerta cervice ferens altaria liquit.*] Sapienter autem bove non quacunque, sed, ut dignitatem res haberet, bove victima in comparatione usus est; quod in sacro Neptuni Heliconii iam fecerat Homerus loco, quem ante oculos noster habuit, Il. XX, 403, 404.“ *Heyn.* Simili ratione, qua hic de *securi incerta*, apud Martial. II, 66, 2. de *incerto acu* sermo est; contrarium est infra XI, 767. *certam quatit improbus hastam.* — „*securim* per *i* Vergilium scripsisse, Probi Valerii testimonio constat apud Gell. XIII, 20.“ *Heyn.* Cf. Drakenb. ad Liv. IX, 16, 17. et Schneider. Gr. Lat. II, 1. p. 209. — 225. *At* pro *autem.* Cf. adnott. ad Geo. II, 246. — *lapsu*

Effugiunt saevaeque petunt Tritonidis arcem
Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor, et scelus expendisse merentem

---

effugiunt. Lapsu, verbo *effugiunt* adiectum, genus motus serpentibus proprium (cf. VII, 349.) designat. Wund. adnotat, diversi generis esse locos, ubi hic Ablativus adiuncto Adiectivo loco simplicis Adverbii ponatur, ut ap. Val. Fl. I, 686. *Ecce autem molli zephyros descendere lapsu Adspiciunt*, h. e. molliter, leniter descendere et ap. eund. I, 91. *Accepere deae, celerique per aethera lapsu Diversas petiere vias*, h. e. celeriter petiere. Ceterum pro *effugiunt* Medic. aliique Codd. praebent *diffugiunt*, quod, quamquam non recepit, praeferre tamen videtur Iahn. ad Geo. II, 8. p. 404. ed. II., et re vera receperunt Wagn. in min. edit. et Ladew., ut significet: discedunt, linquunt locum, ubi antea fuerant (cf. adnott. ad Geo. II, 8. et al.). Loci autem a Ladew. collati, Aen. X, 804. et Hor. Od. IV, 7, 1. *diffugere nives*, huc minus quadrant, in quibus *diffugere* eadem ratione intelligi possit, qua supra v. 212. Cum tamen perfugium, quod petunt, addatur, et serpentes eodem agmine, quo venerunt, templum Minervae petant, cum porro lectionem *effugiunt* etiam Macrobii Sat. III, 4, 4. auctoritas tueatur, *diffugiunt* autem ex v. 212. facile repeti potuerit, cumque etiam Geo. I, 244. legamus *flexu sinuoso elabitur anguis*, plurimorum Codd. lectio videtur praeferenda, quam etiam Ribbeck. et Conington retinuerunt. Hom. Il. VI, 297. simpliciter: *αἱ δ' ὅτε νηὸν ἵκανον Ἀθήνης ἐν πόλει ἄκρῃ.* — „*delubra ad summa*, Minervae templum in arce summa. [Cf. Hom. Il. VI, 297. et vid. adnott. ad Geo. IV, 541.] Minerva h. l. *saeva*, irata Troianis. At Palladium ex arce abreptum supra vidimus v. 164.; unde ergo h. l. Palladis signum? dicendum scilicet, fuisse aliud ac diversum ab illo arcanae religionis Palladio." *Heyn.* — 226. *Tritonidis*. Vid. supra ad v. 171. Macrob. l. l. *Tritonidos* scribit contra Codd. nobis cognitorum auctoritatem. Cf. adnott. ad Aen. VIII, 345. — „*sub pedibus*, [ut Ecl. V, 57.] h. e. inter pedes, et post clipeum. Egregie hoc a poëta adumbratum ex eo, quod Palladis signa (*ξόανα*) interdum draconem pedibus adporrectum habent." *Heyn.* Cf. Val. Fl. II, 257., ubi Hypsipyle patrem abdit sub Bacchi statuam: *tacita pavidum tunc sede locavit, Sub pedibus dextraque Dei*. De collocatione Part. *que* vid. adnott. ad Geo. IV, 22. — *clipei sub orbe*. Sic veteres de omnibus rebus rotundis loqui consueverunt. *Clipei orbis* redit infra X, 546. Cf. etiam Aen. XII, 670. *oculorum orbes*, Ovid. Her. XVII, 87. *orbis mensae*, id. in Ibin 176. *orbis rotae*, Plin. H. N. VIII, 16, 19. *rotarum orbes* cett. Haud raro etiam Genitivo, qui rem accuratius indicat, non addito simplex *orbis* ponitur, ut vera significatio ex toto connexu eruenda sit. Sic *orbis* pro clipeo legitur Aen. X, 783. Val. Fl. VI, 345. Stat. Theb. IV, 130. Sil. IV, 328. Petron. c. 89. extr. alibi. — 229. *per pectora - - Insinuat pavor*, sc. se. Cf. Lucr. V, 74. *Et quibus ille modis divom metus insinuarit Pectora*. Cic. Or. I, 20, 90. *insinuare alicui*, id. ad Div. IV, 13. *insin. in consuetudine alicuius*, Verr. III, 68. in. *insin. in familiaritatem*, Liv. XL, 37, 4. *insinuaverat suspicio animis* etc. Vid. adnott. ad Aen. I, 234. — *novus pavor* non solum est subitus, repentinus, ut ad Geo. IV, 357. explicui, sed vere *novus*. Scilicet ad priorem terrorem conspectu serpentum provocatum (supra v. 212.) accedit nunc novus pavor iniectus Laocoontis supplicio. Cf. etiam Henry in *Tw. years* II. p. 53 sq. et Philol. XI. p. 604. bene de h. l. disputans et *pavorem* per „*religious awe and terror*" explicans. — 228—232. *Scelus expendisse*, i. e. poenas sceleris (sacrilegii in equum, Minervae donum, commissi) persolvisse. Cf. infra VII, 307. (ubi, ut hic, legimus *scelus merentem*) cum eiusd. libri v. 596., ubi *nefas* eodem sensu usurpatur. Ideoque haec verba prorsus idem significant, quod XI, 258 *Supplicia et scelerum poenas expendere*. Verbi autem *expendendi* usus pro solvendo, dando positi ex eo tempore est repetendus, quo pecunia ponderabatur, nondum numerabatur. Cf. infra X, 669. XI, 257. etc. Verba *et scelus expendisse merentem* iterantur in Anth. Lat. I,

Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Laeserit et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum orandaque divae
Numina conclamant.
Dividimus muros et moenia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi pedibusque rotarum
Subiciunt lapsus et stuppea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros

170, 134. — **230**. *sacrum robur*, quod infra v. 260. *cavum robur*. — **231**. *Laeserit;* quia *sacrum* erat *robur*. Vid. supra ad v. 183. — *tergum*. Vid. sup. ad v. 51., ubi *latus* et *alvum* (ut v. 52. et 258. *uterum*) dixerat. — **232**. Cerda et Conington putant, Vergilium hic memorem fuisse Eur. Tro. 522 sqq. *ἀνὰ δ' ἐβόασεν λεὼς - - τόδ' ἱερὸν ἀνάγετε ξόανον Ἰλιάδι διογενεῖ κόρᾳ*. — *ad sedes*, scil. deae, h. e. templum, quod in arce erat. — *simulacrum*, quia equus ille Palladi dedicatus habebatur. Heyn. comparat Homericum *μέγ' ἄγαλμα θεῶν θελκτήριον* Odyss. VIII, 509. — *orandaque divae Numina*, numen eius exorandum, placandum. (Cf. III, 543.) — **233**. *Conclamant*, omnes simul, uno ore clamant. — **234—237**. *Dividimus muros*, dirumpimus, ut aditus fiat. Cf. Stat. Silv. I, 1, 11. *nunc neque divisis cepissent Pergama muris* (ubi tamen alii edunt *discissis*). Heyn. recte, puto, adnotat, de porta Scaea amplificata posse cogitari, a qua non longe steterit equus (*ἐν πύλαις*, Eurip. Tro. 525.) eademque est Henrici sententia in Fleckeis. Nov. Annal. phil. a. 1867. p. 718. — *moenia* iuxta *muros* commemorata sunt aedificia intra muros Wagn. ad Aen. IX, 196. coll. Niebuhr. *Röm. Gesch.* Vol. II. not. 80. docet, *moenia* ubi post muros commemorentur, videri ipsam urbem cum aedificiis, ubi ante muros, munimenta significare. ut ap. Liv. X, 10. *praesidium armatum se intra moenia ac muros accepturos confirmant.* Quomodo per se differant *murus* et *moenia*, docent Herzog. ad Sall. Cat. 6, 2. p. 39. Kritz. ad Sall. Iug. 94, 4. Schmid. ad Hor. Ep. II, 3, 3. T. II. p. 306. Grysar. *Theor. d. lat. Stils* p. 332. Weber. *Uebungssch.* Vol. I. p. 153. not. 3. Doederl. Synon. V. p. 350 sqq. alii; *moenia* autem interdum pro ipsa urbe eiusque aedificiis poni, probant loci, quales sunt infra IV, 74. VI, 549. IX, 196. Flor. I, 4. *moenia muro amplexus est.* Vitruv. VIII, 4. in. *Zama - - cuius moenia rex Iuba duplici muro sepsit.* Sall. Cat. 52, 25. Iustin. II, 12, 14. V, 7, 12. Curt. III, 1. etc. Cf. Gronov. Obss. II, 12. Vales. ad Amm. Marc. XX, 19. Arntzen. ad Plin. Pan. 18. Tross. ad Auson. Mos. 2. p. 130. Kritz. l. l. Beneck. ad Iustin. l. l. p. 57. alii. Bryce, discrimen illud respiciens, locum paullo subtilius sic interpretatur: muris perfractis ac subrutis privamus urbem tutamento suo („*We make a wide breach in the walls, and* (*thus, in our madness*) *lay open the defences of our city*)," quam explicationem Henry l. l. repetit. — *accingunt*, scil. *se*, ut infra XI, 707. *pugnae accinge*, et in fragm. Pomponii ap. Nonium p. 469. *dum ego revertor, age, anus, accinge ad molas.* Vid. supra v. 229. et adnott. ad Aen. I, 234. Male igitur Wakef. ad Geo. II, 33. coni. *Accingunt se operi.* Stat. l. l. v. 62. huius loci memor scripsit *operique intenta iuventus.* — „*rotarum lapsus* egregie pro simplici *rotas*, quae *labentes* dicuntur poëtis, quando volvuntur." *Heyn.* Conington comparat *τροχῶν βάσεις* ap. Soph. El. 718. Supponunt autem rotas pedibus equi, ut eum trahere possint in urbem (cf. Schirach. p. 447.) et *lapsus rotarum* cum *remigio alarum* (Aen. I, 301. VI, 19.) et similibus locutionibus comparandum est. Cf. etiam Kappes. II. p. 17. contra Ladew. disputans, qui prius *lapsus rotarum* per „*Rollen der Räder*" explicuit, in recentiss. tamen editione et ipse recte interpretatur: „*die gleitenden Rollen oder Räder.*" — **237**. *stuppea vincula.* Conington confert Eur. Tro. 537. *κλωστοῦ ἀμφιβόλοις λίνοισι.* — „*intendunt* exquisitius quam illigant, innectunt. Cf. IV, 506." *Heyn.* Immo i. q. iniiciunt (*anlegen*); de nodo constricto non opus est ut cogitemus, cum nihil aliud velint Troiani, quam fune collo iniecto equum trahere. *Cf.* adnott. ad Geo. IV, 399. Respexit hunc locum Auson. Mos.

Feta armis. Pueri circum innuptaeque puellae
Sacra canunt funemque manu contingere gaudent.
Illa subit mediaeque minans inlabitur urbi.
O patria, o divom domus Ilium et incluta bello
Moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae
Substitit atque utero sonitum quater arma dedere;

---

42. *Intendunt collo mulorum vincula nautae.* — *Scandit muros*, h. e. transscendit; maior imago, quam si portam *intrat*, quae, murorum impositorum et attingentium parte deiecta, erat latior facta: cf. inf. VI, 514. 515.“ *Heyn*. *Scandere muros et moenia* etiam ap. Livium V, 21. XXIX, 7. XXX, 30. al. legimus. (Cf. eiusd. III, 68. et IV, 2.). — *machina fatalis*, quia in fatis erat, ut per eam Troia exscinderetur. Sic VII, 115. *fatale crustum* et XI, 129. *fatales murorum moles*. Alio sensu *fatalis* dicitur IX, 133. — „*feta armis*, plena viris armatis [vid. adnott. ad Aen. I, 51.]; ut iam ἐγκύμον' ἵππον τευχέων ap. Eurip. Tro. 11., h. e. ἔνοπλον, ut ibid. v. 524.; supra v. 20. *uterum* dixerat. Inf. IV, 516. *armatum peditem gravis attulit alvo.* Locus autem ex Ennianis expressus ap. Macrob. VI, 2. [Alex. fr. 11. p. 101. Vahl.] *Nam maximo Saltu superavit gravidus armatis equus - - Qui suo partu ardua perdat Pergama.*“ *Heyn*. Cf. etiam Lucr. I, 477. *Nec clam durateus Troianis Pergama partu Inflammasset equus nocturno Graiugenarum.* — **238**. *circum.* Vid. ad Ecl. III, 45. — *innuptae.* Vid. supra v. 50. Fortasse hunc locum ante oculos habuit Stat. Theb. IV, 16 *Iamque suos circum pueri innuptaeque patresque Funduntur mixti* et Silv. I, 1, 12. *Nec grege permixto pueri innuptaeque puellae.* Praeterea *innuptaeque puellae* legimus etiam in Auson. cent. nupt. 64. — **239**. *sacra canunt*, sc. carmina, h. e. hymnos, ut *canere querelam* Geo. I, 378. Vocem autem *carmina* haud raro omitti, ad Ecl. VII, 22. docuimus. Ceterum Heyn. adnotat, hic et in toto loco manifesta esse Euripidei chori vestigia Troad. 526 sqq. Verba *Sacra canunt* hinc repetiit Auson. cent. nupt. 24. — *mediae urbi*, *in die eigentliche Stadt*, quae opponitur *muris* (v. 234.). *Heyn*. haec adnotat: „Omnia media dicuntur, quae post initia sunt [vid. ad Aen. I, 505.], h. l. *urbs media* est tota urbs intra muros; etsi vere per mediam urbem ad arcem ductus est equus, ut Palladis in templo collocaretur. Cf. Eurip. l. c. 540. 541. et Odyss. VIII, 504. — *minans* simpl. ad altitudinem refer. Nam, quae altitudine sua super cetera eminent, minari iis dicuntur. Cf. Aen. IV, 88. et Serv.“ Adde Aen. I, 162. II, 628. VIII, 668. et Burm. ad Val. Fl. IV, 178. Melius autem iunguntur verba *illabitur urbi mediae* (de qua constructione vid. quae ad Ecl. II, 30., infra ad v. 688., alibi adnotavimus) *minans*, quam *minans mediae urbi*, quod tenuius. — **241—243**. *divom domus* Ilium vocatur, quod magnum habet templorum numerum ideoque pluribus diis incolitur. Cf. adnott. ad Aen. I, 16. Ceterum v. 241. Servio teste (?) totus est Ennianus. (ed. Hessel. p. 140.) Cogitat autem Grammaticus haud dubie de illo Ennii loco, quem infra ad v. 501. attulimus. — „Vs. **242**. ad omina pertinet, quae putide exsequitur Quintus Cal. XII. v. 503 sqq. Expressus e nostro Senecae Agam. v. 628 sqq.“ *Heyn*. Peerlk. confert Silium I, 598. *O patria, o Fidei domus inclyta* et VI, 479. *Carthago, fraudum domus.* Ceterum quo iure Ilium *divom domus* appelletur, apparet infra ex v. 351. — **242**. *Dardanidum.* De hac forma vid. adnott. ad Aen. I, 565. — *quater ipso in limine* etc. Cum homini vel ingredienti vel egredienti ominosum putaretur limen tangere (cf. Ovid. Trist. I, 3, 55 sq. *Ter limen tetigi; ter sum revocatus; et ipse Indulgens animo pes mihi tardus erat.* id. Met. X, 452. *Ter pedis offensi signo est revocata.* Tibull. I, 3, 19. *O quotiens ingressus iter mihi tristia dixi Offensum in porta signa dedisse pedem!* Taubmann. ad Plaut. Cas. IV, 4, 1. Broukhus. et Bach. ad Tibull. l. l. et Interpp. ad Ovid. Am. I, 12, 2.), quam maxime infaustum omen haberi debebat, quod haec machina, quae fieri non poterat ut limen ipsum non tangeret, *in limine quater substitit.* Ceterum cf. Senec. Agam. 628. *tremuitque saepe Limine in ipso sonipes.* — *quater - - atque - - quater.* Vid. adnott. ad Geo. IV, 86. — *sonitum - - arma dedere;* etiam hoc pertinebat ad

Instamus tamen inmemores caecique furore
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora dei iussu non umquam credita Teucris.
Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

---

deorum benevolorum signa monentia, ut Troiam sibi caverent. — 244. *Instamus tamen.* Vid. Aen. I, 423. ibique adnott. et infra v. 491. Heyn. comparat Quintum Cal. XII, 427. *οἱ δ' ἅμα πάντες Εἷλκον ἐπιβρίσαντες* etc. — *inmemores*, scil. mali ominis, quo Dii nos monuerant, a nobis non intellecti. Thiel. confert Catull. XXX, 1. *Alfene inmemor* (scil. amicitiae, sodalitatis) *atque unanimis false sodalibus* et alios locos, ubi Adiectiva relativa absolute usurpantur, velut Tibull. I, 7, 38. Prop. I, 9, 7. Hor. Od. III, 24, 54. — *caecique furore.* Cf. infra v. 357. Hor. Epod. VII, 13. *Furorne caecus, an rapit vis acrior?* id. Serm. II, 3, 44. *quemcunque inscitia veri Caecum agit* et multa similia. Verba *caeci furore* leguntur etiam in Anth. Lat. I, 170, 124. et III, 81, 23. — 245. Cf. supra v. 33. ibique adnott. „*monstrum infelix* de equo portentosae magnitudinis, qui exitium urbi erat allaturus.“ *Heyn.* Cf. etiam Aen. III, 658., ubi Polyphemus *monstrum - - ingens* appellatur. *Infelix*, nostrum *unselig*, i. q. perniciosus, exitiosus: cf. infra III, 246. VI, 521. X, 850. XII, 941. — 246. Cassandra, Priami et Hecubae filia, Heleni soror gemina, omnium Priameidum longe pulcherrima (Hom. Il. XIII, 365.), quam amoris fructum ipsi pollicitam Apollo artem vaticinandi docuit; postea vero cum puella promissis non staret, ut vaticiniis eius nemo fidem haberet, deus effecit. (Apollod. III, 12, 5. Quint. Cal. XII, 156 sqq. 525 sqq. Hygin. fab. 93. Tryphiod. 417 sqq. et loci infra ad v. 249. laudati.) Troia capta in ipso Minervae templo, cuius sacerdos erat, ab Aiace, Oilei filio, stuprata Agamemnoni in praedae divisione obtigit, quocum Mycenas profecta a Clytaemnestra occisa est. (Hom. Od. XI, 422. Dictys V, 13. Hygin. f. 108. Lycophr. 1108.) Commemoratur etiam infra v. 343. 404. III, 183. 187. V, 636, X, 68. — 246. *Tunc etiam*, sicut antea iam saepius. Cf. Servius et Iahn. ad Ecl. III, 10. p. 371. ed. II. — *fatis* (Casu tertio), sc. canendis. Cf. adnott. ad Aen. I, 382. Conington etiam hic incertus est, utrum *fatis* pro Dativo, an pro Ablativo modum et rationem indicante habendum sit, quamquam propter Ovidii locum infra laud. magis proclivis est ad Ablativum agnoscendum. — 247. *dei iussu*, Apollinis, cuius amores illa illuserat. Cf. Apollod. III, 11, 2. — *non umquam* (pro numquam, ut Ecl. I, 35. Prop. I, 6, 2. et alibi apud poëtas; pedestres enim scriptores non nisi *neque umquam, neque usquam, neque ullus* et similia ponunt: cf. Iani A. P. p. 492.) *credita*, quibus numquam credebatur, *ἀεὶ ἀπιστούμενα*, (de qua re praeter locos supra laudatos cf. etiam infra III, 187. *quem tum vates Cassandra moveret?* et Propert. IV, 12, (III, 13,) 61., ubi Cassandra ipsa *certa loquor*, inquit, *sed nulla fides*. Cum autem *credor* interdum pro: mihi creditur, ad Graecorum exemplum dicatur (cf. Matth. Gramm. Gr. §. 490. Ovid. Trist. III, 10, 35. *vix equidem credor*. Fast. III, 74. ibid. v. 351. Her. XVII, 129. Met. VII, 98.) prius *credita* pro Nominativo habui cum *Cassandra* coniungendo; nunc tamen ob locum Ovid. Met. XV, 74. *talibus ora Docta quidem solvit* (Pythagoras), *sed non et credita verbis* (quem non accuratius a me inspectum esse doleo) cum Henrico (*Tw. years* II. p. 55. et Philol. XI. p. 605.) Ladew., et Conington coniungo *ora credita.* Henry simul docet, voci *ora* in principio versus positae ex Vergilii dicendi usu maiorem vim tribuendam esse, quam ut *aperit ora* idem esse possit, quod simplex fatur. — 248. Verba *quibus ultimus esset Ille dies* explicant antecedens *miseri:* ut quibus - - esset. Aliter tamen Conington, qui haec verba non cum *miseri*, sed cum sequentibus *festa velamus* etc. coniungens interpretatur per: quamquam ultimus erat dies. Ceterum cf. *etiam VI, 513.*, ubi de *falsis gaudiis* (huius diei et) *supremae noctis sermo est.* — 248. 249. „*Velare* proprium hac in re, suspensis super

Vertitur interea caelum et ruit oceano nox
Involvens umbra magna terramque polumque
Myrmidonumque dolos; fusi per moenia Teucri
Conticuere; sopor fessos conplectitur artus.
Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo tacitae per amica silentia lunae

---

templorum postibus coronis ac sertis, etiam frondibus infulisque. Traduxit verbum aliis locis poëta ad victimas vel sacerdotes, supplices, alia, ubi coronae vel infulae ac vittae usus est." *Heyn.* Thiel. comparat Prop. V, (IV,) 9, 27. *devia puniceae velabant limina vittae* et Ovid. Met. VIII, 264. *Templa coronantur.* Adde Aen. III, 405. 545. V, 72. Plaut. Amph. V, 1, 42. Liv. I, 32, 6. Iuven. VI, 301. Tibull. I, 1, 11. Val. Fl. II, 188. (*delubraque festa fronde tegunt*) et cf. Serv. ad Aen. VII, 751. Ulitium ad Grat. Cyneg. 442. Lambin. et Wakef. ad Lucr. V, 1197. — **250** sqq. Locus praestantissimus, quo silentium et tranquillitas noctis una cum summa Troianorum securitate, quam subito sequentur summus tumultus, summum periculum et exitium, egregie depingitur et ex oppositis mira quaedam vis et singularis affectus repetitur. — „*Vertitur caelum*: ex vulgari persuasione, caelum singulis noctibus circumagi." *Heyn.* Cf. Ovid. Met. II, 70. similesque loci et quae in libro meo geogr. I. p. 510 sqq. exposui. Ceterum *vertitur interea caelum* secundum Macrob. VI, 1. Ennianum est hemistichium. Ann. enim VI. fr. 20. (p. 64. Hessel. s. p. 34. Vahlen.) sic se habet: *Vertitur interea caelum cum ingentibus signis.* — *ruit*, pro surgit ex oceano. Nam nox sequitur solem, ideoque ex mari surgit, quando sol occidit, et tingit se oceano, ubi sol oritur. Cf. infra V, 721. *nox atra polum bigis subvecta tenebat* et Ovid. Met. IV, 92. *aquis nox surgit ab isdem* cum adnott. ad Aen. I, 745. II, 8. et Geo. II, 842. Macrob. V, 5. censet, Vergilio ante oculos fuisse Hom. Il. VIII, 485. Sequitur autem hanc opinionem Schillerus noster in carmine *die Nacht*, ubi Sole in mare praecipitato *An dem Himmel herauf mit leisen Schritten kommt die duftende Nacht*, quod Henry, etiam in recentiorum carminibus multum volutatus, in schedis mecum communicatis memorat. *Ruere* eodem sensu legitur infra VI, 539. VIII, 369. X, 256. De monosyllaba huius versus clausula vid. adnott. ad Geo. I, 181. — **251**. *Involvens umbra* etc. ad naturam noctis omnino spectat ideoque non repugnat vv. 251. et 240. *umbra magna*, quia caelum et terra, i. e. mundus ipse magnus est. Vid. ad Geo. II, 338. Ceterum cf. etiam adnott. ad Geo. III, 219. Aen. I, 225. 569. Haeckermanno quidem in *Archiv f. Phil.* XVIII, 3. p. 436. et Comm. p. 26. *magna umbra* nil esse videtur, nisi *obscura* (VI, 452.), *atra* (Val. Fl. V, 95.), *nigra* (Lucr. IV, 341.), *densa* (Hor. Od. I, 7, 21.); tum vero causa non apparet, cur poëta pro tali epitheto hoc inusitatum posuerit. Utut autem hoc est, id certe concedendum erit, umbram noctis commemorari posse, etiamsi luna luceat (vid. infra ad v. 255.). Ceterum animadverte, quam apte clausula illa monosyllaba, hoc homoeoteleuton et spondaicum versus metrum rei depingendae respondeant. — **252**. *Myrmidonum dolos* non tantum i. q. Myrmidones, ut Heyn. arbitratur, sed etiam ad insidias ab iis structas et equum relictum referendum. Ceterum cur Myrmidones appellentur Graeci, supra ad v. 7. vidimus. — *fusi* (prostrati) *per moenia*, per urbem quae propterea infra v. 265. *somno vinoque sepulta* dicitur. Cf. supra ad v. 234. adnott. Noli enim haec verba ad vigiles in muris dispositos et sopitos referre. Ceterum vid. Geo. II, 527. Aen. I, 214. Stat. Silv. I, 2, 59. *Fusa iacet stratis* et Burm. ad Val. Fl. I, 252., qui ad h. l. adnotat, χυθείς eadem ratione usurpatum legi in Oppiani Cyneg. IV, 350. — **253**. „*sopor* [h. e. altus somnus] *complectitur artus.* Non moratur poëta in comissationibus Troianorum, quas attingit tantum v. 265. At vide ineptias Quinti Cal. XIII. pr." *Heyn.* — **254**–**255**. *Phalanx* (quam Heyn. de classe, Wund. autem, cum minus placeat pedestris iunctura: classis, navibus instructis, it a Tenedo, rectius de exercitu intelligit) vox Vergilio usitatissima, vel minimis exercitus partibus significandis ab eo adhibetur. Cf. *Aen. VI, 489. XI, 92. XII,* 277. 544. 551. 662. — *instru-*

Litora nota petens, flammas cum regia puppis
Extulerat fatisque deum defensus iniquis

---

ctis (i. e. instructa acie ordinatis) *navibus ibat* (quae verba, si *phalanx* de exercitu accipitur, coniungenda esse patet) eadem ratione dictum, qua ap. Liv. XXV, 27. *navibus proficisci*, ap. Ovid. Fast. I, 233. *rate venire* et similia. Cf. autem Aen. X, 213. *ter denis navibus ibant.* — „*tacitae per amica silentia lunae* ornate pro noctu. *Silentia noctis* saepe apud poëtas; eadem *tacita*, *silens*, *taciturna*. Nunc Vergilius *silentia* ad *lunam* transtulit; [ut etiam Stat. Theb. II, 58.]; quod magis etiam poëticum, cumque *silentia lunae* per se dici recte possint pro *nocte*, sive luna fulgeat sive lateat, poëta tamen v. 340. *oblati per lunam* satis declarasse videtur, se *lunam* cum ratione posuisse, adoptata eorum opinione, qui Troiam plenilunio excisam tradiderant. Vid. Vet. Schol. Euripideae Hecub. 913. et Petron. 89, 54. 55. [quibus adde Leschen in Iliade parva: Νὺξ μὲν ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελ'νη]. — *amica sil.*, h. e. grata et faventia insidiis Achivorum." *Heyn.* Vid. adnott. ad Geo. IV, 115. et cf. imprimis Stat. Theb. I, 370. *neque amico sidere monstrat Luna vias*, idemque Silv. V, 2, 38. *tempus amicum fraudibus.* Cum *tacita* autem *luna* conferri possunt Aen. III, 515. Hor. Od. II, 8, 10. *taciturna noctis signa*, Silius XV, 566. *tacito sub lumine Phoebe*, et *tacita nox* ap. Ovid. Met. IX, 474. Her. XVIII, 78. Fast. II, 552. Tibull. I, 6, 6. Henry (*Tw. years* II. p. 58. et Philol. XI. p. 608.) haec verba satis poëtice sic explicat: nemo eos videt praeter lunam, nihil eorum, quae spectat, prodentem et evulgantem, et Conington Vergilium fortasse tranquillum et nubibus vacuum lunae lumen („*the cloudless tranquillity of the moonlight*") exprimere voluisse putat coll. Plin. XVIII, 28, [69.] *silente caelo et serenisque noctibus;* quod vix probari potest. Ceterum fateor, si v. 340. et fama illa de Troia plenilunio capta non esset, me praelaturum fuisse Politiani Obss. Syll. II, 100. in Gruteri Thes. Crit. I. p. 117. explicationem, qui *silentia lunae* de interlunio s. luna minime lucente intelligit, cum alibi (v. c. Plin. XVI, 39, 74. XVIII, 31, 74. Cat. R. R. 29. 40. Colum. VIII, 5, 15.) *luna silens* hoc significare soleat et interlunium insidias magis adiuvet, quam plenilunium. Sic etiam statuit Haeckerm. in Comm. p. 26 sqq. et *Zeitschr.* cet. XIX. p. 55., qui, cum Vergilius v. 251. 360. 397. 420. 621. sibi constet in atrae noctis commemoratione, Statius autem Silv. V, 4, 7. Theb. II, 58. et VI, 289. *lunam* pro *nocte* ponat, *per silentia lunae* nihil aliud significare censet, quam *per silentia noctis* ap. Tib. I, 5, 16. IV, 1, 29. Sil. I, 67. V, 2. VIII, 638. Val. Fl. II, 288. III, 398. et Ovid. Met. VII, 184; infra autem v. 340. lunam ad tempus modo apparuisse, ibid. p. 104. minus probabiliter suspicatur. Cf. etiam infra ad v. 360. adnott. Non mirum tamen, Viros doctos diversissimas de h. l. sententias protulisse et Peerlk. (coll. Ovid. Met. VII, 184. *Fertque vagos mediae per muta silentia noctis Incomitata pedes* et Heynii adnot. ad Tibull. IV, 1, 129.) *per muta silentia*, Dietschium autem Theol. Verg. p. 22. (quamvis dubitanter) *tectae p. a. s. lunae* coniicere „ut luna illo ipso temporis momento nubibus obscurata ad ceteras res divinitus in Graecorum utilitatem provisas accessisse dicatur." Sed Codd. lectionem satis tuetur Paullin. carm. XV, 255. repetens verba *tacitae per amica silentia lunae*, ut etiam ap. Stat. Theb. II, 58. *mediae silentia lunae* commemorantur. (Ceterum cf. quos Taubmann. commemorat, quibus Burm. addit Muret. Epist. III, 50. Barth. ad Stat. Theb. II, 58. Torrent. ad Hor. Od. I, 25. alios). Recte vero Wagn. Comma vulgo in. fine versus positum sustulit, cum haec rectius cum subiectis iungantur. Ladew. (contra quem recte disputat Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. 55.) coll. Aen. III, 8—10. post *petens* Colo distinguit, ut a voce *flammas* apodosis incipiat et sententia sit: classis ibat, cum Sinon conspectis flammis claustra laxat. Sed vide adnott. ad v. 258. — **256.** Fax ex navi praetoria sublata signum erat profectionis, et nunc quidem reditus versus litus Troianum. Henry in *Tw. years* II. p. 59. comparat Stat. Achill. I, 33. *facilius de puppe levatis* et Liv. XXIX, 25. *lumina in navibus singula rostratae, bina onerariae haberent; in praetoria nave insigne nocturnum trium luminum fore.* — **257.** *fata deûm iniqua* pro *diis*

**Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon. Illos patefactus ad auras
Reddit equus, laetique cavo se robore promunt
Thessandrus Sthenelusque duces et dirus Ulixes,**

---

iniquis, infestis, sc. Troianis, Aeneam enim Troianum hic loqui debemus meminisse. *Fata* autem deorum non solum sunt, quae ipsos tenent (ut VII, 293.), sed etiam, quae ab iis dantur (ut supra v. 54. III, 717. IV, 604. V, 784. VI, 376.) — *defensus*, ita ut servaretur a Troianis. — **258**. *Danaos et claustra laxat* per zeugma dictum esse pro claustris (foribus in latere) laxatis emittit Danaos, in promptu est. Cf. adnott. ad Geo. I, 93. Aen. I, 426. et al. Ceterum non erat, cur editores fere omnes haererent in consecutione temporum *ibat - - cum extulerat - - et laxat*, quae est legitima et naturae prorsus conveniens. Argiva phalanx (classis) *ibat* (cui Imperfecto notio inest rei durantis), *cum* (postquam) regia navis flammam (quae signum esset profectionis) *extulerat* (quae res praeterea tam celeriter fit, ut vix animadversa iam praeterierit), quo signo conspecto Sinon extemplo *laxat* claustra, quae et ipsa actio est tam cito transiens, ut commode Praesente tempore significari potuerit. (Cf. modo ad v. 256. adnotata.) Plusquamperfectum et Praesens eadem ratione coniunguntur Aen. VIII, 219 sq. et XII, 430 sq. Conington mihi adsensus comparat Aen. X, 262., ubi, ut hic Imperf. et Plusquamperf., sic Praesens et Perfectum coniungantur. Quod autem attinet ad illum Plusquamperfecti usum de re tam subito et improviso accidente, ut conspectu citius transeat, cf. v. c. Liv. II, 14, 6. *Proelio inito adeo concitato impetu se intulerant Etrusci, ut funderent ipso incursu Aricinos.* id. XXXII, 2. *Postquam recepere se regii, verterat periculum in Romanos.* id. XXVIII, 2, 1. *Tria millia ferme aberat, cum haud dum quisquam hostium senserat* etc. Copula autem (*fatisque*), quam Heyn. unius Cod. Zulich. auctoritate deletam malit, omnes autem recentiores editores iure retinuerunt, offendere non potest. Sententia enim haec est: Cum classe adpropinquante navis regia facem extulisset, Sinon ea conspecta statim claustra laxat, ut a verbis *fatisque deûm* apodosis incipiat. Cf. autem de hoc usu Particularum *cum - - et* s. *que* adnott. ad Geo. II, 80. et Aen. II, 692. Admodum similis locus est Aen. III, 8 sqq. His expositis facile apparebit, errare Iahnium, locum sic distinguentem: *petens. Flammas cum - - - Sinon; illos* etc., ut apodosis incipiat ab his: *illos patefactus;* contra quem recte disputat Weickert. l. l. p. 11 sq., veram huius loci rationem bene perspiciens. Wagn., oblitus haud dubie, se in carmine interpretando versari, horum versuum membra ita disposita malit: *Et iam Argiva phalanx, flammas cum regia puppis Extulerat, tacitae per amica silentia lunae Litora nota petens, instructis navibus ibat A Tenedo; fatisque* cett. Peerlk. denique praeter necessitatem coni. *Extulit*: *at fatis divûm def. in.*, *at* pro *tum vero*, *tunc autem* positum esse statuens; qua coniectura omnis loci vigor tollitur. — **259**. *Laxat claustra Sinon.* Cf. Anth. Lat. II, 192, 14. *laxantem claustra Sinonem* et Petron. in Wernsd. Poët. L. min. IV, 763, 57. *Danai relaxant claustra.* Similiter Geo. II, 331. *Laxant arva sinus.* — *Sinon* Graeca forma hic et infra v. 329., ut hiatus evitaretur. Cf. Bentl. ad Hor. Od. III, 8, 18. Ochsner. ad Cic. Ecl. p. 435. et 53. alii. — *ad auras reddit.* Vid. supra v. 158. *sub auras ferre.* — **260**. „*se promunt*, prodeunt: ἱππόθεν ἐκχύμενοι, κοῖλον λόχον ἐκπρολιπόντες Odyss. VIII, 516.“ *Heyn.* Quae sequitur singulorum virorum enumeratio, eam ad Homeri exemplum conformatam esse, non est quod memorem. Similes locos habemus Geo. IV, 334. Aen. VII, 710. et alibi. Ceterum de numero heroum equo inclusorum, ut omnino de toto equo, cf. Heynii Excurs. III. ad h. l. — **261**. *Thessandrus*, qui Homero non commemoratur, idem esse videtur, quem alii (Herod. IV, 147. VI, 52. Paus. IX, 5, 7. Apollod. III. 7. 2. Hyg. f. 71. Schol. Pind. Ol. II, 76.) *Thersandrum*, Dictys autem II. et ipse *Thessandrum* vocat, i. e. Polynicis et Argiae filius, quem tamen, a Vergilio dissentientes, *Paus.* et Dictys ll. ll. iam ineunte bello Troiano a *Telepho occisum perhibent.* *Sthenelus*, Capanei regis et

Demissum lapsi per funem, Acamasque Thoasque
Pelidesque Neoptolemus primusque Machaon
Et Menelaus et ipse doli fabricator Epeos.

Evadnes fil., Argivorum dux et Diomedis comes (cf. Hom. Il. II, 564. IV, 365 sqq. V, 111 sqq. etc.), etiam ap. Hor. Od. I, 15, 24. et IV, 9, 20. commemoratur. Alii duo Stheneli infra X, 388. et XII, 341. prodeunt. Ceterum *duces* universe dictum, ἡγεμόνες, ἡγήτορες; non: duces huius expeditionis. — **262** „*Demissum lapsi per funem*, h. e. delapsi fune demisso; ex historia hoc acceperat; at egregie ad magnitudinem equi declarandam accommodavit. Itaque emphasin Quinctil. agnovit Inst. VIII, 3, 84., ubi vid. not.“ *Heyn.* Thiel. confert Hor. Ep. II, 1, 210. *per extentum funem ire*, et eiusd. A. P. 461. *Si curet quis opem ferre et demittere funem.* Quod autem attinet ad collocationem verborum, cf. locus prorsus eadem ratione conformatus infra v. 339 sqq. — *De Acamante*, altero Thesei fil. Demophoontis fratre, qui et ipse apud Homerum non invenitur, cf. Tzetz. ad Lycophr. 495. Interpp. ad Hygin. f. 108. et ad Sabini Epist. II, 23. — *Thoas*, Andraemonis et Gorges fil., qui Aetolos ad Troiam expugnandam duxisse fertur. (Cf. Hom. Il. II, 638. IV, 507. XIII, 215 sq. Hygin. f. 97. Tzetz. ad Lycophr. 1011.) Alius *Thoas*, Aeneae comes, infra X, 415. commemoratur. — **263**. *Neoptolemus*, celeberrimus Achillis e Deidamiae fil., Pelei nepos, proprie Pyrrhus vocatus, qui Troia capta Priamum eiusque filium Politen interfecit (vid. infra v. 526.), Polyxenam ad Achillis tumulum immolavit (vid. infra III, 321 sqq. ibique adnott.), Andromachen et Helenum captivos in Epirum abduxit, ubi illam matrimonio sibi iunxit, tandem vero, Andromache repudiata et Heleno transmissa, cum Hermionen, Menelai et Helenae filiam Orestae desponsam rapuisset, Delphis ante aram patri constitutam ab Oreste occisus est (vid. infra III, 294 sqq. 325 sqq.). Cf. de eo Hom. Od. XIX, 326. XI, 505. Pind. Nem. IV, 82. VII, 50. Paus. I, 11. II, 23. Dictys VI, 7—9. Eurip. Androm. et Orest. pluribus locis. — „*primusque Machaon* intelligo, qui primus, inter primos, egressus est. Argutantur in hoc iam veteres. Vide Sext. Aurel. Victor O. G. Rom. c. 1.“ *Heyn.* Negari tamen nequit, hoc *primus* septimo ex novem heroibus, qui enumerantur, additum admodum molestum esse (quod etiam Wagn. censuit Qu. Virg. XXVIII, 5.), praesertim cum in sequentibus non Machaon, sed Neoptolemus primas partes agat, ut ne verbis quidem *super omnes excellens* vel cum Henr. *Tw. years* II. p. 61. per: qui primas agit partes („*the person playing the first part*“ vel, quod exemplo mihi donato adscripsit: „*the head of the gang, the ringleader*)“ explicari possit. Conington, cui adsentiri non possum, aut locum corruptum (?), aut sic distinguendum censet: - - *Neoptolemus; primusque Machaon - - Epeos Invadunt urbem*, ut discernantur ex equo prorumpentes et ad urbem accurrentes; vix enim. sumi posse a Vergilio non recte intellecta esse Homeri verba Il. XI, 506. παῦσεν ἀριστεύοντα Μαχάονα, ποιμένα λαῶν. Non inepte tamen Burm. comparat Val. Fl. IV, 221. *Asper Iason Et simul Aeacides, simul et Calydonis alumni, Nelidesque Idasque prior.* Henry autem, qui *primus* hic non aliter atque supra v. 32. intelligendum putat, poëtam consulto ordinem turbasse suspicatur, ut oratio magis poëtica fieret (?). Ceterum Machaon, Aesculapii ille filius, et bellica virtute et vulnera sanandi arte excellentissimus (Hom. Il. II, 732. IV, 194. XI, 514. coll. Tzetz. ad Lycophr. 911. Propert. II, 1, 59. aliis), qui cum Podalirio fratre Messeniae quasdam nationes in bellum Troianum duxerat (cf. Hom. Il. II, 729 sqq. IV, 202.) Heynio teste apud Thessalum in πρεσβευτικῷ sub f. memoratur, paulo postquam equo exierat, vitam amisisse. Apud poëtas nomen eius haud raro κατ' ἐξοχήν pro excellenti medico ponitur (Ovid. Rem. Am. 546. Martial. II, 16. Stat. Sil. I, 4, 114. Sidon. Apoll. II, 12. etc. Cf. omnino Kerkhoven de Machaone et Podalirio primis medicis militaribus. Groning. 1837.) — *Epeos*, Panopei fil., qui Minerva hortante equum condidit. Hom. *Il. XXIII*, 668. Od. VIII, 493. Dictys I, 17. Hygin. f. 180. Paus. II, 19. *Ovid. Fast. III*, 825. alii, Heynii Excurs. III. ad h. l. et supra ad v. 15.

Invadunt urbem somno vinoque sepultam,
Caeduntur vigiles, portisque patentibus omnis
Accipiunt socios atque agmina conscia iungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit et dono divom gratissima serpit:
In somnis ecce ante oculos maestissimus Hector

---

adnott. De graeca nominis forma, quam optimi Codd. exhibent pro vulg. *Epeus*, vid. adnott. ad Ecl. VI, 13., quibuscum cf. quae Iahn. ad h. l. disputavit. Conington vulg. scripturam servavit coll. Plaut. ap. Varr. L. L. VII. p. 324. *Epeum fumificum* et eiusd. Bacch. IV, 9, 13. *Epiust Pistoclerus* laud. a Lachm. ad Lucr. III, 374. p. 159. — „*doli fabricator*. Sic *δόλον* pro equo ad insidias facto Homer. Odyss. VIII, 404.“ *Heyn*. Non tamen tamquam aedificator equi, qui machinae constructionem optimi nosset, Epeos expeditioni erat adiectus, sed quia etiam miles erat fortissimus. Cf. Süpflius, qui comparat Hom. Il. VI. 314 sqq., ubi etiam Paris ipse sibi domum suam exstruxisse narratur. — **265**. Cf. Ennius Ann. VIII. fr. 17. p. 43. Vahl. (p. 82. Hessel.) *Nunc hosteis vino domiti somnoque sepultei*. Idem est infra IX, 189. *somno vinoque soluti*. *Sepultus* de ebriis legitur etiam infra III, 630. Petron. in Wernsd. Poët. L. min. IV, 763, 56. *sepultos Priamidas nocte et mero*. Epit. Iliad. 732. *somno vinoque sepultum Obtruncant* et Prop. IV, 10, (III, 11,) 56. *assiduo lingua sepulta mero* (coll. Apulei. Met. VIII. p. 206. Elm. *aliquem* (vino) *sepelire ad mortem*); de dormientibus haud raro: velut Aen. VI, 424. *custode sepulto* etc. Lucr. I, 134. *morbo adfectis somnoque sepultis*. — **266**. *Caeduntur vigiles*. Vid. infra ad v. 332. adnott. — **267**. *agmina conscia* (quae rem cognitam habebant) *iungunt*, h. e. sibi adiungunt, quod, si summam rei spectamus, nihil aliud est, quam se cum agminibus coniungunt. Cf. adnott. ad IV, 142. et XI, 145. — **268** sqq. „Locus, cui similes e pluribus poëtis excitari possint, quoties per somnum species obiicitur, adumbratus videtur ex Il. XXIII, 62 sqq., ubi Patrocli umbra Achilli apparet. Vergilium plane expressit Statius Theb. V, 265 sqq. et totum locum, qui sequitur, Seneca Troad. 438 sqq.“ *Heyn*. Conington memorat, incertum esse, utrum Vergilius tantum de somnio, an de umbra Hectoris re vera apparente cogitari velit. Cf. similis locus Aen. I, 353 sq. —*prima quies*. Cf. supra I, 470. *primus somnus* ibique adnott. — *mortales aegri*, quos Heyn. minus recte per infirmos explicat, hic, non minus quam Geo. I, 237., sunt potius Homeri *δειλοὶ βροτοί*, quibus opponuntur *μάκαρες θεοί*. (Vid. Ecl. I, 13. et Aen. I, 208. ibique adnott.) Thiel. apte commemorat Sil. IV, 794. *Heu! primae scelerum causae mortalibus aegris Naturam nescire deûm*, coll. cum Tibull. I, 7, 61. *Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert*. Aen. XI, 182. *Aurora - - miseris mortalibus almam Extulerat lucem*; et de ipsa re Soph. Phil. 827. (*ὕπνος*) *ὀδύνας ἀδαὴς καὶ ἀλγέων*. Eurip. Or. 207. *πότνια λήθη κακῶν τοῖσι δυστυχοῦσι εὐκταία θεός*. Tibull. III, 4, 20. (Somnus) *menti Deus utilis aegrae*, et Ovid. Met. XI, 625 sqq. — *Primum* autem somnum altissimum esse constat. Cf. Aen. I, 470. ibique adnott. — **269**. Wold. Ribbeck. comparat Eurip. Hec. 914. *μεσονύκτιος ὠλλύμαν Ἦμος ἐκ δείπνων ὕπνος ἡδὺς ἐπ' ὄσσοις Κίδναται*. *dono* hic Ablativum esse patet. — *serpit*, quia latenter membris infunditur. Cf. etiam Plin. H. N. VII, 24., ubi *somnus serpens* commemoratur. Ceterum Punctum, quod vulgo in fine huius versus ponitur, in Colon mutavimus, cum haec arcte cohaereant: Tempus erat — ecce, in somnis adesse visus est Hector. In prosaica oratione membra sententiae per *cum* coniungenda erant. Cf. loci simillimi III, 90. XII, 113. XI, 550 sqq. 608 sq. (Probat distinctionem a me factam Conington, quam etiam Ladew. sequitur, dum ceteri recentiores editores Punctum servant.) — **270**. Poëta imitatus videtur Ennium, cuius Cic. Acad. IV, 16, 51. haec verba affert: *visus Homerus adesse poëta* (Annal. I. fr. 7. p. 6. Hessel. s. p. 4. Vahl.); quare Merula hoc ipso Maronis loco collato suspicatur, integrum Ennii versum hunc fuisse: *In somnis mihi visus H. a. p.* (Spangenb. autem p. 2. sic scripsit: *Insomnis ibi visus H. a. p.*, et statim subiungit alterum

Visus adesse mihi largosque effundere fletus,
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere perque pedes traiectus lora tumentis.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo

---

illum versum, quem infra v. 274. a Vergilio translatum videmus). — *maestissimus Hector.* Thiel. recte adnotat, talem Superlativum nominibus propriis additum, ut *pulcherrima Dido*, *maximus Atlas* etc., indicare absolutam aliquam et in suo genere perfectam speciem maestitiae, pulchritudinis, magnitudinis. — 271. *visus adesse*, adstare, sic ut quondam conspiciebatur, cum raptatus erat. *Videri* verbum proprium de somniis et somni simulacris, ut apud Graecos δοκεῖν (de quo Thiel. conferri iubet Valken. ap. Wyttenb. ad Plut. de S. N. V. p. 54. et Stallbaum. ad Plat. Crit. 2.). Cf. infra III, 150. V, 637. Tibull. III, 4, 24. Ovid. Met. IX, 495. XV, 653. id. A. A. II, 328. Cic. Div. I, 23, 46. 24, 29. 51. Acad. II, 14, 47. extr. cett. — *Raptatus bigis.* Cf. Ennii Andromachae fr. 12. (p. 105. Vahl.) *Vidi - - Hectorem curro quadriiugo raptarier.* Comma post *bigis* positum, quod iam Gronov. (cui adsentitur Hand. in Diatr. ad Stat. T. I. p. 217.) et Wakef. tolli iusserant, nosque in I. et II. edit. cum Heyn. et Wagn. omiseramus, in edit. III. cum Iahnio restituimus, cum verba *ut quondam* non solum ad *raptatus bigis*, sed etiam ad sequentia *aterque* etc. pertineant. (Secuti sunt Haupt., Ladew. et Conington. Wagn. in recentiss. edit. et Ribbeck. utrumque Comma et ante et post *ut quondam* omiserunt.) Sensus enim, quem rectissime perspexit Henry (*Class. Mus.* XXI. *Tw. years* II. p. 62 sqq. et Philol. XI. p. 608.), hic est: Hector somnianti mihi visus adesse eadem signa exhibens acceptae iniuriae, quae vigilans eum exhibentem videram ad Troiam statim postquam raptatus erat bigis etc., et constructio loci sic procedit: maestissimus Hector, raptatus bigis aterque cruento pulvere perque pedes traiectus lora tumentes, ut quondam, visus adesse mihi largosque effundere fletus. In somniis autem mortui solent apparere eodem corporis habitu, quo erant, cum moriebantur. (Cf. Ovid. Met. XI, 653.) Eodem enim statu sunt etiam apud inferos (vid. Aen. VI, 494.). Peerlk., qui sine iusta causa hanc suadet versuum transpositionem: 271. 274—278. 272. 273. 279. etc., pro *bigis ut quondam* scribi voluit *quondam bigis.* — „*ater* plus quam respersus, inquinatus. Cf. Hom. Il. XXII, 401 sqq.“ *Heyn.* Wund. adnotat, foeditatem adspectus magis notari adiecto *cruento*, quam voc. *ater.* Cf. infra XII, 450. ubi *atrum agmen*, i. e. pulvere sordidum, et adnott. ad Geo. I, 129. — 273. *traiectus per pedes lora* graeca constructione, pro: traiectis per pedes loris, s. habens lora per pedes traiecta. Particip. Perf. Pass., pro Participio Medii Graec. positum, Accus. Obiecti attrahit. Sic v. c. Tac. Hist. VIII, 74. *aram posuit casus suos in marmore expressam* et Val. Fl. I, 398. *insequaris casusque tuos expressa, Phalcre, arma geris*, i. e. expressos in se habentem, habentia. Gossr. (qui fusius de hac re disputat) comparat Hor. Sat. I, 6, 74. *pueri laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.* Cf. etiam Naegelsbach., Censor meus Monac., l. l. p. 110. omninoque adnott. ad Ecl. I, 54., ubi praeter hunc locum addi possunt Aen. II, 210. 219. 221. De ipsa re cf. Hom. Il. XXII, 396 sq. — *tumentes;* ut οἰδᾶν in fabula Oedipodis. Ceterum Henry (Il. II.), arte medica edoctus, mortuis non tumere pedes loro traiecto, simulque premens locum Soph. Ai. 1040. Ἕκτωρ μὲν - - ἀπέψυξεν βίον et ipsius Vergilii Aen. I, 483. *Hectora - - raptaverat Exanimumque - - corpus vendebat Achilles*, admodum probabiliter contendit, Vergilium hic et Aen. I, 483. cogitare Hectorem nondum mortuum ab Achille currui alligatum et sic demum raptando (ut ipsius poëtae verbo utar) prorsus enecatum esse. Recte adsentiuntur Ladew. et Wagn. in min. edit. — 274. Locus praestantissimus et pristinae praesentisque fortunae comparatione miserabiliter tangens animos. Versum 274. Ennii (p. 125. Hessel. s. p. 4. Vahl.) esse Servius docet. Vahlen autem verba tantum *Ei mihi qualis erat* Ennii esse censet eaque tamquam Annal. I. fr. 8. statim post fragm. supra ad v. 270. allatum posuit. — *Hei mihi!* Aliquot Codd. heu, quam lectionem Wagn. pro-

Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli,
Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignis,
Squalentem barbam et concretos sanguine crinis
Volneraque illa gerens, quae circum plurima muros
Accepit patrios! Ultro flens ipse videbar

---

pterea reiicit, quod Romani *heu me*, non *heu mihi*, contra *hei mihi*, non *hei me* dixerint (coll. Huschk. ad Tibull. II, 6, 28. et infra XI, 58. XII, 620.). Quam sententiam quamquam falsam esse nuper contendit Handius Tursell. III. p. 68 sq., haud paucis locis Codd. auctoritate *heu mihi* edendum esse censens (vid. ad Aen. XI, 57.), hic tamen ob meliorum Codd. consensum *hei* retinendum. Cf. Hand. ibid. p. 44. — *quantum mutatus ab illo*, i. e. quantum mutatione facta diversus ab illo. (Cf. Hand. Turs. I. p. 42.) Simillimus est locus Ovid. Met. VI, 273. *Heu quantum haec Niobe Niobe distabat ab illa, Quae* etc. Cf. etiam Val. Fl. IV, 398. *Qualis, et a prima quantum mutata iuventa!* Stat. Theb. VII, 707. *Quantum diversus ab illo, Qui tripodas* etc. Silius X, 508 sqq. *Heu quis erat! quam non similis modo Punica telis Agmina turbanti.* Wold. Ribbeck. praeterea confert Ambros. spir. sanct. II. prol. 13. hunc locum sic imitatum: *longe mutatus ab illo Samsone, qui rediit allophylorum indutus exuvias.* — „*qui redit*, pro qualis redibat, paullo insolentius: et inf. v. 279. *accepit* pro acceperat, graeca, saltem Homerica structura.“ *Heyn.* Bothius in Virg. Virgiliano p. 13. coniicit, aut v. 276. *iaculatus* in *iaculatur* mutandum, aut hic *qui exuvias rediit indutus Ach.* legendum esse; eandemque coniecturam etiam Peerlk. profert, sed illud, Wagnero iudice, non necessarium, quia ad *iaculatus* non cum Bothio *est* intelligendum, sed repetendum sit *qui redit*, hoc autem inelegans ob duram elisionem. Ceterum vid. adnott. ad Aen. I, 99. et Iahn. ad h. l., qui docet, poëtam voc. *redit* non ex grammatica lege ad *erat*, sed ex cogitatione ad praesens tempus referre, tamquam Hectorem redeuntem intueatur. Cf. similes locos II, 663. IV, 149. VI, 534. VII, 458. XI, 172. cum adnott. et Wagn. Qu. Virg. VII, 2. Recte igitur etiam Freudenberg. p. 17. Peerlkampii coniecturam reiicit. — „*exuvias A.*, arma Achillea, Patroclo detracta. Il. XVII, 194.“ *Heyn.* De forma Genitivi *Achilli* vid. ad Geo. III, 91. — **276.** *Danaum puppibus*, in naves Achivorum. Respicit pugnam ad naves Graecorum Il. XIII. sqq. et XVI, 122. *τοὶ δ' ἔμβαλον ἀκάματον πῦρ Νηῒ θοῇ.*“ *Heyn.* Cf. etiam Hom. Il. XXII, 374. *Ἕκτωρ, ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ* imprimisque Il. XV, 596 sqq. Ovid. Met. XIII, 91. *Ecce ferunt Troes ferrumque ignesque Iovemque in Danaas classes.* Dativus autem haud raro sic adiungitur verbis motum aliquem indicantibus. Cf. adnott. ad Ecl. II, 30. Sic iam Hom. Il. IV, 523. et XIII, 549. *ἄμφω χεῖρε φίλοις ἑτάροισι πετάσσας* etc. *Puppibus iaculari* est nostrum *den Schiffen zuschleudern* et aptissime dicitur de vibratis et rapido impetu coniectis ignibus. Vid. adnott. ad Ecl. II, 30. VIII, 101. Aen. II, 36. 85. al. Ladew. paullo subtilius de propria signif. voc. puppes cogitat, cum naves ad terram applicatae puppes litori advertant. — **277.** *Squalentem barbam -- gerens:* haec ad verba *quantum mutatus erat* referenda esse patet. — „*concretos sanguine crines*, foedum quidem, sed quod horrorem non minus quam miserationem facere queat.“ *Heyn.* Cf. Ovid. Met. XII, 270. *barba concreta sanguine pendet.* XIV, 201. *concretam sanguine barbam.* Val. Fl. III, 386. *pingui concretos sanguine crines.* — „*vulnera* omnino in pugnis cum Achivis factis accepta interpretabar; nunc intelligo, haec non convenire cum ceteris, quae miserationem faciant, meliusque referri ad *τὸ αἰκίζεσθαι, vulneribus foedatum cum sit corpus caesi Hectoris ab accurrentibus Achivis*, vid. Iliad. XXII, 369—375.; simulque ad laniationes tracti circa muros corporis; quandoquidem adiectum *circum muros patrios.*“ *Heyn.* — *gerens.* Vid. ad Geo. II, 122. et Aen. I, 315. — **278.** *circum plurima muros.* Praepositione ad Graecorum exemplum a Casu suo seiuncta. Cf. etiam supra adnott. ad v. 142. — **279.** *ultro*, non cum *flens*, sed cum *compellare coniungendum, hic, ut infra v. 372. IV, 304. VI, 387. 499. X, 606.*,

Compellare virum et maestas expromere voces:
„O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum,
Quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi aspicimus! quae causa indigna serenos
Foedavit voltus? aut cur haec volnera cerno?“

---

significat: non compellatus ab eo, ideoque prior eum videbar compellare, *von freien Stücken.* Vid. supra ad v. 145. et Wagn. Qu. Virg. XXVII, 2. — *flens ipse,* non minus quam ille. Cf. v. 271. et Ovid. ex P. I, 4, 53. *et narrare meos flenti flens ipse labores.* — **281—286.** „Quasi immemor caedis Hectoris eum obiurgat, quod tam diu abfuerit et nunc demum ad auxilium Troianis ferendum adveniat. — Etiam in his Ennium [in Alex. fr. 10. p. 101. Vahl.] ante oculos habuit, cuius versus ap. Macrob. VI, 2. [p. 511. Jan.] *O lux Troiae, germane Hector! Quid ita cum tuo* [rectius *contuo*] *lacerato Corpore miser? aut, qui te sic Respectantibus tractavere nobis?* [Cf. etiam Anth. Lat. I, 147, 7. *O lux Dardaniae, Troianae gloria gentis.*] — *Lux* autem non ad gloriam referendum, sed de *salute* accipiendum, si quidem ex Homerico *φάος* expressum.“ *Heyn.* Et sic sane *lucem afferre* pro salutem ferre legitur ap. Cic. Man. 12, 33. alibi. Cf. etiam Phil. X, 6, 12. Tamen etiam altera explicatio (quam Gossr. praefert) ferri potest; quamquam hoc sensu saepius *lumen* usurpatur. Nam etiam ap. Plin. H. N. XVII, 5, 3. (non Epist. XVII, 5., ut Gossr. scribit) *Cicero lux doctrinarum altera* (post Homerum) vocatur, ut Cic. Cat. IV, 6, 11. Romam *lucem orbis terrarum* appellat. — *Dardaniae.* Vid. ad III, 156. Pro *fidissima* Schol. Hor. Crucq. Sat. I, 7. et Od. IV, 5. *sanctissima,* invitis Codd. et Macrob. Sat. IV, 2. — **282.** *quibus ab oris.* Vid. ad Geo. II, 171. — **283.** *Exspectate venis* pro exspectatus. Eandem attractionem Vocativi habemus infra IX, 485. XII, 947. et apud Prop. III, 7, (II, 15,) 2. *Lectule, deliciis facta beate meis.* Catull. LXXII, 1. *Rufe mihi frustra ac nequidquam credite amice.* Tibull. I, 7, 53. *sic venias hodierne.* Pers. III, 28 sq. *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis, Censoremve tuum vel quod trabeate salutas;* quo pertinet etiam notissimum illud *macte virtute esto.* Cf. Periz. ad Sanct. Min. II, 6. Ruddim II. p. 11 sq. Heind. ad Hor. Sat. II, 6, 20. Huschk. et Dissen. ad Tib. l. l. Iahn. ad Ovid. Trist. III, 14, 2. Iacobs. *Blumenlese* II. p. 76. Bach. *Geist d. Röm. Eleg.* p. 75. Krüger. *Untersuch.* III. p. 32. p. 76 sqq. alii, et de eodem Vocativi usu apud Graecos praeter eos, qui a Matth. Gr. Gr. §. 312, 1. et a Kühnero Gr. Gr. §. 510, 4. laudantur, Britann. Diar. Class. Vol. XVI. p. 351. Conington confert Aesch. Suppl. 535. *γενοῦ πολυμῆστορ, ἐφάπτορ' Ιοῦς.* Ceterum de formula *exspectatum venire* Peerlk. conferri iubet Plaut. Mostell. II, 2, 11. Gronov. ad eiusd. fab. I, 3, 31. et Interpp. ad Liv. XXVIII, 27. — *ut* (*ὡς*, quomodo, i. e. qualem) nunc plurimos editores secutus coniungo cum *te adspicimus,* Particulam cum Gossravio et Kappesio II. p. 17. ad tristem Hectoris habitum referens, non vero cum Ladew. explicans per: quo sensu, qua animi motione, quae interpretatio num Rom. dicendi usui conveniat dubito. Wund. et Wagn. (quibus prius adsensus sum) iungunt *ut defessi,* i. e. quam defessi, quantis cladibus exhausti. Sed vide, quae Kappes l. l. et Conington huic rationi opponunt, cui etiam verborum collocatio non favet. Ceterum Conington suspicatur, Vergilio hic ante oculos fuisse Hom. Il. VII, 4 sq. *Ὣς ἄρα τὼ* (Hector et Paris) *Τρώεσσιν ἐελδομένοισι φανήτην.* — **284.** *hominumque urbisque labores.* Cf. Geo. I, 118. *hominumque boumque labores* et supra v. 11. *Troiae supremum laborem.* — *defessi,* sc. cladibus. Heyn. comparat Horat. Od. II, 4. 11. *Tradidit fessis leviora tolli Pergama Graiis.* Gossr. (coll. Claud. R. Pros. I, 105. *Te recipit post fulmina fessum Iuno*) coniungit verba *post funera defessi,* quasi pro funeribus defessi posita. — *causa,* res, quae in causa est. Lucr. III, 484. *paullo si durior causa insinuavit.* V, 347. *ibi si tristior incubuisset causa.* — *indigna,* turpis, detestanda, ut XI, 108.

Ille nihil, nec me quaerentem vana moratur,
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens
„Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros; ruit alta a culmine Troia.
Sat patriae Priamoque datum: si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troia Penatis;

---

fortuna indigna; unde exclamatio illa *indignum!* Hor. Ep. I, 6, 22. Ceterum cf. cum hoc versu Ennius l. supra laud. *quid te ita contuo lacerato Corpore, Miser, aut qui te sic tractavere nobis respectantibus?* — 287. *Ille nihil*, scil. respondit ad quaestiones meas (cf. supra adnott. ad v. 24.); *nec me - - moratur*, non curat vanas quaestiones meas (*hält sich dabei nicht auf*), sed fugam celerrimam mihi suasurus statim rem ipsam paucis verbis aperit. Sic autem *morari*, imprimis voce *nihil* adiuncta, saepe pro *curare* dici constat. Cf. infra V, 400. Plaut. Aul. II, 1, 47. Hor. Ep. I, 15, 16. II, 1, 264. Ovid. Fast. I, 161. Liv. III, 56. IV, 42. etc. Henry (*Tw. years* II. p. 70. et Philol. XI. p. 609.) explicat: non moratur fugam meam. Sed nonne hoc poneret consilium fugiendi ab Aenea iam significatum? — 288. „Gemit de patriae interitu et quod vir fortis forti fugam suadere cogitur.“ *Gossr.* Cf. Ovid. Met. I, 656. *alto tantum suspiria ducis Pectore* et X, 402. *suspiria duxit ab imo Pectore.* Totus hic versus inde a voce *gemitus* iteratur in Anth. Lat. I, 172, 92. — 289. *Heu fuge.* Cf. infra III, 44. et Hand. Tursell. III. p. 68., qui docet, cum Imperativo *heu* coniungi, ubi ad rem agendam aliquem excitemus cum maiore animi commotione. — 290. *Hostis habet muros.* Vid. Burm. ad Val. Fl. III, 45. — „*Ruit alto a culmine Troia* (etiam inf. v. 603.) ex Homerico, quod saepius invenitur, κατ' ἄκρης. Dorvill. bene coni. *ruit alta a culm. Troia*, quod significantius est, et sic Acronem legisse Iani vidit ad Hor. Carm. IV, 6, 3. [ubi legimus *Troiae victor altae Phthius Achilles*] et Hom. Il. XIII, 772. ὤλετο πᾶσα κατ' ἄκρης Ἴλιος αἰπεινή. Adde Il. XV, 557. 558.“ *Heyn.* Quae consideranti, cum Codd. in eiusmodi re non magna sit auctoritas, Cod. autem Coll. Ies. diserte *alta* exhibeat et infra v. 603. item simpliciter legatur *sternitque a culmine Troiam*, mihi lectio *alta* (etiam Brunckio, Wakefieldo, Schirachio p. 371. Iahnio et Gossravio magis arridens) praeferenda visa est, quam post me etiam Süpfl., Haupt. et Ladew. receperunt, et Schrader in Muetzellii *Zeitschr.* VII. p. 727. defendit, dum Wagn., Bryce, Ribbeck. et Coningt. *alto* servarunt, quod etiam Schenkl. in *Zeitschr. f. d. Oest. G.* 1852. p. 394. coll. infra v. 410. defendit. Wagn. tamen in Philol. Suppl. I. p. 376. et ipse proclivis est ad alteram lectionem praeferendam, haec adnotans: „Et potuerunt librarii, ut *alto* scriberent, eo induci, quod meminerant illa *ex alto, ab alto* vel *a summo culmine* multis locis scripta, quae de tecti altitudine vel summitate accipienda sunt;“ quare in recentiss. edit. et ipse *alta* restituit, quod improbat Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 55. Ceterum cf. adnott. ad Geo. I, 485. — „Ad v. 291. 292. cf. inf. XI, 288. 289. Habet patria et Priamus omnia, quae a te ad ipsum defendendum fieri ac praestari potuerunt.“ *Heyn.* Cf. Aen. IX, 135. *Sat fatis Venerique datum.* Val. Fl. III, 688. *Sat lacrimis comitique datum* et Silius II, 561. *sat Fidei proavisque datum.* Ceterum Naegelsbach., censor meus Monac., l. l. p. 111. hunc locum (rectius fortasse) sic distingui voluit: *Sat patriae Priamoque datum: si Pergama dextra Defendi possent, etiam hac defensa fuissent; Sacra suosque tibi commendat Troia Penates.* Sensum enim esse: Urbi et regi sat datum, hi enim servari diutius omnino non possunt; sed sacris et Penatibus servandis cura etiamnum adhiberi potest; quam rationem etiam Conington probat. — 292. *hac*, δεικτικῶς, Hectoris manu, h. e. mea. Cf. VIII, 570. IX, 205. etc. — 293. „Penates sunt publici, dii Troiae patrii, urbis tutela. De forma eorum ac specie vid. III, 148. 173. 174.“ *Heyn.* Cf. Heynii Excurs. IX. ad h. l. Müller. de Etruscis T. II. p. 87. Voss. ad Geo. p. 205. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 5, 65. Schmid. ad Hor. Ep. I, 7, 93. Iacobs *Blumenlese* II. p. 63. et Walz. in Pauly *Realencycl.* V. p. 1314 sq. De etymologia huius vocis (sive a

Hos cape fatorum comites, his moenia quaere,
Magna pererrato statues quae denique ponto."
Sic ait et manibus vittas Vestamque potentem
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diverso interea miscentur moenia luctu

---

penitus sive a *penu* deductae) cf. Cic. de N. D. II, 27, 68. Macrob. Sat. III, 4. Ernesti in Clav. Cic. s. v. et Muret. ad Plaut. Asin. I, 1, 28. Facile eos loco moveri et auferri potuisse, apparet infra ex v. 717. — „*Sacra et Penates* possunt pro eadem re haberi: ut illa, quibus generis notio inest, declarentur per hos. Sic saepe *sacra* universe de deorum simulacris, etiam de his ipsis Penatibus: v. c. Ovid. Fast. I, 527. Mox tamen v. 296. 297. *vittas Vestamque et ignem sacrum* memorat, quae omnia cum Penatibus asportavit; haec igitur per *sacra* declarare potuit." *Heyn.* Hoc rectius. Cf. etiam Ovid. Met. I, 287. *Tectaque cumque suis rapiunt penetralia sacris* et Hor. Od. IV, 4, 53. *Gens, quae cremato fortis ab Ilio - - sacra Natosque maturosque patres Pertulit Ausonias ad urbes.* Infra v. 320. *sacra victosque deos* eadem ratione iunguntur. Ad *sacra* igitur simul audi *sua* ex sequente *suos* repetendum. Thiel. tamen priorem rationem amplectitur, hunc locum non aliter explicans atque III, 12. *Penatibus et magnis dis*, III, 442. *divinosque lacus et Averna sonantia silvis* et similes. — **294**. *fatorum comites*, comites errorum et casuum, qui a fato tibi sunt destinati. Totus hic versus iteratur in Anth. Lat. I, 178, 197. — **295**. *magna* vocat Lavinii ab Aenea condendi *moenia* (i. e. urbem: vid. ad v. 234.), Romae inde oriundae respectu habito. Cf. III, 159. *Tu moenia magnis Magna para.* Ceterum Wagn. docet, *Magna* cum vi relativae enuntiationi adiunctum esse hoc sensu: pererrato quidem ponto demum, sed magna statues; ut III, 546. *Praeceptisque Heleni, dederat quae maxima, rite Iunoni - - adolemus honores.* Cf. etiam Aen. V, 728. Krüger. *Untersuch.* III. §. 85. p. 209. Ramsh. §. 169, 3, d. — *statuere* autem *moenia* dicitur de primo conditore, ut Aen. I, 573. ut IV, 655. Prop. IV, 10, (III, 11,) 21. Vellei. I, 1. Mela II, 18. — **296**. „*Vittas* religiose posuit, cum *Vesta vittata* aut *cum vittis* dicenda esset. Sup. v. 168. de Pallade: *Virgineas ausi divae contingere vittas.* Visus autem est Hector ex ipsa Vestae aede simulacrum deae cum igne sacro efferre. Quo vero loco Penates positi fuerint, poëta non docuit." *Heyn.* Cf. adnott. ad Ecl. II, 8. Geo. I, 173. 335. cett. Offendere autem potest Vestae simulacrum e templo ablatum, cum Paus. Cor. 35. et Ovid. Fast. VI, 295. asseverent, nusquam in templis fuisse huius deae simulacrum, sed tantum ignem perpetuum, quo ipsa significetur. Sed cum Ovid. l. l. ipse dicat *Et diu stultus Vestae simulacra putavi* et antea III, 45. bona fide *Vestae simulacra* commemoret, etiam Vergilio hic error facile condonandus, imprimis cum extra templa effigies huius deae varie exprimeretur. Cf. Maffei gemm. T. II. tab. 76. Montfauc. Suppl. T. I. tab. 22. Begeri Thes. T. II. p. 629. 638. Lips. de Vesta c. 3. et Heyn. ad Apollod. p. 7. Ceterum Vesta cum Laribus et Penatibus haud raro coniungitur. Cf. infra V, 744. IX, 258. — **297**. De *adytis penetralibus*, i. e. internis, vid. adnott. ad Geo. I, 379., ubi *tecta penetralia.* Sic etiam V, 660. *foci penetrales,* IV, 504. *sedes penetralis,* Ovid. Met. XIII, 337. *signum penetrale Minervae* etc. — *effert*, i. e. per somnum efferre mihi videtur; somnium mihi eum producit efferentem. — **298—301**. „Interea *urbs miscetur luctu*, h. e. in urbe miscetur (cf. II, 486. et IV, 160., et ibi adnott.) *luctus*, h. e. eiulatus, clamor (mox v. 301. *sonitus*) *diversus*, e diversis urbis partibus." *Heyn.* Potius in diversis urbis partibus, ut cum Henrico (*Tw. years* II. p. 71. et Philol. XI. p. 609.) etiam Ladew. et Wagn. epitheton recte explicant. Ceterum cf. XII, 621. *quisve ruit diversa clamor ab urbe,* ubi quae antecedunt v. 620. *quid tanto turbantur moenia luctu*, prorsus i. q. hic *miscentur moenia luctu.* Vid. etiam XII, 805. *luctu miscere hymenaeos.* Conington, cui *luctus* videtur „*peculiarly used of the agony during a battle,*" confert supra v. 26. 369. et Sall. Iug. 97. *luctu atque caede omnia conplentur.* Scilicet, cum prima luctus causa sit caedes vel mors

Et magis atque magis, quamquam secreta parentis
Anchisae domus arboribusque obtecta recessit,
Clarescunt sonitus armorumque ingruit horror.
Excutior somno et summi fastigia tecti
Ascensu supero atque arrectis auribus adsto;
In segetem veluti cum flamma furentibus Austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata laeta boumque labores

---

alicuius, eius in proelio imprimis locum esse per se patet. Ceterum videtur hunc locum respexisse Val. Fl. III, 113. *At magis interea diverso turbida motu Urbs agitur.* — **299.** *magis atque magis*, ut Geo. III, 185. Aen. XII, 239. Tac. Ann. VI, 21. Suet. Vit. 11. Vesp. 3. Tit. 3. Plin. Ep. VII, 3. X, 28. Sen. de Benef. II, 15, 4. Cf. Hand. Turs. III. p. 565. cum adnott. ad Geo. IV, 86. — **300.** „*domus secreta recessit*, pro: erat secreta, remotior a litore et porta Scaea, eaque parte, qua Achivi urbem ingressi erant. Stat. Theb. V, 242. *et si lata recessit Urbe domus.*“ *Heyn.* Sic et alibi *recedere* de locis abditis et remotis; velut Catull. LXIV, 42. *quacunque opulenta recessit Regia*, Ovid. Met. VIII, 589. *procul, en! procul una recessi Insula grata mihi* etc.; unde repetendus usus Subst. *recessus* (Aen. VIII, 193. etc.). — **301.** *Clarescunt sonitus.* Cf. infra v. 705. *clarior ignis Auditur.* Sic *vox clarescit* in Gabii Bassi fragm. ap. Gellium V, 7. et *tibiae* ap. Quinct. I, 11 (19), 7. Omnino multa verba ad auditum et visum pariter referri constat. — *armorum ingruit horror. Ingruere*, quod plerumque de rebus molestis et perniciosis dicitur, quae subito accidunt (cf. VIII, 535. *bellum ingruit*, XII, 284. *imber ferreus ingruit* cett.), hic nihil fere aliud est, quam subito adpropinquare, propinquius audiri. Ceterum cf. Doederl. Synon. II. p. 122. et Boetticher. Lex. Tacit. p. 274. — *horror.* Cf. XII, 405. *saevus campis magis et magis horror Crebrescit.* — **302.** *Excutior somno.* Cf. Ovid. Met. IX, 695. (ibique Gierig. et Bach.) XI, 678. Her. XIII, 111. Claud. in Ruf. II, 140. Calpurn. Ecl. X, 11. et Cort. ad Lucan. I, 77, 117. — *fastigia tecti* Henry (*Tw. years* II. p. 72.) recte explicat per tectum fastigatum, comparans Liv. XLIV, 9. *scutis super capita densatis - - - fastigatam, sicut tecta aedificiorum sunt, testudinem faciebant.* — **302-308.** *Ascensu supero*, pro adscendo. Sic VI, 676. *hoc superate iugum*, i. e. adscendite. — **303.** Verba *arrectis auribus adsto* (vid. ad Aen. I, 152.) continent simul stuporis notionem; ita enim sententiae cohaerent: *arrectis auribus adsto, veluti - - stupet pastor accipiens sonitum.* „Quae sequitur comparatio duplex, adumbrata est ex Il. II, 455. 456. XI. 155 sqq. et Il. IV, 452—455. adde V, 87 sq. XI, 492 sqq. Lucr. I, 282—290. Cf. inf. v. 496 sq. Aen. XII, 523 sqq. et X, 405 sqq. [Adde Hor. Od. III, 29, 33 sqq. IV, 2, 5 sqq., imprimis autem Ovid. Met. VIII, 551 sqq.] - - - Fortasse in eo poëta reprehendendus videri potest, quod *ex Aeneae narrantis persona* talis comparatio non satis commoda intexta sit. Sed illius narrantis recordationem suavitas narrationis iamdudum audientium animis excussit.“ Wagn. in edit. min. adnotat: „rei magnitudine et atrocitate ita abripi poëtae animum, ut rem non diserte indicet, ad quam spectet comparatio: Tum omnia ardere et vastari mihi visa, veluti cum etc.“ Rectius autem Ladew. imprimis sequens *inscius* tertium comparationis continere censet. Uterque stupet, causam rei, quam videt, non perspiciens, quid de re cogitandum sit nesciens. — **304** sqq. Cf. Hom. Il. II, 455 sq. IV, 452 sqq. V, 87 sqq. *furentibus Austris*, i. e. ventis omnino. Vid. tamen adnott. ad Ecl. II, 58. Conington adnotat, pro *furentibus* exspectari posse *ferentibus*, ut Geo. II, 311., sed invitis Codd. nihil mutandum esse recte indicat. — **305.** *torrens*, χείμαῤῥος, *rapidus*, quippe auctus *montano flumine*, aquarum colluvie e montibus delabente. Vergilio ante oculos fuisse videntur Hom. Il. XI, 492 sqq. et Lucr. I, 281 sqq., quod etiam Conington animadvertit. Ceterum cf. Anth. Lat. III, 106, 23. *Ut gravis hiberno torrens de monte volutus.* — **306.** *Sternit - - sternit*

Praecipitesque trahit silvas; stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt
Insidiae. Iam Deiphobi dedit ampla ruinam
Volcano superante domus, iam proximus ardet
Ucalegon; Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.

Vid. adnott. ad Ecl. IV, 6. (ubi hic locus addatur.) — Verba *sata laeta boumque labores* leguntur etiam Geo. I, 325., ubi vid. adnott. Cf. etiam ibid. v. 118. De *laetis satis* vid. adnott. ad Geo. I, 1. Ceterum praeter Hom. l. l. cf. etiam Il. V, 92. — **307**. *inscius*, causam tumultus nesciens. Verba *stupet inscius* redeunt infra VII, 381. et X, 249. — **308**. Cf. Iliad. IV, 455. *Τῶν δέ τε τηλόσε δοῦπον ἐν οὔρεσιν ἔκλυε ποιμήν*. Gossrau praeterea confert similes comparationes ap. Hom. Il. IV, 452. XI, 155. Lucr. I, 282. Hor. Od. III, 29, 38. IV, 2, 8. Geo. II, 304. Aen. X, 405. XII, 523. — *accipiens*, audiens. Vid. supra ad v. 65. — *saxi de vertice*, ut I, 225. Iupiter de *vertice caeli* despicit. Ceterum verba *saxi de vertice pastor* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 136. — **309–313**. *Tum vero manifesta fides*, scil. captae urbis, ut alibi *rebus fides fieri* dicitur eventu; ideoque i. q. res iam manifesto intellecta est. (Etiam Haeckerm. in *Zeitschr.* XIX. p. 55. recte vertit: „*Da nun war die Sache klar.*") Sic Lucan. I, 423. *Addita fati Peioris manifesta fides.* Liv. VI, 13, 7. *manifesta fides, publica ope Volscos hostes adiutos.* Burm. conferri iubet Gronov. ad Iustin. IX, 3. et sua ad Ovid. Met. XII, 365., Wagn. autem, cui *fides* est i. q. res fidem faciens, Soph. El. 887. *τίν' ἰδοῦσα πίστιν*. — **310**. *Deiphobi* domus prima incensa. (Cf. Hom. Od. VIII, 517.) Hic Priami ex Hecuba fil., heros fortissimus (de quo vid. Iliad. XII, 94. XIII, 463. 516 sqq. Apollod. III, 11, 5. Hygin. f. 113. alios), Helenam post Paridis mortem duxerat et impediverat, quominus ea Graecis traderetur. Cf. Odyss. VIII, 517 sqq. cum schol. Quint. Cal. XIII, 354 sqq. Tryphiod. 602 sqq. et infra Aen. VI, 495. 525., ubi ipse in inferis narrat, quomodo ea nocte perierit. — *dedit ruinam*, ut ap. Lucr. II, 1145. (a Coningt. laud.) *moenia mundi Expugnata dabunt labem putresque ruinas.* Idem est *ruinam trahere* infra v. 465. 631. VIII, 192. IX, 712. et Claud. R. Pros. III, 379., *ducere ruinam* ap. Hor. Od. II, 17, 9. et *facere ruinam* ap. eund. Sat. II, 8, 54. — **311**. *Volcano*, igne (vid. ad Geo. I, 295.) *superante*, ut supra I, 537. *superante salo*, ubi vid. adnott. Ribbeck., cum Pal. exhibeat *Volcane superante* et Bern. I. *Vulcano.. supante*, edidit *ecsuperante*. — *proximus ardet Ucalegon*, qui erat e principibus Troianis et in consilio seniorum. Cf. Iliad. III, 148. „Imitationem manifestam vide apud Iuvenal. III, 198. *Iam poscit aquam, iam frivola transfert Ucalegon*, qui hoc nomine hominem nobilem notavit. Ibidem v. 201. *ultimus ardebit* usurpatum, ut h. l. *Ucalegon ardet*, h. e. aedes hominis." *Wund.* Cf. Hor. Sat. I, 5, 71. *ubi sedulus hospes Paene - - arsit*, Tibull. II, 5, 21. *ardentesque deos*, Ovid. Fast. VI, 437. *quo tempore Vesta arsit.* Similiter infra III, 275. *aperitur Apollo* et ibid. v. 552. *attollit se diva Lacinia contra* (i. e. templum Apollinis, et Iunonis Laciniae) et IV, 671. *flammasque furentes Culmina perque hominum perque deorum.* Cic. Cat. mai. c. 16. *Cuius quidem ego villam contemplans — abest enim non longe a me* (i. e. a mea villa) etc. — **312**. „*Sigea freta relucent*, prospicienti ex urbe per tenebras. Cf. Quint. ibid. 464 sqq. — *lata* cum dilectu h. l. positum; nam late relucet mare circa Sigeum promontorium." *Heyn.* — *Lata* pro late. Sic Aen. XII, 785. *pater omnipotens ter caelo clarus ab alto intonuit* et permulta similia. *Sigeum* autem promont. (nunc *Ienischeer* appellatum) in ea parte litoris Troiani situm, ubi Hellespontus exit in mare Aegaeum. (Cf. Strab. XIII. p. 595. Ptol. V, 2. Steph. Byz. p. 597. Mela I, 18, 3. *Plin.* V, 30, 33. et liber meus geogr. II. p. 114.) Ut hic *Sigea freta*, ita *Aen.* VII, 294. *campi Sigei*, in Culice 306. Sigea *litora* commemorantur cett. — **313**. „*tubarum clangor* Euripidis et Tragicorum exemplo

Arma amens capio; nec sat rationis in armis,
Sed glomerare manum bello et concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi; furor iraque mentem
Praecipitant pulchrumque mori succurrit in armis.
Ecce autem telis Panthus elapsus Achivom,
Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos,
Sacra manu victosque deos parvumque nepotem
Ipse trahit cursuque amens ad limina tendit.

---

memoratur; etsi Iliacis temporibus nondum fuere tuba et lituus." *Heyn.* Vide tamen infra ad V, 113. Locum nostro simillimum legimus supra I, 87. — **314–317.** „*Nec sat rationis,* h. e. parum consilii, *in armis* [capiendis]; nec mihi satis ipsi constabat, quid et quantum his armis profuturus essem captae et incensae iam urbi. — *ardent animi* [quae verba repetuntur in Anth. Lat. III, 81, 45.], ardeo, hic unus impetus erat, *glomerare manum bello,* colligere milites ad pugnam, et cum iis (*cum sociis*) in arcem ad regem concurrere." *Heyn. Glomerare manum* redit IX, 792. Sic IV, 155. *agmina,* IX, 440. *hostes,* VI, 311. *aves,* Geo. IV, 79. *opes,* Tac. Hist. III, 31. *legiones glomerare* etc. — *bello,* ad bellum, ad pugnam; nam tertius est Casus. Sic infra III, 540. *bello armantur equi.* Geo. II, 447. *bona bello Cornus.* Ovid. Met. VII, 459. *bello vires acquirit amicas* cett. Cf. etiam VI, 599. Alius generis esse locos, ubi Dativus verbis motum aliquem indicantibus adiectus legitur, (qua de re ad Ecl. II, 30. et alibi diximus), in promptu est. — **317.** *mentem Praecipitant,* nimis maturant consilium semel captum. Sic apud Sil. III, 166. *Praecipitat consulta viri* et apud Liv. XXXI, 32, 2. *praecipitata consilia* legimus. Cf. etiam Aen. VIII, 443. et XII, 699. *praecipitare moras,* Sil. XIII, 774. *praec. tempus* et permulta similia. Verba *furor iraque mentem Praecipitant* repetuntur in Anth. Lat. III, 81, 106 sq. — „Illa una cogitatio animum subit, quam pulchrum sit, fortiter pugnando mori. Sic Geo. IV, 218. *pulchramque petunt per vulnera mortem.*" *Heyn.* — *Succurrit,* παρίσταται, eadem ratione absolute positum videmus Cic. ad Div. XVI, 2, 6. *Succurrit grave esse.* Liv. II, 38, 5. *illud non succurrit, vivere nos* etc. Plin. H. N. VII, 48, 49. *illud adnotare succurrit.* ibid. XVII, 1, 1. et XXXIV, 18, 51. *mirari succurrit* cett. Sic etiam *subire* ap. Curt. VIII, 2, 6. *subit, anniversarium sacrificium Libero patri non esse redditum.* Vid. etiam infra ad v. 560. — **318–321.** „*Panthus,* Πάνθοος, Πάνθους, sacerdos Apollinis, cuius templum erat in arce. Videtur Panthi, Othryos f., persona ducta ex Iliad. XV, 522., ubi Apollo Panthi filium, Polydamantem, tuetur." *Heyn.* Cf. etiam Iliad. III, 145. XIV, 449 sq. XVII, 40. et infra v. 429. De nomine proprio iterato vid. adnott. ad Ecl. VI, 20. Nomina appellativa eodem modo Adiectivo aliove praedicato amplificata geminantur Ecl. VI, 55. Aen. I, 109. II, 405. III, 80. IV, 25. V, 116. (VI, 86. X, 821.) et alibi. Cf. Iahn. ad Aen. XII, 858. — **319.** *arcis Phoebique sacerdos,* i. e. Phoebi, cuius templum erat in arce, ubi omnium deorum tutelarium templa esse finguntur. Cf. XI, 477. Similiter infra VII, 419. *Iunonis templique sacerdos.* — **320.** „*Sacra deosque,* h. e. simulacrum Apollinis; uti v. 293. *Sacra suosque - - Penates.* Non tamen ignoro, vasa et utensilia sacra ab aliis intelligi [quod rectius esse puto. Conington tamen et hic et v. 293. cogitat de figura ἑνὸς διὰ δυοῖν]. Deorum autem simulacrum in excidio templi et urbis ex more secum ferre et servare studet sacerdos, ut Aeneas Penates, ne in hostium potestatem veniant." *Heyn.* — *victos deos* cum magno affectu dictum, ut Aen. I, 68. *victos Penates.* — *parvum nepotem* fingit poëta ad rei miserationem augendam. Quamquam enim credibile est, Panthum, hominem iam seniorem, cuius tres filii pro Troia pugnantes, Euphorbus, Polydamas et Hypenor, ab Homero ll. ll. nominantur, plures habuisse nepotes, nihil tamen singulare de nepote quodam eius constat. — *manu - - Ipse.* Vid. adnott. ad Geo. III, 395. — *trahit,* quia *puerulus avi passus* non potest aequare. Cf. infra v. 724.

„Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?“
Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:
„Venit summa dies et ineluctabile tempus

Silius IV, 30. *dextra laevaque trahuntur Parvi, non aequo comitantes ordine, nati* et quae supra ad v. 58. adnotavimus. Ceterum ex hoc verbo voc. *ferendi* ad *sacra deosque* supplendum esse, non est cur doceam. — *cursu tendit*, i. e. se confert, adiuncta tamen celeritatis et trepidationis notione. Saepius dicitur *cursum, iter, gradum tendere* et similia. Vid. ad Aen. I, 410. et V, 834. — *ad limina*, scil. Aeneae. Huius autem domum a belli tumultu remotam (vid. v. 300.) Panthus petere videtur, quia possessorem non minus pium quam fortem virum esse sciebat, cui sacra parvumque nepotem maxima cum fide concredere posset. Verba *cursuque amens ad limina tendit* repetuntur in Ausonii cent. nupt. 54. — **322.** *Quo loco*, quo statu. Cf. Aen. IX, 723. *quo sit fortuna loco*. Hor. Epist. I, 12, 25. *quo sit Romana res loco*. Stat. Theb. VII, 558. *quo tua sit fortuna loco* et Drak. ad Liv. II, 47, 5. Verba *Quo res summa loco?* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 317. — *res summa*, salus reipublicae, ut saepissime. Cf. Plaut. Merc. V, 4, 26. *ubi loci res summa est nostra publica?* Aen. XI, 302. Nep. Eum. IX, 2. Liv. XXXIII, 7. 8. Henry (*Class. Mus.* XXIV.) locum potius sic capit: *quo loco res summa*, scil. agitur? i. e. ubi atrocissimum est certamen? coll. Liv. XXIII, 49. *ibi rem summam agi cernentes;* sed in *Tw. years* II. p. 73. et Philol. XI. p. 609. mutata sententia nobiscum facit. Thiel. haec verba de arce interpretatur, quae nunc Troianis res summa, i. e. gravissima, esse debeat; et sequentia *quam prendimus arcem* per *qualem* p. a., „*wie treffen wir die Burg?*“ in eo certe verum perspiciens, quod *arcem* proprio sensu dictum accipit. Heyn. enim aperte errat, haec adnotans: „Optimum factu, ut *arcem* pro perfugio accipias; quo confugimus?“ Wagn. ad Aen. I, 8. (ubi vid. adnott.), et ipse recte de urbis arce cogitans, *quam* minus recte explicat per *quo modo*, consentiens, ut videtur, cum Burm., haec ita interpretante: „qua via, ratione ad arcem pervenire possumus?“ *Weickert.* p. 12. (Servium secutus): „quae iam arx reliqua est, quam [pro amissa] prendere possimus? i. e. arcem non amplius possumus capere, obtinere.“ Eamque explicationem amplexi sunt Iahn. (retractans eam sententiam, quam ad Ecl. I, 19. proposuerat), Süpfl., Wagn. in min. edit. et Conington. Henry, qui prius (*Class. Mus.* l. l.) explicuerat: quem comprehendamus locum natura munitum, qui nobis sit pro arce, ex quo cum successu pugnare possimus? in *Tw. years* et Philol. ll. ll., etiam hic sententia recte mutata, interpretatus est: quo statu arcem inveniemus? potestne arx retineri et diutius defendi? Rectissimam vero omnium rationem iniisse videtur Kappes. II. p. 18 sqq., qui (in summa re cum Thielio et Henrico consentiens) locum sic explicat, ut sit Aeneae praesagientis arcem captam esse quaestio: qualem s. quo statu invenio arcem? („*als welche treffe ich die Burg?*“) quae non differat ab exclamatione: Ergo amissa est arx („*also keine Burg treffen wir mehr!*“). Eadem est Ladewigii de h. l. sententia, et Henry in Philol. XI. p. 610. nobiscum apte comparat Silium I, 598., qui haud dubie hunc locum ante oculos habuit sic scribens: *O patria, - - - quo tua nunc sunt Fata loco? sacraene manent in collibus arces?* Arcis autem sortem Aeneas facile praesagire potuit ex adspectu Panthoi (v. 320 sq.), et sic utraque eius quaestio arcte cohaeret, nam salus civitatis imprimis pendet ab arcis retentione et defensione. Denique non desunt coniecturae, quibus huic loco succurrendum censerent viri docti. Burm. enim *qua prendimus arcem?* Schrader. *qua tendimus arcem?* Peerlk. *quin prendimus arcem?* legendum esse suaserunt. — De Vocativo *Panthu* (a Graeco nomine Πάνθους), qui redit infra v. 429. (ut apud Stat. Theb. III, 546. et 573. *Melampu*) cf. Ruddim. I. p. 45. Zumpt. §. 52. 2. Kühner §. 15. not. 7. p. 27. Schneider. II, 1. p. 81. alii; et de verbo *prendendi* infra v. 444. Ovid. Am. II, 9, 3. *prendere tellurem*. Grat. Cyneg. 429. *prendere fines, ibique* Burm. — **323.** *gemitu*, i. e. cum gemitu, gemens. Cf. I, 519. III, 664. VIII, 216. 391. X, 193. XI, 609. etc. — **324** sqq. „*Admirabilis oratio*, gravitatis et doloris plena, et ea quidem sacerdotis Apol-

Dardaniae. Fuimus Troes, fuit Ilium et ingens
Gloria Teucrorum; ferus omnia Iuppiter Argos
Transtulit; incensa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in moenibus adstans
Fundit equus victorque Sinon incendia miscet
Insultans. Portis alii bipatentibus adsunt,
Milia quot magnis umquam venere Mycenis;

---

linis, et in tali rerum conditione! Euripidis illam Troad. 585. respexisse poëtam volunt: *Πρὶν ποτ' ἦμεν. Βέβακεν ὄλβος. Βέβακε Τροία.* — *summa dies*, extrema; *μόρσιμον* s. *αἴσιμον ἦμαρ* Homeri Il. VIII, 72. Sic Val. Fl. I, 542. *Accelerat sed summa dies*, ubi vid. Burm. Cf. etiam Hom. Il. VI, 448. *Ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή* cett." *Heyn.* — *ineluctabile tempus*, quod nemo eluctari potuit, quamquam per decem annos eluctati sumus, ut hoc malum arceremus; ideoque i. q. inevitabile, fatale. Sic VIII, 334. *fatum ineluctabile*. Vellei. II, 57. *ineluctabilis vis fati* cett. Wagn. confert Eur. Alc. 892. *τύχη, τύχη δυσπάλαιστος ἥκει.* — *Dardaniae* Dativum quam Genitivum haberi malim. — **325**. *Fuimus Troes*, eadem cum vi dictum, qua Cicero supplicium Catilinariorum populo nuntiavit uno illo verbo *vixerunt* (Plut. Cic. 22.). Sic simplex *fuisse* pro vixisse, periisse (Plaut. Truc. I, 2, 94. Capt. III, 3, 1. Tibull. III, 5, 32. Prudent. Cathem. praef. 2. etc.) et *esse* pro vivere (Cic. ad Qu. fr. I, 1. ad Brut. 15. ad Div. VI, 3. extr. Stat. Silv. I, 4, 1.) haud raro dici constat. Henry in *Tw. years* II. p. 74. praeter recentiorum quosdam locos in edit. III. a me prolatos confert Eleg. incerti auctoris [de Maecen. moribundo] in Wernsd. Poët. L. min. [III. p. 179.] (lacrimae tibi procident,) *Cum dicar subita voce fuisse tibi* et Plaut. Pseud. I, 3, 17. *Mortuus est, qui fuit; qui est, vivos est.* (Cf. etiam adnott. ad Catal. 14, 7.) — *fuit Ilium.* Sic Propert. II, 8, 10. *Et Thebae steterunt altaque Troia fuit.* Cf. etiam Aen. VII, 413. *et nunc magnum tenet Ardea nomen, Sed fortuna fuit.* — *Ilium et ingens Gloria Teucrorum*, ut VI, 64. *Ilium et ingens gloria Dardaniae.* — **326**. „*Ferus Iuppiter*, ut alibi *saevus*, h. e. iratus, crudelis. — *omnia Argos transtulit*, Argivis victoriam et rerum summam permisit Troia nunc eversa. [Cf. Macrob. Sat. III, 9, 15. Unus Cod. Bigot. pro *omnia* praebet *omina*, quam lectionem a Coningtone (coll. v. 178. 182. et 351 sqq.) admodum probabilem censeri miror.] — **328—333**. *Mediis in moenibus*, in media urbe; nam in arce. Cf. v. 240. 252." *Heyn.* — *adstans*, stans erectus. Cf. adnott. ad Geo. III, 545. et Aen. I, 152. — **329**. *Fundit*, frequentes ex alvo sua demittit. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 20. Petron. c. 89. haec sic imitatur: *Danai relaxant claustra et effundunt, viros.* — *incendia miscet* Heyn. recte explicat per: passim facit. Ita *miscere caedes.* (Vid. supra ad v. 298.) Conington confert Aen. X, 406. *dispersa immittit incendia.* — *victor*, qui, quod voluit, consecutus est, voti compos. Cf. Geo. III, 9. et 17. Aen. III, 439. X, 409. XI, 565. Sic etiam *victrix* Aen. VII, 544. Cf. Burm. ad Petron. 112. — **330**. *Insultans*, laetitia exsultans nosque irridens. Cf. Bach. ad Tibull. I, 3, 37. et Claud. in Rufin. I, 56. — *portis adsunt*, et per portas intrant urbem. — *portae* autem *bipatentes* non sunt simpliciter patentes, apertae, ut Heyn. explicat, sed portae duarum valvarum. Redit hoc Adiectivum, quod Maro ab Ennio sumpsit (p. 65. Hessel. s. Ann. I. fr. 44. p. 12. Vahl.), infra X, 5. *bipatentia tecta.* Intelligendae autem portae Scaeae. Cf. sup. v. 266. *portisque patentibus omnes Accipiunt socios.* — „*alii - - Millia quot*, alii ad portas ruunt tanto numero, ut vix plures prima statim profectione e Graecia exiisse putares." *Heyn.* Haec autem sententia tam praeclara est, ut non videam, quo iure Heyn. hunc versum cum Bryanto v. 331. spurium habeat, quem iure defendit Wagn., qui etiam bene perspexit, hic non sibi opponi verba *alii - - alii*, sed priores tantum *alios* iis, qui ex equo prodierint, opponi; hisque alteros alios non tam oppositos, quam eorum numero comprehensos esse, hunc in modum: „alii adsunt, i. e. vel *adveniunt, vel advenere; horum,* qui iam advenerunt, quidam vias ob-

Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi; stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci; vix primi proelia temptant
Portarum vigiles et caeco Marte resistunt.“
Talibus Othryadae dictis et numine divom
In flammas et in arma feror, quo tristis Erinys,

---

sident,“ quod non erat cur Conington improbaret. Henry in *Tw. years* II. p. 75. et Philol. XI. p. 610. praeterea memorat, hunc versum etiam eo defendi, quod totus repetatur in Ausonii Perioch. XX. Iliad., lectionem autem *unquam* a se inventam esse in 28 Codd., dum 17 *nunquam* exhibeant. — **332.** *Obsīdĕre vias* etiam apud Lucr. IV, 346. legitur, ubi vid. Wakef. — *angusta viarum.* Cf. adnott. ad Aen. I, 422. — **333.** *Oppositi*, se opponentes, obsistentes fugientibus. Cf. adnott. ad Geo. I, 206. Medic., Gud. a m. pr. aliique Codd. *oppositis*, ad *telis* relatum (ut Ovid. Halieut. 50. *Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri* et Heroid. XIII, 80. *Saevaque in oppositos pectora ferre viros*), sed Burm. vulgatam recte contra Heins. defendit coll. Aen. X, 428., literam *s* geminatam suspicatus ex sequente *stat*; cui adsentiuntur Heyn. et Wagn., qui etiam, ne bis idem dicatur, Nominativum praestare censet. — *stat - - stricta* pro vulgari stricta est; *stat* autem significantius quia enses sublati et erecti horrent. Vid. infra ad v. 774. — *mucrone corusco.* Vid. infra v. 552. — **334.** *parata neci*, i. e. necare, si quis occurrat. Cf. Ovid. Fast. III, 215. *Iam steterant acies ferro mortique paratae.* — *primi - - Portarum vigiles*, in primo urbis introitu constituti. Vid. infra v. 613. XII, 577. et adnott. ad Aen. I, 541. Gossr. de tempore intelligit: qui primi irruentibus se obiiciunt et sane loci et temporis notio hic in unam confunduntur, quae etiam Kappesii II. p. 20 sq. est sententia, qui recte disputat contra Ladew., de prima vigilia cogitantem, nam cum vigiles supra v. 266. commemorati temporis ratione habita, quo Troia capta est, iam secundae vel tertiae vigiliae esse debuerint, hic de prima vigilia sermo esse non potest. Quod intelligens etiam Ladew. in recentiss. edit. sententiam suam mutavit. Henry, qui prius in *Tw. years* II. p. 76. mihi adsensus erat, in Philol. XI. p. 610. mutata sententia *primos vigiles* simpliciter per προφύλακες, vigiles ante portas hostem versus constitutos explicandos censet. — **335.** „*caeco Marte*, nocturno proelio, in quo cerni ac discerni hostis nequit.“ *Heyn.* Cf. adnott. ad Aen. II, 19. Cum tamen v. 255. et 340. Troia plenilunio capta esse dicatur, nescio an Gossr. (cui nunc etiam Ladew. video adsentiri) rectius explicat: *in blinder Wuth*, ut XII, 279. *caeci ruunt;* quamquam ipse Vergilius etiam infra v. 360. *atrae noctis umbram* commemorat (ubi tamen vide adnott.). — **336.** *Numine divom* [per vim deorum: vid. ad Aen. I, 8.], tamquam a deo aliquo [et hic quidem ab Erinnye: v. 337.] actus - - in medium incendium et pugnas ruit Aeneas.“ [Sua enim sponte tam temerarium consilium non cepisset.] *Heyn.* Ladew. recte adiicit, sic loqui Aeneam, cum ipse non intelligat, unde sibi tam temerarium consilium venerit. Conington autem comparans supra v. 195. et III, 172. minus probabiliter *Othryadae dicta* et *numina divom* non disiuncta, sed arcte coniuncta esse censet, ut ipsis Panthoi verbis expressa sint *numina* (i. e. voluntas) *divom*, quemadmodum IX, 661. coniungantur *dicta* et *numen Phoebi*. Peerlk., cui interpretatio illa non satisfacit, verba *et numine divom* spuria et ad explendum versum imperfectum addita censet. — **337.** Cf. infra v. 511. *in hostes ferri.* XII, 346. *in proelia ferri.* X, 442. *in Pallanta feror* etc. — *Erinys* Heynio est animi impetus, ardor pugnandi. Hunc autem pugnandi ardorem suum *tristem* vocare non convenit heroi, ut verissime docet Wunderl. *Erinys* potius est dea ad caedem instigans, quae *tristis* vocatur, utpote funerum et luctus causa. Etiam Conington, qui confert Lucan. IV, 187. (*civilis Erinys*), *Erinys* est *the demon of battle.* — *Erinys* autem simplici *n* scriptum invenitur, quoties hoc nomen in Medic., Rom. et fr. Vatic. legitur, i. e. Aen. II, 337. VII, 447. 570.; quorum Codd. auctoritatem cum Wagn.

Quo fremitus vocat et sublatus ad aethera clamor.
Addunt se socios Rhipeus et maxumus armis
Epytus, oblati per lunam, Hypanisque Dymasque
Et lateri adglomerant nostro iuvenisque Coroebus
Mygdonides. Illis ad Troiam forte diebus
Venerat insano Cassandrae incensus amore

---

secuti sumus, qui de hac nominis scribendi ratione conferri iubet Blomf. ad Aesch. Prom. 525. et in Glossario p. 82 sq. ed. Lips. Iacobs. ad Anth. Pal. T. III. p. 258. imprimisque Hermann. Praef. ad Soph. Antig. ed. III. p. XIX sqq., quibus adde Ellendt. Lex. Sophocl. T. I. p. 679. — **338.** *fremitus* vox propria de pugnantium strepitu. Cf. infra V, 148. Ovid. Met. V, 2. Lucan. VII, 45. — **339—346.** De Aeneae pugna Heyn. legi iubet Quintum Smyrn. XII, 300 sqq. — *Addunt se socios*, ut VI, 778. *comitem sese addet*. — *Rhipeus* et qui praeterea hic commemorantur Aeneae commilitones, a Vergilio sunt ficti; in Homericis certe carminibus frustra eos quaesiveris. — *maxumus armis*. Pauci quidam libri *maximus annis*, male. Cf. Eleg. ad Liv. 14. *Maximus ille armis, maximus ille toga*, Val. Fl. III, 619. *socius qui maximus armis Adforet* et supra Aen. I, 545. *nec bello maior et armis*. De Superlativo (vocum maxime trisyllabarum) in *umus* exeunte vid. Wagn. Orth. Verg. p. 474. et Ribbeckii Proleg. p. 450. — **340.** *Epytus* (Ἤπυτος) pro vulg. *Iphytus* ex optimis libris Heins. restituit; et sic *Epytides* e consensu omnium librorum infra editur V, 547. et 579. *Iphytus* ex v. 435. huc translatus est; qui error haud dubie etiam effecit, ut in libris quibusdam deterioris notae scriberetur *maxumus annis* (quod iam memoravimus). — **340.** *oblati per lunam*, luna splendente agniti. Cf. supra v. 255. et infra v. 360. cum adnott. Non igitur opus est, ut cum Haeckerm. Comm. p. 26. et in *Zeitschr*. etc. XIX. p. 104. aut lunam hoc ipso tempore aliquamdiu illuxisse, aut Vergilium non satis memorem fuisse eorum, quae ante scripsisset, statuamus. — **341—346.** *adglomerant*, scil. *se* (ut XII, 457. ap. Val. Fl. II, 171. III, 87. et alibi), quod ex verbis *se addunt* repetendum videtur; quamquam hoc ne opus quidem est. Cf. adnott. ad Aen. I, 234. et II, 208. Sensus est: singuli deinceps nobis se adiungunt. Ceterum de *glomerandi* verbo vid. ad Aen. I, 500. — Rectior h. l. distinguendi ratio, ex qua quatuor viri *Rhipeus*, *Epytus*, *Hypanis* et *Dymas* se socios addunt, debetur Wunderl. Vulgo enim sic distinguunt: *Addunt se socios Rhipeus et maximus armis Epytus; oblati per lunam Hypanisque Dymasque*. Sed nulla apparet causa, cur soli Hypanis et Dymas *per lunam oblati* fuisse dicantur: et eadem nominum propriorum collocatio iam supra adfuit v. 260 sqq. Peerlk. praeter necessitatem coniecit *se lateri aggl. nostro*. — „Suaviter rerum miserabilis facies distinguitur episodio brevi de *Coroebo*, conficto illo ex Il. XIII, 363. de Othryoneo. Cf. Excurs. X. ad h. l.“ *Heyn*. Erat autem Coroebus Mygdonis, Phrygiae regis, et Anaximenae filius, qui Cassandrae succurrens interfectus est aut a Diomede (Quint. Cal. XIII, 168. Paus. X, 27.), aut a Peneleo (Virg. infra v. 424.). Tota narratio ex Posthomericis, qui vocantur, sumpta. De Coroebo vid. etiam Ovid. in Ibin 577 sq. et Stat. Theb. I, 605. Ceterum et *iuvenis Cor*. et *iuv. Mygdonides* coniungere licet; cf. IX, 335. et V, 503. IX, 28. Wagnero tamen verborum positus suadere videtur, ut *Mygdonides*, tamquam appositum Commate a praegressis seiungatur, ut XII, 517. *Arcada*. — **342** sqq. Cf. Hom. Il. XIII, 364 sqq. *Illis ad Troiam* etc. Ante Heinsium contra optimorum Codd. auctoritatem edebatur *Illis qui ad T*. (quod Pron. relat. Macrobii Codd., Sat. V, 5, 7. v. 341—344. afferentis, inserunt). Sed verissime Wagn. memorat, defectum Pronominis non posse offendere, cum quae v. 342—346. legantur, sint παρένθετα, parentheses autem eiusmodi saepe Copula destitutae inveniantur, ut supra I, 268.; coll. Gronov. ad Liv. V, 32. Drakenb. ad eund. XL, 57. et Heins. ad Ovid. Fast. III, 387. — **343.** *insano amore*, nimio, qui omnem aliam cogitationem auferens et pervertens Coroebum ad interitum vocabat. Thiel. de hoc amoris epitheto conferri iubet Taubmann. ad Plaut. Trin. III, 2, 47. Heindorf. ad Hor.

Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat,
Infelix, qui non sponsae praecepta furentis
Audierit.
Quos ubi confertos audere in proelia vidi,
Incipio super his: „Iuvenes, fortissima frustra
Pectora, si vobis audentem extrema cupido

Sat. II, 2, 5. et Interpp. ad Hor. Od. III, 21, 3. (*seu rixam et insanos amores*) et Ovid. Met. IX, 519. (*insanos fateamur amores*). Cf. etiam Ecl. X, 44. et infra v. 776. *insanum dolorem.* — **344.** Cf. Hom. Il. V, 613. *gener*, i. e. quem se fore sperabat, gener futurus. Sic etiam Pindaro Ol. VII, 4. dicitur γαμβρός et infra Aen. IV, 35. *mariti.* Cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. IV, 4, 53. Dissen. ad Tibull. III, 2, 14. Obbar. ad Hor. Ep. I, 2, 28. Vol. I. p. 155. et quae iam ad Ecl. VIII, 18. adnotavimus. — Cum verbis *Venerat - - Et ferebat* (pro: et ferens) Henry in Philol. XI. p. 611. comparat I, 480. *ibant - - peplumque ferebant.* — **345.** Cf. supra ad v. 247. adnott. „*praecepta* h. l. sunt monita vatis a deo actae, scil. Troianorum cladi ipse tamquam pars accederet, neve suas nuptias speraret." *Heyn.* — *furentis*, ἐνθουσιαζούσης, a deo actae, vaticinantis. Sic *furere*, *furor* et similia haud raro de vatibus et fatidicis. Vid. Aen. VI, 100. 262. Ovid. Her. V, 121. Cic. Div. I, 2, 4. etc. Cf. etiam III, 443. *insanam vatem adspicies.* — **346.** *Audierit* Heins. ex Medic. et aliis bonis Codd. (quibus etiam Pal. adiungendus videtur, in quo Wagn. quidem *audierat*, Ribbeck. autem *audierit* legi memorat) pro vulg. *Audierat* recte restituit. *Qui non audierit* est i. q. quippe qui, utpote qui non aud., *insofern, da er nicht hörte*, et suspensum facit enuntiatum a cogitatione et iudicio narrantis; Indicativus vero, non internum aliquem, sed externum modo connexum verborum indicans, simplicem rei gestae relationem adiungeret: *der Unglückliche, der nicht hörte;* quod hic minus aptum esse, quisque videt. Cf. infra V, 623. VI, 591. (ubi vid. adnott.) IX, 728., et contra Geo. II, 490 sq. Aen. III, 321 sqq. — **347—354.** *Audere in proelia* (ut ap. Grat. Cyn. 498. *audere in artes*, ap. Stat. Theb. I, 439. *audere in manus* et similiter Geo. III, 232. *irasci in cornua*) absolute dictum pro audacia incendi ad pugnandum, cum audacia procedere in pugnam. De hoc absoluti verbi usu cf. Tac. Hist. II, 25. *rursus ausi.* ibid. V, 11. *rebus secundis longius ausuri.* Stat. Theb. I, 439. *Neque enim meas audeat istas Civis in usque manus.* ibid. VI, 19. *ausurae trans alta ignotae biremes* cett., Barth. ad Stat. et Burm. ad Grat. ll. ll. Boettich. Lex. Tacit. p. 72 sq. — Gronov. tamen ad Senecae Herc. fur. 779. p. 59. (cf. Unger de Valgio Rufo p. 384.) et Burm. coniiciunt *ardere*; quare etiam Handius Tursell. III. p. 268. (comparans Manil. IV, 220. *in bellum ardentes* et similia) hunc locum bis sic scriptum profert: *ardere in proelia vidi.* Et sane cum v. 346. antecedat *Audierit,* v. 349. autem sequatur *audentem,* Vergilium melius sic scripturum fuisse negari nequit; et cum *audere* et *ardere* saepe a librariis confundantur (velut VII, 623. et XI. 895.), *ardere in arma* autem XII, 71. legatur, coniectura illa per se neutiquam spernenda videtur, quam etiam Peerlk. comprobat, Paldamus autem in Caesaris *Zeitschr. f. d. Alt.-Wiss.* XII. (1854.) p. 241. impugnat et Haeckerm. in *Zeitschr. f. d. Gymn.-W.* XIX. p. 404. certe supervacaneam censet. Etiam recentiores editores omnes Codd. lectionem recte, puto, servarunt. — **348.** *Incipio* absolute pro *dicere incipio.* Cf. Ovid. Met. VIII, 716. IX, 281. Sall. Iug. 109. extr. (Tac. Ann. XII, 10.) Sic etiam *ingredi* Aen. IV, 107., ubi vid. adnott. — *super his* Heynio videtur esse i. q. post haec, inde; quae temporis significatio iam inest verbis *quos ubi vidi;* quare Weickert. l. l. p. 12. rectius cum Servio *super* per insuper, *his* autem per ad hos explicat, comparans Homerica τοῖσι δ' ἦρχ' ἀγορεύειν, τοῖσι δὲ μύθων ἦρχε. Mihi *his* potius sextus Casus videtur; cum *Quos - - his* minus bene sibi respondeant, *incipere alicui* vix dici posse videatur atque etiam XI, 13. *sic incipiens hortatur* et ibid. 704. *et astu Incipit haec* legamus. Sententia *igitur haec est:* quamquam videbam satis illos per se audere, ideoque non *multo hortatu* opus esse, incipio tamen eos his verbis alloqui. Wagn. tamen in

Certa sequi, quae sit rebus fortuna, videtis.
Excessere omnes adytis arsique relictis
Di, quibus imperium hoc steterat; succurritis urbi
Incensae: moriamur et in media arma ruamus.

---

edit. min. *his* cum Weickerto explicat ad hos, quod reprehendit Wilms. Progr. laud. p. 8. mihi adsentiens, ut etiam Haeckermannum in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 104. mecum consentire video. Ceterum de illa Particulae *super* vi et pótestate supra ad v. 71. dictum. — „Quae sequuntur, sic ordinare iuvat: O iuvenes, frustra fortes, *si vobis cupido certa est sequi*, sequendi, *audentem extrema*, h. e. aliquem, qui extrema mortis pericula adire decrevit, sequimini me; agedum! moriamur, nam videtis, deos tutelares ac praesides Troiae nos plane deseruisse urbemque, cui sero succurritis, iam captam et incensam esse. Nihil igitur superest, quam honeste mori. Moriamur etc.“ Haec fere *Heyn.*, quem sequuntur Wund. et Iahn., verba *quae sit* - - *Incensae* in parenthesi posita exhibentes. Sed tam longa parenthesis in tam concitata oratione mihi non magis placet, quam Wagnero, quem recte puto apodosin a verbis *quae sit* v. 350. inchoasse, ut haec prodiret sententia: „si decrevistis me sequi, videtis omnia esse perdita: ergo, quod unum victis superest, moriamur.“ Peerlk. Vergilium sic corrigit: *Incipio*: *quae sit rebus fortuna videtis*: *Excessere omnes, adytis arisque relictis, Di, quibus imperium hoc steterat, succurritis urbi Incensae sero, o iuvenes, fortissima frustra Pectora! si vobis audentem extrema cupido Certa sequi, moriamur, et in media arma ruamus. Una salus victis nullam sperare salutem.* (!) — *fortissima frustra pectora*, qui frustra fortissimi estis, quorum fortitudo non amplius prodest civitati. Cf. infra V, 389. Ovid. Met. VIII, 140. et Lucan. VII, 736. (*peritura frustra agmina*). Simillimus est nostro locus V, 729. *lectos iuvenes, fortissima corda.* — *pectora* cum caritate quadam pro ipsis hominibus positum. Cf. Ovid. Met. III, 58. IX, 248. X, 71. Trist. IV, 10, 92. — **349**. *si vobis - - cupido*, omisso verbo *est*, ut VI, 133., ubi vid. adnott. et Wagn. Qu. Virg. XV, 9. — *cupido - - sequi.* Vid. adnott. ad Aen. I, 703. et supra ad v. 10. Unus Ladew. (qui etiam cf. in Progr. Neostrel. a. 1853. p. 22.) pro *audentem* ex Med. (cui adde Gud. et Bern. I., utrumque a m. pr., fortasse etiam Pal., in quo *auden*...) recepit lectionem *audendi* et Commate post *Certa*, Semicolo post *sequi* distinguens hunc Infin. Graeco more pro Imperativo positum censet, eandemque rationem etiam Kappes. Progr. II. p. 22 sq. defendere studet; sed vide, quae Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 376 sq. (adsentiente Haeckerm. in *Zeitschr.* XIX. p. 105.) opponit, hunc usum Infinitivi Romanis prorsus abiudicans (de quo vid. adnott. ad Aen. III, 405.) et cum loco nostro comparans geminum Aen. IX, 194 sqq. Servius haec adnotat: „Multi *audendi* legunt, multi *audenti*, sed neutrum procedit. Ergo *audentem* legendum est,“ idque praeter multos Codd. (inter quos tres Bern. Ribb. vel a pr., vel a sec. m.) etiam Isidor. Orig. I, 36, 20. exhibet. — **349**. *quae sit rebus fortuna, videtis*: omnia perdita, nihil iam sperandum esse videtis; quibus verbis apodosin priorum efficientibus respondent sequentia *moriamur* etc. ideoque, unum quod victis superest, certe fortiter pugnantes honeste moriamur. — „V. **351**. ex veteris religionis persuasione interpretandus, qua urbes captae vel capiendae a diis [sibi ipsis captivitatem timentibus] deseri credebantur. Vid. Mureti Var. Lect. V, 19., qui tamen argutatur, et Cerda ad h. l. Euripidis locum e Troad. 23. [*λείπω τὸ κλεινὸν Ἴλιον βώμους θ' ἐμούς*] iam Macrob. V. cap. extr. comparavit. Cf. Tryphiod. v. 496. 497. Hinc evocatio deorum, de qua h. l. Servius.“ *Heyn*. Adde Aesch. S. c. Th. 310. [284.] a Coningt. laud., Macrob. III, 9. Interpp. ad Silii II, 365. Mitscherl. et Orell. ad Hor. Od. II, 1, 25. *Excedere* autem verbum est proprium de hac re. Cf. Silius VIII, 442. et Tac. Hist. V, 13. — De *adytis* vid. supra v. 297., infra v. 404. 764. III, 92. V, 84. cett. — **352**. *quibus*, per quos, quorum tutela. — *steterat*. Vid. supra ad v. 163. adnott. — **353**. *moriamur et in m. a. ruamus*, per hysteron proteron *satis grave et* nervosum, de quo vid. adnott. ad Aen. *III, 662. Moriamur et ruamus* autem pro ruentes vel ruendo moria-

Una salus victis nullam sperare salutem."
Sic animis iuvenum furor additus. Inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos inproba ventris
Exegit caecos rabies catulique relicti
Faucibus exspectant siccis, per tela, per hostis
Vadimus haud dubiam in mortem mediaeque tenemus
Urbis iter; nox atra cava circumvolat umbra.

---

mur. Cf. supra ad v. 208. et 224. adnott. Bryce in his verbis gradationem aliquam invenit, quae sic explicat: moriamur, non tamen ut etiam homo iners et ignavus mortem sibi consciscere potest, immo ruendo in hostes et fortiter pugnando mortem quaeramus. Ceterum cf. supra v. 337. — **354**. „*Una salus*: intell. honestam mortem, qua se ab hostium potestate liberent. Eadem sententia legitur apud Stat. Theb. XI, 259. et alibi." *Heyn*. Cf. Cic. ad Div. V, 13. Senec. N. Q. II. sqq. cett. et Ruhnk. ad Vellei. II, 5, 3. — **355**. *animis furor additus*, inflammati sunt. Cf. Stat. Theb. V, 33. *O miserae, quibus hic furor additus*. — „Comparatio tantum ad impetum et rabiem irruentium referenda; nil amplius. Homerus comparatione luporum saepe utitur, v. c. Il. XI, 72. *οἱ δέ, λύκοι ὥς, Θῦνον*. *Lupi raptores* ex epitheto *σίνται*, Iliad. XVI, 353. natum videtur; et XVI, 156. *λύκοι ὥς Ὠμοφάγοι* item Odyss. VI, 133. de leone: *κέλεται δέ ἑ γαστὴρ, Μήλων πειρήσοντα - - ἐλθεῖν*." *Heyn*. — **356**. *lupi raptores*. Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 13. Geo. II, 145. Aen. I, 21. Sic Ovid. Met. X, 540. (ubi vid. Bach.). *Raptoresque lupos - - Vitat*. Vell. Pat. II, 27, 2. (ubi vid. Ruhnk.) *numquam defuturos raptores Italicae libertatis lupos*. Phaedr. I, 31, 5. *milvius raptor* etc. Comparatio hominis cum lupo redit infra IX, 59 sqq. — „*atra in nebula*, [ut in loco modo comm. v. 61. *nocte super media*] ex observatione sagacitatis in talibus animantibus. Sic Apollon. II, 124. *ἤματι χειμερίῳ* lupos praedari facit et Hom. Il. X, 297 sq. *Βάν ῥ' ἴμεν, ὥστε λέοντε δύω, διὰ νύκτα μέλαιναν Ἂμ φόνον, ἂν νέκυας, διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα* (*per tela, per hostes*)." *Heyn*. Ceterum Praepos. *in*, quae abest a Codd. quibusdam, defenditur etiam auctoritate Lactantii V, 9. — Cum seqq. verbis compara Hom. Od. VI, 133. de leone: *κέλεται δέ ἑ γαστήρ, μήλων πειρήσοντα* etc. — *improba ventris rabies*, magna, insatiabilis voracitas et fames crucians. De epitheto *improbus* vid. adnott. ad Geo. I, 119.; *rabies* autem de lupi edacitate etiam infra IX, 64. et ap. Ovid. Met. I, 234. *Colligit os* (Lycaonis in lupum mutati) *rabiem* et XI, 369. (lupus) *saevit pariter rabieque fameque*. Conington comparat *κοιλογάστορας λύκους* Aeschyli S. c. Th. 1035. (980.) — *exegit* e latebris suis. — *caecos*. Hoc Adiectivum Latinis haud raro poni de effrenatis (habendi maxime et edendi) cupiditatibus [quae animum occaecant et omnia pericula contemnere cogunt] Thiel memorat, his locis collatis: Cic. pr. Quint. 26. pr. Rosc. Am. 25. pr. Sext. 10. Iuven. XII, 51. Lucan. I, 87. et Bentl. ad Hor. Epod. VII, 13. — **358**. *per tela, per hostes*. Ladew. conferri iubet Hom. Il. X, 298. Liv. VIII, 30, 6. et IX, 39, 8. De Praepositionibus a poëtis maxime et oratoribus cum singulari quadam vi magnoque cum vigore simplicis Copulae loco repetitis vid. supra v. 51., infra v. 364. 527. 664. VI, 404. VII, 499. IX, 557. XI, 477. 497. 696. XII, 293. 318. 682. Hor. Ep. I, 1, 46. ibid. I, 2, 12. Tibull. II, 1, 67. etc. Cf. Beier. ad Cic. Off. I, 14, 42. Iacobs. *Blumenl.* II. p. 94. Zumpt. §. 744. Thiel. ad h. l. et Aen. IX, 556. Vid. etiam adnott. ad Ecl. IV, 6. Longe alia ratio est eorum locorum, ubi, cum de rebus cogitatione seiunctis sermo sit, optimo cuique scriptori, etiam pedestris orationis, Praepositiones post Copulam sunt repetendae. — **359**. „*Vadimus*: impetum et furorem notat verbum in hoc contextu; ut et alibi *ἔρχεσθαι*, *ire*. [Burm. confert infra v. 396. 414. Val. Fl. VI, 229. Phaedr. IV, 17.] — **360**. *Nox circumvolat*, quippe alata inf. VIII, 369. Sic Somnus, Somnia. Vid. ad Tibull. II, 1, 89. — *cava umbra*, quatenus ipsi ea circumdantur." *Heyn*. Scilicet ut alibi (V, 810. IX, 671. X, 636.) *nubes* eadem de causa *cavae* dicuntur, qua Geo. IV, 196. *nebulae inanes*,

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet aut possit lacrimis aequare labores?

---

quia nihil solidi, firmi et compacti continent (quare etiam VI, 293. de *imagine cava,* i. e. inani, sermo est), utque propterea, quod hac ipsa natura sua omnibus facile cedit et cuique rei se circumfundit, *cava nubes* interdum idem est, quod ambiens aliquid, circumfusa alicui rei (velut Aen. I, 516. *nube cava amicti* et Ovid. Met. V, 251. *cava circumdata nube* (Tritonia) *Seriphon Deserit*: cf. etiam Aen. V, 810, et X, 636.), sic hic nocti *umbra cava,* i. e. omnia involvens et tegens, tribuitur. Simillimus huic locus legitur infra VI, 867. *nox atra caput tristi circumvolat umbra.* Ceterum Ortuinus et cum eo Peerlk. (qui etiam temere haeret in iterato voc. *noctis*: cf. Iahn. ad Aen. I, 315. p. 446. ed. II.), Gossr. et Gruppe in Minoe p. 198. haec verba *Nox atra c. c. umbra* spuria censent, versum imperfectum fuisse suspicati. Sed recte Iahn. ea non solum Vergilio digna, sed etiam ob v. 370 sq. necessaria iudicavit; cui Wagn. adsentitur, verbi *atra* repetitionem post breve intervallum (v. 356.) aliis locis similibus excusans (vid. adnott. ad Ecl. VI, 16. Aen. I, 315. II, 207.), omnem tamen locum aliam difficultatem continere arbitratus, quem Qu. Virg. XL, 2., collatis verbis v. 340. *oblati per lunam,* inter eos refert, ubi Vergilius dormitasse videatur, quod ut statuamus, minime opus est. Thielius enim censet, Vergilium cogitasse de tali anni tempore, ubi luna iam media nocte occidit, ita ut accessum Graecorum et primum concursum Troianorum (v. 255. et 340.) lunae splendor adiuvasse, quae autem inde ab hoc versu, quo atrae noctis ingressus diserte indicetur, sequantur res horroris et miseriae plenae, noctis tenebris involvi iure dicantur (cf. v. 397, 420, 569, 621, 725.). Quod quibus fortasse paullo subtilius disputatum videbitur (cum sane, quod Thielius de luna media nocte occidente dicit, cum plenilunio vix conciliari possit, atque tam atra nocte mutatione armorum, quae v. 389 sqq. narratur, non opus fuisse videatur), ii cum Bryceo, Ladew. et Wagn. in min. edit. cogitent de obscuratione lunae nubibus ad tempus effecta, vel potius statuant, noctem etiam luna lucente ob universam naturam suam atram *caecam* (v. 397.) et *obscuram* (v. 420.) dici posse (quae etiam Kappesii II. p. 25 sqq. docte de h. l. disputantis est sententia); etsi non nego *spissas umbras noctis* v. 621. commemoratas huic opinioni quodammodo adversari. Non tamen inde sequitur, epitheta illa noctis, *atra, caeca, obscura,* quibus poëta in hac narratione utitur, pro epithetis mere ornantibus habenda esse, quod Süpflius censet, quamquam ipse recte perspexit, iis non tam obscuritatis, quam horroris et metus cum nocte coniuncti notionem inesse. Omnia tamen haec rei expediendae pericula caderent, si nobis, metaphorico vocis usu non clarius indicato, liceret ingeniosam et poëticam Henrici opinionem sequi (in Fleckeis. Annal. phil. a. 1867. p. 719 sqq. prolatam), qui comparans Aen. VI, 866., Hom. Od. XX, 351 sqq. Silium IX, 44. (ubi sane legimus *nox Stygia quas iam circumvolat umbra*) Hor. Sat. II, 1, 58. Stat. Silv. V, 1, 216. (Aen. VI, 827 sqq. Hor. Od. I, 4, 16. aliosque locos) et premens verbum *circumvolat* docere studet, *noctem* non proprie, sed de nocte sepulcri, quae umbra mortis Aeneam eiusque comites *in haud dubiam mortem vadentes* circumvolet, esse intelligendam. — **361.** „Odyss. III, 113. τίς κεν ἐκεῖνα Πάντα γε μυθήσαιτο καταθνητῶν ἀνθρώπων; imitatus Silius V, 421 sq. et II, 650 sqq., ubi plura in Sagunto eversa ex altero Aeneidis libro petita sunt. Sic illa mox v. 363., quae inter eximios locos equidem ponere soleo, *Urbs antiqua ruit,* belle translata sunt ibid. v. 654 sqq.“ *Heyn.* — **361** sq. Cf. Hom. Od. III, 113 sq. — *fando Explicet,* ut infra IV, 333. *fando Enumerare.* — **362.** Respexerunt hunc locum Silius II, 654 sqq. et Orosius II, 18, 139. *Quis enim cladem illius temporis, quis fando funera explicet, ut aequare lacrimis possit dolores?* — *lacrimis aequare labores.* Satis notum *dictis, dicendo aliquid aequare* (Liv. VI, 20. Plin. Ep. VIII, 4. Sall. Cat. 3. etc.). Quare vix opus erat, ut Conington adnotaret, *laboribus* esse Ablativum, non Dativum, et Servium errare de hypallage *loquentem* („*pro: laboribus* aequare lacrimas, ut (III, 61.) Dare

Urbs antiqua ruit multos dominata per annos,
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora perque domos et religiosa deorum
Limina. Nec soli poenas dant sanguine Teucri;
Quondam etiam victis redit in praecordia virtus
Victoresque cadunt Danai. Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor et plurima mortis imago.
Primus se Danaum magna comitante caterva
Androgeos offert nobis socia agmina credens

---

classibus austros.)" — **363.** *Urbs antiqua ruit.* Cf. v. 290. *Ruere* cum singulari vi de urbium interitu. Cf. Hor. Epod. XVI, 1. Silius II, 655. De epith. *antiqua* vid. adnott. ad Aen. I, 12. Pro *labores* Codd. quidam *dolores*, quod etiam Orosius in suo Codice legit. (Vide supra.) — *multos dominata per annos.* Cf. infra v. 556 sq. — **364.** *sternuntur corpora.* Cf. Epit. Iliad. 356. *totis sternuntur corpora campis.* „*Inertia corpora* possunt esse sine vita et motu [ut ap. Claud. R. Pros. I, 20.]; malim tamen accipere pro corporibus inertium hominum dictum, h. e. imbellium, senum, infantum, feminarum: ut pecora inf. IV, 158." *Heyn.* Sunt igitur corpora inermium, qui se defendere non possunt. Cf. infra IV, 158. et IX, 730. Ceterum vid. adnott. ad Aen. I, 70. et 193. — *passim,* variis locis dispersi. Cf. Aen. III, 510. *passim in litore sicco corpora curamus.* Apulei. Met. VIII. p. 210. *passim prostrati solo* cett. et Hand. Tursell. IV. p. 406. — **365.** *domos.* Voss. praetulit duorum Codd. lectionem *domus.* Sed vide adnott. ad Geo. IV, 446. — *religiosa deorum Limina,* i. e. sancta. Sic Cic. de imp. Cn. Pomp. 22, 65. *fanum religiosum.* pr. Planc. 35, 86. *religiosa altaria.* pr. Rab. perd. 2, 7. *religiosi loci* cett. Vid. Festus v. *religiosus.* p. 231. ed. Lindem. Ceterum Kappes. II. p. 27. recte cum Servio nos attentos facit ad gradationem in h. l. conspicuam: non solum in plateis, sed etiam in domibus adeoque in ipsis deorum templis strata interfectorum corpora conspiciuntur. — **366.** *poenas dant sanguine,* pro caeduntur, moriuntur. Cf. supra v. 72. — **367.** „Sententia eadem, aliter tamen expressa, Iliad. XIV, 480. 481." *Heyn.* Totus hic versus cum initio sequentis iteratur in Anth. Lat. III, 81, 78 sq.; respexit autem hunc locum Tac. Agr. 37. *et aliquando etiam victis ira virtusque.* — *Quondam,* i. e. suo tempore, aliquando, interdum, quo sensu hoc Adverbium imprimis in comparationibus haud raro usurpatur. Cf. Geo. III, 99. IV, 261. Aen. II, 416. VII, 378. 699. XII, 863. Lucr. VI, 108. Hor. Od. II, 10, 18. Sat. I, 2, 55. Ovid. Fast. II, 799. Prop. II, 7, 2, Cic. Div. I, 43. extr. (Sic etiam *olim* infra V, 125. (ubi vid. adnott.) VIII, 391. Geo. IV, 433. et alibi). Cf. Ruhnken. ad Ter. Eun. II, 2, 15. Heins. ad Ovid. ex P. I, 7, 71. Hand. ad Stat. Silv. II, 67. Schmid. ad Hor. Ep. I, 18, 78. Bach. ad Ovid. Met. IX, 170. et Orell. ad Hor. Sat. II, 2, 82. — **368.** „*Crudelis luctus,* ut *saevus dolor,* qui in nos saevit. [Sic *crudelis vita* VIII, 579. et IX, 497. i. e. cum acerbo dolore coniuncta.] — **369.** *plurima mortis imago,* h. e. *ubique* caedes facta cernitur; passim caesorum cadavera proiecta. Magis hoc accommodatum antecedentibus, quam varias caedis formas et genera intelligere." *Heyn.* Cf. Ovid. Met. X, 726. *repetitaque mortis imago.* Petron. c. 123. (v. 257.) *lurida mortis imago.* Wagn. comparat Tac. Hist. III, 28. *varia pereuntium forma et omni imagine mortium.* Praeterea cf. Aen. VI, 405. VIII, 557. IX, 294. XII, 560. De Singulari *plurima imago* vid. adnott. ad Ecl. VII, 60. Ceterum totus v. 369. cum ultimis superioris verbis affertur ab Orosio II. 5. extr. — **370.** *magna comitante caterva,* ut supra v. 40. — **371.** „*Androgeus* alibi non commemoratur in Troicis. Pomponius Sabinus: *miles Menesthei, ducis Athenarum;* nescio, unde habeat. Diversus est Minois filius VI, 20." *Heyn.* Graecam formam Androgeos ex Med., Pal., Gud. a *m. pr., Paris. 3.,* tribus Bern. (a pr. vel sec. m.), Cod. Reg. Prisc. p. 602., *Serv.* aliisque Grammaticis hic et infra v. 382. cum recentissimis edit.

Inscius atque ultro verbis compellat amicis:
„Festinate, viri. Nam quae tam sera moratur
Segnities? Alii rapiunt incensa feruntque
Pergama: vos celsis nunc primum a navibus itis?“
Dixit et extemplo — neque enim responsa dabantur
Fida satis — sensit medios delapsus in hostis.
Obstipuit retroque pedem cum voce repressit.

---

inde a Wagn. recepimus (ut V, 265. *Demoleos*). Vid. etiam infra ad v. 392. et VI, 20. et cf. adnott. ad Ecl. VI, 13. — *socia agmina*. Sic infra v. 613. *socium agmen*. — 373. *Nam quae*, non i. q. quaenam, quae tandem, ut vulgo interpretantur. Immo sensus hic est: Festinate viri, nam nihil est morandum. Quae igitur segnities vos moratur? Cf. adnott. ad Geo. IV, 445. — *sera - - Segnities*, ex qua sero veniunt, quae seros, i. e. tardos, facit; *langsam*, *träge*. Sic Val. Fl. IV, 705. *serus amnis*. — 374. *rapiunt feruntque*. Heyn. confert Graec. ἄγειν καὶ φέρειν, quod, certe si discrimen illud spectamus, ex quo ἄγειν de hominibus et animalibus, φέρειν de rebus inanimatis dicitur (cf. praeter alios Krüger. Ind. ad Xen. Anab. v. ἄγειν), minus huc quadrat; quamquam negari nequit, etiam Graecos illud discrimen non ubique servasse, sed utrumque verbum saepe ita coniunxisse, ut omnino τοῦ ἁρπάζειν καὶ λῃστεύειν notionem exprimeret. Ut hic *rapere* et *ferre*, ita ap. Sall. Cat. 11, 4. *rapere*, *trahere*, *agere*, Iug. 41, 5. *ducere*, *trahere*, *rapere*, ap. Cic. Rep. III, 33, 45. *agere*, *rapere*, *dissipare*, ap. Liv. XXII, 1. *rapere et agere* coniunguntur. — *Pergama*, praedam Pergamorum. — 375. *nunc primum*, i. e. nunc demum. Cf. adnott. ad III, 205. et VII, 118. et Wagn. Qu. Virg. XXVIII, 5. — *itis* pro venitis. Simplex verbum *eundi* haud raro pro compositis omninoque pro verbis quemcumque motum indicantibus ponitur. Sic Ter. Eun. II, 3, 13. Adelph. III, 3, 7. Stat. Theb. XII, 360. (pro *venire*), ibid. IV, 776. Ovid. Met. II, 331. et supra v. 173. (pro *fluere*), Am. IV, 130. (pro *exire*), Ovid. Am. III, 62. Her. XV, 61. (pro *praeterire*), Lucr. III, 527. Luc. II, 263. (pro *obire*, *perire*), Ovid. Met. VI, 146. Quinct. Inst. VII, 1. extr. (pro *discurrere*, *percurrere*) cett. Ceterum Conington in fine versus Punctum posuit pro interrogationis signo; sed quaestio fortius exprimit Androgei mirationem et indignationem. — 376. „Notabilis est verborum structura per copulam apud Virg. Aen. II, 376. *dixit*, *et extemplo - - sensit*.“ Haec Hand. Tursell. II. p. 671., ubi agit de Part. *extemplo* pro *continuo*, *sine mora* usurpata, ut infra IV, 173. V, 426. 746. VI, 210. etc. Vid. etiam infra ad v. 692. — *Responsa non fida satis*, quae fidem non faciunt, ideoque suspecta. Recte autem Servius cogitare videtur de symbolo, quo utebantur in bello, vel de tessera militari, de qua cf. Ruperti ad Sil. VII, 347. Respexit hunc locum Statius Theb. II, 535–537. — 377. *sensit delapsus*, ᾔσθετ' ἐμπεσών, delapsus in hostes sensit (se delapsum esse), ideoque i. q. intellexit se in hostes incidisse. De hac attractione Graeca, quam pedestris Romanorum oratio nisi in verbis cupiendi et appetendi imitari sibi non indulsit, poëtae vero etiam ad verba sentiendi et declarandi transtulerunt, cf. praeter eos, quos laudat Obbar. ad Hor. Ep. I, 7, 22. Vol. I. p. 341., Markl. ad Stat. Silv. V, 3, 69. Wagn. ad Eleg. ad Messal. p. 43. et Qu. Virg. XXIX, 6. Io. Aug. Wagner. ad Val. Fl. VI, 490. Walch. ad Tac. Agr. 27. p. 319. Bötticher. Lex. Tacit. §. 235. Schmidt. de Infin. p. 86. alii et quae iam ad Geo. II, 510. adnotavimus. Gossrau, qui singularem de h. l. scripsit Excursum, ut omnibus, quotquot huc faciunt, locis congestis (quorum tamen haud pauci prorsus alius sunt generis) demonstraret, hanc graecam constructionem a Vergilio esse alienam (quod tamen minime evicit), *sensit* prorsus absolute dictum (ut III, 669. VIII, 393. alibi) et ex totius loci connexu verba *errorem suum* vult intelligi. Ceterum Prisc. p. 1183. et al. pro *delapsus*, quod Med. et meliores Codd. tuentur, exhibet *illapsus*, et plures Codd. male *dilapsus*. — 378. *Obstipuit*. Vid. ad Geo. IV, 351.

Inprovisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens trepidusque repente refugit
Attollentem iras et caerula colla tumentem:
Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
Inruimus densis et circumfundimur armis
Ignarosque loci passim et formidine captos
Sternimus; adspirat primo Fortuna labori.
Atque hic successu exsultans animisque Coroebus
„O socii, qua prima, inquit, Fortuna salutis

---

et Aen. I, 513. — *retroque pedem cum voce repressit*, ut vocem repressit (cf. Aen. IX, 324.), ita pedem retraxit. De pleonasmo *retro reprimere* vid. ad Geo. I, 200. Wagn. confert Ennium ap. Macrob. VI, 2. (p. 168. Hessel. s. p. 156. Vahl.) *Sol equis iter repressit.* — **379—381.** Comparatio ab Homero petita, Il. III, 33 sqq. Cf. etiam Ovid. Fast. II, 341. *Attonitusque metu rediit, ut saepe viator turbatum viso retulit angue pedem* et Iuven. I, 43. *Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem.* — *aspris* pro asperis; de qua syncope cf. adnott. ad Geo. III, 166. Aen. IV, 59. et al. Conington comparat Ennium [Heduph. v. 2. p. 166. Vahl.] *Mures sunt Aeni, aspra ostrea plurima Abydi*, ubi tamen Vahlen edidit *spissa*. Sic ap. Pallad. XIV, 67. *aspro velamine* et ap. Scrib. Larg. Comp. 180. extr. *linteo aspro.* — Totus v. 379. iteratur in Anth. Lat. I, 178, 369. — **380.** *humi nitens*, incedens per humum. Cf. Cic. N. D. II, 48, 124. *crocodili fluviatilesque testudines ortae extra aquam, simul ac niti possunt, aquam persequuntur.* — **381.** *Attollentem iras*, h. e. caput iratum, ideoque i. q. caput prae ira erigentem (cf. adnott. ad XII, 4.), *et caerula colla tumentem.* Cf. Geo. III, 421. *tollentemque minas et sibila colla tumentem* ibique adnott. — V. **382.** contra Schraderum, qui cum otiosum putabat, tamquam imitationem antiquae simplicitatis recte defendit Peerlk. — *visu tremefactus*, ut supra v. 212. *visu exsangues.* — **383.** *circumfundimur armis.* Cf. Aen. III, 634. Geo. IV, 274. Caes. B. C. III, 63. B. G. VI, 36. VII, 28. Liv. XXII, 14. extr. cett. — *densis*, ut infra v. 383. Cf. etiam VII, 673. XI, 650. XII, 409. IX, 534. XI, 834. XII, 280. 457. 563. De Copula *et* postposita vid. adnott. ad Ecl. I, 34. — **384.** *passim Sternimus.* Vid. supra v. 364. — **385.** *adspirat*, i. e. adiuvat, favet. Primum de vento secundo (Aen. VII, 8.), tum de divino afflatu dicitur, quo quis ad rem aliquam suscipiendam excitatur et inflammatur; deinde omnino pro *annuere, favere, iuvare* usurpatur. Cf. Aen. IX, 525. *Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti.* Ovid. Met. I, 2. *Di coeptis - - Adspirate meis.* Tibull. II, 1, 35. *Huc ades* (Messala), *adspiraque mihi.* II, 3, 71. *quibus adspirabat Amor* et, qui fortasse hunc locum ante oculos habuit, Ammian. XIX. p. 150. *adspiravit auram quandam salutis Fortuna.* Eodem sensu etiam *afflandi* verbo utuntur. Vid. Heyn. ad Tib. II, 1, 80. Thiel. comparat Cic. Tusc. V, 9, 27. *Fortuna, omnes aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses*, et de *prospero* aut *adverso fortunae flatu* conferri iubet Liv. XLV, 8. Beier. ad Cic. Off. II, 6, 19. et Ruhnk. ad Rut. Lup. p. 172. ed. Frotscher. — *primo labori.* Cf. Silius IV, 311. *primumque laborem - - cassum videt.* Conington comparat Aesch. Pers. 97. (89.) *φιλόφρων γὰρ σαίνουσα τὸ πρῶτον παράγει βροτὸν εἰς ἀρχύστατα.* — **386.** *successu exsultans animisque.* Wund. *animos* refert ad fortitudinem sociorum, ut sensus sit: Successu et virtute sociorum effertur Coroebus. Sed rectius Wagn., cui *animis alterius exsultare* vix Latinum videtur, docet, *exsultare* non solum de laetitia, sed etiam de fiducia illa dici, quae cernatur in audacia et fortitudine, ut V, 398. *iuventas, qua fidens ille exsultat*, et X, 813. *Nec minus ille Exsultat demens, Lausus.* Sensus igitur est: „Coroebus et laetatur successu et maiores capit animos," vel, ut equidem explicuerim: exsultans successu et animo inde sibi addito. Pluralis autem maiorem, quam Singularis, indicat animum (*in vielfachem Muthe*). Vide XI, 491. *Exsultatque animis.* Cf. etiam Geo. III, 105. In Anth. Lat. I, 172, 16.

Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur!
Mutemus clipeos Danaumque insignia nobis
Aptemus. Dolus an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi.“ Sic fatus deinde comantem
Androgei galeam clipeique insigne decorum
Induitur laterique Argivom accommodat ensem.

---

pro *exsultans animi* ex hoc loco restituendum videtur *exsultans animis.* — **388.** *Qua ostendit se dextra;* qua Fortuna se faventem ac propitiam ostendit. Cf. Aen. IV, 579. VIII, 302. Sic *Iupiter dexter* apud Pers. V, 114., *dexter deus* apud Silium V, 227., *sidus dextrum* Stat. Silv. III, 4, 63., *omen dextrum* Val. Fl. I, 245., *pes et hora dextra* Sil. VII, 172. cett. Cf. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 3, 38. — *sequamur.* Cf. locus simillimus XII, 625. *sequamur - - qua prima viam victoria pandit.* Ceterum animadverte, quam efficaciter haec verba Coroebi fiduciae pleni pugnent cum Aeneae verbis v. 354. *Una salus victis nullam sperare salutem.* — **389.** „*Insignia* nimis fortasse argute de clipeorum insignibus ac sculpturis vel de galeis et crista accipiunt. Enimvero poëtarum ratione vel ipsi *clipei* sunt *insignia*, quatenus Danai his ipsis insigniuntur, ut mox *clipei insigne;* vel, ut malim, omnino arma, quibus dignosci poterant.“ *Heyn.* Recte; tamen imprimis clipei et galeae sunt intelligendi, utpote insignibus ornati. Cf. infra v. 392. Tac. Hist. I, 38. extr. Liv. XXVII, 33, 3. *notum insigne galeae.* Sil. X, 564. *Clipeus terror Nomadum atque insigne superbum*, ubi *insigne* de galea cum crista intelligitur, coll. v. 399. *Galeis carpsere superbum cristarum decus;* et Interpp. ad Caes. B. G. I, 22. *Id se a Gallicis armis atque insignibus cognovisse.* Ceterum Vergilium contra Homeri auctoritatem diversa sumere Graecorum et Troianorum arma, etiam infra ex v. 393. et III, 306. apparet. — **390.** *Dolus, an virtus,* sit, adhibeatur. — *quis - - requirat,* i. q. quis est, qui requirat. — *in hoste,* in causa hostis, si cum hoste agatur. Verba *dolus an virtus - - - requirat?* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 88. *dolus*que et *virtus* etiam ap. Lucr. V, 856. sic sibi opponuntur. — **391.** *Arma dabunt ipsi.* Henry (*Class. Mus.* XXIV. *Tw. years* II. p. 77. et Philol. XI. p. 611.) hoc *ipsi* rectissime non solum de caesis hostibus intelligit, quorum armis uti velint, ne tautologia insit post verba *mutemus clipeos* etc., sed ad hostes omnino refert, ut sensus sit: eo, quod caesorum hostium arma induimus, Graecos cogamus, ut nolentes volentes ipsi nobis arma suppeditent. — *Deinde,* ut *εἶτα* (vid. Herm. ad Viger. p. 772.) haud raro Participiis addi et modo subiici, modo praeponi solet. Cf. imprimis Wagn. Qu. Virg. XXV, 7., qui comparat cum h. l. infra V, 14, 400. VII, 135. VIII, 481. et de Part. *tum* (Aen. V, 382. et XII, 5.) et *sic* (Aen. I, 225.) prorsus eadem ratione usurpatis agit, laudato Beiero ad Cic. Off II, 5, 16. Adde Tursell. de partt. c. 233, 3. p. 1302. Kritz. ad Sall. Cat. 51, 40. et Bach. ad Ovid. Met. XI, 263. — *comantem galeam,* cristatam, *ἵππουριν;* *comans* enim i. q. comatus. Cf. Geo. III, 312. (IV, 122.) Aen. III, 468. XII, 86. (413.) etc. — **392.** *Androgei* hic servavimus (ut etiam reliqui recentiores editores), cum praeter Codd. etiam Charis. p. 71. P. et Serv. hanc Latinam formam agnoscant et Probus Inst. II, 1, 39. diserte scribat „Vergilius: Androgeos Androgei;“ infra tamen VI, 20. ob communem fere Codicum et Grammaticorum consensum formam *Androgeo* recepimus. Vid. supra ad v. 371. — „*clipeum induitur, ἐνεδύσατο,* loro super humeros iniecto et inserta manu [sinistra clipei] ansae, *ὀχάνῳ*. Cf. infra v. 671. 672.“ *Heyn.* Vid. etiam Hom. Il. XIV, 377. — *clipei insigne decorum* aut pro clipeo simpliciter positum (cf. v. 389.), aut fortasse rectius cum Süpflio, Gossravio et Ladew. de clipeo insigni aliquo ornato cogitandum. Vid. VII, 657. Sic ornatum describitur scutum Achillis ap. Homerum (Il. XIX, 478 sqq.), Herculis ap. Hesiodum, Aeneae ap. Vergilium VIII, 625 sqq. Cf. etiam Prudent. c. Symm. I, 488. *clipeorum insignia.* — *lateri accommodat ensem,* sic ap. Silium V, 146. *Hinc ensem lateri dextraeque accommodat hastam* et ap. Ovid. Met. VIII, 209. *humeris accommodat alas.* — **394.** *ipse Dymas;* cui igitur a poëta maio

Hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas omnisque iuventus
Laeta facit; spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus inmixti Danais haud numine nostro
Multaque per caecam congressi proelia noctem
Conserimus, multos Danaum demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad navis et litora cursu
Fida petunt; pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum et nota conduntur in alvo.

---

quam ceteris, dignitas tribui videtur. Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 96. et X, 63. Ceterum cf. similis Ovidii locus Met. III, 617. *Hoc Libys, hoc flavus, prorae tutela, Melanthus, Hoc probat Alcimedon* etc. — **395.** *Spoliis recentibus* Heyn. pro novis, aliis, quam quae habuerunt, armis positum putat; sunt potius arma modo parta intelligenda. — **396.** „*Haud numine nostro*, h. e. averso, nobis non propitio. *At si - - Audiat aversa non meus aure deus* Tibull. III, 3, 28., ubi vid. not. Mox v. 402. *invitis divis, ἀέκητι θεῶν.*" *Heyn.* Adde Ovid. Her. II, 126. *protinus illa* (vela) *meos auguror esse deos.* ibid. XII, 84. *meos deos.* Met. IV, 373. *Vota suos habuere deos.* Cf. etiam Geo. IV, 22. 190. Aen. V, 832. XII, 187. XIII, 195. Hor. Epod. IX, 30. *Ventis iturus non suis.* Ter. Ad. V, 6, 10. *paullatim plebem facio meam.* Cic. pr. Mil. 1, 3. *reliqua multitudo civium nostra est.* id. pr. Quinct. 7, 29. *utebatur populo suo* etc. Cf. ad locos supra laud., imprimis Geo. IV, 190., adnott. Part. autem *haud* Substantivis praefigitur, ubi attributivi nominis notio tollenda et contraria est cogitanda, ut docet Hand. Tursell. III. p. 25. Paullo aliter locum explicat Ameis. in Muetzellii *Zeitschr.* etc. VII. (1853.) p. 932., qui *numen* hic et in omnibus illis locis, quos iam supra ad I, 8. attulimus (II, 777. III, 363. etc.), capit de consilio et decreto deorum (*Götterbeschluss*) ad Aeneam eiusque socios pertinente, cuius loco haud raro etiam *fata* vel *fata deûm* ponantur, ut I, 32. 39. 205. 258. 262. 382. II, 67. 294. III, 7. 17. 395. IV, 110. 225. 340. 440. etc. Dietsch. tamen Theol. Verg. p. 10. hanc explicationem impugnans aut verba *haud numine nostro* ab insulso librario assuta, aut coniectura audaci *indumine falso* scribendum esse censet. Sed vide, quae Ladew. in Append. p. 242. et contra eum et contra Haeckerm. disputavit, qui in Comm. p. 28. et in *Zeitschr.* etc. XIX. p. (50. et) 105. haec verba coll. Aen. I, 674. ad Troianos a coniunctione cum Danais abhorrentes refert. *Numen* enim hoc sensu de hominibus dici non potest, nisi ubi cum diis eodem loco et numero habentur. Superest, ut referam in Gud. et Bern. I. Ribb. a pr. m. male scriptum esse *nomine.* Henry in Philol. XI. p. 612. memorat, inter 36 Codd. a se collatos non nisi illos duos (Gud. 70. et Bern. 172.) hanc praebere lectionem ab alia manu in *numine* mutatam. — **397.** *nox caeca*, qua nihil cerni potest, ut iam supra v. 305. — *proelia Conserimus.* Cf. Liv. XXI, 50, 1. XXVII, 48, 3. XXXV, 4, 2. etc., ubi *pugnam, proelia, certamen conserere.* Saepius sane *manum* vel *manus conserere* (μιγνύναι τὰς χεῖρας) legitur. — **398.** *demittimus Orco*, Homeri (Il. I, 3. etc.) Ἄϊδι προϊάπτειν. Cf. supra ad v. 85. disputata. Iahn. tamen, quamquam in contextum recepit *demittimus*, in adnott. ad Geo. II, 8. p. 404. ed. II. defendit alteram Med. aliorumque Codd. lectionem *dimittimus*, quam paullo artificiosius explicat per: removemus e vivis. Verbo simplici usus Verg. infra IX, 785. scripsit *miserit Orco.* — *Orco*, pro: in Orcum. Vid. ad Ecl. II, 30. VIII, 101. Geo. II, 306. — **400.** *litora fida*, tuta, quibus confidi potest, quae tutum praebent perfugium. Sic infra VI, 524. *ensis fidus.* Cic. Att. IX, 10. *fuga fidissima.* Ovid. Met. VII, 192. *nox arcanis fidissima* etc. Contra vid. supra v. 23. *statio male fida.* — **401.** „*Scandunt rursus equum.* Fortasse dictum nolis a poëta; nimis enim portentosum hoc et abhorrens a fama virtutis Achivorum; sed *formidine turpi* adiecit." *Heyn.* Peerlk. propterea putat, Vergilium scripsisse *scandant - - condantur*, i. e. si possent et auderent, rursus equum scanderent et in eius alvo conderentur, de hoc usu Praes. Coni. comparans Aen. I, 58. II, 103. V, 325. VI, 294. XI, 912. Sed non opus est hac coniectura, si cogitamus, Aeneam

Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!
Ecce trahebatur passis Priameïa virgo
Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae
Ad caelum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.

---

haec omnia narrare. — *conduntur.* Cf. IX, 152. *nec equi caeca condemur in alvo* et Burm. ad Ovid. Met. XIV, 176. Ceterum vid. supra v. 19. 20. — **403.** „Diis aversis, nulla in re, ne secundo quidem rerum successu, confidere licet.“ *Heyn.* Immo *invitis divis* Dativus est, non Ablativus, quod etiam Conington comparans similem locum V, 800. longa adnotatione docet, et respondent haec verba versui 385. Fortuna primum nobis favere visa est, sed mox intelleximus ei diisque omnino fidem haberi non posse; quibuscum cf. quae ad v. 388. adnotavimus. Cum huius versus sententia cf. infra V, 56. Ovid. Met. VIII, 619. Trist. IV, 8, 47. Catull. LXVIII, 77. et (quem Peerlk. laudat) Alcimum Avitum l. V. *Quam nihil invitis prosit contendere divis.* Ceterum Heyn. aliique hunc versum tamquam epiphonema ad superiora retraxerunt; rectius autem Wagn. et sequentes editores eum sequentibus adiunxerunt, verba enim *Ecce trahebatur* etc. causam continere huius exclamationis, in promptu est. — **403—406.** „Vim Cassandrae ab Aiace Oilei f. coram Pallade illatam esse, vulgo memorant. Sed etiam alii poëtae veteres abstractam tantum ab Aiace e Minervae sacro Cassandram narrasse videntur, quos sequitur Dictys V, 12. [Cf. etiam Paus. V, 19.] - - - Putanda est Cassandra confugisse ad templum Minervae, supplex deae facta, *ἱκετεύουσα*, unde nunc ea abstrahitur et captiva abducitur. Etiam argumentum frequens priscae artis apud Pausan. X, 26. Plinium et in gemmis.“ *Heyn.* Cf. eiusd. Excurs. X. ad h. l., ubi docemur, ex verbo *trahere* et Graec. *ἕλκειν* (ap. Eurip. Tro. 69 sq. Lycophr. 358. al.) de vi Cassandrae illata coniecturam facere nobis non licere, et quae supra ad v. 246. adnotavimus. — *trahebatur crinibus.* Conington conferri iubet Aesch. Suppl. 428 sqq. 909. et Eurip. Iph. Aul. 1366. Troad. 881. etc. — *passis crinibus*, tamquam vates, quae solutis et in faciem immissis capillis vaticinabantur, eosque divino afflatu concitatae concutiebant. Cf. Ovid. Fast. I, 503. (Carmenta) *immissis puppim stetit ante capillis.* Tibull. II, 5, 66. *Haec cecinit vates - - iactavit fusas et caput ante comas* (ubi vid. Heyn. et Bach.) et Thiel. ad h. l. — **405** sq. Hunc locum ante oculos habuit Ovid. Met. XIII, 410. 411. *tractata comis antistita Phoebi Non profecturas tendebat ad aethera palmas.* — *tendere* de manibus et brachiis satis usitatum; non item de oculis. Apud Ovid. enim Met. I, 730., ubi aliquot Codd. et editt. vett. praebent *Quos potuit solos tendens ad sidera vultus*, nunc editur *tollens.* Sed cum sensus sit: manus ad caelum tendere impedita certe, quod potuit, oculos tendebat, nullo modo in hac dicendi formula haerendum. Cf. etiam adnott. ad v. 306. — *lumina - - Lumina.* De hac anaphora vid. supra ad v. 318. adnott. Praeter locos infra ad v. 406. laud. cf. Catull. LXII, (LXIV), 260. *cavis celebrabant orgia cistis, Orgia, quae* etc. (a Coningt. allatus.) — „*ardentia*, ira, pudore erepto. [Haec contradicunt iis, quae Heyn. ad v. 403. adnotavit. De sola ira et desperatione cogitandum videtur;] *arcebant*, antique, continebant, coërcebant. *εἶργον.*“ *Heyn.* Vel potius: impediebant eam, ne manus tenderet. Vid. etiam Henr. in *Tw. years* II. p. 80. — Versum **406.**, quem Bryant. spurium atque etiam Heyn. pro epica gravitate paullo leviorem nimisque ingeniosum censet, rectissime defendunt Wagn. et Peerlk., et ille quidem comparat Val. Fl. VII, 269 sq. *illi has ego voces, Qua datur, hasce manus, ut possum, a litore tendo.* Ovid. Met. XIV, 734. *ad postes - - oculos et pallida brachia tendens*, atque ipsius Verg. Aen. V, 508. *pariterque oculos telumque tetendit* et XII, 930. *oculos dextramque precantem Protendens*; Peerlk. autem, comparans etiam similes locos Eurip. Androm. 550 sqq. Ovid. Met. I, 635. 730. IV, 680. et Claud. R. Pros. III, 108., docet, hunc versum et a Statio et a Sedulio esse lectum, quorum ille Theb. VII, 311. canat: *servantur pectora ferro*, Pectora: nec

Non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus
Et sese medium iniecit periturus in agmen.
Consequimur cuncti et densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur oriturque miserrima caedes
Armorum facie et Graiarum errore iubarum.
Tum Danai gemitu atque ereptae virginis ira
Undique collecti invadunt, acerrimus Aiax

---

tergo nullus metus, [ubi tamen nunc aliter editur], hic autem Carm. Pasch. [V, 218 sq.] *Saucia deiectus flectebat lumina, tantum Lumina, nam geminas arcebant vincula palmas*. Accedit, quod auctor Ciris (v. 402. 403.) eum una cum antecedente in carmen suum transtulit. — **407**. Respexit hunc versum Stat. Theb. I, 605. *Haud tulit armorum praestans animique Coroebus*. — *hanc speciem*, hoc spectaculum (*Erscheinung*) sponsae manibus colligatis ignominiose per urbem tractae. Vid. Cic. Phil. XI, 3. *Ponite itaque ante oculos, P. C., miseram quidem illam ac flebilem speciem* multosque locos similes. Cf. supra v. 269. *imago*. — *furiata mente*, furore concitata, in furorem adacta, *μαινομένη* (cf. supra v. 341 sqq.). Sic Ovid. Fast. II, 761. *furiatos concipere ignes*, i. e. insanum amorem, Sil. VII, 617. *furiata iuventus* cett. Ipsum verbum *furiandi* legitur ap. Hor. Od. I, 25, 14. Stat. Theb. XI, 488. Sil. XIV, 297. alibi. — *Coroebus*. Vid. supra v. 343. — **408**. *periturus* Heins. ex optimis Codd. restituit pro *moriturus*, quod inter alios Codd. praebent Bern. I. et II. Cf. infra v. 675. et XI, 856. — **409**. *Densis armis*, prius cum Wagn. (quem etiam Conington sequitur) pro Ablativo habui, ut sensus sit: *densis armis* instructi *incurrimus* in hostes, coll. Aen. III, 222. *Irruimus ferro*; nunc tamen, perlectis iis, quae Kappes. II. p. 27. disputavit, non tam v. 347., quam v. 383. et 511. conferendos esse ratus, potius Dativum esse statuo, ut locus hanc sententiam contineat: facimus idem, quod Coroebus fecerat, i. e. ruimus in densa hostium Coroebum cingentium arma, et haec verba respondeant superioribus *sese medium iniecit in agmen*. Ladew. et Haeckerm. in *Zeitschr*. XIX. p. 105. eandem repetunt sententiam. — **410**. *Hic primum*. Cf. supra I, 451. Respondent *tum* v. 413. atque *etiam* v. 420. — „*Delubrum* int. Minervae, ex quo Cassandra erat abducta. Cf. v. 425. Erat autem illud in acropoli; ad hanc igitur iam pervenerat Aeneas mediam per urbem; v. 359.“ *Heyn*. — **411**. *miserrima caedes*, eoque miserior, quia cives a civibus occiduntur. Ceterum verba *oriturque mis. caedes* repetuntur XI, 885. — **412**. *Armorum facie*, specie, forma; nam etiam de rebus inanimatis *facies* haud raro dicitur: cf. Geo. II, 131. IV, 361. Aen. V, 768. Sall. Cat. 31. Iug. 46. 78. Mela II, 1, 5. Tac. Hist. V, 23. Plin. Ep. II, 17. etc.; *facie* autem et *errore* Ablativos esse causae (*caedes facie - - errore* - effecta, excitata, s. propter faciem, errorem), non est quod commemorem. — *errore iubarum*, i. e. errore ex iubis orto, ut infra v. 436. *vulnere Ulixi*, i. e. vulnere ab Ulixe accepto. Exempla huius usus Genitivi vid. a Matth. ad Cic. pr. leg. Man. 15, 43. Beiero ad Cic. Off. III, 8, 36. Beneckio ad Cic. Cat. I, 2, 4. aliisque collata. Ceterum vid. supra ad v. 389. — **413**. *gemitu atque ereptae virginis ira*, dolore et ira propter Cassandram sibi a Coroebo ceterisque ereptam. Vid. adnott. ad Aen. I, 462. et IV, 178. Sic ap. Liv. XXXVII, 51, 6. *ira ereptae provinciae*, ibid. I, 5, 3. *ira praedae amissae*, ap. Silium V, 344. *fraterni vulneris ira turbatus* etc. Ceterum *gemitus iraeque* etiam infra VII, 15. coniunguntur; quam lato autem sensu Romani, imprimis poëtae, voce *gemitus* utantur, apparebit collatis locis Aen. I, 485. II, 53. III, 555. IV, 667. VII, 15. VIII, 420. XII, 929. — **414**. Heyn. coniungit verba *invadunt undique*, sed iam verborum collocatio et coll. locus VII, 582. *Undique collecti coëunt* potius *undique* cum *collecti* coniungendum esse docent, quod etiam Conington perspexit. — **414**. *acerrimus Aiax (Oileus)*, quia Cassandrae amore ardebat. (Vid. adnott. ad Aen. I, 41.) — **415**. *gemini Atridae*, simpliciter pro duobus, ut etiam infra v. 500. Cf.

Et gemini Atridae Dolopumque exercitus omnis;
Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque Notusque et laetus Eois
Eurus equis; stridunt silvae saevitque tridenti
Spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.
Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram

---

adnott. ad Aen. I, 161. — *Dolopum.* Vid. supra v. 7., ex quo loco in multos Codd. et editt. vett. hic illata lectio *Dolopumve.* Cf. etiam infra v. 785. — **416—419.** „Ad Homeri ductum Il. IX, 4—7., et Ennii ex Annal. XVII. [fr. 5. p. 64. Vahl.] ap. Macrob. VI, 2. [p. 514. Jan.], sed multo ornatius et variate; porro Homerica cum arte effectum rei attexuit: *stridunt silvae* etc.“ *Heyn.* De ventis inter se confligentibus cf. Aen. X, 356 sqq. (I, 85.) Geo. I, 318. Hor. Od. I, 9, 11. 3, 12. Ovid. Met. I, 57 sqq. IV, 620. XI, 490. Tibull. I, 4, 124. IV, 1, 194. Sen. Med. 938. et quos laudat Mitscherl. ad Hor. Od. I, 3, 12. Vid. etiam adnott. ad Geo. I, 318. — Ceterum praeter Homeri et Ennii locos iam laudd. cf. etiam Il. XVI, 765 sqq. et (quem Henry comparat in *Tw. years* II. p. 81.) Aesch. Prom. 1080 sqq. — *rupto turbine*, qui de caelo prorupit in terram. Nam *rumpere* etiam significat *hervorbrechen lassen* (cf. adnott. ad Aen. II, 129.), quare *se rumpere* s. *rumpi* interdum i. q. prorumpere. Cf. Aen. XI, 548. *tantus se nubibus imber Ruperat*, Geo. III, 428. *amnes rumpuntur fontibus*, et adnott. ad Geo. I, 446. Prorsus, ut hic Vergilius, Petron. c. 123. (v. 197.) canit: - - *nec rupto turbine venti Deerant.* — *quondam.* Vid. supra ad v. 367. — „*Eurus laetus Eois equis*, Homerico usu, ἵπποις, pro curru, ad ornatum spectat. Bigis vecti venti apud poëtas et sculptores. [Cf. Merrick. ad Tryphiod. 172., ab Iahnio laud.] Nec Ζέφυρον ἱππεύσαντα Eurip. Phoen. 218. aliter accipere debebant, quam de Zephyro invecto curru. Commune enim hoc omnibus diis, quoniam prisco tempore - - bigis vecti reges vel quadrigis, numquam equis insidentes, conspiciebantur. Itaque nemo vidit equitantem Iovem, et sic porro.“ *Heyn.* Sed cum Venti haud raro etiam equitare dicantur (cf. praeter Eurip. l. l. Hor. Od. IV, 4, 44. *vel Eurus per Siculas equitavit undas*, (ubi Orell. hoc affert fragm. *Eure - - Qui per caelum candidus equitas*), Val. Fl. I, 610. *portam Impulit Hippotades: fundunt se carcere laeti Thraces equi, Zephyrusque et - - Notus* etc.), equidem cum Doering. ad Catull. LXVI, 54. Weichert. in Comment. I. de Medea oestro percita p. 13. Iahnio et Thielio *equos* hic proprie dictos censeo. *Eoi* autem vocantur, quia Eurus ab oriente flat. Cf. adnott. ad Aen. I, 489. Geo. I, 371. et II, 339. — „*laetus* autem, ut superbus, gestiens, ἀγαλλόμενος, pro vulgari vectus, cf. I, [275.] 696. 276. et saepe. Ceterum Vergilium plures expresserunt. Cf. Columna ad Ennium pag. 114.; adde inf. X, 356 sqq. IV, 440 sqq.“ *Heyn.* Vid. adnott. ad ll. ab Heynio laudd. — *stridunt.* Aliquot Codd. (inter quos Medic. a m. pr.) *strident*, male. Cf. adnott. ad Geo. IV, 262. — *Nereo* h. l. tridens tribuitur, quod notandum. Unde tamen non sequitur, Nereum hic pro ipso Neptuno esse positum, quod Cerda, Schirach. p. 598., Forcell. et Dorn Seiffen. in Lex. nom. propr. p. 267. (qui uterque male eum Tethyos filium fuisse tradit), alii arbitrantur, cui opinioni etiam adversatur Silii locus infra laud. Erat autem *Nereus*, antiquissimus deus marinus et fatidicus, secundum Hes. Theog. 233 sqq. et Pind. Pyth. III, 163. Oceani et Terrae fil. natu maximus, qui cum Doride uxore quinquaginta filias (Nereides) progenuit. — „*Spumeus*, h. l. spuma maris adspersus, spumosus. [Vid. infra v. 496. et XI, 626.] *saevit tridenti*, eleganter, ut alibi *flagris*, *verbere*, infert tridentem mari ad impellendum illud et fluctus excitandos.“ *Heyn.* Quare supra I, 142. *tridens* ipse *saevus* dicitur. Ceterum Henry (*Tw. years* II. p. 82. et Philol. XI. p. 612.) memorat, non construendum esse *spumeus Nereus saevit*, sed *Nereus saevit spumeus*, quare Comma post *spumeus* vult restitutum, quo non opus est, cum iam verborum *collocatio* doceat, quomodo locus intelligendus sit. — **420.** *Illi etiam, qui supra v. 370.* 383 sqq. 396 sqq. commemorati sunt

Fudimus insidiis totaque agitavimus urbe,
Apparent; primi clipeos mentitaque tela
Adgnoscunt atque ora sono discordia signant.

Ribbeck. quidem Proleg. p. 310. dubitat, num hi, an Aiax et Atridae cum reliquo exercitu (v. 414 sqq.) intelligendi sint; sed recte Ladew. in Append. p. 242. docet, iam verba *totaque agitavimus urbe* de illis modo cogitare nos iubere, quamquam totum locum minus clarum talem esse iudicat, quem Vergilius haud dubie correxisset, si carmen retractare ei licuisset. — *si quos*, i. e. quoscunque, ut Graece *εἴ τις* pro *ὅστις*. Cf. supra ad v. 142. — *obscura nocte*. Vid. supra ad v. 360. — **421**. *insidiis*, dolo, fallacia v. 387 sqq. narrata. — **422**. *apparent*, Graecorum principibus se adiungere cupientes. Hi per totam urbem agitati, qui *primi* adgnoscunt mentita tela, opponuntur v. 413 sqq. commemoratis. Quomodo Ribbeck., sine iusta causa haerens in voce *primi* (vid. Proleg. l. l.), cum in Cod. Pal. legatur .RI. MI, e coni. edere potuerit *Priami* hac explicatione adiecta: „adgnoscunt mentita arma, clipeos et tela, non Graecorum, sed Priami Troianorum esse,“ non perspicio, cum, ne urgeam, Troiana arma minus apte Priami arma dici, non de Troianis, sed de Graecis armis a Troianis indutis sermo sit. — *mentita tela* Servius explicat: „quae nos Graecos esse mentiebantur;“ Participium igitur Perfecti, cum auctor Imperfecto *mentiebantur* utatur, pro Partic. Praesentis positum censet, qua de re vid. adnott. ad Geo. I, 206. Rectius tamen, nisi fallor, *mentitus* passive ceperis pro *simulatus*, *falsus* positum, ut ap. Ovid. Met. V, 327. *Et se mentitis Superos celasse figuris*, ubi vid. Bach., ibid. X, 439. *nutrix Nomine mentito veros exponit amores*, Val. Fl. VII, 155. *Non iam mentitae vultum vocemque resumit Chalciopes* cett. Cf. Ruddim. I. p. 299. Erhard. ad Petron. c. 100. Drakenb. ad Sil. II, 637. et nostra ad Ecl. IX, 35. Disputavit tamen contra me Kappes. II. p. 28., *mentita* cum Servio explicans: quae Danaos mendacio fefellerunt. — **423**. *Adgnoscunt*, tamquam sua sibique satis nota; de qua verbi significatione et discrimine a latiore voc. *cognoscendi*, quod interdum pro *agnoscere* ponitur, cf. Ruhnk. ad Vellei. II, 95, 3. Gernh. ad Cic. Lael. I, 5. et 27., 100. Brem. ad Nep. Ages. I, 4. Daehn. ad eiusd. Dat. 33. Bach. *Geist d. Röm. Eleg.* p. 296. Kritz. ad Sall. Cat. 47, 3. alii. — „*signant* h. l. agnoscunt. Sic *notare* etiam vulgari sermone, et *σημειοῦσθαι, τεκμαίρεσθαι*. Porro *ora sono discordia signant*, pro: observant discordiam et discrepantiam sermonis comitum meorum; quippe qui Troiani essent.“ *Heyn*. At *signare* non est i. q. agnoscere vel observare; quare Iahn. explicat: discrepantiam sermonis pro signo habent. Thiel. autem coll. Doering. Ecl. vett. poëtt. [p. 59] et Bach. *Geist d. Röm. Eleg.* ad Ovid. ex P. III, 2, 24. rectius fortasse *signare* idem valere putat quod *declarare*, *indicare*, ideoque h. l. „*an dem Tone* [*dem Accent, dem Dialect*] *weisen sie nach die nicht mit der ihrigen stimmende Rede*,“ eandemque interpretationem Gossr., Ladew. (qui comparat Ovid. Her. XVI, 208. *Et qui Myrtoas crimine signet aquas*) et Wagn. in min. edit. repetunt, et hic quidem affert Quinct. XI, 3, 31. verba *nam sonis homines, ut aera tinnitu, dignoscimus;* Haeckerm. autem in Comm. p. 29. et *Zeitschr.* etc. XIX. p. 105. *ora* parum probabiliter pro Nomin. Subiecti habet locumque sic vertit: „*und auch die Verschiedenheit der Aussprache macht kenntlich;*“ utque etiam Henry ll. ll. explicat: ex linguae genere cum armis non congruente concludunt, haec esse falsa et mentita. Wakef. minus apte locum sic distinxit: *ora, sono discordia, signant*, ut sensus sit: observant, ora (i. e. speciem, externum habitum — ob Graecorum arma scil. v. 395.) linguae minus esse congrua, sermone Troianos, Graecos habitu esse. Ceterum Wund. adnotat, posteriores demum Homero poëtas discrimen statuisse inter Graecorum et Troianorum linguam, et errare, qui Homerum barbarorum linguam verbis Il. II, 867. *Καρῶν βαρβαροφώνων* distinxisse sibi persuaserint; nam adiectum *βαρβαροφώνων* illud *non magis* probare, quam locum Od. VIII, 294. *Σίντιας ἀγριοφώνους*. At vero *etiam* Vergilius sumere videtur, varia tantum dialecto differre Graecorum *et Troianorum* linguam. Alteri enim alteros facillime intelligunt, quod

Ilicet obruimur numero; primusque Coroebus
Penelei dextra divae armipotentis ad aram
Procumbit; cadit et Rhipeus, iustissimus unus
Qui fuit in Teucris et servantissimus aequi;
Dis aliter visum; pereunt Hypanisque Dymasque
Confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu,

Sinonis, Achaemenidis aliorumque exempla testantur. Quare etiam hic tantum de diverso *sono* loquitur et Henry (*Tw. years* II. p. 83. et Philol. XI. p. 612 sq.) non temere distinguit inter *os*, linguam ipsam, et *sonum oris*, huius linguae sonitum, comparans *sonitum vocis* Aen. XII, 837. et *vocem consonam linguae* ap. Silium XVII, 444. — **424**. *Ilicet*, quod vel ex *ire licet* ortum, vel, quod magis probabile, ex *i licet* contractum est (cf. Schneider. Gramm. I, 2. p. 483.), obliterata prima significatione, a poëtis aureae aetatis usurpatur in re illico (*sofort*) vel agenda et acceleranda, vel iam acta et accelerata, ut idem sit, quod ipsum *illico*, cum qua Particula propterea saepissime a librariis commutatur, quod etiam h. l. factum esse videmus. Cf. infra v. 758. VII, 583. VIII, 223. XI, 468. Tibull. II, 6, 15. Stat. Theb. I, 92. cett. et Hand. Tursell. III. p. 200 sq. — *numero*, multitudine. Cf. Ecl. VII, 52. Sic etiam Nep. Milt. 5, 4. simplici voce *numero* utitur pro numero superante (ap. Tac. Agr. 25. extr.) — **425—430**. „*Divae ad aram*, non tam in ipso templo Minervae sup. v. 403., quam potius ante templum in *προνάῳ* vel in *περιβόλῳ*, ut et expressum vides in tab. Iliaca n. 104. [quam tamen explicationem Haeckerm. in Comm. p. 30. et *Zeitschr*. etc. XIX. p. 105. propter v. 404. *adytisque Minervae* non temere reiicit, et Coroebum in ipsum templum penetrasse, ut sponsae succurreret, tabulam vero illam non curandam censet. Propter versum autem 407. addere debebat, Coroebum per apertam templi ianuam videre potuisse, quae intus fierent.] — *Peneleus* hic alius est, quam Homericus Boeotorum dux [Il. II, 494. XIV, 487 sqq. XVI, 335. al.]; nam is [ex scriptorum Homero posteriorum narratione] ab Eurypylo fuit occisus, Telephi filio: Pausan. IX, 5. fin. [Dictys IV, 17.]“ *Heyn*. Rectius Conington aliam modo de eodem Peneleo narrationem a Vergilio spectari censet. — *armipotens* alibi est vel Martis (Aen. IX, 717. Lucr. I, 34.) vel heroum (Aen. VI, 500. 840.) epitheton (quare etiam apud Stat. Silv. III, 2, 20. *Ausonia armipotens* commemoratur); sed etiam Aen. XI, 483. legimus *Armipotens praeses belli, Tritonia virgo*. — **426**. *iustissimus unus* scil. omnium, quod modo additur, modo omittitur, ubi *unus* Superlativo, cuius vim augeat, adiicitur. Omittitur etiam VII, 536. nec minus a Lucilio ap. Non. IV, 64. Plauto Asin. III, 1, 18. Hor. Epod. 12, 4. Cic. Or. III, 34. extr. pr. Planc. 41. 97. pr. Rab. Posth. 9, 23. ad Div. I, 9, 37. Lael. 1, 1. Nep. Cim. 3. cett., additur Cic. Brut. 6, 25. ad Att. VIII, 4. ad Div. IV, 13. Nep. Dion. 2, 1. Eum. 2, 1. Att. 3, 3. cett. Vid. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 1, 91. Bentl. et Orell. ad Hor. A. P. 32. Beier. ad Cic. pr. Scauro p. 169. Ochsner. ad Ecl. Cic. p. 34. Bremi et Daehn. ad Nep. Milt. 1, 1. Herzog. ad Caes. B. G. V, 45. alii. Cf. etiam supra ad I, 15. infra ad III, 321. et XI, 821. adnott. — **427**. „*et servantissimus aequi* [ut ap. Ovid. Met. I, 322. *non illo - - quisquam - - amantior aequi*: cf. etiam Grat. Cyneg. 104.], qui ob eam virtutem cadere non debuit communi hominum iudicio; sed *diis aliter visum*, de causis et rationibus, quae nos homines latent. Laudant Homericum Od. I, 234. *Νῦν δ' ἑτέρως ἐβάλοντο θεοὶ κακὰ μητιόωντες.*“ *Heyn*. — *visum est*, ut Graec. *δέδοκται*, verbum proprium non minus de deorum consiliis, quam de hominum decretis. Cf. Aen. III, 2. Ovid. Met. I, 366. *sic visum Superis*. ibid. VII, 699. *non ita Dîs visum est*. id. Fast. IV, 9, 39. *Non ita Coelitibus visum*. Stat. Theb. V, 57. *Dîs visum turbare domos etc*. Verba *Dis aliter visum* repetit Seneca Ep. 98. Ceterum plures Codd. cum Donato ad Ter. Andr. I, 2, 18. exhibent *visum est*. Sed vide adnott. ad Aen. I, 283. — **429**. *plurima pietas*. Vid. ad Aen. IV, 3. — *Panthu*. Vid. ad v. 318. — **430**. *labentem texit*, i. e. tegendo impedivit, quominus labereris

Labentem pietas nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres et flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro nec tela nec ullas
Vitavisse vices Danaum et, si fata fuissent

---

caderes. Cf. adnott. ad Aen. I, 659. — *Apollinis infula*, vittae sacerdotis. Cf. supra v. 121. Eadem signif. *infula* legitur infra X, 538. Cic. Verr. IV, 50, 110. alibi; de victimarum vittis v. c. Geo. III, 487. et Varr. L. L. VI, 8. Ceterum Vergilius hic memor fuit Hom. Il. I, 28. *μή νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον καὶ στέμμα θεοῖο.* — **431–434.** „Quanto cum affectu, egregia orationis inflexione, se incolumem abiisse narrat! Testatur incendium Troiae et rogum suorum; cf. Senec. Troad. 28 sqq." *Heyn.* Similis est, quem supra legimus, locus v. 154 sqq. Thiel. de hac rerum inanimarum testatione conferri iubet Cic. pr. Sext. 20, 45. Hor. Od. IV, 4, 38. Prop. II, 7, 91. et exempla a Burm. ad Anthol. Lat. II, 39, 3. congesta. — **431.** *flamma extrema meorum.* Prius explicui flamma rogi, in quo corpora propinquorum caesorum comburebantur; nunc tamen cum Ladew. sequor Kappesium II. p. 29. mihi opponentem, rogum exstruere rem longioris temporis esse, quam quod Troianis fugientibus concessum fuerit, ut potius cogitandum sit incendium urbis, quod quasi rogi vice fungatur. — **431.** *Iliaci cineres.* Conington comparat Catull. LXVIII, 90. *Troia virum et virtutum omnium acerba cinis.* — **432.** *Testor - - vitavisse*, omisso Accus. Pron. personalis, ut supra v. 25., ubi vid. adnott. — „*in occasu vestro*, sup. I, 238. *occasum Troiae tristisque ruinas.* — *vices*, fortunae casus, et quidem h. l. pugnae. Recte hactenus Servius per *pugnas* interpretatur." *Heyn.* Nimirum quia per vicissitudinem pugnatur. Poterant conferri Stat. Theb. X, 749. *belli tentare vices*, Silius III, 13. *belli vices novisse*, Claud. IV. Cons. Hon. 282., Senec. Octav. 480. *Martis vices* etc. et Markl. ad eiusd. Silv. V, 2, 152. Simili ratione Henry (*Class. Mus.* XXIV.) locum sic explicat: Testor, me nihil vitasse, quod mihi vicissim facerent vel redderent, i. e. me provocasse certamen non timentem, ne me interficerent: coll. Tac. Hist. IV, 3. *iniuriae vicem exsolvere*, Ovid. Met. XIV, 35. *Spernentem sperne, sequenti redde vices*, Plin. Pan. 85. Prop. I, 13, 10. et Schol. Hor. Od. IV, 14, 13.; sed in *Tw. years* II. p. 84. et Philol. XI. p. 613. mutata sententia de variis discursionibus („*military manoeuvres*, *Wendungen*, *Schwenkungen*) Danaum cogitat. Rectius autem Thiel., cum per *nec - - nec* duae rationes sibi oppositae indicentur, per *tela* modum eminus, per *vices* modum cominus pugnandi (*eine Gegenseitigkeit des Gefechtes*) significari censet similiterque etiam Wagn. Philol. Suppl. I. p. 415 sq. de verbo gladiatorio *einen Gang machen* cogitans locum sic interpretatur: „*er habe keinen Gang mit den Danaern vermieden.*" Ladewigio autem *vices* simpliciter sunt vicissitudines belli. Burm. ad Prop. I, 13, 10. *vices* minus recte de poenis accipit. Et Peerlk. quidem (quem etiam Ladew., Haupt. et Ribbeck. sequuntur) locum sic vult distinctum: *vitavisse vices; Danaûm et, si fata fuissent, Ut caderem meruisse manu*, ut sensus sit: Si fato constitutum fuisset, ut caderem, meruisse ut manu Danaum caderem; et sic sane *manu cadere* legitur ap. Silium II, 705. (ubi vid. Drak., qui etiam hic sic distinguendum esse censet: *Ut caderem, meruisse, manu*) et Senec. Agam. 515. Sed quamvis non haerendum esset in copula postposita (vid. adnott. ad Ecl. I, 34.), cum tamen sic verba *Danaûm manu* nimis longe et incommode disiungerentur et *manu* melius coniungitur cum *meruisse*, quam cum *cadere*, retinui vulgarem distinctionem *nec tela nec ullas Vitavisse vices Danaum*, qui Genitivus, cum non solum ad *vices*, sed etiam ad *tela* pertineat (quae si ab eo avelluntur, tam nude posita offendunt), facile excusatur. Dietsch. Theol. Verg. p. 22. locum sic interpretatur: „si Danais hoc fata dedissent, ut caderem, illud me manu (i. e. per ea, quae manu illis inflixi) meruisse," cum fatis non minus quae accidant, quam quae quis *perficiat*, tribui appareat ex Aen. IX, 137., simulque Haeckermannum *impugnat* in Muetzellii *Zeitschr.* etc. VI. p. 258 sqq. vulgarem distinctionem defendentem coll. locis I, 30. *reliquias Danaum* et II, 436.

Ut caderem, meruisse manu. Divellimur inde;
Iphitus et Pelias mecum; quorum Iphitus aevo
Iam gravior, Pelias et volnere tardus Ulixi;
Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
    Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam

---

volnus Ulixis. (Non tamen reticendum, hunc virum doct. postea in iisdem Ephem. XIX. p. 106. sententiam suam mutavisse et vituperasse Wagnerum etiam in recentiss. edit. *vices Danaum* coniungentem). Dietschii igitur reprehensio etiam in Wagn., qui eius rationem „admodum perplexam" esse iudicat, memet ipsum et Kappesium II. p. 30 sq. cadit, qui a me in eo tantum recedit, quod *manu* hic et infra v. 645. ad hostes refert („*durch Feindeshand*") et verba *ut caderem* non minus ad *meruisse manu*, quam ad *si fata fuissent* pertinere censet. Henry in Philol. XI. p. 613. mecum consentit. — *si fata fuissent.* Vid. supra v. 54. Duo Codd. *tulissent*, quam lectionem Burm. veram habere non debebat. — „*meruisse manu* [multum commota], strage quam inter hostes edebat. Bene Serv. *id est fortiter dimicasse; hi enim merentur occidi*. Centies autem *manus* pro pugna." *Heyn.* Caedes multorum hostium antea patrata tamquam pretium est vitae pro patria proiectae. *Manu* pro virtute legimus etiam Aen. XI, 16. — 435. *Iphitus* et *Pelias* ap. Homerum non commemorantur. Sunt qui Iphitum eundem habeant cum eo, qui v. 340. ex optimorum Codd. auctoritate *Epytus* vocatur, idque nomen Dietschio l. l. teste etiam hic Iphiti nomini substituendum censet Eckstein. Anecd. Paris. p. 10. Quod attinet ad iterationem nominum propriorum loco Pron. *ille — hic*, quae in oppositionibus et distinctionibus satis usitata est, cf. v. c. Aen. X, 697. Quinct. Inst. IX, 3, 35. et Iahn. ad Aen. I, 552. p. 451. ed. II. — „*mecum*, sc. divelluntur a ceteris. Dum alii discurrunt, hi tres ad arcem pergunt." *Heyn.* — *aevo gravior.* Cf. Liv. II, 19, 6. *aetate gravior*, Aen. IX, 246. et Hor. Sat. I, 1, 4. *gravis annis*, et adnott. ad Ecl. I, 49. De *aevo* pro *aetate* vel *annis* posito vid. adnott. ad III, 491. In Anth. Lat. I, 172, 4. et 178, 252. coniunguntur verba *Iam gravior Pelias.* — 436. *volnere* „*non quod accepisset Ulyxes, sed quod dedisset.*" Sic Gellius IX, 12. hunc locum afferens. Vid. ad Aen. I, 30, 462. supra ad v. 413. et infra ad v. 526. Burm. hic comparat Sil. XIV, 434. *Volvitur in fluctus Lychaei vulnere Cydnus*, ibique Drakenb. De forma Genitivi *Ulixi* vid. ad Aen. I, 30. et II, 7. — Ceterum Peerlk., cum Copula *et* in multis Codd. desideretur, legendum putat *a vulnere*. Ribbeck. sine iusta causa verba *quorum Iphitus - - - Ulixi* παρενθέσεως signis inclusit (quod iam Heumann. Poecil. T. II. l. III. p. 382. suaserat). Si parenthesi opus esset, eam potius a verbis *Iphitus et Pelias* inciperem, cum sane cohaereant verba *divellimur vocati*. — 437. *clamore vocati.* Vid. Geo. III, 43. et Aen. IV, 303. — 438—558. Sequitur narratio de pugna in acropoli ad Priami aedes facta, de harum aedium expugnatione, et de caede Priami. — *Hic vero ingentem pugnam* etc. Cf. Hom. Od. VIII, 519. — *ceu*, i. q. tamquam si, *als wäre*, in comparatione conditionali, ubi confertur aliquid cum eo, quod non est quidem, sed, si conditio daretur, locum habere posset. Cf. Hand. Turs. II. p. 47 sq. Stat. Theb. III, 122. Val. Fl. III, 290. V, 544. Silius XVII, 480. etc. Thiel., huic explicationi obstare putans, quod Vergilius *cetera*, non *alia* scripserit, parum probabiliter *nusquam forent* per Graecismum sic explicat: nullo loco numeranda, pro nihilo habenda essent. Sed primum hic Graecismus, quem loci a Thielio collati (Cic. Cat. mai. 22. in. et Plaut. Cist. IV, 2, 18.) neutiquam comprobant, certis exemplis non nititur; deinde etiam sequentia, *nulli tota morerentur in urbe*, minus ei respondent. Illud *cetera* autem, quod Thielio negotium facessit, quid impedit, quominus pro Adverbio habeas, quemadmodum IX, 656., ubi vid. adnott.; ut sensus sit: *als wäre übrigens* (*sonst*) *nirgends Krieg?* quamquam ne hoc quidem opus videtur; possunt enim *cetera bella*, i. e. omnia alia *certamina, quae* per urbem committuntur, coniunctim *cogitata huic uni pugnae* commode opponi: *als wenn sämmtliche*

Bella forent, nulli tota morerentur in urbe,
Sic Martem indomitum Danaosque ad tecta ruentis
Cernimus obsessumque acta testudine limen.
Haerent parietibus scalae postesque sub ipsos
Nituntur gradibus clipeosque ad tela sinistris
Protecti obiciunt, prensant fastigia dextris.
Dardanidae contra turris ac tecta domorum

übrige Kämpfe nirgends vorhanden sive *gar nicht da wären*. De *bello* autem a poëtis et posterioribus solutae orationis scriptoribus interdum pro *proelio* (ut apud Graecos πολέμῳ pro μάχῃ) posito idem Thiel. conferri iubet infra IX, 182. XII, 633. Walch. ad Tac. Agr. p. 295. et Cort. ad Plin. Ep. IX, 4. (Cf. etiam Aen. I, 48.) — **441.** „Vides duplicem pugnae Troianorum faciem in iis, quae sequuntur, exhibitam, cum alii ad culmen aedium et turrim defendendam, pars ad fores tutandas vires et consilia convertissent. Altera pugna v. 458—468., altera v. 479—495. descripta." *Wund.* Alii enim Graecorum scalis admotis clipeis protecti in fastigium domus Priami evadere tentant, alii per ianuam concisam irrumpunt. „In culmine aedium Priami puta fuisse *turrim* eductam, quam v. 460. nominat; ea oppugnatur, et desuper a Troianis propugnatur. *Acta testudine* scutorum haud dubie, συνασπισμῷ. Nimis enim alienae forent ab illa aetate machinae bellicae. Praeiverant antiquiores poëtae Graeci, ut colligas ex Quinto Cal. XI, 358 sqq., ubi simili modo oppugnantur moenia Troiae (cf. mox v. 443. 444.)" *Heyn. Testudinem agere* eodem sensu usurpatum redit IX, 505. Cf. ibid. v. 517., imprimis autem Liv. XXXIV, 39. XLIV, 9. Drakenb. ad Sil. I, 365. Herzog. ad Caes. B. G. II, 6. Kritz. ad Sall. Iug. 94, 3. alii. — *limen*, quod infra v. 450. *fores*. — **442.** *haerent*, admotae sunt, idque poëtice pro admoventur. Signum autem est celeritatis, si res, quae commode fiunt, ita enarrantur, ac si iam factae essent. Sic Aen. III, 63. *stant arae* pro eriguntur; III, 225. *adsunt Harpyiae* pro advolant, et similia. Cf. adnott. ad Ecl. II, 45. VII, 9. etc. — De voc. *parietibus* quatuor syllabis pronuntiando vid. adnott. ad Aen. I, 2. — **443.** *Nituntur gradibus. Gradus* post scalas commemorati sunt singuli earum asserculi (*Sprossen*), ut etiam Kappes II. p. 31., Ladew. et Conington vocem interpretantur. Errare enim puto Wagnerum in min. edit., qui verba *postesque* etc. a prioribus seiungens cogitat de foribus, ad quas aditus fuerit per gradus, et sententiam ex prosaicae orationis consuetudine formatam hanc esse putat: alii sub ipsos postes nituntur, gradibus, alii clipeis protecti scalis prensant fastigia; quae explicatio cum voci *nituntur*, tum verbis *prensant fastigia* et seqq. videtur adversari. Immo infra demum v. 449. de iis sermo est, qui *imas obsedere fores*, ut per eas irrupturos arceant. Accedit, quod etiam infra v. 479 sqq. de gradibus s. scalis domus in publicum ferentibus ne verbum quidem legimus. Verba *postes sub ipsos* adiiciuntur, quia Graeci ab ima parte ianuae eniti incipiunt. Sic si locum intellexisset Wagn., non fuisset, ut adiiceret: „Ceterum si quid habet confusi ea ratio, convenit hoc fervori exponentis ea, quae simul facta sunt." — *ad tela*, adversus, contra tela, ut Geo. II, 352. *munimen ad imbres*. Cf. Dissen. ad Tibull. I, 9, 46. Hand. tamen Tursell. I. p. 84 sq., qui hanc significationem Particulae omnino negat, *ad* hic explicat: regione iactorum telorum, minus apte conferens infra XII, 372. *obiecit sese ad currum*. Med., Pal., Gud., Bern. I. a m. pr., alii scribunt *ac tela*, quod ex scriptura *at tela* ortum videtur; fragm. Vat. a m. pr. *ad tecta* ex v. 445. huc translatum. — **444.** *clipeos - - Protecti obiciunt*, i. e. obiiciunt, ut iis protecti sint (cf. Kappes II. p. 31.), de quo proleptico Participii usu diximus ad Geo. I, 320. — *prensant fastigia d.*, corripiunt ea, ut in culmen evadant. „*Fastigium* proprie erat superior pars in fronte templi seu aedium. Cogitandum de veterum *domorum forma*, quae plura tabulata non habebant [? vid. infra ad v. *464. et ipsius* Heynii verba infra scripta]; fastigium in fronte aedium satis *humile*. — **445.** *Culmina domorum tecta*, docte pro ipso tecto iisque

Culmina convellunt; his se, quando ultima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis,
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt; alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores; has servant agmine denso.
Instaurati animi regis succurrere tectis
Auxilioque levare viros vimque addere victis.
Limen erat caecaeque fores et pervius usus

---

rebus, quibus superior domus pars tegitur, h. e. tegulis. Agitur autem de una Priami domo, cui magnificentiorem speciem adiecit, quam quae apud Homerum est.“ *Heyn*. Vide etiam *tecta penetralia* Geo. I, 379. et cf. adnott. ad Aen. IV, 260. Ribbeck. recepit Pal. et Gud. a m. pr. lectionem *tota*, cum etiam Bern. I. *tuta* exhibeat; sed recte ceteri recentiores editores vulgarem lectionem retinuerunt, quam praeter plurimos Codd. etiam Prisciani p. 744., Cledonii p. 1903. P. et Servii auctoritas tuetur. *Tecta* literis minutis scriptum facile in *tuta* transire idque in *tota* mutari potuit, quod sane iam Serv. in quibusdam Codd. invenit, sed satis languidum dixerim. Wakef. ad Lucr. II, 191. corrigit *Culmine*, quod sit *πρυμνόθεν*. — **446**. *his - - telis*, hoc telorum genere, i. e. his rebus pro telis utentes. — *quando*, ut Aen. I, 261. IV, 291. 315. VI, 50. multisque aliis in locis. — *ultima*, quod alibi *extrema*, *τὰ ἔσχατα*, ultima fata, finem et interitum omnium, ruinam communem. — **447**. *Extrema in morte* (quod redit XI, 846.), ipsa morte iam instante, quae omnia finit, praeter quam nihil sperari potest: *im letzten Todeskampfe*. Thiel. collato Horatiano illo (Ep. I, 16, 79.) *mors ultima linea rerum est*, inter alia laudat Catull. LXXVI, 18. *Extrema iam ipsa in morte tulistis opem*, Hor. Ep. II, 1, 12. *supremo fine*, II, 2, 173. *morte suprema* (ibique Schmid.), et Prop. I, 19, 2. *extremo rogo*. Ribbeck. etiam hic verbis *hic se - - telis* *παρενθέσεως* signa adiicit. — **448**. *Auratas trabes*. Cf. Tibull. III, 3, 16. *Aurataeque trabes marmoreumque solum*. Claud. Ep. ad Seren. 42, *Aurataeque ferant culmina celsa trabes*. — *veterum decora alta parentum* cum singulari vi adiectum; paucis enim verbis omnium rerum, vel splendidissimarum et diu maximi factarum, fragilitas legentibus in memoriam revocatur. Eo tristius autem intereuntis splendoris spectaculum, quod ipsi domini eum diruunt, ut per tempus modo vitam servent. Cf. qui locum nostrum imitatus est, Stat. Theb. V, 422. *Quinquaginta illi trabibus de more devinctis, Magnorum decora alta patrum*, Tac. Hist. III, 71. *statuas*, *decora maiorum*, et supra adnott. ad Aen. I, 429. Ribbeck. pro *alta* ex Pal. fragm. Vat. (in quo ALTA superscriptum) et Bern. I. a m. pr. recepit *illa*, quod ab initio fortasse etiam in Gud. scriptum erat, in quo antiqua lectio erasa est; sed *alta*, quod significantius est, praeter ceteros Codd. etiam Prisc. p. 772. P. exhibet. — **449**. **450**. *alii - - Obsedere fores*. „Troianis defendendae erant fores, ne effringerentur, hostesque in aedes irrumperent, quod fit v. 479—495.“ *Wund*. — *has servant*, i. e. eas ita obsessas. Vid. Wag. Qu. Virg. XX, 2. extr. — **451**. „Hoc ipso rerum adspectu renovatum in Aenea consilium, quod iam pridem ceperat (v. 315. *concurrere in arcem*), ut regiae Priamoque succurreret.“ *Heyn*. — *Instaurati animi* (antea adversa fortuna fracti) mihi et sociis. *Instaurare animum* pro reficere, recreare, vix alibi invenies. De constructione huius formulae cum Infinitivo vid. ad I, 527. Ecl. IV, 54. Geo. I, 280. et alibi adnott. — **452**. *auxilio levare*. Vid. adnott. ad IV, 538. — *vim addere*, vires reficere, ut apud Ciceronem aliosque haud raro *animum*, *animos addere*. — **453—458**. „Cum aditus ad regiam obsideretur ab hostibus, postica porta eam intrat Aeneas, et a tergo pervenit ad portam regiae, qua parte pugnatur. Illa porta postica cum ornatu, quem tam vulgaris res vix videtur capere posse, designatur per quatuor determinationes. — *caecae fores*, h. e. ignotae aliis nec cognitu faciles *et obviae*. *Heyn*. Vid. adnott. ad Aen. I, 356. — *usus tectorum*, *i. e. aditus tectorum*, *Priami* erat *pervius*, h. e. ita pate-

Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo, infelix qua se, dum regna manebant,
Saepius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis, unde
Tela manu miseri iactabant inrita Teucri.

---

bat, ut familia regia per plures domus sive palatii partes dispersa ex una in alteram facile transire posset vitato antico limine. Henry in Philol. XI. p. 614. his verbis ianuam numquam clausam significari censet. — **454**. *inter se*, ut I, 455. — *postes relicti a tergo*, h. e. porta, quae a tergo s. postica aedium parte erat, opposita illi, quae erat in earum fronte, tum fere neglecta, qua nemo fere utebatur. Recte tamen Henry (*Class. Mus.* XXIV., *Tw. years* II. p. 85. et Philol. XI. p. 614.) docet, verba *a tergo* non solum ad postes relictos, sed ad totam enuntiationem pertinere, ut constructio loci sic procedat: *A tergo limen erat caecaeque fores* etc. omnia enim haec verba *limen*, *fores*, *postes* ad unam eandemque notionem pertinent. Servius comparat Hor. Ep. I, 5, 31. *Atria servantem postico falle clientem*, ad quem locum vid. Obbar. Vol. I. p. 266. — **455**. *infelix*, non quo tempore se ferre solebat ad soceros, sed postea, Hectore occiso. — *dum regna manebant*. Vid. supra ad v. 22. — **456**. *Saepius - - solebat*. Eundem pleonasmum, nobis quoque usitatum, invenimus Ecl. I, 20., ubi vid. adnott. — *incomitata;* matronae enim Troianae non minus quam Graecae sine ancillarum comitatu foras prodire non solebant. Cf. Hom. Il. III, 143. Eurip. Phoen. v. 86—93. Plaut. Amph. III, 2, 48. et Gronov. ad eiusd. Cas. II, 2, 1. Andromache vero hoc solito comitatu hic non egebat, quia per posticam illam ianuam ex Hectoris domo latenter ad soceros accedere poterat. — **457**. *Ad soceros*, i. e. ad socerum et socrum, ad Priamum et Hecubam; ut infra v. 579. *patres* pro parentibus. Vid. Gronov. ad Liv. I, 39. Burm. ad Val. Fl. VI, 274. et quos Obbar. laudat ad Hor. Ep. I, 2, 44. Vol. I. p. 172 sq. Sic ap. Liv. XXVI, 50. *apud soceros tuos.* — „*trahebat* accommodatum brevibus pueri gressibus, pro ducebat. Sic sup. v. 320. *parvumque nepotem Ipse trahit.*" *Heyn.* Cf. adnott. ad v. 58. huius libri et Val. Fl. II, 551. *parvumque trahens cum coniuge natum.* „Haec Homericae narrationi Iliad. VI, 389. 467. non accuratius respondent, quam alia multa a Vergilio exposita. Nam apud Homerum nutrix infantem gestat." *Wund.* Bene autem Gossr.: „Dolore afficimur et misericordia vel legentes, si hunc belli terrorem cum secura illa felicitate comparamus, qua regia domus ante fruebatur." Ceterum Astyanax Troia capta a Graecis de muro praecipitatus periit. Cf. Eur. Troad. 716. Quint. Sm. XIII, 251 sqq. Ovid. Met. XIII, 415 sqq. Welcker *Ep. Cycl.* II. p. 185 sqq. et Teuffel in Pauly *Realencycl.* I. p. 1940. ed. 2. — **458**. „*evado*, sc. hac porta ingressus regiam in culmen et ad turrim pervenio." *Heyn.* Hoc autem poterat Aeneas, quia Graeci domum Priami tantum ab antica parte oppugnabant. De verbo *evadere* vide Nonium h. v., Barth. ad Stat. Theb. III, 468. et Cortium ad Sall. Iug. 53, 3., quos Burm. laudat. Cf. etiam infra VI, 128. et Silius XII, 56. (a Ladew. laud.): *tacito si ad culmina nisu evasit serpens.* — *fastigia summi culminis*, i. e. summum culmen. Simili abundantia dicendi Aen. XI, 726. scriptum videmus *summo sedet altus Olympo.* Lucan. V, 16. *Lentulus excelsa sublimis sede.* Ovid. Met. II, 1. *Regia Solis erat sublimibus alta columnis.* Trist. III, 1, 59. *gradibus sublimia celsis Ducor ad - - templa Dei.* Vid. Bach. ad Metam. l. c., qui laudat Schraderum ad Musaeum p. 250. Ladew. comparat Liv. XL, 2, 2. *tempestas fastigia aliquot templorum a culminibus abrupta foede dissipavit.* — **459**. *inrita*, non quod deerrabant a scopo, sed quod Troianorum interitum avertere non poterant. — **460**. Haec turris, unde omnis regio circumiacens oculis perlustrari poterat, iam ab Homero Il. XIII, 13 sq. XXI, 526 sqq. alibi commemoratur. Cf. etiam Sen. Troad. 1072 sqq. (1078 sqq.) Charisius I. p. 25. P. h. l. legit turrem; quod etiam apparet in fragm. Vat.; sed formam turrim tuentur praeter ceteros Codd. omnes

Turrim in praecipiti stantem summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troia videri
Et Danaum solitae naves et Achaica castra,
Adgressi ferro circum, qua summa labantis
Iuncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus inpulimusque; ea lapsa repente ruinam

---

etiam Prisciani p. 761. P. et Valerii Probi apud Gellium XIII, 19. auctoritas et Verg. haud dubie *im* et *in* elisione contrahi maluit, quam *em* et *in*. (Vid. etiam Geppert in *Zeitschr. f. d. G. W.* XIX. p. 806.) Cf. XII, 673. 674. Drakenb. ad Liv. XXIIII, 37, 5. et Schneider. Gr. Lat. II, 1. p. 209., qui utramque formam probam, *turrim* tamen usitatiorem esse docet. — **460—467.** *In praecipiti stantem* prius interpretatus sum: in alto positam, coll. Iuven. I, 147. *omne in praecipiti vitium stetit*, i. e. summum gradum assecutum est; nunc cum Henrico (*Tw. years* II. p. 86. et Philol. XI. p. 614.), Gossr. et Coningt. explico: in extremo margine tecti stantem, ut facile impelli posset in hostium capita; nam altitudinis notio iam inest verbis *summis sub astra eductam tectis*. Turris erat in *summis tectis* domus regiae *educta*, exstructa. Cf. Bach. ad Ovid. Met. V, 291. Ablativus pendet a Praep. *ex* in verbo *eductam*. — „Hanc e vicinis locis, ut equidem arbitror, ferreis uncis et contis quassatam et labefactatam tandem in obsidentes deiiciunt." *Heyn.* — **461.** Cf. Hom. Il. XIII, 13. 14. et XXI, 526 sqq. — *omnis Troia videri Et D. solitae naves et Ach. castra.* De hoc mesozeugmate (pro *Troia, naves, castra* -- *solita*) cf. adnott. ad Aen. I, 623. De verbo *videndi* passive usurpato vid. ad Aen. I, 494. — *Achaica* castra nunc cum Ribb., Ladew. et Coningt. e Codd. Med., Pal., Gud. et tribus Bern. (quorum III. certe ab alt. m. exhibet) restitui. Burm. propter cacophoniam ex aliquot Codd. (inter quos fragm. Vat.) receperat *Achaia*, quod ceteri editores servarunt. Sed vid. supra ad v. 27. adnott. et cf. etiam V, 623. — **463.** *qua summa tabulata dabant iuncturas labantes. Heyn.*, qui sermonem esse putat de turri plurium tabulatorum s. contignationum, sic pergit: „Summum tabulatum facile admittebat uncos et contos in *iuncturis* suis (h. e. qua parte trabes insertae et fultae erant pariete), quae facilius cedebant et insertum uncum recipiebant, quam solidus paries; itaque *labantes*, cedentes, laxantes se: et *dabant iuncturas lab.*, offerebant, praebebant scilicet aggredientibus turrim ferro." Rectius Henry (*Tw. years* II. p. 87. et Philol. XI. p. 614 sq., quocum consentiunt Ladew., Wagn. in min. edit. et Coningt.) de ipsarum aedium, ipsius palatii tabulatis cogitat. Troianos enim in tecto aedium stantes neque potuisse facile summa turris tabulata attingere, et turrim subversuros (non destructuros) non debuisse a summa parte incipere, sed potius in ima parte, qua cum palatio cohaerebat, iuncturas laxando eam impellere et protrudere. *Iuncturae* igitur sunt compages, quae turrim cum summo tabulato aedium s. solario, cui illa imposita erat, connectebant, et *labantes* dicuntur, quia facile collabefieri poterant. Cf. etiam XII, 672. Quod Caesar B. G. VI, 29. de *turri quattuor tabulatorum* loquitur, nihil ad hunc locum attinet. — *altis sedibus*, ab *altis sedibus*, i. e. summis tectis (v. 460.). — **465.** Perfectum *inpulimus* referendum est ad Praesens *trahit* v. 466. ut sensus sit: impulimus et ita ruinam trahit, i. e. ubi impulimus cadit. Cf. adnott. ad Geo. III, 228. *Impelli* autem de iis usurpari, quae labefactando loco suo moveamus, coll. Aen. IV, 22. *Solus hic inflexit sensus, animumque labantem impulit* docet Wund. Adde locum Lucani VI, 35 sq. *Exstruitur, quod non aries impellere saevus, Quod non ulla queat violenti machina belli.* — Ita convulsa superior turris pars in oppugnantium capita decidit. Nam Pronomen *ea*, turris, h. e. ea pars turris, de superiore parte turris intelligendum. Ribbeck. coll. Aen. XII, 356. ex Gud., Bern. I. et Pal. a m. pr. recepit lectionem *elapsa*. — *ruinam trahit.* Vid. supra ad v. 310. Apte tamen *ruinam trahere* dici de magno fragmine avulso, *cuius lapsus in longum* quasi trahatur, bene perspexit

Cum sonitu trahit et Danaum super agmina late
Incidit. Ast alii subeunt, nec saxa nec ullum
Telorum interea cessat genus.
  Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
Exsultat telis et luce coruscus aëna:
Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,

Nöhden. — 467. „Subeunt tamen alii in caesorum locum, v. 467., et interea ex posterioribus ordinibus tela ingeruntur. Narratio in solo Neoptolemo subsistit.“ *Heyn.* — 469. sqq. Expugnatur domus regia per Neoptolemum, Achillis f., qui ipsam ianuam erat aggressus. — *ante vestibulum ipsum, gleich vor dem vestibulum* (vid. adnott.. ad Geo. IV, 75.) quod, cum Pyrrhus iam invasisset, ei a tergo erat, ut ipsarum aedium ianuam discutiendi periculum facere posset. De *vestibulo* autem vid. adnott. ad Aen. VI, 273., locum nostro simillimum, quem auctor carm. in Anth. Lat. I, 170, 28. sic imitatur: *Vestibulum ante ipsum saevique in limine regis.* Ceterum de *Pyrrho* s. Neoptolemo vid. supra ad v. 263. — 470. *Exsultat* (Ribb. *Exultat*), pugnat corpore vehementer moto et agitato celeri gressu modo adsiliens, modo resiliens. *Gossr.* minus recte: „exsultat ira, quod tam diu resistant Troiani.“ — „*telis et luce coruscus aëna*, h. e. armis, thorace, clipeo et galea ex aere splendentibus; ut saepe ap. Homerum λαμπόμενος simili in re: Iliad. XIII, 340. *ὄσσε δ' ἄμερδεν Αὐγὴ χαλκείη κορύθων ἀπὸ λαμπομενάων.* Sic *αἰόλος*, et a parte *κορυθαίολος*.“ *Heyn.* Minus recte igitur Conington de figura *ἑνὸς διὰ δυοῖν* loquitur, cum praeter tela etiam arma in censum veniant. Ceterum cf. supra v. 333., infra v. 552. etc. Peerlk. temere coni. *galeaque cor. aëna.* De voc. *coruscus* et *coruscare* vid. ad Aen. I, 164. et Geo. IV, 73. Imitatur hunc locum Val. Fl. I, 486. *horrentem telis et parmae luce coruscum.* (*Luce coruscare* de pennis legitur ap. Grat. Cyn. 78.) — *aëna.* Apud Gellium II, 3, 5. legimus: „*aëna* superscripto *h* in libro mirandae vetustatis, qui ipsius Vergilii fuisse credebatur;“ quare etiam Ribbeck., qui in Georg. *ahenus* ediderat, in Aen. ubique recte *aënus* scripsit. Cf. adnott. ad Geo. I, 296. (ubi addi potest alter locus Proleg. Ribb. p. 423.) — 471—475. „Respexit locum notum Nicandri Ther. 31—34.; simul tamen sua effinxit ad Homeri ductum, sed ornatius et cum variatione, Il. XXII, 93—95. - - At apud Vergilium Pyrrhus non sustinet hostem, sed aggreditur.“ *Heyn.* Cf. etiam Geo. III, 425 sqq. 437 sqq. Silius VI, 146 sqq. XII, 6. XVII, 448. et Stat. Theb. IV, 95 sq. — 471. Cum coniunctione verborum *Qualis ubi*, quam amant poëtae (vid. infra IV, 143. VI, 270. VIII, 589. IX, 560. XI, 492. XII, 451. Tibull. II, 4, 17. cett.), cf. altera ei respondens *qualis cum* Geo. III, 196. Aen. III, 679., VIII, 622.; eaque non Commate interposito seiungenda esse docent Mitscherl. Obss. in Catull. et Prop. p. 119., Weichert. ad Val. Fl. VIII, 463. et Wagn. ad Geo. I, 303. Ceterum cf. supra ad v. 223. adnott. — De *colubro* vid. ad Geo. III, 418. — Verba *in lucem* aut corrupta aut ieiuna esse censent Heyn. et cum eo alii, qui h. l. multis coniecturis inanibus vexarunt, cum Burm. *e lustro*, Heyn. (coll. Geo. III, 431. et Sil. VI, 155.) *ingluviem* vel *exsiluit* vel *exsultat*, Schrader. *in lucis* vel *in silvis*, Peerlk. etiam *in luco* legendum esse censerent; Valcken. autem ad Theocr. p. 252. hunc versum inter eos habet, quos Vergilius retractaturus fuisset. Sed recte tuentur Codd. lectionem Iahn. et Wagn., qui, Brunckio auctore, Commatis distinguens post *tegebat* et *terga*, *in lucem* iungit cum verbo *convolvit*, cum „in eo ipso versetur omnis haec comparatio, ut armis coruscans Pyrrhus conferatur cum fulgido anguis, nova cute induta, in lucem prodeuntis splendore;“ quare facile ferri possit quaedam verborum redundantia, plane illa Vergiliana, in verbis: *in lucem convolvit* et *arduus ad solem.* Equidem vero ne redundantiam quidem in hoc loco invenio; nam *in lucem* et *ad solem* aperte diverso sensu capienda sunt, cum illud, quod opponitur verbis *sub terris*, nihil aliud sit, quam: in auras, *an das Tageslicht, an die frische Luft herauf;* — (ut enim apud Ter. Hec. V, 4, 12. legimus *mortuum ab orco in lucem reducem facere*, ita etiam hic coluber, qui per hiemem quasi morte sopitus sub

**Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis novus exuviis nitidusque iuventa
Lubrica convolvit sublato pectore terga
Arduus ad solem et linguis micat ore trisulcis.
Una ingens Periphas et equorum agitator Achillis,
Armiger Automedon, una omnis Scyria pubes**

---

terra latuerat, nunc *in lucem*, in vitam, redit); — hoc autem, cui opposita est *frigida bruma*, aperte respiciat calorem aestivum, quo anguis apricans fruitur. (Repetunt hanc explicationem meam Wagn. in min. edit. et Ladew.) Henry vero (*Tw. years* II. p. 89. et Philol. XI. p. 615.) verba *in lucem* nec cum *exsultat*, nec cum *convolvit* vult coniungi, sed sententiam v. 472. abrumpi, v. 473. autem novam incipi putat, ut ad verba illa Verbum omissum intelligendum sit; quod probare non possum. *Terga* autem *in lucem convolvit* breviter dictum pro: in lucem progressus convolvit; quemadmodum Geo. IV, 82. *per medias acies* (incedentes) - - *ingentes animos* - - *versant*, Aen. X, 637. *in faciem Aeneae* (conformatam) - - *ornat telis*, XI, 781. *per agmen* (currens) - - *spoliorum ardebat amore*, similiterque Geo. II, 243. *Huc dulces undae* (infundantur et) *calcentur* etc. Repetitionem vero voc. *lucis* diversa, quam in utroque versu habeat, notione bene defendit Iahn. ad Aen. I, 315., ubi vid. adnott. — *mala gramina pastus*. Vid. ad Geo. II, 375. *mala*, i. e. venenata, noxia, ut apud Tibull. I, 2, 51. *malae herbae*. Ceterum iterantur haec verba in Anth. Lat. I, 178, 289., ut sequentia *tumidum quem bruma tegebat* ibid. v. 291. — **472.** „*tumidum*, quia *mala gramina pastus*, succis venenatis repletus, ex vulgari hominum opinione. [Vid. Ovid. Met. I, 460. et X, 313.] Apud Homer. [Il. XXII, 94.] vidimus *βεβρωκὼς κακὰ φάρμακα*, apud Nicandr. l. c. *ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς*. De explicatione singulorum vid. Not. ad Geo. III, 426. 437. 439., ubi iidem versus leguntur. Expressere hunc locum certatim alii, ut Statius Theb. IV, 95 sqq. Silius XVII, 447—451. XII, 9—10. VI, 155.“ *Heyn.* — *bruma*. Vid. adnott. ad Geo. I, 211., ubi adde Heindorf. ad Hor. Sat. II, 6, 25. et Schmid. ad eiusd. Ep. I, 7, 10., hic a Thielio laudatos. — V. **473.** iteratur ex Geo. III, 437., ubi vid. adnott. Ceterum Henry observat, serpentes exuviis modo positis maxime esse venenatas noxiasque et conferri iubet Stat. Theb. IV, 95 sqq., idemque in Philol. XI. p. 615. memorat, *Nunc* magna cum emphasi versum incipere, quia Pyrrhus nunc primum in bello apparens comparetur cum serpente, qui nunc primum post somnum hibernum apricans appareat. — **474.** *Lubrica convolvit terga*. Cf. Hom. l. l. v. 95. *ἑλισσόμενος περὶ χειῇ* et Anth. Lat. I, 171, 4. *septena volumina traxit Lubrica convolvens.* — *sublato pectore*, erecto capite et superiore corporis parte. Cf. Geo. III, 426. — **475.** *Arduus ad solem*. Cf. Ovid. Met. III, 43. (anguis) *media plus parte leves erectus in auras*. Ceterum etiam hunc versum iam legimus Geo. III, 439., ubi vid. adnott. — **476—478.** „Occurrit *Periphas* apud Homerum [Il. V, 843.], sed non hic; *Automedontis ἱππηλάτου*, aurigae Achillis, saepius fit mentio.“ *Heyn.* „*armiger* Pyrrhi, nam Achillis auriga fuit.“ *Serv.* Erat autem Dioris filius et post Achillis mortem Pyrrhi, Achillis filii, armiger. Cf. Hom. Il. XVI, 148. XVII, 429. 456. XIX, 392. Ovid. A. A. I, 5. II, 738. Trist. V, 6, 10. alii. — *Achillis*. Vergilius ex optimorum Codd. auctoritate utraque forma Genitivi *Achillis* et *Achilli* (cf. adnott. ad Ecl. VIII, 70.) usus est ita, ut solo aurium iudicio in praeferenda vel hac vel illa duceretur. Docet igitur Wagn., eum *Achilli* scripsisse adiuncto Adiectivo tertiae Declinationis (Aen. I, 30. [ubi vid. adnott.] III, 87., VI, 840.), vel ad evitandum sigmatismum (Geo. III, 91. II, 275. X, 581.); recte contra nostro loco in libris, ut videtur, omnibus scriptum esse *agitator Achillis*, item XII, 351. in Med. aliisque *equis adspirat Achillis*. — **477.** „*Scyro*, insula de Cycladibus una [quae etiamnum *Skyro* vocatur: cf. liber meus geogr. III. p. 1138.], copias adduxerat Pyrrhus ab avo Lycomede acceptas, cuius filia, Deidamia, Pyrrhi mater ex Achille. *Cf. Il. XIX, 326 sqq.* Odyss. XI, 505 sqq. Sed

Succedunt tecto et flammas ad culmina iactant.
Ipse inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit postisque a cardine vellit
Aeratos; iamque excisa trabe firma cavavit
Robora et ingentem lato dedit ore fenestram.

---

fabulam de Achille apud Lycomedem latente Homerus non habet.“ *Heyn.* — *succedunt tecto* Heyn. explicat per: fores adoriuntur. Conington autem *tectum* propria signif. (*das Dach*) positum censet, ut sensus sit: dum Pyrrhus ipse fores aggreditur, comites eius scalis enituntur ad tectum; quod tamen Vergilium aliter expressurum fuisse puto. Immo cum de *omni Scyria pube* sermo sit, *succedere tecto* videtur esse i. q. accedere ad domum, ut I, 627. significat ingredi domum. — *flammas ad c. iactant*, ut deturbent eos, qui stant in culmine. — **479—482.** *Ipse*, Pyrrhus; cf. v. 469. 470. et 491. Vid. adnott. ad Geo. IV, 464. — *bipenni*. Isidor. Orig. XIX, 19.: *Bipennis dicitur, quod ex utraque parte habeat acutam aciem, quasi duas pennas. Pennum autem antiqui acutum dicebant;* et Quinctil. Inst. I, 4, 12. *A pinna* (*quod est acutum*) *securis utrinque habens aciem Bipennis*. Redit hoc vocabulum infra v. 627. V, 307. XI, 135. alibi. Vid. etiam ad Geo. IV, 331. — „*dura limina*, ipsas fores e dura materia, ilice, factas.“ *Heyn.* Immo proprie superum inferumque ianuae limen (cf. Plaut. Merc. V, 1, 1. ibique interpr.) imprimis autem inferum, ut ianuam fundamento et fulcro suo privet. — „Fores etiam per *postes*, et quidem aere obductos, *aeratos*, declaravit.“ *Heyn.* Cf. infra v. 493. VII, 622. et VIII, 227. Vid. etiam Henry in *Tw. years* II. p. 92. et Philol. XI. p. 616. Lucr. III, 370. Sen. Hipp. 863. et Lucan. V, 531. Hertzberg. vero in *Hall. Jahrb.* 1839. *Nr.* 289. p. 2309. (laud. a Ladew. in Append. p. 242.) *postes* capit de trabibus, quae valvis pro axi erant [et e quibus cardines prominebant].“ *vellit*, movet, labefactat, *a cardine*, ut e cardinibus [qui apud Romanos erant lignei, cuneati et in utrumque limen immissi] emoveat, annititur; adhuc enim de conatu agitur; cf. v. 492. 493. Quintus Cal. XI, 388. similibus fere verbis.“ *Heyn.* Cf. adnott. ad Aen. X, 801. Sed rectius fortasse Henry in *Tw. years* II. p. 91. et Philol. XI. p. 615. et Kappes. II. p. 32 sqq., quem in hoc loco explicando imprimis sequendum esse puto, de re iam perfecta cogitant: perrupto limine ianuam vere iam ab inferioribus cardinibus avulsit. Conington Praesentia *prorumpit*, *vellit* de actione continuata („*a process still going on*“), Perfecta autem *cavavit*, *dedit* de singulari et consummato facto („*a single completed act*“) capienda esse censet. Ceterum de toto hoc loco praeter doctam Kappesii explicationem cf. etiam Ladewigii eum sequentis adnot., et de ianuis Romanorum omnino Beckeri Gallus II. p. 219 sqq. ed. II. De Praesentis historici et Perfecti coniunctione praeter multos alios ex recentioribus cf. Held. ad Caes. B. C. I, 41. Wolf. ad Tac. Ann. II, 7. in. Kritz. ad Sall. Cat. 20, 1. Beneck. ad Iustin. V, 7, 3. Bach. ad Ovid. Met. II, 311. Obbar. in Seebod. Bibl. crit. 1828. ch. 15. p. 119. Iahn. ad Aen. X, 465. alii. Pertinent huc Geo. I, 35. III, 228. Aen. III, 3. VI, 496. X, 444. 725. 803. XII, 298. 352 sqq. etc.“ „Tandem perruptae et perforatae fores, laxata asserum vel tignorum coagmentatorum compage [quae ultima verba hic potius delenda: vid. infra]: iamque *cavavit robora firma*, fores roboreas [ut VII, 610.]“ *Heyn.* Schrader. in Muetzellii *Zeitschr.* II. p. 772. et VII. p. 725. minus recte de roboreis modo formis (*Rahmen*) ianuae cogitat]. *excisa trabe*, non assere, ut Heynio videtur, sed exciso ipso illo limine inferiore, ut hic non Ablativum instrumenti, sed Ablativos absolutos habeamus; nam unde asserem illum, quo quasi pro ariete usus esse sumitur, excidisset? Wagn. adeo de arbore regiae vicina somniat, coll. Aen. IX, 87., quod iure refutatione non egere censet Ladew. in Append. l. l., ipse de parte postium cogitans. Sed omnino eiusmodi arietatione, de cuius effectu infra demum v. 492. sermo est, non solum *cavata* esset ianua neque *fenestra* modo in ea facta. „*dedit*, effecit, [bipenni] *fenestram*, aperturam [in ianuae inferiore parte a limine et cardine infero abscissa], *ingentem lato ore*, foramine, quo prospectus intra atrium patet.“ Heyn. Fenestras veterum nihil nisi fora-

Adparet domus intus et atria longa patescunt;
Adparent Priami et veterum penetralia regum
Armatosque vident stantis in limine primo.
At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur penitusque cavae plangoribus aedes
Femineis ululant; ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidae tectis matres ingentibus errant
Amplexaeque tenent postes atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus; nec claustra neque ipsi

---

mina parietum fuisse vel clathris ferreis vel valvis ligneis clausa, satis constat (vid. Aen. III, 152. et cf. Burm. ad Prop. I, 3, 31.); quare *fenestra* haud raro pro quocunque foramine ponitur. Cf. v. c. Caes. B. C. II, 9. *fenestrae ad tormenta mittenda*, i. e. *Schiessscharten*, et Iuven. I, 104., ubi adeo de *aurium fenestris* (*Ohrlöcher*), e quibus inaures pendent, sermo est; *os* autem omne, quod patet, significare docent Barth. ad Gratii Cyneg. 28. et Burm. ad h. l., qui comparat *os vulneris* apud eundem Grat. v. 352. et Seren. Sam. 44. — **483.** Tria h. l. diserte commemorantur: vestibulum v. 469., atrium v. 483., interior domus v. 486. Accesserunt ergo primum ad vestibulum a platea, tum ad atrium per ianuam, denique in domum interiorem ex atrio. Cf. Schirach. p. 340. De *atrio* eiusque discrimine a cavo aedium s. cavaedio vid. infra ad v. 512. — **485.** *Armati* sunt iidem, de quibus v. 449. 450. sermo erat. — **486.** In hac eversae urbis descriptione poëta, Servio teste, secutus est Ennium, qui Annal. l. II. [p. 49. Hessel. s. fr. 17. p. 23. Vahl.] Albae excidium simili ratione enarraverat. Cf. etiam Liv. I, 29., unde maxime v. 489. illustrari Iahn. memorat. „Proprie *clamor, lacrimae, gemitus miscetur*, quatenus promiscue a pluribus vel diversis fit; hinc, si quo in loco hoc factum significatur, ut h. l. in domo, ipsa *domus miscetur gemitu;* pro pedestri: impletur domus [mixto ac vario gemitu].“ *Heyn.* Cf. I, 124. *misceri murmure pontum*, IV, 411. *misceri clamoribus aequor*, et imprimis supra v. 208. *miscentur moenia luctu.* — **487.** „*cavae* cum dilectu positum epitheton respectu habito ad sonum.“ *Heyn.* Quam explicationem, ut ego prius, coll. supra v. 53. etiam Conington probavit; nescio tamen, an ceteri recentiores editores et Lersch. in Ant. Verg. p. 226. rectius cum Servio de cavaedio cogitent, de quo vide quae infra ad v. 512. diximus. — **488.** *ululant* exquisitius quam *resonant;* exemplo Graecorum *βοᾷν* in simili re, v. c. Eurip. Troad. 29. Proprie ululatus fit in aedibus cum plangoribus, qui resonant.“ *Heyn.* Scilicet cum aedes ululatum reddant, ipsae videntur ululare. Cf. Ovid. Met. III, 528. *fremunt ululatibus agri.* Aen. XI, 38. *moestoque immugit regia luctu.* Cul. 151. *argutis et cuncta fremunt ardore cicadis* et similes locos. *Ululare* de rebus inanimatis soli poëtae usurparunt, veluti Sil. VI, 285. *ulularunt flebile ripae.* Saepius passive, *ululatus* (*durchheult*); v. c. apud Stat. Theb. I, 328. *antra ululata*, Val. Fl. IV, 608. *tellus ululata* cett. Ceterum *ululare* imprimis esse feminarum, Thiel. docet coll. locis Plin. Ep. VI, 20. Tac. Germ. 7. Sil. XII, 599. Claud. de B. Get. 625. — *plangoribus.* Vid. ad Aen. IV, 665. — **488.** *aurea sidera:* vid. adnott. ad Geo. I, 232. — **489.** „Quod *matres* familias [matronae: vid. Heins. ad Ovid. Her. VIII, 66.] *errant*, discurrunt, per tecta, id ex veterum moribus tanto magis ad affectum, quod thalamo inclusae plerumque latebant. — **490.** *oscula figunt.* Vid. Aen. I, 687. ibique adnott. „*Osculantur postes* (cf. Ovid. Met. XIII, 412. 413. [cui loco adde v. 420. et Val. Fl. II, 168. *Oscula iamque toris, iamque oscula postibus ipsis Ingeminant.*]; quippe ultimum vale dicturae, cum in eo esset, ut mox ab hoste abstraherentur. Apollonium IV, 26. Servius huc advocavit. — **491—493.** *Vi patria, πατρὸς ἑοῦ καταειμένος ἀλκήν*, Quint. Cal. XIII, 219.“ *Heyn.* Eadem vi, qua Achilles impetum facere solebat. Cf. Sen. Troad. 250. *Aetatis alios fervor hic primae rapit, Pyrrhum paternus* et Claud. IV. Cons. Hon. 366. *Aequalis mihi Pyrrhus erat, cum Pergama solus Verteret et patri non degeneraret Achilli.* — **492.** „*suf-*

Custodes sufferre valent; labat ariete crebro
Ianua et emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi; rumpunt aditus primosque trucidant
Inmissi Danai et late loca milite conplent. 954
Non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exiit oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo camposque per omnis

---

ferre, sustinere Pyrrhi impetum potuere nec *claustra*, h. e. fores roboreae v. 481. 482. firmitate sua, *neque ipsi custodes*, qui v. 485. et 449. adstant foribus pugnaturi.“ *Heyn.* De Accus. Obiecti saepe omisso, si ex antecedentibus facile intelligi potest, vid. Aen. I, 12. 60. 532. III, 14. 165. 560. V, 154. 741. VI, 735. etc. — „*arietem* nolim accipere proprie; quippe hoc inventum Troianis temporibus posterius est, cf. ad v. 441.; sed de arietatione et pulsatione ac concussione forium arietis instar.“ Sic *Heyn.* rectissime. Ianuam perrupto limine fundamento suo privatam nunc demum crebris ictibus adgrediuntur, donec etiam superioribus cardinibus emotae valvae procumbant. *Postes* enim hic non minus quam supra v. 480. de ipsa ianua intelligendos esse, dubitari non potest. — *crebro ariete.* Cf. infra 627. *crebris bipennibus instant,* Cic. de Sen. 13, 44. *delectabatur crebro funali,* Plaut. Aul. IV, 6, 9. *lacus crebro salicto oppletus,* Sen. Hippol. 532. *Crebra turre cinxerant urbes* et similes locos. Ceterum de voce tribus syllabis *arjete* pronuntianda vid. adnott. ad Geo. I, 397. — **493**. *emoti - - postes.* Nonius p. 202, 18. hoc loco allato probare vult, *cardinem* esse gen. masc., ideoque legisse videtur *emoto cardine*, quamquam in editt. nostris locus affertur, ut recte in Codd. legitur. Utrumque recte dicitur (cf. Stat. Theb. XI, 348. *axemque emoto cardine vellunt.* Ovid. Am. I, 6, 2. *Difficilem moto cardine pande forem.* Stat. Theb. X, 68. *emotae trabes.* Plin. Ep. VI, 16. *tecta emota sedibus suis* cett. et infra v. 610. VI, 382.); vulgata tamen, quam etiam tuetur Schol. Hor. Od. IV, 15, 11. iam propter plurimorum et optimorum Codd. consensum praeferenda. De *emovendi* verbo vid. Interpp. ad Hor. l. l. — **494**. De παρηχήσει s. παρισώσει *Fit via vi*, quae hic celeritatem rei indicat, vid. Iahnium A. P. p. 429. Garat. ad Cic. Mil. 11, 30. et pr. Coel. 31. Beier. ad Cic. Lael. p. 122. Süpflium ad Cic. Epp. sell. p. 237. Iahn. ad Aen. VI, 310. Thiel. ad h. l. cf. adnott. ad Ecl. VIII, 80. Geo. I, 157. etc. Similia exempla sunt Ennii ap. Cic. Tusc. III, 19, 45. *Priamo vi vitam evitari.* (Vid. ad v. 501.) id. pr. Mil. 11, 30. *vi victa vis.* Liv. III, 49. *vi victum imperium.* IV, 38. *quacumque incedunt, vi viam faciunt.* Lucr. I, 856. *vi victa perire.* Praeterea cf. Cic. de Sen. 11, 38. *Illa sensim sine sensu aetas senescit.* id. de Div. II, 69, 143. *visus est in somnis amicae esse amictus amiculo.* Tibull. I, 20, 2. *Quam ferus et vere ferreus ille fuit.* Prop. V, (IV,) 9, 13. *Furem sonuere iuvenci Furis et implacidas diruit ira fores.* Plaut. Rud. II, 1, 16. *Nunc Venerem hanc veneramur bonam;* infra Aen. III, 183. *talis casus Cassandra canebat* et multa alia. Ceterum verba *Fit via vi* iterantur in Anth. Lat. II, 192, 88. — „*Rumpunt aditus*, faciunt sibi aditum; at quanto potentius illud! Tandem fores emotae sunt cardinibus, irrumpunt Achivi, fluminis instar exundantis, rupto aggere.“ *Heyn.* Vid. infra X, 372. cum adnot. - *spumeus.* Vid. supra v. 419. — **495**. *loca milite conplent.* Vid. supra v. 20. — **496**—**499**. Vid. supra ad v. 303. — **497**. *Exiit - - evicit.* Cf. Geo. I, 116. *amnis abundans Exit,* Ovid. Met. I, 285. *Exspatiata ruunt per apertos flumina campos,* multique similes loci. Haupt., Ladew. et Ribbeck. ex Lachmanni praecepto ad Lucr. III, 1042. p. 206 sqq. ediderunt *Exit*, cui scirpturae unus modo Bern. III. Diomedes p. 459. P. Nonius p. 296, 18. et Serv. ad Ecl. V, 82. opitulantur. Sed vide adnott. ad Geo. II, 81. atque etiam Coningtonem ad h. l. — *evicit*, fortius quam simplex *vicit.* Vid. infra 630. IV, 474. 548. — **498**. *fertur cumulo*, aqua cumulata; vid. sup. I, 105. *insequitur cumulo praeruptus aquae mons.* — Verba *camposque - - - trahit* etiam Geo. I, 482. leguntur, ubi vid. adnott. —

Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
Caede Neoptolemum geminosque in limine Atridas;
Vidi Hecubam centumque nurus Priamumque per aras
Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignis.
Quinquaginta illi thalami, spes ampla nepotum,
Barbarico postes auro spoliisque superbi

---

499. 500. Heyn. comparat Eurip. Troad. 485 sqq. *Καὶ τὸν φυτουργὸν Πρίαμον — τοῖςδε δ' εἶδον ὄμμασιν Αὐτὴ κατασφαγέντ' ἐφ' Ἑρκίῳ πυρᾷ.* Ceterum Wagn. dubitat, num Vergilius recte Aeneam suis haec oculis cernentem fecerit. Non tamen est cur doceam, licuisse poëtae rem tanti affectus plenam vel neglecta historica probabilitate in suum usum convertere. Quam durum enim et acerbum Aeneae esse debebat haec oculis suis videre, nec posse defendere! — *furentem.* Parrhas. *frementem*, quod post *furens* v. 498. Heynio praeferendum videtur. Sed recte Iahn. ad Aen. I, 315. ob hanc ipsam comparationem furentis Pyrrhi cum furente amne reliquorum Codd. omnium lectionem defendit. — **501.** In toto hoc loco poëta ante oculos habuit Enniana illa apud Cic. Tusc. III, 19, 45. ex Andromacha (fr. 9. p. 236. ed. Hessel. s. p. 104. Vahlen.) *O pater! o patria! o Priami domus! — Vidi ego te, astante ope barbarica* (ut hic v. 504.), *Tectis caelatis, laqueatis, Auro, ebore instructum regifice. Haec omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Iovis aram sanguine turpari.* — *Hecuba*, Priami uxor celeberrima, ab Homero Il. XVI, 718. Dymantis, Phrygii regis, ab Euripide Hec. 3. Cissei, ab Apollod. III, 12, 5. (vid. Serv. ad Aen. VII, 320.) Sangarii fluminis filia fuisse perhibetur; quam, ab Ulysse post Troiae excidium abductam, cum Polydori filii interfecti corpore in Thraciae litore conspecto ira incensa Polymnestori oculos eruisset (vid. adnott. ad III, 45.), in canem mutatam fingi constat. (Cf. Eurip. Hec. 1035. Schol. Iuven. X, 271. Ovid. Met. XIII, 423 sqq. Serv. ad Aen. III, 6.) — *nurus* latius dictum; quinquaginta enim erant filiae, totidemque filiorum uxores seu nurus. — **502.** *foedantem*, gravius quam conspergentem et cruentantem; sanguine enim res sacrae foedabantur. Cf. etiam adnott. ad v. 717 sqq. et Ennii l. l. *aram sanguine turpari.* — *sacraverat*, in honorem deorum accenderat. — **503.** *quinquaginta thalami* secundum Homer. Iliad. VI, 243 sqq., ubi tamen L filiorum sunt et XII filiarum. — *thal. illi*, tam magnifice exstructi, prostrati iacent; assumpta notio ab iis, qui eas incolebant. — *spes ampla nepotum.* Sic pro vulgari *spes tanta nepotum* ex Pal. et Gud. (qui in margine tantum alteram lectionem adiicit) cum Ladew. et Ribbeckio nunc edidi, cum Propert. IV, (III,) 22, 41. *hic ampla nepotum Spes* scribens haud dubie hunc locum respexerit. Ceteri recentiores editores servarunt vulgarem lectionem, quam cum Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 334. etiam Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 106. defendit. — **504.** „*Barbaricum aurum*, h. e. Phrygium, ut saepe poëta. Nec in eo argutandum, quod h. l. verba Troiani illa sunt; utitur enim ille sermone Romano, ideoque usum eius sermonis sequitur. Praeiverant Tragici; ut Eurip. Troad. 18. et Aesch. in Persis 474. Cf. infra XI, 769. 770.“ *Heyn.* Cf. de hoc usu Romanorum, qui Graecos sequentes *barbaricus κατ' ἐξοχήν* pro *Phrygius* ponunt, Iahn. ad Ovid. Met. XIV, 574. Schmid. ad Hor. Ep. I, 2, 7. Bach. ad Ovid. Met. XI, 162. et Kühner. ad Cic. Tusc. I, 35, 85., ubi in Ennii fragm. pariter de Priami *ope barbarica, tectis caelatis, laqueatis* sermo est. Recte tamen, nisi fallor, *Peerlk.*: „Sed, ut Romanus numquam *barbaricum* aliquid appellaret, quod erat Romanum, ita Aeneas *barbaricum* appellare non potest, quod erat Phrygium. Ergo *barbaricum* aurum est barbaris, Phrygum inimicis in Asia, ereptum. Ut ita interpretemur, suadet quoque additum *spoliis.* Atque haec interpretatio iam in Servianis apparet: *a barbaris capto* etc.“ Ceterum Wagn. Qu. Verg. XXXIII, 3, d. hunc locum apte refert ad *παρενθετικόν* illud appositionis genus, de quo ad Ecl. II, 3. diximus; Peerlk. autem, temere in hac appositione haerens, coni. *Barbarico et postes.* — *auro spoliisque.* De vi explicativa Copulae vid. adnott. ad Ecl. III, 34. et cf. Aen. I, 27. II, 722. III, 148. VII, 94 etc. — *postes spoliis superbi*, ornati, ex Romanorum more satis

Procubuere; tenent Danai, qua deficit ignis.
Forsitan et, Priami fuerint quae fata, requiras.
Urbis uti captae casum convolsaque vidit
Limina tectorum et medium in penetralibus hostem,
Arma diu senior desueta trementibus aevo
Circumdat nequiquam humeris et inutile ferrum
Cingitur ac densos fertur moriturus in hostis.
Aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe

noto. Vid. infra VII, 183—186. ibique adnott. *Superbus* autem haud raro i. q. magnificus, pretiosissimus, de rebus, quae produnt dominorum superbiam. Cf. supra I, 639. 697. III, 2. Lucr. IV, 1174. *postes superbi*, Ovid. Am. III, 13, 26. *palla superba*, Hor. Od. II, 14, 27. *pavimentum superbum*, Mart. III, 45, 3. *dapes superbae*, id. VIII, 44, 10. *superba arca* cett. — 505. „*Tenent Danai*, quod vulgo: partim igni, partim ferro grassantur. Loca, quae ignis nondum invaserat [cf. infra v. 757.], *qua* [ubi] *deficit ignis*, ipsi insident." *Heyn.* *Tenere* absolute, quemadmodum I, 308. *locosque explorare novos, qui teneant.* — 506. „Sequitur locus de caede Priami, cui adiectus Politae exitus, ad miserationem egregie compositus. Caeditur ille decrepitus senex sedens cum uxore et filiabus ad aram Penatibus positam in penetralibus seu interiore aedium parte." *Heyn.* — *Forsitan et requiras.* De hac Part.. quam constat semper Coniunctivum adsciscere, in coniectura, quae aliquam rem ante occupat, usurpata cf. Cic. pr. Rosc. Am. 2, 5. *forsitan quaeratis, qui iste terror sit* et alios locos ab Handio Turs. II. p. 713. collatos. — *Priami fata.* Vid. infra v. 554. — 507. *urbis casum*, interitum (*den Fall*), ut supra I, 623., ubi vid. adnott. — *convolsa limina.* Henry in *Tw. years* II. p. 95. et Philol. XI. p. 616. comparat Plin. Epist. VII, 19. *Ac mihi domus ipsa nutare convulsaque sedibus suis ruitura supra videtur.* Vid. v. 464. *turrim convellimus.* — 508. *medium in penetralibus hostem.* Aliquot Codd. (inter quos Pal. a m. sec., Gud. a m. pr. et Bern. III.) *mediis* vel *in mediis penetral.*, fortasse ex v. 665. Serv. adnotat: „*medium;* si autem *mediis* legeris, non stat versus nisi excluso *s;*" quae tamen exclusio adversatur usui Verg. Cum vulgari lectione poëta longe digniore cf. supra I, 348. *Quos inter medius venit furor* et adnott. ad VII, 397. — 509. In summo rerum discrimine Priamus ipse, immemor aetatis et virium, se armat. Verba sic esse construenda patet: Senior (senex) nequidquam circumdat humeris aevo trementibus arma diu desueta. — *Arma circumd. humeris* de lorica accipies, coll. Aen. XII, 88. *circumdat loricam humeris* et adnott. ad VI, 229. Noli enim de gladio cogitare, quem (cuius balteum) Troiani non humeris circumdabant, sed lateri accingebant (vid. supra v. 393.), deque eo statim poëta loquitur: *et inutile ferrum Cingitur*, Graeca constructione, ut supra v. 393. *insigne Induitur.* — *moriturus.* Vid. ad Geo. III, 501. — 512. *Aedibus in mediis* etc. „Vergilius aram, quam alii in atrio (*ἐν αὐλῇ*) collocare solent, in impluvium transtulit, ubi Penates stabant sub dio." Sic *Heyn.*, cui *Wagn.* adsentitur his verbis: „in impluvio, undique ab ipsis aedibus cincto, ubi Penates aram habebant apud Romanos." Uterque errat et impluvium cum peristylio videtur confundere. *Impluvium* enim erat media pars atrii ipsius non tecta, in quam aqua pluvia ex tecto confluebat, neque in eo, sed iuxta ara erat posita. Recte igitur Süpflius propter v. 528. hic de atrio cogitat, neque aliter Beckerus in Gallo II. p. 173. ed. 2., qui docet, Vergilii aetate, cuius mores a poëta haud raro ad antiqua tempora transferantur, etiam in atrio laurum et caespitem cum herbis topiariis conspici potuisse. (Quae in prioribus editt. a Beckero l. l. p. 159 sqq. atque Reinio in eiusd. libri ed. 3. II. p. 193 sqq. et in Pauly *Realencycl.* I. p. 2046. ed. 2. inductus scripsi de cavaedio ab atrio diverso, ea nunc retracto.) Erat autem ara τοῦ Διὸς τοῦ Ἑρκείου, ad quam Neoptolemus Priamum interfecit. Cf. Schneideri Epimetr. ad Xen. Mem. p. 275. Wernsd. ad Ovid. Her. VII, 13. *Eurip.* Troad. 16. 481 sqq. Hec. 23. et Arctinus in Procl. Chrestom. p. 484., *quos Thiel.* laudat. — Imitator Vergilii in Anth. Lat. I, 178, 321. verba *Aedibus*

**Ingens ara fuit iuxtaque veterrima laurus
Incumbens arae atque umbra conplexa Penates.
Hic Hecuba et natae nequiquam altaria circum,
Praecipites atra ceu tempestate columbae,
Condensae et divom amplexae simulacra sedebant,
Ipsum autem sumptis Priamum iuvenalibus armis
Ut vidit „Quae mens tam dira, miserrime coniunx,
Inpulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.**

Thiel. laudat. — Imitator Verg. in Anth. Lat. I, 178, 321. verba *Aedibus in mediis* coniungit cum huius libri v. 5. *quaeque ipsa mis. vidi.* — *axis* (ut alibi *polus:* vid. adnott. ad Aen. I, 90.) poëtis interdum pro caelo ponitur. Cf. infra IV, 482. VI, 536. VIII, 18. (ubi *sub aetheris axe*, ut hic, pro sub dio positum.) Ovid. Trist. I, 2, 46. Stat. Theb. V, 86. X, 758. id. Silv. III, 3, 76. cett. et vid. adnott. ad Geo. II, 271. — **513.** *veterrima laurus.* Vid. supra v. 448. 484. Praeterea cf. etiam VII, 59. — **514.** *umbra.* Vid. adnott. ad Geo. II, 297. — *conplexa* pro *complectens* positum (cf. adnott. ad Geo. I, 206.) Wagn. Qu. Virg. XXIX, 3. p. 640. hoc negans Part. Perf. paullo subtilius interpretatur: ita, ut numquam umbra inde abscederet, coll. Aen. III, 607. *et genua amplexus genibusque volutans Haerebat;* postea tamen videtur sententiam mutasse. — Henry in Philol. XI. p. 617. *Penates* de tota domo intelligit coll. Martial. IX, 62, 5. *totos amplexa Penates Stat platanus* [ubi tamen praegressa verba *Aedibus in mediis* huic explicationi non favent], Stat. Silv. V. 3, 58. [immo III, 5, 58.] *Non sic Philomela Penates Circuit*, ibid. I, 3, 59. etc. — **515.** „*nequiquam* [vid. ad Geo. I, 960.] nullum fructum salutis e loci sanctitate habiturae.“ *Heyn.* Cf. infra v. 550 sqq. — **516.** Conington conferri iubet similem locum Aesch. Suppl. 223. (210.) — *praecipites*, praecipiti volatu loca tuta petentes. Animadvertas autem absolutum huius Adiectivi usum pro *se praecipitantes.* — **517.** *Condensae*, metu et pavore quam proxime sibi invicem adsidentes. Redit haec vox (quam amat Lucretius: cf. I, 607. IV, 55. VI, 466. etc.) infra VIII, 497. — *sedebant*, *ἱκετεύουσαι*, more supplicum. Cf. infra v. 574. Hanc autem lectionem Heins. (quem omnes recentiores editores iure secuti sunt) ex optimis Codd. restituit pro vulg. *tenebant*, quod sane Medic. a m. pr. exhibet, et Fabric. (coll. Ovidiana huius loci imitatione Met. XIII, 413.) non minus quam Wakef. ad Lucr. VI, 899. (coll. Lucr. I, 1068.) defendit. Sed *sedebant* comparationi cum columbis magis respondet; et *tenentes* ortum videtur ex v. 490. *amplexaeque tenent postes.* Cf. etiam Schirach. p. 538. — *amplexae simulacra.* De hoc supplicantium more vid. ad IV, 219. — 518. *Ipsum* quodammodo oppositum est *iuvenalibus armis:* cf. v. 509.; quare Wagn. Qu. Virg. XVIII, 3, c. docet, *ipse* „etiam de eo dici, qui faciat talia, quae aliena sint ab ipsius natura, aetate.“ — Formam rariorem *iuvenalibus* Heins. e Medic. aliisque bonis libris revocavit. Cf. etiam infra V, 475. VIII, 163. XII, 221. et Charis. Inst. Gr. I. p. 108. P. cum Prisc. IV, 4, 23. p. 631. P. — Peerlk., quamquam ipse memorat, Valerium Flaccum I, 759. canentem *ferrumne capessant Imbelle atque aevi senior gestamina prima* hic legisse videri *iuvenalibus armis*, tamen coni. *iuvenaliter*, coll. Ovid. A. A. III, 733. — **519.** *Quae mens dira*, quod consilium abominandum (*welcher schreckliche Vorsatz, Gedanke*). Cf. Aen. I, 676. et XII, 554. *Mens* enim, ut Graec. *μένος* et *θυμός*, de quovis vehementiore animi commoti affectu dicitur, qui hominem ad agendum incitat, quare haud raro cum *furore* coniungitur, velut in loco illo Catulli XV, 14. *Quod si te mala mens furorque vecors In tantam impulerit, sceleste, culpam.* Cf. Gierig. ad Ovid. Met. V, 13. (*qua te, germane, furentem Mens agit in facinus?*) Heyn. ad Tibull. IV, 3, 7. (*Quis furor est, quae mens*) Bentl. et Schmid. ad Hor. Ep. I, 2, 60. alii. — *Dirus* autem vox propria de rebus male ominatis. Vid. Geo. I, 488. *dirae cometae.* Plin. H. N. XVIII, 1, 1. *dirae alites.* Suet. Claud. 22. *dira avis.* Ovid. Met. V, 550. *dirum omen* cett. Cf. etiam Cic. Legg. II. 8. *extr. de Div. II, 15. extr.* et Mitscherl. ad Hor. Od. I, 2, 1. — **520.**

Non tali auxilio nec defensoribus istis
Tempus eget; non, si ipse meus nunc adforet Hector.
Huc tandem concede; haec ara tuebitur omnis,
Aut moriere simul." Sic ore effata recepit
Ad sese et sacra longaevum in sede locavit.
Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostis
Porticibus longis fugit et vacua atria lustrat

Henry in Philol. XI. p. 618. hoc versu unam modo contineri sententiam censet: quo ruis his telis instructus? cui tamen opinioni adversari videtur Part. *aut*. Equidem locum sic explicuerim: Quid te impulit his telis cingi, vel potius quo ruis iis usurus? — **521**. *defensoribus istis* prius interpretatus sum: talibus, qualis tu es (eamque explicationem etiam Gossr. amplexus est); postea vero cum Henrico (qui in *Tw. years* II. p. 95 sq., Iahn. Annal. LXXIII. p. 456. et Philol. XI. p. 617. poëta minus dignum putat, si Hecuba Priamum ad senectutis imbecillae memoriam excitaret) ad *tela* modo commemorata retuli, quibus etiam Pron. *istis* magis convenire videtur, ut sensus sit: non iam est locus pugnandi, sed deos precandi; ad aram confugiamus; ea nos tuebitur, arma non tuebuntur; immo Hector ipse, si adesset, nihil amplius efficeret. *Defensores* autem de inanimatis quoque rebus usurpari, Henr. docet coll. locis Caes. B. G. IV, 17., ubi sublicae, et Claud. in Ruf. I, 80., ubi arcus Herculis *defensores* vocantur, idemque non inepte suspicatur, Statium Theb. IV, 200. fortasse hunc locum imitatum esse sic scribentem: *Non haec apta mihi nitidis ornatibus* (i. e. armis), *inquit, Tempora - - -; sat - - incultos aris adverrere crines*. Adsentiuntur nobis Wagn. et Conington; Kappes. tamen II. p. 35. de hominibus cogitans explicat: non armatis pugnatoribus, qualis tu nunc appares, opus est. — **522**. *non, si ipse m. n. a. H.*, scil. posset nos armis defendere; quod verbum ex Substantivo *defensoribus* est repetendum. Cum verbis *meus Hector* cf. I, 232. *meus Aeneas*. — **523**. *haec ara tuebitur*, iure ἱκετείας. Eiusmodi enim loca sacra habebantur asyla. — **524**. *recepit*, scil. eum. Vid. adnott. ad v. 25. — **525**. „*Sacra sede*, ara v. 513., altare v. 515. — **526**. Subiungitur *Politae* caedes, propter aetatem miserabilis. Is, Priami filius, pedum celeritate insignis fuit. Vid. Hom. Il. II, 791. [Adde Il. XIII, 533. et XV, 339.] Vulnere iam accepto (*elapsus Pyrrhi de caede*) fugiebat ille; Neoptolemus, ut aliud inferret, eum insequebatur." *Heyn*. De ipsa caede eius nihil apud Homerum. Consentiunt cum Vergilio Quintus Smyrn. XIII, 214. et Tabula Iliaca n. 105. et 106.; apud Dictyn vero II, 43. Polites in pugna occiditur. Cf. Heynii Excurs. XI. ad h. l. — *Pyrrhi de caede*, ut supra v. 436. (ubi vid. adnott.) *vulnere tardus Ulixi*. — *elapsus de caede*, rariore quidem constructione, sed tamen vel solutae orationis scriptoribus usitata. Cf. Cic. ad Att. I, 16, 6., ubi *elabi de manibus*, et Lucan. IX, 80., ubi *de pectore elabi* (i. e. oblivioni dari) legitur. Ceterum huius et sequentis versus prima verba repetuntur in Anth. Lat. III, 81, 90 sq. — **528**. Cum ianua, qua ex vestibulo aditus erat ad ipsas aedes, concisa hostes iam in priorem atrii partem irrupissent, Polites per posteriorem eius partem in aedium interiora fugit. — „*Porticibus longis*. Si Homerica et non sua potius tempora secutus est, αἴθουσαν expressit, quae αὐλήν ab utraque forium parte ornabat." *Heyn*. Etiam atrii laquearia et tecta apud Romanos haud raro columnis sustentabantur et ornabantur. Cf. Aen. XII, 476. et Lersch. Ant. Verg. p. 225. Vergilius autem de *atriis* locutus Romanorum instituta ad Troianos transtulit. Verba *Porticibus longis fugit* etiam apud Var. Flacc. I, 728. legi docet Wund. — „*vacua* cum dilectu, ut significet Troianos iam fuga dispersos. Cf. Burm. ad Val. Fl. IV, 21." *Heyn*. *Vacua* enim atria hic non tantum sunt ampla, spatiosa (ut infra v. 716. et XII, 710.), sed ab hominibus deserta, ut IV, 82. — *lustrat*, percurrit circumspiciens, ubi sit aliquod perfugium. Cf. infra III, 385. IX, 57. etc., imprimis autem XII, 474. *alta atria lustrat hirundo*. Utrumque hunc locum ante oculos habuere Lucan. X, 460. *incerto lustrat vacua atria*

Saucius. Illum ardens infesto volnere Pyrrhus
Insequitur, iam iamque manu tenet et premit hasta.
Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum,
Concidit ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abstinuit nec voci iraeque pepercit.

---

cursu et auctor carm. in Anth. Lat. I, 168, 1. *vacua atria lustrat hirundo.* — **529.** *saucius*, graviter vulneratus. Henry in Philol. XI. p. 619. conferri iubet Cic. Verr. I, 27, 67. *Servi nonnulli vulnerantur; ipse Rubrius sauciatur.* — *infesto volnere insequitur.* Burm. aliique *vulnus* pro telo positum accipiunt, de quo usu voc. *vulneris* cf. infra VII, 533. X, 140. XII, 376. Drakenb. ad Sil. I, 397. et V, 251. Cort. ad Lucan. III, 134. et VII, 517. Gierig. ad Ovid. Met. IX, 126. et Bach. ad eiusd. VII, 842. Sed recte Heyn. docet, hunc usum tum tantum valere, cum de telo ita agatur, ut vulnus ab eo factum simul memoretur. Hic igitur pro: infesto telo, quo eum vulneret, magis poëtice scriptum *infesto vulnere insequitur*, i. e. iam a se vulneratum infeste persequitur, ut novo vulnere conficiat. Idemque sibi velle videtur Schirach. p. 648. — **530.** *iam iamque* (proprie nostrum *jeden Augenblick*, cf. infra VIII, 708. XII, 754. 940. Cic. Tusc. I, 7. extr. ad Att. XIV, 22. eett.) hic admodum vivide depingit anxiam cum ipsius Politae tum spectantium exspectationem, iam iamque illum perfossum iri. Sed cum iam in eo est, ut Pyrrhus hastam corpori eius infigat, concidit Polites ex priore vulnere ante ipsa ora parentum in ara sedentium, quod miserationem mirum quantum auget. Ceterum cf. locus simillimus XII, 754. — „*premit hasta* exquisitius quam transfigit. Cf. IX, 330. Proprie *premit hastam* is, qui ea transfigit aliquem, eam adigit, ἐρειδόμενος.“ *Heyn.* Etiam Wagn. explicat: hasta percutit; sed per se *premere* nihil significare potest, nisi urgere, instare (*zusetzen*) ut Aen. I, 324. V, 187. VIII, 249. IX, 330. 793. X, 231. XI, 545.; neque hic aliter intelligendum, imprimis cum *iamiamque* adiiciatur et sequantur verba *Ut tandem evasit*, quod etiam Henry in *Tw. years* II. p. 97. et Philol. XI. p. 619., Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 106. et Conington censent. Sic igitur verba *premit hasta* latius modo persequuntur sententiam antecedentem *infesto volnere insequitur*. Henry in *Tw. years* II. p. 99. adnotat *vulnere* — *hasta* esse i. q. in prosa oratione *vulnere hastae* et comparat Hor. Od. I, 27, 11. *quo beatus Vulnere, qua pereat sagitta.* — **532.** *vitam cum sanguine fudit.* Cf. Ovid. Met. II, 610. *et pariter vitam cum sanguine fudit*, et supra ad I, 98. Similiter Ovid. ibid. VI, 253. *cumque anima cruor est effusus in auras.* — **533.** *Media morte*, praesenti mortis periculo. Wagn. Qu. Virg. XIV, c. haec scripsit: „*in media morte tenetur*, de ipso moriendi articulo: *morte tenetur*, qui iam mortuus est.“ Peerlk. tamen, hoc alterum quidem concedens, sed *in media morte teneri* omnino Latinum esse negans, locum sic distinguendum esse censet: *Priamus, quamquam in media iam morte tenetur, Non tamen abstinuit nec voce iraeque pepercit.* Sed ut nihil dicam de supervacanea coniectura *voce* (pro *voci*), atque concedam, *teneri* pro se continere dici potuisse (quemadmodum ap. Cic. ad Att. XV, 14. *teneri non potui, quin tibi declararem*), oratio tamen tam hiulca et contorta mihi Vergilio indigna videtur. Henry in *Tw. years* II. p. 100. et Philol. XI. p. 619. recte comparat Ammian. XXXI, 13. *inter ipsa mortis confinia* et Stat. Silv. II, 5, 17. *A media iam morte redit*, Ladew. autem (priore sententia sua de hoc loco, quam iure oppugnat Haeckerm. in Comm. p. 30., recte mutata) Cic. Cat. IV, 9, 18. *habetis consulem ex plurimis periculis et insidiis atque ex media morte reservatum* et eiusd. Verr. V, 6, 12. *tu servos ad supplicium iam traditos ex media morte eripere ac servare ausus es*, et Kappes. II. p. 35. Cic. Verr. II, 2, 78. *Nemo ita in manifesto peccatu tenebatur* etc. Adde praeterea Val. Fl. I, 821. III, 326. Stat. Theb. VIII, 730. XI, 555. (ab Haeckerm. laud.), in quibus omnibus locis *media in morte* de moribundis dicitur. Ceterum cf. etiam supra v. 447. — **534.** *abstinuit*, continuit se. — *nec voci iraeque pepercit.* Simplic' Copula post negationem utitur poëta, cum *ira* cum *voce* arcte iuncta

„At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis
Di, si qua est caelo pietas, quae talia curet,
Persolvant grates dignas et praemia reddant
Debita, qui nati coram me cernere letum
Fecisti et patrios foedasti funere voltus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo, sed iura fidemque

---

cogitanda, quippe quae illa ipsa se prodat. Cf. VI, 393. X, 609. XII, 824. cett. et Wagn. Qu. Virg. XXXVI. 8. De *parcendi* voc. cf. supra adnott. ad I, 257. — **535**. *At* exprimit interdum vehementiorem animi commotionem in votis, quibus vel bona alicui precamur, vel mala imprecamur, ideoque etiam in exsecrationibus et devotionibus, ut hoc loco. Cf. Aen. VIII, 643. Ter. Hec. I, 2, 59. *At te dî deaeque perdant cum tuo istoc odio.* id. Andr. IV, 1, 42. *At tibi dî dignum exitium duint.* Catull. III, 13. *At vobis male sit, malae tenebrae Orci* cett. Cf. Muret ad Catull. l. l. Burm. ad Prop. II, 5, 23. Barth. Adverss. XXXIV, 22. Ruhnken. ad Ter. Andr. l. l. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 8, 37. Beneck. ad Iustin. XIV, 4, 10. Hand. Tursell. I. p. 441 sq. — Wagn. Qu. Virg. XXXVII, 5. hunc locum ita explicat, ut sententia, ad quam Particula adversativa referatur, suppressa sit haec: „non debebas natum coram patre ac signis deorum obtruncare; at te poena huius sceleris consequetur.“ Vid. infra ad v. 559. — *pro talibus ausis*, nefariis conatibus. Cf. infra VI, 624. IX, 28. XII, 351. Ovid. Met. II, 328. X, 460. XI, 242. multique alii loci, ubi *ausum* substantive usurpatum legimus. Respexit hunc locum Silius XIII, 697. *dignas pro talibus ausis Carthago expendat poenas.* — **536**. *si qua est caelo pietas.* Sic Part. *si* saepe usurpatur in obtestationibus. Vid. Aen. I, 603. VI, 529. Hor. Od. I, 32, 1. cett. Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 7. et Aen. IV, 419. Peerlk. praefert unius Cod. Leid. lectionem *Si qua in caelo p.* — *pietas* h. l. est respectus ac miseratio eorum, qui indigna patiuntur. Vid. infra ad IV, 382. et V, 688. et cf. Catull. LXXIX, 15. *O dî, si vestrum est misereri.* Memor fuit huius loci Silius VI, 410. *Si qua deis pietas, tales Karthago videre Dent tibi Sidonias matres.* De *pietate* autem *deorum* iam Naevius Bell. Pun. I, 7, 14. locutus erat. — **537**. *grates* et *praemia* h. l. poena. Vid. ad XI, 857. — **538**. *qui me cernere - - Fecisti*, Graeca dicendi ratione, pro: qui fecisti, ut cernerem. Sic *facere* haud raro cum Infin. construitur, ubi non consilii (per *ut* exprimendi), sed modo rei effectae cogitatio obtinet. Cf. Ovid. Met. VII, 690. *Hoc me - - - telum Flere facit.* Lucr. III, 101. *quid faciat nos Vivere cum sensu.* Varr. R. R. III, 5. *desiderium macrescere facit volucres* etc. Interpp. ad Ovid. Her. XVII, 174. Schmid. ad Hor. Ep. I, 1, 69. Ruddim. II. p. 230. et quae supra ad I, 527. adnotavimus. Aliter res se habet Aen. VIII, 630., ubi vide. — **539**. „*patrios foedasti funere voltus;* gravissima verba et atroci spectaculo accommodata. Re funebri pollui et contaminari homines, religiosa erat opinio: et adsperso eius, qui caeditur, cruore foedatur, polluitur aliquis: h. l. ipsi *vultus* tantum non adspersi et contaminati *funere*, caede, sanguine“ *Heyn.* Cf. VI, 150. VII, 458. IX, 527. X, 602. Excepta prima voce iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 178, 445. — **540**. „*At non ille* sqq.; hoc criminationis genus illustratur a Burm. ad Anthol. Poët. Lat. T. I. 338.“ *Heyn.* — *satum.* Vid. ad Geo. I, 278. — **541**. De constructione *talis in hoste fuit* (cum quibus verbis cf. Ovid. Trist. V, 2, 36. *lenis in hoste.* id. Amor. I, 7, 34. *saevus in hoste.* id. Met. IV, 546. *in pellice saevae.* Tibull. III, 6, 19. *torvus in illis.* Prop. IV, 18, (III, 19,) 28. *aequus in hoste.* Iustin. VIII, 6, 7. *scelestus in utroque.* Sall. Cat. 9, 2. *in amicis fideles.* ibid. 52, 12. *misericordes in furibus aerarii.* Cic. ad Att. IV, 16, 6. *liberalis in populo* etc.) praeter multos alios (ex quibus sufficiat laudasse Oudend. ad *Caes. B. G.* II, 32, 2. Ruhnk. ad Ter. Eun. III, 5, 19. Heind. ad Hor. *Sat. I, 4, 49.* Beier. ad Cic. Off. II, 18. in. Brem. et Daehn. ad Nep. *Dion. 6, 2.* Dissen. ad Tibull. III, 6, 19. Goerenz. in Iahnii Annal. I, 2.

Supplicis erubuit corpusque exsangue sepulchro
Reddidit Hectoreum meque in mea regna remisit."
Sic fatus senior, telumque inbelle sine ictu
Coniecit, rauco quod protinus aere repulsum
Ex summo clipei nequiquam umbone pependit.

---

p. 305. Obbar. in Seebod. Bibl. crit. 1828, ch. 15. p. 118. Hand. Turs. III. p. 265 sqq.) accuratissime disputavit Kritz. ad Sall. Cat. 9, 2., qui docet, duplicem illam Accusativi et Ablativi constructionem tum tantum locum habere, ubi Verbum aliquam animi affectionem significans duplici modo possit cogitari, aut ita, ut per Praepos. *in* Accusativo iunctam cum Obiecto aliquo coalescat, aut ut generali sensu et absolute positum addito Ablativo cum Praep. *in* accuratius definiatur, quippe quo res illa significetur, in qua absoluta eius actio versetur, quae actioni caussam aut originem praebuerit, et in quo animi affectio appareat. Sic igitur *talis in hostem fuit*, quod arcte cohaeret et in quo magis Subiecti quam Obiecti notio spectatur, differt cogitatione a *talis in hoste fuit*, i. e. omnino *talis fuit* (absolute) et quidem *in hoste*, i. e. quod attinet ad hostem; *in* ipso hoste ei dabatur occasio, talem, qualis omnino erat, se gerendi; ubi Obiecti notionem magis premi manifestum est. Ideoque, sive Ablativus, sive Accusativus ponitur, res ipsa quidem non mutatur, sed aliter tamen cogitata mente concipitur. Ceterum videtur hunc locum ante oculos habuisse Ovid. ex P. III, 3, 41. *At non Edonides Eumolpus in Orphea talis.* — „*iura fidemque supplicis*, *τὸ ὅσιον τῆς ἱκετείας*, sanctitatem supplicis. - - Supplex *in fidem alicuius*, h. e. tutelam, venit, committit se fidei et religioni eius, cui supplex factus est; debetur igitur ei incolumitas ex ea fide seu religione, quam revereri tenetur is, cui quis supplex sit. Ita Achilles reveritus est, *erubuit*, *ius supplicis* et *fidem*, religionem *τῆς ἱκετείας* [et sanctitatem supplicis]." *Heyn.* — *Iura* igitur, quae quisque habet supplex et quae tuetur *Ζεὺς ἱκέσιος*, et *fides supplicis*, quae supplici est praestanda. Cf. adnott. ad Aen. I, 462. et supra ad v. 413. *Erubescere* autem *aliquid* legimus etiam Prop. IV, 13, (III, 14.), 20. Sen. Epist. 95. Claud. R. Pros. I, 69. atque adeo ap. Cic. in Vat. 16, 39. alibi; quare etiam cum Infinitivo construitur, veluti ap. Curt. V, 4. Val. Max. VI, 2. ext. etc. et *res erubescenda* dicitur pro re, ob quam erubescendum est, ut ap. Hor. Od. I, 27, 14. Vellei. II, 130. Flor. II, 14, 3. etc. Cf. quae de verbis intrans. cum Accusativo constructis ad I, 67. adnotavimus. Ceterum Burm. hos locos comparat, ubi *iura et fides* eadem ratione coniunguntur: Ovid. Her. II, 31. Lucan. VIII, 450. Stat. Achill. I, 1, 404. — *corpus Hectoreum.* Vid. infra ad v. 584. — *reddidit.* Conington adnotat, complecti hoc verbum duas notiones: reddidit patri (ut XI, 103.) et reddidit sepulcro (ut VI, 152.) — **543.** *in mea regna*, in regiam. Secutus est nostrum Seneca Troad. 1106. *sponte desiluit sua in media Priami regna.* — **544—549.** *Sic fatus* (post *exclamat*). Vid. supra adnott. ad v. 78. — *Sine ictu*, non icto, non vulnerato eo, qui erat vulnerandus, cum telum ab aere clipei resiliret. *Κωφὸν βέλος* dixit Homer. Il. XI, 390. — *imbelle telum.* Cf. Val. Fl. I, 759. *imbelle ferum.* Burm. laudat Barth. ad Stat. Theb. IV, 754. — **545.** „*rauco aere*, aereo clipeo, qui percussu raucum, surdum sonitum edebat [Henry in *Tw. years* II. p. 100. confert Claud. B. Gild. 433. *raucosque repulsus Umbonum.*] —, et *nequidquam*, sine effectu et vulnere, *pependit* in corio, quo clipeus erat obductus. De ictu imbelli saepe talia apud Homerum, v. c. Il. III, 347 sqq." *Heyn.* Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 96. — Cum Lactant. ad Stat. Theb. I, 377. Copulam *Et* prorsus omittat, Cod. autem Vratisl. pro ea praebeat Praepos. *E* et ceterorum Codd. lectio *Et* facile oriri potuerit ex scriptura *Ec* (de qua cf. quos laudat Ribbeck. Prol. p. 418.: Vahlen. Annal. Non 36. *Zeitschr.* etc. Austr. 1860. p. 16 sq. et Schuchardt. p. 120.), cum Wakef., Ladew. et Ribbeckio (qui scripsit *Ec*) nunc recepimus Praepos. *Ex*; omissio enim Verbi subst. *est* iuxta *repulsum* (de qua cf. Wagn. Qu. Virg. XV, 6. et *quae ad Ecl. I, 54.*, Aen. I, 367. et alibi adnotavimus) in hac *relativa sententia paullo durior* censenda. Nihilominus Bryce, Haupt.,

Cui Pyrrhus: „Referes ergo haec et nuntius ibis
Pelidae genitori; illi mea tristia facta
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere.“ Hoc dicens altaria ad ipsa trementem
Traxit et in multo lapsantem sanguine nati,
Inplicuitque comam laeva dextraque coruscum
Extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Haec finis Priami, fatorum hic exitus illum

Wagn. et Coningt. Copulam retinuerunt. — 547. *Referes - - ibis.* Futurum pro Imperativo positum, si exspectamus, alterum etiam non iussum voluntati nostrae satisfacturum esse, ut etiam Ecl. X, 31. Geo. I, 167. III, 155. 176. IV, 105. Aen. IX, 742, et alibi haud raro. Thiel., qui Futurum pro Imperativo positum, quod alibi familiaritatem quandam et fiduciam indicet, hic irrisioni inservire docet, quam Particula *ergo* magis etiam augeat, conferri iubet Matth. Gr. Gr. §. 511. Zumpt. §. 586. 1. Ramsh. §. 167, 2. N. 2. et Bach. ad Tibull. I, 3, 1. Heyn. de hoc sarcasmo ex Homero ducto videndum ait Popium ad Il. XIIII. obs. 31. De Particula *ergo* (nostro *nun so*) cum Imperativo iuncta cf. Hand. Tursell. II. p. 451 sq. — 548. *illi.* Cf. adnot. ad Geo. I, 54. — *tristia facta,* i. e. saeva, crudelia; secundum Gossr. vero inhonesta, turpia. Vergilii imitator in Anth. Lat. I, 178, 276. et 396. bis scribit *mea tristia fata,* ut etiam in Codd. quibusdam Donati ad Ter. Adelph. I, 2, 36. hic *fata* pro *facta* legitur, quamquam idem ad Ter. Hec. I, 2, 19. et Phorm. I, 2, 41. recte scribit *facta.* — 549. „*narrare Neoptolemum degenerem* est narrare, ut Neoptolemus sit degener. *Narrare hominem* exquisita dicendi ratio pro exponere res vel mores hominis. Vell. Paterc. II, 29. *sed operis modus paucis eum* (Pompeium) *narrari iubet.* Non igitur necesse, ut ad *degenerem* Copulam *esse* assumas.“ *Wund.* Cf. Aen. I, 390. *socios reduces tibi nuntio* et similes locos. Sic iam ap. Ciceronem *legere*, *audire aliquem* pro: de aliquo (Acad. II, 1, 3. Legg. I, 1. de Or. I, 60, 255. Off. I, 6, 19. etc.). — *degenerem* cum irrisione spectat v. 540. — De ipso nomine pro Pronomine pers. *me* posito vid. ad v. 79. — *memento,* cum gravi cavillatione: *vergiss ja nicht.* Thiel. confert Hor. Od. I, 7, 17. et II, 3, 1. — 550 sqq. Hunc locum imitatione expressit Seneca Troad. 44 sqq. — *altaria.* Vid. supra ad v. 512. — *trementem,* non formidine, sed aetate. — 551. *lapsantem,* i. e. vacillantem et lapsum minantem. Apud scriptores Vergilio antiquiores hoc verbum non invenitur, quo post eum usi sunt Sil. VI, 632. VII, 610. (*super tepido lapsantem sanguine*) Stat. Theb. V, 323. Tac. Ann. I, 65. Hist. I, 79. Flor. II, 10. alii. De ipsa re cf. similem locum Ovid. Met. V, 76. *Sanguine, quo tellus late madefacta tepebat, Conciderant lapsi.* — 552. *inplicuit comam.* Cogitandum de more veterum, regum imprimis, comam alendi; quare longi et promissi crines facile poterant manibus circumvolvi. Galeam igitur aut iam amiserat Priamus ad aram attractus, aut potius cum ceteris armis (v. 509 sq.) non sumpserat. *Inplicuit* autem *comam laeva* pro usitatiore *coma laevam* (cf. Aen. IV, 148. VII, 136. etc.) bene respondet sequentibus verbis *dextraque coruscum - - ensem.* Unus Ribbeck. praetulit vulgarem constructionem, cum Pal. *laevam* et Bern. III. *leva-* exhibeant. Sed recte etiam Kappes. II. p. 35 sq. a meliorum Codd. lectione non recedendum esse censet. — 553. „*extulit ensem,* non: vagina extraxit, sed sustulit, intentavit [*er schwang*]. Versu 530. *hasta* Pyrrhus eminus petierat Politen.“ *Heyn.* Cf. Cic. Cat. II, 1, 2. *Quod non cruentum mucronem, ut voluit, extulit,* et infra v. 687. *extulit oculos ad sidera,* i. e. sustulit. Ex ipsa de causa, quod ensis elatus vibratur, *coruscus* apparet. Cf. supra v. 333. 470. ibique adnott. — *ac lateri capulo tenus abd. ensem.* Cf. Ovid. Met. IV, 719 sq. *dextroque frementis in armo Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo* et Sen. Troad. 48. *vulneri ferrum abdidit.* De collocatione verborum vid. supra ad I, 694. — 554—559. „Epiphonema ad commiserationis affectum praeclare compositum: simplex tamen et ob-

Sorte tulit Troiam incensam et prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiae. Iacet ingens litore truncus

---

vium. Placet non minus illud de Achille apud Ovid. Met. XII, 615. 616. *Iam cinis est, et de tam magno restat Achille Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.*" *Heyn.* — *Haec finis* (vid. ad III, 145.) *Priami*, ut ap. Silium X, 305. *Hic finis Paulo* (ubi editt. Ald., Iunt. al. etiam *Haec finis* exhibent). Prius cum Cod. Med., Gellio XIII, 21, 12., Servio, Heynio et Wagn. (qui hanc distinctionem etiam nunc in Philol. Suppl. I. p. 416. defendit) locum sic distinximus: *Haec finis Pr. fatorum, hic exitus* etc., *finem fatorum* pro fine vitae, quae rebus atque eventis fato immissis completur, accipientes (vid. etiam Aldenhov. l. l. p. 17. not. 37. Dietsch. l. l. p. 23. et Kappes II. p. 36.) et his verbis responderi censentes ad v. 506. *Forsitan et Priami fuerint quae fata requiras.* Cum tamen iam elisio *fatorum hic* potius haec verba coniungenda esse doceat et altera ratione numeri paullo languidiores efficiantur, cum in antecedentibus non de longa fatorum serie, sed de una Priami morte sermo fuerit, cum porro etiam III, 714. legamus *Hic labor extremus, longarum haec meta viarum* et de *sorte fatorum* pari modo ap. Lucan. IX, 1047. Manil. III, 132. Claud. XXVIII, 283. et Curt. X, 1, 30. sermo sit, relatio autem ad v. 506. eadem maneat, nunc potius cum Haeckerm. in *Archiv. f. Philol.* XVIII, 2. p. 310 sqq. Comm. p. 30. et *Zeitschr.* etc. XIX. p. 107. (ubi etiam recentissima Wagneri argumenta locis supra allatis refelluntur), Hauptio, Ladew. et Ribbeckio post *Priami* distinximus. Noli igitur cogitare de Homerico τέλος θανάτοιο (cf. Spitzner ad Il. VII, 104.) et comparare *mortis metas* Aen. XII, 546. Peerlkamp. sine iusta causa coni. *Haec finis Priamo* et in seqq. cum Heinsio *hac Sorte.* — 555. *tulit*, abstulit. Cf. Ecl. V, 34. infra v. 600. et IV, 679. — *videntem* aut per epexegesin explicare possumus: hunc exitum habuit Priamus, ut videret etc., aut simplicius: hic exitus fuit Priami eoque miserior, quod moriens vidit etc., quae est Wagneri sententia l. l. — 556. *tot populis terrisque superbum*, gloriantem tot populis sibi subiectis (cf. supra v. 504. V, 268. 473., *pecunia superbus* ap. Hor. Epod. IV, 5. et similia); i. e. omnino potentem, magnum. Vid. adnott. ad Aen. I, 21. In primis editt. cum Heynio et Wund. minus recte coniunxi verba *regnatorem populis*, de qua constructione vid. adnott. ad VIII, 65. et X, 203.; altera autem ratio, quae iam Wakefieldo, Iahnio et Wagnero placuit, et quam post me etiam Bryce, Ladew. et Conington amplexi sunt, haud dubie est simplicior, imprimis cum *regnatori* iam Gen. Obiecti *Asiae* adiunctus sit. — 557. *regnatorem* (quae vox invenitur etiam infra IV, 296. VII, 558. Val. Fl. II, 621. Stat. Silv. IV, 7, 5. Mart. X, 61, 3. alibi) *Asiae*, certe magnae partis Asiae minoris, quam Romanis Asiam κατ' ἐξοχήν dici constat. Cf. Strab. XIII. p. 875. A. Sic etiam Cic. de Divin. I, 40, 89. *Priamus rex Asiae* vocatur. Cf. etiam Aen. III, 1. *res Asiae* et XI, 268. *devictam Asiam.* — „*iacet ingens litore truncus.* Scilicet insepultum proiectum fuit Priami corpus. Hoc alii simplicius narrarunt, nulla loci apposita notatione; vide praeter Quint. Calabr. XIII, 241 sqq. Senec. Troad. 54 sqq. Auson. Epitaph. 23., quod ex nostro adumbratum est, et Eurip. Troad. 1322. 23. Alii addunt locum, ubi proiectum iacuit *corpus*, quod ab Achivis *ad litus tractum, et illic relictum sine capite* memorant; quae unice vera interpretatio Pompon. Sabini, obvia eadem in Servianis; unde etiam intelligitur, ad Pacuvii tragoediam poëtam respexisse; quamquam locus, qui ibidem adscriptus fuit, [fragm. inc. 23.] excidit. Sed imitationem huius loci notarunt viri docti ex Manil. IV, 64. 65. *Priamumque in litore truncum, Cui nec Troia rogus*, et e Seneca Troad. 140. *magnoque Iovi victima caesus Sigea premis litora truncus.*" *Heyn.* Adde Anth. Lat. III, 106, 55. *Tempore non illo Priamum periisse putabis, Quo iacuit Teucro litore truncus iners.* Aliam sane narrationem sequi videtur Horatius, qui Od. III, 3, 40. de *Priami busto* loquitur. Sed vide ibi Orell. et Süpfl. ad h. l. — *iacet* (*i. e. illo* tempore iacebat). Vid. adnott. ad Aen. I, 99. *Ceterum cf.* V, 871. VI, 149. IX, 486. XI, 102. al. —

Avolsumque humeris caput et sine nomine corpus.
At me tum primum saevus circumstetit horror.
Obstipui; subiit cari genitoris imago,
Ut regem aequaevum crudeli volnere vidi
Vitam exhalantem; subiit deserta Creusa
Et direpta domus et parvi casus Iuli.
Respicio et, quae sit me circum copia, lustro.

---

ingens, cf. Hom. Il. XXIV, 477. *Πρίαμος μέγας*. Burmann. pro *litore* male coniecit *limine*, scil. regiae. — **558.** *Avolsum caput.* Henry in *Tw. years* II. p. 101. confert Ammian. XIV, 11. *Cervice abscissa ereptaque vultus et capitis dignitate cadaver relictum est informe.* — *sine nomine corpus*, quia capite absciso cognosci non poterat, cuius esset corpus. Cf. Iuvenc. III, 68 sq. *Corporis ad lacerum flentes sine nomine truncum Discipuli condunt terrae*, Ambros. Hexam. VI, 8. *Si caput desit, iacet truncus ignobilis sine honore, sine nomine*, poëtaeque Anth. Lat. I, 170, 86, *Et funus lacerum, caput et sine nomine corpus* et IV, 103, 8. *Et cinis in tumulis iacet et sine nomine corpus*, quibus omnibus hunc locum ante oculos fuisse patet, et Val. Fl. IV, 184. *quibus sub vulnere nulla Iam facies nec nomen erat.* Non igitur erat, cur auctor Progr. Leitmeritiensis a. 1868. in his verbis post *ingentem truncum* (*Rumpf*) adiectis tautologiam inveniret et propterea *truncum* per appositionem interpretandum censeret hac sententia: „*Auf dem Strande liegt* (*wie*) *ein riesiger Baumstamm sein haupt- und namenloser Körper*. — **559** sqq. „Hic artem poëtae agnosce. Priami casus patris Anchisae recordationem movet. Quis Aeneae in patrem omninoque in suos pietatem nunc eum rerum cardinem fore exspectabat, quo narratio ad id, quod rerum caput est, Aeneae discessum, converteretur? Et quam accommodata haec Aeneae personae! Et quam apta ad studia nostra animosque in virum tam eximiae pietatis convertendos!" *Heyn*. Wund. comparat Val. Flacc. I, 712. *Te quoque iam maesti forsan genitoris imago, Nate, ait, et luctus subeunt suspiria nostri.* — *At tum primum* — antea nulladum eiusmodi cura subierat animum; quam sententiam, quo referatur Part. *at*, hic suppressam esse docet Wagn. Qu. Virg. XXXVII, 5. Cf. supra ad v. 535. — *me circumstetit horror*. Cf. IV, 561. X, 905. Tac. Hist. I, 17. *circumsteterat palatium publica exspectatio*. id. Dial. de orat. 8. *paupertas et angustiae rerum nascentes eos circumsteterunt.* Sic etiam apud Graecos *ἀμφιβαίνειν*. Cf. v. c. Soph. Oed. Col. 1478. et Langii *Verm. Schriften* p. 19. — **560.** *subiit*, scil. animum, mentem (ut infra X, 824., ad quem locum nostro simillimum vid. adnott.), vel simpliciter me (quemadmodum apud Ovid. Fast. II, 753. *Quoties pugnantis imago Me subit*). Cf. infra v. 575. Sic Ovid. Trist. I, 3, 1. *Cum subit illius tristissima noctis imago*. ibid. III, 13, 24. *In tantis subeunt nec bona verba malis*. ibid. III, 8, 38. Ovid. Met. II, 755. (ubi vid. Bach.) XII, 724. cett. Drakenb. ad Sil. XII, 62. Burm. ad Ovid. Her. XVIII, 22. et Ruddim. II. p. 148. not. 7. Thielius, coll. Valken. ad Eur. Phoen. 1380. etiam Graecos verbis *ὑπελθεῖν*, *ἐπελθεῖν*, *εἰσιέναι* eadem ratione absolute uti memorat. Vid. etiam supra ad v. 317. Quod attinet ad voc. *imago* cf. Aen. III, 488. *o mihi sola mei super Astyanactis imago.* Ceterum respexit hunc locum Rutil. Itin. I, 575. *Hic oblata mihi sancti genitoris imago.* — De Anchise servato infra v. 721 sqq. agitur. — **561.** *aequaevum*, scil. Anchisae; quod imprimis movet pii filii animum. Redit hoc Adiectivum infra V, 452. Cf. etiam Senec. Agam. 639. *Hinc aequaevi gregis Astyanax ducit turmas.* De rebus inanimatis legitur ap. Plin. H. N. XVI, 44, 86. Claud. de B. Get. 54. Epigr. II, 16. et saepius apud hunc poëtam. — **562.** *Creusae*, uxoris, Priami Hecubaeque filiae, de cuius mirabili e terris exitu infra sermo est v. 711 sqq. — **563.** *Direpta domus;* direptio domus meae animo obiiciebatur ut iam facta. Aeneae domus enim iam a nemine defendebatur et tantum loco, quo sita erat, tegebatur. Cf. supra v. 300. — *casus Iuli*, quid Iulo accidere posset. Cf. Aen. I, 623. — **564.** *Respicio.* „In regis casu defixus omisit ani-

'eseruere omnes defessi et corpora saltu
.d terram misere aut ignibus aegra dedere.
Iamque adeo super unus eram, cum limina Vestae

---

advertere, quae prope ipsum agerentur. Nunc quasi ad se ipsum redit quid in arce facere voluerit, recordatur." *Gossr.* — *Copia* de militibus ngulari numero usurpatum plerumque inconditam multitudinem significat, eoque hic de turba sociorum subito collecta aptissimum (cf. v. 339 sqq.). id. Aen. XI, 834. Cic. ad Att. VIII, 12. et pro Mur. 37, 78. Sall. Cat. , 5. Caes. B. G. I, 48, 5. Auct. de B. Alex. 48, 4. Tac. Ann. II, 52. 7, 4. extr. etc. Boettich. Lex. Tac. p. 132. Matth. ad Ciceronis l. l. Kritz. ad Sall. Cat. 56, 1. — **565**. „Aeneam e turri pugnantem memisse necesse est, supra v. 458. 460 sqq. Incendio iam per regiam Priami arso, desiliunt alii in terram, alii igni absumpti pereunt. — *corpora* ;*gra*, quia *defessi* pugnando, exhausti viribus." *Heyn.* Cf. Aen. III, .0. Simul vero etiam animi debilitati et infracti sunt cogitandi, qua animi gritudine etiam corporis augetur infirmitas. — *saltu Ad terram isere.* Cf. Lucr. V, 1318. *iaciebant corpora saltu.* — **567**. Qui sequuntur rss. XXII in melioribus Codd. omnibus (Med., Pal., Gud., omnibus Bern., inoraug. etc.) desunt, neque a Servio, Donato, Pomponio illustrantur, iare apud Servium a Tucca et Varo resecti esse perhibentur, seu quia irpe esset viro forti manus mulieri iniicere, seu quia contraria his narntur Aen. VI, 510 sqq. Quae quidem sententia satis probabilis videtur. int autem hi versus plane eiusdem generis cum quatuor illis, a quibus aliquot Codd. Aeneis incipit, et leguntur in iisdem libris, qui etiam los quatuor versus exhibent; Vergilii autem esse, non solum elegantia rum et oratio prorsus Vergiliana, sed iam connexus loci declarat, qui is sublatis ipse tollitur. Si enim Vergilius hos versus non scripsit, v. 9. pro *Cum* potius *Hic* (vel *Tum*, quod sane Codd. quidam deterioris tae exhibent) ponendum erat; (quamquam Iahn. vel illud ferri posse nset, si vss. 565 et 566. per parenthesin interpositos habeamus; Peerlk. ro Vergilium post v. 566. statim v. 624 sqq. adiunxisse et Ribbeck. Prog. p. 69. v. 589—623. ab eo fortasse post reliqua elaboratos esse censet; rumque enim virum doctiss. v. 567—588. ab interpolatore aliquo adiectos ibere infra videbimus); porro iis omissis Veneris subitus adventus minus set efficax, quippe quae Aeneam adhortaretur ad aliquid, quod ille iam a sponte facturus erat, scil. ut domum se conferret. Accedit, quod *inmitae irae* (v. 594. commemoratae) ad v. 575. et *Tyndaridis facies* (v. 01.) ad v. 567 sqq. spectare videntur; quamquam huic argumento non lmodum multum tribuo. Quod autem attinet ad repugnantiam illam, ea, ; alia eiusdem generis, poëtae, qui fortasse ex diversis fontibus hauserit ; praematura morte abreptus carmen suum expolire et singula sibi invicem laptare non potuerit, facile condonanda. (Vid. etiam quae infra ad v. 31. adnotavimus.) Quae cum ita sint, hos versus, quos praeter Iahnium ui tamen, quid vere iudicet, non satis clare profert) etiam Peerlk., ruppius in Minoe p. 173 sq. et Ribbeck. in Proleg. p. 93 sq. spurios esse idicavere et in multis singulis locis vituperarunt, cum Wagnero (quem tiam Thiel., Gossr. et Ladew. sequuntur) Vergilio vindicandos esse censeo. uis enim tam longum locum suo Marte interponere ausus fuisset? Nihiominus, ut Ribbeck., sic etiam Bryce et Conington eum uncis includunt. Ceterum non reticendum est, Planckium ad Ennii Med. p. 130. totum hunc ocum ex Ennio mutuatum esse opinari; quod mihi quidem parum probaile videtur. — *Iamque adeo.* Adverb. *adeo* Particulis temporalibus *unc, iam, tum,* quibus haud raro adiungitur, restrictivam vim addit. Sic *amque adeo* Aen. V, 268. 864. VIII, 585. XI, 275. 487. (ubi *adeo* reddi potest per *bereits*); *nunc adeo* IX, 156. XI, 314. Similiter *hinc adeo* (Ecl. IX, 59.), *sic adeo* (Aen. IV, 533.) etc., ubi per *eben*, *gerade* reddi potest. Cf. Markland. ad Stat. Silv. V, 2, 61. imprimisque Hand. Tursell. I. p. 146. et Wagn. Qu. Virg. XXVI. — „*Super unus eram*: οἰώϑην Homericum, ut Il. XI, 401. *Heyn.* De verbo *superesse* tmesi distracto (quam ne pedestris *quidem orationis scriptores* fugiunt: cf. Tac. Hist. I, 20. Nep.

Servantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio; dant clara incendia lucem
Erranti passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros
Et poenas Danaum et deserti coniugis iras
Praemetuens, Troiae et patriae communis Erinys,
Abdiderat sese atque aris invisa sedebat.
Exarsere ignes animo; subit ira cadentem
Ulcisci patriam et sceleratas sumere poenas.

Alcib. 8. etc.) vid. ad Ecl. VI, 6. coll. adnot. ad Geo. III, 381. et al. — **568.** *limina Vestae servantem*, templum Vestae in arce conditum. De verbo *servare* vid. adnott. ad Geo. IV, 383. 459. — *tacitam latentem* pro tacite latentem. Vid. adnott. ad Aen. VIII, 559. Tacet autem, quia lamentationes et voces miserabiles eam vel in abdito loco latentem prodere poterant. — **569.** *Tyndarida*, Helenam. Vid. adnott. ad I, 652. Patronymico peregrina mulieris origo et partes, quas in mythis agit, bene significantur. Ceterum Helena, ut ex v. 574. apparet, in templum confugerat, ubi in ara sedebat supplex, ἱκέτις. *Peerlk.* non prorsus temere quaerit: „Quomodo Aeneas Helenam ibi videre poterat, nisi sciret aut quaereret?“ et ironice addit: „Sed dicit: *dant clara incendia lucem.* Templum, credo, Vestae ipsum ardere debuit, ut aliquis in interiore angulo abstrusus ab homine errante ac praetereunte conspici posset.“ Sed sumendum est, templum esse apertum eiusque interiora incendio urbis interdum collustrari. — **570.** „*Erranti*: ergo Aeneas iam de turri vel tecto regiae desiluerat et per regiam errabat vacuam.“ *Heyn.* Peerlk. sine causa haeret in hoc Participio. *Errabat* enim Aeneas per urbem et arcem evitaturus loca a Graecis iam obsessa. Eodem spectant verba *oculos per cuncta ferenti*, quae et ipsa Peerlkampio absona videntur. — **573.** *Praemetuens*, non opperiens malum, quod videtur imminere. Henry in *Tw. years* II. p. 102. et Philol. XI. p. 620. comparat Phaedr. I, 16, 3. *praemetuens dolum.* — *Erinys* (de quo nomine scribendo vid. ad v. 337.) hic est pestis, exitium, ut infra v. 585. *nefas.* Thiel. confert Aesch. Agam. 726. Blomf., ubi Helena pariter νυμφόκλαυτος Ἐρινύς appellatur (cui loco adde Eurip. Androm. 103. Orest. 250. Troad. 459.), et Eur. Troad. 472., ubi Cassandra se ipsa Ἐρινὺν vocat; praeterea autem Liv. XXX, 13, 12., quo loco Syphax Sophonisbam *illam furiam pestemque* dicit. Cf. etiam Liv. XXI, 10. *Hunc iuvenem tamquam furiam facemque belli odi.* Cic. pr. Sestio c. 14., ubi Clodius vocatur *furia et pestis patriae* (coll. cum Ep. ad Div. 1, 9. et ad Qu. Fr. II, 1, 4.) Cic. pr. Sest. 52, 112. Val. Flacc. VIII, 412. *nec Marte cruento Europam atque Asiam prima haec committat Erinys* (scil. Medea). — **574.** *invisa* prius coll. Aen. VIII, 245. cum Heynio explicui: abdita, ut conspici non possit, cum pro (mihi omnibusque Troianis) odiosa positum post verba *Troiae - - communis Erinys* languidum videretur (quae etiam Haeckermanni est sententia in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 108.). Cum tamen vix credibile sit, poëtam hoc vocabulo in eodem loco et de eadem Helena usurpato (hic et infra v. 601., ubi vid. adnott.) bis varia significatione usum esse, nunc potius cum Wagn., qui adnotat: „et suum et commune Helenae odium hac voce exprimit Aeneas,“ Henrico (*Tw. years* II. p. 103. et Philol. XI. p. 620.) et Coningtone alteram interpretationem amplector. — *aris*, in gradibus arae, *sedebat.* Vid. supra v. 568. coll. cum v. 517. Sequentia ex Eurip. Oreste v. 1132 sqq. expressa esse docet Heyn. — **575.** *Exarsere ignes animo* pro vulgari *animus ira exarsit.* De igne irae cf. adnott. ad Aen. VII, 577. — *subit ira*, h. e. impetus ulciscendae patriae ex ira ortus. Cf. adnott. ad Geo. I, 305. — **576.** *sceleratas poenas* Heyn. et (prius certe) Wagn. interpretantur per poenas a scelerata sumptas; Wund. autem (cui adsentitur Haeckerm. in Comm. p. 31.) per *poenas sceleris*, et Thiel. comparat Tibull. I, 3, 67. (ubi [ut ap. Ovid. Met. IV, 456.] Tartarus *scelerata sedes* appellatur), *portam*, *vicum*, *campum sceleratum* Romae etc.; quibus addi poterat Vergil. ipse II, 230. *scelerata*

cilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
piciet partoque ibit regina triumpho
niugiumque domumque patres natosque videbit
ıdum turba et Phrygiis comitata ministris?
ciderit ferro Priamus? Troia arserit igni?

---

ta, III, 60. *scelerata terra*, VI, 563. *sceleratum limen*. Cum tamen in omnibus *sceleratus* sit i. q. scelere aliquo vel hominum sceleratorum ıtagione pollutus (cf. Meyer in Progr. Utin. 1842. p. 10.), nescio an ressime cum Ladew. et Wagn. in min. edit. explicueris: poenas, quibus lus commisissem Helenam ad aram supplicem sedentem interficiens; ›d sane Aeneas postea demum intellexit, non illo ipso tempore, quo *iata mente ferebatur* (v. 588.). Hoffmann. in *Zeitschr. f. d. Oestr. G.* 1853. 116. coni. *sceleratae poenas*, ut infra v. 585. *merentis poenas* legitur. — 577. *ilicet*, ironice, cum aliqua acerbitate dictum; de qua vi Particulae cf. hnk. ad Ter. Andr. I, 2, 14. Heind. ad Hor. Sat. I, 10, 1. II, 3, 106. Bentl. ad . Adelph. V, 3, 5. Kritz. ad Sall. Iug. 41, 3. Kühner. ad Cic. Tusc. I, 21, II, 11, 27. Dietsch. ad Sall. Iug. 4, 6. et quos Obbar. laudat ad Hor. . I, 9, 3. Fasc. V. p. 34 sq. Imprimis autem hic conferatur locus noo simillimus Sall. Cat. 51, 70. *Scilicet quem res tanta - - non permovit, n oratio accendet? Non ita est* cett. — *Spartam - - Mycenas*, i. e. ıpliciter patriam. Sic etiam Aen. I, 650. *Ornatus Argivae Helenae, ›s illa Mycenis Extulerat;* quamquam proprie nec Argiva illa erat, : Mycenis Troiam venerat. Utriusque autem Atridae sedes, Sparta et cenae, etiam alibi confunduntur. — 578. *Aspiciet*, pro redibit, redux t. Futuro autem utuntur Graeci et Romani, si indignabundi interrogant rebus, quas vel nolunt fieri, vel non putant futuras esse. Cf. infra VI, ›. ibique adnott. (Sic etiam Gossr.) — *ibit*, incedet, ingredietur pa ım urbem, *regina*, i. e. regia pompa, ut regia uxor. Fortasse hunc lon ante oculos habuerunt Ovid. Epist. XVI, 333. *Ibis Dardanias ingens ina per urbes*, Stat. Theb. II, 362. *geminas ibis regina per urbes*, et ıud. Epith. Hon. 279. *in medios ibis regina Sigambros*. — 279. *coniuum*, pro: coniugem. Vid. infra III, 296. XI, 270. Prop. IV, 12, (III,) 19. (Uxores) *certamen habent leti, quae viva sequatur Coniugum*, i. e. ıiugem modo vita defunctum. Tib. III, 4, 72. *immitem dominam coniumque ferum*. Tac. Ann. XII, 65. *abiecta sunt, quod coniugium Principis cotionibus petivissent*. Zumpt. §. 645. Kritz. ad Sall. Cat. 14, 1. Bach. l. ad Tibull. v. torus et Thiel. ad h. l., qui docet, eadem ratione apud agicos Graec. legi *λέχος, λέκτρον, εὐνήν*, coll. Eur. Iph. Aul. 1355. Anom. 891. Soph. Ant. 1224. — *patres*, parentes, ut *soceros* supra v. 457. d. Burm. ad Ovid. Met. IV, 61. et quod attinet ad eundem Graecorum endi usum Meineck. ad Euphor. fragm. p. 10. a Wagn. laud. — *nasque*. Unam Hermionen Menelao ex Helena natam esse, affirmat Hom. l. IV, 12 sqq.; Hesiodus autem ap. Schol. Soph. Electr. 532. ed. Erf. Apollod. III, 11, 1. etiam filium, Nicostratum, adiungunt, qui tamen st reditum demum Helenae natus videtur. Ceterum hunc versum, quem agn. variis de causis (quas in edit. III, ut postea etiam a Bryceo cum lectobus communicatas nunc nolo repetere, cum vir doct. ipse sententiam am postea mutaverit) ut manifesti glossematis speciem prae se ferentem rorsus e contextu excluserat, equidem prius asteriscis certe notavi, quod tiam Gossr. fecit; nunc vero vel hos tollendos censui; ex iis enim, quae ahn. in alt. edit., Ladew. et Wagn. ipse in recentiss. edit. de hoc loco lisputarunt, intellexi, hunc versum non stricte ad Helenam esse referendum, ed omnino respicere gaudia, quae reditus in patriam iis, qui diu peregriati fuerint, praebeat, et quae Aeneas odiosae Helenae invideat. Sic etiam Pluralis *patres natosque* facile potest explicari, quamquam Helenae pater modo, Tyndareus, superstes fuit et una modo filia, Hermione, parta. — 580. „*Phrygiis ministris*, Troianis captivis, illi in servitium addictis." *Heyn.* Conington memor est Phrygis ab Euripide Or. 1369 sqq. producti. — *comitata*, passive. Vid. adnott. ad Ecl. III, 53. — 581. *Occiderit*, - - *arserit*. „Indignantes *rem futuram* Futuro utuntur et Futuro exacto, ita ut *indignationis Futuro significatae* causam afferat Futurum exactum:

Dardanium totiens sudarit sanguine litus?
Non ita. Namque etsi nullum memorabile nomen
Feminea in poena est nec habet victoria laudem,
Extinxisse nefas tamen et sumpsisse merentis

---

vid. IV, 590. *Pro Iuppiter! ibit Hic, ait, et nostris illuserit advena regnis?*" *Wund.* Vid. supra ad v. 578. Sententia haec est: Num concedi potest, ut Helena incolumis in patriam redeat, postquam Priamus occisus est, Troia arsit etc.? Quam bene autem hic omnia, etsi inverso ordine, praegressis respondeant, non est quod memorem. — 582. „*sudarit sanguine,* madefactum, humectatum. Ex Enniano [Hect. Lust. fr. 11. p. 115. Vahlen.]: *Terra sudat sanguine* ap. Nonium [X, 4.] in *sonere.*" *Heyn.* Cf. Lucr. V, 1128. *sanguine sudent* (homines bella gerentes). Sil. II, 455. *Heu, quantum Ausonio sudabitis, arma, cruore.* eiusd. XIII, 72. *Quidquid ad Idaeos Xanthum Simoëntaque nobis Sanguine sudatum.* Sic etiam Lucr. VI, 943. (ubi vid. Wakef.) *saxa sudent humore.* Curt. V, 39, 5. *solum resudet humore* etc. Vid. etiam Geo. I, 117. Heins. et Vales. in Valesianis p. 191. male coni. *undarit.* — 583—587. *Non ita, οὐ δῆτα.* Vid. Burm. ad Ovid. Met. VII, 510. et Sil. X, 185. Hand. Tursell. III. p. 493. Cum seqq. Henry ll. ll. comparat similem locum Aen. XI, 790 sqq. et utriusque discrimen exponit. — *nullum mem. nomen,* nulla gloria. Vid. infra ad IV, 94. De Adi. *nullus* gravius negante, quam simplex *non,* vid. Oudend. ad Appul. Met. IV. p. 651. Ruhnk. ad Ter. Andr. II, 2, 33. et ad Albinov. 432. Schütz. in Lex. Cic. s. v. *nullus,* Beier ad Cic. Off. III, 14, 59. Krüger Gr. Lat. §. 510. not. 3. p. 681 sq. alii, et cf. Aen. IV, 232. 272. VI, 405. X, 592. XII, 405. Ciris 177. etc. — 584. *Feminea in poena,* in poena feminae. Sic Adiectiva, imprimis in *eus* exeuntia, saepissime Genitivi Obiecti vices sustinere, res est notissima. Cf. supra v. 543. *corpus Hectoreum,* III, 488. *coniux Hectorea,* VI, 395. *Tartareus custos,* VIII, 287. *laudes Herculeae,* X, 394. *Evandrius ensis,* XI, 68. *virgineus pollex,* Tibull. III, 6, 24. *Cadmea mater,* Ovid. Met. X, 3. *Orphea vox,* ibid. XI, 155. *Apollinei cantus* etc. — *nec habet v. laudem,* immo vituperationem; hinc gravius illud *nec.* Vid. Wagn. Qu. Virg. XXXII, 9. p. 534. Cf. etiam adnott. ad IV, 529. — 585. *tamen laudabor,* quod exstinxerim *nefas,* nefariam feminam, Helenam. *Nefas* enim pro *nefario,* ut alibi *scelus* pro *scelesto, pestis* pro pestifero s. pernicioso. (Vid. ad Aen. XI, 407.) Eodem fere sensu eadem Helena supra v. 573. *Erinys* vocabatur. Sic Troia ipsa apud Catull. LXVIII, 89. *Troia nefas* dicitur. Fortasse hunc locum respexit Corn. Severus in Wernsd. Poët. L. min. IV, 219, 16. *patriciumque nefas extinctum.* — *poenas merentis* pro vulgari: a merente sumpsisse poenas, ut *merentis* sit Genitivus. Cf. v. 229. *merentem Laocoonta,* VII, 307. *Calydona merentem,* Ovid. Met. VIII, 116. *cives odere merentem* (ubi non minus absolute usurpatur hoc Particip. ad nullum Obiectum relatum) et Val. Fl. II, 101. *struit illa nefas Lemnoque merenti Exitium furiale movet.* Ita etiam Garat. ad Cic. Mil. c. 23. p. 248. ed. Orell., Iacob. in Disquis. Virg. P. I. p. 14., Süpflius, Gossr. Ladew. et Hoffmann. l. l. locum intelligunt; rectissime, nisi fallor. Heins. tamen, Wagn. et Conington *merentis* pro Accus. habent, et comparantes v. 576. *poenas sceleratas,* Partic. *merentes* passive usurpatum volunt pro meritas. Sed etiamsi Wagn. censet, diversa esse *poenam sumere ab aliquo* et *sumere rem alicuius,* simulque provocat ad Laevii verba apud Gell. XIX, 7. *curis intolerantibus* pro *intolerandis,* et Tac. Ann. III, 45. *intolerantior servitus iterum victis,* coll. Gronov. Obss. I, 14., ego tamen ingenue fateor, me minus haerere in constructione *poenam sumere alicuius,* quam in passivo illo usu Participii *merens,* nullo alio exemplo firmato. Peerlk., totum locum spurium iudicans (vid. supra ad v. 567.) atque Haeckerm. in *Archiv. f. Phil.* XVIII, 3. p. 448. et Comm. p. 32. omnes illas locum explicandi rationes reiiciunt et hic quidem novam init viam, ut ad *merentis* ex verbo *sumpsisse* intelligamus *sumi* et poenae sumi merentes sint i. q. poenae meritae, quod dubito, num alii sint probaturi. De voce *poena* post breve intervallum repetita vid. adnott. ad Aen. I, 429. et al. — *Laudabor extin-*

Laudabor poenas animumque explesse iuvabit
Ultricis flammae et cineres satiasse meorum."
Talia iactabam et furiata mente ferebar,
Cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit et pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam qualisque videri

---

xisse etc. breviter dictum pro laudabor propterea, quod exstinxerim, vel: laudabor ab iis, qui cogitabunt, me exstinxisse etc. Süpflius non inepte confert locum Cic. Mil. 18. *liberatur Milo, non eo consilio profectus esse.* Adde eund. in Vatin. 2. *defendebatur, non recitandi causa legisse, sed recognoscendi,* et similes locos, imprimis autem Pers. I, 86. *posuisse figuras Laudatur* a Coningt. laud. — **586.** „Dure dictum videtur *animum explesse flammae ultricis* pro flamma sive ira ultrice, h. e. ultione. Dictum graece, ut *satiatus famae* apud Silium [?], et οἴνοιο κορεσσάμενος καὶ ἐδωδῆς ap. Homerum." *Heyn.* [*Satiatus sanguinis* legitur apud Silium IV, 437. et *satiatus aevi et decoris* apud eundem XVI, 603., ut apud Ovid. Met. VII, 808. *satiatus ferinae caedis,* ubi vid. Bach.] Cf. etiam adnott. ad Aen. I, 215., ubi eadem ratione *implere* cum Genitivo constructum vidimus. In maiore tamen edit. Heyn. cum Burm. *ultrici flamma* refingi maluit, omnem locum curas secundas poëtae desiderare censens; et Peerlk. hanc profert coni.: *Ultrici et flamma cineres s. m.*, h. e. Helenam in flammas inicere. Sed recte Wagn. vulgatam defendit, quam ita explicat: iuvabit animum ulciscendi cupidum explere, i. e. ipsa ultione satiare. Ceterum voc. *flammae* (hic pro vehementi cupiditate posito) Vergilius haud raro metaphorice utitur; cf. IV, 28. 66. VII, 35. etc. — **587.** *ultricis.* Vid. adnott. ad Ecl. VIII, 13. et Aen. I, 21. — *cineres satiasse meorum,* ex vulgari veterum opinione, mortuos quoque ulciscendi libidine ductos gaudere, cum ab adversariis in vivis relictis ultio exigatur. Thiel. confert infra X, 739. Tac. Ann. III, 12. Iustin. I, 8. Cic. Verr. V, 49. 128. Adde infra IV, 387. Quod attinet ad voc. *cineris* cf. Ovid. Met. XII, 504. *Cinis ipse sepulti In genus haec saevit,* et Senec. Troad. 957. *Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.* Ceterum vid. supra v. 431. — **588.** *Talia iactabam.* Vid. I, 102. — *furiata mente ferebar.* Ut hic vocc. *flamma, furiari* et *ferri* de irae libidine usurpata coniunguntur, sic ap. Cic. pr. Cluent. 5. *Deinde ita flagare coepit amentia, sic inflammata ferri libidine, ut eum non pudor - - a cupiditate revocaret.* Cf. autem supra v. 407. — *Cum mihi* etc. Cf. supra ad v. 567. Peerlk. cum antecedentibus XXII versibus etiam omnes, qui sequuntur, usque ad v. 623. spurios censet. — **588—593.** „Aeneae Venus apparuit, non nube obducta, aut alia forma assumpta; sed specie sua divina. Imitatio Homeri manifesta Il. I, 193 sqq., ubi Minerva Achilli soli in conspectum venit, eamque ab ira et impetu revocat." *Heyn.* Ceterum de more deorum in hominum conspectum veniendi cf. Heyn. Excurs. XIII. ad l. l. eiusdemque Obss. in Tibull. III, 6, 22. — *non - ante visa.* Quando antea Venus Aeneae minus clara apparuerit, apud Vergilium non legimus. Apertum est enim, errare Servium haec scribentem: „Venerem hic apparuisse divino habitu, quia in primo venatricis habitu se obtulerat;" nam quod ibi narratur, diu post Troiam captam Carthagine accidit. Ceterum cf. Hom. Od. III, 420. Aen. III, 151. IV, 358. — **590.** *pura in luce,* non nube obducta, ut alibi dii in terra apparere solent, v. c. eadem Venus infra VIII, 608.; sed candore diis proprio fulgens, ut haec verba opponantur superioribus *non ante oculis tam clara.* Cf. etiam Servius ad h. l. Kappes. II. p. 39 sq. et infra ad v. 616. adnott. Non autem opus est, ut commemorem, quam efficaciter haec pura lux cum obscura nocte (vid. etiam infra v. 621.) coniungatur. — *refulsit.* Cf. supra I, 402. *rosea cervice refulsit* (Venus). — *per noctem.* Peerlk. haec contradicere putat verbis *dant clara incendia lucem* (v. 569.). Sed vide ad v. 621. — **591.** *confessa deam.* Cf. Ovid. Met. III. in. *Iamque Deus, posita fallacis imagine tauri, Se confessus erat,* sc. Iovem esse; ibid. XI, 264. *Exhibita estque Thetis, confessamque amplectitur heros,* et XII, 601. Apollo fassus deum. — Cum *v. 592. 593. cf.* Hom. Il. I, 361. — *qualis - - et quan-*

Caelicolis et quanta solet, dextraque prehensum
Continuit roseoque haec insuper addidit ore:
„Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius aspicies, ubi fessum aetate parentem
Liqueris Anchisen? superet coniunxne Creusa
Ascaniusque puer? quos omnis undique Graiae
Circum errant acies et, ni mea cura resistat,

---

tus coniuncta summae potentiae et maiestatis complexui indicando inserviunt. Cf. III, 641. Ovid. Met. III, 285. *quantusque et qualis ab alta Iunone excipitur, tantus talisque, rogato, Det tibi complexus.* Tibull. III, 6, 23. *Qualis quantusque* (Bacchus). Sic apud Homerum (Il. V, 785. XXIV, 630. alibi) ὅσσος (ὀσσάτιος) τε ταὶ οἷος, ὅσσος ἔην, οἷός τε et similia. Quamquam etiam *quantus* ad maiorem humana formam deorum referri potest. Vid. infra ad v. 773. — *videri*. Cf. adnott. ad Aen. I, 494. Ceterum verba *qualisque videri Caelicolis et quanta solet* repetuntur in Auson. cent. nupt. 42 sq. — *dextra prehensum*, qua Helenam erat occisurus. — 593. *Continuit roseoque h. i. a. ore.* Cf. similes loci XI, 95. et XII, 358. *roseo ore* non de toto vultu, ut supra I, 402. (ubi vid. adnott.) *roseam cervicem*, sed de labris purpureis intelligendum esse, locus ipse docet. Sic infra IX, 5. *sic roseo Thaumantias ore locuta est*. Hor. Od. III, 2, 12. *purpureo bibit ore nectar*. Catull. XLV, 12. *Illo purpureo ore suaviata*. Anth. Lat. IV, 13, 14. *roseo reddidit ore sonos*. Simonid. Fragm. 119. Schn. πορφυρέος Ἀπὸ στόματος ἱεῖσα φωνὰν παρθένος. In Servii Cod. F. haec leguntur: „Quidam reprehendunt non convenisse in ruina et exitio civitatis, Venerem roseo ore loqui cum filio, ignorantes, hoc epitheton Veneri esse perpetuum.“ — *insuper addidit*. Vid. Aen. XI, 107. XII, 358. Doederl. Synon. T. III. p. 108. et Hand. Tursell. III. p. 385. — 595. *Quid furis?* vir fortis mulierem necaturus. — *quanam nostri tibi cura recessit*, ut Geo. IV, 324. *quo tibi nostri Pulsus amor?* Verba *nostri tibi cura recessit* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 401. — „*Nostri cura*, pietas esse videtur Veneri matri praestanda in eo, ut Anchisen, ab ipsa [quondam] amatum, tueatur ac servet.“ Haec *Heyn.*, cui adsentior; quamquam Peerlk., fere omnia huius loci a se spurii habiti verba vel vituperans vel se non intelligere profitens, sic iudicat „Fateor me non intelligere, in qua re Aeneas Venerem non curaret, pietatem erga illam oblivisceretur. De amore Veneris et Anchisae, *confecti aetate parentis*, ridiculum est.“ — 596. *Non prius aspicies.* De Part. *non* pro *nonne* posita vid. ad Ecl. III, 17., de Futuro autem in interrogationibus negativis, quae sunt pro adhortationibus, usurpato vid. v. c. Cic. Fam. V, 14. *tu non intelliges, te querelis quotidianis nihil proficere?* i. q. quin tu tandem intellige cett. — Porro *aspicere* apud poëtas haud raro, et interdum etiam apud pedestris orationis scriptores, pro circumspicere, invisere, anquirere positum, hic plane respondet nostro *zusehen*. Vid. Hor. Ep. I, 17, 4. *adspice, si quid et nos - - loquamur*. Ter. Andr. II, 2, 28. *Intro adspexi*. Lucil. Aetna 622 sq. *Adspiciunt - - patrem matremque senecta Eheu! defessos posuisse in limine membra*. Liv. XXXII, 5, 10. *Cum situm omnem regionis adspexisset*. id. XLII, 37, 4. *Inde Boeotiam atque Euboeam adspicere iussi* cett. et cf. Drakenb. ad Liv. XLII, 5, 8. — *ubi* non solum de loco, sed de conditione, fortuna videtur intelligendum. — 597. *superet* (superstes sit: cf. adnott. ad Ecl. IX, 27., ubi adde Bach. ad Ovid. Met. III, 470.) *coniunxne*, pro: superetne coniux. De encliticis *ne, ve, que*, aliis interdum, quam ad quae proprie pertinent, vocabulis adiunctis a poëtis Thiel. conferri iubet Hor. Sat. I, 2, 63. *Quid interest, in matrona, ancilla peccesve togata?* Heindorf. ad Hor. Sat. I, 6, 43. Zumpt. §. 358. Schulz. Gramm. §. 106, 33. et Iani A. P. p. 249 sq. Cf. etiam quae de Part. *que* ad Geo. IV, 22. adnotavimus. — 599. *quos omnis - - Circum errant*. Vid. supra ad v. 278. *omnis* enim Accus. videtur esse cum *quos* coniungendus, non Nomin. ad *acies* pertinens; hic

**Iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis.
Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae
Culpatusve Paris, divom inclementia, divom,
Has evertit opes sternitque a culmine Troiam.
Aspice — namque omnem, quae nunc obducta tuenti
Mortalis hebetat visus tibi et humida circum
Caligat, nubem eripiam: tu ne qua parentis**

---

enim iuxta *undique* abundat, dum ad periclitantes relatum satis nervosum est. — **600.** *tulerint.* Vid. supra ad v. 555. — „*quos hauserit ensis*, ut passim poëtae, (vid. Drakenb. ad Sil. V, 524.) pro transfixerit, transegerit, ἀφύσσειν Homer., ut Il. XIV, 517.: hauritur sanguis ense: hinc ipse ensis haurit, penetrat, transfigit latus." *Heyn.* Cf. infra X, 314. Lucr. V, 1323. (tauri) *Et latera ac ventres hauribant - - Cornibus.* Liv. VII, 10. *uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit.* Ovid. Met. V, 126. *Haerenti latus hausit Abas.* id. VIII, 370. 438. IX, 412. etc. Similiter ibid. XII, 477. *missa latus eruit hasta.* Wakef. ad Lucr. V, 1284. temere coni. *inim. et hauserit ignis.* De Copula *et* postposita vid. ad Ecl. I, 34. et IV, 63. — **601–603.** „Sententia ex Priami verbis apud Homerum petita Iliad. III, 164. 165. adde Od. I, 347. 348.; et frequens apud veteres. *Tyndaridis facies invisa Lacaenae* ornate pro Helena. *Οὐ γάρ τοι Ἑλένη πέλει αἰτίη* etc., ap. Quint. Cal. XIII, 412." *Heyn.* Ceterum Heyn. iubet coniungi *tibi invisa*; sed rectius Wagn. Dativum, qui hic habeat doloris significationem (vid. ad Aen. I, 261.), cum verbo *evertit* et tota sententia iungit; sic enim gravius est *invisa*, i. e. non Aeneae soli, sed omnibus Troianis; Dativum autem cum verbo *evertit* coniungendum esse, iam locus indicat, quem post negationem occupat. De epitheto *invisa* cf. I, 28. 574. IV, 541. VI, 608. VII, 293. VIII, 245. IX, 734. XI, 464. Cort. ad Lucan. I, 9. et Burm. ad Val. Fl. IV, 758., qui docet, *invisos* proprie dici hostes, qui omnibus sint odio. — **602.** *culpatus*, h. e. in quem culpa confertur, qui tamquam auctor mali cuiusdam accusatur, pro scelesto, nefario; ut *culpa* interdum pro scelere. Haeckerm. in Comm. p. 32. et *Zeitschr.* etc. X. p. 277. et XIX. p. 108. minus recte *tibi* coniungens cum *culpatus* (scil. est) et post *Paris* Colo distinguens locum sic exlicat: „*nicht ist dir die verhasste Lakonierin noch Paris schuldig* (coll. Gell. XI, 7.): *der Götter Ungunst zerstört diess Reich*"; quod probare non possum, quamvis etiam Ribbeck. post *Paris* Semicolo distinxerit. — Pro gravi anaphora *divom inclem., divom* Codd. quidam deterioris notae et Priscian. XV, 1, 3. p. 1004. *verum inclem. divum*, multo languidius. Sed veram lectionem tuentur meliores Codd. eiusdem Prisc. XVIII, 7, 69. p. 1138. P., Donat. ad Ter. Andr. V, 3, 12. et Iul. Rufinian. de schem. lex. §. 11. p. 31. Cf. autem Geo. IV, 358. *duc, age, duc.* ibid. v. 747. *scis, Proteu, scis ipse*, infra v. 644. *sic, o sic positam.* XII, 259. *Hoc erat, hoc* et similes locos. — **603.** *sternere*, i. q. prorsus delere, evertere. Cf. Ovid. Met. XII, 549. *Ille tuus genitor Messania moenia quondam Stravit.* — *a culmine.* Vid. supra v. 290. — **604** sqq. „Pulcherrimus totus, qui sequitur, locus, dum occultae magni eventus causae a numine repetitae subiiciuntur oculis tamquam manifestae (v. 622. 3.) partim Homeri auspiciis Il. V, 127. 128., ubi Minerva Diomedis visum acuit, et Il. XII, 13 sqq., 27 sqq., ubi Neptunus et Apollo vallum Achivorum diruunt (cf. imitationem Quinti Cal. XIV, 631–651.); partim aliorum poëtarum ductu elaboratus. Nam in Troiae excidio diis manifesta aliqua opera ab antiquioribus poëtis est tributa, ut ex imitatoribus patet; vid. Quint. Smyrn. XIII, 415 sq. Tryphiod. 550—560." *Heyn.* — **606.** *caligare*, quod plerumque est i. q. visus caligine laborare, caecutire, hic prima signif. positum pro: caliginosum esse. Cf. Colum. I, 5, 4. *Amnes aestate vaporatis, hieme frigidis nebulis caligant.* Cic. Arat. 205. (449.) *Atque aram tenui caligans vestiet umbra.* — „*nubem* int. caliginem, ut Homer. νέφος l. l. et Il. XV, 668. XX, 341. 342. [et ἀχλύν Il. V, 127.] — *Tu ne qua parentis Iussa time*: propter illa, quae v. 619 sqq. subiunget." *Heyn.* Matri, quae soli commodo tuo inservit, parendum,

Iussa time neu praeceptis parere recusa: —
Hic, ubi disiectas moles avulsaque saxis
Saxa vides mixtoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit totamque a sedibus urbem
Eruit. Hic Iuno Scaeas saevissima portas
Prima tenet sociumque furens a navibus agmen
Ferro accincta vocat.
Iam summas arces Tritonia, respice, Pallas
Insedit nimbo effulgens et Gorgone saeva.

---

etiamsi pro tempore ingrata iubeat. — *ne - - time, neu - - recusa.* Vid. adnott. ad Geo. III, 435. Contra Heynium, qui Vergilium secundis curis haec, parum commode interposita, retractaturum fuisse suspicatur, recte disputat Wagn., qui docet, his verbis a Venere indicari causam, quare omnem caliginem ab Aeneae oculis dispulsura sit, et sensum hunc esse: Ac ne forte matris iussa timeas, omnem nubem eripiam cett. Quare etiam Colon posuit post *eripiam.* Schirach. p. 434 sq. Macronem hic parum feliciter imitatum esse censet Hom. Il. V, 127. — **608** sqq. Cum v. cf. similis locus Silii XII, 694—725. — *moles* de muris et aedificiis urbis intelligendas esse patet. — **609**. *undantem*: Heyn. conferri iubet VIII, 257. Fumus enim, qui rotatus assurgit, bene comparatur cum fluctibus sese attollentibus. Cf. etiam Senec. Troad. 20. *undante fumo.* Idem de flammis haud raro dici constat. Cf. Geo. I, 472. Aen. XII, 673. Sil. IX, 447. Claud. de R. Pros. III, 395. cett. De sanguine adeo legitur Aen. X, 908. — **610**. Dii ipsi, Iove non excepto, Troiam volunt exstinctam; interitus urbis fatalis est, neque contra niti potes. „Vid. Iliad. XII, 27 sqq., ubi Neptunus vallum Achivorum tridente diruit. At h. l. urbem solo aequat. Sunt autem ex infestis Troiae numinibus principibus Iuno, Minerva, Neptunus.“ *Heyn.* Cf. etiam infra V, 810. — *tridenti.* Sic optimi Codd., non *tridente.* Vid. ad Geo. I, 13. — **611**. *a sedibus urbem Eruit*, a fundamentis. Heins. pro *a sedibus* ex uno Cod. Gud. edidit *ab sedibus,* quem Heyn. secutus est. Sed recte Wagn. vulgatam restituit, cum etiam supra I, 84., in loco huic simillimo, e Codd. consensu edatur *totumque a sedibus imis - - ruunt.* — **612**—**614**. Iuno — *prima,* quippe in urbis ingressu. Nam Scaea porta castris Graecorum adversa et contraria erat. Ceterum vid. adnott. ad Aen. I, 541. II, 334. et XII, 577. Henry (*Tw. years* II. p. 105.) *prima* per princeps („*the prime mover of the whole matter*“) interpretatur, quod Conington recte postponit Heynianae explicationi, quam nos secuti sumus. — „*socium agmen*, Achivos, *vocat*, ut apud Homerum Neptunus Il. XIII, 83 sqq. et Apollo apud eundem Troianos de muris Troiae inclamat. Imitatur nostrum Statius Theb. V, 281. [*porta Stat funesta Venus ferroque accincta furentes Adiuvat*]. — *furens* cum *vocat* coniungendum esse patet, quare alterum Participium *accincta* sine copula adiectum non potest offendere. Cf. adnott. ad Geo. I, 449. et infra ad Aen. V, 481. — Versum **614**. Cod. Dorvill. sic explet: *saevasque accendit ad iras.* Cf. de eiusmodi supplementis adnott. ad Aen. I, 534. — **615**. **616**. „Pallas insidet Pergamum arcem, ut ap. Homerum Apollo Il. V, 460., sed ibi ad tuendum, h. l. ad evertendum.“ *Heyn.* — *Iam.* Vid. ad Aen. I, 419. Recte Ladew. locum sic intelligit: Iam res eo deducta est, ut vel Pallas, prius Troiae tutela, infesta sedeat in arce urbis evertendae. Henry autem (*Tw. years* II. p. 106. et Philol. XI. p. 621.) coll. Verg. Ecl. II, 61. Claud. Rapt. Pros. II, 19. et Catull. LXIV, 8. docet, arcem urbium ubique esse Palladis sedem omnibus aliis locis antepositam. — *Tritonia.* Vid. ad v. 271. — *respice* prima et propria significatione positum videtur: respice ad arcem; ut fortasse etiam III, 593. (ubi vid. adnott.) Aeneas enim ab arce descendens eam a tergo habet. — **616**. *nimbo effulgens*: *Heyn.* contorta ratione sic interpretatur: „Aut *effulgens* est pro conspicua: aut *effulget illa aegide*, quia fulgentem aegidem tenet, a qua relucet

Ipse pater Danais animos viresque secundas
Sufficit, ipse deos in Dardana suscitat arma.
Eripe, nate, fugam finemque inpone labori.

---

nimbus, nubes obscura, qua illa cingitur, quod sollemne, ubi de diis iratis agitur. De nimbo capita deorum ambiente in poëta nostro cogitare non licet." Hoc quidem verum, cum hic voc. *nimbi* significatus non nisi cadentis Latinitatis fuerit, quare Haeckermannum in Muetzell. *Zeitschr.* XII. p. 269. et XIX. p. 108. huic explicationi favere miror. Cf. Orell. ad Hor. Od. I, 2, 31. contra Mitscherl. et Feam disputans. Quare potius de nube illa cogitandum, qua alibi etiam dei involuti apparent, si in terram descendunt. (Vide supra ad v. 590. ubi Servius: „in nimbo qui cum numinibus semper est.") Wagn., qui prius cogitaverat de nimbo illo ab incendii flammis fulgente et rutilante, in Philol. Suppl. I. p. 334. aliam profert explicationem, ut aut „dicamus Venerem ita acuisse oculos Aeneae (v. 604 sq.), ut e nimbo, quo circumfusi dii ad terram descendere soleant, effulgere deam possit cernere," aut potius „ut Pallas effulgeat, ex nocturna scilicet caligine, nimbo et Gorgone" et ut flammeum nimbum cogitemus (XII 811.), cum lorica vel clipeus, cui Gorgo imposita sit, flammas vomat; quae quam artificiose quaesita sint, nemo non videt; immo Minerva triumphans de Troiae interitu ex nube illa effulget (cf. V, 133. VIII, 677. IX, 731.) proprio diis splendore, quem non diutius occultare studet, ut Kappes. II. p. 41 sqq. recte locum interpretatur. („*Aus der Wolke leuchtet sie hervor in der ganzen Fülle ihres göttlichen Lichtglanzes* (effulget) *und zeigt in ihrer Ruhe* (insedit) *die innere Befriedigung über das vollbrachte Werk.*) Henry (*Tw. years* II. p. 106 sqq. et in Nov. Ann. philol. LXVIII. p. 599. et LXXIII. p. 458.), Haupt., Ladew. et Ribbeck. receperunt *limbo* (quod modo Moret. II., unus Bas. itemque unus Monac. Henrici pro varia lectione exhibent), ut de limbo pepli (vid. ad Aen. I, 480. et IV, 137.) cogitandum sit, cuius fere dimidium partem efficiat (cf. Buonarotti *Sopra alcuni frammenti di vasi antichi* p. 178. ab Henr. laud.), quare apte pro toto peplo poni possit. Sed verissime Kappes. l. l. contendit, hanc limbi (s. pepli) commemorationem ieiunam esse nec convenire magnificae rerum imagini, quam poëta proponat. Non est igitur, cur praeterea urgeam ceterorum Codd. omnium, Servii ad h. l. et ad Aen. IX, 110. atque Anth. Lat. I, 147, 15. (*nimbo effulgens, et Gorgone saeva*) consensum. Longe alia est *Gorgonis* ratio (de qua vid. adnott. ad Aen. VIII, 438.), quae quam apte hic commemoretur, quisque videt. *Saeva* autem non est Ablativus cum Gorgone coniungendus (ut prius cum Heynio putavi, atque etiamnum putat Haeckerm. l. l., quamquam lectionem *nimbo* defendit), sed Nominativus: Minerva saeva hostibus intentat aegidem cum capite Gorgonis. Cf. Aen. VI, 825. *saevus securi Torquatus*. Quod autem Schrader in Muetzell. *Zeitschr.* etc. VII. p. 723. opponit, saevam Palladem languidam fore repetitionem saevissimae Iunonis v. 612., id. nihil valere arbitror, recteque Kappes. memorat, discernendum esse inter Iunonem Troiae semper saevissimam et Minervam, quae nunc tantum (tamquam victrix triumphans) saeva appareat; contra vero male coniungi verba *effulgens Gorgone*, quae nihil aliud significare possint quam ex Gorgone fulgens et iuxta *saevam Gorgonem* etiam *nimbum* epitheto carere vix posse; (quae tamen argumenta non simpliciter probaverim.) His expositis apparebit, nec Bothii coniectura parum felici opus esse, *nimbo eff. in Gorgone saeva*, nec Peerlk. commento *Insidet, umbone effulgens*, cui ipse auctor iure non multum tribuit. — **617.** *Ipse pater*. Vid. Geo. I, 328. et adnott. ad Ecl. VIII, 95. — *vires secundas*, quae efficiunt, ut eventus secundus, optatus inceptum consequatur. — **618.** *sufficere* prima eaque transitiva signif. usurpatum. Vid. ad Geo. II, 424. Ceterum Venus respicere videtur, quae v. 467. poëta narrat: *Ast alii subeunt* etc. — *In Dardana arma*, adversus Troianos pugnantes. Videtur hic locus respici in Anth. Lat. I, 89, 78. *in Dardana saeviat arma*. Ceterum vid. adnott. ad Aen. III, 602. — **619.** *Eripe fugam*, raptim capesse, accelera fugam ex his malis, periculis. Noli enim putare, eripere fugam prorsus

Nusquam abero et tutum patrio te limine sistam."
    Dixerat et spissis noctis se condidit umbris.
Adparent dirae facies inimicaque Troiae
Numina magna deum.
    Tum vero omne mihi visum considere in ignis
Ilium et ex imo verti Neptunia Troia;
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum

---

idem esse, quod simplex *rapere* (vel raptim capere) *fugam* ap. Val. Fl. III, 272. (Ovid. Fast. III, 867., ubi tamen pro *rapiant* etiam *capiant* editur) et al. Recte potius *Iahn.*: „Cum ex universa urbis ruina nihil aliud eripere possis, saltem eripe fugam, i. e. fugiendi potestatem [quae mox nulla erit.]" Non opus est igitur coniecturis Scioppii *Eripe fuga*, scil. te (cui unus Cod. Leid. opitulatur), Burmanni (qui comparat Ovid. Fast. III, 867., ubi *fugam rapere* legitur) *arripe fugam* (quam probant Oudendorp. Cur. sec. ad Frontin. p. 356. et Schirach. p. 398.), et Schraderi *I rape fugam*. Quod enim Burm. adnotat, *eripere fugam* nihil aliud significare posse, nisi auferre et adimere fugiendi facultatem (coll. Heins. ad Val. Flacc. II, 252. et Oudend. ad Frontin. III, 1, 2.), hoc, cum non additus sit Dativus Obiecti, nemo facile probaverit. — „*labori*, pugnae; discede ab armis. Ego te per hostes medios tutum reducam domum tuam. Cf. v. 632. 634." *Heyn.* Verba *finemque inpone labori* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 397. — **620**. *patrio te limine sistam*, sc. domus tuae. Cf. infra III, 117. *classem Cretaeis sistet in oris.* Ovid. Met. III, 635. *terra sistere petita.* ibid. IX, 109. *Officioque meo ripa sistetur in illa*, et similes locos. — **621**. *noctis umbris*, tenebris. Vid. VIII, 14. ibique adnott. Peerlk. his verbis iterum (ut v. 590.) *clara incendia* obstare censet. Sed non opus est, ut incendium omnia loca longe lateque collustraverit. — **622—625**. „Ubi Venus finierat, ab Aenea cernuntur dii in urbe evertenda occupati. Grande et mirabile phantasma! — *dirae facies*, ut VIII, 194. non monstra, sed visa dira." *Heyn.* Cf. V, 722. et 560. — **623**. *Numina deûm*, non simpliciter *deos* commemorat poëta, quia de inimica deorum vi et voluntate sermo est (*das Troja feindselige Walten der Götter*). Cf. adnott. ad Aen. I, 8. ibique etiam Iahn. p. 436. ed. II. et Bach. ad Ovid. Met. XI, 134. — Quae prius adnotavi: „*magna* ad corporis altitudinem, *inimica* ad mentem spectat; quare Copula recte omittitur," ea nunc retracto et cum Kappesio II. p. 14. *Numina magna* in unam notionem coniungo deorum naturam omnino respicientem, cui unum modo epitheton adiicitur *inimica*, quo per se Copula excluditur. *Inimica et magna* secundum Iahn. ad Geo. I, 320. p. 396. ed. II. essent *infesta et potentia;* sed potentiae notio iam inest voci *numina*. — **624**. *Tum vero* etc.; tum demum clare videbat, quod ante Veneris cohortationem soli pugnae intentus et furore iraque quasi obcaecatus non viderat, omne Ilium in cineres concidisse. Cf. adnott. ad Aen. I, 494. *Vero*, augendi et asseverandi potestate praeditum (cf. quos laudat Kritz. ad Sall. Cat. 37, 4. et 52, 15.), haud raro cum singulari quadam vi adiungi Adverbio *tum*, satis constat. Cf. adnott. ad Ecl. VI, 27. — *considere in ignis*. Cf. IX, 145. et Tac. Hist. III, 33. *cum omnia sacra profanaque in ignes considerent.* — **625**. *Ilium - - Troia*. Notio primaria cum singulari vi et affectu iteratur. Cf. infra III, 3. et Prop. IV, (III,) 1, 31. *Exiguo sermone fores nunc Ilion et tu Troia, bis Oetaei numine capta dei.* — *Neptunia Troia*, ut in Epit. Iliad. 249. Neptunus autem una cum Apolline Troiae moenia exstruxisse ferebatur. Cf. Hom. Il. VII, 452 sq. et XXI, 446 sq. Heyn. hunc locum duriorem et curis secundis reservatum censet; sed vid. adnott. ad Geo. I, 303. et Aen. I, 148., ubi etiam vidimus, verba *Ac veluti - - cum* etc. nulla distinctione seiungenda esse. — **626—631**. „Similia ex Homero Il. IV, 482 sqq. [XIII, 389. XVI, 482 sqq.] et Apollonio IV, 1682. loca laudant Macrob. V, 11. et alii, sed ad occisos, non ad urbis excidium, spectantia, verborumque ornatu cum h. l. neutiquam comparanda." Heyn. Iahn. conferri iubet Lambini

Cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolae certatim; illa usque minatur
Et tremefacta comam concusso vertice nutat,
Volneribus donec paulatim evicta supremum
Congemuit traxitque iugis avolsa ruinam.
Descendo ac ducente deo flammam inter et hostis
Expedior; dant tela locum flammaeque recedunt.

---

adnot. ad Hor. Od. IV, 6, 9. — **627**. *accisam*. *Accidere*, prorsus ut nostrum *anhauen*, significat caedendi initium facere. Sic etiam apud Caes. B. G. VI, 27. *arbores accidere*. — *crebris bipennibus*, ut supra v. 492. *crebro ariete*. Ceterum cf. adnott. ad v. 479. et Geo. IV, 331. — *instant eruere*. Vid. ad I, 423. — **628**. *Eruere*. Plenius Aen. V, 449. *radicibus eruta pinus*. Cf. infra v. 631. *iugis avolsa*. — *minatur*, scil. casum. Cf. v. 631. et Aen. VIII, 668. ibique adnott., Henry tamen, cui non adsentior, *Tw. years* I. p. 67. iam ex vocibus *usque* et *donec* apparere putat, *minari* potius hic esse erectum stare, impetu fortiter resistere („*stands boldly, resisting, not yielding to the attack*"), coll. Aen. I, 162. (ubi vid. adnott.) *scopuli in caelum minantes;* quod si voluisset auctor, haud dubie aliter scripsisset, non *minatur Et - - nutat, donec* etc. Non tamen reticendum, virum doct. postea sententia mutata in *Tw. years* II. p. 111. et Philol. XI. p. 621. locum potius sic interpretatum esse: altitudine et magnitudine sua minatur iis, qui casum eius efficere conantur, quod propius accedit ad veritatem; scilicet minatur repentino casu eos laedere. — **629**. Wakef. male interpungit: *Et, trem. comam conc. vertice; nutat Vulneribus*, coll. Iuv. XV, 156. *protegere armis Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere civem*. — De constructione *tremefacta comam* vid. adnott. ad Ecl. I, 54. II, 3. III, 106. et al., de *coma* autem arborum ad Geo. II, 368. IV, 137. etc. — *nutat*. Cf. Aen. IX, 678. *geminae quercus - - sublimi vertice nutant* et Iuven. III, 256. *nutant altae* (arbores) *populoque minantur*. — **630**. *Volneribus*, ictibus. Vid. ad V, 433. et supra v. 520. — *evicta*. Vid. supra ad v. 497. — **631**. *Congemuit*. Cf. adnott. ad Geo. III, 133. — *traxit ruinam*, corruit. Vid. supra v. 465. ibique adnott. — *iugis* (a iugis) *avolsa*, non: cum iugis, una cum parte montis. Ad *avolsa* Henry (*Tw. years* II. p. 112. et Philol. XI. p. 622.) intelligit *funibus*, coll. Ovid. Met. VIII, 775. *labefactaque tandem Ictibus innumeris adductaque funibus arbor Corruit*. — **632**. **633**. „*Descendo* de arce; non de turri: nam hoc iam factum v. 570. 588." *Heyn*. Qui tamen v. 567 sqq. tamquam spurios reiiciunt, ii sane de turri cogitare debent. Ceterum si vera sunt, quae ad v. 615. adnotavimus, *descendo* significare debet: pergo in descendendo et planum campum attingo. — *ducente deo*: aliquot Codd. (inter quos etiam Medic. a m. pr.) *ducente dea*, quod Heyn. praeferendum censet. Sed melioribus libris obtemperandum; et *τὸ κακόφωνον*, in quo haesit Heyn., elisione emolliri, vere memorat Wagn. *Deus* (hic de Venere intelligendum), ut apud Graecos ὁ et ἡ θεός, pro *dea* legitur etiam VII, 497. *Nec dextrae erranti deus abfuit*, h. e. Alecto. Ovid. Met. X, 586. *Audentes deus ipse iuvat*, i. e. Fortuna. Q. Catulus ap. Cic. N. D. I, 28. 79. *Mortalis visus'st pulchrior esse deo*, Aurora. Calvus ap. Serv. ad h. l. et Macrob. Sat. III, 8. *pollentemque deum Venerem* cett. Cf. G. Vossius ad Catull. p. 259. et in Aristarch. I. p. 395. Burm. ad Anthol. Lat. III, 240, 4. Bach. ad Ovid. Met. X, 586. alii. Nam vix credo, quod Heyn., Peerlk., Gossr. et, nisi fallor, etiam Dietsch. Theol. Verg. p. 2. (qui docet, hic *ducente deo* scripsisse Vergilium, quia, nisi omnes dii adnuissent, ne mater quidem Aeneam ducere potuisset) suspicantur, *deum* hic esse absolute capiendum, τὸ θεῖον, numen; quamquam idem statuere videtur Wagn., Verheyckio ad Anton. Lib. c. 28. ab Heynio laudato addens Wunderl. in Obss. ad Tibull. I, 6, 43. et Delr. Syntagm. Trag. Lat. T. III. p. 255., quibus etiam Burm. ad Ovid. Art. III, 103. adiungi poterat. — „*expedior*, liberum iter habeo inter hostium *tela et flammas*, ut contra *impedimur*, obstante turba. *Vulgari sermone via ipsa expediri, expeditum iter*, dicitur." Heyn.

Atque ubi iam patriae perventum ad limina sedis
Antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montis primumque petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troia
Exsiliumque pati. „Vos o, quibus integer aevi
Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.

Expediri enim interdum de iis dicitur, qui ex malis et periculis multis feliciter evadunt et in tuto collocantur. Cf. Hor. Od. IV, 4, 76. (Quos) *Curae sagaces Expediunt per acuta belli*, coll. cum Od. I, 27, 23. *Vix illigatum te triformi Pegasus expediet Chimaera.* — *dant tela locum*, recedunt tela hostium, progredior incolumis inter telorum iactus et flammas, quibus verbis additis augetur salutis Aeneae allatae miraculum. Vid. similem locum Aen. VI, 110. 111. Cf. Silius I, 465. *praecipiti dant tela viam, dant signa virique.* Ovid. ex P. I, 1, 33. *dicitur ipsa viro* (Aeneae) *flamma dedisse viam.* Fast. IV, 799. *An magis hunc morem pietas Aenēïa fecit, Innocuum victo cui dedit ignis iter?* et Met. XV, 441. *Flamma tibi ferrumque dabunt iter* cett. Ceterum contra Heynium, qui haerens potissimum in iterato voc. *flammam, flammae*, hic ultimam poëtae manum desiderat, Wagn. docet, hoc nihil habere offensionis, cum *flammae* ita respondeat praegresso *flammam*, ut *tela* praecedenti *hostis;* „modo scite haec pronunties, ut vocem paulum intendas in verbis *dant locum* et *recedunt.*" Vid. etiam Weichert. de Verss. iniur. susp. p. 98. et Iahn. ad Aen. I, 315. Peerlk. tamen hunc totum versum, excepto primo vocabulo, spurium censet. — **634**. „Nova obiicitur in summo discrimine difficultas ab ipso parente." *Heyn.* — **635**. *tollere in altos montes*, breviter pro sublatum portare in a. m. Anchises enim fulmine debilitatus (vid. infra v. 649.) ire non poterat. Ceterum de Ida monte cogitandum. — **636**. *petebam* vulgo explicant *appetebam, exoptabam;* rectius autem Thiel. interpretari videtur per *adibam*, ut I, 717. — **637**. „*excissa* malint Guellius et Cerda, quia *excidium* inde duci debuit. Sed utrumque dicitur. Vid. infra ad IV, 425." *Heyn.* Iahn. etiam Dukerum ad Flor. p. 243. conferri iubet. Vid. etiam Aen. XII, 762. *Excisurum urbem minitans.* Nihilominus Conington Guellii et Cerdae coniecturam probat. — *vitam producere* legitur etiam Cic. Brut. 15, 60. Nep. Att. 21, 6. Plaut. Trin. II, 2, 59. Ovid. Her. XII, 6. alibi. — **638—640**. *Exsilium pati*, in peregrina terra vivere. Recusat Anchises Troia discedere. — *integer aevi sanguis*, h. e. integri aevi sanguis, ideoque iuvenilis vigor. Cf. infra IX, 255. Ovid. Met. IX, 441. *dum fuit integer aevi*, Ped. Albin. III, 5. *Pectore maturo fuerat puer integer aevo*, Stat. Theb. I, 415. *integer annorum;* ex quibus locis apparet, modo Genitivum, modo Ablativum adiungi; et de Genitivo quidem vid. adnott. ad Ecl. II, 20. et Aen. V, 73. (ubi *aevi maturus* legimus). Praeterea cf. Plaut. Merc. III, 2, 7. *Adolescens cum sis, tum, cum est sanguis integer*, Prop. V, (IV,) 5, 59. *Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus*, Ennii locus (p. 328. Hessel. s. p. 148. Vahl.), a Servio prolatus, quo dii *aevi integri*, i. e. aeterna iuventute florentes, vocantur, et Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 1, 45. (ubi *integra aetas*). Contra V, 396. legimus *Sanguis hebet frigentque effetae in corpore vires.* — *suo* (naturali) *stant*, sustinent se, *robore vires*, ita ut alieno auxilio non indigeant. Sic X, 771. *mole sua stat*; et *sui roboris esse* dixit etiam Ovid. Met. II, 403. De voc. *roboris* Thiel. conferri iubet Walch. ad Tac. Agr. p. 152. Quod autem attinet ad coniunctionem verborum *robore vires*, cf. Liv. IX, 16, 13. *seu virium vi, seu exercitatione multa*, Plaut. Amph. I, 1, 79. *cadunt vulneris vi et virium* et Ruhnken. ad Vellei. I, 4. Conington in h. l. iuvenit imitationem Homeri Il. XXIII, 629. *εἴθ' ὣς ἡβώοιμι, βίη τέ μοι ἔμπεδος εἴη.* — **640**. *agitare* (animo) *fugam* proprie est agitare consilium fugae s. de fuga deliberare, tum moliri, capessere fugam. Sic v. c. Flor. IV, 2, 51. *ut fugam in Parthos - - agitaret;* neque aliter Sallust. in fragm. a Servio ad h. l. servato: *Traditur fugam in Oceani longinqua agitavisse.* Plenius Liv. XXI, 2, 2. *bellum agitare in animo* et alii haud raro. Cf. etiam infra

**Me si caelicolae voluissent ducere vitam,
Has mihi servassent sedes. Satis una superque
Vidimus excidia et captae superavimus urbi.
Sic o, sic positum adfati discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam; miserebitur hostis**

IX, 187. Idem est supra v. 108. *fugam moliri.* Ceterum Cod. Franc. hunc versum sic supplet: *et rebus servate secundis.* — **641.** *ducere*, producere. Vide modo v. 637. — **642.** „*Satis superque una excidia vidimus;* exquisite: satis superque est, quod semel Troiam (ab Hercule propter Laomedontis perfidiam) expugnatam vidi, et urbi captae supervixi, ne bis idem experiar.“ *Heyn.* Cf. infra VIII, 291. et Hom. Il. V, 640 sqq. De Plurali *una* cf. Plaut. Pseud. I, 1, 52. id. Trin. I, 2, 129. Cic. p. Flacc. 29, 70. Lucan. IV, 548. cett. et Ruddim. I. p. 146. — **643.** *superavimus*, superfuimus. Vid. supra ad v. 597. — **644.** Iubet Anchises suos sibi, quasi iam mortuo, extremum illud Vale! acclamare, quod ad funebria officia pertinebat. Similis locus est ap. Val. Fl. I, 334. — *Sic, o, sic.* De Interiectione *o* a poëtis haud raro in media oratione interposita cf. Heins. ad Ovid. Her. I, 101. cum Aen. VIII, 579. X, 631. aliisque locis. — „*Sic*, ut sum, *positum corpus*, pro me, *ϰείμενον*, quasi iam funus, [cf. Geo. IV, 303.] *adfati*, extremum illud Vale! Vale! Cf. ad Tibull. III, 2, 15.“ *Heyn. Ponere* verbum proprium est de mortuis, qui recti et extenti in lecto collocantur. Vid. infra IV, 681. XI, 30. Lucr. III, 884. *Post mortem fore, ut aut putrescat corpore posto* (ibique Wakef.). Ovid. Met. IX, 503. *toroque Mortua componar positaeque det oscula frater.* Fast. V, 480. *positis iusta feruntur avis.* Cons. ad Liv. 135. *tene ego sustineo positum scelerata videre.* Stat. Theb. XII, 99. *Hei mihi! quod positos humus alma diesque resolvit* etc. Wagn. confert Eur. Hipp. 786. Ὀρϑώσατ' ἐϰτείνοντες ἄϑλιον νέϰυν. — *adfati.* Postquam sollemne illud *Vale* ter repetitum Manibus meis acclamastis. Cf. VI, 507. cum III, 68. IX, 484. XI, 97. et adnott. ad I, 219. Peerlk. hunc versum, quem Cod. Medic. in margine tantum inferiore additum habet, loco tamen, quo inserendus sit, literulis notato, una cum duobus sequentibus spurium censet, quod, qui viri illius docti rationem noverit, non mirabitur; parant enim hi versus interpreti aliquas difficultates, quae sic statim omnes evanescunt. — **645.** „*manu*, non mea, ut Cerda post Guellium, cum imbellis senex sit, sed hostis, ut Burm. An placet interpungere: *Ipse manu mortem inveniam, miserebitur, hostis; Exuviasque petet;* ut iungas *manu hostis.*“ *Heyn.* Wagn. recte quidem vituperat hanc interpunctionis mutationem, sed quae praeterea adiungit Vir doct., probare non possum. Putat enim *Manu mortem invenire*, non adiecto Genitivo aut Pronomine possessivo, nihil aliud posse significare, quam sua manu mortem invenire, sive: manum sibi inferre; quam explicationem firmet etiam adiectum Pronomen *ipse*, cum *Ipse manu* ex usu Vergilii sit i. q. mea manu (vid. Qu. Virg. XVIII, 2, 1. et adnott. ad Ecl. III, 69.); quare post *inveniam* Particulam *aut* excidisse suspicatur, per extremam praegressi verbi syllabam interceptam. Sed sumamus, vere excidisse illud *aut*, cuius in Codd. nec vola nec vestigium reperitur; quid inde lucramur, nisi perversam sententiam? Si enim Anchisae stat consilium sua manu se interimendi, non opus est, ut exspectet, donec hostis aliquis se interficiat. Quidni statim ipse manum sibi infert, priusquam hostes adproperent? Cur igitur tam languida illa oppositio: aut ipse mihi mortem consciscam, aut ab hostibus interficiar? Immo se sua manu interimendi consilium omnino alienum videtur ab ea, quam hic prodit Anchises, mente et voluntate; neque ipsum Aeneam patris verba de voluntaria morte, sed de caede hostili manu patranda intelligere, apparet ex v. 660 sqq. Accedit quod *mortem invenire* minus apte dici videtur de eo, qui ipse se privaturus sit vita; quamquam me non fugit locus Lucani VII, 308. *Nam me secura manebit Sors quaesita manu: fodientem viscera cernet Me mea, qui* etc. Quare ego h. l. sic explico: *(Vos) discedite. Ipse (ego) manu* mea, i. e. pugnando et me defendendo *(cf. supra v. 291.)*, vel certe speciem pugnaturi et se defensur'

Exuviasque petet. Facilis iactura sepulchri.
Iam pridem invisus divis et inutilis annos
Demoror, ex quo me divom pater atque hominum rex

---

praebendo (cf. supra ad v. 434. adnott.) *mortem inveniam*, i. e. efficiam, ut hostes me confodiant; quaeram mortem et inveniam. (Vid. etiam supra v. 511., ubi Priamus *densos fertur moriturus in hostes.*) *Hostis* enim, etsi resistendi conatum in sene imbecilli ridebit, tamen *miserebitur*, senemque ut quemvis alium hostem pugnantem tractans (v. 646. *Exuviasque petet*), non in captivitatem me abducet, sed honesta morte vitae onere liberabit, vel exuviarum captandarum causa. Cf. etiam Lucan. IV, 484. *Arcessas dum fata manu* et Sil. IV, 140. *Invenit vulnus, caedemque invenit ab hoste*, quos locos iam Burm. contulit. (Video tamen, ut Bryceum, Henricum (in Philol. XI. p. 622.), Ladewigium et Coningtonem, sic etiam Wagnerum nunc mutata sententia mecum consentire, cum in recentiss. edit. adnotet: „Nescio an h. l. poëta illa meminerit, quae Cicero, mortem optans, scripsit ad Att. Ep. IX, 12, 4. *ne quid optem quidem iam habeo, nisi ut aliqua inimici misericordia liberemur*, quamquam, ut etiam Süpfl. et Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 108., de hostium *manu* videtur cogitare. Gossr. locum sic intelligit: „ipse me interficiam; hostis autem, qui sua manu necatum videbit senem, miserebitur, nec insultabit aut foedabit corpus, sed exuviis contentus abibit;“ eandemque quaesitam horum verborum explicationem iam Abr. Vossius in Progr. Crucen. a. 1838. p. 3. iisdem fere verbis protulerat; Süpflius autem *manu* (quod ad hostes refert: „*des Feindes Hand wird sich des lebensmüden Greises erbarmen*“) sine ulla vi pleonastice adiectum censet (ut Aen. VII, 604. *Getis inferre manu lacrimabile bellum* et Aen. XI, 453. *Arma manu trepidi poscunt*). Thiel., qui ipse bene perspexit, de voluntaria Anchisae morte cogitari non posse, *manum* tamen minus recte interpretatur per *vim*, ut omnino violentam mortem, naturali oppositam, significet. — „*miserebitur hostis*, ut, vel miseratione motus, me supplicantem, ut vita liberet me, occidat; saltem propter exuvias occidet me. Cf. inf. IX, 495. X, 676.“ *Heyn.* Vide supra. Thiel. apte comparat Sen. Troad. 327. *Mortem misericors saepe pro vita dabit*, et Serv. ad Aen. X. *Pro petentis qualitate nonnumquam etiam mors miseratio videtur esse.* — **646.** *Facilis iactura sepulchri* (cf. adnott. ad Ecl. IX, 60.). Corpus insepultum abiici, quod aliis tam horrendum, mihi non est grave. Sed cum iacturam sepulcri rem tristissimam fuisse constet, quae veteribus accidere potuerit (cf. infra IV, 620. VI, 333. 365. Ovid. Trist. I, 2, 50 sq. Catull. LXIV, 152. Gierig. et Iahn. ad Ovid. Met. VII, 611.) Gossr. de toto hoc loco sic iudicat: „Vss. **644—46.** si abessent, abessent poëtae titubantis vestigia.“ et Peerlk., Ladew. et Dietsch. Theol. Verg. p. 32. not. 244. verba *Facilis iactura sepulchri* ut cum totius antiquitatis, tum Vergilii sensui repugnantia spuria iudicarunt. Sed verissime ea defendit Schrader in Muetzellii *Zeitschr.* VII. p. 727. tamquam necessaria ad Anchisae summam rerum omnium desperationem indicandam, ad quae potissimum spectet Aeneae responsio v. 568. *tantumque nefas patris excidit ore.* Wagn. apte conferri iubet Stat. Theb. VIII, 736 sqq., unde huc imprimis pertinent verba *nec enim mihi cura supremi Funeris.* — **647—649**. „Fundus fabulae in hymno in Venerem v. 287—289.: afflatus fulmine et secundum alios excaecatus, iuxta nostrum tantum debilitatus membrisque captus Anchises, quod consuetudinem cum Venere evulgarat. Cf. Excurs. XVII. ad h. l.“ *Heyn.* Vid. etiam Schirach. p. 319. — *inutilis.* Wagn. confert ἀχρεῖος δέμας, Aesch. Prom. 371. Blomf. et Conington Hom. Il. XVIII, 104., ubi Achilles reses se vocat ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης. — „*annos*, vitam, *demoror*, labentes et decedentes diu vivendo detineo. Dictum alibi *morari mortem, fata, Orcum, animam.*“ *Heyn.* Cf. Aen. III, 481. *fando surgentis demoror Austros.* Hor. Od. III, 27, 50. *impudens Orcum moror.* Sen. Herc. Fur. 1257. *Cur animam - - Morer.* Stat. Theb. VII, 364. *seras tibi demoror - - umbras.* *Prop. I, 19, 2. Non moror extremo debita fata rogo.* — **648.** Anchises ab *Iove fulmine* ictus fertur, quod inter vina apud sodales de Veneris amore

Fulminis adflavit ventis et contigit igni."
Talia perstabat memorans fixusque manebat.
Nos contra effusi lacrimis coniunxque Creusa
Ascaniusque omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater fatoque urgenti incumbere vellet.
Abnegat inceptoque et sedibus haeret in isdem.

---

gloriatus erat. Cf. Hom. H. in Ven. 287 sqq. et Hygin. fab. 94. — *divom pater* etc. Cf. Aen. I, 65. — **649**. „*fulminis adflavit ventis*, fulmine; quandoquidem aër fulminis iactu impulsus et rarefactus intercludit spiritum, res ad sensum vulgi obvia; etsi subtilius de ea physici tradunt; alibi: *aura fulminis;* unde ipsum *adflare* ductum." *Heyn*. Wakef. ad Lucr. V, 568. *fulminis ventos* explicat: „aëre, quem vis fulminis calefecerat." Videtur autem Vir doct. idem sibi velle, quod Thielius, qui, coll. Eurip. ap. Plut. Quaest. Sympos. IV, 2, 4. (T. XI. p. 177. Huten.), ubi *βροντῆς πνεῦμα* legitur, Aristot. Meteor. III, 1. Senec. Qu. Nat. II, 12, 54. Ideleri Meteorologia veterum p. 161. et Cortio ad Lucan. I, 151., physicorum illam sententiam respici censet, causam, cur fulmen non modo aedificia etc. incendat, sed etiam corpora permeans animantia occidat vel certe frangat et debilitet, ventum esse unum quodque fulmen comitans. Atque etiam Wagn. (coll. Lucr. VI, 269 sqq. Weichert. Epist. crit. p. 55 sqq. Barth. ad Claud. Pan. de Cons. Mall. Theod. 108. Interpp. ad Lucan. I, 151. et ad Silium I, 254.) verba Vergilii ex eorum opinione explicanda esse censet, qui ventum extrinsecus venientem esse causam fulminis nubibus excussi (cf. Ovid. Met. XI, 435.) et tonitruum affirment. Ceterum idem Vir doct. *adflatus, adflare*, de ambustione dici docet, coll. Liv. XXVIII, 23. *ambusti adflatu vaporis* et XXX, 6. *saucii adflatique incendio* et Soph. Antig. 135 sqq. *πυρφόρος, ὃς τότε μαινομένᾳ ξὺν ὁρμᾷ βακχεύων ἐπέπνει ῥιπαῖς ἐχθίστων ἀνέμων*. *Adflare* autem *aliquem aliqua re* exquisitior est constructio, quam vulgaris *adflare alicui aliquid*. — *contigit igni*. Cf. adnott. ad Ecl. I, 17. — **650**. *Talia perstabat memorans*, pro: perstabat memorare vel in memorando; non mutavit sententiam suam. — *fixus*, affixus loco, non discedens domo. Cf. v. 699. Ceterum totus hic versus iteratur in Anth. Lat. I, 172, 84. — **651—654**. „Lugubris sane et miseranda rerum facies, si singula cogitas. *Nos contra* orare non desistimus *effusi lacrimis* exquisite pro *in lacrimas*." *Heyn*. Ad constructionem Peerlk. comparat Val. Fl. VII, 34. *tali effunditur ira*, pro: in iram, i. e. effundit iram. Codd. quidam deterioris notae *effusis lacrimis*, ut VI, 686. et al. Cf. supra v. 271. III, 312. X, 465. etc. *Nos contra effusi lacrimis* - sc. *sumus* — *ne*: i. e. multis cum lacrimis oravimus, obtestati sumus, ne — ; quare Comma, quod erat post *contra*, cum Wund., Iahn. et Wagn. sustulimus. — **652**. *vertere secum*, evertere, perdere. Vid. ad I, 20. et Burm. ad Val. Fl. II, 752. — **653**. „*cuncta;* nam cum non sunt relicturi Anchisen, simul omnes intereant necesse est." *Gossr*. — *fatoque urgenti incumbere*, ultro operam dare, ut magis etiam urgeat, ideoque instantem perniciem accelerare. Heyn. comparat *currentem incitare, praecipitantem impellere* et similia, Thiel. autem *timentem terrere* Aen. XII, 875., et Gr. *τρέχοντα* vel *σπεύδοντα ὀτρύνειν*. Cf. etiam adnott. ad Aen. XII, 875. Cum locutione *fato incumbere* cf. Liv. III, 16. *inclinatis rebus* et Cic. de Or. II, 79. extr. *inclinato iudici incumbere*. Quae Henry in *Two years* II. p. 113. et Philol. XI. p. 623. de h. l. scripsit (quem explicat: ultro aggravare fatum urgens), ea vir doct. nunc ipse retractat; Voss. autem in Progr. Crucenac. 1838. p. 12. interpretatur: adniti ad fatum imminens avertendum et Haeckerm. in *Zeitschr*. etc. XIX. p. 109. *incumbere fato* ex analogia locutionis *incumbere gladio, ferro*, (Auct. ad Herenn. I, 11. et Phaedr. I, 10.) de eo intelligendum censet, qui in gladium velit incumbere; quod vix probabitur. Ceterum *urgere* haud raro de fato dicitur. Cf. Liv. V, 22, 8. 36, 6. XXII, 43, 9. — **654**. „Commode verbum *haerere* iungitur notionibus *in incepto* et *in iisdem sedibus, ut significetur*, Anchisen nec loco suo motum et animo immoto fuisse. Eadem compositionis suavitas est apud Cic. Cat. II, 5. 1.

Rursus in arma feror mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium aut quae iam fortuna dabatur?
„Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui
Et sedet hoc animo perituraeque addere Troiae
Teque tuosque iuvat, patet isti ianua leto,
Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,

Si et in urbe et in eadem mente permanent, ea, quae merentur, exspectent." *Heyn.* De collocatione Praep. *in* non minus ad *incepto* quam ad *sedibus* pertinente vid. ad Aen. I, 544. et de forma *isdem* pro *iisdem* ad Aen. III, 158. — **655**. *Rursus in arma feror.* Vid. supra v. 337. — **656**. Plures Codd. omittunt *iam*, hiante versu. Sed recte Burm. docet, *Iam* hic necessario requiri, cum sensus sit: post omnia, quae tentata sunt frustra, ad servandum patrem etc. nihil iam restabat, quod experirer; coll. adnot. sua ad Ovid. Art. II, 597., *iam amplius* infra III, 260. et *iam iam* IV, 371. cett. — *quae fortuna*, quae salutis via. Cf. adnott. ad Geo. III, 452. — **657**. „Ad patrem Anchisen conversus haec dixit. Affectus impetum nota pulchre expressum abruptis etiam sententiis." *Heyn.* De omisso verbo dicendi vid. adnott. ad I, 335. — *Mene.* Ribbeck. cum Schol. Veron. hic et II, 657. scripsit *Men*, ut etiam III, 319. *Pyrrhin*, VI, 779. *viden*, X, 668. et XII, 503. *tanton.* Cf. Schmid. Elem. gramm. I. p. 175 sq. et Ribbeck. Proleg. p. 435. — *efferre pedem*, ut infra v. 753. *gressum extulerim.* Praesens autem *efferre*, post *sperasti*, pro elaturum esse, ut etiam IV, 305. et V, 18. (ubi vid. adnott.) et post *promittere* IV, 487. — *Sperasti*, exspectasti, credidisti. Cf. adnott. ad Ecl. VIIII, 26. — *tantum nefas*, sermo suadens rem tam nefariam. Iure enim nefas videtur filio, patre relicto et hostium crudelitati dedito, fugam capere. — *excidit ore.* „Bene excusat patrem dicendo *excidit*, et ipse temperat obiurgationem." *Serv.* Ceterum cf. VI, 686. *vox excidit ore* ibique adnott. et locus simillimus Ovidii Met. VII, 171. *Quod, inquit, Excidit ore pio, coniux, scelus?* — **660**. *Et sedet hoc animo*, haec stat sententia. Cf. IV, 51. V, 418. VII, 368. 611. XI, 551. Anth. Lat. I, 178, 203. *Et sedet hoc animo* (ex hoc ipso loco sumptum) Sen. Phoen. 141. *hoc animo sedet.* Val. Fl. VII, 427. *Occumbere tandem Possumus: idque sedet.* Plin. H. N. II, 7, 5. *sedere coepit sententia haec* Claud. R. Pros. I, 121. et Flor. II, 15, 9. *sententia sedet.* Graevii Ind. ad Florum v. *sedere* et Ruhnk. ad Ter. Eun. II, 1, 18. Vid. etiam infra ad v. 750. — **661**. „*patet isti ianua leto*, ad talem mortem ab hoste accipiendam via patet; ea mors facile arcessi poterit." *Heyn.* Nescio tamen, an rectius explicueris: morti patet illa ianua, per quam ad te accedat, quae etiam Henrici videtur esse sententia, cum (*Tw. years* II. p. 114.) comparet Plin. Epist. I, 18. *Illa ianuam famae patefecit* et Ter. Heaut. III, 1, 72. *Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!* Multi Codd. *istic*; sed vulgatam agnoscit etiam Pompeius Comm. Donati p. 341. Cf. Hand. Tursell. III. p. 462. — *ianua leti* aliquoties apud Lucretium legitur I, 1105. III, 829. V, 374. Cf. etiam Stat. Theb. III, 67. et Burm. ad Val. Fl. III, 386. Thielius Wagn. ad Eleg. ad Messal. p. 27. conferri iubet. — „At v. 662. 663. mors foeda, qualis obtigit Priamo, caeso in eius conspectu filio: v. 502. 530. Ita refellit ista v. 645. 646. *miserebitur hostis* etc. *Heyn.* — *Iamque*, i. e. iamiam, cito. Cf. Val. Fl. II, 147. *Iamque aderunt.* Silius II, 208. *Iamque aderat* et adnott. ad Aen. IV, 566. et I, 272. — *aderit* autem pro adveniet. Vid. ad Ecl. II, 45. — *multo de sanguine*, quem effudit sine ulla senis miseratione; *de sanguine* autem non solum ad tempus est referendum, quasi sit: statim post caedem Priami, sed cum *aderit* coniungendum, in quo inest notio discedendi ab eo loco, ubi Priamus est interfectus. Eadem ratione explicandi sunt Plaut. Most. III, 2, 8. *non bonus somnus est de prandio* (*gleich vom Tische weg*), i. e. de prandio venienti: Cic. ad Att. XII, 3. *velim scire, hodiene statim de auctione aut quo die venias*, et *similes* loci. — Peerlk. nomen Priami abesse malit, quod ex versu 663. ta-

Gnatum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis
Eripis, ut mediis hostem in penetralibus utque
Ascanium patremque meum iuxtaque Creusam
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?

---

tice intelligatur, et fatetur sibi magis placiturum: *Iamque aderit multo maculatus sanguine Pyrrhus.* — 663. *Gnatum* ex plurimis et optimis Codd., inter quos Medic., suadente iam Wund., cum Wagn. recepimus. Cf. adnott. ad Ecl. V, 22. — *patrem qui.* Multi Codd. *patremque*, quod non erat cur Iahn. ad v. 275. praeferret; nam constat, Pron. relat. interdum in Copulam *que* mutatum esse, ubi duo nomina cognatae significationis, ut h. l. *gnatum* et *patrem*, iungi librariis videbantur. Wagn. confert supra I, 109. *Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras*, ubi in multis Codd. est *mediisque*, ob *saxa* - - *Aras.* — *obtruncat.* Mentel. I. a m. pr. *obtruncet*, quod Heins. praefert. Sed vide adnott. ad Aen. I, 99., Iahn. ad Aen. II, 275. (qui bene explicat: „quem cum viderim patrem obtruncasse, non alium mihi animo repraesentare possum, quam *obtruncantem*, qui solet obtruncare," et Thiel. („qui talis est ut - -; cui in more est obtruncare"), quibus iure adsentiuntur Freudenberg. Vind. Verg. p. 17. et Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. l. l.; idemque sibi velle videntur Serv., Heyn. et Gossr. *obtruncat* simpliciter per *obtruncare solet* interpretantes. Ceterum *ad aras* non minus quam *ante ora patris* rei foeditatem mirum quantum augere, non est cur memorem. Peerlk. comparat Hegesipp. de excid. Hieros. V, 22. *quam crudelis sit, qui filios ante ora patris iugulat.* — „In versibus 664—67. primum notes *eripis* pro eripuisti, quod ad auxilium Veneris v. 632. 633. referendum; tum in verbis *hoc, quod - - eripuisti, erat, ut cernam* insolentiam consecutionis temporum; quae quidem tollitur, priore sententia ita mutata: *An me, mater, ideo servasti, ut cernam?*" *Wund.* Iahn. autem ad v. 275. censet, cum hic et *Hoc erat, quod me eripuisti, ut cernerem* et *Hoc igitur consilio me eripis, ut cernam*, recte dici potuerit, poëtam utrumque coniunxisse. Mihi locus ita explicandus videtur, ut *Hoc erat* iam antea captum Veneris consilium significet, quo omnis eius agendi ratio spectet (*das also lag zum Grunde*), *eripis* autem non solum ad praeteritum, sed etiam ad praesens tempus referendum sit, quo Venus in Aeneae servandi et tutandi studio adhuc perseveret. Longe igitur acerbius et ad Aeneae affectum accommodatius h. l. Praesens *eripis* (i. e. eripiendum curas s. servas) Perfecto, cum Aeneas hoc matris se servandi studium sic in unum idemque (praesens scil.) tempus cum iis incidere significet, quae illius promissum (v. 620.) irritum reddant. Neque aliter hunc locum intellexerunt Thiel., qui multa de eo disputat, et Freudenberg. l. l. p. 18., qui recte adversatur Peerlkampio coll. Aen. IV, 675. coniicienti *Hoc erat, alma parens? Sic me per tela, per hostes* (*per ignes?*) *Eripis.* De formula *Hoc erat, quod* cf. Prop. III, 19, 1. (II, 24, 17.) *Hoc erat in primis, quod me gaudere iubebas.* Vid. etiam Aen. IV, 675. et Claud. B. Gild. 236. *Hoc erat? in fratres medio discordia Mauro Nascitur?* Ladew. comparat Cic. Rosc. Am. 35, 99. *Quid erat, quod Capitonem primum scire voluerit?* (= cur voluit?) Cf. Barthii Adv. XLV, 8. Lambin. ad Hor. Od. I, 37, 4. Burm. ad Petron. 93. Schmid. ad Hor. Ep. I, 4, 7. et Heindorf. ad Hor. Sat. II, 1, 6. Ceterum pro *Hoc* Moret. I. et III. a m. pr. *Hocce*, Montalb. Witt., Bern. II. a m. sec. et Grammatici (Prisc. XII, 5, 25. p. 948. et XIII, 3, 9. p. 958. Velius Longus p. 2219. P. Probus p. 1390. Marius Victor. I. p. 2467. Terent. Maur. v. 1583 sqq. alii: cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 214.) *Hocc*, quod Wagnero recte videtur esse inventum Grammaticorum de metro sollicitorum, coll. Santen. ad Terent. Maur. p. 253 sqq. et Varr. Lectt. ad Ecl. III, 5. Aen. IV, 22. XI, 16. — 665. *mediis hostem in penetralibus.* Cf. supra v. 508. *medium in penetralibus hostem.* — 666. „Parrhas. *Ascanium Anchisemque patrem, iuxtaque C.*, quod erit fortasse qui praeferat; sed repetitum hoc e v. 747.; et melius ista *patremque meum* filii affectum exprimere videntur." *Wagn.* Ad totum huius loci colorem conferri potest Aen. I, 253. — 667. *Alterum in alterius sanguine*

Arma, viri, ferte arma; vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais; sinite instaurata revisam
Proelia. Numquam omnes hodie moriemur inulti."
Hinc ferro accingor rursus clipeoque sinistram
Insertabam aptans meque extra tecta ferebam.
Ecce autem conplexa pedes in limine coniunx
Haerebat parvumque patri tendebat Iulum:
„Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;
Sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iulus,
Cui pater et coniunx quondam tua dicta relinquor?"
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat,

---

mactatum, mixtum sanguinem simul mactatorum. — **668**. *Arma*, scil. quae domum ingressus deposuerat. — *arma ferte*. Cf. IX, 37. XII, 425. et similes locos III, 234. X, 242. etc. Verbo *Arma, viri, ferte arma* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 446. — *vocat lux ultima victos*, significanter pro: manet nos mors s. moriendum est! — **669**. *Reddite me Danais:* idem color inf. X, 61. Cf. etiam VI, 545. et Ovid. Met. XIII, 78. *Redde hostem*. -- **670**. *numquam* pro non, nullo pacto, ut Ecl. III, 49., ubi vid. adnott. — „Ipsam sententiam gravius extulit Hom. Il. XXII, 304. 305. — **671** sq. Ante oculos fuisse h. l. Hom. Iliad. VI, 394. 399 sqq., ubi de discessu Hectoris ab Andromache agitur, notarunt iam viri docti: uti noster Val. Flacco in Aesone et Alcimede effingendis I, 762 sqq. fuit. — *manum insertabam clipeo*, loro clipei vel ansae. Supra v. 393. erat *indui clipeum*." *Heyn*. Vid. etiam Schirach. p. 460., qui conferri iubet Klotzium in libro *Ueber d. Nutzen und Gebrauch der geschnitt. Steine* p. 105. *Insertare* legitur v. c. ap. Petron. c. 97. *secures insertare commissuris*. Sen. Epist. 85. *manum leonibus insertare*. Sil. V, 483. *arbor insertans caput nubibus*, et alibi. — **672**. *aptans*. *Aptare* (*anpassen*) saepe de armis induendis dicitur. Cf. II, 390. IX, 364. X, 131. 305. XI, 8. etiam XII, 88. — **673**. *conplexa pedes*. Cf. Hom. Il. I, 512. *ὡς ἥψατο γούνων*. — *in limine coniunx haerebat*. Respexit hunc locum Val. Fl. I, 762. *Contra effusa manus haerensque in pectore coniux*. — **674**. *patri* significantius, quam *mihi*. Cf. adnott. ad Aen. I, 49. et IV, 31. De Dativo verbo *tendendi* adiecto vid. infra v. 688. Cic. pro Font. 17. Caes. B. Gall. VII, 448. Calpurn. Sic. III, 36. etc. et adnott. ad Ecl. II, 30. — *tendebat* non solum i. q. *ostendebat*, ut Heyn. explicat, quamquam ap. Apoll. Rhod. I, 557. legimus. *σὺν καὶ οἱ παράκοιτις - - Ἀχιλῆα φίλῳ δειδίσκετο πατρί*, sed potius pro *porrigebat* positum. Cf. Geo. IV, 535. — **675**. Vid. supra ad v. 657. *in omnia*, ut omnia tecum perferamus. Cf. Lucan. X, 461. *quem ducit in omnia secum*, ubi vid. Burm. In Anth. Lat. I, 178, 388., ubi alterum huius versus hemistichium iteratur, legitur *aut nos rape*. — **676**. *expertus*, fortibus facinoribus priorum temporum. Thiel. minus recte explicat: doctus prodigiis. — **678**. *Coniunx quondam tua dicta*. „*Quondam* acerbo cum dolore, quasi iam desierit esse eius coniux, et quasi ille pristini amoris oblitus sit. Cf. Tibull. III, 1, 23. *Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera, Mittit*." Haec *Wagn*., rectius quam *Schirach*. p. 556. haec adnotans: „Respicit quippe vocabulum ad futurum tempus; *relinquor*, inquit Creusa, *tua dicta coniunx, quondam;* i. e. relicta *olim* modo tua coniux fui, non amplius; praeteriit nomen." Burm. comparat infra IV, 324. coll, cum v. 431. — *cui relinquor?* sc. hostibus. Cf. infra IV, 323. *cui me moribundam deseris, hospes?* Cod. Med. a m. pr. *relinquar;* sed Indicativus in hac interrogatione aptior, cum res ipsa (se ab Aenea relictum iri) certa sit, et illud tantum incertum, cui relinquatur. Cf. III, 88, 367. et Wagn. Qu. Virg. XXXI, 4. Ceterum totus v. 678. repetitur in Anth. *Lat. I*, 178, 202., ut prima eius verba *Cui pater et coniunx* ibid. I, 170, *40. et seqq. Talia vociferans* ibid. III, 81, 81. — 680—684. „Mutat An-

Cum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter maestorumque ora parentum
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex tactuque innoxia mollis
Lambere flamma comas et circum tempora pasci.

---

chises consilium, omine oblato. Flamma e capite micans ostentum et praesagium regiae dignitatis, vel ex narratione de Servio Tullio notum Liv. I, 39. Cf. inf. VII, 73 sqq. Doctus autem Anchises auguralis scientiae Veneris munere. Vide Ennii et Naevii locos apud Probum in Ecl. VI.; cf. Fragm. Enn. p. 11. 12.“ *Heyn*. — **680**. *subitum*. Medic., Pal., fragm. Veron. aliique Codd. (Gud. et Bern. II. certe a m. pr.) exhibent *subito*, quod etiam legitur in Anth. Lat. I, 178, 420., ubi hic totus versus iteratur. Sed solet Vergilius in hoc maxime vocabulo Adiectivum Adverbio praeferre. Cf. imprimis Geo. IV, 554. et Aen. VIII, 81., praeterea autem Aen. IV, 571. VII, 64. 95. 446. 479. (Ovid. Met. XIII, 891. Lucan. I, 311. Val. Fl. I, 641. etc.) Quare etiam infra V, 522. Heins. ex paucis Codd. recte *subitum* edidit, quod haud dubie magis poëticum. Heyn. *subito* ex compendio scripturae *subitū*, rectius autem Wagn. ex sono proximi voc. *dictu* ortum censet (ut primum *subitu* scriptum sit, quod apparet in fragm. Vatic., et inde factum *subito*). Vid. ad Aen. I, 104. — **681**. *manus inter*, dum Iulus erat in manibus parentum. Cf. IX, 502. XI, 311. Anth. Lat. I, 45, 9. et Hand. Turs. III. p. 388. — *inter ora*, in conspectu patris matrisque, qui stant sibi invicem obversi. — *maestorumque*. Vid. ad Aen. V, 47. — **682** sq. Respexerunt hunc locum Silius XVI, 119. *subitus rutilante coruscum Vertice fulsit apex crispamque involvere visa est Mitis flamma comam* et Claud. IV. Cons. Hon. 192. *ventura potestas Claruit Ascanio, subita cum luce comarum Innocuus flagraret apex Phrygioque volutus Vertice fatalis redimiret tempora candor*. — **683**. *Fundere lumen*. Cf. Val. Fl. I, 572. *lumenque innoxia fudit*. — „*apex*, flamma in apicem acuminata; is visus est *fundere lumen de vertice Iuli*, h. e. lucere; ut Ovid. Fast. VI, 636. *inque coma flammeus arsit apex*.“ *Heyn*. Adde Ovid. Met. X, 279. *Flamma ter accensa est apicemque per aëre duxit*, ex Pont. IV, 9, 54. *detque bonum voto lucidus omen apex*. Fast. VI, 636. *inque comis flammeus arsit apex*, et Val. Fl. III, 188. *illos nova lux subitusque diremit Frontis apex* (de Castore.) (Quae Henry in *Tw. years* II. p. 115 sqq. de h. l. scripserat, postea in Philol. XI. p. 623. retractavit nobiscum Heynio adsensus, quo supervacanea redduntur, quae Conington de eius explicatione disputat.) Schirach. p. 333. Burmanno adsentitur, apicem minus recte de eminente virga pilei Phrygii (qui, ut pueri, *levis* esse debuerit) intelligenti, quod adversatur versui 685., unde patet, caput Iuli non fuisse pileo vel galea tectum. *Levis* autem etiam flammae aptum esse epitheton, nemo non videt. De ipsa re ex animalium natura electrica, quam vocant, explicanda Thiel. conferri iubet Ideleri Meteorologiam veterum p. 161. — **684**. Heyn. coniungit verba *lambere tactu*, contactu; sed rectius Wund. iungenda censet *tactu innoxia*, i. e. quae tactu non nocet, nihil consumens. Cf. Geo. III, 416. *mala tactu vipera*. Alii Codd. *tractu*; quam lectionem defendunt Schirach. p. 620. et Bothius. Sed *tractus* flammae per longum spatium ductae ab hoc loco, ubi flamma tantum in apice emicuit, alienus. Sic vocc. *tactus* et *tractus* etiam Geo. III, 502. confusa. — *mollis Lambere comas*. *Mollis* enim Accus. est iungendus cum voc. *comas;* si pro Nomin. haberemus cum *flamma* iungendo, duo epitheta idem fere significantia uni nomini tribueremus. Cf. etiam infra IV, 66. Martial. IV, 42. *Mollesque flagellent Colla comae*. Tibull. I, 8, 9. *Quid prodest molles coluisse capillos*. Hor. A. P. 33. *Molles imitabitur aere capillos*, alios. Codd. quidam deterioris notae exhibent *molli*, haud dubie ad *tactu* relatum, „non male,“ ut Ribbeck. censet. Sed optimorum Codd. lectio non sollicitanda, in quo, ut in coniungendis verbis *mollis comas*, praeter ceteros recentiores editores etiam Henry in Philol. XI. p. 623. et Haeckerm. in *Zeitschr*. XIX. p. 109. mecum consentiunt. Imitati *sunt h. l. Silius XVI, 119. Subtus rutilante* coruscum Vertice

Nos pavidi trepidare metu crinemque flagrantem
Excutere et sanctos restinguere fontibus ignis.
At pater Anchises oculos ad sidera laetus
Extulit et caelo palmas cum voce tetendit:
„Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice nos; hoc tantum; et, si pietate meremur,

---

fulsit apex, crispamque involvere visa est Mitis flamma comam (qui sane *mollis* pro Nomin. videtur habuisse) et Gratius Cyneg. *Deus* (Vulcanus) *illam molliter aram Lambit.* Vide etiam adnott. ad Ecl. II, 72. coll. cum not. ad Ecl. IV, 28. — *lambere*, prorsus ut nos: *die Flamme leckt an Etwas.* Vid. Aen. III, 574. Hor. Sat. I, 5, 73. *flamma - - properabat lambere tectum*, cum quo loco cf. Lucr. II, 191. *Nec, quom subsiliunt ignes ad tecta domorum, Et celeri flamma degustant tigna trabesque.* — *pasci*, ali, crescere, ex natura flammae, quae materia inventa usque alitur et augetur. Cf. praeter multos alios locos Ovid. Met. XIV, 467. *Postquam alta cremata est Ilios, et Danaas paverunt Pergama flammas.* Servius comparat *pascere crines* Aen. VII, 391. — **685.** *trepidare* Schirachio (p. 621., qui confert Aen. IV, 121. et IX, 114.) idem est, quod cum trepidatione accurrere; sed *ad* currendi notio verbo inesse non potest, etsi interdum significat anxie concursare. — *pavidi metu* iungendum esse docet Wakef. ad Lucr. II, 44., qui, coll. Iliad. Epit. v. 717. *Ille timore pavens, Vitam concedite, dixit*, hunc locum sic explicat: „nos, metu palpitantes festinare et opera celeri subvenire." Nihil tamen interest, utrum *pavidi metu*, an *pavidi trepidare* coniungamus, cum haec omnia unam eandemque sententiam efficiant. — *crinem flagrantem Excutere.* Cf. Ovid. Met. XII, 280. *avidum de crinibus ignem Excutit* (a Coningt. laud.). — **686.** *sanctos*, quos utpote caelitus missos violari nefas est. Servius minus recte: „non quos tunc sacros sciebant, sed quos mox probaturi sunt." *Sacros* esset deo alicui sacratos, quod ab hoc loco alienum. Cf. de hoc discrimine notissimo Doederl. Syn. III. p. 198. et V. p. 348. — *fontibus*, aqua ex fontibus hausta. Cf. adnott. ad Geo. IV, 376. Ceterum de Infinitivo absoluto, vehementiorem animi affectum, pavorem maxime et trepidationem indicante cf. III, 666 sqq. VI, 489 sqq. IX, 538 sq. cett. et Wagneri Qu. Virg. XXX, 2. — **688.** *caelo*, ad caelum. Vid. adnott. ad Ecl. II, 30. et supra v. 674. cum adnot. — *palmas cum voce tetendit.* Cf. supra v. 405. et X, 666. ibique adnott. cum Stat. Theb. VIII, 146. *frustraque manus cum voce tetendi.* — **689.** Cf. simillimae preces infra V, 687 sqq. Anchises a Venere arte augurandi imbutus esse ferebatur, quam etiam infra exercet III, 539., in quam rem Conington conferri iubet Ennii fragm. Annal. I, 17. [p. 7. Vahlen.] *Doctusque Anchisa Venus quem pulcherrima dium Fata docet fari, divinum ut pectus haberet* et Naevii Bell. Pun. I. fr. 2. *Postquam aves aspexit in templo Anchisa.* Praeterea cf. Dion. Hal. I, 48. et Engel *Kypros* II. p. 321. — *precibus si flecteris ullis.* Cf. adnott. ad Ecl. II, 27. et Geo. I, 7. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 178, 26. — **690.** „*Aspice nos.* Heyn. explicat per: respice nos; sed recte Wund. docet, respicere esse curam habere, iuvare; hic autem Anchisen id praesertim expetere, ut Iupiter in se suosque oculos convertat, ideoque *aspice* simpliciter esse i. q. *ἐπίβλεπε*. Wagn. (quem sequuntur Haupt., Ladew., de h. l. etiam in *Zeitschr. f. d. Alt. Wiss.* 1846. p. 1039. disputans, et Ribbeck.) vulgarem rationem, ex qua locus sic distinguitur: *Aspice nos; hoc tantum* (scil. abs te peto), admodum languere iudicans, uno tenore scripsit: *Aspice nos hoc tantum*, atque in edit. min. (ubi clarius mentem suam exponit, quam in maiore) sic interpretatur: „i. e. hanc tantum adspectum nos adspice, *τοῦτο μόνον ἡμᾶς ἐπίβλεψον*, eatenus duntaxat res nostras adspice, i. e. omnis Troianorum fortuna cum corruerit, hanc tantum eius partem adspice." Putat enim vir doct., ut dicatur *pugnam pugnare, furorem furere* et similia, ita etiam, si dicas *aequora curro* (Aen. V, 235.), hoc fere idem esse quod *curro cursum maritimum, id te hortor* i. q. *eum hortatum te hortor*, etc., ideoque etiam *hoc tantum aspice* significare posse: hunc tantum adspectum nos

Da deinde augurium, pater, atque haec omina firma."
Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore

---

adspice; quod mihi quidem nondum persuasit. Quare huic contortae explicationi praefero longe simpliciorem. Hoc unum enim cupit Anchises, ut se adspiciat Iupiter, cum misericordiae movendae hic unus adspectus plane sufficiat. Precatur igitur: *Adspice nos!* addens *hoc tantum*, quod non tam cum reliquis editoribus et Schol. Stat. Theb. XI, 192. (ubi sane non minus quam ap. Claud. R. Pros. III, 299. ad *Hoc tantum* supplendum est *precor*) explico: hoc tantum, non plura, abs te peto, quam sic potius: hoc tantum dico (collato loco Aen. IX, 636., ubi finitis Ascanii precibus adduntur verba *Hoc tantum Ascanius*, scil. dixit, et supra v. 79. *Hoc primum*, scil. fateor); ut hic sit sensus: non opus est multis verbis, sufficit hoc unum, ut nos adspicias, adspectus enim ipse clarius loquetur, quam verba nostra poterunt. Loco ita intellecto quid languidum et absonum insit, non video. Abruptius autem loqui Anchisen, si affectum hominis et tempus, quo has preces facit, consideramus, neminem potest offendere. Si vero in Cod. Med. post voc. *nos* nulla apparet distinctio (quod Wagnero libenter credo, quamquam Ambrog. illius Codicis editio, quae mihi ad manus est, distinctionem addit), hoc profecto non multum probat, cum in distinguendi signis vel additis vel omissis ne huic quidem Codici magna concedi possit auctoritas. Contra vero Henry, qui (ut etiam Bryce, Conington et Haeckerm. in *Zeitschr. f. d. Gymn. W.* XIX. p. 109.) mecum consentit, in *Tw. years* II. p. 119. asseverat, in fragm. Vat. Codici Med. non postponendo clare distingui ASPICE NOS. HOC TANTUM. Süpflius (cum Wagn. certe coniungens verba *Aspice nos hoc tantum*) *hoc* habet pro Accus. remotioris Obiecti ad *aspice* pertinente, locumque sic interpretatur: „*blicke uns nur in dieser Sache, nur in so weit an;*" Gossrav. autem, insolentiorem Copulae traiectionem statuens et Pron. *hoc* non curans, locum sic explicat: „*und wenn wir so viel durch unsre Frömmigkeit verdienen*, ac si scriptum esset: *et tantum si pietate meremur;* quare etiam locum sic distinxit: *Aspice nos; hoc tantum et si p. m.* Ceterum *aspicere* verbum proprium de diis propitiis, qui humanas res prospiciunt, non, ut irati, oculos avertunt. Cf. I, 526. IV, 372. — Verba *aspice nos tantum* (sine *hoc*) repetuntur in Anth. Lat. I, 147, 30. (cf ibid. I, 178, 390.), ut sequentia *et si pietate meremur* ibid. 178, 27. — **691.** *si - - deinde* eadem ratione sibi respondent, qua alibi *si - - tum*, *cum - - tum*. Vid. adnott. ad Ecl. III, 10. et Aen. III, 609. — Codd. et editt. vulg. lectio est *Da deinde auxilium.* Peerlk. autem, qui putat, unum idemque esse *aspice nos* et *da auxilium*, pro *auxilium* coni. *augurium;* et sane sic olim lectum fuisse, apparere videtur ex Probi schol. ad Ecl. VI, 31. p. 352. L. sivo p. 14. K., qui locum nostrum sic affert: *Da deinde augurium atque haec omnia* (quod etiam in Gud. a m. pr. legitur) *firma*, et ex Pomp. Sabino, qui allato hoc Probi scholio sic pergit: „Et Apronianus *auxilium* legit etc." Quare etiam Keil. in Philol. II. p. 167. (coll. Cynthio Cret. in Mai Auct. class. VII. p. 386. et Aen. X, 254.) Probi lectionem in contextum vult recipi, atque Haupt., Ladew. et Ribbeck. (cuius cf. Proleg. p. 192.) certe *augurium* re vera receperunt, quos etiam nos secuti sumus, quia sic hic versus apte respondet versui 703. et *augurium* melius quadrat ad seqq. verba *haec omina firma*, quam *auxilium*. Cf. etiam X, 255. (Schrader quoque in Muetzell. *Zeitschr.* VII. p. 727. lectionem *augurium* iure vulgari praefert.) Wagn. tamen etiam in Philol. Suppl. I. p. 334. et XV. p. 351. vulgarem lectionem defendit, cum „verba adiecta *si pietate meremur* ad maius quidpiam, auxilium, videantur spectare, quam ad omen alio viso firmandum et Troiani sine praesenti deorum auxilio e tantis periculis evasuros se sperare non potuerint," quod probat Haeckerm. l. modo l. p. 110., ut etiam Conington a Codd. lectione, quam praeterea tueatur Boëthii auctoritas de interpr. ed. sec. p. 29. (ed. Basil. 1546.), non vult discedi, cum altera lectio ex III, 89. huc translata videatur. — *haec omina firma*, signo aliquo dato ostende, bonum hoc esse auspicium, secundum auguralem disciplinam; ut docet Serv., qui haec adnotat: „Non enim unum omen vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili. Nam si dissimilia sunt poste-

Intonuit laevum et de caelo lapsa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam summa super labentem culmina tecti
Cernimus Idaea claram se condere silva
Signantemque vias; tum longo limite sulcus
Dat lucem et late circum loca sulfure fumant.

---

riora, solvuntur priora." Vid. etiam VIII, 18. Thiel. confert Sil. IV, 127. *adsis o firmesque tuae, pater, alitis omen.* — **692.** Anchisae preces statim eventum habent. Heyn. conferri iubet Hom. Od. XX, 97 sqq. — *subitoque* etc. Ne inter se mutuo referri *que* - - *et* existimes, vid. Qu. Virg. XXXV, 6., ubi docetur, frequentem esse Copulae usum, cum properetur ad sequentia, aut celeriter aliquid fieri indicetur, ut res Copula coniunctae nullo prope temporis intervallo se excipere significentur, ideoque etiam praecedentibus Particulis *vix* et *una* (quibus adiungi poterant *ubi*: Aen. XII, 81., *nondum* et *necdum*: cf. Heinisch. Adnott. ad locos quosdam Taciti. Glacii a. 1843. p. 9.) interdum subiici Copulam, veluti III, 8. V, 857. VIII, 520. XI, 296. 864. Adde Geo. II, 80. (ibique adnott.) Aen. III, 9. VI, 498. VII, 288. etc. In aliis tamen locis, Copula omissa, sententiam a Particula *vix* incipientem statim sequitur Verbum finitum alterius sententiae, qua de re vid. supra ad v. 172. adnott. — *fragorem* Wakef. ad Lucr. V, 318. recte interpretatur per caeli confractionem vel fissuram nubium. — **693.** *Intonuit laevum* (vel, ut Haupt. et Ribbeck. scribunt, *laevom*). Vid. IX, 631. et cf. adnott. ad Geo. IV, 7. — **693—698.** „*Stella cadens*, meteori genus, (cf. Spanh. ad Callim. in Del. 38. p. 410., sup. Geo. I, 365 sqq.), erat inter prognostica, at nunc auspicium, et quidem fugae suscipiendae. Respexisse videtur poëta Hom. Iliad. IV, 75 sqq. et Apoll. IV, 294 sqq. Mirum tamen, quod ignis fatuus h. l. cum tonitru coniunctus est et cum sulfureo halitu. - - - Totam augurii rationem per partes explicat Servius; malim rem ad physicas rationes revocatam. Iungenda: *stella ducens facem multa cum luce*, habens speciem facis longae; hinc v. 697. *longo limite sulcus dat lucem.*" *Heyn.* Cf. Valer. Fl. I, 568. Iupiter *ingenti flammantem* (collustrantem) *nubila sulco direxit per inane facem;* Ovid. Met. XV, 849. *Flammiferumque trahens spatioso limite crinem Stella micat;* Senec. Troad. 356. *Et stella longa semitam flamma trahens*, et infra Aen. V, 526. *Fax* haud raro dicitur de stellis crinitis aliisque meteoris. Cf. Liv. XLI, 21. *faces eadem nocte plures per caelum lapsae sunt.* id. XLIII, 13. Cic. Cat. III, 8, 18. de Div. I, 11, 18. Sen. Nat. Qu. VII, 5. Plin. H. N. II, 26, 25. — **694.** *cucurrit.* Cf. Senec. Thyest. 698. *E cavo aethere cucurrit limitem sidus trahens.* Similiter Lucr. V, 682. de sole: *Imparibus currrens amfractibus.* Cf. etiam infra VIII, 392. ibique adnott. — **696.** *Idae* - - *silva.* Sic III, 112. *Idaeum nemus.* ibid. v. 105. *mons Idaeus* cett. De silvoso Ida vid. Strab. XIII. in. Mela I, 18, 2. Plin. V, 30, 32. alios. Continebat imprimis multas pinus (Aen. V, 449. X, 230.), quare etiam pix Idaea (Geo. III, 450.) celebrabatur. Ceterum de ipso monte, qui etiamnum eodem nomine appellatur, cf. liber meus geogr. II. p. 112. — **697.** Heyn. mavult deleri signum interpungendi post *vias;* cui recte adversatur Iahn., cum sensus sit: Illa super summa culmina tecti labitur, in Idaea silva lucens se condit et vias signat. — *signantemque* (qua Copula hoc Participium connectitur cum antecedente *labentem*) *vias*, signa quaedam cursus sui (scil. fulgorem quendam) relinquentem. Cf. V, 526. *signavitque viam flammis.* Altera autem explicatio, quam Conington profert, coll. Claud. de laud. Stil. II, 291. et Apoll. Rh. IV, 296.: symbolice ostendentem viam Aeneae ingrediendam („*symbolizing the path which Aeneas was to take*") nimis quaesita videtur. — *tum*, postquam stella se condidit. Wakef. temere coni. *dum.* Vid. adnott. ad Geo. II, 296. et Aen. V, 455. — „*longo limite sulcus Dat lucem*: omnis eius via, sulci instar in caelo quasi impressa, clariore luce effulget; nam clariorem factam esse necesse est, quia splendor ipsius stellae non amplius ei officiebat." *Wagn.* Iam Heins. et Burm. comparant Ovid. Met. XV, 849: *Flammiferumque trahens spatioso*

Hic vero victus genitor se tollit ad auras
Adfaturque deos et sanctum sidus adorat:
„Iam iam nulla mora est; sequor et qua ducitis adsum.
Dî patrii, servate domum, servate nepotem.
Vestrum hoc augurium vestroque in numine Troia est.
Cedo equidem nec, nate, tibi comes ire recuso.“

---

limite crinem Stella micat et Sen. Thyest. 698. *E cavo aethere cucurrit limitem sidus trahens*, Conington autem Val. Fl. I, 568. [*ingenti flammarum nubila sulco Direxit per inane facem*] Lucan. V, 562. [*lapsa per altum Aëra dispersos traxere cadentia sulcos*] et ὁλκός in loco Apollonii modo laud. — *dat lucem*, i. e. lucet, circumlocutione Vergilio admodum frequentata. Sic Aen. I, 687. et VIII, 405. *amplexus*, I, 398. *cursum, fugam*, X, 870. VIII, 570. et XII, 383. *funera*, IV, 370. IX, 292. *lacrimas dare* etc. Saepius etiam *dare gemitum* (I, 485. II, 53.), *sonitum* (Geo. II, 306. Aen. V, 139. IX, 667. X, 488. XI, 458. XII, 524.), *sonorem* (Geo. III, 199.), *ululatum* (Aen. XI, 190.), *voces* (VII, 560. XI, 534.) et similia. — **699**. *Hic vero* i. q. infra V, 659. *Tum vero*. Cf. adnott. ad Aen. I, 728. Conington is enim coniecturam, fortasse etiam coniungenda esse verba *vero victus* („*conquered by the truth*“), nemo, puto, probabit. — *victus* (*sich besiegt gebend*), cedens non filii, sed ipsorum deorum voluntati. Sic Geo. IV, 491. *victus animi*, ubi vid. adnott., et Aen. IV, 307. *lacrimas victus dedit*. — *se tollit ad auras*: e strato se attollit, surgit oculos manusque ad caelum convertens. Ceterum cf. adnott. ad Ecl. I, 56. — **700**. *Adfatur deos*, precatur. — **701**. *Iam iam* et de eo dicitur, quod statim futurum est (Aen. VI, 602. VIII, 708. XII, 754. 875.) et de eo, quod pro praesenti rerum statu faciendum (Aen. II, 701. IV, 371. XII, 676. 875.). Cf. Wagn. Qu. Virg. XXIV. extr. Ceterum geminatum *iam iam* non differre a simplici, nisi gravitate et distinctiore significatione, docet Hand. Tursell. III. p. 155 sq., quem vide. Divisim autem scribendum esse *iam iam* (i. e. *iam iamque*) ex iis, quae Hand. eod. l. disputat, apparet. Verba *Iam iam nulla mora est* repetuntur in Anth. Lat. I, 14, 21. 147, 35. et 178, 407. — *qua ducitis, adsum*: confugiam eo, quo vos ipsi, dii, viam monstratis. — **703**. *vestroque in numine Troia est*. Heynius, *numen* pro *augurio, omine* dictum putans (ut infra VII, 119.), satis contorta ratione locum sic interpretatur: „Troia haec, quam ego deserere, cui ego superstes esse nolui (sup. v. 637.), vestro hoc augurio declaratur mihi deserenda esse. *Troia est*, Troia mihi erit, non haec, quae nunc incensa est, sed quocunque vestrum augurium, dii, nos ducet.“ Rectius et simplicius Wund. cum Burmanno verba *vestro in numine Troia est*, explicat: „vobis Troianorum fortuna cura est,“ ex omine enim flammae v. 682. Anchisen artis auguralis peritum concludere, rem Troianam nondum prorsus perditam esse, sed in novis sedibus restitutum iri Iulumque magnum rebus Troianis lumen et Troiae in alia terra restitutae regem fore. *In numine* igitur *esse* i. q. *sub numine esse* IX, 247., i. e. in tutela esse. Henry (*Tw. years* II. p. 122.) comparat Petron. p. 354. ed. Amst. 1669. [cap. 98.]. *In tua, inquit, pater carissime, in tua sumus custodia*. Wagn. autem Wunderlichio iure adsentiens, conferri iubet Aen. IX, 247. *Di patrii, quorum semper sub numine Troia est* et Ovid. Met. XV, 546. *Numine sub dominae lateo*; et connexum loci hunc esse docet: „servate domum, servate nepotem. Et servabitur; nam hoc augurio ipsi significastis, servaturos esse gentique Troianae prospecturos;“ et Thiel. comparat Graecorum ἐν θεοῖς εἶναι, κεῖσθαι, σώζεσθαι, de quo cf. Valcken. ad Eur. Hipp. 324. et Heindorf. ad Plat. Protag. p. 474. Dietsch. autem Theol. Verg. p. 4. interpretatur: „vestra in potestate (ut IV, 269. IX, 247. X, 221.)“ his verbis additis: „Cum enim dii significaverint, sese servare velle Troiam et simul eius imperium teneant, certissima spes est, ita res eventuras.“ — *Troia* pro Troiani (vid. ad Ecl. I, 62. et IV, 58.), respectu tamen novae Troiae condendae habito, ut docet Wagn., coll. infra III, 85 sq. et 132 sq. — **704**. *nate*. Montalb. *gnate*, quod (non minus quam XI, 554. *Huic gnatam* in Leid.) praegressae literae *c* deberi censet Wagn. Qu. Virg. XXXVIII, 3.

Dixerat ille; et iam per moenia clarior ignis
Auditur propiusque aestus incendia volvunt.
„Ergo age, care pater, cervici inponere nostrae;
Ipse subibo humeris nec me labor iste gravabit;
Quo res cumque cadent, unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit. Mihi parvus Iulus
Sit comes et longe servet vestigia coniunx.
Vos, famuli, quae dicam, animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Desertae Cereris iuxtaque antiqua cupressus,
Religione patrum multos servata per annos:
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.

Vid. adnott. ad Ecl. V, 22. — *tibi comes ire*, pro tecum ire, ut etiam infra VI, 158. Hor. Sat. II, 5, 17. Lucan. VI, 828. alibi. Cf. Burm. ad Ovid. A. A. I, 301. Similiter Ovid. Her. XIII, 163. *venire alicui comitem*. Cf. etiam Aen. VI, 112. — *comes ire recuso*, ut Tibull. I, 4, 41. *neu comes ire neges*. Imitatur hunc locum Stat. Achill. I, 539. *Nos vocat ille labor, neque enim comes ire recuso*. — **705.** „*Clarior ignis* h. l. clarior strepitus ignis, [cf. supra v. 301. *Clarescunt sonitus*] *propiusque incendia volvunt aestus*, h. e. calorem [*die wogende Gluth*, ut infra v. 759. Cf. etiam VII, 464.], ornatissime, pro: flamma, incendium propius serpit.“ *Heyn.* Cf. supra ad v. 301. adnott. — **707.** *Ergo age* cum vi quadam increpationis et hortationis eius, qui tarde rem agit. Vid. Donat. ad Ter. Adelph. IV, 2, 33. et Hecyr. I, 1, 6. Burm. ad Ovid. A. A. I, 343. Schirach. p. 398. Hand. Tursell. II. p. 451. — *inponere* (*lass dich setzen*), inpone te, ἐντίθεσο. Vid. adnott. ad III, 405. — **708.** *subibo humeris*, in humeros meos te suscipiam. Vid. infra IV, 599. *Cum subiisse humeris confectum aetate parentem* cett. et cf. Tibull. II, 5, 19. — Verba *nec me labor iste gravabit* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 21. — V. **709.** totus repetitur in Anth. Lat. I, 178, 389., ubi tamen pro *cadent* legitur *cadunt*. Syncopata forma *periclum* Verg. saepius fere utitur, quam vulgari. Vid. infra v. 716. III, 711. V, 716. VI, 63. 693. VII, 425. VIII, 73. 188. 251. 556. IX, 174. 287. 479. X, 610. et cf. adnott. ad Geo. III, 166. et Aen. IV, 59. — **711.** „*Servet vestigia*, h. e. observet gressus meos, *longe*, e longinquo; id adiectum, ne, si multi una exirent, deprehenderentur ab hostibus. Itaque et famulos per diversas vias dimisit [v. 716.]“ *Heyn.* *Longe* igitur valet: non statim post me, sed ex aliquo intervallo. Cf. infra v. 725. Temere in hoc vocabulo haeret Schirach. p. 478. De verbo autem *servare* pro observare posito vid. adnott. ad Ecl. III, 75. et Geo. I, 335. — **712.** *animis advertite, quae dicam*, pro vulgari: animos advertite ad ea, quae dicam, s. dicturus sum. — **713.** *Est urbe egressis* (Casu tertio) *tumulus*, scil. adversus, egressis apparet. — **714.** „*Deserta Ceres* exquisite dicta, cuius templum erat desertum vetustate vel belli decennalis tempore.“ *Heyn.* Servius triplicem proponit explicationem, ut deserta appelletur Ceres vel ob amissam filiam, vel ob Polyphoeten (vid. Aen. VI. 484.), vel ob bellum decennale. Rectius Wagn. propterea *desertam Cererem* dici suspicatur, quod templum habuerit in loco infrequenti et solitario ante urbem, quo homines raro accedere soleant, coll. III, 646. XI, 843. Tibull. I, 1, 11. *Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris - - serta lapis*, ibique Huschk. et Wunderl. Cereris autem templa plerumque extra urbes aedificata esse, ex Vitruv. I, 7. docet Dorvill. et Henry (*Tw. years* II. p. 122.) in eandem rem praeterea conferri iubet Tac. Annal. XV, 53. Prudenter igitur eligit locum, quem Graeci non facile sint adituri. — **715.** *Religione*, cultu. Sic *Religione patrum* etiam VIII, 598. et in Anth. Lat. I, 178, 419. et *religione parentum* infra VII, 172. — Verba *multos servata per annos* repetuntur VII, 60. et in Anth. Lat. I, 170, 63. — **716.** *Hanc.* Cf. adnott. ad Geo. III, 202. Heins. scribi voluit *Hac* et Conington profert coni. *Huc*, ut verba

Tu, genitor, cape sacra manu patriosque Penatis;
Me bello e tanto digressum et caede recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero."
Haec fatus latos humeros subiectaque colla
Veste super fulvique insternor pelle leonis

---

sedem in unam per epexegesin addantur, quam tamen ipse iure censet supervacaneam. — *ex diverso*, ex diversis partibus. Cf. infra III, 232. et Sen. de brev. vitae 8, 1. *vires ventorum ex diverso furentium.* — 717. „*Cape sacra* cett., ex umbrae Hectoris iusso: sup. II, 293. [Cf. etiam supra v. 320.] — 718. *Me bello* cett. Ingeniose inventum hoc a poëta, ut causa adsit, cur sacra Anchises efferat, ex communi narratione." *Heyn.* Vid. autem de hac religione veterum supra ad v. 167. Wagn. de more isto, quem Orpheus in Graeciam traduxisse feratur, conferri iubet Both. et Hermann. ad Soph. Oed. Col. 1227. — *bello e tanto;* rectius fortasse cum Goth. III., aliquot Codd. Pier. et Macrob. (Sat. III, 1, 1.) Cod. Salisb. *bello ex tanto*, cum Vergilius, ubi Praepositio nomini suo postponitur, aut inter Substantivum et Adiectivum ita inseritur, ut Subst. praecedat, non *e*, sed *ex* usurpare soleat. Cf. Ecl. VI, 19. Aen. IV, 410. et Wagn. Qu. Virg. II. — 719. *Attrectare nefas*, sc. manibus cruentatis. Cf. supra v. 167. — *flumine vivo.* Epitheton non est otiosum; cum nisi viva aqua facta non legitima haberetur purgatio. Cf. Pers. II, 15 sq. Iuven. VI, 523 sq. Tibull. II, 1, 13. alios, atque etiam infra IV, 635. De voc. *vivus* vid. adnott. ad Geo. II, 469. et Aen. I, 167. — *Abluero* Donat. ad Ter. Ad. I, 2, 47. (a Coningt. laud.) pro *abluam* positum esse censet, quod non prorsus verum. Vide potius adnott. ad Geo. IV, 282. — 721—723. „Insternit Aeneas humeris vestis laciniam, vestique pellem. [?] Superinsternor veste et pelle leonis (ante oculos habuit Il. X, 21—24., ubi Agamemnon simili habitu inducitur) humeros et colla subiecta, h. e. collum, quod subiicio, submitto oneri imposito." *Heyn.* — *latos humeros* (Homeri εὐρέας ὤμους: cf. autem adnott. ad Aen. I, 225.), quibus opus est, ut vecturae sufficiant, (quare male hic cogitaveris de proverbio illo: deforme est de se ipsum praedicare). — *subiectaque colla*, collum, quod subiicio oneri recipiendo, - - *insternor.* Haesisse tamen in epitheto illo iam veteres interpretes, docet Schol. Maii: „Iure dictum est *latos*, nec notanda iactantia est in veritate, sicut illud in primo (v. 378.): *sum pius Aeneas*"; quare Peerlk., cui epitheton *latos* non tanti videtur, „ut Vergilius propterea versum reliquisset ita imperfectum et ex unico vocabulo constantem" hunc versum cum priore sic coniungendum esse suspicatur: *Abluero. Haec fatus humeros subiectaque colla*, ut Grammatici de metro solliciti (*fatūs*) locum mutasse censendi sint; quod nemo facile probaverit. (Vide etiam, quae Freudenberg. l. l. p. 24. contra eum disputat.) De constructione vid. adnott. ad Ecl. I, 14. Burm. recte adnotat, *subiecta* esse i. q. mox subiicienda, ut ap. Stat. Theb. VIII, 11. *adsumptum* pro adsumendo, ibid. I, 244. *adiuncta* pro adiungenda, Lucan. 305. *caput hoc positum rostris* pro mox ponendo cett.; qua de re conferri iubet Cort. ad Plin. Ep. VII, 19, 6. Broukh. ad Prop. II, 10, 49. et III, 10, 3. et sua ad Val. Fl. I, 457. Ceterum hunc locum respexit Ovid. ex Pont. I, 1, 33. *Cum foret Aeneae cervix subiecta parenti.* — 722. *Veste - - fulvique pelle leonis*, i. e. veste ex pelle leonina confecta. Vid. Wagn. Qu. Virg. XXXIII, 4., ubi praeter alios hi loci similes comparantur: Aen. I, 258. III, 366. IV, 355. V, 273. ibid. 227. VII, 94, 419. 659. VIII, 177. cett. Cf. etiam quae de Copulae vi explicativa ad Ecl. III, 34. Geo. I, 498. Aen. I, 27, 30. alibi adnotavimus. Conington conferri iubet Hom. Il. X, 23. — *super - - insternor* aut per tmesin dictum (cum verbum decompositum, quod vocant, inveniri videatur Liv. XXX, 10, 5. *tabulasque superinstravit* et Sil. VII, 289. *Qua superinstratos proiectus gramine campi Presserat ante toros*: vid. Drakenb. ad Liv. II, 10, 11. et VII, 10, 9. de verbis *superincidere, superimponere, superincubare, superimminere*); aut, quod probabilius videtur, *super* absolute et adverbialiter usurpatum, ut IV, 217. 221. IX, 168.

Succedoque oneri; dextrae se parvus Iulus
Inplicuit sequiturque patrem non passibus aequis;
Pone subit coniunx. Ferimur per opaca locorum;
Et me, quem dudum non ulla iniecta movebant
Tela neque adverso glomerati ex agmine Grai,
Nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis
Suspensum et pariter comitique onerique timentem.

---

alibi. Cf. idem Drakenb. ad Liv. IV, 58, 13. Schott. ad Val. Fl. VIII, 435. et mea ad Lucr. I, 650. — **723**. Verba *Dextrae se - - Inplicuit*, bene depingunt pueri timorem, ne patris manu excidat, quod iam Serv. adnotavit. Ceterum cf. Tibull. I, 4, 51. *Post etiam collo se implicuisse volet*. Catull. LXI, 108. *Implicabitur in tuum complexum*. Ovid. Met. I, 762. *implicuit materno brachia collo*. id. Am. II, 18, 9. *Implicuitque suos circum mea colla lacertos*. — *sequiturque patrem non passibus aequis*. Cf. supra ad v. 321. Val. Fl. III, 486. *Haeret Hylas lateri passusque moratur iniquos* et Silius IV, 30. *dextra laevaque trahuntur Parvi non aequo comitantes ordine nati*. Contra infra VI, 263. *Ille ducem haud timidis vadentem passibus aequat*. Conington confert Aesch. Theb. 374. *σπουδῇ δὲ καὶ τοῦδ' οὐκ ἀπαρτίζει πόδα*. — **725**. *Pone*. Vid. ad Geo. IV, 487. — *per opaca locorum*. Cf. adnott. ad Geo. I, 393. Aen. I, 310. 422. etc. Imprimis hic conferendus Lucr. II, 115. *per opaca domorum*. Quod autem attinet ad Adj. *opacus* lucem incertam indicans Henry (*Tw. years* II. p. 123.) apte confert Plin. Epist. VII, 21. *Cubicula obductis velis opaca, nec tamen obscura, facio*, et ibid. VIII, 8. *Modicus collis assurgit antiqua cupresso nemorosus et opacus*. — **727—729**. Cf. Apoll. Rh. III, 953—955. — *Et me* etc. *Et* Wagn. auctore (in edit. min.) hic inservit indicandae mirationi ex inexpectata rei mutatione natae. Prius in Quaest. Virg. XXXV, 7. *a*. locum aliter explicuerat. — *dudum* aut pro antea, prius, *πάλαι*, positum accipias (ut apud Plaut. Amph. II, 2, 50. id. Most. I, 3, 100. Ter. Andr. V, 1, 5. Eun. IV, 5, 4. Cic. Or. II, 65, 262. ad Att. XI, 24. in Brut. 36, 138. alibi: cf. Hand. l. l. p. 300.) aut (rectius fortasse) *dudum non* cum Gossravio interpreteris: „*schon längst nicht mehr*; tam diu cum Graecis manum conseruit, ut omni iam timore vacaret.“ Utraque tamen ratione oppositum est sequenti *Nunc*. — **727**. Heyn., Wagn. et Ladew. coniungunt verba *glomerati ex agmine*, ut sit conferta multitudo ex hostili agmine collecta; equidem cum *agmen* iam efficiat ordinatam et densam multitudinem, ex qua non opus sit, ut manus militum glomeretur, potius cum Thielio adsentior Wunderlichio, haec adnotanti: „Iungo *glomerati*, densi, *Graii ex agmine adverso*, stantes in acie adversa, uti Praepositio *ἐξ* apud Graecos usurpatur. De constructione *glomerari* ex aliqua re ad rationem verbi *colligere* equidem dubito;“ non enim video, quo iure contendat Wagn., verba *ex agmine adverso* Wunderlichii ratione explicata mirifice languere. Immo verba *adverso agmine* opposita videntur *telis* e longinquo missis, ut huius loci ratio eadem sit, quae v. 432. *nec tela nec ullas Vitavisse vices Danaum;* in quo mihi adsentiuntur Bryce et Conington. Haeckerm. vero in *Zeitschr*. etc. XIX. p. 110. satis contorte coniungit verba *ex adverso* (scil. mihi, quod ex *me* intelligendum sit, locum, quem sic Praepositio mira profecto ratione occuparet, excusans Lucretii locis II, 791. III, 839. VI, 788., ubi *ex* pariter Casui suo postponatur) et *glomerati agmine*, (ut IV, 115 legamus *agmina cervi glomerant*.) — *Grai* autem ex antiquissimorum Codd. auctoritate cum Hauptio, Ribbeck. et Ladew. edidimus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 445. (et qui ab eo laudantur), cum Corssen. de pronunt. II. p. 162 sq. et Ribbeck. Proleg. p. 425. — **728**. *Nunc omnes terrent aurae*. Cf. Silius VI, 58. *Sonus omnis et aura Exterrent, pennaque levi commota volucris* et Senec. Ep. 56., hunc locum laudans, praeterea autem Iuven. X, 21. *Et motae ad lunam trepidabis arundinis umbram* (iam a Cerda coll.) et Apoll. Rh. III, 954. (a Coningt. laud.) — **729**. *suspensum*, sollicitum, anxium, trepidum, ut saepe. Cf. supra v. 114. III, 372. IV, 9. etc. — **730—734**.

Iamque propinquabam portis omnemque videbar
Evasisse viam, subito cum creber ad auris
Visus adesse pedum sonitus genitorque per umbram
Prospiciens: „Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant.
Ardentis clipeos atque aera micantia cerno.“
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum
Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu
Dum sequor et nota excedo regione viarum,

„*Portis.* Est porta ab hoste aversa, ad Idam ducens et partes australes, unde litus peti poterat, et in eo Antandrus III, 6.“ *Heyn.* — **731**. *viam.* Markl. ad Stat. Silv. V, 2, 152. coni. *vicem,* quod Brunck. et Heyn. receperunt; eandemque coniecturam idem Markl. iam proposuit Geo. I, 418., ubi Codd. lectioni *mutavere vias* substitui voluit *mut. vices.* Sed qui ibi recte adversatus est Heyn., neque hic eum sequi debebat; immo scripturam *viam,* in qua omnes consentiunt Codd., iure defendunt ceteri editores omnes. Probe enim tenendum est, Aeneam non dicere *omnem viam evasi,* sed *evasisse videbar.* Revera pars viae, quam cum suis constituerat cuiusque finis erat fanum desertae Cereris extra urbem situm, restabat, (quod Heyn. urget), sed Aeneas videbatur sibi viam omnem evasisse, quatenus viam per urbem, ubi multa pericula minabantur, feliciter et sine periculis emensus erat. *Evadere* enim *viam* est ad finem viae pervenire, victis, quae in ea sunt, periculis et impedimentis. Wagn. comparat infra III, 282 sq. *Iuvat evasisse tot urbes Argolicas mediosque fugam tenuisse per hostes,* i. e. sine periculo ac detrimento praetervectum esse; et probam esse dictionem *viam evadere* docet coll. loco VI, 260., ubi legitur *Tuque invade viam.* Cf. etiam IV, 685. VI, 425. XII, 907. Sic apparet, Codd. lectionem non esse sollicitandam. — „*adesse ad aures* dictum potest videri pro *accedere* vel *accidere* ad aures. Poëticae tamen dictioni convenientius iungere: *creber ad aures* sonitus, qui crebro, clarius clariusque auditur.“ *Heyn.* Priorem rationem veram esse, iam Wunderl. vidit. Cf. etiam V, 55. *ad cineres et ossa parentis - - - Adsumus.* Ceterum verba *Visus adesse pedum sonitus* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 341. — **733**. *prospiciens,* quippe in humeros filii ipso onere respicere praepediti sublatus, unde longius prospiciebat et respiciebat. — *ardentes clipeos,* relucente flamma, quippe aereos. — *aera micantia,* ut in Anth. Lat. III, 81, 32. *fulgentia aera.* — *nescio quod* simpliciter pro aliquod. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 107. Ceterum *nescio* hic disyllabum esse censet Wagn., coll. adnot. ad IX, 296., ubi vide; et sane hac una ratione vitatur versus ex solis dactylis compositus. — **735**. *numen male amicum,* (quae verba iterantur in Anth. Lat. I, 147, 20.) inimicum, *δαίμων τις κακός.* Vid. supra ad v. 23. coll. adnot. ad Geo. I, 105. et Gossr. ad h. l. — „*mentem confusam eripuit;* duo iunxit, quae fere sigillatim poni solent: *eripere mentem*: *ἐξελέσθαι φρένας*, et *mens confusa*, perturbata: *σὺν δὲ γέροντι νόος χύτο*; utrumque Homericum.“ *Heyn.* Donatus *Confusam eripuit* explicat: confundendo eripuit; quare *Weickert.* l. l. p. 13. hunc locum per prolepsin illam interpretandum esse censet, de qua diximus ad Geo. I, 320. et II, 353. atque etiam Wagn. explicat: „confudit confusamque eripuit.“ Rectius tamen Kappes. II. p. 31. (quem etiam Ladew. sequitur) hic non agnoscit prolepsin, sed locum sic intelligit: mentem iam pedum sonitu et patris verbis confusam numen aliquod inimicum prorsus mihi eripuit. — *Avia* (opposita *regioni viarum*: vid. infra) sunt semitae a viis frequentatis deflectentes; ideoque *avia sequi* eadem ratione dictum, qua alibi (velut ap. Ovid. ex P. I, 4, 38. II, 10, 17.) *viam, iter sequi.* — **737**. „*nota regione viarum* pro excedo, deflecto de viis notis, frequentibus. Tum pro *via* poni possunt *loca, partes, regiones,* per quas viae patent; hinc *regio viarum* poëtis ducta.“ *Heyn. Regio viae* est illa quasi linea, quam via sequitur, *die Richtung, der Zug der Strasse.* Vid. infra VII, 215. IX, 385, XI, 530. Lucr. I, 957. 1040. II, 249. 293. Val. Fl. II, 44. Martial. III, 4.

Heu! misero coniunx fatone erepta Creusa
Substitit erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum; nec post oculis est reddita nostris.
Nec prius amissam respexi animumve reflexi,
Quam tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam

Flaminiae dices de regione viae. Rutil. I, 593. *Cum Flaminiae regionibus irem.* Liv. XXI, 31. *recta regione iter instituit* et Schirach. p. 561. — **738.** Mutata sententia nunc Henricum (*Tw. years* II. p. 123. et Philol. XI. p. 623 sq.) et Kappesium II. p. 46 sq. secutus coniungo verba *misero fato* (prius enim cum Heynio, Wagnero aliisque, quibus etiam Conington se adiungit, *misero* pro Dativo habui ad omissum Pronomen *mihi* referendo) locumque Servii vestigia premens sic explico: Estne Creusa misero fato (*Unfall*) mihi erepta, dum aut substitit, aut via erravit, aut lassa resedit? vel: Creusa, misero fato mihi erepta, num substitit, an via erravit, an lassa resedit? Quamquam enim non adsentior Henrico contendenti *fato* sine epitheto frigere et Pronomen *mihi* supervacaneum reddi Interiectione *Heu*, vere tamen eum memorare censeo, Aeneam hic non sui modo, sed etiam Creusae rationem habere. Quod autem attinet ad Particulas interrogativas a poëtis promiscue usurpatas, vid. adnott. ad Aen. I, 370. et de loco Part. *ne* (quam cum omnibus editoribus praeter Peerlk., Ribbeck. et Ladew. servandam esse contendo) a Vergilio hic assignato Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 402. De totius autem loci connexu et dispositione Aeneae consternationem egregie exprimente, qui non tantum res. factas simpliciter enarret, sed arcte cum iis coniungat cogitationes sensusque suos Creusa amissa provocatos, vide quae Kappes. l. l. verissime disputat. Quomodo uxorem amiserit, infra demum v. 777 sqq. Aeneas comperit ab ipsius umbra edoctus. — Peerlkampii coniectura *Heu! misero coniunx fato* (e)*st erepta Creusa. Substitit* etc. (quam probat Dietsch. Theol. Verg. p. 23. et Ladew. prius adeo in contextum recepit), quomodo imprimis cum v. 756. conciliari possit, non perspicio; si enim Aeneas non iam dubitaret Creusam fato (et simpliciter quidem f a t o, non misero aliquo fato) sibi ereptam esse, nonne insanus esset, si nihilominus eam domi quaereret? Quare neque Ribbeckii coniectura *fato mi erepta Creusa,* (quam etiam Ladew. in recentissima edit. amplexus est diserte adnotans *mi* cum *misero* esse coniungendum) probari potest, in qua praeterea valde offendit locus Pronomini tributus, imprimis cum alibi a poëta verba *misero mihi* ubique arcte coniungantur (cf. Ecl. II, 58. 70. Aen. II, 70. X, 849.) — Wund. Indicativos *substitit, erravit, resedit* ex Graecorum more pro Coniunctivis usurpatos censet, cum a verbis *incertum est* pendeant. Sed non opus est, ut ad Graecismum confugiamus, si sumimus, v. 738. et 739. non a voc. *Incertum* pendere, sed per se esse accipiendos, ut absolutam constituant interrogationem, ad quam Aeneas quasi respondeat addito voc. *Incertum*; plane ut etiam nos loquimur: *blieb sie zurück, verirrte sie sich - - ? ich weiss es nicht.* (Non tamen videtur opus esse, ut cum Gossr. et Ladew. post *resedit* signum interrogationis ponamus, quamquam idem suadet Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 111., ceterum nobiscum consentiens. Eadem ratio est locorum VI, 780. VIII, 352. et similium, ubi Romanos ad Graecorum exemplum in oratione indirecta Indicativo usos esse vulgo opinantur. Cf. etiam adnott. ad Ecl. IV, 52. et Geo. I, 56. — Pro *lassa* Med., Minoraug. et alii quidam Codd. exhibent *lapsa*, quod non quadrat ad *resedit* et temere a Burm. probatur. Eadem vocabula iam ad Geo. IV, 449. vidimus confusa. — **740.** Ad *Incertum* aliquot Codd. Burm. addunt *est*, ut VIII, 352., quod fortasse etiam hic addidisset Verg., nisi sequerentur verba *est reddita*. Cf. Wagn. Qu. Virg. XV, 5. p. 549. — **741.** *animum reflexi* paullo insolentius dictum pro: eius recordatus sum; alibi enim *animum reflectere* significat animum flectere, movere, mitigare. (Cf. Aen. X, 632. Cic. Or. I, 12, 53. pr. Sull. 16, 46. cett.) Similis est nostro loco Mamert. grat. act. 14. *Ad Romanam urbem mentem reflexit.* — **742.** *tumulum antiquae Cereris*, collem, in quo antiqua Cereris erat aedes. Vid. sup. v. 713. De omissa Praepos. *ad* vid. adnott. ad Aen. I, 2. et

Venimus: hic demum collectis omnibus una
Defuit et comites natumque virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque deorumque,
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium Anchisenque patrem Teucrosque Penatis
Commendo sociis et curva valle recondo;
Ipse urbem repeto et cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnis omnemque reverti

---

307. — „*Hic demum - - defuit*, h. e. deesse animadverto, *et fefellit*, illam nemini visam esse comperio.“ *Wund.* Wagnero videtur e verbo *defuit* deserendi notio repetenda: *ἔλαθεν ἀπολιποῦσα*, vel potius *μὴ συνεφεπομένη*. — **745**. *amens* addit, sentiens se tunc impium fuisse, deos adeo ad unum omnes incusantem. — *incusare deos hominesque* est formula sollemnis de iis, qui de fortuna sua graviter conqueruntur. Cf. Tac. Hist. II, 47. f. (a Wund. laud.) et Liv. XXX, 20, 7. *deos hominesque accusare. Incusare deos* etiam apud Quinct. Inst. VI. prooem., Curt. VII, 7. et alibi legitur. Cf. etiam de hac dicendi formula Ruhnk. ad Rutil. Lup. 122., cum sententia autem loci Val. Fl. II, 466. *desertaque durae Virgo neci quem non hominum superumque vocabat. Dii hominesque* veteribus dicuntur pro omnibus omnino, nemine excepto, etiamsi de rebus sermo est ad deos vix pertinentibus. Cf. Manut. ad Cic. Fam. I, 9. Duker. ad Florum II, 6, 43. idemque ad Liv. III, 17, 5. Cort. ad Sall. Cat. 15, 4. et de eodem Graecorum usu Hermann. ad Soph. Ai. 239. Ceterum *deorumque* maior pars Codd. cum ipso Med. praebet; quae lectio praeterea confirmatur Servii testimonio et Donati auctoritate ad Ter. Adelph. III, 2, 6. et V, 3, 4. Weichert. tamen in Diss. de Versu hyperm. p. 19. alteram tuetur lectionem *deûmque*, tum, quod nulla hic sit necessitas dividendi extremum vocabulum, tum, quod sententia hoc versu expressa post *deumque* absoluta sit atque, ut mens cogitando, ita vox loquendo subsistere debeat. Sed vere contendere videtur Iahn., Romanos in tali formula nusquam antiquam formam Genitivi *deûm* usurpasse. Alia res est Aen. I, 229., ubi vid. adnott. Wagnero Vergilius h. l. hypermetro usus videtur ad devitandam insuavitatem ex quater repetitis syllabis *umque* nascentem: *natumque virumque - - hominumque deumque;* fortasse etiam commotum Aeneae animum sic melius indicari auctor putabat. Ceterum Iahn. servato hypermetro etiam pro signo interrogandi in fine versus Comma posuit; quem (ut etiam ceteri recentiores editores) secutus sum. — **746**. *crudelius*, quod magis dolerem. Serv. non male adnotat: „Bene se commendat futurus maritus, qui apud feminam sic ostendit priorem se amasse uxorem.“ — **747**. *Teucrus* pro Adiectivo positum legitur etiam ap. Catull. LXII (LXIV), 334. et Ovid. Met. XIV, 72., quos locos Coningt. affert. Imprimis autem cf. Verg. ipse Aen. V, 530. *Trinacrii Teucrique viri.* — **748**. *curva valle*, i. e. cava. Vid. adnott. ad Geo. II, 216., ubi adde Aen. XI, 522. *curvo anfractu valles* et III, 674. *curvis cavernis* (hic a Coningt. coll.). — **749**. Verba *cingor - armis* imprimis ad scutum referenda videntur, quod deposuerat, patrem humeris impositurus. Peerlk. tamen et Ribbeck. (cf. eius Proleg. p. 111.) totum versum spurium censent, et ille quidem et iterato voc. *repeto* (vid. v. 753.) et his ipsis verbis offensus, cum non scuto, sed ense cingamur, quem deposuisse Aeneas non putandus sit (cf. v. 671.), hic autem quod verba *cingor fulgentibus armis* non conveniant Aeneae ad Creusam quaerendam in urbem redituro. Sed nonne sequentibus versibus satis excusantur? Ceterum cf. etiam XI, 188. Ceterum *urbem repeto et cingor armis* dictum pro pedestri *repeto armis cinctus*. Cf. IV, 154. *agmina cervi - - fuga glomerant montesque relinquunt* cum adnott. ad Aen. II, 223. 353. et III, 662 etc. — **750**. *Stat*, certum, decretum est apud me. Vulgo plenius *stat sententia* (Ter. Eun. II, 1, 18. Ovid. Met. I, 243. VIII, 67. Liv. XXI, 29, 5. alibi; et apud Val. Fl. V, 289. *stat pectore fixum*); sed, ut hic, etiam infra XII, 678. apud Nep. Att. 21. *mihi stat alere morbum desinere.* Cic. Fam. IX, 2, 5. *Stat illud, una vivere in studiis.* ad Att.

Per Troiam et rursus caput obiectare periclis.
Principio muros obscuraque limina portae,
Qua gressum extuleram, repeto et vestigia retro
Observata sequor per noctem et lumine lustro.
Horror ubique animo, simul ipsa silentia terrent.
Inde domum, si forte pedem, si forte tulisset,
Me refero. Inruerant Danai et tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento

II, 14. *nos in Asiam convertemus; neque adhuc stabat, quo potissimum.* Cf. etiam Sigonius, Ruhnken. et Bach. ad Livii, Terentii, Ovidii locos laud. Eadem ratione dicitur *sententia sedet* (vid. supra ad v. 669. adnott.), unde etiam explicandum, quod supra legimus Aen. I, 582. *sententia surgit.* — Ceterum verba *Stat casus renovare omnes* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 280., ut seqq. *caput obiectare periclis* ibid. I, 172, 12. et 178, 46. De syncopata autem forma *periclum* vid. supra ad v. 709. — **752.** *„obscura limina portae,* porta per noctem obscuram oculos fallens. Sup. v. 725. *per opaca locorum.“ Heyn.* — **753.** *gressum extuleram.* Cf. supra v. 657. *efferre pedem.* Res ipsa autem enarrata est v. 723 sqq. — **754.** *vestigia retro sequor*, relego (ut infra IX, 393. *vestigia retro Observata legit,* et ap. Claud. B. Get. 529. *relegam vestigia cursu*), *observata per noctem*, quantum per noctem possum observare; *dant* enim *clara incendia lucem,* v. 569. Kappes. tamen II. p. 49. contra me disputans locum simpliciter sic explicat: *„Zurückgehend merke ich mir die Spuren (meines ersten Ganges) und verfolge sie weiter.“* — *lumine*, oculis (vid. ad Geo. III, 433. et Aen. VIII, 153.), *lustro*, circumspicio. Vid. etiam Wakef. ad Lucr. V, 575. — **755.** Pro vulg. *animos* cum Ribbeck., Ladew. et Wagn. in edit. min. ex Med. et Pal., itemque Gud. et Bern. I. a m. pr. nunc recepi lectionem *animo*, scil. *est.* Litera *s* facile adhaerescere potuit ex sequente *simul*. (Cf. adnott. ad Geo. II, 219.) Si *animos* Codd. auctoritate retinendum esset, mallem cum Haeckerm. *Zeitschr.* l. l. versum sic distingui: *Horror ubique, animos simul ipsa silentia terrent*, coll. II, 368. *crudelis ubique Luctus, ubique pavor* et III, 193. *caelum undique et undique pontus.* Peerlk. autem lectionem illam negligens haerensque in Plur. *animos*, qui plerumque de ira, ferocia, superbia dicatur, [non tamen ubique: vid. adnott. ad Aen. I, 722.], praefert Singularem, quem exhibet Schol. Statii Theb. I, 494., et cum Orosius II, 19. hunc locum imitatus scripserit: *horror quatiebat animos, silentia ipsa terrebant,* Vergilium haec edidisse suspicatur: *Horror ubique animum quatit, ipsa silentia terrent.* — Cum his ultimis verbis cf. Tac. Hist. III, 84. *terret solitudo et tacentes loci,* quem Henry (*Tw. years* II. p. 126.) affert una cum Schilleri nostri versu *Es schreckt mich selbst das wesenlose Schweigen* [quem profert Sponsa Messan. primum prodiens et secum loquens.] — **756.** *domum, si forte pedem tulisset, Me refero*, i. e. visurus, experturus, si forte etc.; quod verbum videndi, quaerendi, experiendi ante has Particulas saepe omittitur; v. c. Nep. Hann. 8. *Hannibal cum quinque navibus Africam accessit, si forte Carthaginienses ad bellum inducere posset.* Cic. Fam. III, 9. *Te adeunt fere omnes, si quid velis.* Ceterum cf. adnott. ad Aen. I, 181. et 577. Non adsentior autem Wagnero, haec adnotanti: „Alterum *si forte* Commatis includendum erat; est enim Graecum *εἰ τύχοι*, vid. Muret. Var. Lect. XVI, 9. et Heinrich. ad Cic. de Rep. p. 192.“; eiusmodi enim lusus verborum in uno eodemque versu bis, sed varia significatione positorum, ut omnino a Vergilio, ita hic potissimum ab Aeneae affectione alienus videtur. Equidem iterato *si forte* nihil aliud indicari puto, nisi ardentissimum desiderium rei per se admodum dubiae adeoque improbabilis. Iam Servius recte adnotavit: „iteratione auxit dubitationem.“ Henry l. l. comparat Ovid. Her. XIII, 164. *Sive, quod heu timeo! sive superstes eris.* (Etiam Iahn. Comma, quod Wagnerum secutus ante *tulisset* posuerat, in adnot. subiecta tolli iubet, coll. adnot. sua ad Aen. XII, 856. idemque etiam ceteri recentiores editores recte omiserunt.) — **758.** *Ilicet.* Vid.

Volvitur; exsuperant flammae, furit aestus ad auras.
Procedo et Priami sedes arcemque reviso.
Et iam porticibus vacuis Iunonis asylo
Custodes lecti Phoenix et dirus Ulixes
Praedam adservabant. Huc undique Troïa gaza
Incensis erepta adytis mensaeque deorum
Crateresque auro solidi captivaque vestis
Congeritur. Pueri et pavidae longo ordine matres
Stant circum.

---

supra ad v. 424. — *ignis edax.* Sic adeo *imber edax* apud Hor. Od. III, 30, 3., ubi vid. Orell., *curae edaces* ap. eundem Od. II, 11, 18. etc. Verba *Ilicet ignis edax* repetuntur in Anth. Lat. I, 146, 13. — **759**. *aestus.* Vid. supra ad v. 706. — *ad auras.* Cf. adnott. ad Ecl. I, 56. — **760—766**. „A domo sua, quam expilatam et incensam ardere videt, ad arcem et regiam tendit; hic vero praedam et captivos ab Achivis asservari videt; Creusa nec ibi reperta discedit.“ *Heyn.* — *Et iam,* καὶ τότε δή. Vid. supra v. 726. — *Porticibus vacuis.* Cf. sup. v. 528. — *Iunonis asylo,* pro templo, quod in arce fuit. Vid. sup. ad v. 567. Iuno Graecis favebat, quare non mirum, praedam ab iis in eius templo asservari, quod Vergilius in arce collocat fortasse cogitans de Iunonis templo in Capitolio Romano. Pleraque autem templa pro asylis habita esse constat. — **762**. *Custodes lecti* hinc petiti etiam in Anth. Lat. I, 170, 114. — *Phoenix,* Amyntoris, Dolopum regis, filius, qui stupri cum Clytia, patris pellice, facti falso accusatus ab illo oculis privatus, sed a Peleo, ad quem confugerat, Chironi Centauro traditus est, qui visum ei restituit; quo facto Achillem, quem armorum usum docuerat, in bellum Troianum comitatus est, in quo quartae Myrmidonum legioni praefuit; sed Troia rediens mortuus est in Thracia. Cf. Hom. Il. IX, 432 sqq. XVI, 196. Lycophr. 417 sqq. Hygin. f. 173. Paus. X, 26. Strab. XI. p. 428. Commemoratur etiam ab Ovidio Met. VIII, 307. Her. III, 129. A. A. I, 337. Prop. II, 1, 62. aliisque poëtis Latinis. — **763**. *Troïa gaza*: vid. ad Aen. I, 119. Med. hic et V, 40. scribit *gazza*, ut etiam in nomine *Mezentii* literam *z* geminat (vid. ad VII, 648.); sed vituperat hanc scripturam Scaurus p. 2257. et supra I, 119. etiam Med. recte *gaza* exhibet. Ceterum cf. de hac re praeter Wagn. ad h. l. et Schneid. Gramm. I, 1. p. 375 sq. etiam Mus. Rhen. XII. p. 419 sqq. et Ribbeck. Proleg. p. 453. — *mensae deorum* etiam tripodes in se complecti videntur, quamquam mensam in templo Iunonis Olympiae positam commemorat Paus. V, 20. a Wagn. laud., qui etiam Servium ad Aen. VIII, 279. conferri iubet. Praeterea de his mensis anclabribus (quae Festo p. 77, 11. M. dicuntur) vide Macrob. Sat. III, 11, 5. Cicero N. D. III, 34, 84. Verr. IV, 59. in. de Har. resp. 27, 57. Plin. XXV, 9, 59. Petron. c. 135. alios — **765**. *Crateres* (vid. ad Ecl. V, 68.) *auro solidi* pro: ex solido auro, ut Geo. III, 26. *ex auro solidoque elephanto.* De Ablativo materiae vid. sup. ad Aen. I, 655. — *captiva vestis,* ut VII, 184. *captivus currus,* XI, 779. *captivum aurum,* Hor. Epist. II, 1, 193. *captivum ebur,* Caes. B. C. II, 5. *captivae naves,* Liv. I, 53, 3. et Curt. V, 20. *captiva pecunia,* Ovid. Am. I, 14, 45. *captivi crines* cett. Cf. Drak. ad Liv. VI, 22, 4. Sic etiam Graeci utuntur voc. αἰχμάλωτος. Vid. Xen. Anab. III, 3, 19. ἵππος αἰχμ. IV, 7, 25. γέῤῥα αἰχμ. Lucian. Char. c. 12. χρυσὸς αἰχμ. etc. — *vestes* autem de stragulis et tapetis intellige. — **766**. „*pueri et matres* captivae, quas Graeci abducturi erant. Expressum miserabile hoc captivorum agmen in Tab. Iliaca n. 111., et in Polygnoti pictura ap. Pausan. X, 25. 26.: cf. inf. III, 323. Ovid. Met. XIII, 412 sqq.“ *Heyn.* Conington conferri iubet Aesch. Agam. 326 sqq. — *longo ordine,* ut I, 701. VI, 754. de magna multitudine. Cf. Schilleri nostri *Und in langen Reihen klagend sass der Trojerinnen Schaar.* — V. **767**. vario modo in singulis quibusdam Codd. expletur; (de qua re vid. adnott. ad 1, 534.). Peerlk. verissime adnotat: „Verba tristem rerum faciem ita ante oculos ponunt, ut additamento tacitus et mutus ille moeror minui, non augeri possit.

Ausus quin etiam voces iactare per umbram
Inplevi clamore vias maestusque Creusam
Nequiquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
Quaerenti et tectis urbis sine fine furenti
Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae
Visa mihi ante oculos et nota maior imago.

Sensit hoc excellens poëta." Hinc etiam hic versus imperfectus iteratur in Anth. Lat. III, 81, 39. Cf. etiam Scaligeri Poët. III, 11. verissimum de hoc loco miserabili animosque perfringente iudicium a Conington adscriptum. — **768.** *voces iactare.* Cf. Ecl. V, 62. II, 5. et Aen. I. 102. — *per umbram.* Codd. quidam *per umbras;* sed ubi umbra idem est quod nox, nocturnae tenebrae, Vergilius Singulari uti solet. Cf. adnott. ad Ecl. VIII, 14. et Wagn. Qu. Virg. IX. p. 413. Heins. temere coni. *per urbem.* — **770.** *ingeminans.* Vid. ad I, 747. — **771.** Quae sequitur narratio necessaria erat, ut Aeneas, novum matrimonium cum Lavinia iniens, omni culpa vacaret; sed tamen negari nequit, hoc Creusae oraculum, quod ipse poëta in sequentibus non curat, contradicere quodammodo iis, quae libro III. leguntur, ubi v. 7. Troiani etiamnum incerti sunt, quo fata ipsos ferant, et Thracia relicta Apollinem de hac se consulturi Delum petunt (69 sqq.), tum eius oraculo male intellecto in Creta considunt et tandem (147 sqq.) a Penatibus edocentur, Italiam sibi esse sedem futuram. Quare hic locus fortasse inter eos referendus, quos correxisset Vergilius, si hoc carmen prorsus absolvere ei licuisset. (Cf. etiam Conrads p. VII. et Ribbeck. Proleg. p. 69., qui hunc librum post tertium scriptum neque ab auctore absolutum esse suspicatur, qui morte impeditus fuerit, quominus horum omnium concentum efficeret.) Non tamen prorsus adsentior Gossravio ad v. 789. contendenti, potuisse quidem Creusam locum, ubi alterum matrimonium Aeneam exspectet, tecte significare, sed non debuisse tam certum indicare, ut omnis viae error tolleretur. Quid enim facit Creusa? *terram Hesperiam* nominat, i. e. terram aliquam occidentalem (cf. Niebuhr. *Röm. Gesch.* I. p. 24.), non *Italiam* (quod probe tenendum; Italiae enim nomen situmque Troianis tam incognitum fuisse, a Romanis suis vix postulasset poëta, ut crederent) et *Lydium Thybrim;* Tiberis autem nomen, fluminis non admodum magni et ante Romam conditam fere incogniti, Troianis ignotum fuisse, non est mirum. Quare etiam post Creusae vaticinium Aeneas incertus esse potuit, ubi Hesperiam et Thybrim quaereret. Penatium enim vaticinium, quo de Italia docetur, Aeneas ordinem temporis servans hic nondum potest respicere, quare etiam Ilionei verba I, 530 sqq. mihi opponi non possunt. — *tectis urbis*, intra urbis moenia, per plateas et aedificia. — *sine fine*, i. e. diutissime, indefessum investigandi studium indicat. Vid. Aen. I, 279. Ovid. Met. II, 387. 502. IV, 334. XII, 316. etc. — *furenti. Furere* interdum i. q. furibundum vagari. Vid. infra IV, 42. Ribbeck. ex Pal., Gud. a m. pr. et Bern. III. recepit lectionem satis languidam *ruenti.* — **772.** *simulacrum*, εἴδωλον. Vid. ad Geo. I, 477. et IV, 472. — *Infelix simulacrum* (quae verba repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 391.) i. e. infeliciter amissae Creusae, nam Creusa ipsa, in Cybeles tutela versans (v. 788.) adeoque in ipsorum deorum coetum recepta (vid. adnott. ad v. 788.), infelix dici non potest. Heroinam autem factam esse Aeneae coniugem, etiam apparere videtur ex verbis *et nota* (i. e. pristina s. solita: cf. I, 684. VI, 689.) *maior imago.* Ut enim dii non solum pulchritudine, sed etiam magnitudine et proceritate corporis homines longe superare veteres finxerunt, sic etiam heroes, s. homines in deorum numerum recepti, interdumque adeo Manes hominibus maiores et celsiores apparent, qua de re cf. Ovid. Met. IX, 258. vid. Fast. II, 503. Iuven. XIII, 221. Lips. ad Tac. Ann. XI, 21. et Burm. ad Anthol. Lat. II, 36, 3. Ceterum de hac Creusae sorte vid. Heynii Excurs. XIV. ad h. l. e Pausan. X, 26. Heyn. porro adnotat, hunc locum imitatione expressisse Val. Fl. IV, 18 sqq. Peerlk. comparat Claud. VI. Cons. Hon. 530. *nota maior se Roma videndam obtulit.* Adde Anth. Lat. IV, 13, 12. *maior erat nota corporis effigie* et VI, 84, 33. (in centone Verg.) *et nota maior imago.* — **774.** sqq.

Obstipui steteruntque comae et vox faucibus haesit.
Tum sic adfari et curas his demere dictis:
„Quid tantum insano iuvat indulgere dolori,
O dulcis coniunx? non haec sine numine divom
Eveniunt; nec te comitem portare Creusam

Ex Iliad. XXIV, 358—360. — V. 774. iteratur infra III, 48. et ex parte etiam IV, 280. — *steterunt comae.* Cf. Ovid. Met. VII, 630. *Pavida mihi membra timore Horruerant, stabantque comae.* Vid. etiam adnott. ad Ecl. VII, 53. De correptione terminationis -*ĕrunt* diximus ad Ecl. IV, 61. et Geo. IV, 393. — V. 775. redit infra III, 153. et VIII, 35., ubi vid. adnott. Ribbeck. eum eiecit (cf. eius Proleg. p. 65. 153. 189.), cum Servius adnotet: „Hic versus dicitur in plerisque non fuisse," ceteri autem recentiores editores adeoque Peerlk. eum retinuerunt. Wilms. Progr. laud. p. 10. fortasse verba modo *Tum sic adfari* genuina, cetera vero ex illis locis huc translata suspicatur. — „*adfari*: repete *visa est*, ut loco simillimo III, 148—153." Haec *Wund.;* cui recte adversatur Wagn. Qu. Virg. XXX, 1., qui docet, praegressum *videri* in utroque loco (*visa mihi* et *visi*) non valere δοκεῖν, sed ὀφθῆναι, *adfari* autem et *demere* esse Infinitivos absolutos, quibus hic „nescit quid molle et ad deliniendos animos compositum" insit. — 776. *insano dolori*, ut supra v. 343. *insano incensus amore.* Insanus autem est dolor, quia haec *non sine numine divôm* (v. 777.) eveniunt. Palat. aliique Codd. (etiam Minoraug. et Bern. II. itemque Arus. Mess. p. 234. L.) *labori;* quam lectionem commendat Wakef. ad Lucr. III, 447. Vid. etiam Cort. ad Lucan. II, 137. Sed iam Heins. vidit, esse hoc e VI, 135. repetitum; et verissime docet Wagn., ut illi loco *labori* conveniat, sic huic *dolori*, cum, quae addat Creusa: *non haec sine numine divom Eveniunt*, de dolore Aeneae, non de labore eam loqui clara ostendant. Burm. etiam comparat Albinov. in Drusum v. 417. *Tu tamen ausa fores tanto indulgere dolori.* — 777. *O dulcis coniunx*, ut iam Geo. IV, 465. atque etiam in Anth. Lat. I, 172, 118. 125. — *non haec sine n. d. Eveniunt.* Heyn. confert Hom. Il. V, 185. *Οὐχ δγ' ἄνευθε θεοῦ τάδε μαίνεται.* Adde Odyss. VI, 240. *οὐ πάντων ἀέκητι θεῶν.* Verba *sine numine divom*, quae redeunt V, 56. VI, 368. al. et significant: non iubentibus s. invitis diis, Dietsch. Theol. Verg. p. 4. proprie sic capienda esse docet: sine diis, quorum est numen s. summum rerum imperium. Cf. adnott. ad Aen. I, 8. Totus autem v. 777. iteratur in Auson. cent. nupt. 89. et in Anth. Lat. I, 178, 195. — 778. *Nec te comitem portare.* Mire hic libri variant. Med. enim cum aliis *nec te com. hinc portare*, Hamb. II. *nec te hinc com. port.*, duo Morett. *nec te com. port.*, Parrhas. *nec te com. asportare*, Lips. II. cum aliis *nec te com. asportare*, Pal., Gud. a m. pr., Bern. I. et III. (in quo *portare* in *asportare* corr.) et Minoraug. *nec te comitem hinc asportare.* (unde etiam in Anth. Lat. I, 178, 243. legimus *possem hinc comitem asportare Creusam*) Mentel. II. aliique (quos Heyn. secutus est, etiam Ribbeckii Bern. II.) *nec te hinc com. asportare.* Sed hanc ultimam lectionem 'vix dubitari potest quin Servius invexerit, apud quem haec legimus: „Hic versus caret scansione, unde multi ei *hinc*, multi *as* syllabam detrahunt. Si tamen vis fide servata scandere, fiat conversio, ut: *eveniunt, nec te hinc comitem asportare*, et potest scandi per synaloepham" (vid. Wagn. Qu. Virg. XVI, 5.), et profecto vox mere prosaica *asportare* ab h. l. aliena. Praeterea varia Particulae *hinc* sedes in Codd. indicare videtur, eam ab aliena manu huc illatam esse. Quare non dubitavimus cum Wagn. (quem etiam Süpfl., Gossr. et Haupt. secuti sunt) restituere duorum Moret. lectionem *te comitem portare.* Simplex enim voc. *portandi* alii per compositum *asportare*, alii addito Adverbio (*hinc portare*) explicare voluisse putandi sunt. Paldamus vero et Ladew. ex Med. ediderunt *nec te com. hinc portare*, Ribbeck., Bryce (qui tamen *hinc* uncis inclusit) et Conington *nec te hinc com. asportare*, et hic quidem comparat Ter. Phorm. III, 3, 18. *Quoquo hinc asportabitur terrarum, certumst persequi.* — 779. *Fas*, fatum, ut VI, 438. Ceterum

Fas aut ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exsilia et vastum maris aequor arandum.
Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virum leni fluit agmine Thybris:

---

ad *Fas* non supplendum verbum *est*, sed iungendum *Fas sinit*, ut loco modo laud. *Fas obstat*, (cf. Geo. I, 269. *fas et iura sinunt*) et negatio ad totam sententiam pertinet. Cf. infra v. 785. et adnott. ad III, 43. Quare vulgo male Semicolo post *Fas* distinguitur; nos, paucissimis distinguendi signis contenti, nunc vel Comma omisimus. — *ille* alibi etiam cum singulari reverentia Iovis nomini adiicitur. Vid. VII, 110. 558. X, 875. — *superi regnator Olympi* redit VII, 558. et in Anth. Lat. I, 14, 7. Cf. etiam IV, 269. et supra v. 557. Iuppiter autem est moderator et interpres fati. Cf. adnott. ad Aen. I, 258. Memor huius loci fuit Auson. Mos. 77., cum scriberet: *sed neque tot species - - Edere fas, haud ille sinit, cui cura secundae sortis.* — 780—784. „*exsilia* pro *exsilium*, et hoc pulchre pro longo itinere vel errore, adiuncta notione, quod extra patriam fit, et ex *arandum* adsumendum verbum latius *obeunda*, ut iam Serv." *Heyn. Exsilia* numero plurali legitur etiam infra III, 4. Sil. III, 567. Val. Fl. III, 350. V, 686. Claud. B. Gild. 199. Sen. Herc. fur. 93. Ovid. Met. XV, 515. ex Pont. II, 5. 8. 9, 60 etc. Stat. Theb. XI, 377. *exsilia erroresque* coniungit. De zeugmate autem vid. adnott. ad Geo. I, 93. Aen. I, 426. II, 258. al. — *vastum maris aequor*, ut Aen. XII, 745. *vasta palus*. Lucr. V, 203. *vastae paludes* cett. — *arandum*, quia navis sulcum facit in mari. Cf. infra III, 495. Ovid. Trist. I, 2, 76. *Latum mutandis mercibus aequor aro*. Senec. Epist. 114. *Vide, ut alveum lintribus arent* cett. Heins. ad Ovid. Am. II, 10, 33. et adnott. ad Geo. I, 50. Sic etiam *sulcare* Aen. V, 158. X, 197. et alibi. Ut nos, etiam Ladew. et Wagn. post *arandum* Puncto distinxerunt; Ribbeck. Colon, Conington Comma posuit. Ceterum Conington suspicatur, Vergilium hic memorem fuisse Aesch. Suppl. 1006. — 781. Sequitur novum Creusae vaticinium de sedibus in Italia ad Thybridis ripas quaerendis, de quo quid iudicandum sit, iam supr. ad v. 771. vidimus. Cf. autem Ennius (Ann. I. fr. 21. p. 7. Vahl.) ap. Macrob. Sat. VI, 1. p. 499. Ian. *Est locus, Hesperiam quam mortales perhibebant*, cui Vahlen. adiungit aliud eiusdem fragm. ap. Varr. L. L. VII, 28. M. *Quam prisci, casci populi tenuere Latini.* — *Et terram venies* Heins. restituit ex optimis Codd., temere adiiciens coniecturam *Ut - - venies*. Vulgo *Ad t. H. venies*, quod etiam Serv. ad Aen. III, 5. agnoscit. Sed bene se habet simplex Copula, quae haud raro enuntiatis tempus aliquod significantibus ita praeponitur, ut lectoris animum attentum reddat ad ea, quae eo tempore vel evenerunt, vel eventura sunt. Vid. Aen. II, 801. (ibique adnott. ad v. 803.) III, 356. II, 708. V, 721 sqq. X, 256., qui loci omnes Wagnero auctore (Qu. Virg. XXXV, 8.) per Coniunctiones in formam protasis cum apodosi possunt redigi. Hic enim v. 783. 84. continent apodosin: Cum veneris - - Illic tibi parta videbis etc. Quare Wagn. rectissime Punctum vulgo post *Thybris* positum in Colon mutavit. De omissa autem Particula *in* vid. supra ad v. 742. — „*Lydius Thybris* pro Etruscus. [ut XI, 316. *Tuscus amnis*] ex vetere opinione originis Etruscorum a Lydis ductae. Vid. Exc. III ad l. VIII." *Heyn.* Cf. Aen. VIII, 479. 498. IX, 11, X, 155. Tac. Aen. IV, 55. Plin. H. N. III, 5, 8. et Heindorf. ad Hor. Sat. I, 6, 1. Sic ap. Stat. Silv. VI, 4, 6. *Lydia ripa* est Tiberis ripa dextra, qua fluvius Etruscorum agros alluit; ap. Sil. IX, 11. Trasimenus lacus vocatur *Lydia stagna*, et ap. Catull. XXXI, 13. Benaci lacus *undae Lydiae* commemorantur, quia ex vulgari veterum opinione Raeti vicini ab Etruscis, hi autem a Lydis originem repetebant. De antiquiore autem et poëtis adamata nominis forma *Thybris* (cf. infra VII, 715. VIII, 64. 86. 330. Ovid. Met. II, 259. XIV, 427. 448. Lucan. II, 421. VI, 76. Gratius Cyneg. 3. cett.) vid. Schneid. Gramm. Lat. II, 1. p. 169 sq. — *arva virum* ad exemplum Graeci ἔργα ἀνδρῶν s. ἀνθρώπων, i. e. culta hominum gnavorum industria. Burm. minus probabiliter coniungit *opima virum;* contra quem recte disputat Henry *Tw. years* II. p. 127. et Philol. XI. p. 624., *opimus* nusquam cum Genitivo construi contendens et comparans

'es laetae regnumque et regia coniunx
tibi: lacrimas dilectae pelle Creusae.
;go Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
iam aut Grais servitum matribus ibo,
mis et divae Veneris nurus;
ne magna deum genetrix his detinet oris.
ıe vale et nati serva communis amorem."
ubi dicta dedit, lacrimantem et multa volentem
e deseruit tenuisque recessit in auras.

:, 141. *ubi pinguia culta Exercentque viri.* Mihi praeterea longe videtur, ut Creusa Troianis exsulibus novas sedes in fertili, quam ndante iam hominibus terra promittat. Nihilominus Haeckerm. in *r.* etc. XIX. p. 112. redit ad Burmanni rationem, comparans Ho- l. I, 155., Hymn. Apoll. 363. Ven. 266.) *χθονὰ βωτιανείρην*, Livii Galliam *fertilem hominum* et Silii I, 218. Africam *altricem bellatorum n*, coll. Aen. VII, 644. *quibus Itala iam tum Floruerit terra alma* — *opima* igitur *arva*, quod loco modo laud. et Aen. VIII, 63. ı *culta*. Vid. supra ad Aen. I, 621. Significat igitur, Aeneam non ertam aliquam terram, sed in regiones hominum industria bene venturum esse. — *leni fluit agmine.* „Supra Geo. I, 322. *agmen m* dixerat [ubi vid. adnott.]; at h. l. absolute Ennii exemplo Annal. 7. p. 64. Hessel s. p. 29. Vahl.] *Quod per amoenam urbem leni ymine flumen* apud Macrob. VI, 4. Adde Lucret. V. 272. [et VI, *de super terras fluit agmine dulci*] et nostri imitatorem Stat. Theb. [*ruit agmine facto Inachus*; ubi cf. Barth.]" *Heyn.* Cf. etiam Avien. terr. 572. 756. 876. 1072. 1293. *Agmen* igitur non semper de im- quarum dici (ut Geo. I, 322. et al.), et hic locus cum aliis modo moratis probat, et exempla a Burm. ad Val. Fl. V, 721. prolata, laudat Peerlk. — **783.** *res laetae.* Med. et Colot. (qui unius libri sunt) *res Italae*, quod Wagn. repetitum putat ex VIII, 626. *Illic lae. Res laetas* etiam dixerunt Ovid. Trist. IV, 14, 32. et ex Pont. 15. Sil. XI, 23. et Lucan. I, 80., ubi vid. Burm. — *parta tibi*, estinata. Cf. III, 495. VI, 89. VII, 598. — *lacrimas Creusae* · Creusam effusas. Cf. I, 462. ibique adnott. — „*dilectae*. Habes mium ipsius uxoris, se ab Aenea esse amatam; ut v. 777. suum a prodidit." *Gossr.* — **785—789.** „Praeclari versus; metuendum autem , ne illa in hostium manus incidisset et captiva abduceretur. Cf. l sq. [Thiel. hac de re conferri iubet Achillis sermonem ap. Hom. Il. VI, 51.] — *sedes superbas*, regiam superborum dominorum, et quidem im Neoptolemi." *Heyn.* Vid. supra v. 7. De Particulis *ve - - aut* spondentibus cf. adnott. ad Aen. I, 370. et de *non - - aut* ad III, **786.** *matribus*, matronis. (Cf. V, 622. 646. 654. VI, 306. VII, I, 478.) Videtur hunc locum respicere Silius II, 751. *at nos Sidoniis tum matribus actas Carthago adspiciat victrix.* — Versum **787.** quidam ap. Serv. sic supplent: *et tua coniunx.* — **788.** „Magna mater, Cybele. Ingeniose indicat Creusam a Cybele in consortium ssumptam et Nympham in solo patrio factam." *Heyn.* Igitur *me t his oris*, ut sim una ex eius comitibus (?), quamquam alias m de femineo Cybeles comitatu sermo est, ut, quomodo haec verba enda sint, incertum maneat. Cf. autem Paus. X, 26, 1. *ἐπὶ τῇ δὲ ιῃ λέγουσιν, ὡς ἡ θεῶν μήτηρ καὶ Ἀφροδίτη δουλείας ὑπὸ Ἑλλήνων ἐρρύσατο.* Ceterum etiam alibi Cybele, quam in illis regionibus, is in Ida monte cultam fuisse constat (cf. Aen. III, 111. IX, , 252. et adnott. ad IX, 112.) Aeneadum genti propitia apparet. ra IX, 77 sq. — **789.** „Plenus affectus versus. Compara praeclarum Propertii IV. extr. 73. 74. [*Nunc tibi commendo communia pignora*, tc.] et Eurip. Alcest. 378." *Heyn.* — **790.** Verba *lacrimantem et multa m Dicere deseruit* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 274 sq. Cf. etiam V, 390. VII, 449. et Geo. IV, 501. — **791.** De numinibus et spectris

Ter conatus ibi collo dare bracchia circum;
Ter frustra conprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis volucrique simillima somno.
Sic demum socios consumpta nocte reviso.
Atque hic ingentem comitum adfluxisse novorum
Invenio admirans numerum, matresque virosque,
Collectam exsilio pubem, miserabile volgus.
Undique convenere animis opibusque parati,

---

ei, cum quo collocuta sunt, celeriter evanescentibus Thiel. nos adire iubet Ennium ap. Cic. Div. I, 20, 41. [Annal. I. fr. 34. s. v. 48 sqq. p. 10. Vahl.] Ovid. Met. X, 56—63. (ibique Gierig.) Hom. Il. XXI, 99. Od. XI, 206. infra Aen. V, 740. Iacobs. *Blumenlese* II. p. 458. Heyn. et Voss. ad Geo. IV, 499. Imprimis cf. infra IV, 278. — **792—794**. „Idem versus redeunt infra VI, 700—702., ducti ex Hom. Od. XI, 206—208.; unde petierunt etiam alii. Cf. sup. Geo. IV, 500.“ *Heyn.* Müller de re metr. poët. Lat. p. 370 sq. hic eos vult deletos, cui recte adversatur Ribbeck. in (Fleckeis.) Annal. phil. LXXXV. p. 385., non temere quaerens, quomodo sic intelligi possint verba *Sic demum?* neque opus esse contendens, ut umbram Creusae evolantem e conspectu cogitemus, quae potius sensim dilabi et evanescere possit. Praeterea nemo non videt, quam apte v. 794. respondeat versui 791. Imitatus est hunc locum Silius XIII, 648 sq. *His alacer colla amplexu materna petebat: Umbraque ter frustra per inane petita fefellit.* Iteratum *Ter* pro *aliquoties* imprimis usurpatur, ubi sermo est de actionibus frustratis et cum dolore saepius repetitis. Cf. infra IV, 690 sq. VI, 700. VIII, 230 sq. X, 685 sq. XI, 188 sq. Burm. ad Val. Fl. VII, 118. Ruhnken. Ep. crit. II. p. 254. Bach. ad Ovid. Met. II, 270 sqq. et XI, 419. Thiel. ad Aen. VIII, 230. Praeterea vid. Geo. I, 281. Aen. I, 16. III, 421. III, 566. IX, 587. cett. — *ibi* de tempore, pro *tum*. Vid. Drak. ad Liv. VII, 24, 4. Duker. ad eiusd. II, 35, 1. Cort. ad Plin. Epist. I, 5, 5. et Hand. Tursell. III. p. 165 sq. — Ceterum hic locus in Anth. Lat. I, 146, 15. sic repetitur: *collo dare bracchia circum Ter conatus erat.* — **794**. „*somno* vel proprie, quatenus is celeriter diffluit, aufugit, vel pro somnio — ὀνείρῳ — dictum. Macrob. Sat. V, 5. *fumo*, ut alibi: inf. V, 740. Geo. IV, 499.“ *Heyn.* Hoc Wakef. recepit, coll. Manilio I, 822. Sed omnes Codd. et hic et VI, 702. consentiunt in voc. *somno*, quod ex Homeri imitatione ortum, et cui etiam epitheton *volucris* multo magis convenit, quam *fumo*. Somnus enim deus alatus fingitur. Cf. Broukh. ad Tibull. II, 1, 89., a Burm. laud. Iahn. comparat Apollon. IV, 877. *αὐτὴ δὲ πνοιῇ ἰκέλη δέμας, ἠΰτ' ὄνειρος, Βῆ ῥ' ἴμεν.* Med. Pierii hunc versum sic scriptum exhibet: *Par levibus pennis volucrique simillima vento.* — Vss. **796** sqq. Servius fluxisse dicit ex simili Naevii (bell. Pun. I.) loco de Aeneae fuga; ubi praeter alia legantur verba *Invenio admirans numerum - - Multi alii e Troia strenui viri - - animis parati - - opibus instructi.* Conington autem adnotat, idem spectaculum describi in fragm. Soph. Laocoontis (fr. 343.) — *Collectam exsilio*, ad fugam. Heins. praetulit Donati lectionem *Collectam ex Ilio*; sed vulgatam scripturam comprobat imitatio Siliana X, 420. *Dux erat exsilio collectis Marte Metellus.* (Ceterum Donatus haud dubie ponuntiari voluit *ex Iljo*, ut Servius eum contra metrum peccasse falso accuset, ac si primam nominis syllabam corripi voluerit.) — *pubem* Wagn. recte refert ad praegressum *viros*, ut sit fere i. q. *populus;* coll. infra VII, 219. *Iove Dardana pubes Gaudet avo* et Becker Eleg. Rom. p. 209. Peerlk., qui haec arctius coniuncta censet, quam ut separari possint, praeter necessitatem coni. *turbam.* — **799**. „*parati opibus*, qui opibus hic [ad naves faciendas, instruendas, et sic porro] instructi, quibus opes praesto sunt ad aliquid agendum: *parati animis*, quibus est voluntas ad rem moliendam. Ex sequentibus assumendum *deduci*.“ *Wund.* Simili ratione *arma et animos* Geo. III, 182. Aen. XII, 788. Stat. Theb. VII, 727. Vell. Pat. II, 119., *vires* autem *et animos* supra v. 617. coniungi Burm. docet, qui etiam comparat Statianam huius loci imitationem Silv. III, 1,

In quascumque velim pelago deducere terras.
Iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae
Ducebatque diem Danaique obsessa tenebant
Limina portarum nec spes opis ulla dabatur:
Cessi et sublato montis genitore petivi.

---

167. *Macte animis opibusque.* Praeterea cf. Hor. Od. IV, 4, 60. *per caedes - - ducit opes animumque ferro* et Caes. B. Gall. VII, 76. *omnesque et animo et opibus in id bellum incumberent.* — **800.** *deducere* verbum proprium esse de coloniis ideoque hic de Aenea novam civitatem condituro aptissime dici memorat Servius. — **801.** „Ut poëtae rem fingunt, sidera de montibus proximis oriuntur et pone montes occidunt; res ab oculorum sensu petita. *Ida* autem mons Troiae imminens. *Lucifer*, Veneris stella, accommodate.“ *Heyn.* Vid. adnott. ad Ecl. VI, 86. et VIII, 30. — **802.** *Ducebat diem*: vid. Ecl. VIII, 17. Cf. etiam Tibull. I, 6, 62. *Dum rota Luciferi provocet orta diem.* Ceterum omnes Vergilii locos de prima luce agentes sedulo collegit Deichmann. in Progr. Gymn. Hersfeld. 1844. p. 44 sqq. — **803.** „*Limina portarum*, portas. — *spes opis*, auxilii patriae ferendi, ut Serv., aut simpliciter salutis. Igitur discessi.“ *Heyn.* Rectissime Wagn. in fine versus Colon posuit pro Puncto; nam v. 804. apodosin continet ad v. 801—803. (Vid. supra ad v. 781.) Quam rationem iure probat Weickert. p. 13 sq. coll. Zumptio §. 580. Cf. etiam adnott. ad II, 172. — **804.** *Cessi*, absolute, ut ap. Ovid. Am. I, 2, 9. *Cedimus? an subitum laetando accendimus ignem?* Alibi plenius *fortunae, tempori*, i. e. necessitati, *cedere;* de qua dicendi formula Thiel. conferri iubet Cortii Exc. IV. ad Sall. Cat. p. 400. eundem ad Lucan. I, 161. Matth. ad Cic. Mil. 1, 2. et 21, 63. Beier. ad Cic. Off. I, 23, 81. Recte Voss. convertit: *Weichend dem Loos'.* — „*montem*, int. Idaei iugi partem, quae ad Antandrum ferebat. Cf. IX, 80.“ *Heyn.* Mediceus autem cum aliis libris (IV Pariss., alt. Lips., porro Bern. I. a m. pr. et Bern. II. a m. sec., qui *em* et *is* in ras. exhibent) praebet Pluralem *montes s. montis*, quem, coll. supra v. 636. et Aen. III, 6., praeferendum censet Wund., eumque recentiores editores omnes praeter Bryceum iure secuti sunt. Quomodo enim h. l. post *Idam* commemoratam Pluralis *montes* ex Singulari *montem* oriri potuerit, non apparet, contra vero ea ipsa de causa Pluralis facile in Singularem mutari potuit. Praeterea cf. etiam supra v. 636. *quem tollere in altos Optabam primum montis*, qui locus receptam lectionem unice veram esse docet.

P. VERGILI MARONIS

A E N E I S.

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Eversa Troia Aeneas collectis suorum reliquiis parataque apud Antandrum viginti navium classe novam patriam quaerens primum considit in Thracia (1—18.). Hic novae urbis fundamenta iaciens proterretur diris prodigiis per Polydorum a Polymnestore occisum oblatis (19—72.) et ad Delum insulam defertur, ubi ab Anio rege, vetere Anchisae amico, benigne excipitur (73—83.). Sed consulto ibi Apollinis oraculo antiquam matrem, i. e. gentis suae incunabula, repetere iussus falsaque Anchisae patris interpretatione oraculi adductus in Cretam contendit (84—131.). Verum cum ibi, positis iam moenibus, gravissima peste et fame vexaretur, in somnis monitus a diis Penatibus relicta Creta Italiam coepit petere (132—191.). In hac autem navigatione subito exorta tempestate primum ad Strophadas insulas appulsus ab Harpyiis infestatur et accepto ab uno earum horrendo vaticinio rursus in altum evehitur (192—269.). Mox Actium delatus in honorem Apollinis sollemnes ludos instituit (270—288.). Inde Corcyram praetervectus venit in Epirum, ubi ab Heleno, Priami filio, qui Neoptolemum captivus eo secutus post eius mortem Andromacha, prius Hectoris, post illius uxore, in matrimonium ducta illo tempore ibi regnabat, hospitio excipitur (289—355.); qui vates eum edocet, Italiam esse sedem Troianis a fato destinatam, imminentium terra marique periculorum certiorem facit et quae vel vitare vel facere debeat praecipiens magnis muneribus donatum dimittit (356—505.). Viae ignarus Aeneas relicta Epiro Tarentum Italiaeque oram praetervectus venit ad eam Siciliae partem, quae Aetnae monti vicina a Cyclopibus incolitur, et noctem horroris plenam transigit (506—587.). Proximo mane Achemenidem ab Ulysse in Cyclopis antro relictum supplicem recipit, edoctusque ab eo de Cyclopum imprimisque Polyphemi feritate conspecto ipso Polyphemo auditoque eius Cyclopes convocantis clamore ancoras solvit (588—683.) memorque praeceptorum Heleni vitatis Charybdis et Scyllae periculis Siciliae litora longo circuitu circumvectus tandem Drepanum advehitur, ubi Anchises senex longae navigationis iactatione confectus diem supremum obit (684—713.). Inde Italiam petens immissa ab Aeolo subita tempestate in Africam aufertur. His finitur Aeneae narratio, quam Dido audire optaverat (714—718.).

**Postquam res Asiae Priamique evertere gentem
Inmeritam visum superis, ceciditque superbum
Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia,
Diversa exsilia et desertas quaerere terras**

De rebus hoc libro, qui ob rerum varietatem et doctrinae copiam ceteris facile praestet, narratis Heyn. imprimis Cluverii Sicil. ant. p. 252. sqq. conferri iubet. 1. *res Asiae*, τὰ τῆς Ἀσίας, regnum Asiae. Sic VIII, 471. *res Troiae*, ibid. v. 626. et Hor. Ep. II, 1, 2. *res Italae*, Iustin. VIII, 6, 3. *res Macedoniae*, Liv. I, 3. *res Latina*, Liv. I, 28. extr. et alibi saepe *res Romana* cett. Serv. non male: „universus status Asiae.“ Vid. supra ad II, 556. De hoc libri III. initio cf. Anth. Lat. II, 193, 17. *Postquam res Asiae deceptaque Pergama dixit* et II, 194, 13. *Postquam res Asiae disiectaque moenia Troiae.* — *evertere gentem*, quia etiam dicitur *condere gentem*. Vid. ad Aen. I, 33. — 2. *inmeritam*, innocentem, quae talia non meruit. Cf. Hor. Od. III, 2, 21. *Virtus recludens immeritis mori Caelum*. id. III, 6, 1. *Delicta maiorum immeritus luces*. Ovid. Trist. II, 274. *Protegit haec* (facundia) *sontes*, *immeritosque premit*. Stat. Silv. IV, 6, 82. *miscuit - - immeritae - - domos ac templa Sagunti* cett. — *visum*. Haud pauci Codd. minoris auctoritatis addunt *est;* sed vid. adnott. ad Aen. I, 283. coll. cum iis, quae ad II, 428. adscripsimus. — *superbum Ilium*. Vid. I, 21. 523. II, 556. ibique adnott. Sex Codd. *Ilion*, quae forma, ab aliis haud raro et vulgo quidem neutro, ab Horatio autem femin. genere usurpata (vid. Bentl. ad Hor. Od. III, 3, 23. et Burm. ad Prop. III, 1, 31.), apud Vergilium alibi (cf. II, 241. 325. III, 109. V, 756. VI, 64.) nusquam invenitur. Vid. Wagn. ad Aen. I, 68. — 3. *humo fumat*. Serv. *humo* rectissime explicat *ab humo* (i. e. solo), *funditus*, quo plena et perfecta urbis eversio significetur, ut II, 625. *ex imo verti* legimus; *fumat* autem in cineres dilapsa. Ceterum Probus I, 4, 9. (cf. Ribbeck. Proleg. p. 138.) et Wakef. ad Lucr. V, 443. *fumat* acceperunt pro *fumavit*, de qua re Wagn. conferri vult Voss. de Art. Gramm. II, 32. Gesner. ad Hor. Serm. II, 3, 277. Huschkii Analecta ad Tibull. El. I, 2, 97. p. 698. et mea ad Lucr. I, 71. III, 710. V, 443. VI, 597. Sed quam Lucretius in his aliquoties sibi indulsit syncopen, ea prorsus abhorret a Vergilii venustate et elegantia. (Vid. etiam adnott. ad IX, 9.) Immo *fumat* Praesens est de re durante usurpatum; „nam ruina fit brevi, fumus longo permanet tempore,“ ut verissime Serv. Ita autem, ubi vel sensus postulet, vel orationis variandae studium suadeat, saepe Praesens excipere Praeteritum et contra omninoque Praesens historicum et Perfectum saepe coniungi res est notissima. Vid. adnott. ad Aen. II, 482. Non igitur erat, cur Claud. Sacerdos I, 89. hic de soloecismo loqueretur. — De *Neptunia Troia* post Ilium iam commemoratum nominata vid. ad II, 623. Ceterum *Neptunia* vocatur, quia Neptunus una cum Apolline muros urbis exstruxerat. Cf. Hom. Il. XXI, 446 sq. Apollod. II, 5, 9. et infra IX, 144. — 4. *Diversa exsilia* sunt terrae peregrinae et longinquae, quae exsulibus habitandae quaeruntur. *Diversus* de terris longinquis et quasi in contraria parte orbis terrarum sitis legitur etiam infra XI, 261. XII, 708. Ovid. Trist. IV, 2, 69. *procul Latio diversum missus in orbem*. Cic. Verr. III, 83, 192. id. pro leg. Man. 4, 9, 16, 46. Tac. Ann. III, 59. etc. Sic etiam Aen. I, 376. *diversa aequora*. De Plurali *exsilia* vid. supra ad II, 780. Hoc autem vocabulum etiam de loco dici, quo aliquis exsul vivat, docent Tac. Ann. XIII, 55. Hist. IV, 44. Curt. VI, 4, 13. aliique loci. — *desertas terras*. Codd. scriptura fluctuat inter *desertas quaerere terras* (quod plurimi optimique Codd. praebent, in quibus Med. et fragm. Vat.) et *diversas quaerere terras*. Recte Wagn. reiicit scripturam *diversas*, quam putat ortam esse ex antecedente *diversa exsilia*, cum, quominus de anaphora cogitemus, Copula interiecta impediat; sed mire eam cum Servio (et Burmanno) interpretatur: „desertas a Dardano.“ Nam quo tandem pacto poëta a legentibus potest postulare, ut tale quid suppleant, praesertim cum infra demum v. 98 sqq. oraculum illud commemoretur, quo Troiani *antiquam matrem exquirere* iubentur? Scio quidem, rem iam I, 380.

Auguriis agimur divom classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae

---

quasi per nebulam significatam esse; sed quod ipsi Aeneae tam obscurum erat vaticinium, ut infra v. 163 sqq. et 183 sqq. longa et accurata eius explicatione opus esset, id a legentibus statim esse perspectum semperque animis eorum obversari, poëtae sumere non licet. Immo *desertas terras*, quae *diversis exsiliis* per explicationem adduntur, nemo aliter potest intelligere, nisi de regionibus incolis vacuis vel minus frequentatis. Quamvis autem terram, in quam novi coloni sint immigraturi, quodammodo desertam dici posse, neque hoc omnino quaerendum esse, cum poëta hoc unum agat, ut miserationem moveat, et *desertae terrae* praeclare opponantur *Ilio superbo*, iam Heyn. et Iahn. verissime docuerunt; Wagn. tamen opponit, Latium desertum vocari non posse, neque Aeneam, oraculo edoctum, ignorasse, armis sibi quaerendam esse novam patriam, ita ut de colonia in terram desertam aliquam deducenda cogitari non queat. At vero non consideravit Vir doctiss., haec non iudicanda esse ex eorum temporum ratione, quibus Didoni narrentur ab Aenea, sed hunc heroem mente et cogitatione versari in illis ipsis, de quibus loquatur, temporibus, et quid illis diebus, qui secuti sunt Troiae excidium, fumantibus etiamtum Ilii ruinis, senserit, cogitaverit, fecerit, referre. Illo autem tempore, per simulacrum Creusae edoctus, nil praeterea scivit, quam post longos errores in opima quadam terra occidentem versus sita (in Hesperia) res laetas, novum regnum et connubium regiae virginis sibi parata esse (II, 780 sqq.), cui quidem vaticinio non admodum magni ponderis et auctoritatis ideoque etiam a poëta post plane neglecto illa desertarum terrarum commemoratio eo minus videtur adversari, cum ipse statim addat v. 7. *incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur* atque Anchises v. 9. *fatis dare vela* iubeat. Ex patria enim hominibus opibusque abundante depulsus Aeneas, quo erat illis diebus moerore et tristitia, terram illam ignotam, quo migraturus erat, cum Troia comparatam vix aliam atque incultam et desertam sibi fingere potuit. (Quae omnia nunc poteram omittere, cum, ut Iahnio in edit. II., Gossravio, Ladewigio, Bryceo, Coningtoni et Dietschio Theol. Verg. p. 23 sq., sic etiam Wagnero ipsi in recentiss. edit. hanc explicationem meam probari vidissem, nihilominus vero repetenda esse putavi, cum etiam ap. Ribbeck. legamus hanc miram explicationem: „novas sedes in desertae patriae vicem in alia patria quaerere.") Kappes. denique III. p. 1 sq. aliam non improbabilem proponit explicationem, ut sumamus Aeneam memorem eorum, quae ante hanc narrationem expertus sit, cum diversis exsiliis hic mente coniungere auguria falso intellecta et terras perperam petitas ideoque rursus desertas. His omnibus perpensis nemo, puto, Bothii inani coniectura *decretas terras* vel Peerlkampii commento *atque extremas terras* opus esse statuet. — **5.** *Auguriis divom.* Vid. supra I, 382 sq. II, 293. 619. 693. 780. Posse tamen etiam prodigium flammae II, 682. et Creusae monitum adiungi, memorat Heyn.; Peerlk. autem cogitat de auguriis a poëta non commemoratis, quae Aeneas viderit in montibus degens, in quo cum eo consentit Dietsch. l. l., cum auguria et omina non sint oracula et responsa deorum, sed denuntient tantum aliquid vel hortentur et explicatione egeant; in quam rem conferri iubet Ecl. I, 16. IX, 14. Aen. I, 392. 445. V, 5. 522. XII, 260. et Aen. II, 680. III, 537. VII, 59. 173. VIII, 523. IX, 21. X, 250. XII, 676. — *sub ipsa Antandro.* Cogita igitur de urbe in litore paullo altiore condita. Sic autem *sub* haud raro ponitur pro *prope*, in propinquitate loci editioris. Cf. Aen. I, 453. (ibique adnott.) VII, 563. XI, 244. 849. Liv. I, 3, 3. *urbem sub monte Albano condidit.* Prop. IV, 1, 45. (III, 2, 5.) Zumpt. §. 319. et Ruhnk. ad Ter. Adelph. V, 8, 26. De usu Pron. *ipse* (per *gleich, gerade, unmittelbar* reddendi) vid. adnott. ad Geo. IV, 75. *Antandrus* oppidum erat haud procul ab Ilio meridiem versus ad sinum Adramyttenum et Idae radices situm; in quo monte cum materies classi aedificandae suppeteret, non mirum est, quod poëta naves Aeneae in tam nobili et commodo loco aedificatas esse tradidit. Ceterum de hoc oppido (quod etiamnum *Antandro* dicitur) cf. liber meus geogr. II. p. 143 sq. — **6.**

Incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur,
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat aestas
Et pater Anchises dare fatis vela iubebat:
Litora cum patriae lacrimans portusque relinquo
Et campos, ubi Troia fuit. Feror exsul in altum
Cum sociis gnatoque Penatibus et magnis dîs.

---

molimur, magno labore construimus, aedificamus. Vid. Aen. I, 424. III, 132. Imprimis cf. Aen. IV, 309. (ubi tamen vid. adnott.) VII, 127. 158. 290. Val. Fl. I, 94. *Moliri hunc puppim iubet* et Ovid. Met. VIII, 302. *primaeque ratis molitor Iason.* De ipsa re cf. Aen. IX, 79 sqq. — **7.** *incerti quo fata ferant.* Haec non adversari oraculo a Creusa II, 781 sq. dato, iam ad II, 771 vidimus. Saepissime autem sic loquuntur veteres (cf. Ovid. Met. III, 176. *sic illum fata ferebant.* Sil. XIV, 629. *si fata ferant.* Sabin. Epist. III, 31. *Nec sic fata ferant* cett.); qui de *forte* et *fortuna* idem *ferendi* voc. usurpant. (Cf. supra II, 94. Ovid. Met. I, 297. XI, 751. Lucan. IV, 243. cett.) Vid. Burm. ad II, 433. Ceterum verba *Incerti, quo fata ferant* iterantur in Anth. Lat. III, 81, 12., ut reliqua huius versus ibid. v. 50. — *ubi sistere detur.* Sic etiam Ovid. Met. I, 307. (ubi vid. Bach.) *Quaesitisque diu terris, ubi sistere detur.* Intransitive verbum *sistendi* praeterea Geo. I, 479. Aen. XI, 873. Lucr. IV, 415. Cic. Verr. III, 96. et alibi usurpatur. De *dandi* voc. cum Infinitivo constructo vid. ad Aen. I, 66. 79. 319. Peerlk. sine iusta causa hunc versum post v. 12. collocandum censet. — **8.** *Vix inceperat - - Et* cett. Wagn. (quem Bryce et Conington sequuntur) apodosin incipit a Copula *Et*, (de cuius usu huc pertinente vid. adnott. ad Geo. II, 80. et Aen. II, 692. collatis iis, quae ad Aen. II, 172. adscripsimus), sed rectius, puto, Süpflius a Particula *cum*, ut sententia haec sit: Cum prima aestas incepisset et pater Anchises vela dare iuberet (scil. etiam atque etiam, quare poëta non scripsit *iusserat*), patriae litora relinquo. Cf. etiam Abr. Voss. in Progr. laud. p. 3. et Haeckerm. in *Archiv f. Phil.* XVIII. p. 309. et in *Zeitschr. f. d. G. W.* XIX. p. 112.) Ladew. utramque rationem coniungere studet, paullo subtilius adnotans, verba *Et pater* etc. continere quidem apodosin ad antecedentia, simul vero etiam protasin sequentium *Litora cum* etc., quare (ut etiam Ribbeck.) post *aestas* Commate, post *iubebat* vero Colo distinguit. — *prima aestas*, prima pars aestatis s. ver. (Vid. adnott. ad II, 97.) Troiam enim vere ineunte captam et dirutam esse tradunt. Vid. Heynii Exc. II. ad h. l. — **9.** *fatis* Heyn. pro sexto Casu habet, ut significet: propter deorum iussa et monita; rectius vero Wagn. tertium Casum esse statuit, ut, quemadmodum alibi *ventis* (IV, 546. VIII, 708.), ita h. l. *fatis* vela dari dicantur, cum, quibus ventis danda essent, Aeneae non satis compertum esset; idque ipsa rhythmica huius versus ratione confirmari censet, cum poëta voc. *fatis*, in quo praecipua vis insit, non ante *dare*, sed eo versus loco posuerit, quo vox diutius ei inhaereat. Accedit, quod *fatis* Ablat. Casu sumptum post illa *Auguriis agimur divom* redundat. Sensus igitur: Anchises navem solvens fatis se committit, nesciens quo ea sint ductura. — **10.** Henry cum h. l. conferri iubet Apoll. Rhod. I, 534 sq. αὐτὰρ Ἰήσων Δακρυόεις γαίης ἀπὸ πατρίδος ὄμματ' ἔνεικεν omninoque Aeneam a Vergilio cum Iasone comparari docet. — *Litora cum patriae.* Hanc lectionem Heins. e Medic., fragm. Vat. et optimo quoque libro restituit pro vulg. *tum*, quod, „cum in sermonis continuatione et rerum enumeratione proprie locum habeat,“ Iahn. ad VI, 125. defendit. Tunc locus paullo laxius cohaerens sic distinguendus esset: *iubebat. Litora tum - - relinquo.* Wagn.. qui non illud *cum*, sed Particulam *et* antecedenti *vix* respondere censet (vid. supra), *cum*, praegressa maiore distinctione cum singulari quadam vi positum, idem fere significare putat, quod *et tum*, καὶ τότε δή, velut II, 680. et VI, 91. — **11.** *Et campos, ubi Troia fuit*, gravissima brevitate. Cf. Macrob. Sat. V, 1. Gossrau suspicatur, Plurali *campos* indicari antiquae urbis magnitudinem. — Verba *Feror exsul in altum* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 457. — **12.** *cum sociis.*

Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo,
Hospitium antiquum Troiae sociique Penates,

Vid. supra II, 796. — *gnatoque.* Sic septem Codd. apud Burm., quos cum Vossio p. 206. et Iahnio secutus sum, cum hic versus Enniani sermonis colorem habere videatur (vid. infra) et sublime aliquid et magnificum sonet. Vid. adnott. ad Ecl. V, 22. Secuti sunt Ribbeck. et Ladew., dum reliqui recentiores editores vulg. *natoque* servant, quod sane optimi Codd. Med., fr. Vat., Pal., Gud., alii exhibent. — *Penatibus et magnis dis.* Fusius de his verbis disputat Heyn. in Exc. IX. ad l. II., ex cuius Macrobium Sat. III, 4. sequentis sententia (quam etiam Wagn. et Ladew. amplectuntur) hic haberemus exemplum epexegesis illius, de qua diximus ad Ecl. III, 34. et Aen. I, 111. Sed hanc ipsam epexegesin hic quidem, ubi simpliciter *magni Penates* commemorari poterant, ut IX, 258., post *socios* autem *gnatumque* iam parallelismus poscere videtur, ut *Penates et* (alii) *magni dii* commemorentur, mihi satis miram videri fateor. Quare magis inclinor in alteram illam sententiam, Vergilium de aliis quoque diis praeter Penates, certe de Vesta, cogitari voluisse. Cum enim supra II, 296. Hector, Aeneae per somnum apparens, *vittas Vestamque potentem aeternumque ignem e penetralibus efferat*, qua tandem alia de causa efferre ista putandus est, quam quae Aeneae, cui v. 293. dixerat: *Sacra suosque tibi commendat Troia Penates*, servanda et secum deportanda tradat? Cui sententiae etiam ex locis V, 774 sq. et IX, 258., ubi et *Lares* et *Penates* cum *Vesta* coniunguntur, non minimum accedit probabilitatis; porro fere semper iuxta cum Penatibus etiam alia *sacra* a Marone commemorantur (cf. praeter l. l. etiam II, 320. et 717.) atque etiam VIII, 679. *Penates* a *magnis dîs* differre videntur. Quae cum ita sint, non video, quo iure contra manifestam huius loci auctoritatem Heyn. contendat, Vergilium aliam sequi narrationem atque ceteros scriptores Romanos, qui Aeneam etiam Vestam et sacrum ignem Troia abstulisse certis verbis perhibent (vid. Ovid. Fast. III, 423 sqq. coll. cum VI, 434. imprimisque Macrob. Sat. III, 4.); quamquam certissimam hac de re sententiam ferre non ausim. Peerlk. verba *cum magnis dis* explicat: „cum deis bene volentibus, deorum, spero, quorum auguriis agimur, auxilio," coll. Ennio apud Cic. Off. I, 12. *ducite - - volentibus cum magnis dis,* [Annal. VI. fr. 13. p. 33. Vahlen., quae ultima verba haud dubie effecerunt, ut Pomponius ad h. l. totum versum Ennianum et verba Pyrrhi esse adnotaret. Vid. Wagn. ad h. l.] Plaut. Mil. IV, 8, 41. *ite cum diis bene volentibus* et similibus locis. — 13. *Terra Mavortia* est Thracia, quam Marti sedem iam ab Homero [Il. XIII, 301. Od. VIII, 361.] tribui docet Heyn., qui haec verba (*Terra procul - - arant*) fortasse ex Eurip. Hecub. vss. 8. 9. prodiisse putat. De Thracia, Martis sede, adde eiusd. trag. v. 1088. Soph. Antig. 970. Hor. Od. II, 16, 5. *bello furiosa Thrace.* Manil. IV, 691. *Thrace Martem sortita colonum* cett. Cf. etiam Ovid. Met. XIII, 628 sq. de Aenea haec canens: *Fertur ab Antandro, scelerataque limina Thracum - - Linquit* cett. — 14. Verba *Thraces arant* per parenthesin inseruntur, ut I, 12. verba *Tyrii tenuere coloni.* — *acri* (saevo, crudeli) *quondam regnata Lycurgo;* de quo Edonum rege e fabulis Bacchicis notissimo cf. Hom. Il. VI, 130 sqq. Apollod. III, 5, 1. (ibique Heyn.) Diod. III, 65. Hygin. f. 132. Creuzeri *Symbol.* T. III. p. 183 sqq. Welcker. *Aeschyl. Tril.* p. 320 sqq. alii. — *regnata* passive, ut VI, 770. 794. Hor. Od. II, 6, 11. *regnata Laconi rura Phalantho* (ubi vid. Mitscherl.) Ovid. Her. X, 69. *arva suo quondam regnata parenti.* id. Met. VIII, 623. XIII, 720. Silius XIV, 7. Plin. H. N. VI, 20, 23. etc. Omnino autem poëtae a verbis intransitivis formant interdum Participia passiva et forma et significatione. Sic *ululatus* infra IV, 609. (ubi vid. adnott.), *exululatus* Ovid. Fast. IV, 186., *erratus* infra v. 690. Ovid. Fast. IV, 573., *triumphatus* infra VI, 837. Geo. III, 33. Hor. Od. III, 4, 43., *clamatus* Ovid. Met. XIV, 397. Fast. IV, 573. etc. - - 15. *Hospitium antiquum* (s. *anticum*, ut Haupt. et Ribbeck. scribunt). Erat igitur inter Troianos et Thraces iam antiquioribus temporibus *hospitium iunctum*; unde ea, quae ad v. 45. de Priami et Polymnestoris, qui

Dum fortuna fuit. Feror huc et litore curvo
Moenia prima loco fatis ingressus iniquis
Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionaeae matri divisque ferebam
Auspicibus coeptorum operum superoque nitentem

---

tunc Chersonesum Thraciam regebat (cf. Eurip. Hec. 8.), affinitate adnotavimus, iudicanda. — *socii Penates* a Wagn. recte explicantur „sedes sociae, h. e. foedere cum Troianis iunctae," coll. Hom. Il. II, 844—851. — **16.** *fuit*, perstitit, integra fuit. Cf. adnott. ad II, 325. *Dum* (*während s. so lange, als*), quod apud Verg. saepissime cum Imperf., saepe etiam cum Praesente historico constructum invenitur, quinquies modo, hic, Aen. I, 268. X, 43. 321. et 424., cum Perfecto coniungitur. — **17.** *Moenia prima loco*, primam urbem condo (vid. adnott. ad II, 234.), scil. Aenum, Thraciae oppidum, ad Hebri ostia e regione Samothraciae situm (Herod. IV, 90. VII, 58. Thuc. VII, 57. Polyb. V, 34. Mela II, 2. atque etiamnum *Enos* appellatum: vid. librum meum geogr. III. p. 1079.), cum Polydori tumulo (Plin. H. N. IV, 11, 18. Solin. 10, 11.), quod poëta (quem sequuntur Mela II, 2, 8. Aur. Vict. de orig. G. R. 9. Ammian. XXII, 8. alii) ob solam nominis similitudinem ab Aenea conditum fingit, quamquam id Aenea antiquius fuisse, vel ex Homero Il. IV, 520. satis constat. Confudit fortasse Aenum cum Aenea (*Αἰνείᾳ*), Chalcidices oppido ad Sinum Thermaicum sito (cf. Scymn. 627. Strab. VII. p. 330. Liv. XLIV, 10.), quod incolae ipsi ab Aenea conditum haberi voluerunt. — *ingressus* est Thraciam *fatis iniquis*, siquidem Aenean eo compulerint, ubi non quietem inventurus, sed atrocissimum malum perpessurus esset, ut Dietsch. Theol. Verg. p. 24. locum recte interpretatur. Cf. etiam adnott. ad Aen. II, 157. et X, 380. Heyn. satis apte comparat Ammian. XXII, 8. pr., h. l. his verbis respicientem: *Aenus, qua diris auspiciis coepta moxque relicta, ad Ausoniam veterem ductu numinum properavit Aeneas*, quamquam *fata iniqua* et *dira auspicia* non prorsus idem significant. — **18.** *Aeneadas - - nomen - - fingo.* Wagn. confert infra v. 693. et Tac. Hist. V, 2., ubi legendum sit: *Solymos - - conditam urbem Hierosolyma nomen e suo fecisse.* Adde Geo. I, 137. (ibique adnott.) Aen. III, 693. VII, 63. Liv. I, 1, 11. *cui Ascanium parentes dixere nomen.* id. VII, 22, 3. *Quidam Caesonem, alii Gaium nomen Quintio adiiciunt.* Tac. Hist. IV, 28. *quod genus Germanicae originis - - Romanorum nomen Agrippinenses vocarentur.* Ovid. Fast. III, 246. *Nunc Esquilias nomina collis habet* cett. (Cf. etiam infra ad v. 614. adnott.) Alia res est, ubi ex nomine proprio formatur Adiectivum, ut apud Hor. Sat. II, 3, 25. *Mercuriale mihi imposuere cognomen.* Liv. I, 1. extr. *Stirpi virili Ascanium parentes dixere nomen.* Gell. XV, 29. *est mihi nomen Tarquinium* cett. Cf. praeter alios Ramsh. §. 116. not. eiusque Censor (Hoffmannus) in Iahnii Annall. phill. et paedd. Vol. VII. p. 13 sqq. Iahn. ad Aen. XII, 515. et Beneck. ad Iustin. XIII, 7, 1. — **19.** Sequitur narratio de prodigio sanguinis ex arboribus in Polydori tumulo positis manantis. Nam dum Aeneas, Veneri aliisque diis sacrum parans, corni myrtique teneros surculos humo evellit, quorum frondibus aram exornet, illi sanguine stillant Polydori in hunc ipsum tumulum hasque arbores mutati. Quam fabulam, haud dubie e poëtis cyclicis petitam, non est cur miremur, si puellas haud raro in arbores mutatas fingi (Ovid. Met. II, 360. VIII, 763 sqq. cett.), Nymphas Hamadryades ex veterum opinione cum arboribus suis et nasci et perire, atque adeo arbores diis sacratas, quae caedantur, sanguinis guttas emittere cogitamus. Vid. quae Heyn. ad v. 33. adnotavit. — *Dionaeae matri*, Veneri. Vid. ad Ecl. IX, 47. Respicitur hic locus in Anth. Lat. V, 84, 7. *Sacra Dionaeae referens sollemnia matri.* — *divisque*, i. e. et ceteris diis, quod iam Wagn. vidit, qui comparat Graecum illud *Ζεῦ καὶ θεοί* et Xenophontis locum satis memorabilem Cyr. V, 4, 14. *Ἀλλ' ὦ Ζεῦ, ἔφη, καὶ τούτοις πολλὰ ἀγαθὰ δοῖεν οἱ θεοὶ καὶ πλεῖστα κ. τ. λ.* Servio autem auctore ad Geo. I, 21. et Aen. VIII, 103. necesse erat, ut, cum uni deo praecipue sacra fierent, post ipsum etiam reliqui dei invocarentur. — **20.** *divi auspices operum* sunt, qui opera

Caelicolum regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta et densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi viridemque ab humo convellere silvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras,
Horrendum et dictu video mirabile monstrum.
Nam quae prima solo ruptis radicibus arbos

---

iuvant et secundant. Gossr. et Conington haec verba proleptice dicta arbitrantur pro: ut auspices essent coeptorum operum; quod ut sumamus, nihil cogere videtur. De voc. *auspicis*, deorum proprio, vid. infra IV, 45. Ovid. Fast. I, 615. Hor. Ep. I, 3, 12. (ibique Obbar.) cett. Bentl. et Orell. ad Hor. Od. I, 7, 27. — *nitentem* Heyn. non tam pinguem, quam candidum significare censet, cum candor in victima Iovi ferenda spectari soleat. Mihi potius de pinguedine intelligendum videtur, de qua *nitere* proprium est vocabulum. Cf. Hor. Ep. I, 4, 15. *Me pinguem et nitidum bene curata cute vides.* Phaedr. III, 7, 4., ubi lupus interrogat canem: *unde sic nites?* Plin. Ep. II, 17. *armenta, quae herbis et tepore verno nitescunt* cett. Pinguia autem animalia delecta fuisse, quae diis mactarentur, iam ex Homero constat Il. II, 402. *αὐτὰρ ὁ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων πίονα, πενταέτηρον, ὑπερμενέϊ Κρονίωνι*, cum quo loco cf. Il. VII, 315. *βοῦν - - ἄρσενα, πενταέτηρον*, ubi epitheto *πενταετήρου* etiam pinguedinis notio inest, color autem omnino non spectatur. (Consentit mecum Gossr.) — *taurus* Iovi convenit. Vid. praeter Homeri Il. modo ll. e. g. Ovid. Met. IV, 755. *Mactatur vacca Minervae, Alipedi vitulus, taurus tibi, summe deorum*, ad quem locum Ochsner. (p. 531. ed. Bach.) conferri iubet Iac. de Rhoer. Fer. Dav. II, 6. p. 168--171. Henry (*Two years* III. p. 2.) conferri iubet Iuliani Epist. ad Libanium [Ep. XXVII. p. 399. Spanh.] *Ἔθυσα τῷ Διῒ βασιλικῶς ταῦρον λευκόν.* Errat igitur Macr. Sat. III, 10. coll. Atteio Capitone de iure sacrif. I. Iovi tauro immolari vetitum fuisse contendens. — **21**. *Caelicolum regi*. De forma *caelicolûm* pro *caelicolarum* (cum qua conferri potest *agricolûm* ap. Lucr. IV, 590. et *ruricolûm* ap. Nemes. VI, 52.) vid. adnott. ad Aen. I, 565. — **22**. *Forte fuit iuxta* (quae verba iterantur in Anth. Lat. I, 14, 7.) cett. Prorsus eadem ratione Ovid. Met. VII, 622. *Forte fuit iuxta patulis rarissima ramis Sacra Iovi quercus.* — *tumulus* non sepulcralis, sed ortus ex arena, quae ventis et fluctibus Polydori corpori iniecta est; nam insepultus fuerat proiectus Polydorus, quod ex v. 62 sqq. apparere, iam Heyn. adnotat, qui simul docet, apud Euripidem Hec. v. 26. et 697 sqq., quem Ovidius Met. XIII, 437. sequi maluerit, corpus eius in mare proiectum fluctibus in litus eiici. — *quo summo*, in cuius culmine. — **23**. *myrtus*, quae litus amat (cf. Geo. II, 112. IV, 124. Ovid. Am. I, 1, 29. etc.) et Veneri erat sacra (vid. ad Ecl. VII, 62.), hic aptissime commemoratur. — *horrida*. Vid. ad Geo. I, 151. — *hastilia* sunt virgae myrti, unde hastae et iacula conficiebantur. Vid. Geo. II, 447. Hic autem eo aptius est hoc vocabulum, quod tela, quibus Polydorum occisum esse v. 45 sq. docent, terrae infixa radices egisse et crevisse finguntur. — **24**. *silvam*, densas arbusculas. Vid. ad Geo. II, 15. et 26. — **25**. *tegerem*. *Tegere*, i. e. velare, verbum proprium in re sacra de sertis et coronis, ut Heyn. docet, coll. supra II, 248 sqq. De more autem Romanorum aras sertis, floribus frondibusque ornandi vide Aen. I, 417. V, 661. Cf. Lersch. Ant. Virg. p. 161., qui ramos, serta (et vittas: Ecl. VIII, 64.) etiam in monumentis obvia esse docet coll. Millin. Myth. Gall. tab. XXXI. n. 107. tab. LXXXIX. n. 290. et *Scult. della villa Borgh.* Vol. 1. *stanza* I. n. 13. — **26**. „*Horrendum* propter sanguinem; *mirabile*, quod fluebat de ligno." Donatus. — *dictu mirabile monstrum*. Vid. ad Geo. IV, 554. et supra ad II, 680. Apud Macrob. III, 10. legitur *H. dictu et visum m. m.* Ribbeck. ex Med. a m. pr. recepit scripturam *mostrum*, ut iam Geo. I, 19. (quod ibi adnotare neglexi) *mostrator*, quamquam alibi, ut infra v. 59. 214. 307. 658. etc., formam *monstrum* servavit. Cf. (Wagn. Orth. Verg. p. 456.) Corssen. de pronunt. I. p. 99. et Ribbeck. Proleg. p. 435. — **27**.

Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus et alterius lentum convellere vimen
Insequor et causas penitus temptare latentis:
Ater et alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo Nymphas venerabar agrestis
Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis,

Antiquiorem formam *arbos* ex Medic. cum Wagn. revocavimus, quem recentiores editores omnes secuti sunt. Vid. ad Ecl. III, 56. Geo. II, 81. et Iahn. ad Aen. VI, 310. Sibilum certe non posse offendere, Wund. docet vel uno loco Aen. III, 136. (*connubiis arvisque novis*) comparato. Adde Geo. II, 395. 443. 492. III, 91. 182. Aen. I, 338. infra v. 136. (ubi vid. adnott.) et 389. VI, 838. VIII, 640. et quos locos praeterea collegit Wagn. Qu. Virg. IX, 2, d. — **28.** *Huic atro liquuntur* (Ribb. *liquntur*, Haupt. *licuntur*) *sanguine guttae*, ex eo manant guttae sanguinis. Heyn., qui adnotat, proprie *sanguinem liqui*, τήκεσθαι, dissolvi in guttas, comparat Geo. II, 187. *liquuntur amnes* (cui loco addere poterat Aen. IX, 679. *liquentia flumina*). Ceterum cf. cum h. l. Ovid. Met. II, 358 sqq. *truncis avellere corpora tentat, Et teneros manibus ramos abrumpere: at inde Sanguineae manant tamquam de vulnere guttae*, ibid. VIII, 762. et IX, 344. Praeterea cf. Grat. Cyneg. 353. *atroque cadant cum sanguine fibrae.* — **29.** *terram tabo maculant. Tabum* enim quemvis humorem putrescentem, imprimis vero cruorem significat. Cf. infra v. 626. VIII, 487. Ennius ap. Cic. Tusc. I, 44, 107. Ovid. Met. XIV, 190. Lucan. VI, 548. cett. — *Mihi frigidus horror* etc. Cf. similes loci Aen. I, 90. III, 259. 308. *frigidus* autem *horror*, ut apud Lucr. VI, 1010. Vid. ad Aen. II, 420. — **30.** *Membra quatit*, proprie tremere facit (*schüttelt*). Saepius metaphorice pro vehementer percellere. Cf. Sen. Thyest. 260. *tumultus pectora attonitus quatit.* id. Herc. Oet. 1993. *Quatiet populos terrore gravi.* Vellei. II, 110. *Tantus huius belli motus fuit, ut - - animum quateret atque terreret.* Hor. Od. I, 16, 5. Cic. Tusc. III, 6, 12. Senec. Agam. 5. Curt. VIII, 8, 24. cett. Cf. Mitsch. ad Hor. l. l. Drak. ad Silium IV, 7. Obbar. ad Hor. Ep. I, 10, 31. Fasc. V. p. 73. — *gelidus c. f. sanguis*, i. e. formidine fit gelidus et coit. De Adiectivis per prolepsin cum Substantivis iunctis vid. adnott. ad Geo. II, 219. 353. et Aen. II, 736. Ceterum cf. Sen. Oet. 224. *Torpor insedit per artus, frigidus sanguis coit.* Ceterum totus v. 30. cum altero prioris hemistichio iteratur in Anth. Lat. I, 178, 367 sq. — **31.** *lentum vimen* legitur etiam Geo. IV, 34. Aen. VI, 137. Calpurn. Ecl. III, 31. al. Cf. adnott. ad Ecl. III, 38. — **32.** *Insequor*, pergo. Cf. Verr. III, 20, 51. *pergam et insequar longius.* Vid. etiam Geo. I, 105. — *temptare*, explorare. Vid. ad Ecl. IV, 32. et Aen. II, 38. Peerlk., sine iusta causa haerens et in Adverb. *penitus*, quod prorsus otiosum censet, et in dictione *tentare causas latentes*, cum, quod lateat, tentari non possit, hunc locum interpolatum et vss. 32. et 33. sic contrahendos esse arbitratur: *Insequor, alterius sequitur de cortice sanguis;* sed v. 32. minime est supervacaneus; nam Aeneae quam maxime debebat interesse explorare, utrum res naturalem haberet causam, an ominosa esset, quod demum alterius quoque myrti vimine convulso intelligere poterat. — **33.** Pro *Ater* fragm. Vat., Gud. a m. pr. aliique Codd. praebent *Alter*, quae lectio Coningtoni probabilis videtur, sed reiicienda est, quia *ater* consulto et magna cum vi iteratur ex v. 28., quod fortasse non perspexit delicatus aliquis librarius. — **34.** sqq. Aeneas, prodigio perterritus, ex more veneratur numina, quae ipsi regioni praesunt, Nymphasque Hamadryades et Martem Indigetem implorat, ut malum omen avertant. Verba *Multa movens animo* redeunt X, 890. — **35.** Mars dicitur *pater* (vid. ad Geo. II, 4.) *Gradivus*, quod *graditur* quasi, magnis gressibus incedit in pugnis, quo maiestas dei pingitur. Cf. Schirach. p. 427. Aliae enim nominis etymologiae non dignae, quae commemorentur. Prima syllaba

Rite secundarent visus omenque levarent.
Tertia sed postquam maiore hastilia nisu
Adgredior genibusque adversae obluctor harenae
— Eloquar, an sileam? — gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo et vox reddita fertur ad auris:

---

cum nomen a *gradiendi* verbo sit formatum, vulgo corripitur (cf. Ovid. Met. VI, 427. Sil. XV, 13. 337. Val. Fl. V, 651. cett.), interdum vero etiam, ut hic, producitur (velut Aen. X, 542. Ovid. Met. XIV, 820. XV, 803. Sil. I, 433. III, 702. alibi). De duplici autem nominum propriorum mensura omnino cf. Burm. ad Anth. Lat. T. I. p. 63. Bentl. ad Hor. Od. II, 25, 9. Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 62. Iahn. ad Ovid. Met. VI, 11. Bach. ad Ovid. Met. V, 607. VIII, 207. Iacob. Qu. Epic. p. 156. Obbar. ad Hor. Ep. I, 10, 26. Fasc. V. p. 47. et quae nos supra ad I, 343. et infra ad IV, 137. adnotavimus. Ceterum Haupt. et Ribbeck. cum Gud. a m. pr. et Bern. III. a m. sec. scribunt *Gradivom*. (Vid. ad Ecl. II, 22. et al.) — *Geticis* pro finitimis *Thraciis;* Getae enim trans Danubium habitabant in Dacia (cf. Geo. III, 462. IV, 463.); sed constat, poëtas in remotioribus potissimum regionibus vicinos populos haud raro confundere. — **36.** *rite*, quod proprie de hominibus dicitur caerimonias sacras probe servantibus, interdum etiam de diis ipsis homines pro more iuvantibus usurpatur. Cf. infra X, 254. Tibull. III, 4, 43. *casto nam rite poëtae Phoebusque et Bacchus Pieridesque fovent.* Hor. Carm. Saec. 13. *Rite maturos aperire partus lenis Ilithyia tuere matres*, et eiusd. Od. IV, 4, 25. *sensere, quid mens rite, quid indoles Nutrita faustis sub Penatibus Posset.* Haeckerm. in *Archiv f. Phil.* XVIII. p. 309. et *Zeitschr. f. d. G. W.* XIX. p. 112. minus probabiliter *rite* cum *venerabar* coniungendum ideoque Comma non ante, sed post *rite* ponendum esse opinatur. — *secundarent*, secundum, felix esse iuberent. *Secundare* verbum proprium de diis. Cf. VII, 259. Sen. Herc. fur. 645. *votum secundet deus.* Lucan. I, 635. et Sil. VIII, 124. *dii visa secundent*, ubi cf. Drakenb. Vid. etiam Geo. IV, 397. — *visus*, i. e. visum (*die Erscheinung*), ostentum, portentum. Henry (*Tw. years* III. p. 2. et Philol. XI. p. 625.) conferri iubet Tac. Hist. IV, 84. *Iussa numinis, suos Ptolemaeique visus, ingruentia mala exponit* et Lucr. I, 635. *Di visa secundent.* Ladew. *visus* prius explicuit per oculos (*sie möchten segnen meine Augen, den Blick*), quod recte vituperant Henry ll. ll. et Conington; nunc vero *visus* passive capiendum putat, ut XI, 271. — *omen levarent*, tollerent, removerent, i. e. averterent (ut etiam Henry ll. ll. locum explicat). Cf. Hor. Od. II, 17, 27. *Me truncus illapsus cerebro Sustulerat, nisi Faunus ictum Dextra levasset* et Claud. IV. Cons. Hon. 59. (ab Henr. laud.), ubi *commune naufragium certa manu levare* legimus. Kappes. tamen III. p. 4. (quem Ladew. in recentiss. edit. sequitur) de hac vocis significatione dubitans cum Servio interpretatur: onus ominis levare i. e. in bonum convertere. Sed ut concedam, in illis locis *levare* fortasse nihil aliud esse, nisi levius facere, tamen ad Aen. II, 146. vidimus, hoc verbum esse i. q. demere, removere; removere autem omen est omen avertere. — **37.** Charisius p. 196. P. hunc versum afferens male scribit *Tertio*. (Cf. Ribbeck. Proleg. p. 206.) — **38.** *obluctor* Heyn. explicat Graecis verbis ἀντιβαίνω, ἀντερείδω, de quibus Burm. conferri vult Hemsterh. ad Lucian. Dial. p. 60. [T. II. p. 533. Bip.] Cf. etiam Liv. XLIII, 22, 9. Curt. IV, 29, 7. 34, 8. 38, 19. et similes locos. — **39. 40.** Verba *Eloquar, an sileam* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 95. — *gemitus - - Auditur tumulo, et vox redd. fertur ad a.* (cuius loco Serv. in vetere Cod. *Auditus* legi memorat, quam tamen lectionem Codd. nobis cogniti non agnoscunt) Wagn. Qu. Virg. XXXIII. 10., ubi de epexegesi per Copulam addita agitur, explicat: gemitus cum voce auditur. Equidem in his epexegesin invenire non possum. Immo tumulus, s. Polydorus in tumulum arboribus consitum mutatus, primum dat gemitum dolore expressum, quem deinde ipsa verba sequuntur. In min. edit. Wagn. haec adnotat: „*edi* vox dicitur, cum solius loquentis, *reddi*, cum etiam

„Quid miserum, Aenea, laceras? iam parce sepulto;
Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troia
Externum tulit aut cruor hic de stipite manat.
Heu! fuge crudelis terras, fuge litus avarum.
Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit

---

audientis ratio habetur." Codd. quidam *ad auras*, quod placet Peerlkampio: „ex imo tumulo ad loca superiora." Verba *vox reddita fertur ad aures* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 119. — **41.** *Iam*, quod prius cum *sepulto* coniungendum esse putavi, quam rationem etiamnum praefert Haeckerm. l. l., nunc cum *parce* coniungo. Usurpatur enim haec Particula etiam ubi significatur, aliquid statim esse agendum, quod iam dudum fieri debebat, ubi nos *nun - - einmal* vel *nun - - endlich einmal* ponimus. Cf. praeter alios locos Aen. VI, 629. *sed iam age, carpe viam* (ubi nos in vitae communis sermone: *aber nun mache einmal, dass du fortkommst*) et Hand. Turs. III. p. 127. — *sepulto*, i. e. terra obruto. Vid. supra ad v. 21. — **42.** *parce scelerare manus*, noli manus scelere polluere. Vid. adnott. ad Ecl. III, 94. coll. cum iis, quae Aen. I, 257. adscripsimus. *Scelerantur*, i. e. scelere polluuntur, manus, quae saeviunt in consanguineum. Sic Stat. Theb. IX, 666. *dextram sanguine scelerare*, Iuven. IX, 25. *aedes deorum scelerare* etc.; quare etiam oculi et aures, qui vident vel audiunt scelus, eo *consceleravi* dicuntur ap. Ovid. Met. VII, 34. et Liv. XL, 8. Ceterum verba *Parce pias scelerare manus* hinc repetit Vergilii imitator in Anth. Lat. I, 178, 386. — *Non me tibi Troia Externum tulit*, i. e. Troianus sum. Duae enim notiones in unam sunt contractae: non tibi externus sum, sed Troia me genuit. Vid. Donat. ad Ter. Andr. I, 4, 3. *tulit*, protulit, genuit. Cf. infra XI, 285. Hor. Sat. II, 2, 92. *Hos utinam inter Heroas natum tellus me prima tulisset*, et Heindorf. ad Hor. Sat. I, 5, 42. — **43.** *aut cruor* cett. Prius explicui cum Iahnio: „Non *me* tibi Troia *externum* tulit, neque cruor *externus* hic de stipite manat," nunc autem cum Bryceo et Ladew. redeo ad simpliciorem Heynii interpretationem: „non de trunco sanguis manat, sed de humano (i. e. meo) corpore." Conington alteram praefert rationem. Recte autem Heins. *aut* restituit ex optimis libris pro vulg. *haud*, post *non* locum non habente. Immo *aut* apud poëtas haud raro post antecedentem negationem adiungit prioribus novam sententiam, ad quam non minus pertinet illa negandi Particula, ut *nec - - aut* idem sit cum *nec - - nec;* quod etiam Iahn. ad h. l. docet. Cf. Wolf. ad Tac. Ann. I, 32. Bentl. ad Hor. Sat. I, 6, 68. Moeb. ad Caes. B. G. I, 44. Weichert. Ep. crit. de Val. Fl. p. 14. Bach. ad Ovid. Met. XIII, 672. Kritz. ad Sall. Iug. 18, 2. Hand. ad Stat. Silv. I, 3, 26. p. 379. et in Tursell. I. p. 543 sq. Prorsus eadem ratio est loci X, 529. *Non hic victoria Teucrûm Vertitur, aut anima una dabit discrimina tanta.* Cf. etiam I, 414. II, 187. 779. 785 sq. III, 162. IV, 339. 501. X, 259. etc. Idem valet de Part. *ve* (vid. Aen. II, 601. 785. III, 629. etc.), eademque ratione etiam simplices Copulas post vocabulum negativum negandi vim assumere videmus ad Aen. IV, 236. Quod autem ad h. l. attinet, mihi non persuasit Handius Turs. I. p. 547. sic distinguendum esse: *non me tibi T. externum tulit: aut cruor hic de stipite manat?* ut Part. *aut* „indignationem exprimat interrogatione, praemissa sententia negativa:" quemadmodum apud Ovid. Her. XVI, 169. *nec piget: aut umquam stulte legisse videbor?* et ibid. v. 357. *nec plus Atrides animi Menelaus habebit, quam Paris: aut armis anteferendus erit?* — V. **44.** totus iteratur in Anth. Lat. I, 178, 163. — *Crudeles terras.* Sic *crudeles aras* Aen. I, 355., ubi vid. adnott. — *litus avarum*, ubi avarus tyrannus habitat, qui me crudeliter interfecit. Vid. ad Aen. I, 355. — **45.** *Polydorus*, Priami filius natu minimus, quem Hom. Il. XX, 407. ab Achille in pugna ante Troiae moenia interfectum perhibet. Tragici autem, Euripides maxime in Hecuba 3 sqq., quos Vergilius sequitur, aliam fabulam finxerunt, ex qua parentes eum servaturi cum magnis divitiis miserunt ad Polymestorem, Thraciae regem et Iliones Priameidis coniugem, qui avaritia ductus illum post Troiae eversionem clam

Telorum seges et iaculis increvit acutis."
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstipui steteruntque comae et vox faucibus haesit.
    Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Treïcio regi, cum iam diffideret armis

---

interfecit: quo facto Hecuba, hoc scelus ulciscens, unguibus suis oculos ei eruit. Eandem fabulam repetunt Ovid. Met. XIII, 429 sqq. et paullo immutatam Hygin. f. 109. Dictys denique (II, 18. 22. 27.) utramque narrationem ita conflare studet, ut Polydorum a Polymestore Graecis traditum et ab his Priamo spectante ante Troiam lapidibus in eum coniectis necatum perhibeat. Cf. Heynii Exc. III. ad h. l. et Pfau in Pauly *Realencycl.* V. p. 1828 sq. — **46.** *telorum seges* (cf. Auson. Epitaph. XIX., quem Heyn. laudat, simul adnotans, ab Euripide ferro concisum tradi Polydorum) *increvit iaculis acutis.* Heyn. *iaculis* tertium Casum esse docet, pro *in iacula* positum, ut sensus sit: „tela ut emissa erant in me, in hoc tumulo excreverunt in arbores," (unde *iacula* — v. 37. *hastilia* dixerat — *petuntur*); cui cum Ladew. nunc etiam Wagn. recte adsentitur, quocum prius *iaculis* pro Ablativo habui, ut sensus esset: seges telorum in corpore meo radices egit et increvit. Noli igitur cum Thielio convertere: *die Saat schoss auf in spitzigen Lanzen*, sed potius *zu spitzigen Lanzen.* Ceterum v. 46. repetitur in Anth. Lat. I, 178, 228. ut sequens ibid. I, 172, 69. — **47.** *Tum vero.* Vid. adnott. ad Aen. II, 105. — „*pressus mentem formidine* is dicitur, cuius animum formido et curae angunt, vexant." *Wund.* Cf. autem adnott. ad Ecl. I, 54. — *ancipiti*, me ipsum ancipitem, dubium, quid facerem, reddente, ut ap. Val. Fl. III, 74. *anceps pavor*, quam explicationem etiam Haeckerm. l. l., Henry in *Tw. years* III. p. 2. (coll. Philol. XI. p. 625.) et Conington sequuntur, dum Ladew. et Wagner de duplici formidine et ex viso sanguine et ex auditis verbis Polydori nata cogitant. (Bryce quid sibi velit, non satis clarum est, cum primum per „*double*" interpretetur, deinde vero addat significare „*perplexing.*") — V. **48.** repetitur ex II, 774., ubi vide adnott. — **49.** Bothius, cum v. 48. post intervallum LXX versuum recurrat et formido Aeneae monstrum hoc videntis iam supra descripta sit v. 29 sq., hunc locum (in quo omnes Codd. et Scholiastae consentiunt) duplici glossemate inquinatum et sic legendum arbitratur: *Tum vero ancipiti mentem formidine pressus Obstupui. Hunc auri quondam cum pondere magno* cett. Sed recte adversatur Iahn., qui docet, breve intervallum nihil probare; alioquin sexcentos versus in Homero delendos esse, neque multo maiore intervallo Aen. II, 775. recurrere III, 153. et IX, 189. hemistichium IX, 236. repeti. (Cf. omnino adnott. ad Ecl. V, 37.) Wagn. praeterea verissime observat, Bothii coniectura probata parum aptum nos habere ab incitatissima oratione ad sedatam narrationem in eodem versu transitum. Accedit, quod etiam nomen Polydori non commode abesset. — **50.** *infelix* dicitur Priamus non ob Troiam deletam et adversam, quam illo tempore expertus est, fortunam, sed ob Polydori caedem, cum Priami consilium Polydorum in Thraciam, ubi tutus esset, mittendi infelicem habuerit exitum, quod iam Wagn. perspexit comparans illum dicendi usum, ex quo amantes, qui voto non sint potituri, infelices appellentur, ut Dido supra I, 749. (cum quo loco cf. v. 719. et 749.). Conington tamen hac explicatione sententiam nimis arctis cancellis circumscribi arbitratur. — *furtim*, ne Graeci scirent (vid. infra). Apud Eur. Hec. 6. ὑπεξέπεμψε. — *mandare* pro commendare poni, docet Barth. ad Stat. Theb. IV, 624. Ceterum cf. Stat. Theb. I, 580. *natum septa inter ovilia furtim Montivago pecoris custodi mandat alendum*, et Ovid. Met. XIII, 431. *cui te commisit alendum Clam, Polydore, pater.* — **51.** *Threïcio regi*, Polymestori. Forma *Threïcius*, quae redit VI, 645. VII, 208. XI, 659., poëtis usitatissima, apud meliores pedestris orationis scriptores non invenitur, nam apud Cic. Off. II, 7, 25. dudum restituta est verior lectio *Thraciis.* Respexit hunc versum poëta Anth. Lat. I, 168, 10.

Dardaniae cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractae Teucrum et Fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus
Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,

Threicio regi cum iam securus amorum etc. — **52.** Wagnero suspecta est altera huius versus pars, quod iam dudum oppugnaretur Troia, cum Priamus rebus suis diffidere coeperit, id quod Particula *iam* significet, neque statim postquam Graeci advenissent, sed secundum Eurip. Hec. v. 4 sq., quem Vergilius expressisse videatur, *ἐπεὶ Φρυγῶν πόλιν κίνδυνος ἔσχε δορὶ πεσεῖν Ἑλληνικῷ*, Polydorus in Thraciam sit missus. Sed neglexisse videtur Vir excell. Adverbium *furtim* v 50. positum, quod, nisi servatis verbis *cingique urbem obsidione videret*, commode explicari vix potest, quippe quae unam contineant causam, cur *furtim* dimittendus esset Polydorus. Sententiam enim hanc esse patet: Priamus Polydorum una cum magnis divitiis *furtim* (clam Graecis, stationes Graecorum fallens) dimisit, cum iam diffideret armis Troianis, urbem autem obsidione cinctam videret, ita ut palam eum dimittere non posset. Nam vix puto, quemquam haec ita interpretaturum esse, ut Priamum clam suis civibus, quos divitiis filio additis defraudare vellet, Polydorum dimisisse iudicet. Praesens autem *cingi* non de eo tempore est capiendum, quo primum urbs cingitur, sed idem fere significat, quod *cinctam teneri*. Ita enim verba cingendi, circumdandi et similia saepe usurpari, tam notum est, ut exemplis proferendis facile supersedere possim. Cf. tamen, si tanti est, ipsius Aen. XII, 162. Ovid. ex P. IV, 9, 17. Caes. B. G. I, 38. Curt. III, 1. cett. Additum autem verbum *videre* nihil hic mutare, vix est quod memorem. Iam vero si Wagn. veram urbis obsessionem, de qua poëtam cogitasse vix potest dubitari, a temporibus heroicis ait abhorrere, hoc salva sententia mea Viro doctiss. facile largiri possum. Quid enim? Nonne Wagn. ipse Qu. Virg. XXXIX. septendecim Vergilii locos profert, ubi poëta heroicis temporibus tribuerit, quae posterioris aetatis fuerint? nonne Quaest. XL. plures etiam commemorat, quos adeo dormitantem scripsisse bonum Maronem suspicatur? Quare nihil impedit, quominus etiam hic Vergilium suae potius quam antiquioris aetatis rationem habuisse et libertati poëticae magis quam historiae fidei obsecutum esse censeas. Quae cum ita sint, quis, quaeso, de hoc hemistichio, ab omnibus, quotquot collati sunt, libris scriptis exhibito, cum Wagnero dubitabit? Neque opus est, ut cum Peerlk. verba sic transponamus: *iam cum diffideret armis*, qui locum sic explicat: „statim, cum videret urbem obsideri et armis suis diffideret; cum videret, Graecos cum tanto exercitu venisse, ut parem se non futurum putaret.“ — **53.** *Fortuna recessit.* In eandem fere sententiam V, 604. *fortuna* dicitur *mutata fidem novare.* — **54.** *Res Agamemnonias*, causam, partes Agamemnonis victoris. Wund. minus recte *res Agam.* per opes Agamemnonis interpretatur. - *victricia arma* leguntur etiam in Rutil. Itin. I, 329. Epit. Iliad. 152. Anth. Lat. Burm. I, 89, 66. alibi, ut *victricia signa* in Prisc. Perieg. 666. — **55.** *Fas omne abrumpit* (quae verba repetuntur in Anth. Lat. I, 168, 12.) Heynio paullo audacius dictum videtur pro: divina humanaque iura infringit, violat. Imprimis de violato iure hospitii cogitandum esse patet. Ceterum cf. etiam V, 800. — **56.** *Vi potitur.* Invenitur enim hoc verbum interdum ad tertiae Coniugationis formas flexum. Vid. infra IV, 217. et XI, 493. Ovid. Met. XIII, 130. *Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille.* Prop. II, 9, 26. *Cum capite hoc Stygiae iam poterentur aquae.* Val. Fl. VII, 54. *Scilicet Aeoliae pecudis poteretur et auro.* Cf. etiam Lucr. II, 652. Manil. IV, 884. Ovid. Met. VII, 155. XIII, 729. XIV, 449. 641. Stat. Silv. III, 3, 81. Achill. I, 642. cett. Burm. et Bach. ad Ovid. Met. VIII, 130. Voss. Aristarch. T. II. p. 875. ibique Eckstein. Ruddim. I. p. 260. Struvius de Declin. et Coniug. p. 201. Ramsh. §. 62, 2, 6. alii. Wakef. ad Lucr. II, 506. etiam in illis locis, quos supra protulimus, *potiremur, potirentur* etc. scribendum censet, quartae quoque Coniugationis formas ita corripi posse opinatus. — Verbis seqq. *Quid*

Auri sacra fames! Postquam pavor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres primumque parentem
Monstra deum refero et, quae sit sententia, posco.
Omnibus idem animus, scelerata excedere terra,
Linqui pollutum hospitium et dare classibus austros.

---

non etc. Serv. et Pomp. Sabinus non male ad ipsius Didonis sortem (Aen. I, 353 sqq.) alludi suspicantur. — *quid - - non cogis* Heyn. male explicat per ellipsin Praepositionis *ad*, quae „eleganter“ omittatur; et Wund. Graecismum in his invenit (*ἀναγκάζειν τι*). Rectius de hac re disputavit Wagn. ad h. l., qui hanc structuram nullius populi propriam dicendam esse docet. Paucis verbis hoc dicendi genus, nunc vel tironibus notum, bene explicuerunt Billroth. §. 167. not. 4. et §. 210. Kühner §. 112. not. 3. aliique Gramm. Cf. praeterea, si exempla quaeris, Gronov. et Drakenb. ad Liv. IV, 26, 10. Burmann. ad Quinct. Inst. XII. p. 966. Boetticher. Lex. Tacit. p. 19. 4. Kritz. ad Sallust. Cat. 20, 11. et Iug. 79, 5. Daehn. ad Nep. Att. 22, 1. Obbar. ad Hor. Ep. I, 1, 101. Vol. I. p. 100. Ruddim. II. p. 159. 221. alios. Huc pertinent imprimis locus nostro respondens infra IV, 412. Ter. Phorm. II, 1, 8. *etiamne id lex cogit?* id. Andr. III, 4, 44. *Quod vos vis cogit, id voluntate impetret.* Cic. Legg. II, 6, 14. *persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere.* id. de Rep. I, 2, 3. *cives qui id cogit omnes.* Nep. Att. 22. *ne ad id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi acceleraret.* Liv. IV, 26. *siquidem cogi aliquid Consules possent.* VI, 15. extr. *vos id cogendi estis.* XXIII, 10, 6. *Qui cum negaret lege foederis id cogi posse.* Vellei. II, 81, 1. *quod cogere se putat posse, rogare non sustinet.* — **57.** *Auri sacra fames. Fames* omnino de avida cuiusque rei cupiditate dicitur. Sic *auri fames* etiam apud Plin. H. N. XXXIII, 4, 21., ap. Saleium Bassum in Wernsd. Poët. L. min. IV, 273. 207. et in Anth. Lat. III, 74, 2., *argenti sitis famesque* ap. Hor. Ep. I, 18, 23., *fames honorum* ap. Flor. III, 21. etc.; *sacer* autem (scil. diis inferorum) haud raro i. q. nefandus, sceleratus, ideoque horrendus, exsecrandus et detestabilis. Cf. Hor. Sat. II, 3, 181. *is intestabilis ac sacer esto.* Plaut. Bacch. IV, 6, 13. *Ego sum sacer, scelestus.* Stat. Theb. X. 804. *sacra insania mentis.* Catull. XIV, 12. *horribilis et sacer libellus.* Val. Fl. I, 798. *sacer pavor.* VII, 165. *sacrum venenum* cett., quod etiam pertinet ad morbum illum, qui *sacer ignis* appellatur (Geo. III, 566.) Cf. autem Taubmann. ad Plaut. Most. II, 4, 67. et Poen. Prol. 90. Drakenb. ad Liv. I, 1. et ad Sil. VIII, 100. Doering. ad Catulli l. l. imprimisque Heindorf. ad Hor. Sat. II, 3, 181. — *pavor ossa reliquit.* Vid. adnott. ad Aen. II, 120. — **58.** *primumque parentem.* Anchisae patri, auspiciorum perito, prius quam ceteris refert *Monstra deûm*, i. e. prodigium. Vid. adnott. ad Geo. IV, 554. et Aen. II, 171. (Alio sensu *monstra deum* VIII, 698. dicuntur). Ladew. adnotat, Anchisen hic quasi *principem Senatus* cogitari, cum verba *refert* et *quae sit sententia, posco* nos ad senatus habiti memoriam excitent. — **59.** *posco.* Vid. I, 414. — **60.** *Omnibus idem animus*, omnibus idem placuit, visum est, *excedere;* ut IV, 639. *Perficere est animus*, de qua constructione ad Geo. I, 305. diximus. — *scelerata terra*, terra scelere contaminata. Sic VI, 573. *sceleratum limen.* Vid. etiam supra ad II, 576. Respicitur hic versus in Anth. Lat. I, 170, 37. *Deponunt animos scelerata excedere terra.* — **61.** *Linqui pollutum hospitium.* Pauci quidam Codd. et Donat. ad Ter. Andr. prol. 16. *linquere*, quod difficiliori lectioni a librariis substitutum esse nemo non videt, quare non erat, cur Peerlk. huic lectioni patrocinaretur. Wagn., recte reiiciens opinionem, *linqui* per archaismum aliquem hic Deponentis vim habere, ut *nutritor* Geo. II, 425. et *bellantur* Aen. XI, 660., *linqui* vere Passivum esse contendit, ad quod ex verbis *animus est* suppleri vult verbum similis notionis *iubent.* Quae ratio mihi quidem paullo durior et artificiosior videtur. Cur enim nulla prorsus causa flagitante suppleamus aliquid? quidni potius haec quoque verba ab illis *animus est*, i. e. placet, suspensa cogitemus? Nam non unum *iubendi* verbum esse, cui Infinitivi Activi et Passivi, i. e. simplex Infin. et constructio Accusativi cum Infin.,

Ergo instauramus Polydoro funus et ingens
Aggeritur tumulo tellus; stant Manibus arae
Caeruleis maestae vittis atraque cupresso

---

in eadem enuntiatione iungantur (vid. adnott. ad Ecl. VI, 85. Aen. V, 773. XI, 84.), satis notum. Cf. Cic. Legg. I, 21, 56. *requiri placere terminos iisque parere*. Sall. Cat. 51, 43. *Placet igitur eos dimitti et augere exercitum Catilinae?* Liv. III, 51, 2. *placere creari, qui summae rei praeessent, militarique honore tribunos militum appellare* et quae sunt similia. Cf. Drakenb. ad Livii l. l. et ad VIII, 34, 9. Oudend. ad Frontin. II, 5, 46. Bremi ad Cic. Finn. II, 7, 21. Görenz. ad Cic. Legg. I, 21, 56. Matthiae ad Cic. pr. Ligar. 5, 14. Ochsner ad Ecl. Cicer. p. 219 sq. Kritz. ad Sall. l. l. Fabri ad Liv. XXI, 38, 6. — Cum *polluto hospitio* Conington comparat *pollutum amorem* V, 6. et *pollutam pacem* VII, 467. — *dare classibus austros* non hypallagen esse pro *dare classem austris*, verissime docet Heyn., eandemque hypallagen, ad quam priores editores haud paucis in locis temere confugerunt, multis verbis insectatur Thielius. Immo *classi, navibus ventos dare* nihil aliud est, quam vela ventis pandere vel vela pandendo efficere, ut ventus ad navem admissus eam promovere possit. Cum autem ab arbitrio nautarum pendeat, utrum vela ventis pandere velint, satis commode dicitur *ventos dare velis, navibus*. Paullo subtilius Wagn.: „dantur navibus venti, quasi vocati et postulati; cf. IV, 417.“ — **62** sqq. Locus imprimis memorabilis, si de inferiarum ritu quaeritur. — Heyn. verba *instauramus funus* recte explicat per: facimus funus, coll. IV, 63., ubi vid. adnott.; minus recte *Thiel.*, cui etiam Ladew. videtur adsentiri: „facimus denuo, iterum funus, quod ei non iustum contigerat“; nam etsi v. 41. *sepultum* se dixerat ipse Polydorus, illud tamen non proprie intelligendum esse, iam supra vidimus, *funus* autem plura complectitur, quam solam sepulturam. Bene enim Wagn. adnotat, quae sequantur *et ingens Adgeritur* cett., singulas esse partes, quas illud *funus instauramus* tamquam totum complectatur, neque in Copula addita haerendum ait, comparans h. l. cum Aen. IV, 239. et VI, 495 sq. (Cf. omnino quae de Copulae vi explicativa adnotata sunt ad Ecl. III, 34. Geo. I, 498 et Aen. I, 30. et 111.) Fieri autem haec omnia ex more veterum, qui religione tenebantur, ut mortuis nondum sepultis aut funere ornatis iusta persolverent, Schirach. p. 485. docet. — **63**. *Adgeritur tumulo* (*zu dem Hügel*) *tellus*, ut altior fiat et vero tumulo similior; nam *tumulum* iam ante fuisse, quamquam temere adgestum, ex v. 22. novimus. Sic etiam Bryce, Conington et Wagn. in recentiss. edit. („in tumulum v. 22. commemoratum“) locum mecum intelligunt. Nunc tamen, cum intellexerim, minus probabile esse, tumulum illum horrendo monstro signatum ab Aenea Polydori sollemni sepulturae adhibitum esse, proclivis sum ad amplectendam explicationem a Schirachio l. l., Kappesio III. p. 6. et Ladewigio propositam: aggeritur terra — tumulo (*zu einem Grabhügel*), ut de novo tumulo cogitandum sit. — *stant M. arae* Heyn. interpretatur per consequens: statuuntur arae (vid. ad Aen. II, 442.); rectius autem Wagn. verba *stant Manibus - - - solutae* παρένθετα esse docet. Idem Heyn. de una modo ara cogitat; et sane supra II, 202. (ubi vid. adnott.) *ad aras* aperte pro *ad aram* positum. Sed cum etiam infra v. 305. Andromache Hectoris Manibus *geminas aras* exstruat, nec minus Ecl. V, 66. Menalcas Daphnidi duas aras voveat, atque etiam infra V, 48. de *aris* Anchisae exstructis sermo sit, habent etiam, quo nitantur, qui duas aras ab Aenea conditas esse arbitrantur, ut Wagn., Ladew. et Conington. Cf. etiam Lersch. Ant. Virg. §. 59. p. 161. — **64**. *arae maestae*, ut V, 48., i. e. moestitiam declarantes, ut XI, 35. *Et maestum Iliades crinem de more solutae*. Respexisse hunc locum videtur auctor Epit. Iliad. 896. *sanguineis maestae Clotho Lachesisque capillis*. — *Caeruleis vittis* (vid. ad Ecl. VIII, 64.) i. e. nigris, fuscis, moesti coloris, ut Ovid. Fast. IV, 446. *caerulei equi Plutonis*, Stat. Theb. II, 528. *umbra caer.*, Eleg. ad Liv. 93. *mors caer.*, Ciris v. 214. *caeruleae umbrae*, et ipsius Aen. VI, 410. *puppis caerulea Charontis*. Cf. Burm. ad Val. Flacc. III, 400. De Ablativo autem hic usurpato vid. adnott. ad Aen. IV, 517. — *atra cu-*

Et circum Iliades crinem de more solutae;
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte
Sanguinis et sacri pateras animamque sepulchro
Condimus et magna supremum voce ciemus.
  Inde, ubi prima fides pelago placataque venti

---

pressus, non nativo colore, sed quia arbor funebris est. (Vid. adnott. ad VI, 127.) Propterea Aen. VI, 215. et Ovid. Trist. III, 14, (al. 13) 21. *feralis*, Horatio Epod. V, 18. *funebris*, et Od. II, 14, 23. *invisa* dicitur, ap. Ovidium autem Met. X, 114. Apollo ad Cyparissum in arborem mutatum: *Lugebere nobis, Lugebisque alios aderisque lugentibus, inquit*, et ap. Claud. R. Pros. II, 108. *tumulos tectura cupressus* commemoratur. Servio auctore (infra ad v. 680.) cupressus „ideo mortuis consecratur, quod caesa semel nescit renasci.“ Aliam causam (quod Diti sacra sit) affert Plin. XVI, 33, 60. — **65**. *Iliades*, matronae Troianae, *crinem solutae* (vid. ad I, 480.) circumstant tumulum plangentes, lamentantes. Cf. Aen. XI, 35. ubi eadem verba iterantur. Burm. comparat Ovid. Fast. IV, 854., *Maestas Acca soluta comas*, et Met. XIII, 688. *Effusaeque comas et apertae pectore matres significant luctum*. — *de more*. Vid. infra v. 369. I, 318. IV, 57. V, 96. VI, 39. VIII, 544. XI, 35. Sic *ex more* V, 244. VIII, 186., *in morem* V, 556. VIII, 223. et *more* simpliciter IV, 551. VI, 282. VII, 204. etc. — **66**. *Inferimus. Inferre*, ἐπιφέρεσθαι χοάς, verbum proprium de liquoribus (aqua, lacte, vino, sanguine) qui Diis Manibus libantur; unde *inferiae* nomen habent. Vid. Aen. V, 652. Plaut. Curc. I, 1', 72. Ovid. Met. VI, 569. cett. Thiel. laudat Musgrav. ad Soph. Antig. 197. et Voss. ad Geo. p. 916. Adde Stanl. ad Aesch. Pers. 609. Erfurt. ad Soph. Ant. 427. Merrick. ad Tryphiod. 605. et Cort. ad Lucan. II, 176. — *Cymbium* poculorum genus est, cymbae simile, oblongum et angustum. Cf. imprimis Macrob. Sat. V, 21. Varro ap. Nonium XV, 21. Aen. V, 267. Martial. VIII, 6, 2. cett. — *tepido lacte*, recens mulcto, i. q. in similibus locis Ecl. V, 67. (ubi vid. adnott.) et Aen. V, 78. *lac novum*. Cf. etiam Theocr. V, 53 sq. Imitatus est hunc locum Calpurn. Ecl. VIII, 68. *Dat grandaeva Pales spumantia cymbia lacte*. — **67**. *Sanguinis sacri*, de victimis sumpti, (ut V, 78.) *pateras*, sanguinis plenas. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 24. Ut hic lacte et sanguine, sic infra V, 77 sq. lacte, sanguine et vino, Ecl. V, 66. lacte, vino et oleo, ap. Tibull. III, 2, 19. lacte et vino libatur Manibus. — *animam sepulcro condimus* Heyn. explicat: „Manes placamus, ut quieti suae reddantur.“ Cogitandum est enim de illa veterum opinione, ex qua Manes cum corporibus in sepulcris versari putabantur, dum corpora putredine soluta essent (unde *Manes elicere*, *excire sepulcris* et similia explicanda); insepultorum vero Manes vagari, dum tumulo facto et inferiis oblatis quieti redderentur et sepulcro continerentur. Cf. infra IV, 34. 427. VI, 325 sqq. Hor. Sat. I, 8, 29. Tibull. I, 2, 47. (ibique Interpp.) Ovid. Met. VII, 206. Fast. V, 451. Thiel. et Gossr. ad h. l. Vid. etiam ad Aen. IV, 489. — *supremum* prius cum Thielio pro Accus. Obiecti habui: suprema s. *novissima verba* (infra VI, 231.), s. id quod supremum, extremum acclamari solet: *Have, vale, pia anima*, et similia; nam non semper eadem formula usi videntur iusta alicui facientes. (Cf. Serv. ad h. l. et ad II, 644. Heyn. ad Tibull. III, 2, 15. et Kirchmann. de funer. III, 9.) Nescio tamen, an Servius, quem sequitur Conington, rectius adverbialiter positum accipiat, ut Obiectum sit *animam*, quemadmodum in loco infra laud. VI, 506. *Manes*. Bene autem Markland. ad Stat. Silv. V, 1, 227., ab Iahn. laudatus, memorat, tres fuisse conclamationes vel potius acclamationes mortuorum, primam statim post excessum defuncti, alteram ad rogum, tertiam post peracta tumuli sollemnia. De hac tertia et suprema acclamatione hic cogitandum. Vid. etiam adnott. ad Aen. I, 219. II, 644. — *magna voce ciemus*, ut VI, 506. *magna Manes ter voce vocavi*. Ita Sil. IV, 272. *clamore ciere*. Saepius simplex *ciere* pro vocare ponitur. Vid. Aen. VII, 125. Val. Fl. IV, 549. Ovid. Fast. IV, 484. cett. — **69** sqq. Vere ineunte, ubi denuo incipit navigatio, naves rursus conscendimus. — *ubi prima fides pelago*, cum primum (cf. adnott. ad Aen. IV, 118.) pelago confidi,

Dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum,
Deducunt socii navis et litora conplent.
Provehimur portu terraeque urbesque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratissima tellus

---

navis committi poterat, meliore tempestate reversa. Burm. confert Sil. III, 153. *confisus pelago*. Lucan. V, 440. *credere ponto*. Claud. Bell. Get. 47. *non poscimus amnis Undosam servare fidem*. Peerlk. sine iusta causa pro *pelago* coni. *caelo*. — *placata venti Dant maria*, venti vehementiores dum cessant, efficiunt, ut mare placidum, tranquillum sit, et ita *placata* quasi *dant*, praebent, navigaturis *maria*. Vid. adnott. ad Ecl. II, 26. et IX, 57. coll. cum Aen. I, 66. V, 763. et IX, 323. Similiter Silius VI, 365. *ventique dedere profundum*. Thiel. confert Soph. Ai. 659. (673. Lobeck.) *δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε στένοντα πόντον*, et Trach. 94. *Ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα τίκτει, κατευνάζει τε, φλογιζόμενον ἅλιον*. Conington *placata dant* explicat per placant vel placaverunt, comparans *vasta dare* IX, 323. et *defensum dare* XII, 437. — 70. *lenis crepitans - - auster*. Neque duo hic epitheta sine Copula coniuncta habemus, quod Heyn. censet, neque cum Wund., Thielio et Gossr. verba sic iungenda sunt: *lenis auster vocat crepitans*, neque ad coniecturas confugiendum, ut cum Wakefieldo *lene crepitans* legamus, quam productionem Wagn. iure vocat insolentissimam (cf. etiam Schirach. p. 370., recte hanc lectionem reiiciens), aut cum Schradero *lene increpitans*, aut cum Toupio ad Suid. P. III. p. 138. *leni crepitans*, aut denique cum Peerlkampio *velis crepitans;* sed *lenis* pro Adverbio *leniter* est positum, ut Geo. I, 163. *tarda volventia plaustra*, II, 377. *gravis incumbens aestas* cett. Vid. adnott. ad VIII, 559., ubi Wagn. cum h. l. comparat Marian. in Brunck. Anal. T. II. p. 511. *δένδρεα πρηῢς ἐπιπνείων ἀμφιδονεῖ Ζέφυρος*. — *Austrum* non proprie intelligendum, sed pro vento omnino esse positum, recte observat Heyn., cum ex Thracia evectis Auster non sit secundus, sed apud Homerum Od. IX, 67. Iupiter Ulyssi ex Thracia solventi Boream potius miserit. — *vocat in altum*, invitat ad navigationem. Cf. infra v. 356. et 454. Thiel. confert Stat. Theb. V, 468. *clementior auster vela vocat*. Val. Fl. III, 341. *vestes, Quas rapuit telis festina vocantibus austris Hypsipyle*. Claud. Bell. Get. 172. Lucr. V, 525. Drakenb. ad Sil. X, 112. et Markland. ad Stat. Silv. V, 2, 148. — 71. *Deducunt socii naves* (vid. adnott. ad Geo. I, 255.) *et litora complent*. Cf. similem locum IV, 398 sqq. — 72. *recedunt*, ex oculis praeternavigantium auferuntur. Cf. Sen. Ep. LXX, 1. *Praenavigavimus - - vitam et quemadmodum in mari, ut ait Vergilius noster, terraeque urbesque recedunt, sic in hoc cursu rapidissimi temporis primum pueritiam abscondimus* (vid. infra v. 291.), *deinde adolescentiam* et Val. Fl. IV, 643. *dumque ocius instant Ferre fugam, maria ante ratem, maria ipsa repente Diffugere, adversosque vident, discedere montes*. — 73. Sermo est de Delo insula, quae, cum olim vaga per mare natasset, eodem temporis momento, quo Latona in ea peperit Apollinem et Dianam, media inter Cycladas fixa et stabilita est (fulta quatuor columnis adamantinis, ut legitur in Pindari fragm. T. III. p. 43. ed. Heyn.). Cf. imprimis Petron. in Anth. Lat. III, 7. *Delos, iam stabili revincta terra, Olim purpureo mari natabat Et moto levis hinc et inde vento Ibat fluctibus inquieta summis. Mox illam geminis deus catenis Hac alta Gyaro ligavit, illac Constanti Mycono dedit tenendam*. Strab. X. p. 442. Almelov. ibique Casaub. Callim. H. in Del. 300. Ovid. Met. VI, 189. 333 sqq. id. ex Pont. IV, 14, 57 sq. Stat. Achill. II, 191. Theb. III, 438. Propert. V, (IV,) 6, 27. Sen. Agam. 370. Plin. H. N. IV, 12, 22. Sen. N. Qu. VI, 26. alii. Ceterum de ipsa insula, quae nunc *Dhiles* vocatur, cf. liber meus geogr. III. p. 1025 sq. cum nota 77. — *sacra*, tamquam Apollinis et Dianae patria. — *medio mari*, i. e. simpliciter in alto mari, ut mox de Creta v. 104. et v. 270. de Zacyntho; quam explicationem iam Heyn., Homericum usum loquendi (Od. IV, 844.) *ἔστι δέ τις νῆσος μέσσῃ ἁλὶ πετρήεσσα* [adde Od. XIX, 172.] comparans, praefert alteri eorum, qui Delum mediam Cycladum a veteribus (v. c. a Plinio l. modo laud.) dici cogitant. — Pro *tellus*

Nereidum matri et Neptuno Aegaeo,
Quam pius Arquitenens oras et litora circum
Errantem Mycono e celsa Gyaroque revinxit

Burm. ad h. l. et ad Ovid. Fast. VI, 177. coni. *Delus*, probantibus Burm. Sec. ad Anthol. Lat. p. 460. et Schradero Emendatt. c. 3. p. 39., qui provocat ad Cirin v. 472 sq. *Linquitur ante alias longe gratissima Delos Nereïdum matri et Neptuno Aegaeo.* Sed verissime memorat Wund., ex accurata descriptione v. 73—77. satis apparere, quae insula intelligenda sit, ut Burmanni coniectura facile carere possimus. *Tellus* autem eadem insula vocatur etiam Ovid. Met. III, 598. *Forte petens Delum, diae telluris ad oras Applicor* et Sen. Herc. fur. 15. *Quibus natis mobilis tellus stetit;* pariterque *tellus* de insulis usurpatur ibid. VIII, 235. 260. Aen. I, 34. VI, 23. alibi. Ceterum non est, cur doceam, verba sic iungenda esse: Medio mari colitur sacra tellus, gratissima cett. — 74. *Nereïdum matri.* Doridi. Vid. adnott. ad II, 419. — *Neptuno Aegaeo,* quia mare Aegaeum praecipua huius dei sedes habebatur. Cf. Hom. Il. XIII, 20 sqq. De duplici hiatu, quorum alter caesura, alter nomine proprio excusatur, omninoque de compositione totius versus vid. adnott. ad Ecl. II, 24. (Aen. I, 617.) et al. Orell. ad Hor. Od. II, 20, 13. et Ramsh. §. 221, 2. a. — 75. Cf. Il. Hom. I, 37. Imitatus est hunc locum auctor Ciris 473 sq. Vide supra. — *Arquitenens* (ut pro vulg. *Arcitenens* in Med., Pal., Gud., Bern. II. et III. a m. pr. et in plerisque Macrobii Sat. VI, 5, 8. Codd. legitur, quos cum recentiss. editoribus praeter Bryceum et Conington secutus sum: cf. etiam Heins. ad h. l., Val. Fl. V, 17., ubi Cod. Val. exhibet *Arquipotens* et Arnob. I. p. 20., qui Dianam et Apollinem vocat *Arquitenentes* cum adnott. ad Ecl. III, 8.) Apollo dicitur tamquam τοξοφόρος, τοξότης. Cf. Ovid. Met. I, 441. *Hanc deus arcitenens - - Perdidit.* Stat. Silv. IV, 4, 95. *Sed vocat arcitenens alto pater.* (Cf. etiam Hor. C. Saec. 61. *Phoebus fulgente decorus arcu* et similes loci.) Sic etiam Diana Attio appellatur *arcitenens dea.* — *pius* Heyn. recte interpretatur „gratus erga insulam, in qua erat natus.“ Cf. etiam Wakef. ad Lucr. V, 554. Plures Codd. *prius*, quam lectionem, etiam a Pomp. Sab. et Servio in libris inventam, probarunt Broukhus., Burm. ad Anthol. Lat. I. p. 460. et Schirach. p. 399., ut verba sic procedant: *Quam prius - - errantem Arcitenens - - revinxit.* Sed longe significantiorem esse receptam lectionem, cui etiam favet Silius V, 177. *Cum pius Arquitenens* etc., nemo non videt; et *prius* abundat, cum iam ex verbo *revinxit* appareat, insulam prius in mari errasse. Ceterum quod hic Vergilius Apollini, idem Senec. Agam. 367 sq. Dianae tribuit (*Tu maternam sistere Delon Lucina iubes*). — *oras et litora circum* (vid. I, 32. 667. VI, 329. cett. ibique adnott.) *Errantem;* unde Ovidio Met. VI, 333. *erratica Delos* vocatur. — *Mycono e celsa Gyaroque revinxit.* Sic ex plurimorum Codd. auctoritate legendum esse, Wagn. probavit, (qui etiam in Philol. Suppl. I. p. 335 sqq. de h. l. et imprimis de elisione longae Vocalis docte disputavit, comparans Aen. I, 642. 650. III, 211. IV, 179. VI, 505. VII, 20. 341. 476. VIII, 135. 728. IX, 672. X, 179. Plures enim Codd., inter quos ipse Med., exhibent *Mycone celsa G.*, verbis tantum male divisis, alii *Mycone celsa*, quod et ipsum ex *Mycono e celsa* ortum, nam a Μύκονος non potest Ablativus oriri *Mycone*, alii *Mycone e*, alii denique *Mycono excelsa* vel *M. et celsa;* quae lectionis varietas luce clarius demonstrat, a Vergilio scriptum esse *Mycono e celsa;* quod prius explicui: „*von Mykonos u. Gyaros aus* (cf. Hand. Tursell. II. p. 626 sq.); positus quasi in altiore Mycono et Gyaro deus utrique insulae ligavit Delum, quam ceteris Cycladibus humiliorem esse docet Wheeler. *Journey into Greece* p. 58.;“ nunc tamen praefero rationem a Wagn. in recentiss. editione propositam, ut coll. illo Petronii loco (vid. ad v. 73.) locum sic intelligamus: revinxit Apollo Delum quasi catenis quibusdam *e* Mycono et Gyaro *aptis*, cum sane Apollinem in ipsa Delo stantem cogitare rei naturae magis conveniat. Iahn. tamen (in priore edit., nam in altera Praepositionem restituit) Thiel., Bryce, Haupt. et Ladew. (qui cf. in Append. p. 243.) Wunderlichio sua-

Inmotamque coli dedit et contemnere ventos.
Huc feror; haec fessos tuto placidissima portu
Accipit. Egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,
Vittis et sacra redimitus tempora lauro
Occurrit; veterem Anchisen adgnoscit amicum.

---

dente in Praef. p. XIII., omissa Praepos. edidere *Mycono celsa Gyaroque*, quod etiam Peerlk. probat, et Hoffmann. l. l. p. 418. legi vult *a celsa* coll. Aen. VII, 106. et Ovid. Met. XIV, 445. Heinsius autem, Pierii quosdam libros secutus, transpositis verbis scripsit *Gyaro celsa Myconoque*, cum Ovid. Met. VII, 463. *humilem* dicat *Myconon*, Petronius autem *altam Gyarum* commemoret, eamque lectionem sequentes editores, etiam Heyn., temere servarunt. Sed verissime docet Wagn., insulas (utpote quae omnes mari emineant) poëtis promiscue *altas* dici, ut ab ipso Vergilio IX, 715. *Prochytam*, quae humilis fuerit; quod autem addit, Ovidium potius erroris arguendum esse, cum apud Plin. H. N. IV, 12, 22. legatur: *Myconos cum monte Dimasto*, hoc non scripsisset Vir doct., si legisset, quae Tournefort. narrat *Voyage du Levante* T. I. p. 332. (*L'isle de Mycone est fort aride, et ses montagnes sonst peu élevées.* - - - *Ovide, qui dans son voyage du Pont avoit vu Mycone de plus près que Virgile, a eu raison de dire que c'étoit une isle peu élevée, au lieu que Virgile dit tout le contraire.* Cf. etiam Clark *Peloponn.* p. 20 sq. et Ross *Reise auf d. griech. Ins.* II. p. 28 sqq.) De *Mycono* (quae etiamnum *Mykono* vocatur) et *Gyaro*, quae etiam *Gyara* (Iuven. X, 170.) et *Gyarae* (id. I, 73., nunc vero *Chiura* s. *Iura*) dicitur, et sub imperatoribus Romanis notissimus erat exsilii locus, praeterea cf. liber meus geogr. III, p. 1024. et 1026. Ceterum respexit hunc locum praeter Petron. l. supra l. etiam Stat. Theb. III, 438. *ipsa tum Mycono Gyaroque revelli, Dele, times.* — 78. *coli dedit et contemnere.* Vid. adnott. ad Aen. I, 66. 79. 319. Delos *contemnit ventos*, i. e. tuta est a ventorum violentia, utpote quae sit a ceteris omnibus Cycladibus circumdata. Vid. Geo. II, 360. Iuven. X, 123. Burm. ad Claud. in Rufin. II, 123. Bach. et Dissen. ad Tibull. I, 3, 37. Probat hanc explicationem Conington conferri iubens Prop. V, (IV,) 6, 27. *Phoebus linquens stantem se vindice Delum, Nam tulit iratos mobilis ante Notos*, qui tamen locus nescio an magis faveat Gossravii rationi adscribentis: „*ventos*, quibus antea agitabatur.“ Affert hunc versum Seneca N. Qu. VI, 26. — 79. *Egressi veneramur*, salutamus, adimus cum honoris significatione. Cf. Heyn. ad Tibull. I, 5, 33. Wagn. et Ladew. comparant Ovid. Her. XXI, 91 sq. *Protinus egressae superis, quibus insula* (Delos) *sacra est, Flava salutatis tura merumque damus.* Peerlk. praeter necessitatem coni. *egressique intramus.* — 80. *Anius*, Apollinis filius vatesque celeberrimus, de quo cf. Ovid. Met. XIII, 640 sqq. Diod. Sic. V, 62. Tzetz. ad Lycophr. 570. Dictys l. l. extr. Dion. Hal. 1, 50. et Heyn. Exc. I. ad h. l. Wagn. conferri iubet Meineck. ad Euphorion. fragm. p. 26. et Osannum ad Apulei. de Orthogr. §. 4. Adde Conon. Narr. 41. Creuzeri Symb. IV. p. 378 sqq. et Interpp. ad Hyg. f. 247. — *rex idem hom. Phoebique sacerdos*, ex Homericorum temporum consuetudine. Vid. Burm. ad Val. Fl. VI, 64. et supra I, 274. *regina sacerdos.* Praeterea cf. infra IX, 327. *Rex idem et - - augur* et Ovid. Met. XIII, 632. *Anius, quo rege homines, antistite Phoebus Rite colebatur.* De iterato voc. *rex* vid. adnott. ad Ecl. VI, 20. Aen. II, 318. et al. Ceterum hunc locum imitatus est Ovid. Met. XIII, 632. *Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phoebus Rite colebantur, temploque domoque recepit.* — 81. *Vittis redimitus.* Cf. Ovid. Met. XIII, 643. *Anius, niveis circumdata tempora vittis Concutiens*, id. ibid. V, 109. *Cererisque sacerdos, Ampycus, albenti velatus tempora vitta* cett. et adnott. ad Aen. II, 221. — 82. *Occurrit.* Med. *accurrit;* sed *accurrendi* notionem involutam esse *occurrendi* verbo, vere docet Wagn., conferens infra V, 36. — *adgnoscit.* Plurimi Codd., inter quos etiam fragm. Vatic., Pal., Gud., Bern. I. II. et Donat. ad Ter. Andr. III,

Iungimus hospitio dextras et tecta subimus.
  Templa dei saxo venerabar structa vetusto:
„Da propriam, Thymbraee, domum; da moenia fessis

---

3. *adgnovit,* quod Ribbeck. et Ladew. receperunt; sed Med. (ut etiam Bern. III.) *agnoscit*, quod brevitati narrationis magis convenire censet Wagn., quare, ut a prioribus editoribus, sic etiam a Bryceo, Hauptio, Coningtone et Benoisto servatur. — **83**. *Iungimus hospitio dextras* (quae dicendi formula redit XI, 165.) Heyn. recte interpretatur: „hospitii pristini iure, propter hospitium, quod inter Anchisen et Anium fuerat." De quo Ablativi usu cf. Markl. ad Stat. Silv. II, 7, 58. Muncker. ad Hyg. fab. 34. p. 94. Bremi ad Nep. Con. 3, 1. Matth. ad Cic. pr. Mur. 10, 23. Goerenz. ad Cic. Legg. I, 15, 43. et III, 9, 22. Kritz. ad Sall. Cat. 31, 3. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 24. Beneck. ad Iustin. XXXIX, 2, 7. Hertzberg. ad Propert. III, 24, 2. p. 384. Similiter Aen. VIII, 169. *iuncta est mihi foedere dextra.* Quominus enim *hospitio* tertium Casum habeamus, pro *ad hospitium* positum, impedit hospitium iam prius ab Anchise cum Anio iunctum; quamquam vel Probus videtur dubitasse, utrum Ablativus, an Dativus esset, sed ut hunc fortasse praeferret. (Cf. Serv. et Ribbeck. Proleg. p. 144.) Thiel. *hospitio* absolute sumptum explicat: cum hospitium inter nos esset, coll. Matth. ad Cic. pr. Sext. §. 89. Kritz. ad Sall. Cat. 11, 4. et Ellendt. ad Cic. Brut. 79, 273. *Iungere* autem *dextras* fidei symbolum apud omnes fere gentes esse constat. Cf. supra I, 408. infra v. 610. Ovid. Met. VIII, 421. Cic. p. Deiot. 3, 8. Val. Fl. III, 18. ibid. VI, 12. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 5, 54. et Thiel. ad h. l. Ceterum eadem verba redeunt XI, 165. — **84**. Templum Aeneas intrat et preces facit Apollini. — *Templa saxo - - structa vetusto*, i. e. templum vetustum. Argutatur in hoc Macrob. Sat. III, 6., qui, cum templi aetatem hic indicari frigidum sit, denotari potius insulae firmitatem suspicatur, quae, dum proximae insulae fere omnes terrae motibus vastarentur, nunquam hoc incommodo vexata, semper *eodem saxo* manserit, tuta nimirum Apollinis et Dianae praesidio. Cf. potius infra VIII, 478. *urbs saxo fundata vetusto* ibique adnott. — *venerabar* meliorum Codd. est lectio, cui etiam v. 90. favere, iam Wagn. vidit, qui alteram scripturam *veneramur* (quam etiam Ribbeckii Bern. III. a m. pr. exhibet) vel ex v. 79. ortam putat, vel ad proximam orationem, maxime ad v. 93., a librariis accommodatam. Ceterum Bryantus, in cuius sententiam Heynius quoque inclinat, putans, versum 79. post *Accipit* inexpletum relictum male esse ab alia manu suppletum, non minus ob hanc ipsam verbi *venerandi*, quam ob voc. *regis* v. 80. repetitionem omnem hunc locum v. 80—84. spurium esse censuit; cuius iudicii temeritatem iam Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 92 sqq. et Iahn. ad Geo. II, 125. demonstrarunt (cf. etiam adnott. ad Ecl. VI, 16.); Wagn. autem provocat ad Ovidianam illam huius loci imitationem Met. XIII, 631 sqq. *Intrat* (Aeneas) *Apollineam sociis comitantibus urbem. Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phoebus Rite colebantur, temploque domoque recepit.* — **85**. *Da proprium* etc. Nullo addito dicendi verbo a narratione statim transitur ad preces ab Aenea fusas; de qua re cf. adnott. ad I, 335. Nescio enim, quo iure Wilms. Progr. p. 13. (ubi etiam p. 19. contra Wagn. disputat eumque varia exemplorum genera confudisse insimulat), *venerabar* esse Verbum dicendi contendat omisso tantum Pronomine vel Adverbio demonstrativo. Simile certe exemplum vix poterit proferri. Summum, quod concedere possum, est, verbum *venerabar* includere notionem voc. *precabar*, *orabam*. — *Thymbraeus* vocatur Apollo, tamquam patrius Troianorum deus. Vid. adnott. ad Geo. IV, 323. — *da propriam domum* vulgo explicant: indica domum, significa, ubi quaeramus domum; de qua signif. verbi *dandi* vid. adnott. ad Ecl. I, 19.; Wagn. vero, imprimis ob verba *da genus, dare* hic proprie intelligendum esse censet. Scilicet cum, quod deus oraculo promittit, eveniat necesse sit, ipse hoc dare videtur; quod rectissime memorat Gossr. Cf. v. 145. 460. et VI, 66. — *propriam domum*, perpetuam, firmam, stabilem. Vid. supra I, 73. infra VI, 872. Hor. Od. II, 2. 22. Sat. II, 2, 5. Cic. post red. in Sen. 4. etc. et ad-

Et genus et mansuram urbem; serva altera Troiae
Pergama, reliquias Danaum atque inmitis Achilli.
Quem sequimur? quove ire iubes? ubi ponere sedes?
Da, pater, augurium atque animis inlabere nostris.“
Vix ea fatus eram, tremere omnia visa repente,
Liminaque laurusque dei, totusque moveri
Mons circum et mugire adytis cortina reclusis.

---

nott. ad Ecl. VII, 31. — *fessis* erroribus longis. — **86**. *genus* Heynio est sedes stirpis futurae, atque etiam Conington *genus* seqq. verbis *mansuram urbem* explicari censet; qui si nihil aliud dicere volunt, nisi *genus* sine *mansura urbe* cogitari vix posse, adsentior; de ipsa tamen stirpe, progenie hic cogitandum esse, docet v. 98. Cf. etiam parallelus locus V, 737. *Tum genus omne tuum et, quae dentur moenia, disces.* — Verba *serva altera Troiae Pergama* sequentibus explicantur; sensus est enim: serva Troianorum reliquias, quae nova illa Pergama condituræ sunt. — **87**. *reliquias Danaum* cett. Vid. ad I, 30., ubi haec verba iam legimus, quae Peerlkampio propterea hic suspecta sunt. — **88**. *Quem sequimur?* quem iubes nos sequi? ecquis est, quem ducem sequi nos velis? De Indicativo vid. adnott. ad II, 322. 678. et III, 367. Non enim adsentior Gossravio, cui verba aptius sic iungenda videntur: Pater (quem sequimur, quo ire iubes, ubi ponere sedes) da augurium, ut *quove* pro *quovis* s. *quocunque* positum sit. Totus hic versus iteratur in Anth. Lat. I, 178, 90. — **89**. *pater*. Vid. ad Geo. II, 4. Praeterea Apollo Delius κατ' ἐξοχήν est Γενέτωρ. Cf. Macrob. III, 6. — *augurium* de omnibus deorum monitis dici et hic oraculum notare, docet Barth. ad Stat. Theb. IV, 617. Ita etiam Heyn., qui oraculo suum locum fuisse in novis sedibus quaerendis memorat, coll. Herod. IV, 155. et Callim. h. in Apoll. 65 sqq. — *animis inlabere nostris*. Proprie Phoebus vatis sui s. sacerdotis animo se insinuat (cf. infra v. 359. VI, 77. Hor. Od. I, 16, 4. Lucan. V, 164.); hic vero etiam eorum, quibus oraculo dato aliquid prodit, illustrat. Wagn. conferri iubet adnot. suam ad Eleg. ad Messal. p. 50., ubi sane hic locus, sed parum apte, comparatur. Repetuntur haec verba in Anth. carm. laud. v. 351. — **90** sqq. Heyn. docet, sollemne esse poëtis, numinis sortem edituri praesentiam ita declarare, ut totam rerum naturam numen sentire moverique fingant. Cf. infra VI, 256. Spanh. ad Callim. h. in Apoll. in. et Bach. ad Ovid. Met. IX, 782., qui confert Met. XV, 634 sq. Fast. III, 47. Sen. Med. 786. Claud. R. Pros. I, 7 sqq. — *omnia* deinde per species redduntur. Vid. supra ad Ecl. VI, 34. infra ad Aen. IX, 192. Burm. ad Phaedr. IV, 24. alii. Verba *tremere omnia visa repente* iterata legimus in Anth. l. l. v. 117. — **91**. *Liminaquĕ*. Vid. ad Ecl. IV, 51. et alibi adnott. — *laurus*, ante templum Apollinis posita. De lauro in Apollinis cultu primas fere partes agente cf. Spanh. ad Callim. in Del. 91. et Interpp. ad Ovid. Met. I, 452 sqq. — **92**. *Mons*, Cynthus (vid. ad Ecl. VI, 3.); nam templum ad radices montis situm. — *cortina*, labrum rotundum, quod, aut quia ipsum tribus pedibus instructum erat, aut quia operculi loco tripodi imponebatur, haud raro ipsum tripodem significat. Vid. imprimis Ovid. Met. XV, 636. (hunc locum imitatus) *cortinaque reddidit imo Hanc adyto vocem*, cum quo loco cf. infra Aen. VI, 347., ubi *cortina* pro ipso oraculo posita. — *mugire*. Heyn. docet, si credere liceat, ad Delphici tripodis instar haec adumbrata esse (cf. Spanh. ad Callim. in Del. 90.), mugitum oriri vento e specu subterraneo, cui cortina imposita erat, surgente. *Mugire* autem est verbum proprium de sono subterraneo (IV, 490. VI, 256. Ovid. Met. VII, 206. Lucan. III, 418. etc.) ideoque etiam de pressa et mugientis simili voce sacerdotis ex tripode vaticinantis. (Cf. etiam VI, 99.). — *adytis reclusis*, templo per motum terrae patefacto. Vid. infra VI, 81. ibique adnott. *Adytum* Servio auctore „est locus templi secretior, ad quem nulli est aditus, nisi sacerdoti,“ cum quo consentit Caes. B. Civ. III, 103. *Pergami, in occultis ac remotis templi, quo praeter sacerdotes adire fas non est, quae Graeci ἄδυτα appellant.* Ex hoc igitur oracula et deorum responsa eduntur. Cf. I, 115. VI, 98. VII, 269. Hor.

Submissi petimus terram et vox fertur ad auris:
„Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto
Accipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris
Et nati natorum et qui nascentur ab illis.“
Haec Phoebus; mixtoque ingens exorta tumultu
Laetitia et cuncti, quae sint ea moenia, quaerunt,
Quo Phoebus vocet errantis iubeatque reverti?
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,
„Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras.
Creta Iovis magni medio iacet insula ponto,

Od. I, 16, 5. etc. cum adnott. ad Aen. I, 505. — **93.** *Submissi petimus terram*, ex Lucretio petitum, qui I, 93. de Iphigenia immolanda: *Muta metu terram genibus submissa petebat.* Iterantur autem haec verba in Anth. carm. laud. v. 85. — **94.** Oraculum, ut fieri soleat, ambiguis obscurisque verbis conceptum esse, docet Heyn., simul commemorans, Macrobio Somn. Scip. I, 7. appellationem *Dardanidae* hic aptissimam esse visam, cum infra v. 163 sqq. Italia spectetur, unde Dardanus originem habere fingatur. — *duri*, *πολυτλήμονες*. laboribus obdurati, tot labores experti. Vid. infra IX, 468. 603. Geo. II, 179. Ovid. Met. I, 414. etc. — *quae vos a stirpe Pr. t. t.*, tellus, quae prima inde a proavorum tempore gentem vestram aluit, in qua proavi vestri habitarunt. — *a stirpe*, quae omnium Codd. est lectio, Wagn. Qu. Virg. I, 2. Vergilium scripsisse censet, quod *ab stirpe*, praegressis duobus vocabulis monosyllabis, durius videretur. Cf. adnott. ad Geo. I, 171. — **95.** *ubere laeto*, solo pingui et fertili. De fertilitate Italiae vid. etiam I, 531. (ibique adnott.) et II, 782. — **96.** *reduces.* „Itaque tamquam peregrinati et in exsilium pulsi nunc in patriam et fato concessam terram redeunt. Romanorum enim maioribus Dardano eiusque sociis iam terrarum imperium destinatum erat. Sed falsi erant, quod aliena e terra (Troia) imperium sibi quaerebant; quare Troiae interitu a diis moniti antiquam repetunt patriam.“ Sic fere *Gossr.* — *Antiquam exquirite matrem.* Cf. Ovid. Met. XIII, 678. *Qui petere antiquam matrem cognataque iussit Litora.* Cuivis autem hic in mentem veniat necesse est oraculum Bruto datum de osculanda matre. — V. **97.** et **98.** integri sunt ex Hom. Il. XX, 307. 308. translati, ubi haec verba Neptuni leguntur: *Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει, καὶ παίδων παῖδες, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.* Respondet autem deus ad Aeneae verba v. 85. 86. — **99.** *ingens laetitia*, ex fausto laetoque oraculo percepta, *mixto tumultu*, ob incertam et ambiguam eius interpretationem. — **102.** „Anchises male quidem, satis tamen probabiliter sortem acceptam interpretatur. Nam Teucri origo ex Creta fuerat a nonnullis tradita.“ Haec *Heyn.*, qui in Exc. V. ad h. l. Cretam et Phrygiam communes habuisse origines, nec minus Dactylorum Idaeorum et Curetum s. Corybantum Cretensium sacra eadem fuisse docet. Vid. etiam infra ad v. 108. Ceterum iure Wagn. miratur, quod Aeneas non meminerit Creusae vaticinium (II, 781 sq.), ideoque hunc locum inter eos videtur referre, ubi Vergilius dormitasse putandus sit. Cf. adnott. ad l. l. imprimis ad v. 771. et Conrads. p. VII. — *volvens*, scil. animo, in mentem sibi revocans, memoria perlustrans (vid. I, 262. II, 101. VII, 254. X, 61.) *monumenta virorum*, veteres historias, narrationes; nam de libris scriptis illa aetate cogitari non posse, in promptu est. Thiel. praeter alios locos comparat infra VIII, 312. et Lucr. V, 330. *Quo tot facta virum toties cecidere? neque usquam Aeternis famae monumentis insita florent?* Cf. etiam Cic. de Or. I, 46. *monumenta rerum gestarum et vetustatis exempla oratori nota esse debent.* — **103.** *spes discite vestras*, discite, cognoscite ea, in quibus spes vestra nitatur. Cf. V, 672. *vestras spes uritis.* Comparant cum hoc versu Hom. Od. II, 229. *Κέκλυτε δὴ νῦν μευ, Ἰθακήσιοι, ὅττι κεν εἴπω*, et cum v. 104. eiusdem Od. XIX, 172 sqq. — **104.** *Creta Iovis magni*

Mons Idaeus ubi et gentis cunabula nostrae.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna;
Maximus unde pater, si rite audita recordor,
Teucrus Rhoeteas primum est advectus in oras
Optavitque locum regno. Nondum Ilium et arces
Pergameae steterant; habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybelae Corybantiaque aera

---

insula vocatur, quia rex deorum hominumque in ea natus est, aut in Lycto (Hes. Theog. 468.), aut in Ida (Diod. V, 70.), aut in Dicte monte (Apoll. I, 1, 3. ibique Heyn. p. 7.). Cf. Höckii *Kreta*. T. I. p. 173 sqq. — *medio ponto*. Vid. supra v. 73. et cf. Hom. Od. XIX, 172. *Κρήτη τις γαῖ' ἐστὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ*. — **105**. *Mons Idaeus*, maximus huius insulae, nunc *Psiloriti* s. *Monte Giove* vocatus, de quo vide Strab. X. p. 325. Plin. IV, 12, 20. Melam II, 7, 12. alios et librum meum geogr. III. p. 1031. Ceterum idem Cretensis Troianique montis nomen et ipsum ad communes illas Cretae Troiaeque origines spectare videtur. — *cunabula*, origo, prima patria. Sic Prop. III, 1, 27. Creta vocatur *cunabula Iovis*, et Ovid. Met. VIII, 99. *incunabula Iovis*. Cf. etiam Cic. ad Att. II, 15. et Iustin. XXXI, 8, 4. — **106**. *Centum urbes habitant*; Creta *ἑκατόμπολις*, Hom. Il. II, 649., numero rotundo; nam Odyss. XIX, 174. nonaginta modo Cretae urbes commemorantur. Cf. Meurs. de Creta I, 5. et Höckii *Kreta* T. I. p. 437. — **107**. Caute Anchises addit: *si rite audita recordor*; nam se errasse, ipse infra confitetur v. 181. — *Maximus pater* Servius ad generis Troianorum primordia refert, quod iure probat Wagn., secundum quem est *ἀρχηγέτης τοῦ γένους* ideoque i. q. primus pater. Conington comparat *quartum patrem* ap. Persium VI, 58. — **108**. *Teucrus*, Graeca nominis forma *Τεῦκρος*; quamquam Latini vulgo utuntur forma *Teucer*. Cf. Charis. I, 11. et 64. Prisc. VI, 692. et Lactant. de falsa relig. I, 21. Teucer ex antiquissimis fabulis indigena fuit terrae Troianae, Scamandri fluvii et Idaeae Nymphae filius (Diod. IV, 75. et Apollod. III, 12, 1.); a posterioribus autem Scamandri, nobilis Cretensis, et Idaeae, Creticae Nymphae, filius perhibebatur, qui ex hac insula frugum inopia laborante una cum patre in Phrygiam migraverit, ibique Dardani filia in matrimonium ducta sedem fixerit nomenque Troianis dederit. Cf. Strab. X. p. 466 sq. Diod. V, 64 sq. Schol. Lycophr. 1306. Aen. IV, 230. Ovid. Met. XIII, 705 sq. cett. — *primum*. Alii Codd., inter quos Med. a m. pr., *primus*, non minus recte. De significatione vocis vid. adnott. ad Aen. I, 1. — *Rhoeteae orae*, i. e. Troianae, a promontorio Rhoeteo ad Hellespontum sito (quod nunc *Intepeh* vocatur: vid. liber meus geogr. II. p. 114.), ubi Teucer appulisse a poëta fingitur; nisi praestat sumere, *Rhoeteas oras* omnino esse Troianas. Ceterum pro vulg. *ad oras* cum Ribbeckio ex fragm. Vat., Rom., Gud. et tribus Bern. (quibus etiam tres Goth. et plerique Heinsii Codd. adiiciendi sunt), itemque Prisc. p. 602. et Charis. p. 65. recepi lectionem *in oras*, quae satis apta videtur, cum Teucer ibi consederit. Ceteri recentiores editores cum Wagn. (qui memorat, sequentibus demum verbis *Optavitque locum regno* considendi notionem inesse,) retinuerunt Med. lectionem *ad oras*. Sed cum Teucer iam *in oris* versari deberet, ut ibi *locum regno optare* posset, non video, quomodo haec verba receptae lectioni advensentur. — V. **109**. et **110**. Heyn. ex Iliad. XX, 216—218. translatos esse docet, et conferri iubet Strab. XIII. p. 592. (885.) de illo Homeri loco disputantem. — *optavit*, elegit. Vid. ad I, 425. — **110**. *Pergameae*. Wagn. suspicatur *Pergamiae* scribendum esse. Vid. eius adnott. ad v. 133. huius libri et quae supra ad I, 201. disputata sunt. — *steterant* i. q. *stabant*. Vid. infra ad v. 403. — *habitabant vallibus imis*, ad radices Idae montis. Weicherto de vss. iniur. supp. p. 76. haec ipsa verba *habitabant vallibus imis* frigere et spuria esse videntur. Sed non solum defenduntur omnium Codd. auctoritate et parallelo Homeri loco, verum etiam ad sensum minime sunt supervacanea, cum aptissime opponantur illis: *Nondum Ilium et arces P. steterant*. — **111** sqq. Sacra

Idaeumque nemus; hinc fida silentia sacris,
Et iuncti currum dominae subiere leones.
Ergo agite et, divom ducunt qua iussa, sequamur;
Placemus ventos et Gnosia regna petamus.

Cybeles ex Creta insula in Troadem traducta esse, per partes eundo Anchises docet, ut ipsos Troianos ex Creta ortos esse ostendat. — *Mater* deum, (cf. adnott. ad Geo. IV, 64., quamquam, ut dii *patres*, sic etiam aliae deae *matres* appellantur: vid. ad Geo. I, 163.) *cultrix Cybelae*, quae colit, inhabitat (vid. ad Ecl. II, 62. et III, 59 sqq.) Cybelen, Phrygiae montem, unde ipsa Cybeles nomen accepit; qua de re Wagn. conferri iubet Bentl. ad Lucan. I, 600. et quos praeterea laudat Sillig. ad Catull. LXIII, 9. Heins., qui longus est ad h. l., et Heyn. hunc montem (de quo cf. Strab. X. p. 323. Apollod. III, 5, 1. et Ovid. Fast. IV, 363.) varie appellatum esse memorant: *τὸ Κύβελον* vel *Κύβελλον*, *τὰ Κύβελα*, *τὴν Κυβέλην* vel *Κυβέλλην*; quare non mirum, etiam hic Codd. fluctuare inter *Cybelae*, *Cybele*, *Cybeles*, *Cybeli*. Prorsus eadem ratione (quod Wagn. commemorare neglexit) VIII, 139. pro vera lectione *Cyllenae* Med. exhibet *Cyllaene*, Rom. *Cyllinae*, Mentel. I. et Dorvill. *Cylleni*, Palat. et alii *Cillenes* vel *Cyllenes*. Non minus turbatur in Codd. XI, 768., ubi redit forma *Cybelae*. Davis. ad Minuc. Fel. c. 6. *Cybeli* legendum censet, quod ex Bern. I., Bern. III. a m. sec., Servio („*Cybeli*, i. e. montis Phrygiae -- nonnulli *cultrix Cybele* legunt, ut sit quasi Cybeleia") et Nonio p. 250. 8. (?) re vera recepit Ribbeck., cum etiam in Gloss. Zic. p. 8. legatur: „uirgl. Ciuelus, mons frigiae;" sed recte, puto, ceteri recentiores editt. optimorum Codd. (Med., fragm. Vat., Rom., Gud. etc.) lectionem *Cybele* secuti vulgarem lectionem servarunt. -- *Corybantia aera*, cymbala Corybantum, quae etiam Ovidio Fast. IV, 184. simpliciter *aera* vocantur, Statio autem Theb. VIII, 221. *gemina aera*. Vid. adnott. ad Geo. IV, 64., de materia autem pro rebus inde factis ad Aen. I, 593. *Corybantes* ex hac certe narratione, quae Corybantum originem e Creta repetit (cf. etiam Hygin. f. 139. et Strab. X. p. 473. Cas.), iidem sunt cum Curetibus (vid. ad Geo. IV, 151.); quamquam Ovid. Fast. IV, 210. Senec. Herc. Oet. 1877. Serv. ad Geo. l. l. alii rectius Curetes a Corybantibus discernunt. Cf. Muncker. ad Hyg. l. l. Spanhem. ad Callim. H. in Iov. 52 Creuzer. *Symb.* II. p. 40 sqq. Klopferi Lex. myth. I. p. 567 sqq. Hoeckii *Kreta* I. p. 230 sqq. Stuhr. *Rel. Syst. d. Hell.* p. 88. et Lobeckii Aglaoph. p. 1150 sqq. 1215 sqq. Corybantes igitur (quorum nomen vel, ut Curetum, a *κόρος*, *κοῦρος*, vel potius a *κόρυς* deducendum est) sunt armati Cybeles sacerdotes, qui deam suam in modum Bacchantium multo armorum strepitu, imprimis saltationibus armatis et cymbalorum sonitu venerabantur. — **112**. *Idaeum nemus*, Idae Cretensis nomen etiam ad Phrygiae montem translatum est, (vid. ad II, 696.), in quo erat nemus Matris deorum eiusque mysteria celebrabantur, e Creta illuc translata. Vid. supra ad v. 105. — *fida silentia sacris*, i. e. in sacris (servari solita) s. sacrorum; Haeckerm. tamen in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 112. *sacris* pro Dativo habet, comparans II, 23. *statio male fida carinis*. De *silentio* autem inter sacra observando vid. Interpp. ad Hor. Epod. V, 51. Hic tamen imprimis mysteria spectantur, quibus initiati, ne quid evulgarent, iure iurando tenebantur. Cf. Hor. Od. III, 2, 25., ubi *fidele silentium* et *Cereris arcanae sacrum volgare* sibi opponuntur, et Apulei. Met. III. p. 220. Oud. *sacris pluribus initiatus profecto nosti sanctam silentii fidem*. — **113**. *iuncti - - leones*. Cf. infra X, 253. et Lucr. II, 600 sq. *Hanc* (Cybelen) *veteres Graium docti cecinere poëtae Sedibus in curru biiugos agitare leones*; qui totus locus usque ad v. 642. cum nostro est conferendus. — *dominae*. Vid. infra ad v. 438. Gossr. et Conington (qui comparat Catull. LXI (LXIII), 13. *Dindymenae dominae vaga pecora*) vocabulum ad leones referunt, ut sit i. q. dominae suae. — **115**. *Placemus ventos* Heyn. recte interpretatur: „sacra diis maris praesidibus faciamus." Cf. v. 119. et 120. et II, 116. — *Gnosia regna*, (ut etiam in Anth. Lat. II, 193, 18.) Cretam.

Nec longo distant cursu; modo Iuppiter adsit,
Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris."
Sic fatus meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
Fama volat pulsum regnis cessisse paternis

Vid. ad Geo. I, 222. et XII, 858. — **116**. *Nec longo distat cursu,* fere CL mill. passuum. — *adsit,* nos iuvet, nobis faveat (vid. ad Aen. I, 734.) Iupiter autem hic aptissime commemoratur, quia *Creta Iovis magna insula* (v. 104.) fuit, quare etiam v. 171. legimus *Dictaea negat tibi Iuppiter arva;* in quo cum Haeckerm. l. l. adsentior Henrico in Phil. XI. p. 625. (qui prius in *Tw. years* III. p. 7. coll. Geo. II, 419. de Iove tempestatis moderatore cogitaverat, ut etiam Conington.) Sic iam Serv.: „qui praeest insulae Cretae, quam petemus," ubi tamen (certe ex quorundam Codd. auctoritate) etiam additur: „aut quia ventos prosperos Iuppiter praestat" (de qua re vid. adnott. ad Ecl. VII, 60.) Wagnero Iupiter commemorari videtur, quia Aeneae novam patriam ex fato assignaverit I, 257 sqq. Sed ubi narratum est, vel potius quomodo salvo primorum librorum argumento omnino narrari poterat, Venerem Anchisae prodidisse, quae ibi a Iove comperisset? Immo aut causa supra commemorata, aut simpliciter quia summus est deorum, qui fata scit et ordinat, Iupiter hic nominatur. — *tertia lux.* Fortasse Vergilio obversabatur illud Hom. Il. X, 163. *Ἤματί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην.* — **118**. *honores,* victimas. Vid. ad Geo. III, *486. et Aen. I, 49. *meritos,* cuique deo convenientes et debitos. — *aris* Heyn. (cui adsentiuntur Bryce et Conington) explicat: in aris, ad aras. Mihi tertius Casus videtur esse (*für die Altäre*) i. e. diis, quibus victimae in aris concremantur. Eadem ratione explico Geo. II, 380. *caper omnibus aris caeditur.* Pro *mactavit,* quae omnium Codd. est lectio, Macrob. Sat. IV, 1. et Nonius p. 320, 20. male exhibent *mactabat,* quod fortasse ortum est ex falsa scriptura fragm. Vat. a m. pr. *mactabit.* — **119**. In maiore edit. Heyn. causam huius sacrificii a sorte data et navigatione facienda petendam esse, in minore autem Neptuno et Apollini sacrum fieri censet, quod Troiae dii tutelares fuerint. Equidem priorem rationem praefero. Vid. infra V, 236 sqq. et Ovid. Met. XV, 695. ibique Bach., qui conferri iubet Adami *Röm. Alterth.* II. p. 158. Ceterum cf. Hom. Il. XI, 728. *Ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι.* — *pulcher* vocatur *Apollo* sollemni epitheto, ut Ecl. IV, 57. *formosus.* Cf. Tibull. II, 3, 11. III, 4, 25. Prop. III, 29, (II, 31), 5. Claud. VI. Cons. Hon. 25. Ovid. Her. XV, 23. A. A. III, 142. Met. III, 421. Calpurn. IX, 72. Gronov. ad Gell. XIII, 26. Broukh. ad Tib. I, 4, 33. Burm. ad Anth. Lat. III, 228. p. 657. Gebauer de poët. I. p. 90. et Progr. p. 11. alii. — **120**. *nigram Hiemi pecudem,* agnam: vid. V, 772.; *nigram* autem, quia procellae nigris nubibus exitium minantur (quare *hiemps* ipsa *atra* vocatur infra VII, 214.); quod Heyn. docet coll. Intpp. ad Aristoph. Ran. 871 sqq. Simili de causa *Zephyris felicibus,* placidis, propitiis (vid. ad Ecl. V, 65. et Aen. I, 330.) caelumque serenantibus, *albam* hostiam mactari, in promptu est. Cf. quae ad Geo. I, 460. adnotavimus. De sacris Ventis factis Heyn. conferri vult Herod. VIII, 189. ibique Valcken., Thiel. autem Ovid. Met. VI, 683. Hor. Epod. X, 23. Perizon. et Kühn. ad Aelian. V. H. XII, 61. Ceterum v. 120. ex Hom. Il. III, 103. *Οἴσετε δ' ἄρν', ἕτερον λευκόν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν, Γῇ τε καὶ Ἠελίῳ* fluxit. — **121** sqq. *Idomeneus,* Deucalionis filius, Minois nepos, qui Cretenses in bellum Troianum duxerat, quod inde revertens, procella exorta, quodcunque domum reduci primum sibi occurrisset, se diis immolaturum promiserat, ipsum filium suum, Merionem, mactare coactus est; quare paullo post, peste Cretam vexante, ab incolis eius, qui hanc sceleris illius vindictam haberent, finibus suis expulsus, tandem in agro Sallentino extremae Italiae consedit (vid. infra v. 400. et IX, 264 sq.); quamquam diversas de eo narrationes esse Heyn.

Idomenea ducem, desertaque litora Cretae,
Hoste vacare domos sedesque adstare relictas.
Nauticus exoritur vario certamine clamor; 128
Hortantur socii, Cretam proavosque petamus. 129
Linquimus Ortygiae portus pelagoque volamus 124
Bacchatamque iugis Naxon viridemque Donusam, 125
Olearon niveamque Paron sparsasque per aequor

---

memorat, coll. Serv. ad h. l. Strab. X. p. 480. Schol. Odyss. XIII, 259. et Meursii Creta III, 4. Adde Hoeck. II. p. 387 sq. — *Fama volat.* Cf. X, 510. *fama advolat* et Anth. Lat. II, 192, 35. *Facti fama volat.* — *pulsum cessisse.* Cf. XI, 366. *pulsus abi.* Ovid. Met. VII, 290. *pulsa fugit macies* etc. — *regnis paternis.* Plurali numero huius voc. etiam alibi utitur Vergilius, ut potentiam et lati regni amplitudinem indicet. Sic *pulsis regnis* VII, 217. et modo v. 108. *uberrima regna.* — **122**. *deserta.* Vid. ad II, 28. — **123**. *Hoste;* nam Cretenses cum reliquis Graecis hostes fuerant Troianorum. Recte igitur Heyn. adnotat, non sine iusta causa haec de Idomeneo expulso interposita esse; nam, si ille in insula fuisset, Troianis eam adire non licuisse. — *adstare*, non i. q. simplex *stare*, sed nostrum *dastehen.* Vid. adnott. ad Aen. I, 152. — V. **124** sqq. Wagn. et Peerlk. invito Vergilio traiectos, et ille quidem hoc ordine legendos 128—130. 124—127. 131., hic autem sic collocandos censet: 123. 128. 129. 124—127. 130 sqq. Equidem cum Ribbeckio et Ladew. Peerlkampium secutus sum, cum sane v. 128. et 129. eo, quo vulgo leguntur loco, parum apte positi sunt. Ceteri recentiores edititores, etiam Wagn. ipse in min. edit., vulgarem versuum ordinem retinuerunt, quem etiam Henry (*Tw. years* III. p. 9. et Philol. XI. p. 626.) defendit. Ribbeck. Proleg. p. 74. hos duo versus secundis curis ortos et a margine in falsum contextus locum insertos suspicatur. — **128**. *vario certamine clamor.* Certatim clamant vario modo et sono, ad properandum se invicem adhortantes. Aliter, sed minus probabiliter, Heyn.: „certant inter se manuum opera, studio, dum discessum parant.“ Peerlk. (mutato scil. versuum ordine) locum sic capit: „Nautae, fama audita, quae dispergebatur (Cretam esse vacuam), certatim tollunt clamorem: *Cretam, Cretam.*“ Sed si omnes idem clamant, quid sibi vult *varium certamen?* Ceterum de clamore nautico vid. infra ad V, 140. — **124**. *Ortygia*, antiquum Deli nomen, ab ὄρτυγι, coturnice, ductum, quod redit infra v. 143. Ovid. Met. XV, 337. Plin. H. N. IV, 12, 22. alibi; quare etiam Diana Ovidio Met. I, 694. *Ortygia dea* vocatur. Heyn. cum toto hoc loco conferri iubet Ovid. Met. XIII, 679 sqq., qui Maronem aperte secutus est. — *pelago volamus*, de celeri ac tuto cursu per mare intelligendum. Cf. Hor. Od. IV, 5, 19. *Pacatum volitant per mare navitae.* Quare supra I, 224. *mare velivolum*, ubi vid. adnott. — **125**. *Bacchatam Naxon. Naxos*, maxima Cycladum vitium erat feracissima, qua de causa Bacchus in ea natus dicebatur et religiosissime colebatur; unde *Bacchica Naxos* apud Stat. Achill. II, 4. De ipsa insula, quae nunc *Naxia* vocatur, vid. librum meum geogr. III. p. 1028 sq., de Graeca autem nominis forma vid. adnott. ad Ecl. VI, 13. De passivo *bacchandi* verbi usu cf. adnott. ad Geo. II, 487., ubi adde Claud. R. Pros. I, 205. *ululatibus Ide Bacchatur*, et Stat. Theb. IV, 371. *bacchate Cithaeron.* — *iugis*, per choreas in iugis montium ductas. Vid. infra ad IV, 26. — *Donusa* s. *Donussa*, una ex Sporadibus, a Patmo occidentem versus sita et nunc *Stenosa* appellata (cf. Tac. Ann. IV, 30. Plin. IV, 12, 23. Mela II, 7, 11., qui eam Dionysiam vocat) *viridis* hic et in Ciri v. 475. appellatur non a colore marmoris, quod Serv. putat, sed ob silvas et prata, quae continet. Cerda comparat *viridem Thason* Petronii c. 133. Adde ipsius Vergilii *viridem Aegyptum*, Geo. IV, 291. — **126**. *Olearos* et ipsa ad Sporades pertinet, Paro occidentem versus vicina, et a cognomini eius oppido circiter L stadia remota (nunc *Antiparos*). Cf. Steph. Byz. v. Ὠλίαρος. Mela l. l. Plin. IV, 12, 22. Ovid. Met. VII, 469. Stat. Achill. II, 3. et liber meus geogr. l. l. Ribbeck. ut *Naxum* et *Parum*

Cycladas et crebris legimus freta concita terris.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis

---

scripsit cum fragm. Vat., Rom. et Gud. a m. pr.; sic etiam ex fragm. Vat. (in quo legitur OILLARUM) recepit scripturam *Oliarum,* cum etiam aliquot Pieriani *Oliaron* et Pal., Gud. a m. pr. et Bern. I. *Olearum* exhibeant; et sane vulgaris nominis forma erat *Oliaros* (vid. liber meus geogr. III. p. 1028.), quare fortasse rectius *Oliaron* scribendum est. Ceteri tamen recentiores editores omnes retinuerunt Med. et Bern. II. III. lectionem *Olearon* de qua nominis forma vid. Tzschuck. ad Melam Vol. II. P. 2. p. 526. — *Paros*, una Cycladum, marmore suo clarissima (vid. ad Geo. III, 34.), quod in Marpeso monte (vid. Aen. VI, 471.) effodiebatur, cuius tamen lapicidinae nunc sunt obrutae. Cf. Plin. et Mela ll. ll. Tournefort *Voyage du Levant* I. p. 238 sq. et Ross *Reisen auf d. griech. Inseln* I. p. 49. Ut hic ob candidum, quem inde praebet praeternavigantibus, adspectum *nivea*, ita Ovidio Met. VII, 465. *marmorea* vocatur. Eademque de causa *Cyclades* omnino *nitentes* et *fulgentes* dici Horatio Od. III, 28, 14. et I, 14, 19. censet Heyn. De ipsa insula vid. liber meus geogr. eod. loco. — **127.** *legimus freta.* Vid. adnott. ad Aen. II, 208. et Geo. I, 327. — *concita.* Pauci quidam Codd. *consita*, quam lectionem praetulerunt Heins., Bothius, Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 76., Iacob. Disquiss. Virgg. P. I. p. 8., Peerlk., Henry (*Tw. years* III. p. 7 sqq. et Philol. XI. p. 625 sq.) et Conington, ut statim post Cycladas intelligerentur Sporades. Vergilium enim hic nihil aliud agitasse ait Iacob., nisi ut pulcherrimi maris Aegaei imaginem lectoribus clare ante oculos proponeret, quod commemoratione insularum, quae huc illuc sparsae gratissimam contemplantibus efficiant imaginem, optime assequi posse putaverit. Henrico autem *concita* non quadrare videtur ad verbum *legere* omnemque narrationem, quae tranquillum mare et placidam navigationem ponat, cui tamen opinioni neque verbum *volare* v. 124., neque natura maris tot insulas sibi propinquas interfluentis et propterea vehementius fluctuantis favere videtur. Etiam Wagn. recte explicat: „freta, in quibus magni concitantur fluctus, quippe qui propter vicinitatem multarum insularum se explicare atque diffundere non possunt," coll. Hor. Od. I, 14, 19 sq. *Interfusa nitentes Vites aequora Cycladas.* Neque apte coniungi *sparsas per aequor Cycladas* et *crebris freta consita terris*, i. e. Sporadibus, quisque videt; ut omittam, *crebras terras* minus bene dici insulas late dispersas. Accedit, quod in gravem errorem geographicum incidisset Vergilius, si narrasset, Troianos Ortygia (Delo) profectos Cretamque ita petentes, ut Naxon, Donusam, Paron et Olearon praeterveherentur, ad Sporades insulas deflexisse, quod etiam Iahn. observat. Cf. praeterea quae Kappes. III. p. 7 sq. contra Henricum disputat, etiam id urgens, parum probabile esse, Vergilium iuxta Cycladas nominatim commemoratas Sporadas tam obscure et obiter, ne communi quidem nomine addito, significaturum fuisse. Quare cum Heynio, Iahnio, Wagn. et Vossio p. 206. (quos etiam Thiel., Süpfl. et Gossr. sequuntur) retinui et optimorum plurimorumque librorum (Med., fragm. Vat., Pal., trium Bern. etc., omnino 60. Codd. Henrici, qui *consita* in duobus modo libris mss., Monac. et Erlang., et in uno Goth. a m. sec. *conscita* invenit, quam ultimam scripturam, si novisset, Ribbeck. Proleg. p. 240. afferre poterat, ubi, ut etiam p. 358., proclivem se ostendit ad praeferendam lectionem Gud., *consita* —) et Grammaticorum (Nonii p. 205, 24. Servii, Donati et Schol. Stat. Theb. I, 120.) lectionem *concita*, quae, longe difficilior et doctior, respicit angusta inter singulas illas insulas maris Aegaei spatia, in quibus fluctus, qui se explicare lateque diffundere non possunt, magis saevientes et altius assurgentes, quam in alto mari, navigationem satis periculosam reddere est consentaneum. Iacob. ipse hac de re conferri iubet Hor. Od. I, 14, 20. et Val. Fl. II, 622. — Totus v. **130.** iteratur infra V, 777. *Prosequitur* a Vossio falso verti *verfolgt*, cum potius sit i. q. comitatur, Henry (*Tw. years* III. p. 10. et Philol. XI. p. 627.) docet coll. locis Aen. VI, 897. Plaut. Cas. IV, 2, 3. Val. Fl. II, 504. et IV, 628. — *surgens* (i. e. oriens) *a puppi ventus*, ventus secundus, οὖρος φέρων,

Et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.
Ergo avidus muros optatae molior urbis
Pergameamque voco et laetam cognomine gentem
Hortor amare focos arcemque attollere tectis.
Iamque fere sicco subductae litore puppes;

ἴκμενος. Heyn. comparat Hom. Il. I, 479. et Od. XI, 7. *Surgere* de ventis legitur etiam infra v. 481. et Geo. I, 356., ut *cadere* Ecl. IX, 58. Cf. etiam Aen. I, 154. — **231.** *Curetum* (vid. supra ad v. 111.) *adlabimur oris*, leni vento acti appulimus. Cf. infra v. 569. et VI, 2. De epitheto *antiquis* dictum est ad Aen. I, 12. — **132.** Troiani in Creta insula novam urbem condere incipiunt. -- *urbs optata* aut est desiderata, aut, quod prius censui, cui condendae aptissimum locum antea elegeram, qua explicatione probata *muros optatae molior urbis* esset i. q. opto locum urbis condendae et molior eius muros. (Cf. Aen. I, 424. ibique adnott. VII, 127. 156. 290. et supra ad v. 6.) Nescio tamen, an Wagn. rectius cogitet de una ex urbibus iam conditis, sed desertis (v. 123.), quam Aeneas eligat, muris cingat et arce instruat. — **133.** *Pergameamque voco*, scil. urbem; nam *Pergameus* est Adiectivi forma, ut supra v. 110. Urbs ipsa vocabatur *Pergamum* (vid. Plin. IV, 12, 20. Vellei. I, 1. Scylax p. 18. Strab. XIII. p. 603. etc.); quamquam ap. Pind. Isthm. VI, 45. et Plut. Lycurg. 31. *Περγαμίας* nomen invenitur; quare Wagnero forma *Pergamiam* „ubique reponenda videtur, licet constanter adversantibus libris mss.“ Secundum Pashley *Travels in Crete* II. p. 23. est illud oppidum, quod nunc *Platania* vocatur. Cf. librum meum geogr. III. p. 1034. — *laetam cognomine*, quippe a pristina patria petito. Cf. etiam VI, 383. *gaudet cognomine terra*. In utroque autem loco, ut etiam infra v. 334. et 350., *cognomen* positum videtur, quia de novo nomine loco alicui dato sermo est, quamquam poëtis etiam pro simplici *nomine* dicitur. (Vid. infra ad v. 702.) — **134.** *amare focos*, i. e. nova domicilia, quorum sanctissima pars est focus. *Amare* autem alibi etiam usurpatur de iis, qui libenter incolunt sedem ut perpetuam futuram (vid. adnott. ad Geo. II, 487. et infra IV, 347.), quare Wagn. *amare focos* non male reddit per *sich heimisch machen*. Henry ll. ll. per *sich eng anschliessen, nicht verlassen*, explicans conferri iubet Aen. V, 163. et Hor. Od. I, 25, 4. Burm. hic laudat Gronov. ad Senec. Thyest. 82. — *arcem attollere tectis* (sexto Casu) de acropoli condenda intelligendum esse patet. *Wagn.*, cui iure adsentitur Haeckerm. l. supra l., recte explicat: „locum in urbe editum munitionibusque saeptum vel saepiendum quasi celsiorem reddere inaedificando.“ Cf. etiam Henry (*Tw. years* III. p. 11. et Philol. XI. p. 627., qui praetera Stat. Achill. I, 437. *galeas attollere conis* conferri iubet) et Conington nobiscum consentientes. *Attollere* enim verbum proprium esse de aedificiis in altum eductis, iam supra vidimus ad II, 185. Mira autem est eorum (inter quos etiam Goesr. et Ladew.) explicatio, qui *tectis* tertium habent Casum, ut sit: in tutelam tectorum s. domorum arcem condere. — **135.** *subductae puppes*. Vid. supra ad v. 71. *Puppis* autem hic suo iure commemoratur, cum subductarum navium prorae in altum spectare soleant. De constructione *subductae litore* vid. infra ad v. 292. Wagn., quem admodum offendit vox *fere*, in vocc. *fere sicco* latere loci cuiusdam significationem suspicatus, paullo audacius coniecit *Iam Berecyntheo subd.* cett., cum Berecynthum montem Cretae fuisse in Apteraeorum finibus doceat Diod. V, 64., nec multum inde distare Pergamum, Servius ad v. 133. auctor sit. Equidem in h. l. non haereo; si enim *iamque fere*, quae arcte cohaerent, non tantum ad proxime seqq. referimus, sed etiam ad v. 136. et 137. pertinere statuimus, ut sensus sit: iamque fere (*schon eben*, de qua signif. cf. Hand. Tursell. II. p. 694.) haec omnia facta, iam fere nova colonia in eo erat ut conderetur, *cum subito* cett., non video, quid hic sit vituperandum. Cave modo, ne *fere* per *fast, beinahe* reddendum putes. (Adsentiuntur mihi Bryce et Conington eandemque sententiam etiam Conrads p. XIV. profert, cui tamen adversatur Ribbeck. Proleg. p. 73., cum urbem aedificari iam v. 132 sqq.

Connubiis arvisque novis operata iuventus;
Iura domosque dabam: subito cum tabida membris
Corrupto caeli tractu miserandaque venit
Arboribusque satisque lues et letifer annus.

---

narratum sit, ut subductas litore puppes esse per se intelligatur, quare verba *sicco subductae litore puppes* ut suspecta uncis includit. De tempore autem rei gestae ex comparatione duorum temporum per Particulas *iamque - - cum* constituto cf. Wagn. Qu. Virg. XXIV, 7., qui praeter alia haec exempla congessit: infra v. 521. 588. V, 159. 327. 835. VII, 25. 160. X, 260. Vid. etiam supra I, 223. II, 245. et 567. Liv. XXV, 27. Tac. Hist. I, 29. et quos locos congessit Hand. Turs. III. p. 152., recte disputans contra Waggnerum, discrimen satis subtile statuentem inter *iamque - - cum* et *iam - - cum*. — **136**. *Connubiis arvisque novis* minus gratum esse delicatis auribus, negari non potest. Non tamen aliter Ovid. Met. I, 266. *gravis nimbis canis.* ibid. VIII, 583. *animis immanis et undis* (ubi vid. Bach.). Lucan. VIII, 347. *Nil animis fatisque tuis* etc. Vid. Cort. ad Lucan. VII, 403. Nov. Bibl. crit. I. p. 83. et Ochsner. ad Ovid. Met. p. 518. ed. Bach., coll. cum iis, quae supra ad v. 27. adnotavimus. De synizesi *connubjis* vid. ad Aen. I, 73. coll. adnott. ad Geo. I, 397. et Aen. I, 2. Haupt., Ribbeck. et Ladew. edunt *Conubis*. (Cf. Wagn. Orth. Virg. p. 455. et Ribbeck. Proleg. p. 393. et 425.) — *operari* i. q. operam dare. Sic apud Val. Max. VIII, 7, 4. ext. *studiis literarum*, Quinct. X, 3, 13. *scholae*, Tibull. II, 65. *textis Minervae*, Ovid. Am. II, 7, 23. *capillis ornandis operari* cett. Conington addit Hor. Ep. I, 2, 29. *In cute curanda plus aequo operata iuventus.* Peerlk. hunc totum locum inde a voce *arcemque* v. 134. usque ad finem v. 136. (cui sane inesse plura, quae offendant, negari nequit) spurium censet, non solum Adv. *fere* offensus, sed magis etiam verbis *operata connubiis arvisque novis* (in quibus obscoenam deprehendit ambiguitatem, quam verbo indicasse sufficiat) omninoque connubiorum commemoratione et navium nunc demum subductarum; eandemque sententiam repetit Gossr., qui etiam haeret in omisso verbo *esse* iuxta Participia *subductae* et *operata* et in eo, quod Aeneas ab iis, quae ipse faciat, transeat ad facta aliorum, post autem ad sua redeat. Vide autem quomodo Freudenberg. Vind. Virgil. p. 27 sq. hunc locum contra Peerlkampium defendere studeat. — **137**. *Iura - - dabam.* Vid. Geo. IV, 562. et Aen. I, 507. V, 758. ibique adnott. — *domos* autem *dare* ex duplici v. 132. explicatione aut est loca domibus aedificandis assignare (cf. Aen. V, 755. *Interea Aeneas urbem designat aratro Sortiturque domos* etc., quo loco coll. Freudenb. p. 28. haec verba recte defendit contra Peerlk.), aut domos novis incolis dispertire ut apud Silium II, 408. *tecta domosque partiris.* Wagn. de iis modo cogitat, qui matrimonia contrahentes domo indigebant. Ceterum cf. similis locus I, 264. *moresque viris et moenia ponet.* — *subito cum* cett. Lues in Creta subito exorta Troianos novas sedes quaerere cogit. Totum hunc locum, qui multum debet Lucretio, ante oculos habuit Stat. Theb. I, 632 sqq. Cf. etiam Geo. III, 478 sqq. — *tabida lues* vocatur ab effectu, quia facit tabescere. Eadem ratione Martial. I, 79, 1. *tabida pestis*, Tac. Ann. XVI, 66. *tabidum venenum* cett. Vid. adnott. ad v. 30. huius libri. — **138**. *Corrupto caeli tractu*, (quae verba hinc repetiit Ambros. de Noe X, 31. a Wold. Ribbeckio laud.) i. e. aëris plaga, ut apud Hor. Od. IV, 2, 26. legimus *cygnus tendit in altos nubium tractus. Caelum* autem est, quod nos dicimus *Atmosphaere*, et *corruptus caeli tractus* i. q. Geo. III, 478. *caeli morbus*. Burm. *tractum* minus recte de ductu, haustu aëris intelligit, coll. Lucr. VI, 1126 sqq. et Lucan. VII, 412. Ceterum cf. Lucr. VI, 1134. *caelum - - corruptum* et antea v. 1122 sq. *Fit quoque, ut* (aër) *in nostrum quom venit denique caelum, Corrumpat.* Similiter Claud. B. Gild. 39. *Quid referam morbive luem - - et crebras corrupto sidere mortes* et Nemes. Cyneg. 210. *Quod seu coelesti corrupto sidere manat.* — *Arboribusque satisque*, ut Geo. I, 444. — *venit. Venire* de malis et calamitatibus ingruentibus poni, vere docet Heyn. Cf. Burm.

Linquebant dulcis animas aut aegra trahebant
Corpora; tum sterilis exurere Sirius agros;
Arebant herbae et victum seges aegra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiae Phoebumque remenso
Hortatur pater ire mari veniamque precari,
Quam fessis finem rebus ferat, unde laborum
Tentare auxilium iubeat, quo vertere cursus.

---

ad Geo. I, 322. (ubi hunc usum iam attigimus) et ad Phaedr. I, 21. Thiel. hic confert Hor. Sat. I, 3, 87. *cum misero tristes venere Calendae*, Prop. II, 22, (III, 15,) 2. *Scis mihi, Demophoon, multa venire mala* et Tibull. I, 3, 65. *Illic est, cuicumque rapax mors venit amanti*, Wund. autem Aesch. Pers. 437. συμφορὰν στρατῷ ἐλθεῖν. — **140.** ***Linquebant dulces animas***, quae verba repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 25., sumpta sunt ex Lucr. V, 989. *Dulcia linquebant labentis lumina vitae* (sic enim pro vulg. *lamentis* ex Mureti coni. Lachm. recte videtur edidisse.) *Linquere animam* i. q. *relinquere vitam* apud Ovid. Met. XIII, 522. Quinct. Decl. XIII, 6. alios. Wagn. comparat Hom. h. in Apoll. 361. λεῖπε δὲ θυμόν. Adde eiusd. Od. XI, 221. Similiter Ter. Ad. III, 5, 52. *animam relinquam potius, quam illam deseram.* Saepius sane dicitur *animus relinquere aliquem* (Plaut. Mil. IV, 8. 37. Caes. B. G. VI, 38. Ovid. Met. X, 459. etc.). *Dulces autem animae* leguntur etiam ap. Stat. Theb. I, 632. Servius ad h. l. adnotat: „Hic est ordo pestilentiae, ut Lucretius docet [VI, 1089 sqq.], primo aëris corruptio, post aquarum et terrarum, mox omnium animalium.“ Μίασμα enim fuisse illam pestem, in promptu est. — **141.** A ***Sirio*** s. Canicula, pro aestu caeli posito, qui cum eius ortu ingruat, hic causam pestilentiae repeti, iam Heyn. docet coll. Apoll. II, 519. Vid. etiam infra X, 274. et adnott. ad Geo. IV, 425. et II, 353. Ceterum Wagn. Qu. Virg. IV. extr. Vergilium, qui Geo. I, 138. *Arcton*, Geo. II, 93. *Lageos*, et Geo. I, 35. *Scorpios* scripserit, hic et Geo. IV, 424. forma Graeca *Sirios* propterea tantum non usum esse censet, quod ibi ***Indos***, hic ***agros*** subiiciatur. — ***steriles agros*** per prolepsin illam, de qua ad v. 30. diximus. Nam exurendo demum steriles fiunt. — ***exurit.*** Cf. Geo. I, 107. et Colum. de cult. hort. 320. *Exurat sata ne resoluti pulveris aestus.* — **142.** ***victum negabat***, ut Geo. I, 149. — **143** sqq. Heyn. adnotat, forma huic loco similem esse Hom. Il. I, 62 sqq. — ***remenso***, passive, ut II, 181. Vid. adnott. ad Ecl. IX, 53. et al. — **144.** ***veniam precari***, favorem, propitiam voluntatem dei exorare (vid. Aen. I, 510. IV, 50. 435. 536)., ut benevole ipsis respondeat atque oraculo significet, *Quam fessis finem rebus ferat* etc. Paullo subtilius Wagn.: „veniam erroris ex male intellecto oraculo, cf. v. 181.“, et Ladew.: „veniam, quod iterum deum adeant idem quaerentes: cf. v. 88 sq.“ Consentiunt nobiscum Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 112. et Kappes III. p. 8 sqq., qui comparat Geo. IV, 536. Aen. I, 519. IV, 435. XI, 101. 358. Caes. B. G. VII, 15. Cic. Att. V, 21, 12. VI, 1, 7. Nep. Eum. 6., in quibus locis omnibus *venia* absque culpae ignoscendae notione tantum benevolam et propensam voluntatem significet. — **145.** ***Quam finem*** Heins. e melioribus Codd. (Med., fragm. Vat., Pal. etc.) et Grammaticis (Nonio p. 413, 2. et Cledonio p. 1895. P.) restituit pro vulg. *Quem finem;* quamquam supra I, 241. legitur *Quem das finem, rex magne, laborum?* Sed Vergilium et *hic finis* et *haec finis* dixisse, iam Gellius XIII, 20. testatur, qui poëtam ea in re aurium iudicium sequi arbitratur. Femin. genere hanc vocem Virg. etiam Aen. II, 554. V, 327. 384. XII, 793. usurpavit. Cf. omnino Voss. de Anal. I, 29. Drakenb. ad Liv. II, 49, 9. III, 3, 6. IV, 2, 4. Lachm. ad Lucr. I, 555. p. 43. et ad II. 1116. p. 139. Ruddim. I. p. 25. Schneid. Gr. Lat. II, 1. p. 100 sq. Dietsch. Theol. Verg. p. 22. not. 170. alii. — ***fessis rebus***, afflictis, calamitatibus. Cf. XI, 335. Tac. Ann. XV, 50. *deligendumque, qui fessis rebus succurreret.* Plin. II, 7, 5. *Vespasianus fessis rebus subveniens* etc. Vid. etiam Geo. IV, 449. ibique adnott. — ***unde***, ex qua re (vid. ad Geo. I, 505. et Aen. I, 21.), ***laborum***, malorum, aerumnarum, i. e. pestis, ***auxilium***, remedium, ***tentare***, petere (cf. adnott. ad Aen. II, 38.), ***iubeat.*** Quod

Nox erat et terris animalia somnus habebat:
Effigies sacrae divom Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troia mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare iacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras;
Tum sic adfari et curas his demere dictis:

---

attinet ad constructionem *laborum auxilium* cf. VIII, 472. *belli auxilium.* — **147** sqq. „Novum visum Aeneae per quietem obiectum, quo edocetur, non Cretam, sed Italiam ipsi esse destinatam sedem. De Penatibus cf. supra ad Aen. II, 293.“ *Heyn.* — *terris*, omissa Praepositione, ut sexcenties apud poëtas. Vid. ad Geo. I, 134. et alibi. — *somnus habebat*, vincta quasi tenebat, *animalia*. Cf. adnott. ad Ecl. VII, 40. et Aen. IV, 581. Iterantur haec verba in Anth. Lat. I, 178, 123. Omnino autem cf. locus parallelus Aen. VIII, 26. *Nox erat et terras animalia fessa per omnes - - sopor altus habebat.* — **148**. *Effigies* (simulacra, quatenus tantum somnianti apparent: cf. VII, 443.) *divom Phrygiique Penates* (vid. supra v. 12.) per ἓν διὰ δυοῖν. Vid. adnott. ad Geo. I, 335. et al. et de vi explicativa Copulae ad Geo. I, 498. — **149**. *a Troia*. Sic Med., Gud. et tres Bern. Rectius fortasse *ab Troia*, quod Ladew. et Ribbeck. ex fragm. Vat. et Pal. a m. pr. receperunt. Vid. etiam VI, 335. et Wagn. Qu. Virg. I, 1. — **150**. *adstare* alibi quoque de spectris et simulacris dicitur, quae subito apparent, imprimis somniantibus. Vid. infra IV, 702. Ovid. Fast. III, 639. *Nox erat; ante torum visa est adstare sororis - - Dido* et Iacobs *Blumenlese* II. p. 252. ad Prop. IV, 6, 29. Ribbeck. hic quidem et alibi *astare* edidit, sed Geo. III, 545. IV, 319. Aen. I, 152. III, 677. al. *adstare*. Rectius fortasse ubique *astare* scriberetur. Cf. adnott. ad Ecl. II, 66. — *iacentis In somnis*, ideoque somniantis; quod etiam docet Lucretii locus IV, 985 sqq., qui videtur Vergilio obversatus esse, *Quippe videbis equos fortes, quom membra iacebunt In somnis, sudare tamen spirareque semper, Et quasi de palma summas contendere vires.* Errat enim Heyn., qui, cum et verba *multo manifesti lumine*, lunae nimirum per fenestras sese immittentis, et v. 173. *Nec sopor illud erat* de somnio cogitari vetent, in recentissima edit. scripsit *Insomnis* (quod etiam Schellero in Obss. in prisc. scriptt. p. 315. placuit), ut Vergilius dicat, vigilanti Aeneae simulacra deorum apparuisse. Sed recte adversatur Iahn., qui docet, etiam hoc, quod luna per fenestras lumen immittere videbatur Aeneae, ad somnium pertinuisse, verba autem *Nec sopor illud erat* cum Wund. interpretanda esse: non vanum somnium fuit, sed vere mihi apparuerunt Penates. De somnio tamen hic cogitandum esse, demonstrant v. 173 sq. *sed coram agnoscere vultus - - videbar*, quod iam Wagn. observat, simul commemorans, in pictura, quae hic exstet in Fragm. Vat., utique dormientem exhiberi Aenean. *Videri* autem verbum proprium esse de somniis, iam ad Aen. II. 271. dictum est. Sensus igitur hic est: Mihi somnianti videbatur luna per fenestram lumen immittere, quo manifesti (clari) Penates apparebant; et supervacanea Peerlkampii coni. *In stratis.* Conington putat, nos hic habere *a mixture of dream and vision*, ut I, 355. et II, 296. — Ceterum duo Codd. *iacenti*, quod praeter Burmannum etiam Peerlkampio arridet. De epitheto *manifesti* (ἐναργεῖς) cf. Burm. ad Val. Flacci I. modo l. Similiter Ovid. A. A. II, 493. *manifestus Apollo.* Non mirum tamen, etiam h. l. aliquot Codd. praebere *manifesto lumine*, ut infra IV, 358. Ceterum Ribbeck. ex fragm. Vat. recepit lectionem *manufesti*. (Cf. eius Proleg. p. 450.) — **152**. *per insertas*, parietibus, *fenestras*, aperturas, foramina. Vid. ad Aen. II, 482. Videtur autem Maro haec scribens ante oculos habuisse Lucr. II, 113 sq. *quom solis lumina quomque Insertim fundunt radios per opaca domorum.* Cf. etiam Aen. IX, 461. — V. **153**. iteratur ex II, 775., quare hic in multis libris temere omittitur. Cf. Iahn. ad Geo. II, 129. p. 411. edit. II. Ribbeck. verba *et curas - - dictis* hic a poëta fortasse non posita suspicatur, quae tamen huic loco optime convenire etiam Wilms Progr. laud. p. 10. contendit, ut

„Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit et tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te Dardania incensa tuaque arma secuti,
Nos tumidum sub te permensi classibus aequor
Idem venturos tollemus in astra nepotes
Imperiumque urbi dabimus. Tu moenia magnis
Magna para longumque fugae ne linque laborem.
Mutandae sedes. Non haec tibi litora suasit
Delius aut Cretae iussit considere Apollo.

---

iam Servius totum versum „admodum necessarium“ iudicaverat. Cf. imprimis v. 169. *et haec laetus -- refer* et v. 178. *perfecto laetus honore Anchisen facio certum.* Nihilominus Ribbeck. Proleg. p. 73 quaerit: „An integrum v. 153. Vergilius in schedis induxerat, alium postea in eius locum substituturus?“ — **154.** *delato,* navibus vecto. — **155.** *ultro,* a te nondum invocatus, rogatus. Cf. adnott. ad Aen. II, 145. — *tua - - ad limina* Heyn. recte interpretatur: in cubiculum tuum; cum iam in Aeneae domo servarentur Penates. — **156.** *Dardania incensa,* scil. urbe, Troia. Supra v. 52. II, 281. et 325. (ut etiam infra VI, 65. VIII, 120. et alibi) potius voc. terra intelligendum erat. Pro urbe Troiana *Dardania* legitur etiam Ovid. Her. XVI, 57. *Hinc ego Dardaniae muros excelsaque tecta Et freta prospiciens* cett. — *tua arma,* ductum, imperium tuum. — **157.** *sub te,* te duce. — **158.** *Idem* (ut semper ap. Vergilium pro *iidem*: cf. infra 541. 564. et VIII, 639., quemadmodum etiam *isdem* pro *iisdem*: Aen. II, 654. VII, 70.) magna vi positum post geminatum *nos.* — *tollemus in astra,* Heyn. et Thiel. non cum Servio aliisque ad Caesaris apotheosin (cf. VI, 793. et Ecl. IX, 47 sq.) et speratam Augusti, quem inter deos relatum iri iam tum erat certissimum (cf. adnott. ad Ecl. I, 6. 43.) referunt, sed tantum ad summum potentiae fastigium, quod cum gloria famaque summa coniunctum esse soleat, imprimis cum v. 159. haec addantur: *Imperiumque urbi dabimus.* Quae explicatio, si vera sunt, quae Wagn. Qu. Virg. X, 2. de discrimine formularum *in astra* et *ad astra ferre, tollere, evehere* disputavit (vid. adnott. ad Ecl. V, 51.), probari non potest. Vide tamen, quae Conington (non satis clare) de hoc loco disputat. — *moenia magna* rectius de Romae, quam de Lavinii moenibus intellexeris, cum antecedant *Imperium urbi dabimus,* eaque non condere, sed *parare* tantum iubeatur Aeneas *magnis,* i. e. „nepotibus, ad tantam imperii opumque magnitudinem perventuris,“ ut recte interpretatur Heyn. Cf. etiam supra II, 294. Reiicit tamen hanc interpretationem Conington, qui putat, *para* non differre a *quaere* in loco illo parallelo II, 294., *moenia* autem de Lavinio esse intelligenda, quod tamen ut Romae incunabula (*the creadle of the eternal city*) cogitetur. Cum verbis *magnis magna* Thiel. confert Plaut. Aul. IV, 10, 41. *ad malum malae res* et plures locos Graec., ut Soph. Oed. R. 249. *κακὸν κακῶς νιν ἄμορον ἐκτρῖψαι βίον.* ibid. 663. *καὶ τάδ᾽ εἰ κακοῖς κακὰ προσάψει τοῖς πάλαι τὰ πρὸς σφῶν,* alios. Ante omnia conferendus erat ipse Vergilius Geo. II, 327. (ubi vid. adnott.) Aen. I, 684. III, 329. 383. IV, 83. V, 324. 447. 569. VII, 707. X, 361. 600. 734. 842., praeterea autem Ter. Adelph. IV, 5, 34. Hor. Od. III, 1, 9 sqq. eiusd. Ars 101. Ovid. Met. II, 92. V, 510. XI, 774. Liv. XL, 54, 8. Nep. Att. 22. etc. (quamquam hi loci non omnes prorsus eiusdem sunt generis) Drak. ad Liv. I, 3, 9. Weber *Uebungsschule* p. 253. Paldamus de repet. vocum p. 6. Zumpt. §. 794. Ramsh. §. 200, 3, 6. aliique Gramm. — **160.** *longumque fugae ne* (pro *neve:* vid. ad VI, 465.) *linque laborem,* noli defessus et desperans continuati itineris molestias fugere. *Fugae labor* redit infra V, 769. — **162.** *Delius Apollo.* Vid. ad Ecl. VII, 29. De collocatione verborum vid. ad I, 695. II, 419. 552. etc. Simillimi huic loci sunt infra v. 628. *nec talia passus Ulixes Oblitusve sui est Ithacus,* et Ovid. Am. III, 9, 21. *Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo?* — *aut Cretae.* Cum Creta non differat a *litoribus* antea commemoratis, *aut* hic non habet distinguendi, sed accuratius definiendi potestatem. Cf. adnott.

Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae;
Oenotri coluere viri; nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem:
Hae nobis propriae sedes; hinc Dardanus ortus
Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.
Surge age et haec laetus longaevo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corythum terrasque requirat
Ausonias. Dictaea negat tibi Iuppiter arva."
Talibus attonitus visis et voce deorum —

---

ad Geo. I, 416. *Cretae* pro: in Creta. Sic Cic. ad Div. XIV, 7. et Liv. XXXI, 22, 4. *Corcyrae*, ibid. 15, 9. *Aeginae*, Tac. Ann. I, 4. *Rhodi*, Cic. Acad. II, 18. 57. *Deli*, Caes. B. C. III, 106. Iustin. XXXIX, 4, 2. et Val. Max. V, 3. ext. 3. *Cypri* cett. Cf. Drak. ad Liv. X, 37, 1. XXXVI, 42, 5. Oudend. ad Caes. B. G. III, 7. Cort. ad Sall. Iug. 7, 2. Beneck. ad Iustin. III, 3, 12. alii. et adnott. ad Aen. I, 2. — Vss. **163—166.** iam I, 530—533. legimus, ubi vid. adnott. — **167.** *propriae sedes.* Vid. supra v. 85. et I, 73. — *hinc Dardanus ortus* (quae verba repetuntur VII, 240.) *Iasiusque pater. Dardanus*, Iovis filius (vid. infra VII, 219. et Hom. Il. XX, 215.) ex Electra, Corythi regis uxore, qui cum *Iasio* fratre Italia relicta in Samothraciam migravit, unde fratre Iovis fulmine percusso in Phrygiam traiecit ductaque in matrimonium Batia, Teucri regis filia, Troianum regnum hereditatis iure accepit, ex quo tempore Troas *Dardania* Troianique *Dardanidae* sunt dicti. Haec est vulgaris fabula, quam tamen alii aliter narrant. Cf. Lycophr. 1302 sqq. cum Scholl. Apollod. III, 12, 1. Strab. VII. p. 331. Diod. IV, 75. V, 48. 49. Ovid. Fast. IV, 31 sqq. alii et Heynii Excurs. VI. ad h. l. Noli igitur locum sic intelligere: Dardanus eiusque pater Iasius. Immo *pater* ad utrumque, et Dardanum et Iasium, referendum, neque homines aetate iam provectiores, sed gentis auctores et principes significare videtur; pariterque *a quo* pro *a quibus* positum accipias, quod etiam Servius sibi voluisse videtur, cum *a quo* generaliter pro *unde* dictum esse affirmaret; nisi praestat cum Heyn. et Wagn. explicare: Dardanus cum Iasio, a quo Dardano. Cf. etiam Conington ad h. l. — **169.** *Surge age*, quemadmodum VIII, 59. 241. Cf. etiam infra v. 362. 462. IV, 223. VI, 389. et quae supra ad I, 627. disputavimus. — Verba *longaevo dicta parenti* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 73. — **170.** *Corythum* Heyn. cum Cluverio Ital. ant. p. 592. de ipso rege et conditore Corythi s. Cortonae accipit, ut conditor pro ipsa urbe et hic quidem pro tota Italia, saltem Etruria et finitimo Latio, dictus sit: ut apud Rutil. I, 600. *Corythi populi* pro Tyrrheniae populis, et infra IX, 10. *Corythi urbes. Cortona* (a Polybio III, 82. *Cyrtonium* appellatum) cum antiquissimum esset Etruriae oppidum (vid. Dion. Hal. I, 20. 26.), haud procul a lacu Trasimeno situm (atque etiamnum antiquo nomine appellatum, cf. liber meus geogr. III. p. 614.), ob nominis similitudinem facile ad antiquum illum Italiae regem referri et ab eo condita haberi potuit. *Corythi* autem nomine notata etiam infra VII, 209. et X, 719. invenitur. *Corythi arx* a Silio quoque V, 123. commemoratur, qui etiam IV, 721. de *prisco Corytho* loquitur. — *requirat* est meliorum Codd. Med., fragm. Vat. et, Ribbeckio teste, Pal. (in quo Wagn. *require* legi memorat) lectio; alii (inter quos etiam Bern. I.) *requiras*, alii *require* exhibent. Quod autem attinet ad coniunctionem verborum *dicta refer* - - *requirat* Conington conferri iubet locum eadem ratione conformatum XII, 75 sqq. *mea dicta tyranno* - - *refer* - - *Non Teucros agat in Rutulos.* — **171.** *Dictaea arva*, Cretam insulam. Vid. Ecl. VI, 56. Geo. II, 536. et IV, 152. — V. **172.** arcte cohaeret cum v. 176., ita ut v. 173—175. sint παρένθετοι. Vehementissimo autem animi affectui aptissima est oratio ἀνακόλουθος. Ceterum *Dictaea tibi negat I. arva* non pertinere ad verba Anchisae referenda, sed Aeneae dici, in promptu est. — **172.** Pro vulg. *ac* cum Hauptio, Ribbeck., Wagn., Ladew. et Coningtone restitui meliorum Codd. (Med., fragm. Vat. etc.) lectionem *et*. Pauci modo et recentiores Codd. (inter quos Bern. II. et III.) vulg. scripturae

Nec sopor illud erat, sed coram adgnoscere voltus
Velatasque comas praesentiaque ora videbar;
Tum gelidus toto manabat corpore sudor —
Corripio e stratis corpus tendoque supinas
Ad caelum cum voce manus et munera libo
Intemerata focis. Perfecto laetus honore

---

favent. — **173**. Vid. Hom. Od. XX, 90. *χαῖρ', ἐπεὶ οὐκ ἐφάμην ὄναρ ἔμμεναι, ἀλλ' ὕπαρ ἤδη* (a Kappesio III. p. 10. coll.) Wagn. comparat Moschi Id. II, 17—19. *ὡς ὕπαρ εἶδον ὄνειρον* etc. et Henry (*Tw. years* III. p. 15. et Philol. XI. p. 628.) Hom. Od. XIX, 547. *οὐκ ὄναρ. ἀλλ' ὕπαρ ἐσθλόν*. Vergilium autem ante oculos habuit Silius III, 198. *Hoc trepidus monstro* (*neque enim sopor ille nec altae Vis aderat noctis - - Miscuerat lucem somno deus*) fortasse etiam Stat. Theb. V, 135. et X, 205., quem Henry confert. — *Nec sopor illud erat*, non vanum somnium, sed visum a diis per somnium missum. Vid. supra ad v. 151. Pro somnio *sopor* (i. e. altus somnus) etiam apud Claud. R. Pros. III. praef. 25. positus videtur: *fingere nil maius poterat sopor.* Ceterum cf. adnott. ad Aen. I, 680. Cum verbis *sopor illud erat*, in quibus notissima illa attractio Pronominis neglecta est, Wagn. comparat Ovid. Her. II, 56. *Debuit hoc meriti summa fuisse mei* et adnott. ad Viger. p. 178. Adde v. c. Ovid. Met. II, 263. *campus arenae, quod modo pontus erat.* ei. Her. III, 8. *hoc quoque culpa tua est.* Senec. Benef. II, 8. *Non est illud liberalitas.* Liv. II, 35, 5. *si hoc profectio et non fuga est* (ubi vid. Drak.). Iustin. XVIII, 3, 11. *Id primum aliis videri furor* (ubi vid. Beneck.) cett.; quare, etiamsi *ver* non esset vox neutrius generis, Geo. II, 338. Vergilio scribere licuit *ver illud erat.* Cf. Burm. ad Prop. II, 16, 26. Duker. ad Flor. IV, 2. Krüger *Untersuch.* etc. III. p. 92 sqq. Ochsner ad Cic. Ecl. p. 36 sqq. Creuz. et Moser. ad Cic. Legg. I, 7. Ruddim. II. p. 21. Ramsh. §. 158. Billroth. §. 170. not. 3. Weissenborn. §. 157. not. 2. aliique Gramm. — **174**. *Velatas comas*, capita vittis circumdata. Vid. ad Aen. II, 168. 296. — V. **175**. ad Ennii exemplum factus videtur Macrobio, qui Sat. VI, 1. p. 159. Bip. s. p. 504. Jan. hoc servat Ennii fragmentum (p. 112. Hessel. s. Ann. XVI. fr. 6. p. 60. Vahl.): *Tunc timido manat ex omni corpore sudor.* Cf. etiam Lucr. VI, 945. *manat item nobis e toto corpore Sudor. Manare* autem verbum proprium est de sudore, lacrimis, sanguine omninoque de humoribus, qui guttatim, certe tantum modice prolabuntur, non larga copia effunduntur. Cf. Hor. Ep. I, 17, 59. Ovid. Met. VI, 312. X, 500. Liv. I, 59. V, 7. Plin. XIV, 20, 25. XXXVII, 10, 61. etc. De epitheto *gelidi* vid. ad Aen. II, 120. Ceterum Gossr. sudorem corporis signum rei visae certum haberi memorat. Cf. infra VII, 458. et Silius VIII, 187. Observa autem hunc versum, quo nova sententia incipit, parenthesi *ἀνακολούθως* adiungi. — **176**. *Corripio - - corpus*, ut alibi *se corripere*, v. c. Aen. VI, 472. XI, 462. Plaut. Merc. III, 4, 76. *ut corripuit se repente atque abiit* cett. Infra autem Aen. IV, 572. (ut apud Lucr. III, 164.) etiam *corpus ex somno corripere* legimus. Cf. etiam Lucr. III, 938. *Quin correptus homo ex somno se colligit ipse* et Silius XVI, 431. *Exigit e stratis corpus.* — *tendo supinas Ad caelum - - manus*, quia superi dei invocantur (cf. infra IV. 205. Hor. Od. III, 23, 1. *caelo supinas si tuleris manus.* Ovid. Met. VIII, 682. *manibusque supinis Concipiunt - - preces*, ubi vid. Bach., Sall. Cat. 31, 3. *manus supplices ad caelum tendere* etc.). Si ad marinos deos precabantur, ad mare (vid. Aen. V, 233.), si ad inferos, ad terram (Macr. Sat. III, 29.) manus tendebant. — Ceterum cf. supra II, 688. *caelo palmas cum voce tetendit.* Similiter Tibull. III, 4, 41. *Sed postquam fuerant digiti* (lyrae chordas tangentes) *cum voce locuti*, ubi vid. interpr. — **178**. *munera intemerata* Heyn., Servium secutus, interpretatur per vinum pure, rite libatum (neque aliter Schirach. p. 463), rectius vero Wund. ait esse vina integra, pura, sine vitio et labe, qui simul mentionem facit verborum *egregius, eximius, laetus* in sacris usurpatorum; Wagn. autem et Ladew. explicant per vinum merum, et

Anchisen facio certum remque ordine pando.
Adgnovit prolem ambiguam geminosque parentes,
Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: „Nate, Iliacis exercite fatis,

Conington epitheto utramque notionem coniunctam inesse suspicatur. Voc. *munus* (ex nostra certe interpretatione) de vino usurpatum iam I, 636. legimus. Alibi autem Adiect. *intemeratus* ad eiusmodi res corporeas relatum vix invenies, cum plerumque de animi affectibus et conditionibus dicatur (velut Aen. II, 143. *intemerata fides*, Apul. Met. II. extr. p. 127. Elm. *intemerata veritas*). Ceterum ut omnino pro oraculis ultro oblatis gratias acturi sacra fecerunt veteres (cf. VII, 130. VIII, 542. IX, 23.), sic etiam post eiusmodi visa et somnia, sive fausti, sive infausti erant ominis. (Cf. V, 744. VIII, 70. Ovid. Met. IX, 701. Tibull. I, 5, 13. III, 4, 10. Plaut. Amph. II, 2, 108. cett. et Gossr. ad h. l.) — *focis*, quia focus erat ara deorum Penatium. — *honore*. Vid. ad Geo. III, 486. Aen. I, 49. III, 118. etc. — **179**. *facio certum* pro eo, quod pedestris orationis scriptores dicunt, *facio certiorem*. Sic Plaut. Pseud. I, 1, 16. *Fac me certum, quid tibi sit* et Genitivo Obiecti addito Ovid. Met. VI, 268. et XI, 415. *ruinae, consilii certum facere*. — *remque ordine pando*, enarro, verbis explico; qua significatione vox poëtis saepius usurpatur (vid. infra v. 252. 479. VI, 267. Ovid. Met. IV, 680. *Pande requirenti nomen terraeque tuumque*, imprimis autem Epit. Iliad. 131. *remque omnibus ordine pandit*), interdum vero etiam apud prosaicos posterioris aevi invenitur (velut Plin. H. N. XIV. praef. §. 3. *alicui praecepta pandere*. Petron. c. 89. *opus carmine pandere*). Cf. Gronovii Obss. IV, 12. p. 432. ed. Frotsch. et adnot. mea ad Lucr. IV, 8., ubi sane Lachm., *carmina pandere* Latinum esse negans, edidit *pango*. — *Ordine* autem *pandere*, i. e. omnia deinceps enarrare, redit VI, 723., ut *ordine dicere* Geo. IV, 4. et 537. atque *ordine referre* ap. Ovid. Met. V, 335. IX, 94. — **180**. *prolem ambiguam*, quia Troianorum stirps et a Teucro et a Dardano, eius genero, deduci poterat, qui sunt *gemini parentes*. Similis est Horatii locus Od. I, 7, 29 sq. *Certus enim promisit Apollo, Ambiguam tellure nova Salamina futuram*. Mercer. Nonium p. 245, 12. *ancipitem* pro *ambiguam* legisse suspicatur, qui in lemmate *anceps* posuerit. — **181**. *novo veterum - - errore locorum*. Putaverat Cretam esse novam Troianorum patriam; nunc vidit se esse deceptum, qui oraculorum sententiam non recte intellexisset. *Novus* autem *error* est iteratus error, non quidem in oraculo interpretando, verum in locis petendis commissus, cum Aeneas iam antea (supra v. 13 sqq.) errore deceptus Thraciam pro terra sibi fato destinata habuerit; quare etiam infra v. 190. *Hanc quoque deserimus terram* dicitur. Sic etiam Henry (*Tw. years* III. p. 17. et Philol. XI, 628., quem tamen nunc sententiam suam retractare video) et Ladew. locum interpretantur. Aliter Wagn., qui (Conington adsentiente) docet, haud raro a poëtis sic iungi contraria, ut alterum salva sententia abesse possit, sed alterius illustrandi et ornatus poëtici gratia adiiciatur, confert Soph. Oed. R. init. ὦ τέκνα Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή et infra v. 716. *intentis omnibus unus Fata renarrabat divom*, in recentiss. tamen edit. etiam explicationem supra propositam probabilem iudicat. — Burmann. aliique hic nodum in scirpo quaerunt, ut est in proverbio, et Peerlk. coniicit *suo - - errore*. — *error veterum locorum*, terrarum antiqua fama in Troianorum originibus celebratarum; unde in Troianos redundat antiquissimi generis gloria. — **182**. De Cassandrae vaticiniis numquam creditis (vid. supra ad II, 246.), quibus poëta hic egregie utitur, cf. infra X, 67. 68. — Verba *Iliacis exercite fatis*, quae redeunt V, 725., Wagn. recte interpretatur: quem fata Troianis adhuc infensa exercent; quo sensu accepta haec verba minime supervacanea esse patet. Dietsch. Theol. Verg. p. 24. malit cogitare de fatis, quae Ilio, dum fuerit, acciderint quibusque Aeneas obdurare, perferre, laborare discat. De *exercendi* verbo pro *vexandi*, *agitandi* posito egerunt Burm. et Bach. ad Ovid. Met. XIII, 265. Matth. ad Cic. Mil. 2, 5. Walch. ad Tac. Agr. p. 148. et Ruhnk. ad Vellei. II, 33. Cf. infra IV, 622. V, 779. ibid. v. 725.

Sola mihi talis casus Cassandra canebat.
Nunc repeto haec generi portendere debita nostro
Et saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare.
Sed quis ad Hesperiae venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phoebo et moniti meliora sequamur."
Sic ait, et cuncti dicto paremus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem paucisque relictis
Vela damus vastumque cava trabe currimus aequor.

(ubi haec ipsa verba iterantur), Geo. IV, 453. cett. — **183**. *Sola - - Cassandra canebat;* quare antea hoc vaticinium neglexerat Anchises, quod nunc demum in memoriam sibi revocat. Cf. II, 246. Vide tamen Conradsii p. VII. de hoc loco dubitationes. — *tales casus* explicatur v. 185.: Hesperiam s. Italiam esse antiquam illam Troianorum patriam, quam nunc repetere iubeantur. Ceterum cum sono verborum *casus Cassandra canebat* cf. V, 866. *sale saxa sonabant* similesque locos et quae ad Geo. I, 157. adnotavimus. — **184**. *repeto*, scil. memoria, quod additur v. c. a Cicerone de Or. I, 1. in. et ad Div. XI, 27., a poëtis autem et argenteae, quam vocant, aetatis scriptoribus haud raro omittitur. Vid. infra VII, 123. Ovid. Met. VI, 491. id. Her. XVI, 277. Plin. Epist. VII, 6. Suet. Gramm. 4. alibi. — *portendere*, praedicere, scil. eam, Cassandram (cf. adnott. ad Aen. II, 25.), *generi nostro haec debita*, fato debita, τὰ πεπρωμένα, εἱμαρμένα. *Deberi* enim dicuntur, quae fato certissime eventura sunt. Cf. Aen. IV, 276. VI, 714. Ovid. Met. XV, 444. Val. Fl. II, 571. Plenius infra VII, 120. *fatis debita tellus*. VI, 713. *quibus altera fato Corpora debentur*. Lucan. VII, 35. *Illa hoc scelus haud umquam fatis debere putavit*. Ovid. Fast. III, 797. *Quaeque fuit fatis debita, poscit opem*. Cf. etiam Aen. XI, 165. et adnott. ad Aen. VI, 66. Corte ad Lucani l. l. Duker. ad Flor. IV, 2, 35. Bach. ad Ovid. Met. XIII, 54. Ochsner. ad eiusd. VI, 538. p. 537. ed. Bach. alii. — **185**. Conrads. p. VII. hunc versum refert inter locos Vergilii inter se pugnantes, quos auctor fortasse retractasset, nisi praematura morte oppressus esset; et sane non congruere videtur cum iis, quae ad II, 771. disputavimus. Sed res sic potest expediri: Anchises audiverat quidem Cassandram saepe vocare abrupta illa nomina (*Hesperia! - - Itala regna!* nam abrupte haec vocata esse, iam docet repetitum *saepe*), sed non putans ea arcte inter se cohaerere et Troianorum futuras sedes indicare (cf. v. 186.), haec verba vatis per se numquam creditae (v. 187.) tamquam inania filio tacuerat, ut hic per Penates demum docendus esset, Hesperiam illam, ubi Troianis novae sedes paratae sint, esse Italiam. — **187**. *crederet - - moveret*, eo ipso tempore, quo Cassandra locuta est. (Cf. infra VII, 809.) Nos in eiusmodi locis Plusquamperfecto utimur. Vid. Held. ad Caes. B. C. III, 96. Beneck. ad Iustin. XIII, 1, 10. et 2, 11. Herzog. ad Caes. B. G. V, 10. Zumpt. §. 529. not. Ramsh. §. 186. II, 1, 6. Billroth. §. 220. not. 3. Kühner §. 140. a. not. 7. aliique libri gramm. Similis est notissimus ille usus Imperfecti Coniunctivi in enunciationibus conditionalibus. Pro *moveret* plures Codd. Pierii et Burm. (etiam quatuor Paris., Bern. I. a m. sec., Bern. III. et Minoraug.) male *moneret*. — **188**. *moniti*, a diis Penatibus. Vid. II, 183. Comparant cum hoc versu Hom. Il. I, 216. — **189**. *dicto paremus*. Cf. infra VII, 433. XIII, 568. cett. — *ovantes*, laetitia gestientes, vel, ut Schirach. p. 519. explicat, „alacres, laeti, quia finem laborum et certam speramus sedem." De *ovandi* voc. vid. adnott. ad Geo. I, 346. — **190**. Cum ipsa re cf. Sall. Cat. 6. *Troiani Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur*. Verba *Hanc quoque deserimus sedem* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 201. — *paucis relictis* tamquam colonis in nova urbe, quam Aeneas condi coeperat; nam fuit sane posterioribus temporibus urbs Cretae Pergamum. Vid. supra ad v. 133. — **191**. *Vela damus*. Vid. ad I, 35. et infra ad v. 686. — *cava trabe*. De epitheto cf. infra v. 286., de ipso autem Substantivo infra IV, 566. Hor. Od. I, 1, 13. *ut trabe Cypria*

Postquam altum tenuere rates nec iam amplius ullae
Adparent terrae, caelum undique et undique pontus,
Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber
Noctem hiememque ferens et inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare magnaque surgunt
Aequora; dispersi iactamur gurgite vasto;
Involvere diem nimbi et nox humida caelum
Abstulit; ingeminant abruptis nubibus ignes.

Myrtoum pavidus nauta secat mare. Sen. Agam. 120. *Phasiaca fugiens regna Thessalica trabe;* imprimis autem vid. Ovid. ex Pont. I, 3, 76. *Quo duce trabs Colchas sacra cucurrit aquas.* Diximus de hoc dicendi genere *currere*, *navigare aequor* cett. ad Aen. I, 67. Sic *currere aequor* etiam infra V, 235., *currere undas* etiam ap. Tibull. IV, 1, 72., *caerula currit Aequora* ap. Avien. descr. 653., *currunt harenas* ibid. v. 332., *campus curritur* ap. Quinct. Inst. I, 4. extr. etc. Praepositione addita ap. Hor. Sat. I, 1, 30. et alibi legimus *per mare currere*, ap. eund. Ep. I, 11, 27. *trans mare currere* cett. et similiter infra V, 862. *Currit iter - - aequore classis.* Heyn. comparat Homeri (Il. I, 483.) θεῖν κατὰ κῦμα. Sic etiam τρέχειν (Eur. Hel. 1126. δραμεῖν αἰγιαλόν) et ἱέναι (Eur. Troad. 1090. μέσον πέλαγος ἰούσας). Cf. Markl. ad Eur. Iph. T. 427. Bernhardy Graec. Synt. p. 115. alii. — Vss. **162—195.** paucis verbis mutatis iterum leguntur V, 8—11. (Vid. ad Ecl. V, 37.) Aeneas cum sociis tempestate circa Maleae promontorium (vid. V, 193.) naufragiis infame orta ad Strophades, Harpyiarum sedes, adigitur. Similes tempestatum descriptiones ad Homeri exemplum Od. XIV, 301 sqq. (coll. XII, 403 sqq.) Vergilius exhibuit I, 82. V, 9. 62. 692. — *altum tenuere*, in mari, quo tetenderant, navigarunt; nam *tenere* interdum valet id, quod concupieras, nactum esse et nunc habere; ideoque de loco dictum est i. q. venisse eo, quo venire volueras. Sic v. c. *portum tenere* apud Cic. ad Div. I, 9, 62. cett. — *nec iam amplius*, contra Ciceronis et meliorum solutae orationis scriptorum usum. Cf. Hand. Tursell. I. p. 291. Pro *ullae Apparent terrae* Macrob. Sat. V, 3. p. 66. Bip. s. p. 392. Jan. exhibet *ulla Apparet tellus* confundens hunc locum cum V, 8. — **193.** *caelum undique et undique pontus.* Cf. Lucr. IV, 436. *Quippe ubi nil aliud nisi aquam caelumque tuentur.* Hor. Od. III, 27, 31. *nihil astra praeter Vidit et undas.* Ovid. Trist. I, 2, 23. *Quocunque adspicias, nihil est nisi pontus et aër.* Val. Fl. II, 628. *Rarior hinc tellus atque ingens undique caelum* etc. — **194.** Verba *caeruleus* (niger, vid. supra ad v. 64. et ad Geo. I, 236.) *supra caput adstitit imber* ex Hom. Od. XII, 405 sq. sumpta esse, observavit Heyn., qui etiam Od. XIV, 301 sqq. et cum h. l. et cum eo, qui infra legitur V, 8 sqq., comparandum esse docuit. — **195.** *inhorruit unda tenebris.* *Inhorrescere* dicitur interdum de tremulo motu rerum, quae vehementius agitantur, v. c. apud Ovid. ex Pont. III, 3, 9. *agitatus inhorruit aër*, ap. Val. Fl. III, 348. *inhorruit aether* cett. (cf. adnott. ad Geo. III, 199.) ideoque eo aptius de mari usurpatur, quod hac vehementiore agitatione simul erigitur (vid. adnott. ad Geo. I, 151.). Cf. Pacuv. ap. Cic. Div. I, 14, 24. (fr. inc. 45.) *inhorrescit mare, Tenebrae conduplicantur* et ipse Cic. de Rep. I, 40, 62., qui *mare horrescere* dicit. Sensus igitur hic est: mare exasperatur, surgit nigris (propter tenebras) fluctibus motis. Vid. etiam ad Geo. I, 314. — **196.** *venti volvunt* (Haupt. et Ribb. *volvont*) *mare.* Vid. supra I, 86. (venti) *vastos volvunt ad litora fluctus* et II, 759. *volvitur ignis vento.* Sic etiam Plin. H. N. IX, 3, 2. *Procellae ab imo verrunt maria pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt.* — *surgunt aequora* (Ovid. Met. XIV, 711. *freto surgente*) *magna*, magnis fluctibus, s. in altum surgunt. Cf. Geo. III, 28. *magnum fluentem Nilum.* — **197.** *gurgite.* Vid. supra I, 118. — **198.** *involvere diem nimbi* Heyn. recte interpretatur: „procellae adspectum caeli lucemque ac solem eripiunt." — *nox humida*, tenebrae ex imbre ortae. Ceterum cf. supra I, 88. 89. — **199.** *ingeminant* (se: vid. ad Geo I, 333. et Aen. I,

Excutimur cursu et caecis erramus in undis.
Ipse diem noctemque negat discernere caelo
Nec meminisse viae media Palinurus in unda.
Tris adeo incertos caeca caligine soles

234.) *ignes*, fulmina, *abruptis nubibus*, prorumpentes ex nubibus Iovis fulmine fissis, scissis. Cf. Geo. III, 259. Aen. II, 416. XII, 451. Silius I, 135. VI, 608. VIII, 653. XVII, 252. Ovid. Fast. II, 495. Val. Fl. IV, 661. et Claud. in Eutrop. II, 168. Pauci Codd. (inter quos sched. Sangall. et Moret. II.) *abrupti nubibus ignes*, quam lectionem defendit Wakef. ad Lucr. II, 214., ubi sane legitur *Nunc hic, nunc illic abrupti nubibus ignes Concursant*, quemadmodum ap. Stat. Theb. I, 353. *abrupta tremiscunt Fulgura.* Sed plurimorum Codd. lectio locis supra laudatis satis defenditur qua in re nobiscum consentit Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 112. Ladew. autem adnotat, Vergilium, Ovidium, alios loqui ut poëtas, Lucretium vero ut physicum. Ceterum verba *ingeminant abruptis nubibus ignes* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 319. — **200.** *caecis - - in undis*, in quibus, tenebris involuti, qua in parte maris versaremur et quo veheremur, discernere non poteramus. Vid. ad Geo. II, 503. et Aen. II, 19. Orell. tamen ad Hor. Od. III, 27, 21., hanc meam explicationem reiiciens, *caecis* interpretatur: „caeco impetu nos iactantibus.“ — **201.** *Ipse - - Palinurus*, i. e. vel, adeo Pal., qui, ut gubernator, praeter ceteros viam debebat novisse; de quo usu Pronominis diximus ad Aen. I, 625. Prorsus eadem ratione V, 12. *Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta*: *Heu! quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?* i. e. cui minus, quam ceteris, talia conveniebat formidare. *Palinurus* autem, gubernator navis Aeneae, Iasii erat filius et nomen dedit illi Lucaniae promontorio, ubi, cum gravi morbo oppressus in mare excussus esset et litori Lucaniae adnatasset, ab incolis eius regionis interfectus est. Cf. infra V, 835 sqq. et VI, 337 sqq. ibique Serv. Hor. Od. III, 4, 28. Ovid. Trist. V, 6, 7. id. Rem. Am. 575. alii. — **202.** *Nec meminisse*, scil. *dicit*, quod e praecedenti *negat* (i. e. *dicit, se non* cett.) supplendum, ut saepe. Cf. Ter. Phorm. II, 3, 5 sqq. *Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho? Neque eius patrem se scire, qui fuerit?* Cic. Acad. I, 12, 45. *Arcesilas negabat, esse quidquam, quod sciri possit - - neque esse quidquam, quod cerni aut intelligi possit.* id. Off. III, 2, 9. *qui negant, eum locum a Panaetio praetermissum, sed consulto relictum, nec omnino scribendum fuisse.* Alia exempla collegerunt Gronov. Obss. IV, 2. p. 535. ed. Frotsch. Drakenb. ad Liv. XXII, 53, 7. Ruhnk. ad Rut. Lup. I, 13. p. 47. Beier. ad Cic. l. l. et ad Lael. 16, 59. p. 94. Walch. Emendd. Livv. p. 227. Bremi. ad Nep. Cim. 1, 4. Kritz. ad Sall. Iug. 106, 3. — *meminisse* hic est scire, ut antea solebat. Vid. Burm. ad Val. Fl. V, 584. De omisso autem Accusativo Subiecti *se* vid. adnott. ad Aen. II, 25. Respexit hunc versum auctor Tetrastich. in Anth. Lat. II, 193, 28. *Destituitque ratem media Palinurus in unda.* — Cum v. **203** sq. cf. Hom. Od. V, 388. et Silius III, 554. — *adeo* arcte cohaeret cum *tris* (*ganze drei Tage*), ut VII, 629. *Quinque adeo.* Vid. adnott. ad Geo. I, 287. Wagn. Qu. Virg. XXVI. ambigit, utrum cum *tris*, an cum *incertos* coniungendum sit, in min. tamen edit. recte cum *tris* coniungit. — *incertos soles* Heyn. interpretatur: „obscuros, per quos fit navigatio incerta, propter caliginem,“ coll. Aen. VI, 270. *incerta luna*, et, quos ante oculos habuerit Vergilius, Hom. Od. V, 388 sqq. IX, 74 sqq. et Apollon. IV, 1694 sqq. in qua explicatione tantum verba „per quos fit navigatio incerta“ velim omissa, quibus epitheton *incertos* ad navigationem transferri videatur; describitur potius aëris conditio, qua fit incertum, utrum dies sit, an nox. Wagn. conferri iubet Val. Fl. II, 57. *certus Titan*, ut ap. Arat. Dios. 93. καθαρός, et Weichert. Epist. crit p. 34. Adde Ovid. Met. II, 808. *incerto sole.* De passivo voc. *incertus* usu cf. Cort. et Kritz. ad Sall. Iug. 49, 5. et Walch. Emend. Liv. p. 207. *Solis* autem et *diei* notiones a veteribus saepissime confundi, ad Ecl. IX, 52 vidimus. — *caeca caligine* ab *incertos* pendere, non cum *Erramus* coniungendum esse patet. Ceterum eodem pleonasmo Lucretius II, 55. *caecis in tenebris.* Vid. ad Aen. II, 19. De κακοφωνίᾳ autem, quam quidam odorati sunt in his verbis iunctis, diximus

Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.
Quarto terra die primum se attollere tandem
Visa, aperire procul montis ac volvere fumum.
Vela cadunt, remis insurgimus; haud mora, nautae
Adnixi torquent spumas et caerula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Excipiunt. Strophades Graio stant nomine dictae,

---

ad II, 27.; quamquam *caecā caligine* minus reprehendendum dixeris, quam *Doricā castra*. Ceterum quod attinet ad πλοκήν, quam poëta finxit in iteratis vocc. *caecis, caeca, — erramus, erramus, — undis, unda*, cf. simillimus locus Geo. II, 104. et Iahn. ad Aen. I, 552. p. 450. ed. II. — **204**. *sine sidere noctes*. Cf. infra VI, 534. et Sil. VI, 150. *tristes sine luce tenebrae*. — Post v. 204. Servius in quibusdam libris invenit hos tres versus vel uncis inclusos vel extra ordinem in inferiore margine positos: *Hinc Pelopis gentes Maleaeque sonantia saxa Circumstant, pariterque undae terraeque minantur. Pulsamur saevis et circumsistimur undis.* Sed haec ab interpolatore profecta esse patet. Vid. adnott. ad VI, 289. — **206**. *aperire procul montes*, dare adspectum montium, ostendere montes oculis, dum in conspectum illi veniunt. Vid. infra ad v. 275. — *volvere fumum*, ignibus in domiciliis incolarum incensis, unde concludere possunt Troiani, non vastam et desertam esse terram, cui adpropinquent. Cf. Hom. Od. I, 58. X, 99. et Ovid. Met. XIII, 601. *volumina fumi*. — **207**. „*Vela cadunt*, demittuntur, ut, quemadmodum fit in locis vadosis, remis ad terram agatur navis.“ *Heyn*. Cf. Ovid. Fast. III, 585. *Vela cadunt primo et dubia librantur ab aura*. — *remis insurgimus*, a transtris assurgimus, ut maiore vi et nisu remis incumbere possimus. Redit hoc infra v. 560. et V, 189. Cf. etiam Val. Fl. II, 13. *Vela legunt: remis insurgitur* (ubi vid. Burm.), idemque I, 450. *Insurgit transtris et remo Nerea versat*. Rutil. I, 400. dixit verbo simplici *remis surgere*. — *haud mora*, scil. est, fit, i. e. sine mora. Cf. Geo. IV, 548. Aen. III, 548. V, 140. 368. VI, 177. VII, 156. Val. Fl. V, 60. Petron. 99. cett. Plene *haud fit mora* dicitur Aen. X, 153. Cf. Hand. Turs. IV. p. 36. — *adnixi*, scil. remis, bene de iis, qui totis viribus remis incumbunt et strenue remigant. Nonius p. 420, 4. et 446, 27. minus bene *obnixi*, quod habet vim contra nitendi, resistendi. Iteratur autem hic versus IV, 583., ubi pariter omnes Codd. *adnixi*. — *torquent*, versant, movent, agitant, *spumas*. Cf. I, 35. — *caerula verrunt*. Videtur Vergilius ante oculos habuisse Ennii versus illos, quos ex l. XIV. Ann. (fr. 1. p. 57. Vahl.) profert Gellius II, 26.: *Verrunt extemplo placidum mare marmore flavo; Caeruleum spumat sale conferta rate pulsum*. Simillimus est etiam Catulli locus LXIV, 7. *Caerula verrentes abiegnis aequora palmis*. Voc. *verrendi* haud raro usurpatur de mari, quod vel remis vel ventis agitatur (vid. infra v. 290. IV, 583. V, 778. VI, 320. Ovid. Am. I, 9, 14. et *retibus verrere aequor* apud Manil. IV, 285. et Sil. XIV, 264.: cf. etiam infra VIII, 674. et Heins. ad Ovid. Am. I, 9, 14.); *caerula* autem absolute pro mari legitur etiam infra IV, 583. et VIII, 622. Praeterea cf. Cicer. fragm. ap. Nonium p. 162, 29. *mare caeruleum*, Stat. Theb. III, 250. *stagna caerula* et adnott ad Geo. IV, 388. — **209**. *Strophades*, duae parvae insulae maris Ionii inter Peloponnesi litora et Zacynthum sitae, quae, olim Plotae appellatae, inde ab eo tempore, quo propulsis ex Phinei regno ad eas usque insulas Harpyiis Zetes et Calais, Boreae filii, inde ὑπέστρεφον ἄψ ἐπὶ νῆα, dicebantur Στροφάδες, nunc *Strivali*. Vid. Apollon. II, 285—296. et Apollod. I, 9, 21, cum Heynii adnott. p. 77 sqq. Ciris v. 471. Ovid. Met. XIII, 709. cett. et liber meus geogr. III. p. 1016. — *stant* Wagnero de perpetuitate nominis intelligendum videtur, coll. Val. Fl. VIII, 217. *Insula Sarmaticae Peuce stat nomine nymphae*. Ladewigio autem poëta hoc dicere videtur: Quamquam Graeco nomine Strophades (i. e. se moventes, circumactae) dicuntur, tamen stant fixae. — **210**. *Excipiunt*, quod iam probaverat Iahn. ad Geo. I, 340., quamquam Vergilius *accipiendi* verbum pro *excipiendi*

Insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno
Harpyiaeque colunt aliae, Phineia postquam
Clausa domus mensasque metu liquere priores.
Tristius haud illis monstrum, nec saevior ulla
Pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus, foedissima ventris
Proluvies uncaeque manus et pallida semper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus, ecce

---

vel *recipiendi* positum (vid. II, 70. III, 353. VI, 393. 414. XI, 568. cett.), ob meliorum tamen Codd. (fragm. Vat., sched. Sangall., Pal., Gud., Minoraug., Bern. III. et a m. sec. etiam Bern. I. et II.) consensum et aptiorem sententiam cum Ribbeckio (cf. eius Proleg. p. 272.) et Ladew., qui recte distinguit inter *accipere* (*aufnehmen schlechthin*, ut II, 267. III, 79. 708.) et *excipere* (post pericula et incommoda, *schützend aufnehmen*, ut IV, 374. V, 41. VII, 233.: cf. etiam eius Append. p. 243 sq.) nunc recepimus. Vulgarem lectionem *Accipiunt* (quae sane in Med. invenitur) servarunt Wagn., Bryce, Haupt. et Conington. — *Strophades Graio - - nomine dictae* etc. Cf. adnott. ad Aen. I, 109. et 268. — 211. *Insulae Īōnĭŏ in magno*. Vid. de hoc hiatu in thesi admisso et longae syllabae correptione adnott. ad Ecl. II, 53. et III, 79. (ubi *valē, vălē, inquit* legitur, ut Ecl. VI, 44. *litus Hylā, Hўlă omne clamaret*). Praeterea cf. Wagn. Qu. Virg. XIV, 1., qui coll. Aen. IV, 358. 554. V, 214. 475. 488. VI, 505. 636. VII, 167. X, 378. aliisque locis, Vergilium concursum Adiectivi et Substantivi interiecta Praepositione vitare docet. — *dira Celaeno* etiam in Anth. Lat. II, 192, 27. — 212. *Harpyiae*, i. e. rapaces, quare etiam θύελλαι (Hom. Od. XX, 66. 77.) et κακαὶ ἀνέμοιο θύελλαι (Il. VI, 346.) vocantur, apud Homerum sunt ventorum et procellarum numina, a quibus abrepti putabantur, qui evanuerunt ex hominum oculis. (Cf. Od. l. l. et I, 241. Paus. X, 30. Soph. Phil. 1120.) Quam opinionem secutus Hesiodus Theog. 265 sqq. parentes earum fecit Thaumanta, Ponti filium, et Electram, Oceani filiam. Posteriores autem mythographi, Argonauticorum auctores, earum fabulam prorsus immutarunt. Ab iis monstra habentur visu et olfactu foeda, quae, ex virginum et vulturum corporibus composita, Furiarum instar mittuntur, ut homines vexent et crucient. Hae deae ultrices, quarum nomina sunt Aëllo, Ocypete et Celaeno, Phineo quoque, Thraciae regi, ob excoecatos filios immissae, quem, omnes ei cibos eripientes et foeda alvi proluvie conspurcantes, fame enecarent. Sed Argonautae, quibus ille saluberrima dederat consilia, hoc malo eum liberarunt, cum alati isti, quos supra nominavimus, Boreae filii eas depellerent et indefessi usque ad Strophades insulas persequerentur, ubi Iupiter eos persecutione absistere iussit. Ibi igitur posterioribus temporibus habitarunt. Sic certe narrant Apollon. et Apollod. ll. supra ll., quos Vergilius secutus est; quamquam veterum de iis narrationes admodum variant. Cf. etiam Ovid. Met. VI, 712 sqq. VII. in. Trist. IV, 7, 17. Val. Fl. IV, 431. alii, et Heyn. Exc. VII. ad h. l. — 212. *Phineïa postquam Clausa domus*, postquam a Zete et Calai ex Phinei domo expulsae sunt. — *metu*, Argonautarum. — 215. *Pestis*. Vid. ad Geo. I, 181. — *ira deorum* Heynio interprete est „res, quae ab ira deorum venit, a diis iratis immittitur.“ Cf. Val. Fl. I, 683. *Ira deum et Calabri populator Sirius agri*. Verba *Pestis et ira deûm* legimus etiam in Anth. Lat. I, 170, 34. — *E Stygiis undis* monstra omnia, imprimis horrifica hominibusque perniciosa, procedere putabantur. Quare, ut Valerio Flacco II, 106. Furiae dicuntur *virgines Stygiae*, ita eidem poëtae VI, 733. Harpyiae *canes Stygiae*. — 216. *Virginei volucrum vultus*. Sic apud Ovid. Met. VII, 4. eaedem *Virgineae volucres* vocantur. Conington comparat *Cerbereas canum facies* ap. Lucr. IV, 733. — *ventris Proluvies*. „Sordis effusio. Vitavit, ne diceret *stercus*.“ *Serv.* — 217. *uncae manus*, ungues. Cf. infra v. 233. Graecis vocantur γαμψώνυχες. Vid. Hom. Il. XVI, 428. — 219. Heyn. confert Hom. Od. XII, 262 sqq.

Laeta boum passim campis armenta videmus
Caprigenumque pecus nullo custode per herbas.
Inruimus ferro et divos ipsumque vocamus
In partem praedamque Iovem; tum litore curvo
Exstruimusque toros dapibusque epulamur opimis.
At subitae horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiae et magnis quatiunt clangoribus alas
Diripiuntque dapes contactuque omnia foedant

---

quem Maro ante oculos habuerit. Adde ibid. v. 353 sqq. — *Huc ubi d. p. intravimus, ecce.* Plura exempla voc. *ecce* in altera parte sententiae post antecedentes Particulas *cum, dum, ubi* usurpatae, contulit Hand. Tursell. II. p. 347. — **220.** sq. Cf. Hom. Od. XII, 262 sq. *laeta armenta*, pinguia. Vid. ad Geo. II, 520. et III, 320. Additus Genetivus *boum* non redundat, cum etiam equorum (vid. infra v. 540. et Plin. Ep. II, 17. *multa ibi equorum boumque armenta*) aliorumque animalium armenta commemorentur. Vid. adnott. ad Aen. I, 185. Respexit hunc locum Epit. Iliad. 500. *agmina vidit Laeta boum passim virides errare per herbas.* — **221.** *Caprigenum pecus* ex Pacuvio et Attio ductum, secundum Macrob. Sat. VI, 5. p. 182. Bip. s. p. 530. Jan. Cf. etiam Cic. Progn. fragm. 6. p. 556. Orell. *caprigeni pecoris custos.* — *nullo custode*, quia armenta numini alicui consecrata libera et incustodita per pascua vagantur, ἄφετον νέμονται ἀνειμένα, qua de re Thiel. conferri iubet Plat. Rep. VI, 11. et Heind. et Stallb. ad Plat. Protag. p. 320 A., Henry autem (*Two years* III. p. 19. et Philol. XI. p. 629.) Livium XXIV, 3. *Lucus - - ubi omnis generis sacrum Deae* (Iunoni Laciniae) *pascebatur pecus sine ullo pastore* etc. Hi autem greges Harpyiis erant dedicati; quare illae v. 247. de iniuria sibi facta queruntur, quod recte memorat Heyn. — *per herbas* Heins. revocavit ex optimis plurimisque libris; vulgo *per herbam*, quod Burm. defendit (qui etiam conf. ad Ovid. Her. I, 24.). Sed vide ad Geo. II, 527. — **222.** *Inruimus ferro.* Cf. supra II, 409. — **223.** *in partem praedamque* (i. e. praedae partem) *vocamus* pro: participem facimus; nam Iovi decima pars praedae de more dicabatur. Hic igitur pars carnium tostarum Iovi religiose apponebatur. De figura ἑνὸς διὰ δυοῖν vid. adnott. ad Ecl. II, 8. VIII, 95. Geo. I, 335. cett. et de verbo *vocandi in aliquid* pro in societatem alicuius rei infra VI, 172. VII, 568. X, 241. XI, 322. XII, 22. Gronov. ad Senec. Oed. 304. Heins. ad Val. Fl. II, 577. coll. iis, quae supra ad v. 70. adnotavimus. *Deos in partem praedae vocare* legimus apud Liv. V, 21, 5., ubi vid. Drak. Cf. etiam Grat. Cyn. 247. *in partem praedae veniat comes.* — **224.** *Exstruimus toros*, congeriem caespitum in modum tororum struimus. Cf. XI, 66. et adnott. ad V, 388. — *dapibus epulamur opimis.* De constructione verbi *epulandi* cum sexto Casu cf. Muncker. ad Lact. Narr. fab. I. p. 850. — **225.** *subitae* pro vulg. *subito* Heins. ex melioribus Codd. revocavit. Cf. infra V, 522. VII. 446. XI, 538. cett. Vid. ad II, 680. — *lapsu*, volatu. Cic. N. D. II, 39, 99. *lapsus volucrum.* Val. Fl. I, 91. *deae celeri per aethera lapsu Diversas petiere vias.* Cicer. fragm. ap. Lactant. III, 19, 6. *castos animos lapsu ad deos pervolare.* Sic infra v. 243. *celerique fuga sub sidera lapsae.* — *adsunt*, advolant. Cf. adnott. ad Ecl. II, 45. et VII, 9., omnino autem quae ad Aen. II, 442. adscripsimus. — **226.** Servius ad h. l. affert haec Plauti (in Querulo) verba de anseribus: *Cuncti alas quatiunt diris cum clangoribus*, qui versus, Peerlk. teste, in edit. Klinkhameria a. 1829. p. 103. plene sic legitur: *Inde ubi sonuerit unus, cuncti* etc.; Wagn. autem comparat Hom. Il. III, 5. κλαγγῇ ταίγε πέτονται et Conington Apoll. Rhod. II, 187 sqq. *Clangor* autem saepe dicitur de omnium fere avium voce. Cf. Ovid. Met. XII, 528. Sen. Herc. Oet. 1390. Stat. Theb. XII, 517. Claud. de Phoen. 45. Cic. Tusc. II, 10, 24. de Div. II, 30, 63. Liv. I, 34. V, 47. Plin. X, 8, 10. XVIII, 35, 87. Colum. VIII, 13, 2. Apul. Met. IX. p. 232. et Flor. p. 366. Elmenh. Peerlk. verba *et magnis q. cl. alas* sine iusta causa censet spuria. — **227.** *Diripiunt.* Sic omnes Codd., rectissime; Harpyiae enim dapes cupide abripiunt vorantes, neque vero in alium

Inmundo; tum vox taetrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo sub rupe cavata
[Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris]
Instruimus mensas arisque reponimus ignem:
Rursum ex diverso caeli caecisque latebris
Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis,
Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capessant,
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus ac iussi faciunt tectosque per herbam
Disponunt enses et scuta latentia condunt.

---

locum auferunt (quod esset *deripiunt*). Cf. adnott. ad Geo. II, 8. et Iahn. ibid. p. 405. ed. II. — 228. *tum* non est *postea*, sed *porro;* accedit odor teter et vox (stridor) dira. De verbo omisso cf. adnott. ad Aen. IV, 202. — 229. *in secessu longo* cett. Vide similes locos I, 159 sqq. et 310 sqq. — 230. *Instruimus mensas*, i. e. epulas, coenam. Cf. adnott. ad Aen. I, 216. — 230. Cum Med., Pal., Gud., itemque Bern. I. et III. a m. sec. pro *clausi* (quod praeter plures Codd. etiam gloss. Petri p. 15. agnoscit) exhibeant *clausam*, lectionem hic omni sensu destitutam, (quare in Med. litera *m* puncto superposito et in Gud. lineola subter ducta notatur, in aliis autem Codd. vere *clausa* legitur), apparet, hunc versum invito poëta ex I, 311. huc esse translatum, quare a Ribbeckio in marginem inferiorem reiicitur, a nobis autem et Ladew. pro more nostro uncis includitur. Vix enim ad hunc versum pertinere dixeris, quae ad Ecl. V, 37. disputavimus de versibus a Vergilio ita repetitis, ut quaedam paullulum mutata appareant; quare Conington paullo inconsultius: „*Ribb. omits v.* 230. *without authority.*“ — 231. *aras* Heyn. pro focis positas habet; rectius vero Wund. proprie dictas et, cum ex Homeri carminibus in dapibus apparandis diis debita in aris semper fere oblata esse constet, Vergilio, ne rem sacram toties describeret, v. 224. oblationem portionis deorum omissam et hoc loco paucis tantum memoratam esse censet, ut igitur verbum *reponimus* ad id spectet, quod semel iam factum sit. Cf. etiam adnott. ad Geo. III, 527. — Ceterum post *ignem* cum Wagn. Colon posuimus pro Puncto, quod vulgo additur; hoc enim flagitare mutuam rationem inter duplex *Rursum* v. 229. et 232. intercedentem, bene perspexit Vir doct., qui eadem de causa post *uncis* v. 233. Commate incidit, non Semicolo, cum ad *polluit* ex antecedentibus repetendum sit *rursum*. (Etiam ceteri recentiores editores Wagnerum in distinguendo loco recte sequuntur.) — 232. *ex diverso* (ut II, 716.) *caeli* pro ex diverso caelo s. ex diversa caeli parte. De quo Adiectivorum neutro genere pro Substantivis positorum usu praeter ea, quae de Plurali ad Geo. I, 393. II, 284. et Aen. I, 310. disputavimus, de Singulari vide Vechneri Hellenolex. I, 2, 9. p. 202 sqq. Drak. ad Liv. XXXVII, 58. extr. Hertel. ad Tac. Agr. c. 6. et 24. Boetticher. Lex. Tacit. p. 34 sqq. Kritz. ad Sall. Iug. 37, 4. Bach. ad Ovid. Met. X, 368. Ruddim. II. p. 64. not. 52. Weissenb. §. 202. alios. — 234. Verba *Polluit ore dapes* legimus etiam in Anth. Lat. I, 168, 22. — *tunc*, i. e. hoc tempore, nunc, cum iterum Harpyiae accederent. Primum enim inultae discesserant. Nescio, quomodo Conington contra me disputans contendere possit, hic iam de tertio Harpyiarum adventu cogitandum esse; immo, cum illac iterum advolent, Aeneas iubet socios arma capessere, quae in gramine conduntur, et cum tertium veniant delapsae (v. 238.), pugna cum iis incipit. De mutata autem constructione *arma capessant et bellum gerendum* vid. adnott. ad Ecl. VI, 74. Geo. I, 25. et Aen. II, 5. *arma capessant. Edico*, ut X, 258. *edicit, signa sequantur*. Cum Infin. construitur *edicere* Geo. III, 295. et XI, 463. — 236. Verba *Haud secus ac iussi faciunt* (i. e. faciunt, ut imperatum est), una tantum voce mutata, redeunt infra v. 561. — 237 *tectos - - Disponunt enses et scuta latentia condunt*, i. e. disponunt, ut tegantur, et ita condunt, ut lateant. Cf. de hoc proleptico Participiorum et Adiectivorum usu adnott. ad Geo. II, 353.

Ergo ubi delapsae sonitum per curva dedere
Litora, dat signum specula Misenus ab alta
Aere cavo. Invadunt socii et nova proelia temptant,
Obscenas pelagi ferro foedare volucres.
Sed neque vim plumis ullam nec volnera tergo
Accipiunt celerique fuga sub sidera lapsae
Semesam praedam et vestigia foeda relinquunt.
Una in praecelsa consedit rupe Celaeno,
Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
„Bellum etiam pro caede boum stratisque iuvencis,
Laomedontiadae, bellumne inferre paratis
Et patrio Harpyias insontis pellere regno?

Aen. II, 736. IV, 469. — **238**. Verba *Ergo ubi delapsae* hinc sumpta videntur in Anth. Lat. III, 81, 17. — *sonitum*, clangorem alarum; vid. v. 226. — **239**. *Misenus* est tubicen classis, de quo plura vide infra VI, 162 sqq. — *specula ab alta*, ab alta rupe. — *nova* (*in ihrer Art neue*) *proelia*, quia antea nondum cum avibus pugnaverant. Peerlk. minus probabiliter hunc locum sic distinguendum putat: *Invadunt socii, et* (*nova proelia!*) *temptant Obscenas* etc. — **241**. Infin. *foedare* per appositionem adiectus Substantivo *proelia*, ut Geo. IV, 554. *Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum Adspiciunt - - toto stridere apes utero;* indicat enim hic versus causam, cur proelia illa *nova* dicantur. Ceterum de illo usu Infinitivi per appositionem adiecti apud Graecos et Latinos cf. Stallb. ad Plat. Apol. c. 1. extr. Iacobitz. ad Luciani Tox. 36. Beier. ad Cic. Off. I, 12, 32. Kritz. ad Sall. Cat. 28, 3. et Schultz. de linguae Lat. appositione. Prenzl. 1843. p. 19. Wagn. *foedare*, ad quod suppleri vult *sanguine* (ut apud Ovid. Met. VII, 845. *foedantem sanguine vestes*), interpretatur per *cruentare;* et ita sane Servius, laudatis Ennii (Trag. fr. inc. 23. p. 148. Vahl.) verbis: „*ferro foedati iacent*, i. e. cruentati.“ Mihi vero latiore sensu accipiendum videtur, ut II, 55. *ferro Argolicas foedare latebras*, ubi vid. adnott. — *obscenas*, aut omnino turpes, foedas visu et olfactu, aut potius diras et in malo omine habitas. Vid. ad Geo. I, 479. — *pelagi* autem *volucres* appellari videntur utpote Oceani neptes. Vid. supra ad v. 211. — **242**. *vim*, ictum vi illatum. — *tergo*, corpore. Vid. ad Aen. I, 634. — *accipiunt*. Vid. supra ad v. 210. Conington adnotat, Apollonio loco supra laud. Harpyias non visas esse invulnerabiles, cum a Zete et Calai occisas perhibeat. — **244**. *Semesam*. Sic plurimi Codd. et Nonius p. 307, 24., quos nunc cum Süpflio, Bryceo, Hauptio et Ladew. secutus sum; prius cum Wagn. *Semiesam* scripsi, ut etiamnum Conington. Cf. etiam VIII, 297., ubi pariter optimi Codd. *semesa* exhibent et vid., quae de hac re infra ad v. 578. disputavimus. Ribbeck., cum in Gud. et Bern. II. legatur *seme . sam*, in Med. autem *semensam*, litera tamen *n* inducta, scripsit *semessam*, quod etiam in Parrhas. invenitur. — *relinquunt*. Haupt. *relincunt*, Ribbeck. *relinquont*. — **245**. Heyn. adnotat, non constare, quem auctorem poëta secutus sit in eo, ut unam Harpyiarum fatidicam induceret. (Vid. tamen infra ad v. 251.) — **246**. *infelix vates* Servio est nuntia infelicitatis, ut Μάντι κακῶν apud Hom. Il. I, 106. Similiter equus Troianus supra II, 245. (ubi vid. adnott.) *infelix* vocatur. Heyn. latiore sensu positum habet pro vate dira, sinistra. — *rumpit vocem*. Vid. supra ad II, 129. — **247**. *Bellum etiam pro caede* cett., i. e. pro eo, quod - - cecidistis, insuper etiam etc. Postquam armenta nostra occidistis (v. 222 sq.), nobis quoque bellum paratis, insuper etiam nos ipsos interficere conamini. De anaphora verbi *bellum* vid. ad Ecl. VI, 20. et alibi. — **248**. *Laomedontiadae*, perfidi Laomedontis proles (cf. adnott. ad Geo. I, 502.), imprimis ab hostibus ignominiae causa vocantur Troiani (vid. IV, 542.); quamquam etiam sine ignominia VII, 105. *Laomedontia proles* et VIII, 18. *Laomedontius heros* commemoratur. — **249**. Differunt Codd. in ordine verborum. Bothius revocavit lectionem, quae ante

Accipite ergo animis atque haec mea figite dicta,
Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
Praedixit, vobis Furiarum ego maxuma pando.
Italiam cursu petitis ventisque vocatis
Ibitis Italiam portusque intrare licebit;

Heinsium vulgaris erat, *insontes Harpyias*, qui verborum ordo etiam Iahnio magis poëticus videtur, cum poëtae epitheta Substantivis praeponere soleant. Equidem (sicut recentiores editt. omnes) cum Heyn. et Wagn. secutus sum plurimorum et praestantissimorum Codd. auctoritatem, cum epitheton post caesuram positum pronuntiando maiorem acquirat vim et gravitatem. — *patrium regnum* non stricto sensu capiendum significat tantum terram a diis iam per longius tempus sedem et domicilium Harpyiis assignatam (quae etiam Coningtonis est sententia comparantis Geo. I, 52. cum adnot.); nisi malis cum Servio *Neptunium* s. quod est patris nostri, interpretari, quia Harpyiae (ex eius opinione Ponti et Terrae filiae) in insula habitant. — V. **250**. (qui redit X, 104.) Homericum illud esse (Il. I, 297. et alibi) *Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν*, iam Heyn. memorat. Ceterum, cum *animis* non minus ad *Accipite*, quam ad *figite* pertineat (quamquam unus certe Iuven. V, 12. *figere* absolute dixit pro animo figere), cum Wagnero Comma vulgo post *ergo* positum sustulimus, (in iis tamen Viro doct. non adsentientes, quae de Part. *atque* a Vergilio numquam uni vel pluribus vocc. postposito ad h. l. disputat. Vid. adnott. ad Ecl. VI, 38.). Quamquam enim *accipere* absolute capi posse docet praeter alios locos infra IV, 611., tamen nihil impedit, quominus hic *animis* etiam ad *Accipite* trahamus (de quo dicendi genere vide quos laudat Obbar. in Excursu ad Hor. Ep. I, 7, 18. Vol. I. p. 404.), imprimis cum etiam infra V, 304. legamus *Accipite haec animis*. — **251**. Hunc versum Macrob. Sat. V. extr. p. 149. Bip. s. p. 495. Jan. petitum censet ex Aeschyli *Ἱερείαις*: *Πατρὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας Διός* et *ταῦτα γὰρ πατὴρ Ζεὺς ἐγκαθίει Λοξίᾳ θεσπίσματα*. Wund. autem docet, verba illa in Eumenid. 19. sic legi: *Διὸς προφήτης δ' ἐστὶ Λοξίας πατρός*, et Wagn. conferri iubet Musgrav. ad Soph. Oed. R. 151. Et Phoebum quidem a Iove, uno illo deo, qui ipse scit, quid fato sit constitutum, artem vaticinandi accepisse eamque etiam aliis, quibus velit (ut Cassandrae: cf. II, 246.), condonare, communis erat antiquitatis opinio, cuius fundamenta iam in Homeri carminibus inveniuntur. Cf. Serv. ad h. l. Schol. Sophocl. Oed. R. l. l. et Heyn. ad Tibull. III, 4, 47. Servio tamen auctore secundum Varronem Divin. l. II. Harpyiae hoc oraculum ab ipso Iove Dodonaeo acceperant. — **252**. *Furiarum ego maxuma*. Quamquam Homerus Od. XX, 77. sq. Harpyias et Furias certis verbis distinguit, tamen utraeque interdum inter se confunduntur; quare etiam Apollonio, cui Furiae sunt *Ἀΐδαιο κύνες* (IV, 1665.), II, 289. *Διὸς κύνες* et Hygino f. 19. *Iovis canes* nominantur. Vid. Heynii Exc. VII. ad h. l. et Ruhnk. Epist. crit. p. 177. — *maxuma*, scil. natu (vid. ad Aen. I, 521.), ut etiam infra VI, 605., ubi de vera Furia sermo est. De varia autem Furiarum aetate Heyn. conferri iubet Eurip. Iph. T. 963. et Or. 961., cui Wagn. addit Val. Fl. I, 817. (ubi pariter *Furiarum maxima* commemoratur). — *pando*. Vid. supra ad v. 179. — **253**. *cursu petitis*. Vid. Ecl. VI, 80. Aen. I, 157. II, 399. etc. — *ventis vocatis*. Wund. et Wagn. recte explicant: ventis invocatis, ut secundi sint; coll. infra V, 59. *Poscamus ventos*. Simplex autem verbum *vocare* pro *invocare* etiam paulo post v. 264. XII, 181. et alibi legitur. Vid. etiam Geo. I, 157. et IV, 7. ibique adnott. Heyn. minus recte: „*Vocant* ventum nautae, dum velis excipiunt, ut apparet v. c. ex V, 211. VIII, 707. sq.“ quibus locis addere poterat IV, 223., ubi sane *vocare* potius pro advocare positum, quamquam in eiusmodi locis notiones verborum advocare et invocare fere in unam coëunt. — *Ibitis Italiam* per conclusionem quandam adiungitur verbis antecedentibus *Italiam petitis*, pro: Italiam petitis, quare ego vobis praedico, vos vere venturos esse in Italiam; de quo genere iterationis vocabulorum diximus ad Ecl. VIII, 49. et Aen. II, 76. Huc imprimis pertinet Aen. I, 553

Sed non ante datam cingetis moenibus urbem,
Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis
Ambesas subigat malis absumere mensas."
Dixit et in silvam pinnis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Deriguit; cecidere animi, nec iam amplius armis,
Sed votis precibusque iubent exposcere pacem,
Sive deae seu sint dirae obscenaeque volucres.
Et pater Anchises passis de litore palmis
Numina magna vocat meritosque indicit honores.
„Di, prohibete minas; di, talem avertite casum

---

sq. *Si datur Italiam - - Tendere, ut Italiam - - petamus.* — **255**. sqq. Sedes certas, fixa domicilia non prius invenietis, quam ipsas mensas comederitis: de quo oraculo inter veteres celebratissimo, sed ab alio alii auctori tributo (cf. Dion. Hal. I, 55. Varro ap. Serv. ad h. l. Lycophr. 1250 sqq. Aur. Vict. Or. G. R. 11. alios) vid. Heynii Exc. VIII. ad. h. l. Eventum res habet infra VII, 112 sqq., ubi liba in caespite epulis substrata post alios cibos ipsa comeduntur. — *datam urbem* Serv. recte capit de urbe fatis promissa, concessa. Vid. supra v. 85. et I, 382. Sic infra v. 501. *data moenia,* et plenius IV, 225. *fatis datae urbis.* — **256**. Quomodo hoc vaticinium intelligendum sit, infra VII, 112 sqq. videbimus. *Dira fames* legitur etiam ap. Ovid. Met. XI, 371. et in Anth. Lat. IV, 251, 7. Cf. etiam adnott. ad. II, 519. — *nostrae caedis*, tentatae duntaxat (v. 240 sqq.) — **257**. *subigere* pro *cogere*, ut Geo. III, 218. Aen. VII, 214. VIII, 117. et saepius. — *malis absumere*, ut Geo. III, 288. Sic *ferro absumere* Aen. IV, 601. et IX, 494. Ceterum de discrepantia huius loci et illius, quem infra VII, 122 sqq. legimus, vide ibi adnott. — **258**. *pinnis* (vid. ad Geo. I, 398.) *ablata*, ut XI, 867. *pinnis aufertur.* — *refugit* „non metu, sed ne possit placari." *Serv.* — **259**. *gelidus formidine sanguis*. Vid. ad Aen. II, 120. — **260**. *Deriguit* Heins. ex melioribus libris restituit pro vulg. *Diriguit. Derigere* est horrore rigere, et Particula *de* intensivam habet vim, ut in *deposcere, devincire, demirari, deamare, deierare, desaevire,* multisque aliis, de qua re vid. Broukhus. ad Prop. VI, 3, 42. Ruhnk. ad Ter. Eun. II, 3, 39. Bremi ad Nep. Milt. 2, 2. Kritz. ad Sall. Cat. 25, 3. Grysar. *Theor. d. lat. Stils* p. 423. alios. Cf. infra VII, 447. VIII, 473. Ovid. Met. XIV, 754. *Deriguere oculi calidusque e corpore sanguis - - fugit.* Lucan. I, 246. *Deriguere metu, gelidos pavor alligat artus* cett. — *cecidere animi.* Sic v. c. Ovid. Met. XI, 537. *Deficit ars, cecidere animi* et Grat. Cyn. 450. *cecidere animi et trepidantia membra.* — *nec iam amplius*, ut antea. Vid. supra v. 192. — **261**. *pacem* Heyn. interpretatur per veniam commissorum, propitiam, propensam voluntatem (de qua vocis significatione vid. ad IV, 56.), ut *exposcere pacem* sit: eas placare: sed oppositio *non armis, sed precibus exp. pacem* non minus, quam quae antea narrata sunt v. 240 sqq., docent, voc. *pacis* proprie esse intelligendum, et Vergilium, cuius menti obversaretur communis notio *pacis restituendae, parandae,* verbum *exposcendi* tantum proximo vocabulo *precibus* accommodasse; quod etiam Thiel. perspexit. — *obscenae volucres*. Vid. supra v. 241. — **263**. *Et pater Anchises* cett., *da rief* cett. Vid. adnott. ad II, 725. Nos in eiusmodi locis, ubi nexus ipsarum rerum gestarum ita indicatur, ut altera alteram statim secuta cum emphasi quadam perhibeatur, et ipsi simplici Copula utimur. — **264**. *Numina magna*, et potentiora, quam Harpyiae videbantur. Cf. VIII, 679. — *meritos indicit honores* Heyn. ad vota facta retulit; quam interpretationem, cui obstet *indicendi* verbum, iure reprehendit Wagn., recte locum sic explicans: „sacra fieri iubet Anchises ad deos placandos, ut mala denuntiata avertant." Cf. adnott. ad I, 632. et supra ad v. 178. — **265**. *Dî prohibete minas* etc. De omisso verbo dicendi vid. adnott. ad I, 335.

Et placidi servate pios!" Tum litore funem
Diripere excussosque iubet laxare rudentis.
Tendunt vela Noti; fugimus spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabat.
Iam medio adparet fluctu nemorosa Zacynthos
Dulichiumque Sameque et Neritos ardua saxis.

— *minas*, malum minaci, sinistro vaticinio denuntiatum. — **266**. *placidi*, benevoli, faventes (vid. supra v. 78.), *servate pios*, nos, cultores numinum vestrorum. Cf. I, 526. *parce pio generi*. Pal. et Gud. a m. pr. *placide*, minus bene. — *funem*, quo naves litori erant alligatae, *τὰ πρυμνήσια* (et *τὰ πείσματα* Orphei Arg. 621., ab Heyn. laud.). Cf. Geo. I, 457. — *Diripere*, summa celeritate solvere (*losreissen*), quo citius navigare possint. Eodem sensu infra IV, 593. *Diripientque rates alii navalibus*. Vid. adnott. ad Geo. II, 8. et Aen. I, 211. Wagn., quem in prima edit. perperam secuti sumus, in utroque loco edidit *deripere*, *deripient*, quae tamen paucorum modo et deterioris notae Codd. est lectio. Cf. Iahn. p. 405, ed. II. Bryce, Ribbeck. et Conington cum Wagn. ediderunt *Deripere;* Süpfl., Haupt. et Ladew. nobiscum faciunt. De *iubendi* verbo cum Infinitivo Activi constructo vid. adnott. ad Ecl. VI, 85. — *excussos iubet laxare rudentes*, i. e. antea (dum naves in ancoris consistebant) complicatos excutere et laxare. Vid. ad Geo. I, 320. Aen. II, 736. et III, 237. *Excussi rudentes* i. e. evoluti, extensi ad vela pandenda, redeunt infra v. 683. commemorati; *laxare* autem rudentes dictum, ut ap. Stat. Theb. VII, 161. *laxi iactantur ubique rudentes*. Respexit hunc locum Saleius Bassus in Wernsd. Poet. L. min. IV, 274, 217. *excusso dimittere vela rudente*. Ceterum Heyn. in Excurs. XVII. ad l. II. verrisime observat, minime esse mirandum, quod poëta Anchisae fere semper iubentis, praecipientis, monentis partes dederit; hoc enim non solum auctoritati illi et sanctitati, qua parentes et senes temporibus heroicis fuerint, praeclare convenire, sed etiam ab divinandi, auguria et oracula interpretandi facultate, qua Anchises polluerit, esse repetendum. — **268**. *tendunt*, inflant, implent et extendunt. Heyn. confert Hom. Od. II, 427. et al. *῞Επρησεν δ' ἄνεμος μέσον ἱστιον*. — *fugimus* ex plurimis et optimis Codd., in quibus Med., Pal. a m. pr. et omnes Pariss., restituit Wagn., quem (ut recentiores editt. omnes) secuti sumus. Vulgo *ferimur*, quod Heins. ex paucis Codd. (quibuscum tamen conspirant Gud., Pal. a m. sec. et Bern. I. a m. pr.) recepit, fortasse hac una causa motus, quod v. 272. redit *Effugimus;* sed vide adnott. ad Aen. I, 315. Wagn. supicatur, librarios lapsos esse recordatione similis loci Aen. V, 33.; nihilominus Ribbeck. lectionem *ferimur* fortasse meliorem censet coll. V, 33. et 628. *Fugam* autem et *fugere* de omni celeriore motu dici, iam ad I, 317. vidimus. — **269**. Cf. Hom. Od. XI, 10. *τὴν δ' (νῆα) ἄνεμός τε κυβερνήτης τ' ἴθυνεν*. — *vocabat* Wagn. (quem posteriores omnes secuti sunt) optimis libris auctoribus revocavit loco vulg. *vocabant*, cum Vergilius, ubi duo nomina iungantur, verbum plerumque proximi nominis numero accommodet (vid. adnott. ad Ecl. I, 58. et VI, 30.), hic vero librarii pluralem numerum ex Servii scholiis adscivisse videantur. Cf. eius Qu. Virg. VIII, 3, a. et XVI, 5. — **270** sqq. Naves occidentale Graeciae litus legentes per mare Ionium Buthrotum in Epiro veniunt. — Heyn. cum h. l. comparat Hom. Od. IX, 24. *Δουλίχιόν τε Σάμη τε καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος* · et *ὑλήεσσα Ζάκ.* etiam Il. I, 24. et alibi commemoratur, *Νήριτος εἰνοσίφυλλος* autem Od. IX, 22. Zacynthus notissima èst illa maris Ionici insula, quae ex adverso Elidis provinciae et Chelonatis promontorii sita nunc *Zante* vocatur. Cf. Plin. IV, 12, 19. Mela II, 7, 10. et liber meus geogr. III. p. 1015. De Graeca forma nominis vid. ad Ecl. VI, 13. et de syllaba brevi ante literam Z non producta praeter multa alia exempla a Schneidero Gr. Lat. I, 2. p. 712. collecta Ovid. Her. I, 87. *alta Zacynthos*, Sil. I, 290. *quondam Laërtia regna Zacynthos*, ibid. v. 275. cett. — *medio fluctu*, ut supra v. 73. Delos *medio mari*. — De *Dulichio* (quae nunc *Neochori*) vid. adnott. ad Ecl. VI, 76. — *Same* (quod nomen

Effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna,
Et terram altricem saevi exsecramur Ulixi.
Mox et Leucatae nimbosa cacumina montis
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi et parvae succedimus urbi;

---

etiam ap. Hom. Od. I, 246. invenitur) s. *Samos*, magna illa maris Ionici insula, quae postea *Cephalenia* appellabatur, nunc *Cefalonia*. Vid. Strab. X. p. 312. 700. Plin. et Mela ll. ll. Flor. II, 9. alios, et cf. Drak. ad Liv. XXXII, 16, 3. Heins. ad Ovid. Rem. 264. et liber meus geogr. l. l. — *Neritos*, parva insula Ithacae vicina, quam nemo, praeter Vergilium, Melam II, 7, 10. Ovid. Met. XIII, 712. et Silium XV, 305. commemorat. Quare, cum Ithacae mons huius nominis satis sit notus (Hom. Il. II, 632. Od. IX, 22. XIII, 3, 51. Plin. IV, 12, 19. cett.), fuerunt, qui *Neritum* hic pro ipsa Ithaca positam haberent, cui tamen opinioni adversari videtur manifesta Ithacae commemoratio v. sequ. Cf. liber meus modo comm. III. p. 1012. not. 37. et p. 1013. not. 46. — **272.** *scopulos Ithacae*, celeberrimae illius insulae, quae, Cephaleniae vicina, nunc *Theaki* appellatur, ubi *Laertes*, Ulyssis pater, sedem habebat. Heyn. comparat Hom. Il. III, 200 sq. *Λαερτιάδης πολύμητις Ὀδυσσεὺς, Ὃς τράφη ἐν δήμῳ Ἰθάκης, κραναῆς περ ἐούσης.* De *scopulis* eius cf. Cic. de or. I, 44, 196. *Ut Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum adfixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret. Laertia* autem *regna* (Plur. numero) ironice *scopulis* per appositionem adiungi, facile apparet. Quod attinet ad appositionem Conington comparat similem locum I, 139. *inmania saxa, Vestras, Eure, domos.* De ipsa insula vid. librum meum geogr. III. p. 1013 sq. Gossr. hunc versum, qui admodum langueat, quemque Ovidius l. l. non videatur legisse, ab alia manu ad explicandum versum sequentem adiectum suspicatur. (?) — **273.** *terram altricem.* Cf. Hor. Od. III, 4, 10. *altricis extra limen Apuliae.* Ovid. Met. IV, 293. *Idaque altrice* (Hermaphroditi) *relicta.* Cic. Flacc. 26, 62. *Eorum eadem terra parens, altrix, patria dicitur* cett. — *exsecramur*, praeternavigantes. — **274.** *Leucata* s. *Leucates* (*Λευκάτη, Λεύκατα, Λευκάτης*) Leucadis s. Leucadiae insulae in mari Ionio iuxta Acarnaniae litus sitae (nunc *Lefkhada* s. *Santa Maura*) promontorium, Sapphus morte, quae inde in mare sese praecipitavit, satis celebratum (cf. infra VIII, 677. Strab. IX. p. 311. Plin. IV, 1, 2. Mela II, 5. Flor. IV, 11. alii), nunc *Cap Ducato* dictum. Vide librum meum modo comm. III. p. 1012. Ceterum cf. Auson. Id. VI, 5. Cup. cruc. aff. 24. *de nimboso saltum Leucate minatur.* — **275.** *formidatus Apollo*, i. e. templum Appollinis (vid. infra v. 552. supra II, 742. et adnott. ad II, 312.) nautis propter saxa, scopulos montis, in quo exstructum erat, formidatum s. formidabile. Participium enim Perf. Pass. haud raro habere significationem Adiectivorum in *bilis* exeuntium et respondere Graecorum Adiectivo verbali in *τος*, res satis nota. Cf. IV, 534. *irrisus*, VIII, 588. *conspectus* cett. Wagn. Qu. Virg. XXIX, 3. Periz. et Bauer ad Sanct. Min. I, 15. p. 164. Ruddim. II. p. 374. Cort. ad eiusd. 76, 1. Heusing. ad Cic. Off. I, 17, 9. Walch. ad Tac. Agr. 33. Bach. ad Ovid. Met. X, 541. Boetticher. Lex. Tacit. p. 340. Weber. *Uebungsschule d. lat. St.* I. p. 119 n. 32. — *aperitur*, e longinquo in conspectum venit. Secundum Servium *aperire* est „nauticum verbum, quoties cedente eo, quo impeditur adspectus, aliquid patescit.“ (Sic infra v. 531. *portus patescit iam propior.*) Vid. etiam supra v. 206. *aperire procul montes* et Avien. v. 553. *Graiae confinia terrae incipiunt aperire latus.* Wagn. comparat Liv. XXII, 19. *nondum aperientibus classem promontoriis*, i. e. in conspectum dantibus. Contrarium est *abscondere*. Vid. infra v. 291. Ceterum plerique interpretes de Apollinis templo in Leucata condito haec accipiunt, quod distinctis verbis commemorat Strab. X. p. 452.; Heyn. vero et ob situm promontorii in australi, urbis autem in septentrionali insulae parte, et ob ea, quae sequuntur, quod ad hoc fanum appulerint et *ludos Actiacos* celebraverint, potius de Actio oppido et fano Apollinis Actiaci in adverso

Ancora de prora iacitur, stant litore puppes.
  Ergo insperata tandem tellure potiti
Lustramurque Iovi votisque incendimus aras
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palaestras
Nudati socii; iuvat evasisse tot urbes
Argolicas mediosque fugam tenuisse per hostis.
Interea magnum sol circumvolvitur annum

Acarnaniae litore sito (Strab. X. p. 451. VII. p. 325. Thuc. I, 29. Suet. Octav. 96. Cic. ad Div. XVI, 9. Plin. IV, 1, 2.), quod simul cum Leucatae promontorio in conspectum navigantium venerit, cogitandum censet; quod utique probabilius videtur. — V. 277. iteratur VI, 902. *stant litore puppes.* Naves enim appulsurae puppes litori obvertebant. Vid. adnott. ad VI, 3. — 278. *insperata* (quod epitheton referendum esse ad pericula v. 282 sq. commemorata, Wagn. memorat) *tellure potiti*, ut supra I, 172. *optata potiuntur harena.* Verba *tandem tellure potiti* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 183. — 279. *Lustramur Iovi*, Iovi sacrum piaculare offerimus. Prius enim quam ludorum sollemnia rite celebrari possent, omnino eiusmodi expiatione et lustratione opus erat; multo magis autem nunc post piaculum in Harpyiarum insula commissum. De constructione Wagn. conferri iubet Grat. Cyneg. 491. *tota iuventus Lustraturque deae*, ibique Ulitium. Ad quaestionem autem, cur Iovi, non Apollini lustrentur, cui ludos instituant, Heyn. ita respondet, ut dicat, cum in sacris cuicunque deorum factis Iovem a veteribus *in partem* fuisse *vocatum*, tum expiationes et lustrationes proprie ad Iovem referri tamquam ultorem caedis omnisque piaculi, quod expiandum sit, coll. Apoll. Rhod. IV, 699. Quare non opus videtur Schraderi coni. *Lustramurque deo*, i. e. Apollini. — *votis*, i. e. sacris ex voto debitis (cf. v. 264.), *incendimus aras*, pro vulgari: votorum persolvendorum causa tus et victimas in aris incendimus. *Votis* enim cum Wagn., Coningtone et Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 113. pro Ablativo, non cum Ladew. pro Dativo commodi habeo. Sic Aen. VIII, 285. *incensa altaria.* Vid. etiam ad Aen. I, 704. Heyn. confert Horat. Od. I, 4, 7. *Vulcanus ardens urit officinas*, ibique Mitscherl., Wagn. autem Aesch. Agam. 91. *Βωμοὶ δώροισι φλέγονται.* Verba *votisque incendimus aras* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 108. — 280. Alluditur ad ludos Actiacos ab Octaviano Augusto in memoriam victoriae Actiacae institutos et inde ab a. u. c. 726. quinto quoque anno celebratos (cf. Dio Cass. LI. in.), quibus commemoratis poëtam Augusto blandiri voluisse in promptu est. Forma *Actius* pro *Actiacus* invenitur etiam VIII, 675. 704. Hor. Ep. I, 18, 61. Prop. V, (IV,) 6, 67. Ped. Albinov. II, 51. alibi. Vid. etiam infra ad v. 602., ad I, 686. et alibi adnott. — *celebramus.* Verbum, quod proprie ad ipsos ludos referendum erat, poëtice ad locum refertur, qui hominum frequentia ad eos vel faciendos vel spectandos confluentium celebratur. Cf. huius loci imitatio ap. Val. Fl. I, 423. *securo celebrantur litora ludo.* — 281. *exercent palaestras*, i. e. ludos gymnicos (quorum varia genera respiciens poëta Plurali utitur); nam *palaestra* non solum de gymnasio s. de loco, in quo luctantur, sed etiam de ipsa arte gymnica et luctatorum certamine dicitur. Sic apud Cic. de Or. I, 16, 73. et III, 22, 83. *discere palaestram.* Quare neque hanc verborum coniunctionem audaciorem dixerim cum Bachio ad Ovid. Met. VI, 145., nec cum Thielio contulerim Tac. Ann. XIV, 20. *gymnasia et otia et turpes amores exercere*, vel apud eund. Hist. II, 82. *destinantur validae civitates exercendis armorum officinis* (de quibus ll. vid. Boetticher. Lex. Tacit. p. 183.). Cf. potius Prop. IV, 13, (III, 14,) 3. *ludos exercere*, Aen. I, 499. *choros exercere* cett. — *patrias*, quales in patria exercere solebant. — *oleo labente*, diffluente in corporibus luctatorum, qui eo solebant ungi. Cf. Ovid. Trist. III, 12, 21. *Nunc tibi perfusa est oleo labente iuventas.* — 282. *evasisse urbes.* Vid. ad II, 731. — 283. *fugam tenere*, ut haud raro (v. c. infra v. 688.), *cursum tenere.* — Hic versus excepto primo voc. repetitur in Anth. Lat. I,

Et glacialis hiemps aquilonibus asperat undas;
Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo et rem carmine signo:
AENEAS HAEC DE DANAIS VICTORIBUS ARMA.

178, 11., v. autem 284. ibid. I, 172, 45. et v. 285. ibid. I, 178, 96. *magnum sol circumvolvitur annum*, i. e. se circumvolvendo efficit, explet annum, ut recte Wagn. haec explicat, nullam hic ellipsin statuendam esse docens. Sic Hor. Ep. II, 2, 125. *Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopem movetur* (i. e. se movendo sive saltando imitatur), quem locum Thiel. apte comparat. Quare non opus est, ut cum Gossravio aut *circumvolvi* pro Verbo deponente habeamus (ut Geo. II, 425. *nutritor*, Aen. XI, 660. *bellantur* et similia), aut divisim scribamus *circum volvitur.* Sermo est autem de exacto quarto post Troiam captam et eversam anno. De epitheto *magnus* vid. supra ad I, 269. Wakef. ad Lucr. I, 1028. haec paulo subtilius sic explicat: „quasi longius solito tempus anni fuerit exsulibus patriae et omni pelago iactatis.“ — 285. *glacialis hiemps.* Cf. Ovid. Met. II, 30. *glacialis hiems, canos hirsuta capillos.* Sic *glaciale frigus, glacialis rigor* et similia haud raro. Cf. Cort. et Mart. Lag. ad Lucan. I, 18. — *asperat undas*, exasperat ventorum vehementia, ingentes fluctus excitat. Cf. Ovid. Met. V, 6. (fretum), *quod saeva quietum Ventorum rabies motis exasperat undis*, coll. cum eiusd. Am. II, 11, 27. Liv. XXXVII, 12, 12. Val. Fl. II, 435. Quare apud Hor. Od. I, 5, 7. *aspera nigris aequora ventis* et apud Ovid. Met. XV, 720. *Asper enim iam pontus erat* cett. — 286. Clipeos votivos, titulo inscriptos (imprimis nominibus et eius, qui scutum detraxerat, et eius, cui detractum erat), inter donaria suspensos esse, satis notum. Cf. V, 360. (IX, 408. Liv. XXII. 57. XXIV, 21.) etc. — *Aere cavo clipeum.* Vid. ad I, 655. et II, 765. *Cavo* autem *aere*, quia clipeus ipse est cavus; qua de re Henry (*Tw. years* III. p. 19. et Philol. XI. p. 629.) confert Ammian. XXIV, 6. *milites - - scutis, quae patula sunt et incurva, proni firmius adhaerentes - - per voraginosum amnem velocitatem comitati sunt navium.* Eadem de causa supra v. 191. naves *cavas* dici vidimus. — *gestamen Abantis.* Cf. infra VII, 246. Ovid. Met. XV, 163. *Cognovi clipeum, laevae gestamina nostrae, Nuper Abanteïs templo Iunonis in Argis.* ibid. I, 457. *ista decent humeros gestamina nostros.* XIII, 116. *gestamina tanta.* Val. Fl. I, 760. *gestamina prima.* Apud Silium V, 350. Hannibal Magonem *tectum gestamine praeceps ex acie rapit.* Alludit autem poëta ad celeberrimum illum clipeum, quem Abas, antiquissimus Argivorum rex, Lyncei f. Perseique avus, in Iunonis templo affixit, ut ab eo, qui in ludis Argis instituendis victoriam reportasset, in sollemni pompa praemii loco gestaretur. (Cf. Munck. ad Hygin. f. 170. et Spanh. ad Callim. in Lav. Pall. 35., quos Heyn. laudat in Exc. IX. ad h. l., ipse Heyn. ad Apollod. II, 2, 1. p. 109. et Heins. ad Val. Fl. I, 453.) Unum igitur ex posteris huius Abantis Maro ab Aenea in bello Troiano occisum armisque spoliatum esse fingit. Apud Homerum hic Abas non commemoratur. — 287. *postibus adversis*, in templi aditu. Cf. VII, 183. *Multaque praeterea sacris in postibus arma.* — *rem carmine signo*, titulo, epigrammate. Vid. ad Ecl. V, 42. Hic imprimis cf. Silius XV, 491. *Pyrenes tumulo clipeum cum carmine figunt.* Non igitur erat, quod Servius miraretur, carmen hic de uno tantum versu dici. Multa eiusmodi epigrammata et epitaphia collegit Crenius Animadvv. phill. et histt. T. VII. p. 78. sqq. Henry II. ll. conferri iubet Hildebrand. ad Apuleii Met. VI, 3. Ceterum hoc epigramma in priscae simplicitatis imitatione et maxima brevitate singulare habere acumen, verissime observat Iacobs. Delect. Epigramm. Graec. p. VI. — 288. *Aeneas haec arma*, hunc clipeum, dedicavit, consecravit (vid. adnott. ad Ecl. VII, 29.), nisi forte ex superiore versu *fixit* repetendum. — *de Danais victoribus*, Danais victoribus detracta, erepta, et hic quidem Pluralis pro Singulari, cum de unius Abantis clipeo sermo sit. Prorsus eadem ratione Liv. XXV, 29. (quem Wagn. laudat) *nostra de Atheniensibus Carthaginiensibusque tropaea, tua de nobis* et Curtius IX, 1, 2. *obsoleta essa spolia de Persis,*

Linquere tum portus iubeo et considere transtris.
Certatim socii feriunt mare et aequora verrunt.
Protinus aerias Phaeacum abscondimus arces
Litoraque Epiri legimus portuque subimus
Chaonio et celsam Buthroti accedimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat auris,

---

neque aliter optimi quique scriptores dixerunt *capere agros*, *oppida de hostibus* et similia (cf. Cic. pr. domo 49, 128. Liv. I, 38, 5. XXVII, 1, 1. cett.); quare nescio, quo iure Hand. Tursell. II. p. 224. hunc locum adiungat iis, ubi legitur *triumphare de aliquo*, *victoria de aliquo* etc. — **289.** *Linquere iubeo* (vid. adnott. ad Ecl. VI, 85.) *portus*, portum Actiacum. Vid. ad v. 274. sq. — *considere transtris.* Heyn. Homericum [Od. II, 419. IX, 103. al.] ἐπὶ κλήϊσι κάθιζον confert. Vid. Val. Fl. II, 442. *Considunt transtris*, et nostro simillimus eiusd. poëtae locus III, 459. *Continuo puppim petere et considere transtris Imperat Ampycides.* Cf. etiam supra v. 207. *assurgere transtris.* — **290.** *feriunt mare* remis. Hom. l. l. v. 104. πολιὴν ἅλα τύπτον ἐρετμοῖς. — De verbo *verrendi* vid. supra ad v. 208. Ceterum totus hic versus iteratur infra V, 778. — **291.** *abscondimus arces*, praetervehendo nobis absconduntur, ex oculis nostris elabuntur arces. Infra v. 411. simili ratione *rarescere* usurpatur, et contrarium supra v. 275. erat *aperiri.* Thiel. conferri iubet Heind. ad Plat. Protag. §. 70 de Graeco ἀποκρύπτειν γῆν eadem ratione dicto. Imitatus est h. l. Claud. R. Pros. III, 140. *Sicaniam quaerit, cum nec dum absconderit Iden*, eumque respexit Sen. Ep. LXX, 1. (vid. supra ad v. 72.) — *Phaeacum arces* sunt Corcyrae montes. Cf. adnott. ad Geo. I, 240. Phaeaces enim antiquissimi erant Corcyrae incolae, in quam migraverant a Cyclopibus ex Sicilia depulsi. Cf. Hom. Od. V, 279. ὄρεα σκιόεντα γαίης Φαιήκων. ibid. VI, 4. Strab. I. p. 44. VI. p. 269. VII. p. 299. Mela II, 3, 11. Ovid. Met. XIII, 719. Hor. Ep. I, 15, 24. alii cum Völckeri Geo. Hom. p. 66. et 125 sq. De epitheto *aëriae* vid. ad Ecl. I, 58. Geo. III, 474. alibi adnott. — **292.** *litora Epiri legimus.* Vid. ad Ecl. VIII, 7. — *portuque subimus*, i. e. portui, ut VIII, 125. *subeunt luco*, VII, 161. *muro subibant*, ubi vid. adnott. Wund. et Gossr., qui *portu* minus probabiliter pro sexto Casu habent, comparant supra v. 135. *subductae litore puppes* et IV, 373. *eiectum litore.* Etiam Asper p. 112, 21. Keil. et Serv. *portu* Dativum esse bene perspexerunt. (Vid. ad Ecl. V, 29.) Ceterum Codd. quidam (inter quos etiam Med., qui *portus* et a m. sec. *Chaonios* exhibet) ostendunt lectionem *portus Chaonios*, quam etiam Prob. Iust. I, 4, 19. et Serv. noverunt. — *Portus Chaonius* est portus Pelodes ad Buthrotum Epiri, Chaonibus quondam habitatae. Vid. ad Ecl. IX, 13. — *Buthrotum*, s. *Buthrotus*, urbs Chaoniae, regionis Epiri, ex adverso Corcyrae insulae ad Xanthum fluvium sita, quam Vergilius ab Heleno conditam fingit. Nunc vocatur *Butrinto.* (Cf. Strab. VII. p. 324. Plin. H. N. IV, 1, 1. Mela II, 3, 10. Ovid. Met. XIII, 720., qui Vergilium sequitur, Cic. ad Att. II, 6. IV, 8. ad Div. XVI, 7. Caes. B. C. III, 16. alios et librum meum geogr. III. p. 878.) — *accedimus* Heins. ex plurimis et melioribus libris revocavit pro vulg. *ascendimus*, quod Cort. ad Lucan. II, 609. defendit. Sed vere observat Wagn., hanc lectionem cum v. 300 sqq. et 345 sqq. vix conciliari posse. Immo epitheton *celsam* librariis ansam dedit lectionis mutandae. *Accedere* locum saepissime dicitur de navigantibus; vid. infra v. 441. I, 200. Sil. XIV, 3. cett. et cf. Drakenb. ad Sil. VI, 604. — **294** sqq. „Heleni et Andromaches occursus in Epiro. Cum audiisset, Helenum has terras tenere, ad eum visendum pergit Aeneas; incidit in Andromachen inferias ferentem Hectori suo; comperit ex ea fortunae casus, quos illa subierat; et ab Heleno vate navigationis suae ordinem usque ad novas in Italia obtinendas sedes edocetur. - - - Coniuge et regno Pyrrhi esse potitum Helenum, Pyrrhi, qui Troiam everterat, Helenum, Troianum et Priami filium, mirae rerum vices.“ *Heyn.* — *fama occupat auris*, i. e. accidit ad aures. Cf. Hor. Sat. II, 2, 94. *famae, quae - - carmine gratior aurem Occupet humanam*,

Priamiden Helenum Graias regnare per urbis
Coniugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstipui miroque incensum pectus amore
Compellare virum et casus cognoscere tantos,
Progredior portu classis et litora linquens,
Sollemnis cum forte dapes et tristia dona

---

ibique Orell. — **295.** *Helenus*, Priami et Hecubae fil., artis vaticinandi peritissimus (Hom. Il. VI, 76.), quem bello Troiano, in quo fortissime pugnaverat (Hom. Il. XII, 94. XIII, 576 sq. cett.), ab Ulysse captum Neoptolemus s. Pyrrhus, Achillis fil., secum abduxit in Epirum. Cf. Soph. Philoct. 613. Dictys IV, 18. Ovid. Met. XIII, 99 sqq. Prop. III (IV), 1, 29. Cum iis, quae hic Vergilius de posteriore eius vita narrat, consentiunt Paus. X, 25. et Tab. Iliaca. Cf. Fabretti de col. Trai. p. 378. — *per urbes*. Haud raro legitur Praepos. *per* pro *in*, ubi de amplo latoque spatio sermo est, cuius omnes singulaeque partes spectantur. Cf. Ovid. Met. I, 521. *opifer per orbem dicor*. Tac. Ann. XII, 12. *per illas gentes celebratur*. Plin. H. N. XIX, 5, 30. cett. Boetticher. Lex. Tac. p. 348 sq. Baumg.-Crus. Clav. Suet. p. 579. Vid. etiam infra v. 631. VIII, 82. cett. — **296.** *coniugio* pro coniuge (vid. ad II, 579.), ut *sceptrum* pro regno. Vid. supra I, 253. IX, 9. X, 852. Ovid. Fast. IV, 197. cett. — **297.** *patrio marito*, i. e. eiusdem populi, originis, Troiano. — *iterum* cum *patrio* coniungendum esse, in promptu est. — *cessisse*, ad eum transiisse, in potestatem eius venisse. Sic infra v. 333. *pars regnorum cessit Heleno*. XII, 17. *cedat Lavinia coniunx*. Cf. Hor. Od. III, 20, 7. Ovid. Met. IV, 532. V, 368. alios. Ceterum Iahn. iure hic affert Weicherti verba in Diss. de verss. iniuria suspp. p. 83.: „Hos duo versus (296. et 297.) Heyn. sublatos vult, quia alias Aeneas infra v. 319. inepte interroget: *Hectoris Andromache, Pyrrhin' con nubia servas?* Sed Aeneas fama, quae ipsi incredibilis videbatur, acceperat, patrio Andromachen iterum cessisse marito, ut poëtae verbis utar, atque haec Didoni narrat. Cum igitur illi famae diffisus esset, apte Andromachen interrogat, an adhuc sit Pyrrho iuncta, et Andromache ad haec respondet v. 329. *Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam;* quem versum bene expedivit et explicuit Wagn. in edit. Eleg. ad Messal. p. 57. Cf. etiam Markl. ad Stat. Silv. III, 3, 78. p. 158."; et ipse conferri iubet Diar. lit. Halens. 1819. ch. 101. p. 801. Wagn. tamen illam interrogationem v. 319. aliter cum h. l. conciliare studet. Vid. infra. — **298.** *incensum pectus amore Compellare virum*. *Amor* i. q. desiderium, cupiditas. Vid. ad Ecl. IX, 56. (ubi adde Aen. VI, 133. et VIII, 184.) et de constructione cum Infinitivo ad Aen. I, 704. Ceterum quatuor Codd. exhibent *incensus*, qua lectione probata Iahn. totum locum sic constituendum esse censet: - - *miroque incensus pectus amore, Compellare virum et casus cognoscere tantos Progredior;* adversante tamen Wagnero, quem haud dubie male habet vox *amoris* ita absolute usurpata; nam in constructione *progredior compellare*, *cognoscere* non haerebit, puto, Vir doct., cum etiam I, 527. *venimus populare* et alibi similia legamus. Sed ob meliorum Codd. auctoritatem illa lectio omnino repudianda. — **299.** *Compellare virum*, ut II, 280. — *casus cognoscere tantos*, ut II, 10. *Sed si tantus amor casus cognoscere nostros*. — **301.** In novissima editione Heyn. v. 300. Puncto post *linquens* distinxit (fortasse Servium respiciens, qui adnotat: „Notandum sane finitum esse versum Participio, quod rarum apud Latinos est, apud Graecos vitiosissimum", cuius dicti Serviani veritatem examinat Wagn. ad XII, 609 sqq.: cf. etiam Conington ad h. l.) et v. 301. (post Brunckium) *tum* pro *cum* recepit (ut *tum forte* legitur IX, 3. et 638.), adversante tamen optimorum Codd., inter quos Med., auctoritate; Wagn. contra (post Wunderl.) Particulam *cum*, quae multo alacriorem ac rei inopinatae convenientiorem reddat orationem, rectissime defendit, comparans Aen. I, 535. V, 84. 328. 838. VII, 166. XII, 377. et locos ubi cum Adv. *subito* coniuncta reperitur, I, 509. 535. II, 731. III, 10. 137.

Ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam
Libabat cineri Andromache Manisque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem caespite inanem
Et geminas, causam lacrimis, sacraverat aras.
Ut me conspexit venientem et Troia circum
Arma amens vidit, magnis exterrita monstris
Deriguit visu in medio, calor ossa reliquit;

---

590. XII, 247. — *dapes libare,* partem coenae diis, Laribus, Manibus donare et in focum mittere. Cf. Turnebi Advers. VI, 7. De voc. *dapis,* e Graeco δαΐς orto, quod Serv. ita ab *epulis* distinguit, ut dapes deorum sint, epulae hominum, cf. Voss. ad Ecl. VI, 79. Significat hoc loco i. q. Graec. χοή, i. e. mel cum vino et lacte. — *sollemnes* non sunt festae, splendidae, sed legitimae, consuetae, anniversariae. Vid. ad II, 202. — *tristia dona* de libatione intelligenda sunt. — **302**. *in luco.* Conington comparat V, 760., ubi pariter sermo est de tumulo Anchisae in luco exstructo. — *falsi Simoentis ad undam,* i. e. simulati (ut infra v. 349. *simulata Pergama*), fluminis alicuius Epiri, in quod, ut ipse se fallerent, Helenus et Andromache Troiani illius fluvii nomen transtulerant; ut omnino coloni novis terris earumque urbibus, montibus, fluminibus antiquae patriae nomina imponere consueverant. (Cf. etiam infra v. 334. et 497.) Quare non mirum, neminem praeterea huius Simoentis Epirotici mentionem facere. Servius tamen ad h. l. adnotat: „Varro Epiri se fuisse dicit et omnia loca isdem dici nominibus, quae poëta commemorat, se vidisse; unde apparet, haec non esse fabulosa.“ — **303**. *libabat* (vid. supra ad v. 666.) *cineri* Hectoris. — *Andromache,* Eetionis, Thebarum regis, filia, quam, Hectore marito occiso Troiaque capta ab eodem illo Pyrrho in Epirum abductam, post eius mortem Heleno, Hectoris fratri, nupsisse hoc pulcherrimo episodio poëta fingit, secutus Euripidem in Androm., Pindarum Nem. IV, 82. VII, 50. Dictyn VI, 12. Paus. I, 11, 1. II, 23, 6. alios. — **304**. *Manes vocabat Hectoreum ad tumulum,* sollemni inversione pro: Hectoris Manes vocabat ad tumulum. Vid. ad Ecl. I, 52. et supra ad v. 68. Ceterum cf. supra ad II, 584. adnott. — *tumulum inanem* (quod redit VI, 505.), cenotaphium in honorem alibi defuncti et humati exstructum; verus enim Hectoris tumulus erat apud Troiam (Senec. Troad. 483.). Sic ap. Ovid. Met. VI, 568. Procne *inane sepulchrum Constituit* Philomelae sorori. Idem est apud eundem XI, 429. *tumulus sine corpore.* Cf. etiam Stat. Theb. XII, 161. *Nomina, quod superest, vacuis date orba sepulchris Absentisque animas ad inania busta vocatis.* De tumulis cespite exstructis disputantem Thiel. laudat Hessium ad Tac. Germ. 27, 3. — **305**. *geminas aras.* Vid. supra ad v. 63. Non igitur cum Servio, Heyn. et Wagn. locus ita capiendus, ac si Andromache alteram aram marito, alteram Astyanacti filio exstruxerit; quam explicationem quomodo iuvent verba adiecta, *causam lacrimis* (i. e. quae ei amissum coniugem in memoriam revocabant doloremque eius scindebant), equidem non perspicio. Neque Peerlkampio adsentior, hunc locum corruptum iudicanti; quem ante oculos habuisse videntur Lucan. III, 607. *aeternam causam lacrimis* et Petron. c. 117. *ne sepulchrum quotidie, causam lacrimarum, cerneret.* Cf. etiam Lucr. III, 607. *unumque relictum Agnorunt miseri sublato errore parentes, Aeternis causam lacrimis.* — **306**. *Troïa* (vid. ad I, 119.) *arma,* viros Troiana consuetudine armatos, i. e. Troianos. Similiter supra v. 54. *victricia arma secutus,* et IV, 48. *Teucrum comitantibus armis.* Cf. autem quae ad II, 889. adnotavimus. — **307**. *magnis monstris,* „adspectu, qui ipsi monstri et prodigii instar erat,“ ut recte explicat Heyn. Cf. Val. Fl. V, 330. *variis per noctem exterrita monstris,* Ofil. Serg. in Wernsd. Poët. L. min. VI, 386, 31. *virgo perterrita monstris,* Interpp. ad Silii III, 504. et adnott. ad II, 171. et III, 59. — **308**. *Deriguit.* Vid. supra ad. v. 260. — *calor ossa reliquit,* medullam ossibus inclusam. Vid. ad Geo. III, 272. et Aen. II, 120. Imitatus est hunc locum Maximian. Eleg. V, 35. *Derigui, quantusque*

Labitur et longo vix tandem tempore fatur:
„Verane te facies, verus mihi nuntius adfers,
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est?“ Dixit lacrimasque effudit et omnem
Implevit clamore locum. Vix pauca furenti
Subicio et raris turbatus vocibus hisco:
„Vivo equidem vitamque extrema per omnia duco:
Ne dubita, nam vera vides.

---

fuit calor ossa reliquit. — **309**. *Labitur*, animo fere linquitur nimia animi perturbatione correpta, oculis caligantibus collapsura est et haud dubie ab Aenea excipitur. — *longo tempore* pro: post longum tempus, ut saepe. Cf. Cic. ad Fam. XV, 14. *Vellem me convenire potuisses, ut te - - tanto intervallo viderem.* pro Arch. 4, 6. *Interim satis longo intervallo - - venit Heracleam.* Brut. 5, 18. *Longo intervallo primum animadverti paulo te hilariorem.* pro Rosc. Am. 37, 105. *Mors Sexti Roscii quatriduo, quo is occisus est, Chrysogono nuntiatur.* pro Mil. 9, 26. *Clodius respondit, triduo illum, aut summum quatriduo periturum* etc. Ramsh. §. 248. not. 1, *b*. Madvig. §. 268. not. 4. p. 248. Kritz. et Dietsch. ad Sall. Iug. 11, 2. alii. Praepositione addita Ecl. I, 29. legimus *longo post tempore*. Heyn. confert Hom. Od. IV, 704. *Δὴν τέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε - - Ὀψὲ δὲ δή μιν ἔπεσσιν ἀμειβομένη προσέειπεν.* — **310**. „Tune vere ades ipse? *affersne te mihi*, ut sis *vera facies* viri, cuius speciem habes, *verus nuntius* tui? ut vere ille sis, quem vultus nuntiat?“ Sic Heyn., qui tantum errat in ultimis verbis explicandis; immo ad voc. *nuntius* potius *rerum tuarum* (eorum, quae tibi tuisque post Troiae excidium acciderunt) intelligendum esse, vix opus est ut commemorem (cf. infra v. 337 sqq.); ex Heynii enim interpretatione locus meram tautologiam contineret. — *vera facies* vivi hominis opponitur simulatae et inani umbrae vel spectri faciei. Cf. Sen. Herc. fur. 622. *verumne cerno corpus?* De Nominativo, pro quo Accus. exspectaveris, cf. I, 314. V, 373. XII, 860. — *Se adferre* pro advenire aliquo legitur etiam infra v. 346. VIII, 277. Plaut. Amph. III, 4, 6. Ter. Andr. IV, 5, (al. 6,) 12. (ubi certe Bentlei. pro vulg. *huc me adpuli* legi iubet *huc me adtuli*, quod Perlet. et Reinh. receperunt) alibi. Cf. etiam adnott. ad I, 314. — **311**. *si lux alma recessit* tibi, si umbra tantum es, *Hector ubi est*, qui et ipse inter umbras versatur. De *alma luce* vid. adnott. ad Ecl. VIII, 17. et Aen. I, 306. De verbo *recedendi* cf. infra IV, 705. *in ventos vita recessit.* — **313**. *omnem Implevit clamore locum.* Vid. supra II, 679. 488. IV, 667. et similes locos. — *furenti* Serv. recte explicuit: impatienter dolenti; eademque ratione Graecorum *μαίνεσθαι* de quavis vehementiore animi commotione dici, Heyn. docet. Cf. v. c. Cic. Or. II, 46, 193. *furere luctu filii videbatur.* — **314**. *Subiicio*, *ὑποβάλλω*, loquendo subdo, addo, quare etiam i. q. respondeo. Vid. Ter. Phorm. II, 3, 40. Cic. pr. Sull. 21. in. Varro R. R. I, 7. cett. — *turbatus* hoc toto inopinato congressu cum Andromache, *raris vocibus hisco*. *Hiscere* imprimis apud comicos saepe dicitur de iis, qui os aperiunt locuturi, at metu, dolore, vel alio vehementiore animi affectu impediti, non continua, sed abrupta tantum oratione uti possunt. Cf. Cic. Phil. II, 43, 111. Liv. VI, 16, 3. Ovid. Met. XIII, 231. cett. Ita hic de eo, qui singultibus impeditur, quominus uno tenore et sine intervallis loquatur. Thiel. cum Servio ad *turbatus* supplet „lugente Andromache“, ut sensus sit: Andromachae singultus et lamentationes turbant et interpellant sermonem meum. — **315**. *Vivo equidem*, „ac si diceret, si tamen vita est, infeliciter vivere.“ *Serv.* — *extrema per omnia*, i. e. per summa discrimina, pericula. Cf. Curt. IV, 14. *ad extrema perventum est.* Cic. Rab. perd. 2, 4. Caes. B. C. II, 25. cett. Iteratur hic versus tanquam thema carminis Coronati in Anth. Lat. I, 176. — **316**. Heins. et Markl. ad Stat. Silv. I, 1, 63. ex paucis Codd. recentioribus legi maluerunt *vera fides*. Sed recte vulgatam defendunt Heyn. et Hand. ad Stat. T. I. p. 116. Respondet his

Heu! quis te casus deiectam coniuge tanto
Excipit? aut quae digna satis fortuna revisit?
Hectoris Andromache Pyrrhin conubia servas?"

---

verbis Aeneas ad quaestionem Andromachae v. 310. *Verane te facies* etc. — **317**. *quis casus te excipit*, ad quam fortunae conditionem redacta es? *deiectam coniuge tanto*, privatam, viduatam. Satis nota sunt *deiicere aliquem honore, gradu, spe* et similia; sed de hominibus caris, quibus privamur, praeter h. l., Tac. Ann. XI, 29. (*deiecta uxore*) et Hegesipp. de excid. Hieros. II, 18. (*ne deiecta coniuge superviveret*), qui haud dubie Vergilium imitantur, alibi non videtur inveniri. Bene ei opponitur *excipere;* nam excipiuntur, quae cadunt. Cf. Ovid. Met. XI, 785. *Thetys miserata cadentem molliter excipit.* — **318**. *digna satis*, scil. te et priore vita tua. — *revisit*, te respexit (nostrum *heimsuchen*), i. e. tibi obtigit (cf. Aen. XI, 426. et Ecl. I, 30.); quamquam nescio an rectius cum Thielio, antecedentia *patrio iterum cessisse marito* spectante, interpreteris: aut iterum, rursus te visit, tibi rediit fortuna te satis digna? — **319**. Tune, Hectoris uxor, facta es Pyrrhi coniux, et hostis et multo deterioris viri? — *Hectoris Andromache*, tu, quae Hectoris illius uxor fuisti. Nam non solum vox *filiae* (cf. Geo. I, 138. Aen. VI, 36. cett.), sed etiam *uxoris* hic ibi per ellipsin omittitur. Sic ap. Ennium Ann. I. fr. 74. p. 43. Hessel. s. p. 19. Vahl. *Hora Quirini*, Tac. Ann. IV, 11, 5. *Apicata Seiani*, Plin. H. N. XXVIII, 12. in. *Poppaea Neronis*, Quint. VI, 3, 74. *Domitia Passieni*, Plin. Ep. II, 20, 2. *Verania Pisonis*, Solin. c. 4. *Antonia Drusi*. Eadem ratione voc. *mater* reticetur v. c. ap. Val. Max. VI, 7, 1. *Cornelia Gracchorum*. Cf. Ruddim. II. p. 41. Zumpt. §. 761. Reisig. Gr. Lat. §. 353. Schultz. de linguae Lat. appositione. Prenzl. 1842. p. 16. Schneider in Iahnii Annal. LXI. p. 261. — Codd. quidam exhibent *Andromachen*, quod Ladew. et Conington receperunt, loco sic distincto: - - *revisit Hectoris Andromachen? Pyrrhin' conn. servas?* ut iam Servius adnotavit: „Si *Andromache*, sequentibus iunge: si *Andromachen*, superioribus." Sed vere memorat Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 338. (cui etiam Haeckerm. in Muetzellii *Zeitschr.* XIX, p. 113. et Schenkl. in *Zeitschr. f. d. Oest. G.* 1852. p. 394. adsentiuntur) Med. lectione *Andromache* servata „sensum effici multo efficaciorem ac nervosiorem per opposita inter se nomina Hectoris et Pyrrhi;" opprobium autem his verbis contineri non potest, quod si inesset, altera lectione minime tolleretur, immo misericordiam iis significari quisque videt, quare etiam Kappes III. p. 11. sq. plurimorum optimorumque Codd. lectionem contra Ladew. recte defendit. (Henry *Andromache* in 44 Codd., quorum tres falso *Andromachae* exhibent, *Andromachen* vero in septem modo libris mss. invenit: vid. Philol. XI. p. 629.) Ribbeck. etiam post *Andromache* interrogationis signum, post *revisit* autem Comma posuit. *Pyrrhin conubia servas?* Particulae encliticae *ne* vocalem *e* a poëtis, comicis maxime, haud raro per apostrophum abiici, res est satis nota. E Vergilio huc pertinent infra VI, 780. X, 668. XII, 503. 797. 874.; et Heynium temere dubitasse, num epici quoque poëtae hunc morem secuti fuerint, iam Nobbius docuit de metris Catulli II. p. 21. Ceterum Wagn., Cod. Medic. auctoritatem secutus, in eiusmodi locis nusquam apostrophum addidit, quem nos cum recentiss. editt. secuti sumus. Vid. adnot. eius ad VI, 780. — *Servandi* verbum Heyn. recte accipit de iis, quibus tenemur, obnoxii sumus, ut Graec. φυλάττειν pro ἔχειν (Serv. comparat infra VII, 3., Thiel. autem Hor. Ep. I, 10, 6. *tu nidum servas*, qui uterque locus minus huc quadrat); *connubium* autem (vid. ad Aen. I, 77.) per euphemismum dictum, non enim uxoris, sed pellicis, concubinae loco Neoptolemo fuerat captiva Andromache. (Vid. etiam adnott. ad I, 73.) Ceterum in toto h. l. temere haerere Heynium, iam supra vidimus ad v. 297. Wagn. difficultatem, quam Heyn. his verbis inesse putat, aliter tollere studet, ac Weichertus l. supra l., sed meo quidem sensu non felicius. Non enim hanc veram interrogationem esse statuit, sed potius doloris significationem, iam per Interiect. *heu* v. 317. indicati, sed in recentiss. edit. mutata sententia locum recte sic explicat: „esne adhuc coniux [i. e. pellex] Pyrrhi, deterrimi hostis, *u, cui olim gloriari* licebat coniugio Hectoris?" Nimirum, quamquam fama

Deiecit voltum et demissa voce locuta est:
„O felix una ante alias Priameia virgo,
Hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis
Iussa mori, quae sortitus non pertulit ullos
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos patria incensa diversa per aequora vectae
Stirpis Achilleae fastus iuvenemque superbum

---

quidem audiverat Aeneas, Andromachen *Heleno cessisse* (v. 294 sq.), hoc tamen ei tam *incredibile* visum est, ut timide audeat haec quaerere, quae ab Andromache negatum iri sperat. Steinmetz. Progr. laud. p. 16. locum paulo artificiosius sic interpretatur, „ut Aeneas quaerat, num illa vidua servet coniugium Hectoris, an in Pyrrhi matrimonium venerit ac servitutem et in verbo *servas* zeugma sit maiori ex parte ad Hectoris connubium pertinens.“ Peerlk. denique locum sic vult constitui: - - *fortuna revisit Hectoris Andromachen? Pyrrhin' connubia servam?* hac explicatione adiecta: „Quae sors digna tibi post mortem Hectoris evenit? Verumne est, quod narratur, nam vix credere potui, servaene obtigit coniugium Pyrrhi? - - Proprie dici non potest: *connubia revisunt servam.* Sed ex *fortuna revisit* facile derivatur notio felicis eventus, spectati in connubio servae cum hero.“ — **320** sqq. Bene Heyn. adnotat, Andromachen, matronam castam et pudicam et viri defuncti amantissimam, non nisi per ambages respondere dedecusque suum tecte modo indicare et Polyxenae commemorationem, quam, cum servitutem morte anteverterit, se feliciorem praedicet, aptissime praemittere iis, quae de se captiva a victore in amplexus ducta narratura sit. *Polyxenae* autem, pulcherrimae Priami ex Hecuba filiae, adspectu Achilles Priamo Hectoris corpus reddens ita commotus esse fertur, ut Troianis pacem promitteret, si illam in matrimonium acciperet; qua de re cum Troianis agens a Paride interfectus est. Quare cum Troia deleta Achillis umbra e sepulcro suam praedae partem posceret, Graeci Calchante suasore Polyxenam, quam captivam secum adducturi erant, in Achillis tumulo mactarunt. Cf. Apollod. III, 12, 5. ibique Heyn. p. 303. Eurip. Hec. 35 sqq. Tzetz. ad Lycophr. 322. Ovid. Met. XIII, 439 sqq. Hygin. f. 110. Secundum Eurip. et Ovid. tamen non in Troiano agro, sed in Thraciae litore hoc factum. Peerlk., quae est Viri doct. audacia, post hunc versum collocari suadet versum 348. sic mutatum: *Singultim, et lacrimas verba inter singula fundit.* — **321** sqq. Heyn. similem locum conferri iubet, quem supra II, 785 sqq. legimus. — *O felix* etc. „Duplex felicitas, quod et virgo et in patria meruerit interire.“ *Serv.* — *una ante alias*, ut ap. Liv. I, 9, 12. *unam longe ante alias specie ac pulchritudine insignem - - raptam ferunt.* Cf. quae supra ad I, 347. adnotavimus, et similem locum I, 15. — **322**. *Troiae sub moenibus altis.* Cf. locus simillimus I, 94 sqq. „Troianae reginae tam usitatum est altos Troiae muros cogitare, ut memoret etiam in re, quae post dirutam Troiam facta est.“ *Gossr.* — Verba *Iussa mori* legimus etiam in Anth. Lat. I, 172, 130. — **323**. *quae sortitus non pertulit;* quae non sorte hosti alicui victori assignata est concubina. Sortitio enim captivarum in praedae distributione post Troiam expugnatam facta; de qua Heyn. in Exc. XI. ad h. l. adire nos iubet Eurip. Troad. 235 sqq. Quint. Cal. XIV, 382 sqq. Tab. Iliac. n. 111 sqq. Fabrett. p. 378. Pausan. X, 25, 26. et Iacobs. ad Posthom. 498. — *non pertulit - - nec tetigit.* De his Indicativis vid. adnott. ad II, 346. Heyn. cum verbis *tetigit cubile* comparat Homericum illud λέχος ἀντιόωσαν Il. I, 31., et fortunam captivarum plerumque ab hac tristi necessitate designari memorat. Cf. etiam Val. Fl. II, 345. *dominae sanctum tetigisse cubile.* — *victoris heri.* Vid. ad Ecl. VIII, 13. Ribbeck cum Med. et fragm. Vat. *eri* scripsit. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 433. (et Ribbeck. Proleg. p. 422.) — **325** sqq. Cf. Eurip. Androm. 109 sqq. — *patria*, i. e. urbe patria, Ilio. Cf. V, 624. *patriae sub moenibus.* — *diversa per aequora.* Vid. supra ad v. 4. Sic iam I, 376. legimus *diversa per aequora vectos.* — **326**. *Stirpis Achilleae*, filii Achillis (quod cum magno dolore dictum esse Serv. memorat, quia ab Achille Hector occisus sit), *fastus - - tulimus.*

Servitio enixae tulimus; qui deinde secutus
Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque hymenaeos
Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.
Ast illum ereptae magno inflammatus amore
Coniugis et scelerum Furiis agitatus Orestes

Thiel. confert Tibull. III, 4, 74. *ferre recusas Immitem dominam coniugiumque ferum.* Eandem fere sententiam Senec. Octav. 105. sic exprimit: *poena nam gravior nece est Videre tumidos et truces Vultus tyranni iungere atque hosti oscula.* — **327.** *Servitio enixae* Nonius p. 391, 3. et 279, 10. aliique male explicant: labore exercitae, quare etiam Voss. convertit: *uns anstrengend zum Sclavendienst;* Iahn. autem, coll. adnot. ad Aen. III, 609., paulo artificiosius interpretatur: „tulimus fastum superbiamque Pyrrhi, semper enitentes, ut servitio exiremus: *herausstrebend aus der Sclavendienst.*" Immo vulgari signif. de partu accipiendum est *enitendi* vocabulam; constat enim Andromachen servam Neoptolemo Molossum, secundum Pausan. I, 11. autem tres adeo filios, Molossum, Pileum s. Pielum et Pergamum, peperisse, neque adsentiri possum Iahnio partus commemorationem in tali sententia ineptam iudicanti, et vocem *enixa* sic simpliciter scriptam de partu intelligi non posse. Cf. enim Schol. Statii Theb. V, 464.: „*enitor,* pario. Unde *enixae* dicuntur, quae generant." Tac. Ann. V, 1. *Ne spatio quidem ad enitendum dato* etc. Plerumque sane *partum, fetum,* vel tale quid addi solet. Omnes recentiores editores mecum consentiunt. — *secutus.* Vid. ad Ecl. II, 64. — **328.** *Ledaeam,* Ledae neptem, Menelai et Helenae filiam, *Hermionen,* a Menelao Pyrrho desponsam, postea Pyrrho occiso Orestes, cui iam antea a Tyndareo avo Ledaque avia destinata fuerat, sibi vindicavit. Cf. Eurip. Androm. 1244. Paus. I, 33. Hygin. f. 123. Ovid. Her. VIII. cett. et Heynii Exc. XII. ad h. l. — *hymenaeos.* Vid. ad Aen. I, 651. — **329.** De ipsa re vid. Eur. Androm. 1247 sqq. — *Me famulo famulamque H. t. h.* Male coni. Heins. *Me famulo famulam Heleno;* quem hiatum hoc versus loco ab epico carmine plane alienum esse docet Wagn., hunc versum, in quo tamquam ingrato etiam Heyn. sine causa haesit, optime defendens, simulque reiiciens duram Wunderl. rationem, qui verba sic coniungenda putat: *qui secutus* (est) *Hermionen* et (*que*) *transmisit,* ut Part. *que* tertio vocabulo adnexa sit, quemadmodum secundo infra v. 380. (ubi tamen vid. adnott.) et Tibull. I, 10, 51. *Rusticus e lucoque vehit* (qua de re vid. adnott. ad Geo. IV, 22.). Wagn. enim Qu. Virg. XXXIV, 2. copulam hic ea ratione capiendam esse docet, de qua vid. adnott. ad Geo. I, 142., et quae eo fere redit, ut *me famulo famulamque* idem sit quod: famulo me dedit, et quidem, et insuper me ipsam famulam. Comparat enim Vir doct. Aen. VII, 707. V, 447. et similes locos. Cf. idem ad Eleg. ad Messal. p. 57. Quare non opus est coniectura Peerlkampii, qui, respiciens verba *servitio enixae,* suspicatur Vergilium scripsisse *Me famulo subolemque,* coll. Pausan. Cor. 23., qui narret Helenum *ἐπιτροπεῦσαι τοῦ Πύῤῥου παῖδας, συνοικοῦντα Ἀνδρομάχῃ* etc. Ceterum cf. Aen. I, 664. V, 569. X, 600. similesque locos et quae supra ad v. 159. adnotavimus. — *transmisit,* herili voluntate, non lege coniugii; quare etiam *habendam,* i. e. possidendam; de quo usu verbi passivi *haberi* cf. Kritz. ad Sall. Cat. 1, 4. — **330.** *ereptae coniugis,* i. e. ereptae sponsae, quam coniugem suam fore frustra speraverat, quae ei erepta erat, ita ut coniux fieri non posset. Cf. IX, 183. Ovid. Met. V, 10. Tibull. III, 2, 4. et adnott. ad Ecl. VIII, 18. — Pro *inflammatus* Ribbeck., ex fragm. Vat., (Pal.?) et Gud., in quo tamen syllaba *in* superscripta est, recepit lectionem *flammatus;* ut infra IV, 54. edidit *flammavit;* et Conington, qui eum sequitur, *flammatus* poëticum, *inflammatus* prosaicum esse censet. — **331.** *scelerum Furiae,* quae sceleratos persequuntur. Ita apud Lucan. II, 80. Furiae *Terribiles deae scelerum* nominantur. De Clytaemnestrae autem matris caede cogitandum esse, in promptu est; ut Plur. *scelerum* pro Sing. *sceleris* positus sit. — *agitatus.* Vid. IV, 471. ubi *scaenis agitatus Orestes.* Verba *Furiis agitatus Orestes* repetuntur in *Anth. Lat.* I, 178, 294., Duplex igitur causa affertur, quae Oresten, ut

Excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
Pars Heleno, qui Chaonios cognomine campos
Chaoniamque omnem Troiano a Chaone dixit

Pyrrhum occideret, impulerit, angor conscientiae propter matris caedem et ira ob ereptam sibi a Pyrrho sponsam, in quam rem Henry (*Tw. years* III. p. 22. et Philol. XI. p. 629.) conferri iubet Auson. Epitaph. heroum IX. *Impius ante aras quem fraude peremit Orestes. Quid mirum? caesa iam genetrice furens.* — **332.** *Excipit*, verbum proprium de bestiis, quae ex insidiis excipiuntur (*abfangen*). Cf. Ecl. III, 18. Aen. I, 276. VI, 173. et IX, 763. (ubi vid. Thiel.) Heins. et Drakenb. ad Sil. XIII, 135. Intpp. ad Phaedr. I, 11, 6. Ad homines translatum, pro: imprudentem aliquem opprimere, legitur etiam infra VI, 173., ap. Cels. in praef. p. 12. Almel. *viatorem a latronibus exceptum vulnerari,* alibi. — *incautum.* Vid. supra I, 350. Erat autem incautus, quia domi suae (*patrias ad aras*) tutum se putabat. (Vid. Henry in Philol. l. l., qui comparat Sallust. Catil. 28. *domi suae imparatum* (Ciceronem) *confodere.* — *patrias ad aras,* Delphis ad aram Achilli patri, tamquam heroi, ab ipso Neoptolemo exstructam. Vid. Pind. Nem. VII, 53 sqq. Eurip. Androm. 1117 sqq. et Heynii Exc. XII. ad h. l. Singulari autem cum vi haec verba adiicuntur, cum alias arae perfugia sint miserorum. Cf. Cic. Verr. II, 3, 8. V, 48, 126. etc. In Anth. l. l. v. 297. haec verba sic mutata repetuntur: *patris obtruncat ad aras.* Vid. etiam supra II, 663. — **333.** *regnorum pars*, scil. Epirus, quam Neoptolemus Phthiae, regno patrio, adiunxerat. Cf. Iustin. XVII, 3. cum Strab. VII. p. 326. et Pind. Nem. IV, 82. — *reddita* Serv. pro simplici *data* positum censet, laudans Ennii fragm. ex Annal. (I. fr. 41. p. 11. Vahlen.) *ut Ilia reddita nuptum.* Sed nusquam compositum verbum *reddere* prorsus idem est, quod simplex *dare;* immo et hic significat dare ea, quae alicui debentur, aut aliquo modo ad eum, cui dantur, pertinent. Poterat enim Helenus, ipse regis filius, iure quodam suo exspectare, ut sibi, qui tam diu in servitute fuisset, domino e medio sublato, pars certe eius regni obtingeret. Cf. autem praeter notissimum illud *reddere alicui epistolam* v. c. Hor. Od. I, 2, 17. *Ergo obligatam redde Iovi dapem* et similes locos. Aliter tamen Ladew. haec non Heleni, sed Epiri ratione habita dici putat, ut sensus sit: Epirus post Neoptolemi mortem non libera facta, sed rursus regi subiecta est. Wagnero et Coningtoni (qui tamen etiam meam explicationem non improbabilem dicit) *reddita* simpliciter est i. q. ad alium translata. Temeraria igitur Peerlkampii coniectura *tertia cessit Pars Heleno.* Ceterum vid. supra ad v. 297. — **334.** *qui Chaonios* etc. *Chaones*, a Pelasgis originem ducentes, multo antiquiores erant Heleno et Chaone; sed poëta nullam facile occasionem dimittit, ubi nominum aliqua similitudine uti potest ad Troianorum gloriam, tamquam per omnem orbem terrarum divulgatam, celebrandam. Miror Wagnerum a Servio inductum esse, ut in recentiss. edit. scriberet *Campos*, ac si sententia haec esset: „qui Campi antea dicti sunt, cognominavit Chaonios s. Chaonas". Servius enim haec adnotat: „Epirum campos non habere omnibus notum est; sed constat (?) ibi olim regem nomine Campum fuisse eiusque posteros Campylidas dictos. Alii filiam Campi Cestriam ab Heleno ductam uxorem (tradunt) et de nomine soceri *Campos*, de nomine Chaonis Chaonas dixisse." Sed ubi praeterea huius Campi, horum Camporum ullum apud veteres scriptores vestigium? Quod autem ad Epiri campos attinet, Ladew. in Append. p. 244. apte comparat *Crustiminos campos* ap. Livium II, 64, 3., quamvis eodem teste V, 37, 7. Crustumini regio montuosa sit, atque a Vergilio ipso adeo rupem e mari prominentem *campum* dici memorat. Chaon autem secundum Servium aut frater aut amicus Heleni fuit, qui peste exorta ultro pro amico morti se obtulerit, ut Helenus memoriam amici pro se mortui hac ratione ad posteros propagare vellet. Peerlk., coniecturam suam modo commemoratam spectans, locum sic explicat: „Tertia pars cessit Heleno: quam partem *campos Chaonios* et omnino totam suam re-

Pergamaque Iliacamque iugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quae fata dedere?
Aut quisnam ignarum nostris deus adpulit oris?
Quid puer Ascanius? superatne? et vescitur aura,
Quae tibi iam Troia * * * *

---

gionem, in qua rari campi, *Chaoniam* appellavit." Ceterum de *Chaonia*, quae proprie ea tantum erat pars orae occidentalis Epiroticae, quae maxime ad septemtriones vergebat, cf. librum meum geogr. III. p. 878. — **336.** *Pergama Iliacamque arcem* per epexegesin illam, de qua ad Aen. I, 569. diximus. — *addidit*, imposuit montis iugo arcem, cui Pergami nomen dedit. Cf. VI, 774. *imponent montibus arces.* — **337.** *qui cursum venti, quae fata dedere.* Burm. temere haeret in h. l. et, cum Andromache satis scire debeat, qui venti ex Troade in Epirum ferant, vel *qui cursum huc venti* vel *quo cursum venti, quo fata ded.* coniecit; quas coniecturas recte sprevit Heyn. (quem prius cum Wagn. secutus sum), h. l. sic interpretatus: quo casu ad has terras accessistis? num tempestate, an fato, an deorum numine factum est? Cf. quae de hoc usu Pronominis interrogativi praeter Wagn. ad Aen. I, 8. et in Ep. ad Groebel. p. 23. disputarunt Langius in *Verm. Schr.* p. 92 sqq. et Dietrich. Quaest. crit. de quibusd. Cic. ll. Friberg. 1851. p. 11. a Dietschio l. l. p. 24. laud.; qui tamen num etiam *quisnam* ita a quoquam dictum sit, non temere videtur dubitare, et cum *fata* et *deus* sibi opponantur, recte contendit, *fata* hic non esse aeternas necessitatis leges ipsas, sed res iis evenientes; quare locum cum eo nunc sic explico: „Unde et per quem rerum ordinem venisti, aut quis deus te nostris appulit oris? Scilicet quoniam res tam improvisa, tam laeta, tam fausta non sine singulari dei alicuius ope accidit, hoc quasi se corrigens subiicit?" Cf. etiam Servius ad h. l. et Aen. VI, 532. *Pelagine venis erroribus actus, an monitu divom?* — **338.** *ignarum* aut huius regionis, orae, aut nostrûm: cum nihil de nobis hic commorantibus novisses. Illud simplicius et probabilius. — *nostris deus adpulit oris.* Cf. infra v. 715. *vestris deus adpulit oris.* — **339.** *Quid puer Ascanius?* „Haec affectus muliebris plena et Andromaches ingenio consentanea. De Ascanio sollicita est ex tacita Astyanactis sui [crudeliter caesi et illi aequaevi] memoria. Cf. infra v. 489 sq." *Heyn.* Quod attinet ad simplex *Quid*, scil. agit, cf. Geo. III, 258. *Quid invenis?* ibid. v. 264. *Quid lynces?* Hor. Epist. I, 2, 10. *Quid Paris?* etc. — *superatne?* Vid. ad Ecl. IX, 27 et Aen. II, 597. 643. Videtur autem Andromache ex vultu et gestu aliquo Aeneae concludere, Ascanium adhuc in vivis esse, quae statim pergit ad alteram quaestionem de Creusae sorte. Voss. quidem in Progr. Crucen. p. 3 sq. contendit, verba *superatne et vescitur aura* non posse disiungi, ideoque haec omnia ad Ascanium pertinere et v. 340. servandam esse lectionem *Quem;* sed etiam Ribbeck., qui putat, quaedam hic excidisse, vel potius poëtam locum imperfectum relictum aliquando uno alterove versu addito supplere voluisse, nobiscum faciens adnotat: „De Creusae vita quaerit Andromache, cui aliquo modo statim responsum esse necesse est propter v. 341." (Cf. eius Proleg. p. 70 sqq.) — *et vescitur aura.* Cf. adnott. ad Aen. I, 546. Multi Codd. exhibent *auras*, quam (post Broukh. ad Tibull. II, 5, 63.) veram scripturam censet Iahn., alteram fortasse ex I, 546. huc translatam putans. Sed cum *vesci* apud Vergilium alibi nusquam quartum Casum adsciscat, litera *s* autem ex ultimo superioris versus vocabulo adhaerere potuerit, Wagn. vulgatam lect. recte defendit, quam etiam posteriores editores omnes servarunt. Peerlk. hunc versum cum quatuor sequentibus (quos Haupt. quoque uncis inclusit atque etiam Gossr., exceptis modo primis verbis *Quid puer Ascanius?* ab alia manu adiectos suspicatur) spurios censet, hac causa satis levi adiecta: „Non decebat Andromachen quaerere, viverentne Ascanius et Creusa, ne, si mortui essent, dolorem Aeneae suscitaret. Exspectare debebat, quod ipse Aeneas ista exponeret." — Versum **340.** optimi Codd. imperfectum relinquunt, quod ipsum iam docet, eum non ab interpolatore aliquo esse profectum; alii autem varia

Ecqua tamen puero est amissae cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem animosque virilis
Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector?"

---

ratione explent: *Quem tibi iam Troia peperit fumante* (vel *florente*) *Creusa, Quem t. i. Tr. obsessa est* (vel *est obsessa*) *enixa Cr., Quem t. i. Troia natum fumante reliqui.* Heyn. (qui etiam sequentem versum damnat, qua ratione huic loco optime succurri Iahn. quoque censet) et Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 80 sqq. eum spurium censent, Wagn. autem strenue defendit; cum eo reiecto Part. *tamen* v. 341. non habeat quo referatur, neque verisimile sit, Creusam silentio praeteriri ab Andromache de Ascanio sollicite quaerente, de illius autem fato nondum per Aeneam certiore facta. Quare pro vulg. *Quem tibi* ex uno Cod. Menag. II. recepit lectionem *Quae tibi* (quam tamen Ribbeckio teste etiam ipse Med. exhibet) et mutata distinctione omnem locum ita constituit, ut supra typis descriptum vides. Censet autem Vir doct., poëtam, ne legentes ex earundem rerum iterata narratione fastidium caperent, Andromachen tale quid dicentem introduxisse, quod Aeneas aliqua doloris significatione exciperet, unde illa coniicere posset, Creusam iam e vita discessisse; ideoque versum interrupisse, cuius plena suisque numeris absoluta sententia fortasse Vergilio ipsi haec aliquando retractaturo nondum clare obversaretur. Quae Wagneri opinio mihi satis probabilis videtur, cum quae supra de Codd. adnotavimus, hunc versum ab ipso Vergilio imperfectum esse relictum, satis superque demonstrent. Si autem sumimus, Andromachen addere voluisse haec fere verba: (Quae t. i. Troia) *exeunti* vel (Troia) *capta, ardente, fumante fato erepta esse fertur,* sed ex Aeneae vultu et gestu aliquo dolorem significante intelligere, non opus esse, ut interrogatione sua ad finem perducta hunc dolorem augeat, hic versus neque superioribus verbis *vescitur aura,* neque sequentibus *amissae parentis* adversatur; si autem cum Steinmetzio p. 16. cogitatione addere velis *est fumante erepta Creusa,* tum sane non perspicio, quomodo haec cum superioribus illis verbis conciliari possint. Ceterum, quae modo disputavimus, non excludunt opinionem, Vergilium hunc versum aliquando suppleturum fuisse. Süpfl., nihil omnino adnotans, retinuit vulgarem lectionem *Superatne et vescitur aura? Quem tibi iam Troia* quam etiam Ladew. (qui tamen in recentissima edit. ad lectionem *Quae* rediit), Bryce et Conington servarunt. — Versus **341.** *αὐθεντίαν* iam Weichert. l. l. p. 82 sq. contra Heynium bene defendit. Cf. etiam, quae Wagn. in Phil. Suppl. I. p. 338. et contra Ladew. (qui prius v. 340. et 341. obelos adposuerat, postea tamen deletos) et contra Hauptium disputat. Andromache, quae ex ipso vultu et gestu Aeneae famam de Creusae morte veram esse intellexit, illico adiungit illam quaestionem, quomodo Ascanius matris iacturam ferat. Servius *parentis* male accipit de *patria.* — *Ecqua* pro *ecquae* legimus etiam ap. Ter. Eun. III, 3, 15. Cic. Rosc. Am. 33, 92. Verr. I, 24, 63. II, 48, 120. Cf. Zumpt. ad Cic. Verr. IV, 11, 25, et Neue *Formenl.* II. p. 174. *tamen,* quamquam puer morte eam amisit, pueri autem parentum amissorum plerumque cito obliviscuntur. (Cf. etiam Voss. et Steinmetz. ll. ll.) — *cura* idem fere quod *desiderium;* num puer saepe cum dolore recordatur matrem amissam? — **342. 343.** „Generosi versus, ex communi illa sententia, ut, qui magni viri filium se esse meminerit, plus ad virtutem incitamenti habeat." *Heyn.* — *antiqua virtus* nominatur tamquam genti ab antiquissimis temporibus propria. Constat vero etiam, veteres omnino loqui de *antiqua virtute, fide, religione* omninoque de candidioribus et simplicioribus antiquiorum hominum moribus. Cf. Lambin. ad Hor. Sat. II, 7, 23. Ruhnk. ad Ter. Ad. III, 3, 88. Matth. ad Cic. pr. Rosc. Am. 9, 26. Müller. ad Cic. pr. Sest. 3, 6. alii. Thiel. conferri iubet similes locos Hom. Il. VI, 476 sqq. Ovid. ex Pont. II, 8, 31. Val. Flacc. I, 243. alios. — *animos viriles.* Cf. IX, 311. (Ascanius) *ante annos animumque gerens curamque virilem.* — **343.** *avunculus Hector;* Creusa enim, Ascanii mater, secundum Apollod. III, 12, 5. soror erat Hectoris; qui locus Apollodori et Heynium et Peerlkampium temere in voc. *avunculus* haerentes videtur fugisse. Praeterea cf. Weytinghius ad Hom. Il. Epit. 985. p. 297. (ab Ungero de Valg. Rufo p. 391. laud.) Ceterum hic vs. 343. iteratur

Talia fundebat lacrimans longosque ciebat
Incassum fletus, cum sese a moenibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus adfert
Adgnoscitque suos laetusque ad limina ducit
Et multum lacrimas verba inter singula fundit.
Procedo et parvam Troiam simulataque magnis
Pergama et arentem Xanthi cognomine rivum
Adgnosco Scaeaeque amplector limina portae.
Nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur.

---

infra XII, 440. in loco huic simillimo. — **344**. *Talia fundebat.* Cf. V, 234. 882. VI, 55. VIII, 584. cett. Ita etiam pedestris orationis scriptores. Cf. Cic. Or. III, 50, 194. Tusc. I, 26, 64. Liv. VII, 2, 5. cett. — *ciebat fletus,* i. e. edebat. Cf. Geo. III, 517. Aen. VI, 468. Catull. LXIV, 131. etc. *Ciere* enim (cuius altera forma est *cire*), Graec. *κινεῖν*, proprie est movere, excitare. Cf. etiam quae supra ad v. 68. adnotavimus. — **345**. *incassum.* Vid. ad Geo. I, 387. et III, 100. — *cum* etc. De hac ratione res temporis decursu se excipientes connectendi vid. supra ad v. 135. — *a moenibus,* via ex urbe ad litus ducente. — **346**. *sese affert.* Vid. supra ad v. 310. — Aliquot Codd. verba sic collocant: *Priamides Helenus multis,* qui ordo tamquam simplicior Heynio comparanti supra v. 295. praeferendus videtur. Sed recte docet Wagn., aliam huius atque illius loci esse rationem; hic enim, cum *heros Priamides* scriptum sit, nomen *Heleni* tantum per appositionem adiungi, ideoque bene latere inter verba *multis* et *comitantibus.* Apte autem Servius haec adnotat: „Et bene verba Heleno post Andromacham non dedit, ne frigeret; sicut V, 41. Acestae.“ — **347**. *Adgnoscit.* Vid. ad II, 423. — *suos,* populares, Troianos. — **348**. *multum* saepe adverbialiter poni, velut *multum differre, multum falli* cett., res est notissima; hic tamen locus ab aliis id genus eo differt, quod Substantivo adiunctum videtur Adverbium pro *multas lacrimas;* sed *lacrimas fundere* nihil aliud esse quam *lacrimare,* ideoque recte Adverbium addi potuisse, iam Wagn. vidit. Eadem ratione Caes. B. G. IV, 1. *neque multum frumento vivunt;* neque alienus est locus Propertii II, 20, (III, 13,) 7. *Nec tantum Niobe - - lacrimas depluit.* Iahn. conferri iubet Heyneckii Animadvv. ad Iuvenal. p. 105. et Interpp. ad Ovid. Met. III, 149. Quare sine iusta causa Heins. et Voss. *multum lacrimae* (pro *lacrimarum*) ediderunt, et Wakef. temere coniecit *Et vultum lacrimis - - fundit.* Lacrimat autem Helenus vel in reperti Aeneae laetitia, cuius adventus simul praeterita Troianorum fata omnia ei in mentem revocet. Wagn. de laetitiae lacrimis cogitat coll. Livio XXVII, 17, 16. *gaudio lacrimans,* Ladew. vero de doloris lacrimis suorum sermonibus expressis, et Ribbeck has lacrimas cum laetitia omnino conciliari non posse falso iudicans versum 348. (quem pro dittographia versus 344. habet) ab initio fortasse sic scriptum sumit: *Haec multum lacrimans - - - fundit;* et sane Pal. paucique alii Codd. exhibent Particip. *lacrimans,* quod non mirum. (Cf. Ribbeckii Proleg. 72 sq.) Sed vide Kappes. III. p. 12 sqq. de hoc loco verissime disputantem, qui de fletu maerente (*Thränen der Wehmuth*) cogitat et comparat Hom. Od. XVI, 15—22., ubi laetitia pariter cum lacrimis et lamentis coniuncta sit. Peerlkampii coniecturam iam supra ad v. 320 commemoravimus. — **349**. *parvam Troiam simulataque Pergama.* Vid. supra ad v. 302. et infra IV, 512. *latices simulati fontis Averni.* Ovid. Met. XIII, 721. *simulata Troia* etc. Quod autem attinet ad Dativum, Conington confert Cic. Att. IX, 8. *Minervam simulatam Mentori.* — **350**. Haupt. et Ribbeck. *rivom.* — **351**. *amplector.* In patriam redeuntes amplecti et exosculari solent postes et limina. Cf. interpp. ad Val. Fl. I, 676. *patriaeque amplectere limina portae* et Senec. Agam. 392 sqq. Vid. etiam supra II, 490. — **352**. Peerlk. et Gossr. vss. 352—355. spurios censent, et ille quidem „quod rei ipsius imago sit turbida, oratio autem *languida nec* satis Latina“; hic autem quod omnia h. l. narrata „nimia

Illos porticibus rex accipiebat in amplis;
Aulai medio libabant pocula Bacchi
Impositis auro dapibus paterasque tenebant.
   Iamque dies alterque dies processit et aurae

---

sint neque cum parva Troia congruant"; pariterque iam Bryantus certe de vss. 353—55. αὐθεντίᾳ dubitaverat; contra quem. Heyn. et Weichert l. l. p. 84. hunc locum recte defenderunt. — *urbe fruuntur*, gaudent, se in urbem hospitalem a popularibus esse receptos. — **353**. *porticibus*, haud dubie atrii. Vid. ad v. 254. et cf. II, 528. (ibique adnott.) XII, 474 sqq. et Lersch. Ant. Verg. §. 72. p. 225. — *accipiebat*. Vid. supra ad v. 210. Hic i. q. convivio excipere. Cf. Hor. Sat. II, 8, 67. *ut ego accipiar laute*, Ter. Eun. V, 8, 52. *Accipit hominem nemo melius prorsus neque prolixius* etc. — **354**. *Aulai medio*. Servius adnotat: „*Aula* proprie dicitur, quae concluditur porticibus quatuor, unde superius *porticibus* dixit. Becker autem (Gallus II. p. 171. et 173. ed. 2.) docet, Vergilium hic suae aetatis morem secutum et *aulam* pro *atrio* positam esse, ut etiam ap. Hor. Epist. I, 1, 87. coll. Lerschio Ant. Verg. §. 72. (p. 226.), Hertzbergio de diis Rom. patriis p. 67. aliisque. In atrio enim Romani clientes et hospites accipere solebant. Alibi etiam Vergilius atrium Romanorum et αὐλήν Graecorum videtur confudisse; nam Romana domus non habebat aulam, Graecorum vero αὐλή (nisi cum pro αἰθούσῃ ponitur) non erat porticibus ornata. De archaismo *aulai* (qui redit VI, 747. VII, 464. et IX, 26.) cf. Prisc. VII, 2, 3. p. 728. Charis. p. 7. P. s. p. 9. Lind. Probus p. 1438. P. s. p. 99. Lind. Claud. Sacerd. I. p. 26. Endl. Voss. Aristarch. IV, 3. Ruddim. I. p. 47. Schneider. Gr. Lat. II, 1. p. 22. Bentl. ad Ter. Heaut. III, 2, 4. Osann. Anall. critt. p. 108. Planck. ad Ennii Med. p. 76. Lachmann. ad Lucr. I, 29. p. 19. mea ad eund. I, 65. Vahlen. ad Ennium p. 71. Corssen. de pron. I. p. 677 sqq. ed. 2. et Neue *Formenl.* I. p. 8 sqq. II. p. 16. Ceterum Praepositionem *in*, quae vulgo additur post *Aulai*, quamque sane tuentur Priscian. VII, 3. p. 728. Claud. Sacerd. l. l. Vel. Longus p. 2222. et Scaurus p. 2254. P., optimorum Codd. eiusdemque Prisciani I, 50. et XVII, 8. p. 501. et 1039. P. auctoritati cedens cum Wagn. omisi, imprimis cum poëtae Latini elisionem Genitivorum in *ai* exeuntium perraro admiserint, de qua re Iahn. conferri iubet Naekium in Indice praelectt. in univ. Rhen. per hiemem a. 1830. habendarum. Vid. etiam adnott. ad Geo. III, 237. (Gossr. et Bryce Praepositionem retinuerunt; ceteri recentiores editt. omiserunt). — *libabant pocula Bacchi*, libabant vinum ex poculis. Cf. adnott. ad Ecl. VII, 28. Sic *pateras libare Iovi* Aen. VII, 133., *fundere pelves* ap. Iuven. III, 277., *uncta patella vivere* ap. Pers. IV, 17. et similia. Cf. Oudend. ad Lucan. IV, 199. p. 278. Broukh. ad Tibull. III, 5, 9. p. 333. Wopkens. in Paulin. de vit. Mart. I, 135. p. 840. T. VIII. Misc. Obs. crit. N. T. et qui hos laudat Unger de Valg. Rufo p. 153. — **355**. *auro*, aureis patinis. Cf. adnott. ad Aen. I, 739. — *dapibus*, quae diis offeruntur. Vid. supra ad v. 301. — *paterasque tenebant*. Haec verba, quae Heyn. frigere censet, recte explicat Wund., infra ad IV, 257. docens, ea cohaerere cum *libabant*, ut sensus sit hic: libabant pateras tenentes; eumque sequitur Wagn., comparans Geo. II, 192. *pateris libamus;* Kappes vero III. p. 13 sq. exponere studet, hanc sententiam coordinatam, quam dicunt, plus dicere, quam simplex Participium, et repraesentare rem, quasi agatur, non quasi narretur. Non autem necessarium erat, ut inverso ordine scriberetur *tenebant pateras et libabant*, quod Peerlk. contendit, haerens etiam in aureis patinis, quas a more illius aetatis abhorrere censet. Cf. tamen I. 729. — **356**. *Iamque dies - - processit - -: His vatem adgredior dictis*, i. q. iam dies aliquot processerant, - - cum ego adloquor cett.; de qua duas sententias coniungendi ratione vid. adnott. ad Aen. II. extr. et Wagn. Qu. Virg. XXXV, 8. Punctum igitur, quod vulgo est post *austro*, cum Wagn. in Colon mutavimus. — *aurae* de vento navigantibus secundo etiam infra v. 530. IV, 417. V, 844. VII, 8. alibi ponuntur; pro vento omnino Geo. III, 193. Aen. XI,

Vela vocant tumidoque inflatur carbasus austro:
His vatem adgredior dictis ac talia quaeso:
„Troiugena, interpres divom, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii laurus, qui sidera sentis
Et volucrum linguas et praepetis omina pinnae,
Fare age — namque omnem cursum mihi prospera dixit

---

312. 645. XII, 84. — **357**. *vela vocant*, invitant, ut vela pandantur. Cf. supra v. 70. Contra infra IV, 417. *vocat iam carbasus auras.* Ceterum vid. supra v. 70. ibique adnott. et infra v. 454. *cursus in altum vela vocat.* Cf. etiam Burm. ad Val. Fl. III, 341. — *carbasus* (plur. *carbasa*) proprie genus quoddam lini in Hispania Tarraconensi primum inventum (Plin. H. N. XIX, 1, 2.); deinde quodcunque ex eo paratur, vestes linteae, imprimis vela, quae *carbasa* vocantur v. c. Ovid. Met. VI, 233. Fast. III, 587. Her. VII, 171. Lucan. III, 596. Val. Fl. IV, 422. cett. Vergilius ubique Singulari utitur. Vid. infra IV, 417. et VIII, 34. — *auster tumidus* dicitur ab effectu: non quia ipse tumet, sed quia vela tumere facit. Eadem ratione apud Ovid. Am. I, 9, 13. *tumidi Euri.* Heyn. confert Hom. Il. I, 481. *Ἐν δ' ἄνεμος πρῆσεν μέσον ἱστίον.* — **358**. *adgredior dictis.* Cf. IV, 476. VI, 387. Cic. ad Att. XII, 33. Sall. Iug. 46. etc. — Cum v. **359**. cf. Hom. Il. VI, 76. *Πριαμίδης Ἕλενος, οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος.* — *Troiugena.* Redit hoc voc. VIII, 117. XII, 626. Vid. etiam Lucr. I, 466. Catull. LXIV, 355. Iuven. I, 100 cett. Sic infra III, 350. Pacuv. ap. Cic. N. D. II, 36, 91. et Stat. Theb. VI, 215. *Graiugenae.* — *interpres divom*, vates. Cf. IV, 356. X, 175. Senec. Troad. 355. Liv. I, 7. Cic. Phil. XIII, 5, 12. etc. Cf. quae Ladew. de duplici divinationis aut naturalis aut artificiosae genere ad h. l. disputat. — *qui - - sentis*, qui peritus es harum omnium rerum, quae ad artem vaticinandi pertinent; *numen* enim (de Plurali hic posito vid. adnott. ad Geo. I, 29.) *Phoebi sentit* vates, qui afflatu divino concitatus futura praedicit, *tripodas*, qui tripodi insidens, ut Pythia Delphis, vaticinatur, *Clarii laurus*, qui oracula edit, sacerdotis instar in luco Apollinis Clarii in specum degressi (cf. Tac. Ann. II, 54.), *sidera*, qui astrologiae ope futura divinat; quae quidem omnia iure quodam dici possunt a vate *sentiri*, cum ei vaticinandi facultatem tribuant. Peerlk. confert Silii IV, 120. *huic superos sentire monentes Ars fuit, ac penna monstrare futura magistra.* — **360**. *Clarius* Apollo vocatur a Claro oppido apud Colophonem in Ionia sito, ubi celeberrimum erat eius templum cum oraculo (vid. Strab. XIV. p. 442. Paus. VII, 3, 1. Mela I, 7, 2. Plin. V, 29, 31.), quod Taciti temporibus (Ann. II, 54.) nondum evanuerat. (De ipso oppido, cuius reliquiae apud vicum *Zille* inveniuntur, cf. liber meus geogr. II. p. 187.) Sic *Apollo Clarius* etiam ap. Plin. H. N. II, 103, 106. et Melam I, 17., et *deus Clarius* ap. Ovid. A. A. II, 80. Met. XI, 413. Fast. I, 20. alibi. — *laurus* autem ex Med. a m. pr., Pal. aliisque antiquis libris, item ex Charisio I. p. 9. et IV. p. 250., Diomede p. 439. et Donato de Schem. p. 1773. cum Wund., Iahn. et Wagn. recepi pro vulg. *lauros.* Vid. adnott. ad Ecl. VI, 83 Secuti sunt omnes posteriores editores. — *sidera sentis*, qui scis, quid ea, fatorum conscia, portendant. Cf. infra IV, 519. et X, 175 sq. Sequitur autem in his poëta suae aetatis mores; nam ab Homeri temporibus astrologia aliena est. Heyn. hanc vocem ad *διοσημεῖα* referendam putat, ut *sidera* coelum et aërem significent. — „V. **361**. ad auguria cum ex oscinibus tum ex praepetibus, h. e. avium cantu et volatu, spectant. Cf. infra X, 175 - 177.“ *Heyn* — *Lingua avium* redit X, 177. Sic Phaedr. I, 23, 5. de *canis lingua* loquitur. — *pinna* (vid. ad Geo. I, 398.) pro ala, ala autem (instrumentum pro re) pro volatu. *Pinnae praepetes* etiam infra VI, 15. et in antiqui poëtae fragm. ap. Cic. Div. I, 47, 106 leguntur, ut apud Plin. H. N. VII. praef. §. 1. *praepetes volatus.* Auspicibus autem *praepetes aves* erant prosperae, ut adversae *inferae* s. *inhibrae* vocabantur. Cf. Gellius VI, 6. Festus v. *praepetes aves* p. 129. Lindem. et Serv. ad h. l. — **362**. *Fare age* (reliquis verbis ex II, 149. additis) legimus etiam in Anth. Lat. I, 178, 320. Ceterum vid. ad Aen. I, 627. — *omnem cursum*, qui superest. Ribbeck. ex Rom.

Religio et cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere et terras temptare repostas;
Sola novum dictuque nefas Harpyia Celaeno
Prodigium canit et tristes denuntiat iras
Obscenamque famem — quae prima pericula vito?
Quidve sequens tantos possim superare labores?"

---

et Gud. a m. pr. recepit lectionem *omnis*, hoc Servii scholio adiecto: „Hypallage est: nam non *omnem cursum* prospera dixit religio, sed *omnis religio* dixit prosperum cursum;" atque etiam Ladew. *omnis* praeferret, nisi sequeretur *prospera*, quod sane videtur admonere, ut plurimorum Codd. lectionem tueamur — *prospera religio*, auspicia et oracula, quae prospera nuntiant. *Religio* enim, quod voc. proprie de ritibus sacris dicitur, deinde etiam omnia ea significat, quae ad res sacras pertinent et cum sacris fiunt, ideoque etiam oracula et vaticinia; quare ap. Cic. ad Div. I, 1. aliquoties de *religione librorum Sibyllinorum* sermo est. Conington confert Phaedr. IV, 11, 4. *Repente vocem sancta misit religio.* Cum epitheto *prospera* cf. supra v. 246. *infelix vates.* — **363.** *cuncti divi* hyperbolice dictum, nam ad solos Penates (v. 147 sqq.) referri potest. — *numine,* vulgo pro oraculo positum habetur; sed cum dii oraculis non suadeant, sed iubeant, potius cum Dietschio Theol. Verg. p. 5. interpretor: potentia sua, quam ex rebus, quae mihi acciderunt, sensi, suaserunt divi, ut oraculis obedientiam praestarem. Cf. etiam adnott. ad Aen. I, 8. — **364.** *temptare.* Vid. ad Ecl. IV, 32. Geo. I, 207. Aen. II, 38. Sic *limen temptare* ap. Tibull. I, 2, 17., *portam tempt.* ap. Val. Fl. I, 835., *omnia* (sc. varias terras) *tempt.* ap. Catull. XI, 14. etc. — *terras repostas*, remotas. Sic infra VI, 59. *gentes penitus repostae.* Sil. III, 325. *populi reposti* cett. De forma syncopata *repostus* vid. ad Geo. III, 527. — **365.** Verba *Sola, novum dictu,* hinc repetuntur in Anth. Lat. I, 14, 12. Haupt. et Ribbeck. *novom.* — *dictu nefas prodigium* Wagnero non Latinum videtur; quare verba *dictuque nefas* a ceteris secludenda et parenthetice accipienda censet. Copulam enim interdum parenthesin incipere docet Qu. Virg. XXXV, 9. Vid. adnott. ad Ecl. IX, 11. Ceterum *nefas dictu* legitur v. c. ap. Cic. de sen. 5, 13. *Quia profecto videtis, nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem.* — **366.** *prodigium* Heyn. explicat per eventum rerum prodigii similem. Dicitur enim hoc vocab. de omnibus rebus miris, monstruosis, ideoque terribilibus. Cf. Cic. Verr. III, 73, 171. *Non mihi iam furtum, sed monstrum ac prodigium videbatur.* id. Cat. II, 1, 1. Catilinam appellat *monstrum atque prodigium.* Apud Ovid. Met. XIII, 917. Glaucus, *Non ego,* inquit, *prodigium* (i. e. monstrum), *non sum fera bellua,* et ap. eundem Her. IX, 91. Geryon vocatur *prod. triplex.* Cf. etiam quae de voc. *monstri* ad v. 307. adnotavimus. — *iras*, scil. deorum, i. e. poenas inde repetendas, quas Celaeno Troianis denuntiat pro caede boum Harpyiis dedicatorum et bello ipsis illato. Vid. supra v. 247 sq. — Verba *tristes denuntiat iras* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 126. — **367.** *Obscenam famem* per epexegesin additur, ut significetur, quae poena sit exspectanda; *irae famesque* igitur est ultio per famem a Troianis exigenda. Cf. Wagn. Qu. Virg. XXXIII, 4. et adnott. ad Geo. I, 498. Aen. I, 27. II, 722. al. *Obscena* autem *fames*, fere i. q. supra v. 256. *dira fames,* etiam apud Oros. II, 4. legitur: *Egestas turpis atque obscena fames.* Cf. adnott. ad v. 241. et Geo. I, 470. *Heyn.* haec adnotat: „*obscenam famem;* quatenus ad ultima redacti etiam ea comedunt, quae nauseam faciunt. Sic *obscenus cibus* et *obscena pastu avis*, upupa, ap. Plin. X, 29, 44.;" quae explicatio (similis Servianae: „quae homines ad obscena compellit") paullo artificiosior videtur. Rectius *Schirach.* p. 513. „*obscena fames* dicitur male auspicata sive potius malo omine praedicta, ut ab Harpyiis." — *fare, quae - - vito* cett. ea ratione sunt expedienda, de qua diximus ad II, 738. Vide etiam VI, 779. Mirum sane primo obtutu, quod sequitur, *Quidve - - possim sup. lab.;* sed differunt ipsae notiones. Nam pericula multa sibi vitanda esse, hoc certo scit Aeneas, ignorans tantum, quae prima, quae

Hic Helenus caesis primum de more iuvencis
Exorat pacem divom vittasque resolvit
Sacrati capitis meque ad tua limina, Phoebe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit
Atque haec deinde canit divino ex ore sacerdos:
„Nate dea, — nam te maioribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides: sic fata deum rex

---

secunda sint etc.; sed dubitat, num ea superare possit. Wagn. haec verba sic accipit: Quidve sequor, ut possim, coll. Aen. I, 706. Wund. minus apte comparat Prop. II, 30, (III, 28,) 27 sqq. — *quid sequens*, qua ratione inita, quo usus remedio tanta pericula et mala effugere possim. — *tantos labores*, non solum „quantos Harpyia praedixerat", ut Serv. explicat, sed omnino quanti cum itinere meo coniuncti sunt. — **369**. *Hic* de tempore, ut I, 728. (ubi vid. adnott.) II, 122. alibi. *primum* non solum ad verba *caesis iuvencis*, sed ad totam sententiam pertinet. — *de more*. Vid. supra ad v. 65. — **370**. *pacem*, benevolentiam. Vid. supra ad v. 261. et infra IV, 56. Idem erat v. 144. *venia*. — *vittas resolvit*. Sacrificantes vitta s. infula erant induti; iam vero sacro finito resolvitur vitta; sequitur enim vaticinatio, quae capite non velato et passis crinibus peragenda erat. (Vid. ad VI, 48.) Quare idem facit Cassandra vaticinatura ap. Sen. Agam. 692. Cf. etiam quae ad II, 403. adnotavimus. Conington praeter Aen. VI, 48. (ubi vid. adnott.) conferri iubet Tibull. II, 5, 66. Ovid. Fast. I, 503. et Aesch. Agam. 1264 sqq. — **371**. *ad tua limina, Phoebe*. „Erat igitur templum Apollinis in nova urbe Troia ad exemplum Pergamei fani." *Heyn.* Peerlk., cui haec apostrophe minus grata videtur, coni. *nova limina*. — **372**. *Ipse manu*. Vid. ad Geo. III, 395. — *multo suspensum numine*. *Multus* Wagn. interpretatur per *vehemens*, coll. Ovid. Met. XIV, 53. *medio cum plurimus orbe Sol erat*, et Valcken. ad Eur. Hipp. 443. de eodem usu Graeci voc. πολὺς disserente; ut *multo numine suspensus* sit i. q. vehementer numine suspensus. Cf. I, 411. III, 151. IV, 3. VI, 659. etc. — *numen* Heynio recte est „maiestas, vis manifesta dei, quae horrorem ac reverentiam facit." — *suspensus*, horrore turbatus, perculsus ob praesentiam dei. Vid. supra II, 729. IV, 9. cett. Dietsch. Theol. Verg. p. 6., quem etiam Ladew. sequitur, locum recte sic interpretatur: „horret, cum sentit multum numen, magnam dei potentiam, quippe cum ipse deus adsit." — **374** sqq. „Circes ap. Hom. Od. XII, 37 sqq., fortasse etiam Phinei ap. Apollon. II, 311. exemplo Helenum hic fata ac casus navigationis Aeneae praedicere facit. Ipsi autem casus omninoque Aeneae errores ad Ulyssis errores compositi sunt." *Heyn.* — **374**. Hunc locum quem etiam repetit Auson. in cent. nupt. 4 sq. ante oculos habuit Ovid. Met. XV, 439 —449. Wagn. (quem prius secuti sumus) parenthesin demum a verbis *sic fata* incipiens *nam* aut ad praecedentem Vocativum referendum censet, ut prodeat haec sententia: „Nam te veram esse Deae prolem apparet e maioribus auspiciis", aut locum ita explicandum, ut Helenus statim in principio orationis causam memoret, cur pauca tantum e multis prolaturus sit: cetera enim maiora esse, quam quae mortalis vatis animus capiat et os effari possit; et hanc quidem explicationem praefert alteri, cum eiusmodi inversio orationis Heleni animo vehementer commoto sit aptissima. Hand. tamen in Tursell. IV. p. 8. huic alteri rationi recte adversatur, sententiam illam, „cetera maiora esse - - effari possit" aut non inesse in verbis Vergilii, aut male expressam, contra quod nomini deae addatur ratio huius nominis, non absurdum neque languidum esse contendens. Quare nunc cum ceteris editt. praeter Gossr., Haupt. et Ladew. (atque Wagnero ipso in minore edit.), parenthesin a Particula causali incipiens locum sic explico: Nate dea, pauca tibi expediam e multis etc.: nam manifestum est te navigare maioribus auspiciis (i. e. Iove ipso, non minore aliquo deo, auspice), quae felicissimum exitum sperare te iubeant. (Consentiunt nobiscum Dietsch. Theol. Verg. p. 25. Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 113. et Kappes III. p. 15 sq. atque Conington conferri iubet infra XII, 429. *Maior*

Sortitur volvitque vices, is vertitur ordo —
Pauca tibi e multis, quo tutior hospita lustres
Aequora et Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis; prohibent nam cetera Parcae

---

agit deus atque opera ad maiora reservat. — *te maioribus ire auspiciis* prius sic explicui: quam vulgo hominibus contingere solent, i. e. te a fato ad magnas res destinatum et sub singulari deorum tutela esse. Nunc quomodo locum (cum Wagn. in min. edit.) capiam, modo significavi. Dietsch. autem l. l. locum potius cum Heynio sic interpretatur: magnarum rerum et eventuum auspiciis, ut Aeneas maiores ad res quam omnes alii destinatus esse significetur. Simili ratione Henry putat, veteres distinxisse inter *minora* et *maiora fata;* quod probare studet loco Lucan. VI, 605 sqq., ubi Erichtho saga ad Pompeium: *Si fata minora moveres, Pronum erat* etc. idemque discrimen etiam Aen. X, 622 sqq. spectatum atque h. l. etiam ad *auspicia* translatum suspicatur. Equidem contra putaverim, discrimen illud inter *auspicia maiora* et *minora* (de quo cf. Cic. Rep. II, 14, 26. Gellius XIII, 14. Göttling. *Gesch. d. Röm. Verf.* p. 206 sqq. et Dietsch. l. l.) a Lucano perperam ad *fata* esse translatum, cum alium locum non noverim, ubi *maiora* et *minora fata* distinguantur. — *ire per altum*, ut infra IV, 310. — *manifesta fides* (ut II, 309.), certum, manifestum est. *Fides* enim interdum i. q. certum indicium, certa persuasio, certus nuntius. Cf. v. c. Liv. VI, 13, 7. Iustin. IX, 2. extr. id. XIII, 1, 4. Stat. Theb. VII, 577. cett. Vid. Gronov. ad Liv. XXVI, 24, 2. Beneck. ad Iust. l. l. Ceterum verba *nam te maioribus - - manifesta fides* iterantur in Ausonii cent. nupt. 4. — **376.** *fata sortitur*, disponit, ordinat, tamquam sorte ducta quid ex fatis fieri debeat, constituit; nam fatorum non mutandorum quidem, ordinandorum tamen et moderandorum potestatem habuisse Iovem, iam ad Aen. I, 39. vidimus; *volvit vices*, moderatur vicissitudines rerum (cf. adnott. ad Aen. I, 9.); *is ordo* fatorum *vertitur*, ita succedunt sibi fata. *Ordo fatorum* commemoratur etiam V, 707. — **377.** Initium huius versus *Pauci tibi e multis* iteratur in Anth. Lat. I, 178, 68. — *e multis*, scil. quae fato tibi destinata scire tua interest, sed quae aut ipse nescio (nam *Parcae vetant* me *scire*), aut tibi praedicere mihi non licet (nam *Iuno vetat*); quare infra v. 461. legimus: *Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri.* — *quo tutior lustres aequora*, cum cognoveris, quae tibi sint evitanda; *lustrare aequor* statim redit v. 385. Saepius hoc verbum usurpari constat de terris, quas singula spectandi causa peragramus. — *hospita aequora* Heyn. explicat per navigantibus amica, quae navigantes tutos ac salvos transmittunt. Henrico autem (*Tw. years* III. p. 23. et Phil. XI. p. 630.) *hospita aequora* non sunt amica, cum maria, in quibus Troiani tot mala perpetiantur, neutiquam amica dici possint, immo apud Vergilium *hospitus* simpliciter idem esse docet, quod *recipiens*, ut etiam hospitium recipiat peregrinos amicitiae ratione non habita, quo sensu etiam Aen. III, 539. legamus *bellum, o hospita terra, paras* et VI, 93. *causa mali - - coniunx hospita Teucris*, ut *hospita aequora* nihil aliud significet, nisi mare, quod vos recipiet, mare, per quod nunc navigaturi estis; quod probare videtur Ladew. Rectius, puto, latiori sensu capias pro peregrinis (*fremde Meere*), ut ap. Ovid. Fast. I, 340. *hospita navis*, Trist. III, 12, 32. *hospita puppis* etc. Sic etiam Gossr., (qui tamen non debebat adiungere: „Aut ita *hospita* explicandum, aut *hostica* scribendum, ut apta dixisse videatur poëta") et Wagn. in recentiss. edit. (qui prius minus apte explicuerat: „Epirum, ubi nunc hospitio utitur, tangentia.") Peerlk. praeter necessitatem coni. *aspera lustres Aequora*, ab Heleno imprimis Scyllam et Charybdin cogitari arbitratus. — *Ausonio portu*, Italico, ut VII, 39. *Ausoniae orae.* — Cum v. **379.**, cuius prima verba in Anth. Lat. III, 81., reliqua *prohibent n. c. P.* ibid. I, 172, 165. repetuntur, cf. Apoll. Rhod. II, 311. — Verba *Expediam dictis* redeunt VI, 759. -- *prohibent nam* (de qua Particula postposita vid. ad I, 444.) *cetera Parcae Scire Helenum* (i. e. me. Vid. adnott. ad I, 48. Gronov. ad Sen. Thyest. 178.

Scire Helenum farique vetat Saturnia Iuno.
Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam
Vicinosque, ignare, paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante et Trinacria lentandus remus in unda

---

et Drakenb. ad Sil. II, 29.). Recte Wagn. sustulit Comma vulgo post *Scire* positum, vere memorans, Vergilium, nisi coniungi voluisset *prohibent Helenum scire*, saltem ambiguitatis vitandae causa scripturum fuisse *prohibent te cetera P. scire;* illa autem verba ut coniungamus, flagitare iam Particulam *que* nusquam apud Vergilium secundae sententiae voci adhaerentem. (Vid. ad Geo. IV, 22.) Verba *farique vetat Sat. Iuno* Bryantus abesse malit, cum, quae nesciamus, ea effari nobis non licere per se pateat; sed iam supra vidimus discernendum esse inter ea, quae ipse nesciat Helenus a Parcis scire prohibitus, et quae tantum enuntiare Iunone interdicente ei non liceat. Alii (quos prius ipse secutus sum) locum sic intelligunt: et Iuno vetat Parcas ea fari Heleno; sed cur sine iusta causa constructionem mutatam atque duplex Obiectum *eas* et *ei* cogitatione addendum esse statuamus? Quae Haeckerm. l. l. contra Wagn. (quem iure etiam Ladew. et Conington sequuntur) disputat, minoris sunt ponderis. Ceterum cf. etiam de hoc loco Weichert. l. l. p. 77. et Iahn. ad Aen. VIII, 677. — *cetera* autem neutiquam cum Servio et Heynio (quibus etiam Conington adsentitur) de Aeneae calamitatibus in ipso itinere perpetiendis, de morte patris, de tempestate ab Aeolo immissa etc., sed de condendo populo Romano et orbis terrarum imperio intelligendum. Vid. supra ad v. 374. Ceterum, ut hic Parcas, ita apud Hom. Il. XIX, 418. Erinnyes, apud Apollon. II, 311 sq. deos omnino, apud Sil. I, 138. Iunonem fatorum cognitionem prohibere, commemorant Heyn. et Wagn. Parcae autem, cum nentes fatalia stamina haud raro fata canere dicantur (Ovid. Trist. V, 3, 25. Tibull. I, 7, 1. Hor. Carm. Saec. 25. Catull. LXIV, 307. et Markland. ad Stat. Silv. V, 3, 69. a Thiel. laud.), possunt etiam tacentes impedire, quominus homines futura prospiciant. — **381** sqq. „Poterat Aeneas statim in orientali Italiae extremae litore considere, ex adverso Epiri. At totum illud litus a Graecorum coloniis tenebatur. Cf. infra v. 398 sqq.“ *Heyn.* De Copula post Relativum inaequalia membra iungente (*quam rere propinquam Vicinosque paras invadere portus*, i. e. quam propinquam reris cuiusque portus, tamquam vicinos, invadere paras) vid. Wagn. Qu. Virg. XXXIV, 4. cum adnott. ad Ecl. VIII, 3. et Geo. III, 283. — *ignare* arcte cohaerere cum *vicinos* in promptu est: portus, quos tu ignarus iam vicinos putas. — **383.** *longa via invia* (quia Aeneas Latium terrestri itinere adire non poterat ob Graecos orientalem eius oram incolentes, sed totam Italiam Siciliamque circumvectari coactus erat, et ob pericula infra v. 396 sqq. indicata nusquam appellere poterat) *dividit* (*trennt*: cf. XII, 43. et Claud. in Ruf. II, 302. *dum nos longissima terra dividat*) *Italiam*, i. e. eam partem Italiae, quam tibi fatum assignavit, ab hac terra, Epiro, *longis terris*, longo terrarum tractu (omni Italia inferiore) interiacente. Wund. et Gossr. coniungi volunt *via longis terris*, quod putant significare viam per longas terras, ut v. 507. *cursus brevissimus undis* sit cursus per undas; cui rationi iure adversatur Conington mihi adsentiens. De alliteratione, quam vocant, *longa longis* et *via invia* cf. adnott. ad v. 159. Ceterum Peerlk. hunc locum inde a v. 381. sic constituendum censet: *Principio Italiam quod tu iam rere propinquam, Vicinosque, ignare, paras invadere portus; Longa procul longis via dividit intervallis;* ut *quod reris* positum sit pro: quod attinet ad illud, quod reris. — **384.** *lentandus remus. Lentare*, vox poëtica, proprie significat lentum, flexibile reddere, deinde flectere, incurvare, v. c. arcum (Stat. Theb. I, 703. III, 587. Achill. I, 436. cett.). De remis, qui nisu remigis fluctibus obluctantis paullulum flectuntur vel incurvantur, legitur etiam ap. Senec. Agam. 437. et Claud. Cons. Mall. Theod. 42. Cf. etiam Catull. LXII, 183. *qui fugit lentos incurvans gurgite remos.* (Quae Henry in *Tw. years* III.

Et salis Ausonii lustrandum navibus aequor
Infernique lacus Aeaeaque insula Circae,
Quam tuta possis urbem conponere terra.
Signa tibi dicam; tu condita mente teneto:
Cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus

---

p. 25 sqq., Philol. XI. p. 630 sqq. et Novis Annal. phil. LXVIII. p. 613. sqq. de huius verbi signif. fuse disputat, ea omnia a viro doctiss. nunc retractari video.) Heyn. comparat Apollon. II, 593. ἐπεγνάμπτοντο δὲ κῶπαι, Ἠΰτε καμπύλα τόξα, βιαζομένων ἡρώων. et Ladew. infra VII, 28, (qui tamen locus huc non quadrat). Cf. etiam Kappes III. p. 16 sq. — *Trinacria in unda*, in mari Siculo. Vid. adnott. ad I, 196. — **385.** *sal Ausonium*, mare Tyrrhenum, vel accuratius ea pars maris inferi, quae est inter Tyrrhenum et Ionium circa fretum Siculum. Cf. Plin. III, 10, 15. et XIV, 6, 8. Vid. etiam ad Aen. I, 35. Ceterum ad Genitivum Adiectivi *Ausonii* non pertinere, quae ad IX, 151. de Substantivis disputavimus, in promptu est. — **386.** *Inferni lacus.* Lacus Avernus (Ἄορνος) s. Averni (Liv. XXIV, 12, 4.) in Campania inter Cumas et Puteolos situs, qui ob pestiferos, quos exhalabat, vapores (quibus etiam nomen hactenus servatum [*Lago Averno*] debet, quod ab ἀ - - ὄρνις deducunt, quia ne aves quidem eum supervolare audeant: cf. infra VI, 201.) porta quasi Orci habebatur. Cf. infra v. 442. IV, 512. V, 813. VI, 118. 237 sq. et liber meus geogr. III. p. 526. — *insula Circae*, quae infra VII, 10 sqq. describitur. Vid. Heynii Exc. I. ad l. VII. Quaenam autem fuerit fabulosa illa insula a Sicilia septemtrionem versus sita, nemo facile divinaverit; quamquam Vergilius sequitur vulgarem opinionem, quae eam cum Circaeo promontorio (nunc *Monte Circello*) coniungit. Cf. liber meus modo commem. III. p. 496. De ipsa *Circe*, quae hic *Aeaea*, i. e. Colchica, appellatur ab Aea, Colchidis urbe (cf. Hom. Od. X, 135. et Apollon. III, 310.) vid. ad VII, 11. Ceterum Heins. ex bonis Codd. restituit formam *Circae* pro vulg. *Circes*, qua Graeca Genitivi terminatione Vergilius prorsus abstinuit. Genitivus *Circae* ap. Prop. IV, 11, (III, 12,) 27. (ubi tamen nunc editur *Circes*), Plin. H. N. XXV, 2, 5. et VII, 2, 2. Gell. XV, 2. Symm. Epist. I, 41. alibi, ut Accus. *Circam* ap. Plaut. Epid. IV, 2, 32. et Ablat. *Circa* ap. Hor. Epod. XVII, 17. legitur. Cf. Neue *Formenl.* I. p. 61 sq. — **387.** „*urbem componere* nove dictum pro ponere, condere, ut *templum componere* Ovid. Fast. I, 708." *Heyn.* Rectius Burm., quem sequitur Wagn., in hoc verbo, quod sensu differre debet a simplici *ponere* s. condere, simul tranquillum novae urbis condendae statum inesse docet, quod iam epitheton *tuta* comprobet. Ovidium autem l. l. *conponere* scripsisse censet Wagn., quod de templo Dioscuris a Tiberio Drusoque, ideoque binis diis a binis fratribus exstructo, sermo sit. — **388.** *Signa tibi dicam.* Ut hic sus cum porculis *signum* est loci ad urbem condendam eligendi, ita I, 443. caput equi effossum erat *signum* loci, ubi Carthago esset constituenda. — *tu condita mente teneto.* Cf. Hom. Od. XV, 27. σὺ δὲ σύνθεο θυμῷ. — **389** sqq. Iteratur hoc oraculum iisdem verbis infra VIII, 42. sqq. (ubi Peerlkampio et Ribbeckio hi versus sine iusta causa spurii videntur) mutato tantum Pronomine *Is* (*locus*) in *Hic*, qua de re vid. adnott. ad illum locum; et res ipsa, quae ratum fecit oraculum, narratur eodem libro paullo post v. 81 sqq. — *Cum tibi - - iacebit - - Is locus* cett. i. e. Is locus, ubi iacentem - - inveneris, erit locus novae urbis condendae. — *secreti ad fluminis undam*, ubi flumen in secreto fluit, i. e. in ripae Tiberinae parte secreta, ab hominum frequentia remota, nimirum in silva (cf. infra VIII, 82.). Iterantur haec verba in Anth. Lat. I, 146, 13. — **390.** Ut hic et in parallelo loco VIII, 43. *litoreis sub ilicibus*, sic ibid. v. 83. *viridi in litore conspicitur sus.* — *Litoreis. Litus* de fluminis ripa etiam VIII, 83. Ecl. V, 83. et alibi legitur. Cf. v. c. Cic. Inv. II, 31, 97. *Redemtor hostias constituit omnes in litore, ut qui trans flumen* (Eurotam) *essent, videre possent.* De lacubus haud raro dicitur (Catull. XXXV, 4. Ovid. Fast. VI, 765. Silius XV, 818.). Cf. omnino Döderlein. *Syn. u.*

Triginta capitum fetus enixa iacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati,
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Nec tu mensarum morsus horresce futuros:
Fata viam invenient aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras Italique hanc litoris oram,
Proxuma quae nostri perfunditur aequoris aestu,
Effuge; cuncta malis habitantur moenia Graiis.
Hic et Narycii posuerunt moenia Locri

Etym. III. p. 208. — *sub ilicibus sus*, ut apud Ovid. Met. XIII, 358. *In iuvenes vasto sic impete vulnificus sus Fertur.* Vid. ad Geo. I, 181. — **391**. *Triginta capitum fetus.* Hunc numerum porcellorum ad triginta annos, quibus Ascanius regnaverit, sicut colorem suis ad nomen Albae ab illo conditae referunt. Suem autem potissimum aptum esse ad hoc prodigium Wagn. docet, quia Cicerone teste N. D. II, 64, 160. *hac pecude nihil genuit natura fecundius.* Nescio enim, quomodo Henry (*Tw. years* III. p. 27. et Philol. XI. p. 632.), qui comparat ital. vocem *troja* et francogall. *truie*, comprobare velit, etiam apud Romanos suem dictam fuisse *troiam*, quare locus alterius Troiae condendae aptissime hac pecude indicetur, quam adeo insigne imperii Romani fuisse ex Eusebii Chron. I. concludit, qui de Aelia Capitolina condita agens scribat: *in fronte portae - - Sus sculptus in marmore prominens, significans Romanae potestati subiacere Iudaeos.* — *triginta capita*, ut nos *dreissig Köpfe* et Angli *thirty heads.* Constat enim, Romanos numeris numeralibus saepe addere voc. *capita* et de hominibus et de animalibus loquentes. Sic Aen. V, 61. *bina boum capita.* Colum. VIII, 11, 13. *grex quinque et viginti capitum* etc. — **394**. Spectat Celaenus vaticinium v. 255. prolatum. Ceterum observa Particulam *nec* a poëtis haud raro pro *ne* Imperativo alicui adiectum, ut sententia aut antecedentibus opponeretur, aut negatio acueretur. Cf. Geo. II, 96. Ovid. Her. XVI, 83. Met. XI, 286. Tibull. I, 4, 22. cett. et (ubi in parenthesi ponitur) Ecl. IX, 6. X, 46. Paulo aliter res se habet, ubi praecedit alius Imperativus vel Coniunctivus, quo referri possit, ut Ecl. VIII, 89. 101. Aen. XI, 355. alibi. Cf. omnino Hand. Tursell. IV. p. 118 sqq. et quae ad Geo. III, 435. adnotavimus. — **395**. *Fata viam invenient, das Schicksal wird seinen Gang gehen;* quod in fatis est, certo fiet. Fata autem vobis novas sedes in Italia decreverunt, ideoque pellite omnem metum. Cf. X, 113. et Lucan. I, 33. *quod si non aliam venturo fata Neroni invenere viam.* Dietsch. Theol. Verg. p. 25. etiam Taciti verba Hist. II, 82. *nihil arduum fatis* cum illa sententia concinere memorat. — *aderit*, propitius erit (vid. ad Aen. I, 734.), *vocatus*, invocatus (vid. ad Geo. I, 347.), *Apollo*, in cuius templum Helenus Aeneam duxerat (v. 371.). — **396**. *Has terras* dicit Helenus, quasi digito monstrans proximum, i. e. orientale Italiae litus e regione Epiri situm. — *Itali litoris.* Vid. ad Aen. I, 686. — *litoris oram.* Cf. Geo. II, 44. Sic ap. Avien. 162. 682. 1056. *litoris acta.* — **397**. *perfunditur* non est i. q. alluitur, sed si *aestus* ex alto se incitat, litus vere fluctibus perfunditur, obruitur. — *nostri aequoris*, maris Ionii (et Adriatici). — **398**. *cuncta moenia*, omnes urbes. Vid. adnott. ad II, 234. — **399**. „Intelliguntur *Locri Epizephyrii* in Bruttiis, Locrorum Opuntiorum colonia, quorum erat urbs Naryx vel Narycium, ex adverso Euboeae insulae sita. [Vid. ad Geo. II, 438.] Locros Ozolas urbis conditores fuisse, contendit Strab. VI. p. 259. Sed communior opinio altera illa. Vid. Cluver. Ital. p. 1001 sq. Sequitur vero poëta eam narrationem, qua ex Locris, Aiacis Oilei sociis, fuisse crediti sunt, qui, dispersa ad Caphareum promontorium classe, in Bruttios essent delati. Cf. Serv. Aliter Lycophr. 1141. 1148., ubi cf. Schol.“ Haec fere *Heyn.* Vid. etiam Geo. l. l. et Ovid. Met. XV, 705. ibique Bach. De Locris, Bruttii oppido (cuius reliquiae supersunt apud vicum *Motta di Burzano*), cf. praeterea Mela II, 4, 8. Plin. III, 5, 10. Liv. XXIX, 7, 3. alii et liber meus

Et Sallentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus; hic illa ducis Meliboei
Parva Philoctetae subnixa Petelia muro.
Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes
Et positis aris iam vota in litore solves,

---

geogr. III. p. 771., ubi etiam de conditoribus agitur. — **400.** *Sallentini* (nam sic, non *Salentini*, ex Codd. auctoritate scribendum esse docet Drakenb. ad Liv. IX, 42, 4. X, 2, 1. et ad Sil. VIII, 575.; quamquam etiam altera scriptura, Graecis usitata, a Romanorum more non prorsus aliena est; cf. liber meus geogr. III. p. 753. not. 13.), qui ad antiquos Messapios pertinebant, ad mare Adriaticum habitarunt in septentrionali Messapiae parte, peninsulae inter sinum Tarentinum, mare Ionium et mare Adriaticum sitae, quae nunc vocatur *Terra di Otranto*. (Cf. Plin. III, 5. 10. Mela II, 4, 2. 7. alii.) Hanc regionem mox insederunt Cretensium coloniae (Strab. VI. p. 281.), quas fuerunt qui *Idomeneum* Troia reducem, sed patria eiectum, eo duxisse arbitrarentur. (Cf. Varr. fragm. ap. Val. Prob. ad Ecl. VI, 31. ab Heyn. laud.) De *Idomeneo* dictum est supra ad v. 122., de epitheto *Lyctii* vid. ad Ecl. V, 72. — **402.** *Petelia* s. Petilia, oppidum in Bruttiis supra Crotonem situm (nunc *Strongoli*), quod *Philoctetes* ille, Poeantis fil. et Herculis comes a Sophocle celebratus, condidisse fertur, cum Troia redux patriam urbem, *Meliboeam* Thessaliae, seditione orta reliquisset. Cf. Strab. VI. p. 254. Tzetz. ad Lycophr. 55. et Serv. ad h. l. De Petelia autem vid. Plin. III, 10, 15. Melam II, 4, 8. Polyb. VII, 1. Ptolem. III, 1. alios, et librum meum modo comm. III. p. 775. Henry (Tw. years III. p. 28. et Philol. XI. p. 633.) nomen urbis a *petilus* (i. e. parvus, exiguus) deductum reddit per *Littletown* ideoque *parvam Petiliam* eadem ratione dictam putat, qua III, 693. *Plemmyrium undosum*, ibid. v. 698. *stagnantem Helorum*, et VII, 713. *Tetricae rupes montemque Severum* (ubi vid. adnott.). — *subnixa muro* vulgo paullo insolentius dictum putant pro: confisa, tuta muro, in quo nititur; sed rectius Serv. haec adnotat: „Alii *subnixam* ideo accipiunt, quia imposita est excelso muro, ut Coelius historicus ait;“ simulque memorat esse, qui non *Philoctetae Petelia*, sed *Philoctetae muro* coniungant, cum Cato, condita iam pridem civitate, a Philoctete murum tantum factum esse narret; eamque rationem sequitur Ladew., recte adversante Kappesio III. p. 17 sq., qui simul de voce *subnixus* ubique proprie intelligenda praeter Aen. I, 506. et IV, 216. (non 416., ubi tamen praeferenda lectio *subnexus*) imprimis conferri iubet Claud. VI. Cons. Hon. 49. *Subnixusque iugis immanibus aedes.* Henrico tamen ll. ll. *subnixa* nihil est nisi confisa, freta; simulque vir doct. profert opinionem, Vergilium hic in transitu laudare voluisse Peteliam ob fortissimam defensionem a Livio XXIII, 30. enarratam. — **403** sqq. „Exspectandum erat, ut in hanc Italiae oram appellerent Troiani et ex voto sacrum facerent. Hoc igitur certo ritu, *velato capite*, qui Romanorum mos erat, facere praecipit Helenus. - - Illustrationem loci pete ex v. 543. 545. Subest tamen etiam hic antiqua fabula de Diomedis vel Ulyssis in his locis occursu, quam Serv. h. l. attingit et olim variis modis tractasse videntur poëtae et pedestres scriptores. Vid. Plutarch. Qu. Rom. 11. 12. et Auctor de Orig. G. R. c. 12.“ *Heyn.* — *steterint*, ut supra v. 110. et ap. Liv. VIII, 32, 12. *Qui proxime forte tribunal steterant, orabant, ut parceret magistro equitum*, non a *standi*, sed a *sistendi* verbo, cuius Perfectum *steti* agnoscant Charis. p. 220. et Diomed. p. 369., deducendum esse docet Wagn., ut, cum *sistere* sit i. q. desinere currere, *classes steterint*, i. e. finem currendi fecerint, idem significet, quod *stabunt* in portum delatae. Cf. etiam Struvius *über d. lat. Declin. u. Conj.* p. 303. (Conington tamen illis Grammaticorum locis opponit Gellii II, 14. auctoritatem, qui verbi *sisto* unum modo Perfectum *stiti* agnoscat, quare Perfectum verbi *sto* etiam Perfecti *stiti* intransitive usurpandi vicem praestare suspicatur, cum *stiti* fortasse non nisi transitivam significationem habuerit; quod vix probari potest.) — **404.** *positis aris.* Cf. infra IV, 200. *Centum aras posuit.* — *in litore*, ad Castrum Minervae, supra Ia-

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignis in honore deorum
Hostilis facies occurrat et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto;
Hac casti maneant in religione nepotes.
Ast ubi digressum Siculae te admoverit orae
Ventus et angusti rarescent claustra Pelori,

---

pygium promontorium, ut apparet infra ex v. 531. De votis illo loco factis, quem primum Italiae attingunt Troiani navibus egressi, infra v. 543 sqq. sermo est. — *velare comas*. Aut Infinitivus Graecorum more (de quo praeter eos, quos Burm. ad Val. Fl. VI, 16. et Matth. Gr. Gr. §. 546. laudant, cf. ex recentioribus Stallbaum ad Plat. Rep. V. p. 473. a. Bremi ad Dem. Chers. p. 99, 39. Eichhof. *üb. d. Infin.* Crefeld. 1831. §. 16. Schmidt. *üb. d. Infin.* §. 25. et Kühner Gr. Gr. §. 644.) pro Imperativo positus, quae est Viri docti in Ephem. lit. Lips. 1814. ch. 60. p. 473, Gliemanni in Iahnii Novis Annall. Vol. III. fasc. I. p. 85. et Thielii sententia, dum Wagn. in Phil. Suppl. I. p. 376. hunc usum (quem Ladew. aliique etiam Geo. III, 335. Aen. II, 350. 707. et VII, 126. sibi videntur invenire et Thilo Proleg. p. XXV. etiam ap. Val. Fl. III, 412. defendit) Romanis omnino abiudicat; aut potius, quod nos cum Iahnio et Wagn. censemus, Imperativus Passivi ita positus, ut vicem Activi cum adiecto Pronomine vel personali vel possessivo sustineat (quemadmodum supra II, 707. *cervici imponere nostrae,* i. q. impone te), ut *velare comas* sit i. q. vela comas tuas, quemadmodum apud Ovid. Am. I, 1, 29. *Cingere litorea flaventia tempora myrto, Musa.* Cf. etiam Aen. III, 545. *capita velamur*, i. e. capita nobis velamus. De more autem velato capite sacra faciendi, ne malis ominibus sacrificii religio turbetur (vid. v. 407.), quem ritum Livius I, 7, 3. *Albanum* vocat et *Graeco ritui* opponit, ex quo sacrificantes aperto erant capite, cf. Varr. L. L. V. 130. Macrob. III, 5. extr. Plaut. Amph. I, 1, 101. Lucr. V, 1197. Liv. I, 32, 6. Ovid. Met. I, 381. Iuven. VI, 301. multosque alios locos. Scilicet hic quoque Vergilius Romanos mores ad heroica tempora transfert. Apud Lerschium Ant. Verg. p. 176. haec legimus: „In opere caelato Florentino Aeneas conspicitur capite velato sacrificans in *Reale Galleria di Firenze. Statue.* Vol. III. tab. 119.“ Ceterum cf. etiam adnott. ad Aen. VII, 612. — **406**. Verba *inter sanctos ignes* etiam leguntur in Anth. Lat. I, 170, 38. — *in honore deorum*. Vid. ad Geo. III, 486. — **407**. *hostilis facies*, adspectus, spectaculum. Putabant autem Romani sacra turbari, si quis impurus aut hostis interveniebat, quo viso sacrificantis animus a sacro poterat averti et sic piaculum committi; unde etiam illud *absint profani.* Thiel. conferri iubet Ochsner. ad Ecl. Cic. p. 433. — *occurrat*, oculis tuis. — *omina turbet*, ipsum sacrificium, quod turbatum adversa ominabatur, sinistrum et infelix reddat, quod hostili facie, verbis malo ominatis aliisque rebus infelicitatem significare creditis fieri solebat, ut Schirach. docet p. 624. Ceterum hic totus versus repetitur in Anth. Lat. I, 178, 55. — **408**. *morem sacrorum*, ut XII, 836. *morem ritusque sacrorum.* — **409**. *casti nepotes*, pro: pii in deos et sancti, qui abstinent a quovis piaculo. Cf. infra VI, 563. 661. VII, 71. Hor. Carm. Saec. 42. Tibull. III, 4, 43. Ovid. Met. XV, 675. Fast. I, 587. Cic. Tusc. I, 30, 72. pr. Rosc. Com. 7, 21. pr. Sext. 43, 93. cett. — *hac maneant in religione*, hunc ritum religiosum semper observent. — **410** sqq. „Flectendum in aditu freti Siculi et ad mare exterius avertendum cursum et, quo tutior ille sit, Siciliam totam obeundam, monet.“ *Heyn.* — **410**. *digressum* ab Italiae litore. — **411**. *angusti rarescent claustra Pelori* (pro pedestri angusta claustra Pelori), h. e. angustiae freti Siculi ad Pelorum promontorium, extremam Siciliae partem inter orientem et septentrionem (nunc *Capo di Faro* appellatum, de quo vid. Melam III, 7. Plin. III, 5, 8. alios et librum meum geogr. III. p. 781 sq.), quae clausae *apparent* e longinquo adnatantibus, propius venientibus paulatim aperiri

Laeva tibi tellus et longo laeva petantur
Aequora circuitu; dextrum fuge litus et undas.
Haec loca vi quondam et vasta convolsa ruina
— Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas —
Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret; venit medio vi pontus et undis
Hesperium Siculo latus abscidit arvaque et urbes
Litore diductas angusto interluit aestu.
Dextrum Scylla latus, laevum inplacata Charybdis

---

videntur. *Claustra Pelori* leguntur etiam in Prisc. Perieg. 480., ut *Claustra maris* ap. Tac. Hist. III, 43., et ibid. c. 2. *claustra montis*. Praeterea cf. de hac re Lucr. IV, 398 sqq. et Iustin. IV, 1. *Rarescere* prius cum ceteris interpretibus omnibus pro *sensim discedere et aperiri* positum esse opinatus sum; sed ex iis, quae Kappes III. p. 19 sqq. verissime disputavit, intellexi, hanc explicationem esse falsam et *rarescere* hic non aliter capiendum esse, quam ap. Lucan. III, 7., qui de discedente canit: *et dubios cernit rarescere montes*, i. e. sensim evanescere, e conspectu abire, ut oppositum sit verbis *aperiri* supra v. 275. et *patescere* infra v. 531., quod imprimis apparet ex verbis adiectis *longo circuitu*. Sententia igitur haec est: Si meridianam Italiae partem praetervectus Siciliae adpropinquas et claustra Pelori iam fere e conspectu amittis, noli dextrorsum adversus claustra illa navigare, sed longo circuitu sinistrorsum navigans totam Siciliam circumvehere, ut occidentale Italiae litus attingas. — **413.** Ad *undas* ex antecedentibus *dextras* repetendum esse patet. Cf. adnott. ad IV, 588. — **414.** De Sicilia ex vulgari veterum opinione terrae motu ab Italia avulsa (unde etiam Rhegii nomen videtur ortum: cf. liber meus geogr. III. p. 770 nota *)) praeter Gesner. ad Claudian. XXXIII, 140. Cluver. in Sicilia I, 1. Tzschuck. ad Melam II, 7, 14. et Gierig. ad Ovid. Met. XV, 290 sq. cf. quos laudavi in libro meo geogr. III. p. 778 sq. — *ruina*, scil. terrae, i. e. terrae motu lapsum eius efficiente, ut alibi de nubibus diruptis *caeli ruina* (Aen. I, 129. Silius I, 251. cett.) et *poli ruina* (Val. Fl. VIII, 334.). Respexit autem hunc locum Prisc. l. l. v. 486 sq. *Traditur hic pelagi diruptos viribus olim Excepisse fretum terras cogente ruina.* — **415.** *aevum* i. q. tempus. Vid. ad II, 435. Claud. in Eutrop. II, 244. hunc versum sic imitatur: *Sed quid non longa valebat Permutare dies?* — **416.** *protinus* (i. e. porro tenus, continue, συνεχῶς) *una* sunt coniungenda, ut significetur terra continens; *protinus* enim interdum dicitur de locis serie continuata cohaerentibus. Cf. Plin. Epist. V, 6. med. Tac. Germ. 43. extr. Voss. ad Ecl. I, 13. Lambin. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 12, 8. Heinr. ad Iuven. IV, 46. et Hand. Tursell. IV. p. 621 sq. Ceterum Heyn. et Iahn. *protenus* ediderunt, sed vid. adnott. ad Ecl. I, 13. — **417.** *venit medio* (in medium) *vi pontus*, Heyn. comparat Val. Fl. I, 589. *cum flens Siculos Oenotria fines Perderet et mediis intrarent montibus undae.* Duo Codd. hic praebent *medio venit*, quare Peerlk., coll. Aen. I, 348., suspicatur, olim lectum fuisse *medius venit inter pontus*. Conington, qui *medio* non Dativum, sed Ablativum loci habet, *medius*, quod exspectemus, non scriptum esse putat, ne parum numerose (*less euphonious*) verba caderent. — **419.** *litore diductas*, mari irrumpente disiunctas, quod non minus ad arva, quam ad urbes pertinere, in promptu est. Noli tamen cum Heynio putare *litore diductas* idem significare posse, quod *mari diductas;* immo *litore* significat: quod attinet ad litus, litoris ratione habita; quod recte perspexit Conington. Plurimi Codd., etiam Med., *deductas* (i. e. mari interluente in alium locum demotas), perperam. Vid. ad Aen. I, 211. Veram lectionem servarunt Pal., Gud., unus Paris. et Senec. Qu. N. VI, 29. — *angusto aestu*, aqua in angustiis freti aestuante. — **420** sqq. ex Hom. Od. XII, 73 sqq. et 224 sqq. sunt petiti. Variorum scriptorum locos de Scylla et Charybdi agentes collegit Cluver. Sicil. I, 5. Ex vulgari fabula *Scylla* fuit Neptuni et Crataeidos Nymphae filia (Hom Od. l. l. coll. Ciris v. 65.), quamquam alii alios parentes (Phorcyn et Hec

Obsidet atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus rursusque sub auras
Erigit alternos et sidera verberat unda.
At Scyllam caecis cohibet spelunca latebris
Ora exsertantem et navis in saxa trahentem.
Prima hominis facies et pulchro pectore virgo

---

ten Apollon. IV, 828., Typhonem et Echidnam Hygin. praef.) ei tribuunt, alii denique cum Nisi illa filia eam confundunt, de qua vid. ad Ecl. VI, 74. Vergilius posteriores sequitur mythographos, qui Scyllam antea virginem pulcherrimam fuisse narrant, cuius, a se frustra amatae formam Glaucus, deus marinus, Circes artibus ita corrumpendam curaverit, ut, cum prope mare se lavaret, ex inferiore corporis parte rabidi canes enascerentur, puellam autem id sentientem in mare se praecipitasse, ubi in monstrum illud conversa praeternavigantes alliciat et devoret. *Charybdis* autem perhibetur Neptuni et Terrae filia, quae ob nimiam voracitatem Iovis fulmine icta et in illum maris Siculi locum depulsa sit. Vid. Hom. Od. XII, 101 sqq. 224 sqq. Ovid. Met. XIII, 732. XIV, 591. Tibull. III, 4, 89. Heyn. ad Apollod. p. 85. et Cluverii Sicilia I, 5. (Cf. etiam Ecl. VI, 74. ibique adnott.) Iam si missis antiquorum fabulis res, quae vere sunt, consideramus, Charybdis nihil aliud est, quam freti Siculi vortex, vel potius maris concitati fluctus, qui, si quando vehementiores venti ab austro exoriuntur, in illo angusto freto compressi et inter se collisi naves circumclusas demergunt et quasi absorbent (qui locus nunc *Calofaro* dicitur); Scylla autem altus scopulus navigantibus periculosissimus, Charybdis vortici ad Scyllaeum oppidum versus oppositus et minoribus scopulis cinctus, ad quem, olim fortasse magis, quam nunc, humanae formae similitudinem aliquam referentem, fluctus ventorum vi allisi et fracti sonum horrendum et canum latratui similem edunt (nunc *Sciglio* vocatus). Cf. quae scripsi in Pauly *Realencycl.* VI. p. 893. — ***inplacata***, i. e. inplacabilis (vide supra ad v. 275.), saeva. Sic apud Ovid. Met. VIII, 845. *inplacata gula* pro voracitate non explenda. Praeterea autem hoc Adiect. nusquam videtur inveniri. Ovid. Met. XIII, 730. hunc locum ad verbum fere repetens pro eo posuit *irrequieta*. Ceterum *dextrum* et *laevum* (vel *laevom*, ut Haupt. et Ribbeck. scribunt) *latus* Helenus dicit respectu habito ad Aeneae cursum, qui ab oriente veniens per mare Siculum navigat. — ***ter***. Hom. Od. XII, 105. τρὶς ἐπ' ἤματι. Heynio, altero loco 239 sq. Homerum hoc omittere memoranti, Wund. respondet, ibi Homerum illud non potuisse repetere, cum Ulysses, in vorticoso conflictatus freto, non totum ibi diem consumserit, ut ter id fieri animadvertere posset. Ceterum cf. adnott. ad Aen. II, 792. — **422** sq. Cf. Hom. Od. XII, 236—239. ***Sorbet in abruptum***, in profundum, praeceps (*in die jähe Tiefe*). Alibi *abruptum* et *abrupta* substantive de montibus abruptis dici solet (Flor. II, 12, 4. Plin. H. N. II, 63, 63. cett.); apud Statium autem Theb. III, 262. etiam *caeli abrupta* commemorantur. Verbum *sorbendi* de mari etiam apud Curt. IV, 10, 19. et alibi legitur. Praeterea cf. supra I, 105—108. Wagn. confert contrarium illud de typhone ap. Plinium II, 48, 133. *sorbet in excelsum.* — **423**. ***erigit*** (ἀνίησιν Hom.), facit, ut in altum adscendant, proiicit in altum. Cf. infra v. 576. et IX, 239. cum Ovid. Met. XI, 497. *Fluctibus erigitur caelumque aequare videtur Pontus et inductus adspergine tingere nubes*, cuius loci postrema verba respondent his ***sidera verberat unda***. Vid. etiam infra v. 564 sqq. et Valcken. ad Eur. Hipp. 1206. a Thielio laud. — **424** sqq. „Cf. Odyss. XII, 93 sqq. Prominere ait Scyllam spelunca superiore corporis parte et naves ad se attrahere.“ *Heyn*. Vid. Ovid. Met. XIII, 731 sqq. et XIV, 59 sqq. Hygin. f. 125. — ***caecis latebris***, obscuris. Vid. ad II, 19. — **425**. ***Ora exsertantem***. Rarius invenitur hoc verbum frequentativum. *Linguam exsertare* dixit Claudian. ap. Gell. IX, 13. et *humeros exsertare*, i. e. nudare, Stat. Theb. I, 413. — **426**. De triformi Scylla vid. infra ad v. 428. et cf. Ausonii Gryphus 83. in Wernsd. *Poët. L. min.* VI. p. 597. *Scylla triplex, commissa tribus, cane, virgine,*

Pube tenus, postrema inmani corpore pistrix
Delphinum caudas utero commissa luporum.
Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem longos et circumflectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam et caeruleis canibus resonantia saxa.
Praeterea, si qua est Heleno prudentia, vati

---

pisce. — *Prima - - postrema*, superiore - - inferiore corporis parte. Eadem ratione infra IX, 27. *prima* et *postrema acies* sibi opponuntur. — **427**. *pistrix* Heins. ex optimis Codd. revocavit. Alii *pristrix;* Palat. *pristis*, quam formam, quoties nomen est navis (infra V, 116. 154. 156. 187. 218.), etiam Medic. ubique exhibet, X, 211. autem, ubi metrum alteram formam non admittit, etiam de bellua marina usurpatam videmus. Et sane usitatior est haec forma (Val. Fl. II, 591. Plin. H. N. IX, 3, 2. 4, 3., quo teste in Indico mari *pristes* (*Wall-* aut *Haifische?*) *ducenum cubitorum* inveniuntur, Flor. III, 5, 16. Arnob. III. p. 149. Harald.); sed minus usitata, ubi Codd. favent, in carmine praeferenda, ut ap. Cic. Arat. 396. (152.) et 521. (275.). Alia res est, ubi navis est nomen, ab insigni s. παρασήμῳ illius belluae deductum; ibi enim ab usitata et vulgari appellatione poëtam fortasse discedere noluisse, iam Wagn. memorat, qui de utraque nominis forma agentem laudat Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. p. 358. et II. p. 104 sq., cui adde Ritschl. in Mus. Rhen. VII. p. 555 sq. et Ribbeck. in Fleckeisenii Ann. phil. LXXVII. p. 190 sq. Iahn. ad hunc versum conferri iubet Weichert. de Medea oestro percita p. 7. — **428**. Corpus superne virgineum desinebat in belluam marinam cum luporum marinorum (qui infra v. 432. *canes* vocantur: cf. Odyss. XII, 96. 97. et Wakef. ad Lucr. V, 890.) protomis, sed delphinorum caudis. Cf. Heynii Exc. IV. ad Ecl. VI, 75. Lucr. V, 890. Ovid. Met. XIII, 732. Tibull. III, 4, 89. — *commissa caudas*, i. e. commissas, adiunctas habens caudas, ut I, 320. *nodo sinus collecta*, ubi vid. adnott. coll. iis, quae ad Ecl. I, 54. adscripsimus. Cf. autem Ausonii versus supra laud. et Manil. I, 409. de Centauro: *Pars hominis, tergo pectus commissus equino*. Conington confert Iuven. XIV, 310. *eadem* (domus Cynici, dolium) *plumbo commissa manebit.* — **429**. *metas lustrare Pachyni*, circumnavigare Siciliae promontorium australe (nunc *Capo Passaro* dictum, de quo vide librum meum geogr. III. p. 782.), quod est instar metae. Heyn. confert Hom. l. l. v. 109. et 110. — **430**. *cessantem*, tarde et provide procedentem, non strenue recta via pergentem, sed morantem in navigatione. Patet autem, hoc Participium ad utrumque membrum sententiae referendum esse et propterea primum versus locum obtinere. Cf. adnott. ad Ecl. VII, 50. et Geo. I, 477. — *circumflectere longos cursus*, quae verba iterantur V, 131., ut ibid. v. 28. *flecte viam velis*. Translatum est hoc verbum a circo, ubi aurigae providendum erat, ut currum scite *circum metam flecteret*. (Cf. liber meus *Hellas u. Rom* P. I. Vol. I. p. 332. et 339 sqq.) Imitatus videtur hunc locum Prudent. Apoth. 204. *anceps labyrinthus et error circumflexus*. — De Copula postposita vid. ad Ecl. I, 34. — **431**. *informem*, deformem. Vid. infra v. 658. Ecl. II, 25. etc. — „*vidisse Scyllam*, modus loquendi ab Homero ductus l. c. v. 87. 88. et saepe.“ *Heyn.* — *caeruleis canibus*, nigris. Vid. ad Aen. III, 64. — **433**. sq. Iunonem ante omnia placandam esse praecipit. Cf. infra v. 546. 547. Heyn. confert Apollon. II, 423., ubi Phineus Iasoni simile dat praeceptum. — Plures Codd. verba sic iungunt: *si qua est Heleno prudentia vati, Si qua fides*. Sed vulgarem verba distinguendi rationem, quam nos cum ceteris editoribus secuti sumus, Servius his verbis firmat: „In homine enim prudentia est, in vatibus fides.“ Gossr. tamen haec adnotat: „*prudentia* s. providentia est, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit. Cf. Cic. Inv. II, 53, 160. et N. D. II, 22, 58. Quare non opus est ut discerpamus verba et prudentiam Heleno, fidem vati attribui dicamus.“ Unus Moret. 1. pro *vati* exhibet *fati*, quod si verum esset, Heins. cum *fides*, Conington rectius cum *prudentia* coniungendum

Si qua fides, animum si veris inplet Apollo,
Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum
Praedicam et repetens iterumque iterumque monebo:
Iunonis magnae primum prece numen adora;
Iunoni cane vota libens dominamque potentem
Supplicibus supera donis: sic denique victor
Trinacria finis Italos mittere relicta.

---

censet. — *Heleno*, mihi. Vid. ad I, 48. II, 70. etc. — V. **434**. iteratur in Anth. Lath. I, 172, 3. — *veris* scil. oraculis. Thiel. conferri iubet Tibull. III, 4, 77. *Quod si vera canunt sacris oracula templis*, Conington autem Hor. Sat. II, 3, 305. *Liceat concedere veris*. — Peerlk. adnotat: „Apollo *implet animum veris*, pro: verum me vatem fecit. *Verus*, ut ἀληθής, cognitum in hac re. Cf. Burm. ad Val. Fl. V, 4.“ — **435**. *proque omnibus*, i. e. loco omnium reliquorum; reliqua omnia taceam tamquam levia, si cum hoc uno comparantur, quod est instar omnium, ut, si cetera observet Aeneas, hoc unum autem negligat, neque illa quidquam ei sint profutura. Wagn. comparat infra XII, 229. Cic. ad Att. II, 5. *Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum millibus*, et ibid. XI, 9, 3. *Quibus in miseriis una est pro omnibus*. Alii Codd. minoris pretii exhibent *prae*, quod praefert Hand. Tursell. IV, p. 581., sine iusta causa dubitans, num *unum pro omnibus* significari possit i. q. unum loco omnium. Particulas autem *pro* et *prae* saepissime confusas esse docet Goerenz. in Iahnii Annall. I. p. 328. Verba *proque omnibus unum* repetuntur etiam in Anth. Lat. I, 178, 220., ut sequentia *repetens iterum iterumque monebo* ibid. v. 101. — **436**. Hunc locum ante oculos habuerunt Quinct. Inst. Or. II, 13. *Equidem id maxime praecipiam ac repetens iterum iterumque monebo* et Stat. Theb. XII, 100. *Quare iterum repetens iterumque edico*, qui loci, collati cum Aen. II, 770., ubi Med. aliique Codd. etiam *iterum iterumque* praebent, Hor. Sat. I, 10, 39. etc., aliquam probabilitatem conciliant alteri lectioni *iterum iterumque monebo*, quam multi Codd. exhibent. Ceterum cf. Hand. Turs. III. p. 530 sq. — **437**. *primum*, ante ceteros deos, ut IV, 342. et VII, 136. Cf. etiam V, 746. VI, 183. XI, 786. XII, 33. Interdum *ante omnes* adiicitur, ut II, 40. (ubi vid. adnott.) et V, 540. — *Iunonis numen*. Vid. ad I, 8. et 48. — **438**. *canere vota*, i. e. vota facere, quae, formula quadam sollemni, *carmine*, concepta, iure *cani* dicuntur. Cf. Hor. Ep. II, 1, 138. *carmine Dî superi placantur, carmine Manes*. Ovid. Trist. II, 22. *Exorant magnos carmina saepe Deos*, et Claud. Ep. ad Seren. II, 61. *Ut tibi Pierides doctumque fluens Aganippe Debita servato vota cliente canant*. — „*libens* est in formulis sacris προθύμως, ideoque nec parce, nec supine.“ *Heyn*. Cf. Brisson. de formulis I. p. 33. Sic etiam *volens* infra VIII, 275 et X, 577. — 439. *supplicibus supera donis*, vince, expugna sacrificiis, ut ira eius placetur. Cf. VIII, 61. Sic alibi *vincere* aliquem precibus, beneficiis etc. (Ovid. Met. I, 377. Sall. Iug. 9. Curt. VI, 8, 7. etc.) De ipsa re cf. Ovid. A. A. III, 653. *Munera, crede mihi, capiunt hominesque deosque: Placatur donis Iuppiter ipse datis*. — *dominam*, δέσποιναν, ἄνασσαν. Deos enim deasque haud raro dominos et dominas vocari, satis notum. Sic eadem Iuno Ovidio Am. III, 13, 18. et Claudiano l. l. v. 21., Isis Iuvenali VI, 530., Phoebe Manilio II, 922., Cybele ipsi Vergilio supra v. 113., Catullo LXIII, 91. et Val. Flacco III, 23., Proserpina Maroni infra VI, 397., Venus Ovidio A. A. I, 148., Iupiter Tibullo I, 3, 49. cett.; *potens* autem proprium est deorum epitheton. Cf. infra v. 528. Hor. Od. I, 3, 1. eiusd. C. Saec. 1. Catull. XXXV, 15. et Triller. ad Lucan. X, 194. a Thielio laud. — *victor*, quia antea dixerat *supera donis*. *Victor* enim est post tot pericula et casus voti compos. Vid. Ecl. IX, 5. Aen. II, 95. 329. VIII, 62. X, 409. XI, 565. et Burm. ad Petron. c. 112. — **440**. *mittere:* fato, Deorum voluntate dimitteris in Italiam, novam patriam adibis. De omissa Praepositione vid. ad Aen. I, 2. — Ceterum *Heyn*. *haec adnotat:* „Vides in his poetae artem. Praestruit enim sibi de-

Huc ubi delatus Cymaeam accesseris urbem
Divinosque lacus et Averna sonantia silvis,
Insanam vatem aspicies, quae rupe sub ima
Fata canit foliisque notas et nomina mandat.
Quaecumque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum atque antro seclusa relinquit.
Illa manent inmota locis neque ab ordine cedunt;
Verum eadem, verso tenuis cum cardine ventus
Inpulit et teneras turbavit ianua frondes,

---

scensum partim ad tempestatem lib. I. Iunonis fraude excitatam, partim ad Didus amores, quibus Iuno impeditum Aeneam retinere in Libya volebat, et ad incendium classis l. V, 604." — **441**. *Cymaea* (vid. ad Ecl. IV, 4.) *urbs*, ut saepissime *Romana urbs* et similia. De *Cumis* autem, nobilissimo Campaniae oppido octo millia passuum a Neapoli occidentem versus ad mare sito et antiquissima omnium coloniarum a Graecis in Italia conditarum, cuius reliquiae inter lacum *di Patria* et *Fusaro* inveniuntur, vid. librum meum geogr. III. p. 731 sq. — **442**. *Divinos lacus et Averna*, i. e. Avernum lacum, de quo vid. supra ad v. 386. De epexegesi autem per simplicem Copulam addita vid. ad Ecl. III, 34. Geo. I, 498. Aen. I, 27. 30. II, 722. al. — *divinos*, sacros, Diti fortasse, quia hic lacus cum inferis cohaerere perque eum descensus ad Orcum patere putabatur. Burm. hoc epitheton eodem sensu accipiendum censet, quo alibi *divinos fontes* et similia, coll. Broukh. ad Prop. I, 18, 27. et adnot. sua ad Ovid. A. A. III, 452. *Averna* absolute, ut etiam infra V, 732. et VII, 91. Apud Lucr. VI, 740. *Averna loca lacusque* coniunguntur. — *sonantia silvis* satis recte, nisi fallor, *Heyn*. explicat „sonantia silvae strepitu, qua ille lacus erat inclusus;" ut sit „i. q. in vulgari oratione: *Avernum inter silvas sonantes*, translato strepitu silvarum ad lacum, quem eae circumdant." Nam Geo. IV, 493. hic lacus *Averna stagna* vocatur, omninoque notio nigrae et immotae eaque ipsa de causa putentis aquae magis convenit pestiferae eius et horrificae naturae, quam fluctus sonantes. Cf. etiam VI, 238., ubi *Sibyllae spelunca* commemoratur *tuta lacu nigro nemorumque tenebris* et ibid. v. 704. *seclusum nemus et virgulta sonantia silvis* (ubi vid. adnott.). — **443**. *Insanam vatem*, ἐνθουσιάζουσαν, ἔνθεον, vel, Servio interprete, *deo plenam*, de qua dicendi formula tamquam Vergiliana multa ad h. l. disputavit Peerlkamp. Cf. adnott. ad II, 345. De ipsa Sibylla vid. infra ad VI, 10. — *rupe sub ima*, in antro montis; infra v. 450. *cavo saxo*. Cf. etiam VI, 11. *antrum inmane* Sibyllae. — **444**. *Fata canit* (cf. VIII, 499. et X, 417.) *foliis notas et nomina mandat* (cf. VI, 74.), i. e. *notas*, literas, et *nomina*, verba (vid. Geo. III, 158.), *foliis mandans*, inscribens (ut ap. Cic. Acad. IV, 1. *monumentis mandare* et saepe *scriptis, versibus mandare* cett.), canit fata; de quo usu duorum verborum per Copulam coniunctorum loco unius Verbi finiti cum Participio alterius vid. adnott. ad Ecl. VI, 20. Geo. II, 56. al. Ceterum *Heyn*. adnotat: „Refert autem fabula ultimam antiquitatem, cum foliis arborum pro charta uterentur homines. Tunc etiam antra erant pro domibus." Cf. etiam infra VI, 74. Interp. ad Iuven. VIII, 126. Dissen. ad Tibull. II, 5, 17. et Niebuhr. in Hist. Rom. T. I. p. 360 sqq. de Sibyllinis libris ingeniose disputantem. — **445**. *carmina*, vaticinia. Vid. Ecl. IV, 4. et supra ad v. 438. — **446**. *Digerit in numerum*, disponit in ordinem, ut patet ex v. 447.; spectat autem ordinem rerum a se praedictarum, quo temporis decursu se excepturae sint., Vid. ad II, 182. — **448**. *eadem* aut Accusativus esse potest ad carmina, aut Nominativus ad Sibyllam referendus; illud tamen, si totius loci conformationem spectamus, videtur probabilius. — „*tenuis ventus*; ornat epitheton, a natura venti sumptum." *Heyn*. Immo sic accipias: vel tenui aura ianuam aperiendo immissa opus est ad folia turbanda. — *verso cardine*, ianua aperta, intrante vel exeunte Sibylla aut alio quovis, qui eam invisit. Vid. add. ad I, 449. — **449**. *Inpulit*. Cf. Geo. IV, 305. *Ze-*

Numquam deinde cavo volitantia prendere saxo
Nec revocare situs aut iungere carmina curat;
Inconsulti abeunt sedemque odere Sibyllae.
Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti,
Quamvis increpitent socii et vi cursus in altum
Vela vocet possisque sinus inplere secundos,
Quin adeas vatem precibusque oracula poscas.

---

phyris inpellentibus undas. — **450.** *deinde* antecedenti *cum* (v. 448.) eadem ratione respondet, qua infra v. 464. *dehinc* et VI, 890. *exin* praegresso *postquam.* Cf. Iahn. infra ad v. 609. — *cavo saxo,* in antro, per antrum. — **451.** *Nec revocare situs - - curat,* restituere ordinem foliorum, unum quodque in suum locum reponere. — **452.** Folia sic turbata efficiunt, ut carmina Sibyllae non intelligantur; quare, qui intraverant Sibyllam consulturi, *inconsulti abeunt,* i. e. sine consilio (*unberathen, rathlos*). Adiectivum autem *inconsultus* hac quidem signif. (cui non consultum est: cf. Nonius p. 125.) usurpatum alibi non videtur inveniri, sed aut eum significat, qui non rogatus est consilium, sententiam, aut eum, qui consilio non utitur, sed temere, incaute, imprudenter agit. Henry (*Tw. years* III. p. 31. et Philol. XI. p. 633 sq.) explicat per ἀμήχανοι, „nullius consilii, qui nesciunt, quid facere oporteat", coll. Lucan. I, 495. *Turba per urbem - - - inconsulta ruit* et Grat. Cyn. 4. *Inconsulti homines vitaque erat error in omni.* „Fabulae igitur ea subest ratio, quod Sibylla scripto, non ore, edidit vaticinia, quodque illa plerumque erant obscura, turbata et vix mente assequenda." *Heyn.* — **453** sqq. Heyn. docet, colorem orationis illustrari posse comparato loco Callim. in Del. 318. — *Dispendium,* quod opponitur compendio, proprie est sumptus, deinde detrimentum, iactura, *mora* autem est tempus, quod morando consumitur. Sententia igitur haec est: Noli vel maximam temporis iacturam *tanti* facere, tantum incommodum ducere, ut inconsulta vate tibi abeundum putes. De verbis *tanti esse* in eiusmodi locis usurpatis vid. Bach. ad Ovid. Met. II, 424., qui comparat Prop. I, 6, 13. III, 12, (IV, 11,) 3. et Valcken. ad Eur. Hipp. p. 202. cum nostro loco conferentem Calpurn. Ecl. V, 36 et Claud. in Ruf. II, 249. — **454.** *increpitent. Increpare* est aut excitantis, aut vituperantis. Hic utraque signif. coniungitur. Socii cogitantur vituperantes Aeneam ob temporis iacturam et excitantes ad iter denuo ingrediendum ac continuandum. Vituperandi sensu legitur hoc verbum e. g. Geo. IV, 438. Sil. VIII, 264. Val. Max. III, 3. ext. 2., excitandi supra Aen. I, 738. alibi. — „*Vocant aurae vela* supra v. 356., cum ventus secundus spirat. Quoniam talis ventus cursum facit et ad navigationem instituendam vocat, ipse *cursus* (secundus) vela vocat *vi,* βίῃ, βίηφι, h. e. σὺν βίᾳ, βιαίως, vehementer." *Heyn.* Wakef. ad Lucr. VI, 134. temere coni. *Caurus* pro *cursus;* in ipsa autem Vergilii edit. locum sic constituit: *et vi rursus in altum Vela vocent;* et Peerlk. coni. *et te rursus in altum V. vocent.* Pluralem *vocent* utique plures Codd. (etiam Med. et Pal. a m. sec., Gud., Bern. I. et Bern. III. a m. pr.) exhibent, sed videtur a librariis antecedenti Plurali *increpitent* accommodatus esse. Cf. Wagn. Qu. Virg. VIII, 2, a. Ceterum negari nequit, paullo clarius scribere potuisse Vergilium. — **455.** *sinus secundos,* vela secundo vento inflata. *Sinus* a vestibus transfertur ad vela. Cf. infra V, 16. 831. Ovid. A. A. III, 500. id. ex P. IV, 8, 73. Tibull. I, 3, 38. cett. — **456.** Prius cum Wakef. Bothio et Iahnio (quibus etiam Conington adsentitur) Punctum vulgo post *poscas* positum sustuleram, ut sensus esset: *poscas precibus,* (ut) *ipsa oracula canat;* cum sequantur haec: *Illa tibi - - - expediet* et Helenus non solum optet, ut Sibylla ipsa canat, sed Aeneam velit excitare, ut precibus eam fatiget, donec ipsa *ora resolvat,* non foliis tantum, ut soleat, vaticinia mandet, imprimis vero cum etiam in loco parallelo VI, 74 sqq. legamus *ipsa canas oro.* (*Ipsa* enim hic est nostrum *mit eignem Munde,* ut Ecl. III, 69. Aen. V, 867. VI, 302. XII, 90. *mit eigner Hand* cett. Cf. etiam Wagn. Qu. Virg. XVIII. p. 466. et adnott. ad Ecl. l. l. et Geo. III, 395.) Cum tamen Coniunctivo *canat* etiam iubendi notio inesse possit (iube,

Ipsa canat vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiae populos venturaque bella
Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet cursusque dabit venerata secundos.
Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri.
Vade age et ingentem factis fer ad aethera Troiam."
Quae postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto
Imperat ad navis ferri stipatque carinis

---

ut ipsa canat), cumque festinationi sociorum ipse quidem aditus Sibyllae bene opponatur, non vero ratio, qua illa oraculum edat, versus autem 457. omissa poetarum more Particula transeundi *sed* subiectus videatur, quae hic eo facilius omitti potuerit, cum iam in Pronomine *Ipsa* quaedam adversandi opponendique vis insit, nunc cum Wagn. ceterisque recentioribus editoribus praeter Coningtonem Punctum restitui. — *volens*, parato ad gratificandum animo. Vid. Aen. I, 733. (ibique adnott.), V, 712. VII, 216. VIII, 133. et XII, 203. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 30, 16. et Thiel. ad Aen. X, 677. — *ora resolvat.* Vid. ad Geo. IV, 452. — **458**. *Illa tibi* cett. Haec vere a Sibylla vaticinari, videbimus infra VI, 83 sqq., ubi tamen non satis diserte exposita apparere verba *Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,* Heyn. docet. — **459**. *fugiasque ferasque* Wagn. Qu. Virg. XXXIV, 1. recte interpretatur: vel fugias, vel feras. De simplici Copula pro Particulis disiunctivis posita vid. ad Geo. I, 442. et Aen. II, 36. Ceterum hic versus iteratur infra VI, 892. secunda modo Verbi Persona in tertiam mutata. — **460**. *Expediet*, exponet, enarrabit. Cf. Geo. IV, 286. Aen. XI, 315. Cic. N. D. I, 4, 7. Sall. Iug. 5. Tac. Ann. IV, 1. etc. Plenius *expedire dictis* supra v. 379. et VI, 759. — *venerata* passive pro invocata et rogata, ut ap. Hor. Sat. II, 2, 124. Appul. Met. IV, II. p. 263. Ammian. XXII, 23. alibi; de quo passivo Deponentium usu diximus ad Ecl. IX, 53. Cf. etiam Neue *Formenl.* II. p. 248. *Venerari* pro invocare et rogare legitur v. c. apud Plaut. Rud. V, 2, 62. *Venus, veneror te, ut omnes miseri lenones sient.* — *dabit cursus secundos*, monstrabit, docebit rationem, qua cursus prorsus obtineri possit. Cf. adnott. ad Ecl. I, 19. (et supra ad v. 85.) — V. **461**., quocum cf. supra v. 379., iteratur in Anth. Lat. I, 172, 131. eiusque ultima verba *liceat te voce moneri* ibid. I, 178, 67. — **462**. *Vade age*, (Homeri *βάσκ' ἴθι*) ut infra IV, 223. et V, 548. Vid. ad I, 627. et supra ad v. 169. — Epitheton *ingentem* per prolepsin dictum Gossravio arcte cohaerere videtur cum verbis *fer ad aethera*, ut non solum magnitudo urbis spectetur, sed sensus sit: fac, ut gloria ingens Troia ad astra tollatur; quod probo. *Factis* igitur non coniungendum est cum *ingentem*, ut Wagnero videtur, qui locum sic explicat: „Redde Troiam factis ingentem, ut laus eius ad caelum efferatur", sed cum *fer ad aethera*, quae etiam Coningtonis est sententia, comparantis X, 468. *famam extendere factis.* Codd. aliquod deterioris notae exhibent *fatis*, quod Heynio temere videtur praeferendum. — *ferre ad aethera*, quod alibi *ad caelum, ad sidera ferre*, i. e. illustrem, claram, celeberrimam reddere, ita ut gloria alicuius ad caelum usque efferatur. Cf. I, 287. ibique adnott. — **463** sqq. De muneribus hospiti ab hospite datis Heyn. conferri iubet Hom. Od. I, 311 sqq. et XIII. pr. — **463**. Ribbeck. scripsit *posquam*. Vid. adnott. ad Ecl. I, 30. cum add. — Verba *sic ore effatus amico est* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 61. — **464**. *dehinc*, (quod hic est bisyllabum, ut Geo. III, 167. et alibi, saepius autem monosyllabum: vid supra ad I, 131.) antecedente *postquam*, Homerico dicendi genere. Similiter supra v. 192 sqq. *Postquam - - tum.* Cf. etiam adnott. ad Aen. II, 391. (et infra ad V, 14.) — *Dona auro et elephanto gravia*, multo auro et ebore ornata. Cf. supra I, 728. *Graviă*, ultima syllaba arsis vi producta, de qua re vid. adnott. ad Ecl. I, 38. VI, 53. alibi. Syllabae in vocalem exeuntes (praeter Copulam *que*, de qua vid. ad Ecl. IV, 51.) sic producuntur a Vergilio hic et Aen. XII,

Ingens argentum Dodonaeosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem
Et conum insignis galeae cristasque comantis,
Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.
Addit equos additque duces;

---

648. Lachmann. tamen ad Lucr. II, 27. p. 76. hunc usum negans coniicit *gravia a sectoque elephanto*, ut ap. Tibull. I, 7, 61 pro Codd. lectione *Te canit agricolā, magna cum venerit urbe* ex eius sententia nunc editur *e magna*. — *sectoque elephanto*. Heyn. comparat Homericum *πριστοῦ ἐλέφαντος* Od. XVIII, 196. XIX, 564, *Secare* verbum proprium est de rebus, quae in tenues lamellas dissecantur, veluti de citro, terebintho et de ipso ebore apud Plin. H. N. XVI, 44, 84. *dentes elephanti secare lignumque ebore distingui*. Sic de corio supra I, 212. et ap. Iustin. XVIII, 5. De *elephanto* pro ebore posito vid. ad Geo. III, 26. — **466**. *stipat carinis Ingens argentum*, magnam copiam vasorum argenteorum in navem imponit. De constructione horum verborum vid. supra ad I, 195., ubi legimus *vina cadis onerare*, et Rupert. ad Liv. I, 44, 6., de *ingente* autem *argento* adnott. ad Aen. I, 640. — *Dodonaeos lebetas* Heyn. interpretatur: quales sunt in templo Iovis Dodonaei, ut *Dodonaeos* non nisi ornans sit epitheton. Wagn. autem, coll. Dionys. I, 32., Vergilium Graeco aliquo poeta auctore *lebetas* ita appellasse suspicatur, qui Helenum audivisset Dodonae consedisse. Lebes (*λέβης*) proprie est vas aereum ad manus lavandas (vel etiam ad coquendos cibos) destinatum (Isidor. Orig. XX, 8.) et a *λείβειν* dictum, quia aqua ei infundebatur. (Vid. Aen. V, 266. Ovid. Met. XII, 243. eiusd. Her. III, 31. cett.) Dodonae autem in quercubus sacri nemoris suspensi erant eiusmodi lebetes, e quorum sonitu, si pulsabantur, sacerdotes vaticinari solebant. (Cf. loci ab Ungero de Valgio Rufo p. 193 sqq. collecti.) Cum alii oracula per columbas edita fuisse perhibeant, sunt etiam, qui utramque narrationem sic coniungant, ut Mythogr. II, 227. p. 150, 5. scribat: *Dodona civitas est Epiri. Iupiter hic responsa dabat per columbas aereas* et Schol. Lucani III, 180. p. 199. *In Chaonio nemore supra quosdam quercus in aereis ollis columbae, quae dabant responsa*. (Cf. Unger p. 195.) — **467**. „*Loricam consertam hamis auroque*, h. e. catenulis se invicem mordentibus, *ἁλυσιδωτόν*; *trilicem*, h. e. iisdem hamis triplicatis et quidem aureis. Ductum a textura, cum trinis filorum ordinibus textum fit, *τρίμιτον*. Cf. infra [III, 467. et] V, 259. [ubi eadem verba repetuntur] VII, 639. [Val. Fl. III, 199. Martial. XIV, 143, 1. cett.] Adde XII, 375. *bilicem loricam*.“ *Heyn*. Imitatus est hunc locum Silius II, 401. *textam nodis auroque trilicem Loricam* et respexit haud dubie auctor Medeae in Anth. Lat. I, 365. *coronam Consertam squamis serpentum*, ex quibus locis, coll. Aen. VII, 639., etiam patet, coniungenda esse verba *consertam hamis* et *auro trilicem*, non, ut Heynio placuit, *Loricam trilicem, consertam hamis auroque*. — **468**. *conum cristasque galeae* pro tota galea, commemoratis iis galeae partibus, quae maxime eam commendant. — *comantes*. Vid. ad II, 391. — **469**. *arma Neoptolemi*. Vid. supra v. 333. coll. cum II, 470 sqq. — *sua dona parenti* (Anchisae), i. e. convenientia, congruentia et debita, ut V, 54. Vid. adnott. ad Ecl. I, 37. et III, 62. coll. cum adnott. ad Geo. IV, 190. Aen. II, 396. V, 832. VI, 142. cett. — **470**. *equos*. Nam Epirus bonorum equorum laude excelluit. Cf. Geo. I, 59. III, 121. — *duces* Heyn. de magistris equorum, agasonibus intelligit, coll. infra X, 574. eique adsentiuntur Haeckerm. in *Zeitschr*. etc. XIX. p. 113. et Ladew. provocantes ad Liv. XLIII, 5, 8. et Aeneam viae duces non habuisse ex v. 569. et 690. concludentes, de quibus hic Wagn. cum antiquis quibusdam interpretibus iam a Servio commemoratis cogitat, imprimis cum *ἡγεμόνας τῆς ναυτιλίας συνεκπλεῦσαι Αἰνείᾳ* ex Epiro narret Dionys. I, 32.; quod mihi quoque probabilius videtur. Agasones enim, qui equos in naves impositos curarent, vix *duces* appellari poterant et si duces vere ad equos pertinebant, cur gravis illa repetitio Verbi *additque?* Discrepantiam autem illam, quae videtur, Vergilius carmen ab-

Remigium supplet; socios simul instruit armis.
  Interea classem velis aptare iubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phoebi interpres multo compellat honore:
„Coniugio, Anchisa, Veneris dignate superbo,

---

solvens haud dubie removisset. (Cf. etiam adnott. ad V, 298.) Non igitur opus est infelicibus coniecturis *decus* aut *pecus* in Progr. Leitmer. a. 1868. p. 3. prolatis. Peerlk. (cui adsentiri videtur Ribbeck. Proleg. p. 74.) temere haerens in Plurali *duces*, cum unus dux itineris sufficeret, totum hemistichium spurium censet. Sed interpolator aliquis vix versu imperfecto contentus fuisset. (Etiam Henry in schedis mecum communicatis *duces* per *Piloten, Lothsen* interpretatur, et contra Peerlk. disputans plurium navium classem vulgo plures eiusmodi duces maris peritos tollere memorat.) — 471. *Remigium supplet*, cum heroica aetate remiges non servi fuerint, sed ipsi heroes, Heyn. (cui Gossr. adsentitur) de ipso remorum apparatu intelligit, ut VIII, 80. et Geo. I, 202. Sed recte observat Wagn., non omnia apud Vergilium ad Homericae aetatis morem exigenda esse, *supplere* autem et *supplementum* in re militari de novis militibus et remigibus conscribendis sollemnia esse. Cf. Liv. XXVI, 35. 39. XXVII, 47. XXXVIII, 37. Iustin. XII, 11. Tac. Ann. XVI, 13. Vellei. II, 130. *Remigium* igitur pro remigibus positum accipe, ut apud Hor. Epist. I, 6, 63. Liv. XXVI, 39, 3. (*supplevit remigio naves*) ibid. 51, 6. XXXIII, 48, 2. alibi. Cf. Obbar. ad Horatii, Gronov. et Drak. ad Livii ll. ll. et Rupert. ad Tac. Ann. II, 13, 2. Amissos enim remos restitutos omninoque naves refectas esse in Epiro, per se consentaneum neque tanti est, ut hic, ubi de donis Heleni agitur, commemorari apte potuerit. Eadem est Thielii et Schirachii sententia p. 563. et 606. Remigum autem nonnulli in Creta remanserant (v. 190.), alii fortasse obierant. Nihilominus Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX, p. 113. de remis cogitat, atque etiam Conington non audet decernere, utra ratio sit rectior. — *socios* autem non eosdem remiges, *arma* non remos esse (quod Heyn. censet), docet addita vox *simul;* quare Wagn. *socios* rectissime de ipsius Aeneae sociis et comitibus (vid. supra v. 129.) intelligit, qui non minus quam duces, Aeneas et Anchises, ab Heleno donis ornentur; quamquam idem Vir doct. in edit. min. *arma* minus recte, ut mihi videtur, per remos explicat. Peerlk., cum Aeneae socii iam arma habuerint, hunc versum ex Aen. VIII, 80. fictum et invito Vergilio adiectum censet. Sed nonne poterant arma sociorum Aeneae vel amissa vel non amplius ad usum bona ab Heleno aliis suppleri et melioribus permutari? Vid. etiam Jahn. l. l. p. 24. — 472. *classem velis aptare*, i. e. velis instruere, adornare, ut infra VIII, 80. *biremes remigio aptare.* Ovid. Met. XI, 456. *Aptarique suis pinum iubet armamentis.* Cf. etiam IV, 298. IX, 305. et Wagn. ad Aen. IV, 482. Apud Suet. Tib. 65. *aptatae naves* sunt armatae instructaeque. — 473. „*ventus ferens* est, qui impellit et provehit, ἄνεμος φορός, de qua compositione etiam pedestribus scriptoribus usurpata vid. interpp. ad Plin. Paneg. c. 31.“ *Wund.* Vid. v. c. Aen. V, 832. Ovid. Her. XVI, 125. Senec. de vita beata c. 22. ibique Gruter., Barth. ad Stat. Theb. III, 25. et Burm. ad Aen. IV, 430., ubi redeunt *venti ferentes.* De Graec. ἀνέμῳ φορῷ cf. Wessel. ad Diod. Sic. T. I. p. 685. — Conrads p. XXVII. una cum v. 470. etiam tres sequentes vult deletos ut arcte cohaereant *Sunt et sua dona parenti, Quem Phoebi interpres* etc.; sed vide quae contra eum disputavit Ribbeck. Proleg. p. 74. — 474. *Phoebi interpres*, i. e. qui oracula Phoebi interpretatur, vates. — *multo honore*, i. e. verbis honorificentissimis, ut alibi *honor verborum.* Cf. Sil. II, 483. *Quam tali adloquitur Nemeae pacator honore.* Tac. Hist. IV, 4. *multo cum honore verborum Muciano triumphalia data.* id. Agr. 40. in. *triumphalia ornamenta - - multo verborum honore cumulata.* Iustin. XV, 1, 9. *adiecto honore verborum.* — 475. *Anchisa.* Sic optimi Codd. (etiam Med., in quo, ut in Pal., legitur ANCHISAE, sed *E* puncto superposito notata, Gud. et tres Bern. vel a pr., vel ab alt. m.)

Cura deum, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniae tellus; hanc arripe velis.
Et tamen hanc pelago praeterlabare necesse est:
Ausoniae pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate! Quid ultra
Provehor et fando surgentis demoror Austros?"
Nec minus Andromache digressu maesta supremo
Fert picturatas auri subtemine vestes
Et Phrygiam Ascanio chlamydem, nec cedit honori,

Codd. Nonii p. 281, 3. 286, 29. et Gellii XV, 3, 10. atque Anecd. Paris. Eckstein. II, 25., dum alii Codd., ut etiam Quinctil. VIII, 6, 42. Prisc. p. 730. et Arusianus p. 222. L., *Anchise* exhibent, quam formam Conington recepit (Vid. etiam ad VI, 126. 348.) Constat enim, eiusmodi nomina propria apud Romanos duplici ratione formari in *en*, *e*, *e* et in *am*, *a*, *a*. Ablat. *Anchisa* legitur infra V, 244., Accus. *Anchisam* v. c. ap. Hygin. f. 94. Praeter Iahn. ad Aen. VI, 126. cf. Heins. ad Ovid. Ep. III, 87. Drakenb. ad Sil. XIII, 796. Ruddim. I. p. 48. Schneider. Gr. Lat. II, 1. p. 33. et Neue *Formenl.* I. p. 36. — *coniugio:* voce honesta utitur pro concubitu, ut ap. Ovid. Met. X, 295. XV, 398. (Geo. III, 275.) alibi. — *superbo*, utpote deae. — *dignate*, digne habite, passive. Vid. ad II, 422. — **476**. *Cura deûm.* Vid. ad Aen. I, 678. — *bis erepte*; Troia enim iam prius ab Hercule erat capta et excisa ob Laomedontis perfidiam. Vid. ad II, 642. et VIII, 291. — **477**. „*hanc arripe velis*, versus hanc ab Epiri litore dirige naves. Cf. infra v. 532." Heyn. Thiel. *arripere* accipit pro: summo studio, eximia animi intentione rei accipiendae studere, cupide rem tractare et sequi, coll. Ruhnk. ad Ter. Eun. III, 5, 23. Cic. pr. Mur. 30. de Senect. 29. extr. aliisque locis; similiterque Wagn. (et cum eo Haeckerm. l. l.) explicat: „ad hanc summo studio pertende". Cum tamen alibi *arripere* sit i. q. celeriter invadere locum eoque potiri, hic potius indicat studium locum celeriter capessendi. Cf. etiam Henry in Philol. XI. p. 634. Praeterea vide infra IX, 13. XI, 531. et X, 297. — **478**. *praeterlabi* pro praeternavigare alibi non videtur legi; de fluminibus, quae celeriter praeterfluunt, usurpatur infra VI, 875. et Quinct. Inst. IX, 3, 24. — **479**. *quam pandit*, oraculo designat. Vid. supra ad v. 179. — **480**. De voc. *ait* post *compellat* (v. 474.) adiecto vid. ad Geo. IV, 499. et cf. Aen. II, 78. V, 551. XI, 24 sqq. 42 sqq. etc. — *ultra*, quam opus est. — **481**. *provehor*, sermone progredior. Sic etiam optimi pedestris orationis scriptores, e. g. Cic. Finn. III, 22, 74. *sentio me longius provectum, quam* cett. — *fando demoror austros* Heyn. recte explicat: „vos demoror, quo minus iis utamini." Vid. etiam infra XI, 175. coll. cum II, 648. (ibique adnott.) et X, 30. Imitatus est h. l. Avien. fab. 16. *Ast ego surgentes paulatim demoror austros, Et quamvis levibus provida cedo notis.* — *Surgere* de ventis i. q. alibi *oriri* et *venire*. Vid. adnott. ad Ecl. V, 22. — **482**. *digressu supremo*, i. e. ultimo digressus momento. — **483**. *picturatae auri subtemine vestes* (χρυσεοπήνητα φάρεα Euripidis Orest. 829. al. 837.) utrum de textili an de acu picto opere accipiendae sint, Heyn. ambigit, ut aut vestes, i. e. stragulae, textae a chlamyde acu picta distinguantur, aut vestes acu pictae, et inter has chlamys Phrygia, diversae sint a textilibus donis v. 485. commemoratis. Hanc rationem iure praefert Wagn., comparans Silium VII, 80. *acu subtemine fulvo Quod nostrae nevere manus venerabile donum.* *Subtemen* igitur (s. subtegmen, ut rectius fortasse scripsit Ribbeck. Med. a m. pr. et Servium Bern. secutus, cum etiam Gud. et Bern. II. *subte-mine* exhibeant, ex voc. *subteximen*, ut *tela* ex *texela* ortum) hic non proprie, sed omnino pro filo dictum, quod per pannum aliquem acu ducitur. *Picturatus* pro pictus, quantum scimus, ante Vergilium nemo dixit, post eum plures, velut Stat. Theb. VI, 58. *picturatus floribus agger.* id. Silv. V, 1, 105. *gyrus picturatus.* Cf. etiam Hor. Od. IV, 9, 14. *aurum vestibus illitum* ibique Orell. et Lucr. II, 35. *Textiles picturae.* Ceterum iteratur hic versus in Ausonii cent. nupt. 41. — **484**. *Et*

Textilibusque onerat donis ac talia fatur:
„Accipe et haec, manuum tibi quae monumenta mearum

Phrygiam cett. Hildebrand. in Iahnii Annall. XXVI. p. 173. Copulam recte videtur explicare per *et maxime*, coll. Hand. Turs. II. p. 480. — *Chlamys*, vestis superior, qua Graeci potissimum in bello (Plaut. Mil. V, 30. Curc. V, 2, 33. Cic. Rab. Post. 10, 26.), in itinere (Plaut. Merc. V, 2, 8.) et in venatione (Ovid. Met. XIV, 345. 393. Nemes. Cyneg. 91.) utebantur, erat etiam feminarum (Aen. IV, 137.) et puerorum (vid. praetër h. l. VIII, 160. 167. 588. Suet. Tib. 6. Ovid. Met. V, 51. et Ulpian. in Dig. XXXIV, 2, 23.) vestimentum. Cf. Wernsdorfii Exc. IX. ad Nemes. l. l. (Vol. I. p. 256.) — Verba, quae vulgo eduntur, *nec cedit honori* admodum difficilia sunt intellectu, quare Heumanno (Poecil. T. IV. p. 545.), Brunckio, Heynio, Weicherto, Peerlkampio aliisque non iniuria suspecta videntur. Heyn. tamen duplicem eorum explicationem profert, ut aut cum Servio interpretemur: „*tanta dat munera, quanta merebatur Ascanius: hoc enim est honori non cedere, parem esse meritis accipientis;* aut *non cedit honori* seu munerum seu verborum, quo usus erat Helenus erga Anchisen, ut Andromache Ascanium non minus muneribus hospitalibus impertiat.“ Priorem rationem mecum sequuntur Süpflius (qui tamen etiam haec addit: „*Poetischer vielleicht liesse sich aber* honos *auch als* Ehrengabe, *wie so oft den Göttern gegenüber als* Opfer, *auffassen, so dass der Sinn wäre: und sie bleibt nicht hinter der angemessenen Ehrengabe zurück, sie thut und gibt Alles, was zu einer* honos *gehört*“) et Conington, alteram Iahn., Ladew. et Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX, p. 114. Wagn. haec verba ad solam chlamydem refert, honori, i. e. pulchritudini et pretio reliquarum vestium modo commemoratarum non cedentem: quod probare nullo modo possum. Quamvis enim cum Viro docto sumamus, totum hunc locum a poëta non satis elaboratum et alteri recensioni relictum esse, vel prima tamen loci alicuius lineamenta quam celerrime effingens talis poëta non potuit tam horride et hiulce scribere: (Andromache) *fert vestes Et Ph. Ascanio chlamydem; nec cedit* (chlamys) *honori* (earum); *Textilibusque onerat* (Andromache) *donis* etc. Neque magis probabilis est Thielii et prius etiam Henrici ratio, qui *honori* per Graecismum pro honorato, i. e. ipso Heleno, dictum putant; quos enim Thiel. ex Latinis comparat Lucani II, 18. et Cic. Finn. III, 1. locos, eos huc trahi non posse quisque videbit, locus autem ab Henr. comparatus, Aen. V, 541., et ipse est paullo diversi generis. Henry tamen sententiam suam de h. l. ter mutavit (vid. *Class. Mus.* a. 1848., *Tw. years* III. p. 32 sq., Iahnii Annal. (LXVIII. p. 619.) LXXIII. p. 452 sqq. et Philol. XI. p. 634.), ut quid nunc de eo iudicet, me lateat. Equidem nunc nescio, an rectius Ribbeck. ex Pal., Gud. a m. pr. et Bern. I. receperit lectionem *honore*, iam ab Heinsio et Bothio commendatam, quam agnovit Scaurus apud Servium atque etiam Silius videtur ante oculos habuisse XII, 404. scribens *nec cedet honore Ascraeo famaque seni;* ut sensus sit: honorificis donis non cedit marito; Iahnio enim contendenti etiam Dativum eundem sensum cum Ablativo posse habere (*sie steht der Ehrenbezeigung nicht nach*) non adsentior. — 485. *Textilibusque* etc. Peerlk. etiam hunc versum una cum antecedente hemistichio exsulare iubet, et Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 76 sq. certe verba *Text. onerat donis* simul cum illis tollenda censet, ut hic versus prodeat: *Et Phrygiam Ascanio chlamydem, ac talia fatur;* in quo tamen Wagn. non temere vituperat hoc hiatus genus a Vergilii carminibus plane alienum, ipse haec verba, quae post superiora languere videri possint, ita defendens, ut ea ad copiam donorum per verbum *onerat* declarandam adiecta statuat. Imprimis autem hoc erat urgendum, chlamydi pretiosissimae et *acu pictae* addi etiam alias vestes *textiles* modo et minus pretiosas. Errant igitur Peerlk. et Henry in Phil. XI. p. 634., vestes auro picturatas, chlamydem et textilia dona unum idemque significare iudicantes, quod si esset, tum sane Peerlkampio concederem, intolerabilem huic loco inesse tautologiam. — *onerat donis.* Sic etiam X, 620. (*oneravit limina donis*). Liv. XXXIV, 61. Val. Fl. III, 9. alii, ut alibi *laudibus* (Liv. IV, 13.),

Sint, puer, et longum Andromachae testentur amorem,
Coniugis Hectoreae. Cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei super Astyanactis imago.
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;
Et nunc aequali tecum pubesceret aevo."

---

promissis (Sall. Iug. 12.) *onerare* et similia. Henry *Tw. years* III. p. 33. et Philol. XI. p. 634. verbum proprie intelligendum censet: non manus, sed corpus ipsum onerat, i. e. vestit donis, coll. Ter. Phorm. V, 6, 4. *Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio;* recte autem Conington abundantiae notionem voci inesse censet. — **486**. Wagn., qui in maiore edit. temere haeserat in verbis *Accipe et haec*, in min. edit. ea recte explicat: „praeter pretiosam illam chlamydem ex antiquis opibus sumptam haec quoque dona textilia, per se quidem illis viliora, sed ipsius largientis manu facta," quare Ascanio eo gratiora esse debebant. Peerlk. igitur temere coni. *Accipe, ait, manuum* etc. Cur autem Andromache Ascanium potissimum donis ornaverit, hoc ex natura rei et vss. seqq. luce clarius apparet; unde etiam fit clarum, cur supra non nisi de muneribus Aeneae et Anchisae delatis sermo fuerit; noluit enim poëta sibi praeripere occasionem hos versus suavissimos adiicendi, qui etiam Ribbeckio Proleg. p. 74. „nescio quid dulcedinis habere" videntur. — *manuum monumenta mearum*, pro: manuum mearum opera, quae meam tibi revocent memoriam, ex Odyss. XV, 126. *Μνῆμ' Ἑλένης χειρῶν* cett., qui locus Vergilio obversabatur. Praeterea cf. Hom. Il. XXIII, 618 sq. et Aen. V, 538. XII, 945. Ceterum Haupt. *manuom* et Ribbeck. cum Bern. II. a m. pr. et Nonio p. 239. *monimenta* scripsit. Sed vid. Corssen. de pron. I. p. 333. ed. 2. — **487**. *longum amorem*, antiquum; haec dona multos post annos tibi in memoriam revocent amorem Andromachae, quem puer expertus es, quique per tantum tempus nondum est exstinctus. Paullo aliter *longum amorem* supra I, 749. usurpatum legimus. Cum toto autem loco cf. *monumentum et pignus amoris* V, 538. et 572. — *Andromachae.* Sic omnes Codd. Vid. supra ad v. 386. — **488**. *Cape dona.* Cf. Cic. Legg. III, 4, 11. Hor. Od. III, 8, 27. Sen. Agam. 384. etc. — *dona tuorum*, non tantum popularium et amicorum, ut Heyn. interpretatur, sed affinium, ut Wund. capit. Ceterum Wagn. Pluralem *tuorum* pro Singulari positum esse memorat, coll. XII, 947. *meorum* pro: unius ex meis. Vid. etiam adnott. ad Ecl. III, 7. (et Aen. I, 4.) Verba *cape dona extrema tuorum* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 439. — **489**. *sola super imago*, i. e. superstes sola (ut ap. Ovid. Met. I, 351. *o femina sola superstes* legimus, quem locum Conington comparat), Praepositione adverbialiter usurpata et subintellecto Participio verbi *esse*. Sic IV, 684. *si quis super halitus errat,* ap. Lucr. I, 650. *si partes ignis eandem Naturam, quam totus super ignis haberent,* ubi vid. adnot. mea, Schott. ad Val. Fl. VIII, 435. Drakenb. ad Liv. IV, 58. Tursell. de part. p. 835. Dissen. ad Tibull. II, 5, 53. alii. Cf. etiam adnott. ad II, 567. et I, 198. Gossr. tamen, qui hunc usum voc. *super* omnino negat, locum mira ratione sic explicat: „*o du, der du noch obendrein Ebenbild des Astyanax bist,*" quae vocis significatio (de qua diximus ad Aen. II, 71. et al.) ab hoc loco prorsus aliena est. — De *Astyanacte* eiusque sorte vid. adnott. ad Aen. II, 457. — **490**. *Sic oculos* cett., tales oculos, tales manus cett. habebat, ex Hom. Od. IV, 149. 150. *κείνου γὰρ τοιοίδε πόδες, τοιαίδε τε χεῖρες, ὀφθαλμῶν τε βολαί, κεφαλή τ', ἐφύπερθέ τε χαῖται.* Ceterum Rufinian. de fig. p. 214. R. *tenebat* et Nonius p. 169, 18. *gerebat* exhibent; sed *ferebat* praeter omnes Codd. agnoscunt Diomedes p. 408., Priscianus p. 981. et Macrobius IV, 5, 10. V, 6, 7. Vid. Gronov. ad Sen. Hippol. 379. et Heins. ad Ovid. Met. IV, 135 a Burm. laudati. Ceterum cf. loci huic simillimi Senec. Troad. 469. (ubi pariter: *sic tulit fortes manus*) Hipp. 652. et Ovid. Fast. II, 771 sqq. Ceterum iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 146, 9. et 178, 384. et in Ausonii cent. nupt. 53 sq. — **491**. *aequali aevo.* Sic *aevum* pro aetate, annis vitae, etiam Aen. II, 435. 638. IX, 255. XI, 85. Ovid. Met.

Hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis:
„Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua; nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies; nullum maris aequor arandum,
Arva neque Ausoniae semper cedentia retro
Quaerenda. Effigiem Xanthi Troiamque videtis,
Quam vestrae fecere manus melioribus, opto,
Auspiciis et quae fuerit minus obvia Graiis.

III, 47. Cic. Somn. Scip. 3. Sall. Iug. 1. in. Suet. Cal. 34. Vellei. II, 89, 3. Sen. Ep. 99. extr. alibi legitur. Pedestres tamen aureae aetatis scriptores *aevum* non nisi de maiore quodam vitae spatio usurpasse, recte memorant Fabri et Dietsch. ad Sallustii l. l. — *pubesceret*, adolesceret. Heyn. comparat Eurip. Ion. 366. *Σοὶ ταυτὸν ἥβης, εἴπερ ἦν, εἶχ᾽ ἂν μέτρον.* — **492** sqq. „Durum habeat pectus necesse est, cui hi versus miserationem nullam faciant.“ *Heyn.* — *lacrimis obortis.* Vid. IV, 30. VI, 868. Ovid. Met. I, 350. etc. — **493**. *Vivite felices*, valedicendi formula etiam e Tibullo III, 5, 31. (*Vivite felices, memores et vivite nostri*) nota. Vid. Markland. ad Stat. Silv. II, 2, 143. et cf. supra I, 330. — **493**. *fortunam peractam* Serv. male explicat duram, prostratam; rectius Heyn. fortunae cursum peractum. Si enim totum locum spectamus, *fortunam peregisse* nihil aliud significare potest, quam ad id pervenisse, quo tetenderas, ut novas fortunae vicissitudines quaerere iam non debeas, quod etiam patet ex verbis v. 495. *Vobis parta quies.* Cf. Schirach. p. 525. Sic alibi legimus *aetatem, vitam peragere* (Ovid. Tr. IV, 8, 13. et 41.), *regnum aevumque peragere* (Ovid. Met. XV, 485.) cett.; imprimis autem cf. infra Aen. IV, 653. *Vixi et, quem dederat cursum Fortuna, peregi* et Lucan. IV, 361. *turba haec sua fata peregit.* Vid. Barth. ad Stat. Theb. IX, 21. Repetuntur autem verba *Vivite felices* in Ausonii cent. nupt. 78. et sequentia *quibus est fortuna peracta* in Anth. Lat. I, 170, 109. — **494**. Verba *alia ex aliis in fata vocamur* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 120. Cf. etiam Ovid. Met. I, 18. *ex aliis alias figuras reparat.* Cir. 364. *nunc alia ex aliis - - omina quaerit.* Lucr. III, 978. *ex aliis alia reparare necesse est.* Eur. Hel. 679. *ἕτερα δ᾽ ἀφ᾽ ἑτέρων κακὰ κακῶν κυρεῖ.* Iph. Taur. 842. *ἄλλα δ᾽ ἐξ ἄλλων κυρεῖ.* Plat. Apol. p. 37. D. *ἄλλην ἐξ ἄλλης πόλιν πόλεως ἀμειβόμενος* etc. — **495**. *Vobis parta quies.* Cf. infra VII, 598. Claud. XVII, 61. *Postquam parta quies et summum nacta cacumen Iam secura petit privatum gloria portum.* German. in Arateis *Si non parta quies, te praeside, puppibus aequor Cultorique daret terras.* Similiter Quinct. Inst. I, 1. *Post impetratam studiis meis quietem.* Ceterum cf. etiam Aen. II, 784. — *maris aequor arandum.* Vid. ad II, 780. (et V, 158.) Verba *nullum maris aequor arandum* legimus etiam in Anth. Lat. I, 178, 182., ubi v. 248. totus versus iteratur prima modo voce in *Nam mihi* mutata. — **496**. „*semper cedentia retro*, cum putarent Troiani, se laborum et fatorum terminum iam attigisse. Infra VI, 61. *Iam tandem Italiae fugientes prendimus oras.*“ *Heyn.* Adde V, 629. *Italiam sequimur fugientem.* Imprimis autem Aeneas videtur spectare Heleni consilium (v. 396 sqq.) iubentis, ut proxima Italiae litora vitans per ambages peteret contraria. — **497**. *Effigiem Xanthi* sqq. Vid. supra v. 349 sq. coll. v. 302. et 336 sq. — **498**. *melioribus, opto, auspiciis* (quae verba repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 242.), i. e. prosperiore successu, meliore fortuna (vid. Cort. ad Lucan. II, 464.), quam qua proavi vestri antiquam illam Troiam condiderunt. — **499**. Pro *fuerit* Ribbeck. ex Med. et Pal. itemque Gud. et Bern. III., in quibus tamen litera *n* puncto superposito notatur, recepit *fuerint*, hoc Servii scholio adscripto: „Alii *fuerint* legunt et volunt esse maledictum in Graecos, ut ad auspicia referas, quod non procedit.“ Ceteri recentiores editores Singularem recte servarunt. — „*minus obvia Graiis*, periculis a Graecorum impetu, [omninoque] aditu hostili, exposita. Sensum recte exposuit Servius: *id est, quae nullum patiatur excidium.*“ *Heyn.* Ita etiam Burm., qui conferri

25*

Si quando Thybrim vicinaque Thybridis arva
Intraro gentique meae data moenia cernam,
Cognatas urbes olim populosque propinquos
Epiro, Hesperia, quibus idem Dardanus auctor
Atque idem casus, unam faciemus utramque
Troiam animis; maneat nostros ea cura nepotes."
Provehimur pelago vicina Ceraunia iuxta,
Unde iter Italiam cursusque brevissimus undis.

---

iubet adnot. suam ad Calpurn. I, 10. — *obvia*, exposita. Vid. ad X, 694. — **500**. *Thybrim*. Vid. ad II, 782. — **501**. *data moenia*, scil. a fato, ut supra v. 255. *data urbs*, ubi vid. adnott. — *cernam* pro potiar, habebo. — **502** sqq. Populos iam propinquitate coniunctos iungamus etiam benevolentia, ut unus inde fiat populus. — *cognatas urbes*, Buthrotum (vid. supra v. 293.), quo Vergilii temporibus colonia Romana deducta erat (Strab. VII. p. 324. Plin. IV, 1, 1.), et Romam a Lavinio oriundam, utramque a Troianis eorumque posteris vel habitatam vel conditam, qui a *Dardano* originem habebant. (Vid. ad v. 167.) Nescio, quo iure Heyn. poëtam ad Nicopolin post pugnam Actiacam ab Octaviano conditam et Acarnanibus frequentatam alludere putet. — *urbes, populos Epiro, Hesperia*, pro in Epiro, Hesperia, sive Epiri, Hesperiae, paulo insolentius dictum. Quod attinet ad omissam Praepos. *in*, cf. Geo. III, 237. Aen. I, (403.) 552. 667. III, 220. VII, 140. 226. 351. etc. ibique adnott. Wagn. tamen in min. edit. aliam init rationem, duplicem structuram (populos propinquos, *Epirum* et *Hesperiam*, unam faciemus Troiam et ex populis propinquis, *Epiro* et *Hesperia*, unam fac. Tr.) hic in unam confusam esse putans; quae ratio mihi paulo artificiosior videtur. Ladew. Ablativum potius originem indicare censet. Praeterea animadvertas gravitatem asyndeti; nam errare eos, qui verba sic coniungant: *populosque propinquos Epiro, Hesperia quibus idem Dardanus auctor*, i. e. Dardanus (ex) Hesperia (ortus), non est, cur multis verbis doceam. Cum plures Codd., inter quos Med., schedae Sangall., Gud. et Bern. I. a m. pr. *Hesperiam* praebeant, Heyn. coniecit *Epirom, Hesperiam* quod probat Peerlk. Sed lectionem *Hesperia* etiam Serv. et Cod. Pal. auctoritas tuetur. — *utramque* post *Cognatas urbes* additum, ut voc. *unam* cum vi opponeretur. — **505**. „*animis*, h. e. foedere et affectione, quoniam revera eas natura non sinit iungi." *Servius*. *Maneat ea cura nepotes*, i. e. cura unius Troiae ex duabus faciendae. Vid. II, 194. *ea fata manere nepotes* et de verbis *ea cura* pro eius rei cura adnott. ad II, 171. Ladew. et Wagn. adnotant, Augustum, cum post victoriam Actiacam Nicopolin in Epiro condidisset, sanxisse, ut Romani novae urbis incolas pro *cognatis* haberent. Conrads. p. XXVIII. vv. 500—505. a poëta locum II, 782. respiciente secundis curis additos putat; sed vide quae recte contra eum disputat Ribbeck. Proleg. p. 70. — **506** sqq. „Postquam Buthroto solverant, legendo litus ad montes Ceraunios procedunt. Hic sub noctem descendunt in litus, eo, puta, consilio, ut, cum mutandus iam esset cursus, ventum secundum excipiant." *Heyn*. — *Ceraunia* s. Acroceraunia (nunc *Monti della Chimera*). Vid. ad Geo. I, 332. — Praepos. *iuxta* (quam etiam alibi verbis motum signif. adiungi constat: cf. Hand. Turs. III. p. 538.) a poëtis et, qui eos imitantur, historicis interdum nomini suo postponitur. Vid. infra IV, 255. Nep. Paus. 4. Tac. Ann. II, 41. IV, 5. VI, 39. Plin. H. N. XIV, 19, 23. cett. Ruhnk. ad Vellei. II, 91, 2. Walch. ad Tac. Agr. 31. p. 338. Bötticher. Lex. Tac. p. 119 sq. Hand. Turs. III. p. 537. et adnott. ad Geo. I, 161. et Aen. I, 32. — **507**. Wund. Comma vulgo post *Italiam* positum recte sustulit, ut epitheton *brevissimus* etiam ad *iter* pertineat, sine quo verba *unde iter Italiam* admodum languerent, et in Praef. p. VIII. haec adnotat: „Nec puto, te offendet ubertas ista *iter* (brevissimum) *et cursus brevissimus*. Vocabulo *iter* alterum *cursus*, navibus magis proprium, iungitur ita, ut nemini in mentem venire possit statuere, alterum ex his Substantivis esse superfluum; nisi forte idem ταυτολογίας accusabit Ciceronem Off. I, 32. *Itaque ante*

Sol ruit interea et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatae gremio telluris ad undam
Sortiti remos passimque in litore sicco
Corpora curamus; fessos sopor inrigat artus.
Necdum orbem medium Nox Horis acta subibat:
Haud segnis strato surgit Palinurus et omnis
Explorat ventos atque auribus aera captat;
Sidera cuncta notat tacito labentia caelo,

---

implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit, quod optimum esset, iudicare." Ceterum cf. Aen. VI, 542. *Hac iter Elysium nobis* et adnott. ad Aen. I, 2. — **508**. *Sol ruit*, i. e. cadit, legitur etiam ap. Val. Fl. I, 274. et alios, ut plenius *sol ruit caelo* ap. Apul. Met. III. p. 136. Elm. Alio sensu supra II, 250. *ruit Oceano nox* dictum vidimus, ubi cf. adnott. — *montes umbrantur*, umbra teguntur. Heyn. comparat Homeri *σκιᾶσθαι* vel *σκιάζεσθαι*, Od. III, 487. *Δύσετό τ' ἠέλιος σκιόωντό τε πᾶσαι ἀγυιαί* et al. Ceterum *umbrantur opaci*, pro: umbrantur, ut opaci fiant, per prolepsin illam dictum, de qua disseruimus ad Geo. I, 320. et II, 353. — **509** sqq. ex Odyss. IX, 168 sqq. illustrari, memorat Heyn. — *Sternimur*. Vid. Geo. IV, 432. ibique adnott. — *gremio* pro: in gremium. Vid. adnott. ad Ecl. II, 30. — **510**. *sortiti remos*, vel: postquam nocte ingruente sorte constituimus, utri ad remos pernoctarent, utri in litore somno se recrearent; vel potius: postquam sortiti eramus, quibus vicibus proximo die remigaremus. Cf. Prop. IV, (III,) 21, 12. *Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem Remorumque pares ducite sorte vices.* Henry, explicationem in *Tw. years* III. p. 34. propositam recte reiiciens, in Philol. XI. p. 634. (coll. Aen. IX, 174. *legio sortita periclum* et Ovid. Met. XI, 757. *Priamus novissima Troiae Tempora sortitus*) *sortiti remos* interpretatur: „quibus sors cecidit usque remigandi," quibus explicentur verba *fessos artus*. Peerlk. verba sic vult transposita: *Sortiti remos, gremio telluris ad undam Sternimur optatae passimque* etc., ut narratio sic procedat: „Fiunt tenebrae, ventus cessat cum solis occasu; remigamus per vices, quo celerius terram attingeremus. Pervenimus in terram." Haeckerm. in *Archiv für Phil.* XVIII, 3. p. 431 sqq. et in *Zeitschr. f. d. G. W.* XIX, p. 114. *sortiri remos* ad arbitrium explicat per ordinare remos. — *passim*. Vid. ad Aen. II, 364. — Verba *in litore sicco* repetuntur VI, 162. et in Anth. Lat. I, 14, 4. — **511**. *Corpora curamus*, ut Geo. IV, 187. Aen. VIII, 607. in Epit. Iliad. 108. alibi. — *sopor inrigat artus*, infundit, instillat membris somnum. Vid. quae supra ad I, 691. adnotavimus coll. cum Aen. V, 854. — **512**. *orbem medium* caeli. Vid. VIII, 97. et Cir. 38. — Cum sciam, non solum Graecorum more anni tempora, sed etiam singulas diei partes a Romanis Horarum nomine personas esse fictas (vid. Hygin. 183. et Burm. ad Val. Fl. II, 60.), nunc cum Ribbeckio et Ladew. *Horis* grandi litera scripsi, ut imago poëta dignior evadat. Prius cum Heynio explicui: nox per horas acta, decurrens, ut haec verba fere idem significent, quod *horis exactis*. Etiam Henry in Philol. XI. p. 635. *Horis acta* interpretatur: „*unter dem Befehle der Stunden, wie ein Heer unter dem Befehle eines Feldherrn; geleitet, befehligt von den Stunden*"; equidem vero potius explicuerim: vecta Horis, „*fortgetragen von den Stunden.*" Peerlk., cui haec humilis videtur oratio pro: *Nox* (tamquam dea, persona) *horis acta* satis audacter coni. *Nox astris cincta.* — Cum v. **513** sqq. cf. Hom. Od. V, 271 sqq. — *Haud segnis*, i. e. celeriter. Cf. supra ad v. 70., infra ad VIII, 559. et alibi adnotata. — *Palinurus*. Vid. ad v. 202. — **514**. *Explorat ventos*. „Media enim nocte, quando, imprimis in oris maritimis, aura oriri vel mutari solet, ventus recte exploratur a gubernatore." *Heyn.* — *auribus aëra captat;* nam ex ea parte, qua ventus flat, vel leni aëris motu auris ei rei adsuefacta frigidum sentit halitum. *Captare* autem *aëra* s. auras eadem ratione dictum, qua ap. Livium XXXVIII, 7, 8. *sonitum aure admota captare* et similia, v. c. Geo. I, 376. *auras patulis naribus captare.* Wagn. in minore edit. minus recte: „explorat auram auscultans strepitum maris." — **515**. Cf. Hom. Od. V, 272 sqq. *si-*

Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt caelo constare sereno,
Dat clarum e puppi signum; nos castra movemus

---

dera notat iam recte Serv. interpretatur: diligenter intuetur. Significat enim *notare* res diligenter observare, ita ut discrimen earum probe examines; cf. Cic. ad Fam. IX, 16. *quod tritas haberet aures notandis generibus poëtarum.* Prorsus eadem ratione Cic. ibid. II, 43. *sidera notare,* et Ovid. Met. III, 595. (haud dubie hunc locum respiciens) *Hyadasque oculis Arctonque notavi.* Cf. etiam Cic. in Verr. V, 10, 27. *initium veris non a Favonio, neque ab alio astro notabat,* et de Div. I, 42, 94. *cantus avium notare* cett. — *tacito caelo*, nullo vento resonante. Cf. II, 255. — V. **516.**, quem affert etiam Apulei. de deo Socr. p. 224. Bip., iam supra legimus I, 744., ubi vid. adnott. Macrob. Sat. V, 11, 10. p. 418. Ian. et aliquot Codd. (inter quos etiam Gud. a m. pr.) hic exhibent *Pliadasque Hyadas*, quod, utpote metro repugnans, recte reiecit Heyn. Nihilominus Wakef., hunc locum ex altero l. l. correctum opinatus, edidit *Arcturum Pleiadesque, Hyadas* cett., cum Graeci scriptores haud raro diphthongos sequente vocali corripuerint, provocans ad Markland. ad Stat. Silv. I, 3, 95., cui Iahn. addit Handium ad eund. I. p. 457. Wagn. autem, vel si Statius, inferioris aetatis atque ordinis poëta, primam syllabam voc. *Plias* vere corripuisset, leve hoc argumentum esse contendit ad eandem licentiam in Vergiliano carmine probandam. *Pluviae* est sollemne Hyadum epitheton. Vid. ad Geo. I, 138. Eadem de causa *inserenam Hyadam* dicit Stat. Silv. I, 6, 25. et *tristes Hyadas* Hor. Od. I, 3, 14. (ubi vid. Orell.) Cf. etiam Voss. ad Aratum 172. — **517.** „*Armatum auro Oriona*, χρυσάορα, quia, ut bene Serv., *et balteus eius et gladius clarissimis fingitur stellis.* Commentarii loco sit Aratus a Germanico conversus: *Primus in obliquo rapitur sub pectore Tauri Orion: nonnulla magis vicina notabit Stella virum, sparsae cum* (f. sparsaeque in) *toto corpore flammae. Tale caput magnisque humeris sic balteus exit, Sic vagina ensis, pernici sic pede fulget.* Ex Arat. Phaenom. 586 sqq. Lucan. I, 665. *Ensiferi nimium fulget latus Orionis.*" Haec *Heyn.*, qui simul memorat, coniungere hic poëtam sidera, non quae uno tempore oriantur et occidant, sed e quibus partim tempestatis mutationes veteres augurati sint, partim quae tantum puro et sereno caelo conspici possint, ut, cum hic Palinuro appareant, ille securitatem sereni caeli inde coniicere possit. Idem conferre nos iubet Macrob. Sat. V, 11. Geo. I, 394. 395. Hom. Od. V, 271 sqq., quem Vergilius ante oculos habuerit, et Ovid. Met. III, 594 sqq., Maronis imitatorem. De duplici mensura nominis, quod tertiam syllabam modo producit (Aen. I, 535., ubi vid. quae de hoc sidere adnotavimus, Ovid. Fast. IV, 388. V, 545. Luc. I, 665. cett.), modo corripit (Ovid. Met. VIII, 207. Fast. V, 493.), cf. Bach. ad Ovid. Met. l. l. Conrad. ad eiusd. Fast. l. primum l. et Grotef. Gr. Lat. II. §. 6. Vide omnino quae supra ad v. 35. adnotavimus. — *circumspicere* est saepe et accurate contemplari. Vid. Plaut. Mil. gl. IV, 1, 9. Most. II, 2, 41. Ovid. Trist. I, 1, 85. Tac. Ann. IV, 69. extr. et cf. supra II, 68. ibique adnott. — **518.** *Postquam videt* (cf. Aen. I, 154 sqq. III, 37 sqq. 518. cett.) *cuncta constare*, „composita et tranquilla esse; nihil, quod inconstantiam et varietatem caeli ominetur, occurrere. Lucr. IV, 462. *Et sonitus audire, severa silentia noctis Undique cum constent.*" *Heyn.* Sic Ovid. Fast. II, 455. *flumina non constant,* i. e. incerta sunt atque infidelia. Liv. XXXIV, 34, 7. *adeo perturbavit ea vox regem, ut non color, non vultus constaret,* i. e. ut se mutaret, etc. Cf. etiam Wakef. ad Lucr. V, 416. — *caelo*, in caelo. Serv. male tertium habet Casum, ut *constare* sit i. q. suppetere: „omnia videt habere caelum, quae significant serenitatem." — **519.** *Dat clarum signum*, tuba. Vid. supra ad v. 239. coll. cum V, 139. Sen. Agam. 428. imprimisque Lucan. X, 399. *Haud clara movendis, Ut mos, signa dedit castris, nec prodidit arma Ullius clangore tubae.* Servius minus probabiliter de face erecta cogitat. — *castra movemus* prius proprie capienda censui de castris navalibus s. nauticis in litore ten-

Temptamusque viam et velorum pandimus alas.
Iamque rubescebat stellis Aurora fugatis,
Cum procul obscuros collis humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates,
Italiam laeto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit inplevitque mero divosque vocavit
Stans celsa in puppi:
„Dî maris et terrae tempestatumque potentes,

---

dentium coll. infra IV, 604. V, 669. Ovid. Met. VII, 99. Heroid. VI, 52. etc.; nunc tamen cum Henrico in *Tw. years* III. p. 34. et Philol. XI. p. 635., qui comparat Claud. R. Pros. II, 125. *Cum cerea reges castra movent*, metaphorice dicta puto pro simplici se dare in viam, abire, proficisci. — **520**. *Temptamus viam* cursum per mare, ut Ecl. IV, 32. *temptare Thetim ratibus*, ubi vid. adnott., et praeter hunc locum adde Aen. III, 146. — „*velorum alas*, h. e. extremas velorum partes, lacinias, angulos. Vulgo exponunt: quia vela navis alae esse videntur.“ *Heyn*. Rectius Henry in *Tw. years* III. p. 35. et Philol. XI. p. 635 sq. metaphorice explicat vela, quae similia sunt alis, ac si Vergilius dixisset: pandimus alas nostras, i. e. vela. Comparat autem vir doct. Isid. Orig. XIX, 3. *Apud Latinos autem vela a volatu dicta, unde est illud: Velorum pandimus alas.* Lucr. IV, 391. *velis volamus* et Prop. IV, (V,) 6, 47. *classis centenis remigat alis*. — **521**. *Iamque - - Cum*. Vid. ad II, 354 sqq. 730. etc. — **522**. „Ad Castrum Minervae appellunt Troiani, sub Hydrunto, quo loco planum ac molle litus; hinc *humilem Italiam;* sive procul ex alto visentibus terra semper humilis videtur. Cf. supra ad v. 76.“ *Heyn*. Cum *obscuris collibus* Henry ll. ll. comparat *dubios montes* ap. Lucan. III, 7. et infra VI, 453. conferri iubet. — **523**. Triplicem nominis *Italiae* repetitionem aptissimam esse ad significandam laetissimam consalutationem, vere memorat Wagn., conferens Xen. Anab. IV, 7, 24. *καὶ τάχα δὴ ἀκούουσι βοώντων τῶν στρατιωτῶν· θάλαττα! θάλαττα!* Addere poterat, sententias sic cohaerere: *videmus Italiam: Italiam* igitur *conclamat Achates* etc., de qua vi vocabulorum iteratorum conclusionem aliquam indicandi diximus ad Aen. II, 76. Cf. etiam similem locum Geo. IV, 525 sqq. Ceterum imitatus est locum nostrum Stat. Theb. IV, 807. et Silv. III, 2, 23. — **525**. *Crater* (de quo vid. ad Ecl. V, 68.) hic pro poculo positus videtur. — *corona Induit* proprie est intelligendum (vid. adnott. ad Aen. I, 724. et Geo. II, 528.), etsi Heynium dubitatio subit, unde in alto florum copia fuerit. Idem Heyn. cum toto loco comparatum vult Pind. Pyth. IV, 344 sqq. — **526**. *divosque vocavit*. Vid. ad Geo. I, 347. — **527**. *Stans celsa in puppi* (quae verba redeunt VIII, 680. et X, 261.), ubi, Heyn. docente, erat tutela navis s. signum numinis (ut Apollinis Aen. X, 171., quod non confundendum est cum *παρασήμῳ* prorae affixo, unde navis nomen habet), apposita arula s. foco. Is igitur locus aptissimus ad vota et preces faciendas. Thiel. laudat infra X, 170. Pers. V, 29 sq. *iacet ipse in litore et una Ingentes de puppe Dei*, Heins. et Drakenb. ad Sil. XIV, 542. et Cort. ad Lucan. III, 511. Ribbeck. ex sched. Sangall., Gud. (pro varia lect.) et Pal., qui exhibet IMA superscriptis literis ELS, pro *celsa* recepit lectionem *prima*, hac nota adscripta: „Fortasse *prima* Priscianus quoque legit, quamquam in exemplaribus eius hic quidem [p. 761. P.] *celsa* legitur; sed in altero loco VIII, 680. ipsum *prima* extat, ut librarius fortasse utrumque versum permutaverit.“ Poterat hanc lectionem, quam tamen invitis melioribus libris vulgatae non praetulerim, etiam epit. Iliad. 803. *stans prima in puppi* tueri. — **528**. Peerlk., cum non intelligat, „cur Aeneas invocet deos *terrae potentes* in itinere maritimo,“ pro audacia sua coni. *Dî maris undarum*. Sed in hac universa deorum invocatione minime haerendum, cum venti in terra oriri soleant, neque opus est, ut cum Servio interpretemur: „terrae, ad quam iturus sum.“ Ladew. sine iusta caus*

Ferte viam vento facilem et spirate secundi."
Crebrescunt optatae aurae portusque patescit
Iam propior templumque adparet in arce Minervae.
Vela legunt socii et proras ad litora torquent.
Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum;
Obiectae salsa spumant aspargine cautes;
Ipse latet; gemino demittunt bracchia muro
Turriti scopuli refugitque ab litore templum.

---

post *Di* Comma posuit. — *tempestatumque potentes.* Vid. Geo. I, 27. et Aen. I, 80. — **529.** „*Ferte*, date, *viam*, navigationem, faustam *vento*, h. e. vento secundo immisso; et adspirate, favete propitii." *Heyn.* Sic *vento* simpliciter etiam I, 307. II, 25. IV, 46. — *secundus* a ventis hic transfertur ad ipsos deos, qui ventum secundum mittunt. Sic etiam alibi Dii *secundi* vocantur. Cf. infra IV, 45. (*Iuno secunda*) X, 21. et XI, 899. (*Mars secundus*) cett. — **530.** *Crebrescere* (cui oppositum est *rarescere*) i. q. augeri, indensari, de vento etiam Cic. ad Fam. VII, 20. Caes. B. Gall. III, 26. et alibi dicitur. Sic Aen. XII, 222. *fama crebrescit* et ibid. 407. *horror crebrescit.* Praeter Vergilium imprimis Tacitus hoc verbo usus est. Vid. Boettich. Lex. Tac. p. 135. Ceterum cf. etiam infra V, 764., ubi *creber adspirans Auster* commemoratur. — *portus patescit* non intrantibus, sed conspicientibus. Vid. supra ad v. 411. Intelligendus est autem Portus Veneris haud procul ab Hydrunto, Apuliae oppido, ad mare Adriat. situs, unde in Graeciam profecturi solvere solebant. Cf. Dion. Hal. I, 51. Strab. VI. p. 281. B. Vellei. I, 15. Cluver. Ant. Ital. p. 1240. et liber meus geogr. III. p. 756. Nunc vocatur *Porto Badisco* iuxta opp. *Castro*, quod est antiquum *Castrum Minervae.* — **531.** *in arce Minervae*, i. e. in monte, ubi templum erat Minervae, quod Idomeneus condidisse ferebatur. Cf. Dion. Hal. l. l. Sic supra v. 291. *Phaeacum arces.* Henry, Ladew. et Wagn. *Arce* grandi litera scribunt, ut hic habeamus nomen ipsius oppidi modo commemorati. — **532.** *Vela legunt*, colligunt, convolvunt. Vid. ad Geo. I, 373. — **533.** „Portus efficitur sinuoso litoris flexu, scopulis utrimque procurrentibus in mare et se incurvantibus, ut utrimque pro mole sint portui praetexta, ad quam fluctus ex alto allisi frangantur, tranquillumque interius mare sit." *Heyn.* — *curvatus in arcum*, in speciem, similitudinem arcus. Cf. adnott. ad XI, 771. Simili, quamquam non plane eadem, ratione infra VI, 42. *Excisum latus rupis in antrum.* Hic igitur portus talis est, qualis I, 162. commemoratus. — *Eurous fluctus*, ab Euro fluens. Hoc Adiectivum praeter h. l. nusquam legi videtur, nisi ap. Prisc. Perieg. 871. *Persica nam flatus Euroi litora turbant*, ubi vulgo *Eoi;* quare non mirum, quosdam Codd. etiam hic praebere *Eoo fluctu*, ad cuius vocis formam etiam hoc Adiectivum fictum est, ut apud Lucan. I, 53. X, 250. et Martial. V, 69, 1. *Arctous.* Omnino *Eous* et *Eurus* in Codd. saepe confunduntur. — **534.** Antiquiorem formam *adspargine* restituit Heins., Medic., Gud. (quibus adde Pal. et Bern. I.) Velio Longo (p. 2235.) et Nonio (p. 405, 5.) auctoribus. Nos eorundem librorum auctoritatem secuti cum Ribbeckio scripsimus *aspargine.* Cf. de hac voce, quae legitur e. g. apud Lucr. VI, 524. Cat. R. R. 128. Ovid. Met. III, 86. XIV, 796. alibi, Barth. ad Stat. Theb. II, 675. — **535. 36.** Verba *Ipse latet* Wagn. interpretatur: „longe reductus est a ventis et ita tutam navibus praebet stationem, i. q. v. 570. *Portus ab accessu ventorum immotus*"; cui explicationi (ab Haeckerm. in *Zeitschr.* XIX. p. 114., ut videtur, probatae) cum Abr. Voss. in Progr. Crucen. p. 4. et Süpflio praefero alteram ab eodem viro doct. Qu. Virg. XVIII, 3, 6. propositam: „obiecti utrimque scopuli prohibent, quominus *qualis sit quantusque* portus, videas." Scilicet ex longinquo adpropinquantibus totus portus patescit (v. 530.), sed postquam propius accesserunt, obiectae cautes impediunt adspectum (quam explicationem adoptaverunt Ladew. et Wagn. in edit. min., Conington vero „*less natural*" esse censet). Peerlk. coni. *Ipse tacet*, ut pontus, in quo altum sit silentium et quies, opponatur cautibus spumantibus sive fluctibus

Quattuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentis campum late, candore nivali.
Et pater Anchises: „Bellum, o terra hospita, portas;
Bello armantur equi, bellum haec armenta minantur.
Sed tamen idem olim curru succedere sueti

---

extra portum vehementer sonantibus. — „*scopuli turriti*, in turris modum alti, *gemino demittunt brachia muro*, ab utroque portus latere procurrentes in mare sensim decrescunt. Eadem fere supra I, 462 sq. *Hinc atque hinc vastae rupes* cett. Cf. Odyss. X, 87 sqq. *brachia* bene tribuuntur scopulis, quoniam ambiunt latera portus; iidem dicuntur *murus*, cuius speciem habebant.“ *Heyn.* De murorum brachiis, partibus munitionis ex reliquo opere transversim procurrentibus, quas etiam Graeci σκέλη vocarunt (Diod. XIII, 107. Strab. XIV. p. 654.), vid. Frontin. Strat. III, 17, 5. Hirt. b. Alex. 30. Interpp. ad Suet. Claud. 29. Gronov. ad Iustin. V, 8, 5. Rupert. ad Liv. IV, 9, 8. Bach. ad Ovid. Met. XI, 230. (ubi similiter de rupibus procurrentibus, quae portum efficiunt: *Est sinus Haemoniae curvos falcatus in arcus; Brachia procurrunt*) et Wernsdorf. ad Rutil. Itin. 536. (ubi legimus: *Non ullus tegitur per bracchia tuta recessus, Aeolias possit qui prohibere minas.*) De orthographia voc. *brachia* vid. adnott. ad Geo. I, 34. cum addendis. Ceterum Ribbeck. ex Pal., Gud. et Bern. III. recepit lectionem *dimittunt*, quae mihi minus apta videtur. — „*refugitque a litore templum*, quia ab alto intuentibus in ipso litore situm videbatur, propius accedentibus retro cedebat quasi, *quia situm est in colle, qui sensim crescit a litore*, ut bene Serv. Similia vid. ad v. 410. 411.“ *Heyn.* Cf. etiam supra v. 72. Propert. V, (IV,) 6, 15. *Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus* (a Coningt. comparatus). Drak. ad Sil. III, 157. et Cort. ad Lucan. VII, 457. — **537** sqq. Minus apte ab interpretibus comparari Od. XI, 107 sqq., ubi de bobus Solis, et Apollon. IV, 1364 sqq., ubi de equo Neptuni agatur, iam Heyn. observavit. — *primum omen* est, quod statim, simul atque e navi egressus est, Aeneae in Italia obtigit. „Romani enim si terram attingebant, summa cura observarunt, quod omen primum se offerret, et boni ominis locum petebant. Cf. Liv. XXIX, 27. XXX, 25.“ *Gossr.* Wagn. Qu. Virg. XXVIII, 3, f. apte cum h. l. comparat I, 442. — **538**. *Tondentis campum late.* Cf. Geo. I, 15. et 71. (coll. cum v. 290.) Cul. v. 49. (capellae) *omni e parte vagantes Tondebant tenero viridantia gramina morsu.* Lucr. II, 660. *Tondentes gramina campo Lanigerae pecudes* cett. Calpurn. VIII, 6. *dum gramina vaccae Detondent.* Similiter etiam (manu) *tondere* pro decerpere Geo. IV, 137., ubi vid. adnott. — *candore nivali* (quae verba legimus etiam in Anth. Lat. I, 14, 5.), quod fausti ominis erat. — *Et pater Anchises.* Anchises, cui etiam hic (ut II, 687., ubi vid. adnott.) interpretatio ostenti tribuitur, cum equorum et in bello et in pace sit usus, faustum hoc omen ad bella Aeneae post adventum in Italia gerenda et ad pacem ea secuturam refert. Ceterum vid. supra ad v. 263. et animadverte verbum *ait* tam longe a Substantivo suo remotum (v. 543.). — *portas*, ut nos: *du bringst uns;* i. e. in te nos exspectant. Cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. II, 2, 1. et Heaut. IV, 1, 12. — *terra hospita*, quamquam hospita es, tamen portas. Ceterum cf. supra v. 377. *hospita aequora.* — **540**. *Bello armantur equi*, quare ap. Lucr. II, 660. *equorum duellica proles.* Nam equus ubique belli signum. *Bello* autem tertius est Casus: ad bellum; vid. supra ad II, 315. De repetito voc. *belli* vid. adnott. ad Ecl. I, 74. Geo. II, 125. etc. — *armenta* de equis. Cf. adnott. ad Geo. III, 286. Aen. I, 185. et supra ad v. 220. Consulto autem poëta hoc vocabulo usus videtur post *armantur*, ut vaticinium ipsum maiorem vim et gravitatem acquireret, quae etiam Thielii est sententia. Vid. supra ad v. 383. II, 494. cett. Adversatur tamen nobis auctor Progr. Leitmerit. a. 1868. p. 5., verba *bellum haec armenta minantur*, quae prioribus nervos detrahant, spuria habens. — **541**. Equi proprie quidem bellum significant; sed iidem tamen currui succedunt et iugum ferunt ideoque etiam pacis spem afferunt subactis hostibus componendae. De Particulis *quidem* et *quamquam* ante *tamen* omissis vid. Ecl. I, 27. ibique adnott. Geo. I, 306. Aen. IX, 422. etc. — *idem* pro *iidem*. Vid. supra ad v. 158. et Neue *Formenl.* II. p. 144. — *curru*

Quadrupedes et frena iugo concordia ferre:
Spes et pacis," ait. Tum numina sancta precamur
Palladis armisonae, quae prima accepit ovantis,
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu,
Praeceptisque Heleni, dederat quae maxuma, rite
Iunoni Argivae iussos adolemus honores.
Haud mora, continuo perfectis ordine votis
Cornua velatarum obvertimus antennarum

---

pro currui. Vid. ad Ecl. V, 29. — **542**. *frena iugo concordia ferre*: ipsi concordes sub uno iugo colligati aratrum et currum vehunt. — **543** sqq. „Palladi sacrum faciunt, cuius templum in eo portu. Vid. v. 531.; hunc intrant et terram capiunt; ita ab ea tamquam hospitio excepti videntur." *Heyn.* — *numina* de uno numine, ut I, 666. de Amore, VII, 310. de Iunone. Claud. ad Ser. II, 26. *Iunonis blanda numina.* Cf. Drakenb. ad Sil. I, 93. — **543**. Verba *Spes et pacis* ἀσύνδετα adiunguntur pro: quare etiam pax est speranda. — **544**. *Palladis armisonae.* Hoc Adiectivum praeter h. l. et Claud. R. Pros. III, 67., ubi *antrum armisonum* commemoratur, vix invenietur. — *ovantes*, laetos. Vid. ad Geo. I, 346. — **545**. Cf. supra v. 405. *Praeceptis Heleni.* Vid. supra v. 436 sqq. Cum plures Codd. *capute* et *velabar* vel *velatur* exhibeant (alii etiam *velamus* et *velantur*, quae lectiones librariis debeantur faciliora amplectentibus), Wagn. (adsentiente Peerlkampio) prius suspicabatur, Vergilium scripsisse *caput - - velamur*, literam vero *a* e proxima voce adhaesisse et *caput* quidem pro *capita* etiam infra V, 309. IX, 437. et Geo. 386. positum apparere; quae Ladew. moverunt, ut prius certe re vera *caput* ederet, sed in recentissima edit. recte ad Pluralem rediit, quem nunc etiam Wagn. ipse tuetur. (Cf. eius Lect. Verg. in Philol. Suppl. I. p. 402.) — *Phrygio amictu*, Troiano, ut supra v. 484. *Phrygia chlamys.* In parallelo loco supra 405. legimus *Purpureo - - amictu.* — **546**. *Praeceptis* pro: ex praeceptis, secundum praecepta; de quo usu simplicis Ablativi cf. Cic. de sen. 11. in. *Et legibus et institutis vacat aetas nostra muneribus iis* etc. Nep. Chabr. 3, 1. *Hoc ille nuntio Athenas rediit.* Milt. 1, 13. *Hoc oraculi responso Miltiades - - Chersonesum profectus*, ibique Daehn. Goerenz. ad Cic. Legg. III, 9, 22. Matth. ad Cic. pr. Muren. 10, 23. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 24. Brem. ad Nep. Con. 3, 1. Kritz. ad Sall. Cat. 31, 3. Zumpt. §. 452. Ramsh. §. 142. Madvig. §. 255. et Thiel. ad h. l. — *dederat quae maxuma*, i. e. tamquam maxima, gravissima omnium. Vid. supra v. 435. *unum illud praeque omnibus unum.* Ad dicendi rationem cf. infra V, 728. *Consiliis pare, quae nunc pulcherrima Nautes — Dat senior*, Cic. Legg. I, 4, 11. *Tu a contentionibus, quibus summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid* et similes locos. — **547**. *Iunoni Argivae*, i. e. Graecis faventi (vid. Aen. I, 24.), quamquam etiam de Iunone Argis sanctissime culta (cf. VII, 286.) cogitare possumus. — *adolemus honores.* Vid. adnott. ad Aen. I, 704. et III, 279. coll. cum iis, quae ad Geo. III, 486. et Aen. I, 49. adscripsimus. Cum h. l. conferatur v. c. Ovid. Met. VIII, 742. *nullos aris adoleret honores.* — **548**. *Haud mora: continuo* cett. Vid. supra ad v. 207. Fiunt autem haec quoque ex praecepto Heleni supra v. 396—398. — *ordine*, ut ordo et ratio sacrorum postulat; quod alibi (supra v. 546. IV, 638. V, 77. etc.) *rite* vel *de more* (vid. supra ad v. 369.). — **549**. *Cornua*, κεραῖαι, ἀκροκέραιαι, proprie sunt duae extremitates in antenna globulae ornatae (Aen. V, 831. Hor. Epod. XVI, 59. Sil. XIV, 389., cum quibus librorum cornua s. extremae et in globulum exeuntes partes bacilli, cui libri volumen involvebatur, conferri possunt: Ovid. Trist. I, 1, 8. Tibull. III, 1, 13. Martial. XI, 108, 1.); deinde pro ipsa antenna ponuntur (vid. Ovid. Met. XI, 476.), et hic quidem *cornua velatarum*, i. e. velis indutarum, *navium* pro ipsis navibus. De homoeoteleuto *velatarum - - antennarum* vid. ad IV, 256. — *obvertimus*, scil. pelago; ut ap. Ovid. Met. III, 676. *obvertere remos*, scil. aquae. Cf. infra VI, 3. Sacro peracto Troiano, Heleni praecepto v. 396 sqq. parentes, haec orientalia Italiae

Graiugenumque domos suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur; attollit se diva Lacinia contra
Caulonisque arces et navifragum Scylaceum.
Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna

---

litora rursus relinquunt, utpote inhospitalia et a Graecis habitata. — Henry (*Tw. years* III. p. 37. et Philol. XI. p. 636. dicaci quadam argutia in his verbis invenit lusum verborum, ac si Aeneas diceret: cum antennarum cornibus nostra cornua recedentes obvertimus hostibus, coll. Plaut. Pseud. IV, 3, 3. *Ne in re secunda nunc mihi obvortat cornua* et Apul. de magia 81. *pars epistolae, quae similiter pro me scripta in memet ipsum vertit cornua.* — **550**. *Graiugenûm.* Vid. ad Aen. I, 564. et supra ad v. 21. et 359. *Graiugenae* Graeci etiam Pacuvio dicuntur ap. Cic. N. D. II, 36, 91. et adiective usurpatum hoc voc. habemus ap. Catull. LXIII, 36. *domus Graiugenas*, Stat. Theb. VI, 215. *reges Graiugenae*, alibi. — *suspecta arva.* Vid. supra v. 398. — **551**. *Hinc*, i. q. deinde, postea, ut I, 194. II, 671. VIII, 347. al. Vid. etiam adnott. ad II, 148. „In *Herculeo Tarento* subest fabula nunc obscura de Tarenti originibus ab Hercule ductis, cum vulgo ad Tarantem, Neptuni fil., referri soleant.“ Haec *Heyn.*, qui accuratius de hac re egit in Exc. XIV. ad h. l.; ubi coll. Diod. IV, 20 sqq. Strab. VI. p. 281. Dionys. Hal. I, 39—44. Ovid. Met. XV, 9 sqq. aliis, totam illam Italiae oram fabulosa Herculis monumenta ostendisse nos docet. Ceterum admodum dubiam fuisse hanc antiquam fabulam de Hercule Tarenti conditore, Vergilius ipse prodit verbis additis *si vera est fama*, quae verba etiam Geo. IV, 42. leguntur. Paulo subtilius autem Ladew. adnotat, Vergilium hac fabula usum esse, ut Aeneas in dubium vocare posset, originem urbis florentissimae ad Graecum hominem sibi odiosissimum referendam esse. De Tarento ipso, nobilissima Iapygiae urbe (nunc *Taranto* appellata) cf. liber meus geogr. III. p. 754. — **552**. *Attollit se*, surgit, i. e. adpropinquantibus in summo monte apparet, *diva Lacinia*, templum Iunonis Laciniae. (Vid. adnott. ad II, 311. et III, 275.) Celeberrimum autem erat hoc fanum in Lacinio promontorio (nunc a columnis templi superstitibus *Capo delle Colonne* s. a templo ipso *Capo di Nau* appellato) conditum, quod in orientali Bruttii litore situm sex millia passuum a Crotone aberat. Cf. praeter alios Strab. VI. p. 261. Plin. III, 11, 15. Mela II, 4, 8. Liv. XXIV, 3, 3. *Sex millia aberat ab urbe* (Crotone) *nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniae Iunonis, sanctum omnibus circa populis* (ubi vid. Ruperti) Heyne Opuscc. Acad. T. II. p. 174. 186. Iacobs. ad Anthol. Gr. T. I. P. I. p. 413. et liber meus geogr. III. p. 498 sq. — **553**. *Caulon* s. *Caulonia* (Strab. VI. p. 180. Diod. Sic. XVI, 11. Paus. VI, 3. Plin. III, 10. extr. Ovid. Met. XV, 705. cett.) Bruttii oppidum, a Crotoniatis conditum, nunc *Castro Vetere* appellatum, Achaeorum colonia in eodem Bruttii litore sita, et a *Scylaceo*, eiusdem regionis oppido, quod ad Crotonis ditionem pertinebat et olim *Scylletium* dicebatur (Strab. VI. p. 401. et Steph. Byz. p. 610.), nunc autem *Squillace* vocatur, viginti millia passuum aquilonem versus remota. Vid. de his oppidis liber meus modo comm. III. p. 771. et 772. Ceterum Servius et Acron ad Hor. Od. I, 16. legunt *Auloniaque*, et sane Strabo l. l. et Steph. Byz. p. 370 sq. referunt, Cauloniam prius Aulonem s. Auloniam appellatam fuisse (cf. Tzschuck. ad Melae II, 4, 8. et Interpp. ad Hor. Od. I, 6, 18.); sed invitis Codd. nihil mutandum, imprimis cum prima versus litera in uno alterove Codice facile excidere potuerit. — „*navifragum* h. l. dictum sive propter scopulosum litus, ad quod urbs illa sita, Atheniensium colonia, sive, quandoquidem scopulis carere litus nuntiant, qui ea loca adiere, propter tempestates inter duo promontoria, Iapygium et Cocintum, frequentes et graves.“ *Heyn.* Sic *navifragum fretum* ap. Ovid. Met. XIV, 6. et *navifraga saxa* ap. Stat. V, 415. Eodem modo etiam Adiect. *naufragus* transitive usurpatum legitur apud Hor. Od. I, 16, 10. (*mare naufragum*) et Tibull. II, 4, 10. (*Naufraga unda maris.*) — **554**. „Scyllacium sinum praetervectis iam e longinquo [*procul*],

Et gemitum ingentem pelagi pulsataque saxa
Audimus longe fractasque ad litora voces,
Exsultantque vada atque aestu miscentur harenae.
Et pater Anchises: „Nimirum haec illa Charybdis;
Hos Helenus scopulos, haec saxa horrenda canebat.
Eripite, o socii, pariterque insurgite remis.“

---

tamquam in medio mari (*e fluctu*), Aetna Siciliae *cernitur*, h. e. ex fumo et igni cognoscitur; auditur quoque fragor maris ad scopulos Scyllae allisi (v. 556.); iamque apparet ingens maris aestus (v. 557.), quo Charybdin in propinquo esse intelligit Anchises (v. 558.). In toto loco ante oculos Ulysses Odyss. XII, 201 sqq.; ut tamen recte haec teneas, cogitandum, legendo litus Troianos iam ad interiora freti Siculi aliquantum processisse.“ *Heyn.* — *Trinacria Aetna.* Vid. ad Aen. I, 196. — **555.** *Et gemitum* cett. Hunc versum cum antecedentibus propterea per Copulam connexum esse docet Wagn. Qu. Virg. XXXIII, 10., quod Aeneas ex utroque, et ex Aetnae vicinia et ex maris strepitu, Charybdin propinquam esse coniiciat. — *gemitum pelagi;* ut supra II, 53. *gemitum dedere cavernae*, et IX, 709. *dat tellus gemitum.* — **556.** *longe* (*weit, von weitem*), ut *longe videre* ap. Ovid. ex P. II, 7, 11., *longe adcurrere* ap. Ter. Eun. II, 3, 43., infra V, 579. *longe signum dare* etc.; neque aliter ap. Cic. Tusc. III, 14, 29. *longe ante videre* capiendum. — *fractas voces*, scil. maris. Quemcunque enim sonum *vocem* (*φωνήν*) dici posse, Serv. memorat ad Aen. VII, 519. et Thiel. conferri iubet Lambin. ad Lucr. IV, 527. Vid. etiam infra v. 669. ibique adnott. — *ad litora.* Medic. a m. sec. aliique Codd. *ab litore*, Donat. *in litore;* quare Wagn. suspicatur, Vergilium vere scripsisse *ab litore*, i. e. voces fractas ad litora et inde repercussas; imprimis cum eodem ducat Servii scholion: „cum fragore venientes.“ Equidem plurimorum et optimorum Codd. auctoritati parendum censui, etsi non adsentior Peerlkampio, qui, cum existimaret, *audimus ab litore* significaturum esse: audimus in litore stantes, non videtur considerasse adiectum Particip. *fractas.* Henry (*Tw. years* III. p. 39. et Philol. XI. p. 636.) paulo artificiosius coniungit verba *voces ad litora*, non *fractas ad litora* („*there where at the shore broken sounds, am Ufer waren gebrochene Worte*“), quam rationem locis, ubi simpliciter *fracti sonitus* (Geo. IV, 72.), *fracta vox* (Iuven. II, 111. Mart. Cap. IX, 889.) invenitur, probari opinatur. — **557.** *vada exsultant*, mare ex imo fundo sublatum in altum erigitur, ut Heyn. recte interpretatur, coll. supra v. 421. sqq. et Apollon. IV, 923. *τῇ δ' ἄμοτον βοάασκεν ἀναβλύζουσα Χάρυβδις.* Cf. etiam infra VII, 464. *Exsultantque aestu latices* et I, 125. *imis stagna refusa vadis.* — *miscentur harenae*, h. e. commoventur in fundo maris et mixtae in altum tolluntur. Vid. ad Aen. I, 107. Thiel. praeterea confert Ovid. Trist. I, 4, 5. *quantis nigrescunt aequora ventis Erutaque ex imis fervet arena vadis*, et Soph. Antig. 586 sqq. — **558.** *Nimirum*, quod poëtis minus frequentatur, hic sine irrisione vel ironia positum valet i. q. sine dubio, certe (*offenbar, in der That*). Cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. III, 4, 19. Matth. ad Cic. pr. Mur. 15, 32. Herzog. ad Caes. B. G. VIII. praef. p. 531. Beier. ad Cic. Off. II, 20, 71. Grysar. *Theor. des lat. St.* p. 554. Hand. Tursell. IV. p. 203 sq. alii. — *haec illa Charybdis*, i. e. haec, quam nunc conspicimus, est illa Charybdis, quam olim (III, 410 sqq.) Helenus canebat. Cf. Wagneri Qu. Virg. XX, 8., qui cum h. l. confert IV, 675. VII, 255. et 272. Vid. etiam infra et Liv. Praef. 10. et V, 2, 3. Cic. Cat. mai. 20, 72. Donat. et Westerh. ad Ter. Andr. I, 1, 98. Wunderl. et Bach. ad Tibull. I, 3, 93. Goerenz. ad Cic. Acad. I, 6. et Iahn. ad h. l. Omnium recentiorum editorum unus Ladew. ex Med., Pal., et paucis aliis Codd. (inter quos Bern. II. a m. pr.) pro *haec* recepit *hic.* Sed vide Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 378., vere contendens, loci significationem ab hoc loco esse alienam atque comparans Cic. de Div. I, 54. *Hoc nimirum est illud, quod de Socrate accepimus* et Ep. ad Att. IX, 9. *Nimirum hoc illud est, quod Caesar scribit.* — **559.** *scopulos - - saxa*, Scyllam. Vid. supra v. 410 sqq. et 420 sqq.

Haud minus ac iussi faciunt primusque rudentem
Contorsit laevas proram Palinurus ad undas;
Laevam cuncta cohors remis ventisque petivit.
Tollimur in caelum curvato gurgite et idem
Subducta ad Manis imos desedimus unda.

— **560**. *Eripite*, scil. nos et naves nostras periculis. (Cf. II, 289. *fuge - - teque his, ait, eripe flammis.*) Alii minus probabiliter supplent *remos*, ut *remos eripere* dictum sit pro *remos expedire*. De omisso Accus. Obiecti vid. ad Aen. II, 492. — *pariter*, ut V, 142. — *insurgite remis*. Vid. supra ad v. 207. — **561**. *Haud minus ac iussi*. De usu Particulae *ac*, *atque* a poëtis et posteriorum temporum prosaicis pro *quam* post Comparativos positae vid. Plaut. Merc. V, 2, 56. Catull. LXI, 176. Hor. Sat. I, 2, 21. II, 7, 96. Epod. XV, 5. Liv. XXII, 10, 6. Suet. Caes. 14. Ruhnk. ad Ter. Andr. IV, 2, 15. Bentl. et Heindorf. ad Hor. Sat. I, 1, 46. Ruddim. II. p. 101. Hand. Tursell. I. p. 472. sq. alii. Ceterum eadem verba (pro *minus* tantum *secus* posito) iam supra legimus v. 236. — *primusque - - Palinurus* etc., ut infra V, 833. — „*rudentem proram*, ὀγκωμένην, ut *gemere*, *βοᾶν*, *clamare*, h. e. stridere impulsu fluctuum ac sonare.“ *Heyn.* *Rudere*, quod proprie dicitur de bestiis, ut de leonibus Aen. VII, 16., de cervis Geo. III, 374. etc., hic transfertur ad navem suspirantem et frementem, quod subito cursum mutare cogitur. Heins. ad Aen. V, 143. et Schrader. male coniecerunt *tridentem*, quod prorae rostrum tridens affixum fuerit (vid. infra ad l. l.), quos recte refutavit Schirach. p. 572., Hoffmann. vero in *Zeitschr. f. d. Oest. G.* 1853. p. 419. *ruentem* et Peerlk. ex mutilata Servii adnot.: „Si *rudentem proram*, i. e. stridentem et sonantem in tempestate“ colligit, alteram lectionem fuisse *rudentes Contorsit laeva p. P. ad undas*. — *remis ventisque*, omnes vires intendens, ut cursus acceleretur. Vid. Drakenb. ad Sil. I, 568. (*Ite citi velisque remisque impellite puppim*), Ernest. ad Cic. Epp. ad Fam. XII, 25, 9. (*ventis remisque in patriam properavi*) et Kühner. ad Cic. Tusc. III, 11, 25. (*res - - omni contentione, velis, ut ita dicam, remisque fugienda*). Praeterea cf. Flor. II, 2, 18. *mox ventis remisque properatum est* et Plaut. Asin. I, 3, 5. *remigio veloque, quantum poteris, festina et fuge*. — *ventis petivit*, ut II, 25. *vento petiisse*. — **564** sqq. „Maris aestuantis et magnos fluctus moventis propter vicinam Charybdin et Scyllam agitationem et motum concitatissimum in transcursu sentiunt. Sed aucta haec omnia in rerum miracula. Cf. supra v. 420. et ad Tibull. IV, 1, 70—75.“ *Heyn.* — **564**. *curvato gurgite*, fluctibus ingentibus et sinuatis. Cf. Hom. Il. IV, 426. κυρτὸν κῦμα. Geo. IV, 361. Sil. I, 471. *flatuque tumescens* (mare) *Curvatis - - undis* (ubi vid. Heins. et Drakenb.), et Val. Fl. I, 1, 615. *freta curva ferunt* (ubi vid. Burm.). Admodum similem locum iam Aen. I, 106 sq. legimus. Cf. etiam Ovid. Met. XI, 505 sqq. — *idem*. Vide supra v. 541. — **565**. *ad Manes imos*, ut Geo. II, 292. et Aen. IV, 446. *in Tartara*. — *desedimus* ex plurimorum et optimorum Codd. auctoritate cum Iahnio et Wagn. restitui pro vulg. *desidimus*, quod duo modo Codd. praebere videntur, dum alii pauci aut *descendimus*, aut *discedimus* exhibent. (Secuti sunt omnes recentiores editores praeter Bryceum, qui *desidimus* retinuit.) Vere enim Wagn. et ad h. l. et ad Ecl. VII, 1. docet, Perfectum verbi *sidendi* formari *sedi* (coll. Aen. V, 841. VI, 192. X, 301. et Prisc. X, 5, 29. — quemadmodum a verbo *possido*, i. e. occupo, quod legatur ap. Lucr. I, 387., fiat *possedi* apud Cic. Verr. III, 68. et de Or. I, 50.); errasse igitur Nic. Heinsium multosque alios, quos laudent Drakenb. ad Sil. V, 3. (qui etiam ad Liv. II, 29, 6. conferendus) et Arntzen. ad Plin. Pan. c. 16., verae Perfecti formae alteram ubique substituentes, quamquam negari nequeat, verba *sedendi* et *sidendi* in Codd. saepissime confundi. Perfectum autem *desedimus* sensu non differre a Praesente *sedemus* ideoque apte cum *tollimur* coniungi potuisse, quod neutiquam sit Praesens historicum, ut Wund. censeat, Iahn. iam observavit. Cf. etiam Mart.-Laguna ad Lucan. III, 630. et quae ad Ecl. VII, 1. Geo. IV, 436. alibi adnotavimus. Ceterum

Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere,
Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole reliquit
Ignarique viae Cyclopum adlabimur oris.
Portus ab accessu ventorum inmotus et ingens
Ipse; sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis

---

desidere, *subsidere* et *sedere* verba propria sunt de navibus mersis aut tempestate depressis. Cf. Stat. Theb. XI, 522, Claud. IV. Cons. Hon. 627. B. Gild. 220. Sen. Herc. fur. 776. Lucan. III, 627. Sil. XIV, 411. — **566**. Cf. Hom. Od. XII, 104 sqq. „Fluctus cum fragore in cavernas litoris irruunt aestu maris propulsi; inde retro acti in alios fluctus, qui superveniunt, incidunt, quibus collisi undam in medio in vorticem actam eiaculantur.“ *Heyn.* — *clamorem dedere. Clamor* de rebus inanimatis legitur etiam ap. Lucr. VI, 146. et Hor. Od. III, 20, 39. Cf. modo v. 555. *gemitus* et adnott. ad Aen. II, 488. — **567**. *spumam elisam* Heyn. interpretatur: „fluctuum ad cautem allisorum“; sed rectius cum Wakef. ad Lucr. IV, 300. cogitaveris de spuma maris ad caelum allisa, cum sequantur verba *rorantia astra*. Heyn. confert Apollon. IV, 1238. *ἐπιβλύει ὕδατος ἄχνη*. — *rorantia astra*, hyperbolice: spuma maris astra attingit, ut ex iis guttatim destillet. Simili hyperbola paullo post v. 574. flamma Aetnae *sidera lambit*. Wagn. comparat infra v. 619. et adnott. ad II, 15. et V, 517. Ceterum Participium apud verbum videndi Graecorum more pro Infinitivo usurpatum, ut infra v. 652. 656. alibi. Vid. Wagn. Qu. Virg. XXIX, 6. — **568**. *fessos ventus cum sole reliquit;* nocte ingruente ventus, aquilo, ut plerumque fieri solet, cessavit; nam *cum sole* est i. q. simul cum sol occidebat; de quo usu huius Praepositionis, duas res eodem tempore simul factas esse indicantis, vide quos laudat Hand. Tursell. II. p. 141. et adde Kritz. ad Sall. Iug. 68. Sic Plaut. Amph. II, 2, 111. *abs te abii hinc hodie cum diluculo*. Cic. ad Att. IV, 3. *Metellus cum prima luce - - in campum - - currebat;* vel additis Adverbiis *simul, pariter:* Plaut. Merc. II, 1, 31. *ad portum hinc abii mane cum luci simul*. Sall. Iug. 68. *pariter cum occasu solis expeditos educit* etc. Cum omni loco cf. similis Rutilii Itin. I, 343. *Sic festinantem ventusque diesque reliquit*. — **569**. Quia *ignari viae* eramus, litus proximum appulimus, quod erat Siciliae, et ea quidem in parte, ubi habitabant Cyclopes. — *Cyclopum adlabimur oris*, ut supra v. 131. *Tandem antiquis Curetum adlabimur oris*. Ceteroquin non haerendum in tempore mutato (*reliquit* — *adlabimur*), cum sensus sit: postquam tandem ventus fessos reliquit, adlabimur. Cf. Wagn. Qu. Virg. VII, 10. — **570**. In omni hoc loco praestantissimo, quem temere vituperant Gellius XVII, 10. et Macrob. V, 17. p. 451 sq. Ian. cum Pindari Pyth. I, 34 sqq. comparatum, Vergilius potissimum Lucretium VI, 690 sqq. secutus est. In ipso autem portu terraque Cyclopum commemoranda poëta Homerum Od. IX, 136 sqq. *Ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος* cett. ante oculos habuit. „Portus ille Aetna profluviis totus nunc est oppletus. Homeri tempore Aetna intestinis incendiis saeviisse non videtur, etsi iam antea arserat, unde iam tum erant antra Cyclopibus habitata (de quibus [praeter Hom. l. l. et Hes. Theog. 140 sqq.] cf. Dorvill. Sicilia T. I. p. 247.); alioqui - - Homerus hoc naturae portento, ad poëticum ornatum tam accommodato, esset usus; id quod primus Pindarus, tum Orphicorum auctor Arg. 1249. - - facere non neglexerunt. Ceterum e Vergiliana narratione apparet, poëtam fuisse inter eos, qui Caprariam insulam et Cyclopum sedes ante Aetnam in litore orientali collocarent, non ad Drepanum et Erycem, ut alii et ipse Homerus, quem Cluverius sequitur (Sic. ant. I, 8.).“ *Heyn.* — **570**. *Portus - - inmotus*. Coningtoni haec verba complecti videntur duas notiones *ventis immotus* et *ab accessu ventorum remotus*. Quod adiicitur Epitheton *ingens* (ideoque amplus, capax, classi recipiendae opportunus), minus placet; non tamen amplector paulo audaciorem Peerlkampii coniecturam *undis*, quam etiam impugnat Freudenberg. p. 25. Vulgarem lectionem non solum omnium Codd., sed etiam Gellii l. l. auctoritas tuetur. — **571**. *Ipse, an sich*.

Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem
Turbine fumantem piceo et candente favilla
Attollitque globos flammarum et sidera lambit;
Interdum scopulos avolsaque viscera montis
Erigit eructans liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat fundoque exaestuat imo.
Fama est Enceladi semiustum fulmine corpus

Vid. adnott. ad Ecl. III, 74. et V, 54. Wagn. enim Qu. Virg. XVIII. p. 468. hunc locum recte sic interpretatur, ut sibi opponantur portus, qui per se spectatus est tranquillus, et mare vicinum horrificis Aetnae fragoribus commotum. — *horrificis tonat ruinis* Heyn. recte sic explicat: „fragore resonat, quem faciunt ruinae viscerum montis [cf. v. 575.]"; neque aliter Wakef. ad Lucr. V, 110. (ubi *horrisonus fragor*, ut ap. Amm. Marc. XXXI, 10. *horrificus fragor* commemoratur): „horrorem incutientibus fragminibus." Praeterea animadverte pingentes horum versuum numeros, in quibus literae *r* et *t* saepe repetitae horrifico montis fragori exprimendo aptissime adhibentur. — De *Aetna* monte, quem Lucilius, Senecae amicus, singulari carmine et Claud. R. Pros. I, 160 sqq. descripserunt, vid. librum meum geogr. III. p. 780. — **572** sqq. Cf. Pind. Pyth. I, 20 sqq. — *prorumpit nubem.* De activo huius verbi usu cf. Vechner. Hellenol. I, 1, 7. Sanctii Min. III, 3. (p. 371.) Ruddim. II. p. 220 sqq. Iahn. ad Ovid. Met. VI, 312. Schmid. ad Hor. Ep. I, 19, 44. alii cum iis, quae ad Geo. IV, 368. adnotavimus. Inde iam supra I, 246. *mare proruptum* legimus. — **573**. Auctor videtur ante oculos habuisse Lucr. VI, 691. *longeque favillam Differt et crassa volvit caligine fumum.* — *Turbine piceo et candente favilla* Heyn. explicat „globis fumi cum cinere permixtis," comparans Strabonis VI. p. 274. φλόγας καὶ λιγνύς. — *piceo*, atro (*pechschwarz*). Cf. v. c. Ovid. Met. II, 233. *picea caligine tectus*, ibid. XI, 549. *inducta picea e nubibus umbra*, et Claudian. (hunc locum imitatus) R. Pros. I, 163. *Nunc vomit indigenas nimbos piceaque gravatum Foedat nube diem.* — **574**. *attollit - - et s. lambit*, i. e. attollens lambit. Vid. adnott. ad Ecl. VI, 20. Geo. II, 56. imprimisque ad Aen. VI, 543. *Attollitque globos* legimus etiam in Anth. Lat. I, 171, 2. — *sidera lambit.* Cf. Eleg. ad Liv. 256. *Tandem ubi* (flamma) *complexa est silvas alimentaque sumpsit, Aethera subiectis lambit et astra comis.* Vid. supra ad v. 567. et de *lambendi* voc. ad II, 684. — **576**. *Erigit eructans* admodum bene de singulis ictibus s. pulsibus, quibus flammae prorumpunt. *Erigere* autem eadem ratione dictum, qua supra v. 423. VII, 530. et IX, 239. Pauci quidam Codd. praebent *Egerit*, quod temere praefert Burm. De verbo *eructandi* vid. ad VI, 297. et cf. Lucil. Aetna 26. *eructet ab imo ingenti sonitu moles.* — „*liquefacta saxa*, h. e. in vitrum conversa, interdum admixtis metallis; unde ῥύακες illi, rivi igniti." *Heyn.* — **577**. *cum gemitu.* Cf. adnott. ad Geo. III, 133. et Aen. II, 631. — *glomerat*, iaculatur tam celeriter et continenter, ut quasi unum glomum efficere videantur. Sic recte Henry in *Tw. years* III. p. 39 sq. et Philol. XI. p. 637. comparans Aen. II, 315. *glomerare manum bello.* Cf. autem idem ille Lucr. locus v. 700 sq. *ideoque extollere flammam Saxaque subiectare et harenae tollere nimbum.* — *imo fundo* (Heyn. comparat Pindari Pyth. I, 42. ἐκ μυχῶν) *exaestuat.* Cf. Geo. III, 240. *ima exaestuat unda.* — **578**. Satis nota est antiquitatis opinio, ignem subterraneum ex Aetna prorumpentem exire ex ore monstri alicuius fulmine percussi et sub illo monte humati; quod alii *Enceladum*, alii (Pindarus Pyth. I, 30 sqq. Aeschylus Prom. 35 sqq. Strab. XIII. p. 626. Ovid. Met. V, 346. et Val. Fl. II, 24.) *Typhoeum* s. *Typhonem* (de quo vid. ad Geo. I, 279. et Aen. IX, 716.), alii denique (ut Callim. in Del. 143.) *Briareum* vocant. Cf. Heyn. ad Apollod. I, 6, 1. p. 32. Et de *Encelado* quidem, uno ex Gigantibus, secundum Vergilium Iovis fulmine percusso, ex vulgari autem narratione a Minerva prostrato atque Aetnae monti cum fratribus subiecto, cf. Orph. Argon. 1249 sq. Eurip. Cycl. 5. Apollod. I, 6, 2. Lucil. Aetna 70 sqq. Hor. Od. III, 4, 56. Ovid.

Urgueri mole hac ingentemque insuper Aetnam
Inpositam ruptis flammam exspirare caminis;
Et fessum quotiens mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam et caelum subtexere fumo.

Am. III, 12, 27. ex Pont. II, 2, 11. Prop. II, 1, 39. Claud. R. Pros. I, 152 sqq. III. Cons. Hon. 161. Praef. in VI. Cons. Hon. 17. Val. II, 28 sqq. Oppian. Cyn. I, 273 sqq. alii. A Vergilio etiam infra IV, 179. commemoratur. — *semiustum corpus.* Libri plerique et antiquiores editt. itemque Probi (p. 10, 19. Keil.) Cod. Vat. *semustum*, quod Wagnero teste etiam infra IX, 200. Med. cum aliis exhibet; sed V, 697. idem Med. *semiusta*, ut Aen. IV, 686. X, 396. 404. XI, 635. al. *semianimis*, VIII, 194. *semihominis*. Equidem in verbis cum *semi* compositis synizesin ubivis statuendam puto, ubi boni Codd. adsentiuntur, cum sumendum sit librarios literam *i* potius omittendam, quam adiiciendam censuisse; quamquam contra Codd. auctoritatem nihil pro arbitrio mutandum, cum Romani ultimam literam voc. *semi* ante aliam vocalem modo servasse, modo abiecisse videantur. Cf. Drakenb. ad Liv. XXVII, 1, 15. Heusing. ad Ovid. Her. X, 32. Bach. ad Ovid. Met. XIV, 209. alii. Vide etiam supra ad v. 244. De ipsa synizesi vid. adnott. ad Geo. I, 397. Aen. I, 2. II, 735. al. Ex recentioribus editoribus Haupt. et Ribbeck. *semustum*, ceteri *semiustum* scripserunt. — **579.** *mole hac* montis superimpositi. — *insuper inpositam*, ὕπερθεν ἐπιτεθὲν ὄρος. Vid. ad I, 61. Bothius „ambiguitatis fugiendae causa" coni. *Impositum;* quemadmodum etiam Oeta, Ossa et similia montium nomina masculino genere usurpentur, intellecto *montis* vocabulo. Sed quis tandem praeter Bothium haec ambigua dixerit, vel cui in mentem venire possit coniungere *inpositam flammam?* Alia de causa in eandem coniecturam, aliter tamen capiendam, incidit Peerlk. Ut enim clarius appareat, non Aetnam esse, quae flammas exspiret, sed Enceladum, qui eas per Aetnam evomat, legi vult *Impositum* et *impositus Aetna* Graeca constructione accipi pro: sub Aetna positus, quemadmodum Stat. Theb. XI, 16. dicat *iniectas terras*. At Statii locus (*Sed gravat iniectus terras hostiliaque urit Arva*), in quo apertum est Accusativum pendere a verbo *gravat*, nihil valet ad hanc rationem satis contortam comprobandam. Ladew. denique in contextum recepit coniecturam a Meistero secum communicatam *Aetna Imposita*, quam etiam Buechner. in Progr. Suerin. a. 1863. p. 11. commendat totum locum sic constituens: *Urgueri molem hic ingentique insuper Aetna Imposita;* sed vide, quae Ladew. ipse in Append. p. 244 sq. contra eum disputat. — *flammam*, ab Encelado proflatam et montem perrumpentem, *exspirare caminis.* Cf. I, 44. *exspirantem transfixo pectore flammas.* Henry in *Tw. years* III. p. 41. et Philol. XI. p. 637. locum eadem ratione explicans confert Geo. IV, 556. *ruptis effervere costis.* — „*ruptis caminis*, h. e. cavernis et receptaculis flammae subterraneis, quae nove *caminos*, fornaces, dixit." *Heyn.* — **581.** *mutet.* Plures Codd. *motat*, quod Servius et post eum alii praetulerunt. Sed recte recentiores editores omnes et Wakef. ad Lucr. V, 467. vulgarem lectionem defendunt, quam cum Statii Theb. III, 595. (*aut ubi tentat Enceladus mutare latus*) et Claudiani R. Pros. I, 155. (*Et quoties retractat onus cervice rebelli In dextrum laevumque latus*) imitatio, itemque Schol. Lucani ad VI, 294. (*Aetna recipiens spiramina venti ingentes globos egerit flammarum, quod, quoties fit, dicitur fulminatum Enceladus mutare latus*) et ad VI, 92. (*Typho unus ex gigantibus premitur, qui dum se vertit in aliam partem, perhibetur anhelare et ignem spirare*) auctoritas atque Ovidii locus Met. XIII, 936 sq. *Gramine contacto coepit mea praeda moveri Et mutare latus* cett. (ubi vid. Heins. et Bach.) tuetur, tum ipsa sententia flagitat, in qua Indicativo locus concedi nullo modo potest, et *mutare latus* iacendo *fesso* multo melius convenit, quam *movere latus*. Ceterum cf. adnott. ad Ecl. V, 5. — **582.** *caelum subtexere fumo* ad exemplum Lucretii dictum, qui V, 467. *subtexunt nubila caelum* et VI, 482. *subtexit caerula nimbis* scripsit, ut VI, 478. *suffundere caelum caligine.* Similiter Lucan. VII, 519. *ferro subtexitur aether*, Avien. descr. terr. 64. *tenebrosa coelum*

Noctem illam tecti silvis inmania monstra
Perferimus nec, quae sonitum det caussa, videmus.
Nam neque erant astrorum ignes nec lucidus aethra
Siderea polus, obscuro sed nubila caelo,
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
  Postera iamque dies primo surgebat Eoo
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Cum subito e silvis macie confecta suprema
Ignoti nova forma viri miserandaque cultu
Procedit supplexque manus ad litora tendit.

---

subtexitur aethra, ibid. v. 148. *missilibus late subtexitur aër*, et variata structura Ovid. Met. XIV, 368. *patrio capiti bibulas subtexere nubes*. Cf. etiam *praetexere* IV, 172. — **583** sqq. „Nocte oppressi in litus escenderant et in nemoroso loco noctem exigebant. Per totam illam noctem audiunt ac vident *monstra*, h. e. monstrosum phaenomenon, rem portentosam.“ *Heyn*. Cf. infra VII, 21. Bene Wagn. in min. edit.: „Monstri instar Troianis erat strepitus ille ab Aetna editus, cum nocte oppressi, prospectu etiam per silvam prohibito, causam eius rei cognoscere nondum potuissent.“ — *sonitum* de montis fragore intellige. — **585**. Cf. Hom. Od. IX, 144 sq. Henry comparat Apoll. Rh. IV, 1694 sqq. *aethram sideream* Wund. interpretatur fulgidam aëris serenitatem, quam explicationem Particulae *neque* - - *nec* flagitent. Sed vere memorat Wagn., aëris serenitatem noctu nullam esse, nisi lucentibus astris, ideoque veram esse Heynii interpretationem: „nec caelum stellis fulgentibus lucebat.“ Particulae enim *neque* - - *neque* non semper disiunctive ponuntur, sed etiam interdum inserviunt uni eidemque sententiae per partes variandae, ut Geo. IV, 198. ubi vid. adnott. Cf. etiam Hand. Turs. IV. p. 129 sq. *Aethra* autem (*αἶθρα*) est splendor aetheris, qui sereno caelo conspicitur; quare etiam pro ipso aethere, i. e. superiore ideoque etiam puriore et clariore aëris plaga, ponitur. Cf. etiam infra XII, 247. Lucr. VI, 467. *surgere in aethram* et Silius IV, 103. *liquida non ullis nubibus aethra*. Macrob. VI, 4. p. 524. Ian. hunc affert Ennii locum (Ann. XVI. fr. 22. p. 63. Vahl.) *interea fax Occidit oceanumque rubra tractim obruit aethra*. Ceterum non nisi poëtis in usu videtur esse; ap. Ciceronem certe N. D. II, 45, 117., ubi vulgo legebatur *summa pars caeli*, *quae aethra vocatur*, nunc *aether* editur. — **587**. *in nimbo*. Codd. quidam omittunt Praepositionem; sed vide V, 666. — *nox tenebat*, occultabat, *lunam in nimbo*, nubilo aëre. *Ἀὴρ γὰρ παρὰ νευσὶ βαθεῖ' ἦν, οὐδὲ Σελήνη Οὐρανόθε προὔφαινε· κατείχετο δὲ νεφέεσσιν*, Odyss. IX, 144. 145., quem totum locum Vergilius ante oculos habuit. - - Imitatorem nostri habes Ovidium Met. XIV, 158 sqq., ubi ad Cumas alius Ulyssis socius substitisse fertur.“ *Heyn*. Ipse autem Vergilius ante oculos videtur habuisse hunc versum Ennii Ann. I, fr. 64. p. 17. Vahl. *Quom superum lumen nox intempesta teneret*. De epitheto *intempestae* noctis vid. ad Geo. I, 247. — **588**. Ubi primum dies apparuit, Achemenides (de quo vid. infra ad v. 614.) ex silva procedit. Cum structura huius loci cf. simillimus locus infra IV, 6 sqq. (praeterea autem I, 223. III, 301. V, 84. 328. 838. VII, 166. etc.). De Part. *iamque* - - *cum* (v. 590.) vid. supra ad v. 135. et quod attinet ad vocem *iamque* secundum sententiae locum obtinentem infra V, 225. — *primo Eoo*, mane; nam *ἑῷος ἀστήρ* est Lucifer, *Ἑωςφόρος, φωςφόρος*. Vid. ad Geo. I, 288. Ceterum cf. Aen. V, 42. — **589**. *humentem umbram* noctis, quae propter rorem poëtis ipsa *humida* dici solet. Vid. Aen. II, 8. Redit autem hic totus versus IV, 7. — **591**. *nova*, mira, *forma viri*. „Non hominem, sed homini simile aliquid vident. Sic Scipio Poenos Alpes transgressos *effigies et umbras hominum* vocat Liv. XXI, 40.“ *Gossr*. Conington confert infra IV, 556. et VI, 289. — *cultu* ad vestitum et externum habitum spectat. Cf. e. g. Ovid. Met. XIII, 163. *genetrix* - - *dissimulat cultu natum*, Vellei. I, 2, 2. *Codrus regia deposita veste pastoralem cultum induit* etc. et Ochsner. ad Cic. Ecl. p. 238. — **592**.

Respicimus. Dira inluvies inmissaque barba,
Consertum tegumen spinis; at cetera Graius,
Et quondam patriis ad Troiam missus in armis.

---

supplex manus ad l. tendit. Cf. Cic. pr. Font. 17, 38. *tendit ad vos virgo Vestalis manus supplices* et multos locos similes. Vid. supra adnott. ad v. 176. ad II, 405. et al. — **593** sqq. Interpretes conferunt antiqui poëtae de Thyeste versus a Cicerone Tusc. III, 12, 26. servatos, quos Vergilius ante oculos habuerit: *Refugere oculi: corpus macie extabuit: Lacrumae peredere humore exsanguis genas, Situ liventis: barba paedore horrida atque Intonsa infuscat pectus illuvie scabrum.* — *Respicimus*, fortasse prima et propria verbi significatione, ut II, 615. (qua in re nobiscum consentit Conington), quamquam Wagn. ad illum locum docet, *respicere* omnino dici, qui in aliam partem vel ad aliam rem convertat oculos, coll. praeter nostrum locum Aen. VI, 548. et VII, 454. Quaesita certe est Ladewigii explicatio: „*wir schauen und schauen ihn an.*“ — *Dira illuvies* etc. De omisso Verbo vid. ad I, 639. (ubi pro 392. lege 593. et adde II, 170. III, 618. IV, 131.) — *inmissaque* (in pectus) *barba.* Tres Codd. minoris pretii *demissa barba*, quam veram lectionem esse putat Wakef. ad Lucr. V, 673., cum et ibi legatur *demittere barbam.* Sed plurimorum optimorumque Codd. lectionem tuetur etiam Nonius 130, 9. et 330, 5. Vide etiam Ovid. Met. XII, 351. *Sternit et inmissa protectum pectora barba Hippason.* Immissa autem barba et immissi capilli spectant ad squalorem et incultum habitus. Cf. Ovid. Met. V, 338. VI, 168. (ibique Heins. et Burm.) Trist. I, 8, 90. et Bentl. ad Ter. Heaut. II, 3, 49. *Promissa barba* legitur Ecl. VIII, 34. — **594**. „*Consertum spinis tegumen*, vestem laceram ac detritam habebat, et, ne panni diffluerent, spinis pro filis consutam et sartam. Cf. Ovid. Met. XIV, 166. Ex his tamen ipsis pannis agnoscebant eum Graecum esse. Nec tamen male Servius: „Habet enim unaquaeque gens incessum et vocem propriam.“ *Heyn.* Forma *tegumen* invenitur etiam infra VII, 666. Ovid. A. A. III, 112. Colum. VII, 4, 4. Liv. IV, 39, 3. XXXVI, 32. extr. alibi, ut *tegimen* apud Ovid. Met. I, 674. Tac. Ann. II, 21. al.; vulgo enim hoc voc. in *tegmen* contrahi, satis notum. Ovidius quoque Met. XIV, 166. de Achemenide: *iam - - spinis conserto tegmine nullis;* nec minus alludit ad h. l. Tac. Germ. 17. *Tegmen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina consertum.* Vid. etiam Heins. et Burm. ad Lucan. IV, 136. — *at cetera* pro: sed cetera. Vid. adnott. ad Geo. II, 246. *Cetera* autem non tam pro Adverbio *ceterum* positum, quam pro Accus. absoluto habendum: *ad cetera, in ceteris;* qua ratione etiam *alia, omnia* usurpari constat. (Cf. etiam quae de voc. *multa* et *multum* ad Geo. III, 226. adnotavimus.) Sic Hor. Ep. I, 10, 2. *hac in re scilicet una Multum dissimiles: at cetera paene gemelli Fraternis animis* (ubi vid. Obbar. et Orell.). Sall. Iug. 19, 7. *praeter nomen cetera ignarus populi Romani* (ubi vid. Kritz. et Dietsch.). Liv. I, 35, 6. *ego virum, cetera egregium, secuta.* Vellei. II, 46, 2. *vir cetera sanctissimus* cett. Cf. Hand. Tursell. II. p. 41 sq., qui et exempla multa et longum indicem virorum doctorum exhibet de hac re disserentium. — *Graius* autem ex toto habitu et vestimentorum laciniis cognosci poterat. — **595**. Hunc versum Heyn. et Ribbeck. sine iusta causa spurium censent, et ille quidem ex II, 87. (*Pauper in arma pater primis huc misit in armis*) confictum, hic vero pro incepta dittographia v. 603. habet, atque etiam Ladew. eum fortasse delendum suspicatur, et Wagn. adnotat: „Resecuisset haec poeta, si licuisset retractare; potuit enim ea res ipsi nota esse, Aeneae nondum potuit.“ Sed probe considerandum est, hic Didoni narrari ab Aenea, quae, quamquam iam illo tempore, quo primum prodibat Achemenides, facile coniectari poterant, tamen postea demum certo cognita sunt; qua de re bene disputavit Kappes II. p. 5. et III. p. 22., cuius argumenta non infringuntur iis, quae Ladew. in Append. p. 245. protulit. *In armis* autem esse i. q. armis indutus, vix est quod memorem. Sic Val. Fl. VIII, 136. *hinc subitis inflexit in armis.* Sall. Cat. 37, 6. *si in armis foret.* Ovid. Trist. IV, 6, 33. *nitidis gladiator in armis.* Apul. Met. III. p. 137. *cum*

Isque ubi Dardanios habitus et Troia vidit
Arma procul, paulum aspectu conterritus haesit
Continuitque gradum; mox sese ad litora praeceps
Cum fletu precibusque tulit: „Per sidera testor,
Per superos atque hoc caeli spirabile lumen,
Tollite me, Teucri; quascumque abducite terras;
Hoc sat erit. Scio me Danais e classibus unum,

---

me viderent in ferro; infra Aen. V, 37. *horridus in iaculis,* ut Val. Fl. I, 641. *subitus trifida Neptunus in hasta,* V, 463. *levi Cytisorus in hasta,* Stat. Theb. IV, 221. *gravi metuendus in hasta* et iam ap. Ennium (Ann. fr. inc. 46. p. 74. Vahl. ex Servio ad h. l.) *leves in hastis.* Graeci eodem modo loquuntur; cf. Aesch. Prom. 424. *ὀξυπρῴροισι βρέμων ἐν αἰχμαῖς* (a Wagn. ad Aen. V, 37. laud.). Cf. etiam Aen. IV, 518. *in veste recincta* et similes locos. Ex permultis viris doctis, quos de hoc Praepositionis usu commentatos laudat Hand. Tursell. III. p. 260., cf. imprimis Duker. ad Flor. I, 1, 15. Drakenb. ad Liv. IX, 37, 5. idemque ad Sil. II, 132. Weichert. ad Val. Fl. VIII, 136. et Sillig. ad Virg. Cir. 109. et 251. *Et* autem, quod Burm. temere voluit in *Ut* mutatum, pro *et quidem* positum esse, Wagn. docet, qua de re conferri iubet Cort. ad Cic. Epp. XI, 29, 6. et Heusing. ad Cic. Off. II, 16, 57. Imprimis autem vide Hand. Tursell. II. p. 477 sq. et quos ille laudat. Sic etiam Peerlkampii coniectura *Et patriis, ut quondam ad Tr. missus, in armis* facile supersedemus. Praeterea vere adnotat Wagn., servato hoc versu, ad exspectationem excitandam aptissimo, intelligi demum, quae sit vis verborum *Dardanios habitus et Troïa arma.* — **596.** *Isque* Heyn. et Peerlk. temere in *Namque* mutatum volunt. Per *isque* enim pro simplici *is*, quod repetendi Subiecti vice fungatur, (ante vocalem) positum graviorem et incitatiorem reddi orationem, vere docet Wagn., coll. Aen. II, 115. IV, 203. V, 708. VI, 684. IX, 549. Cf. eiusd. Qu. Virg. XVII, 2, 6. — *habitus,* vestitum. De forma *Troïus* vid. ad I, 119. — **597** sq. Prius conterritus substitit, cum hostes videat, mox tamen Cyclopum recordatus immanitatem, quidvis potius pati, quam diutius inter eos morari paratus est. — **599.** Verba *Cum fletu precibusque tulit* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 74. — *Per sidera testor,* obtestor, imploro, obsecro. Vid. supra ad II, 154. et cf. infra VI, 459. *Per sidera iuro, Per superos.* — **600.** Cf. infra VI, 363. *Per caeli iucundum lumen. caeli spirabile lumen* Serv. explicat: vitale, (de) quo spiramus; *lumen* autem pro aethere, aura positum esse, quod lucem transmittat, Heyn. memorat. Rectius vero de h. l. disputat Kappes. III. p. 23 sq., qui collatis locis Aen. I, 546. et VI, 363. docet, *lumen* et *auram* res esse tam arcte coniunctas et sic ad vivendum necessarias, ut iure invocari hominesque per eos iurare possint, *caeli* autem *spirabile lumen* significare lumen terram circumdans et aura repletum („*den von der Luft erfüllten Lichtraum*"), in quo spiremus. Fortasse etiam licet explicare: lumen (*die Lichtmaterie*), quod cum aura spiritu ducimus; modo ne *lumen* ipsum auram s. aethera significare posse statuas. (Cf. etiam Geo. II, 340. *lucem haurire.*) *Spirabile lumen* certe nove dictum a Vergilio, quamquam de *spirabili animi natura* loquitur Cic. Tusc. I, 17, 40. et N. D. II, 6, 18., ubi vid. Heindorf. Ceterum cf. similis locus Aen. VI, 363. Quo iure Ribbeck. ex uno Med. a m. pr. (quocum consentire videtur Pal. a m. pr. *nomen* exhibens) receperit lectionem *numen,* non perspicio. — **601.** *Tollite me,* opem ferte et me vobiscum abducite. Proprie dicitur de tollendo in navem, currum, equum; quare plenius ap. Hor. Sat. II, 6, 42. *quem tollere rheda vellet,* ubi vid. Heindorf., et Ovid. A. A. III, 157. *Talem te Bacchus - - Sustulit in currus.* Sine eiusmodi additamento autem etiam infra VI, 370. *tecum me tolle per undas,* Ovid. Met. XI, 441. *Me quoque tolle simul,* et Sil. VI, 500. *Tollite me, Libyes, comitem poenaeque necisque.* — *abducite terras.* Vid. adnott. ad Aen. I, 2. — **602.** *Scio me Danais* etc.; ideoque exspectare non possum, ut benigne me excipiatis, neque hoc ab vobis peto; unum, quod volo hoc est, ut e Cyclopum manibus me eripiatis. — *Scio* monosyl-

Et bello Iliacos fateor petiisse Penates.
Pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri,
Spargite me in fluctus vastoque inmergite ponto.
Si pereo, hominum manibus periisse iuvabit."
Dixerat et genua amplexus genibusque volutans
Haerebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus,

---

labum esse apud Vergilium docet Wagn. ad Aen. IX, 296., coll. Lindemann. ad Plaut. Capt. V, 4, 10. et praef. p. XXV. Cf. etiam Schneideri Gr. Lat. I, 1. p. 91. Ramsh. §. 220, 4, b. et adnott. ad I, 698. Ceterum hunc locum imitatus est Val. Fl. I, 196. *Scio me cunctis e gentibus unum* etc. — *Danais e classibus.* Sic poëtis haud raro Adiectiva gentilia pro possessivis ponuntur; v. c. II, 618. V, 119. VI, 57. VII, 219. *Dardanus*, IV, 552. *Sychaeus*, VI, 876. *Romulus*, VI, 779. *Assaracus*, IX, 285. *Ilius* etc. Vid. etiam adnott. ad Aen. I, 686. Bentl. ad Hor. Od. II, 13, 8. Iahn. ad Ovid. Met. VII, 394. alii. — *Classes* autem de exercitu intelligendum navibus profecto, quamquam etiam navium notione prorsus neglecta *classem* de exercitu pedestri veteres Romani usurparunt. Vid. infra VII, 716. et cf. quae hac de re disputavi in Diss. mea de Lucretii carmine p. 86 sq., ubi etiam laudavi Grammaticorum locos huc facientes, Festi (p. 43. et 130. ed. Lind.) Isidori Orig. IX, 3. p. 1049. Gothofr. alios. — **603**. *petiise.* Vid. ad II, 25. — **604**. *si sceleris tanta est iniuria nostri*, si scelus meum tantum est; quam explicationem si probamus, pluralem et singularem numerum Pronominis personalis (*nostri — me*) de uno eodemque homine in eadem enuntiatione usurpatum habemus, ut saepe; possumus vero etiam *nostri* ad omnes Graecos referre, qui Troiae bellum intulerunt, quam tamen rationem Conington non tanquam unam mihi probatam debebat afferre. Ceterum cf. supra v. 256. — **605**. *Spargite.* Prius probavi Schirachii p. 596. rationem, qui *spargendi* vocabulum cum notione *vasti ponti* coniungit, ut sententia sit haec: vasto ponto me immergite et ita quasi me spargite in fluctus; collatus tamen locus Aen. IV, 600. *divellere corpus et undis Spargere* me movet, ut nunc cum Heynio, Thielio, Ladewigio, Coningtone et Kappesio III. p. 24 sq. Servium sequens et usitatam verbi *spargere* notionem retinens explicem: discerptum spargite s. discerpite et dispergite; quamquam Henry in Philol. XI. p. 637. illo ipso l. IV. loco probare studet, *spargite* simpliciter esse i. q. proiicite, scil. eodem corporis motu, quo sator semen spargat. Kappes. autem praeter locum laud. et Lucan. V, 684. *Invitis spargenda dabas tua membra procellis* premit etiam verba seqq. *hominum manibus periisse iuvabit.* Ceterum verba *Spargite me in fluctus* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 156. — **606**. *Si pereo.* Animadverte brevem syllabam arsis vi cum mira quadam gravitate productam, et cf. adnott. ad Ecl. I, 39. IV, 51. VI, 44. al. De hiatu autem vid. adnott. ad Ecl. II, 53. — *hominum manibus*; hic enim feris bestiis aliisque caeli et tempestatum iniuriis obnoxius sum. Ambros. Ep. I, 19. (a Peerlk. collatus) hunc locum sic imitatur: *Si pereundum est, iuvat perire manibus Palaestinorum.* — *periisse* pro perire; de quo usu Infinitivi Perfecti imprimis post verba voluntatis et potestatis ἀοριστικῶς usurpati, neutiquam solis poëtis proprio neque e Graeco sermone repetendo, cf. Wopkens Lectt. Tull. p. 238. ed. Hand. Bach. et Dissen. ad Tibull. I, 1, 46. id. Bach. ad Ovid. Met. II, 565. Schmid. ad Hor. Ep. I, 17, 5. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 2, 28. Madvig. Gramm. §. 407, 2. alii. Sic etiam infra VI, 79. *exercuisse*, Geo. III, 436. *iacuisse* etc. — **607**. *amplexus.* Vid. ad II, 514. — *genibus volutans* (*sich wälzend*, omisso Pronomine reflexivo: cf. ad Aen. I, 234. et alibi adnott.) *haerebat*, inhaerebat pedibus, genibus nostris, ex more supplicum. De *haerendi* verbo cum Dativo constructo cf. IV, 73. VI, 350. Hor. Od. I, 32, 10. Ovid. Met. IV, 35. Cic. Rosc. Com. 6. Ammian. XIX, 1. etc. Alibi incertum est, utrum tertius an sextus Casus adiunctus sit. — **608**. *Qui sit.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 19. Exspectaveris fortasse *quis sit*; sed cum non solum nomen quaeratur, sed adiungantur verba *quo sanguine cretus* et *quae deinde fortuna* etc., bene se habet Pron. *qui.*

Hortamur; quae deinde agitet fortuna fateri.
Ipse pater dextram Anchises haud multa moratus
Dat iuveni atque animum praesenti pignore firmat.
Ille haec deposita tandem formidine fatur:
„Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,
Nomen Achemenides, Troiam genitore Adamasto

Troiani enim, intelligentes, ex solo nomine audito sibi nondum plenam hominis fore notitiam, praetermittunt nomen rogare et statim conditionem eius sciscitantur: *was bist du denn für ein Mensch?* quare Iahn. p. 358. ed. II. cum hoc loco apte comparat Ter. Phorm. V, 8, 1., ubi Nausicrata interrogat: *Quis me nominat?* sed, cum alter nihil respondeat, nisi *hem!* inde facile colligens, illum nomen suum dicere nolle, sic pergit: *qui hic homo est?* i. e. si nomen dicere recusas, dic certe, qualis sis (*was für ein Mensch du bist*). — *quo sanguine cretus.* Vid. ad II, 74., ubi in simili loco haec verba iam legimus. — **609.** Verba sic iungenda esse patet: *Hortamur* (primum) *fari, qui sit* etc., *deinde fateri, quae fortuna* (ipsum) *agitet.* Quare Comma vulgo post *fortuna* positum cum Iahnio delevimus. Quod autem attinet ad locum, quo Adv. *deinde* positum est, cf. Aen. I, 195. ibique adnott. Aliter hunc locum capit Wagn., qui hic non minus, quam V, 741. IX, 781. et XII, 888., *deinde* idem fere significare censet, quod *iam*, ut *quae deinde* cum eadem emphasi dicatur, qua alibi *quae iam, quae tandem,* eademque est Abr. Vossii (Annott. ad duos priores Aen. libros p. 12.) sententia. Sed primum huic loco omnino nulla inest emphasis, deinde nusquam hanc vim habet Particula *deinde*, quae etiam in illis locis, quos Wagn. confert, nihil aliud significat, quam *post haec.* Vid. etiam adnott. ad IV, 561. Weickert. in libello saepius laud. p. 5. Iahn. in edit. II. ad h. l. et Freudenberg. p. 20. (Consentit mecum Conington.) Idem Wagn., coll. adnot. sua ad Aen. I, 8., *fortunam* hic maiore litera initiali scripsit, cum sensus sit: quibus modis agitet Fortuna; quae ratio mihi paulo artificiosior videtur. (In min. tamen edit. vir doct. recte mutavit sententiam.) — *fateri* interdum simpliciter est verum indicare, ita ut praegressum aliquod celandi studium plane non spectetur. — Peerlk. verba *quae deinde agitet fortuna fateri* temere spuria censet. Recte enim Freudenb. l. l. memorat, „ubicumque apud Vergilium alienigenae hospitesve primum inter se congrediantur, non solum de nomine atque origine interrogantes eos induci, sed etiam unde profecti sint, quo contendant, quid petituri venerint et quae sint id genus alia,“ coll. locis Aen. VII, 195 sqq., VIII, 112 sqq., X, 149 sqq., quibus adde II, 74 sqq., de quo prius agit. — **610.** *Ipse pater.* Vid. ad Ecl. VIII, 96. et X, 63. — *haud multa moratus.* Cf. adnott. ad Geo. III, 226. — **611.** *animum firmat.* Cf. Geo. IV, 386. *firmans animum.* — *praesenti pignore,* i. e. efficaci, fidem faciente; ut *praesens auxilium, praesens remedium* et similia. Vid. ad Geo. II, 127. Intelligitur autem data dextra. Cf. I, 408. III, 83. etc. — V. **612.** iteratur ex II, 76., ubi tamen de eius αὐθεντίᾳ dubitatur. — **613** sqq. De toto loco *Heyn.* haec adnotat: „Hoc de Achemenide (nam est Ἀχημενίδης) episodium totum Vergilii ingenio deberi videtur, ut ita Homerica [Od. IX, 286 sqq.] de Cyclope intexere versibus suis posset. - - Temporum quidem rationi adversatur hoc episodium; Ulysses enim inter initia errorum ad Cyclopas venerat, at Aeneas multo posterius: sed in talibus - - male poëtas reprehendas.“ Praeter Maronem enim nemo, nisi Ovidius, qui eum sequitur Met. XIV, 161 sqq. et ex Pont. II, 2, 25., huius Achemenidis mentionem facit. Animadverte autem, quam bene narratio eius interrupta fereque hiulca conveniat animo consternato, formidinem sensim modo deponenti. — *patria* non Adiectivum est (ut Aen. II, 180. *patrias Mycenas*), sed *Ithacae* per appositionem adiungitur. — De forma Genitivi *Ulixi* vid. ad Geo. III, 91. et Aen. II, 476., de ipso autem nomine *Ulixis* ad Aen. II, 7. — **614.** *nomen Achemenides,* scil. mihi est, ut VIII, 35? *fuerat illi Saturnia nomen.* Cf. supra adnott. ad v. 18. Ribbeck., Lade

Paupere — mansissetque utinam fortuna! — profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Inmemores socii vasto Cyclopis in antro
Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis
Intus opaca, ingens. Ipse arduus altaque pulsat
Sidera — Di, talem terris avertite pestem! —
Nec visu facilis nec dictu adfabilis ulli.

---

et Conington ex Med., Pal., Gud. et Bern. III. a m. pr. receperunt lectionem *Nomine*, iam ab Iahnio ad Aen. XII, 515. commendatam; sed verissime Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 378. *Sum nomine Achemenides* Latinum esse negat. Locus enim a Ladew. comparatus, Hor. Epist. 1, 7, 53. *Abi, quaere et refer, unde domo, quis* (sit) - - - *It, redit et narrat, Vulteium nomine Menam* etc., non prorsus eiusdem est generis. Accedit, quod etiam infra XII, 515. iidem fere Codd. pro vulg. *Nomen Echionium* falso exhibent *Nomine Echionium*, quare hic omnium antiquorum Pierii et potiorum Heinsii Codd. lectionem non deserendam putavimus. Peerlk. censet, Vergilium post haec verba melius orationem finiturum fuisse, quare, quae sequuntur, *Troiam - - profectus* spuria et fortasse ex Aen. II, 86. ficta censet. — *genitore paupere*, absolute, scil. natus, ortus (vid. X, 205. XI, 666. Cic. Cat. I, 2, 4. *C. Gracchus, clarissimo patre, avo, maioribus* etc. coll. adnott. ad IV, 36. et X, 183.). Si quis miratur, hunc Ablativum adiungi verbis *Troiam profectus*, conferat supra II, 87. *Pauper in arma pater primis huc misit ab annis* ibique adnott. — *mansisset utinam fortuna*, utinam mihi mansisset conditio illa, etsi minus prospera, in domo paterna; utinam, quamquam pauper, domi manere potuissem! — **616.** „Cum Ulyssis socii, ne Cyclops iniuriam ulcisceretur, fuga se proriperent, Achemenides forte remansit.“ *Heyn.* De fuga Ulyssis eiusque sociorum ex antro Polyphemi cf. Hom. Od. IX, 453 sqq. Hyg. f. 125. Ovid. Met. XIII, 755 sqq. XIV, 167 sqq. alii. — *Hic - - in antro.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 53. et III, 12. Dorvill. in Obss. miscell. T. I. p. 174. et, qui hunc laudat, Hand. Tursell. III. p. 76. — *trepidi*, prae festinatione. Vid. ad X, 283. *Dum linquunt - - Deseruere.* De Part. *dum* cum Praesente constructa, sequente Perfecto, vid. adnott. ad Geo. IV, 560. (et Ecl. VII, 6.), de ipsa autem re Ovid. Met. XIV, 160 sqq. — **617.** *Inmemores* mei. Cf. II, 244. ibique adnott. — **618.** *sanie dapibusque cruentis* est Ablativus qualitatis (de quo vid. adnott. ad IV, 517.): domus foeda sanie etc. Sic supra I, 639. *vestes ostro superbo*, VIII, 197. *ora tristi tabo*, VII, 474. *claris dextera factis* etc. Quare nec Stephani et Burmanni dura et perversa ratione verba coniungendi opus est: *domus sanie et dapibus cruentis opaca*, nec Wittiana coniectura, Heynio probata: *domus sanie dapibusque cruenta*, nec Peerlkampii commento *sanie dap. cruentis Pinguis* (a Freudenbergio p. 30. impugnata); quamquam non nego, simplicis Ablativi usum hic paulo esse duriorem, quem tamen etiam tuetur Gellii V, 8. auctoritas, propterea verba *Domus - - ingens* afferentis. Ladew. de Ablativo materiae cogitat coll. Aen. I, 656. et III, 286. („*die sanies und die dapes cruentae erscheinen als alleiniges zum Hause verwandtes Baumaterial*“); quod num alii probaturi sint, dubito. — **619.** *arduus.* Vid. infra v. 665. *latera ardua* et adnott. ad Geo. II, 145. — *alta pulsat sidera. Sidera* et *astra* poëtis haud raro significant altum aërem (ut V, 517.), quare res admodum procerae ab iis ad astra se adtollere et sidera tangere dicuntur. Cf. Geo. II, 427. Aen. I, 103. (III, 574. V, 759.) XI, 136. et supra v. 567. Sic etiam ap. Sil. Ital. XVII, 651. *tangens Tirynthius astra.* Henry (*Tw. years* III, p. 42. et Philol. XI. p. 638.), cui *pulsat* recte non solum est *tangit*, sed fortius *capite ferit*, apte comparat Hor. Od. I, 1, 36. *Sublimi feriam sidera vertice.* Quod autem attinet ad coniunctionem verborum *arduus altaque pulsat sidera*, cf. adnott. ad Geo. I, 142. Iahn. ad Aen. XI, 569. et Kritz. ad Sall. Cat. 8, 1. — *pestem* Heyn. explicat per: „pestilens et exitiosum hominum vitae monstrum.“ Vid. supra ad v. 215. Ceterum similiter supra v. 265, *Di, talem avertite casum.* — Cum v. **621.** Conington Hom. Od. IX, 230. et 257. conferri iubet. *Nec visu fa-*

Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum sanieque exspersa natarent
Limina; vidi atro cum membra fluentia tabo
Manderet et tepidi tremerent sub dentibus artus.

---

cilis, cuius adspectum nemo facile ferat, vel, Servio interprete, „cuius possit etiam adspectus inferre formidinem" (cf. Geo. II, 223. IV, 272. ibique adnott.); *nec dictu affabilis*, cuius colloquium nemo potest sustinere. Heins. et Burm. conferunt Attii versum ap. Macrob. Sat. VI, 1. (Jan.) *Quem neque tueri contra neque affari queas*, Stat. Silv. II, 72. *Terribilem affatu passus visuque tyrannum*, et Sil. Ital. I, 175. *ferum visu dictuque*, Henry autem (*Tw. years* III, p. 43. et Phil. l. l.) Ovid. Met. XIII, 760. (de eodem Polyphemo): *Visus ab hospite nullo Impune* et Plin. Pan. 48. (de Domitiano): - - *occursu visuque terribilis* - - *non audire quisquam, non alloqui audebat.* Ceterum Pal., Gud., tres Bern., Prisc. p. 1166. (ubi tamen meliores Codd. *affabilis* exhibent), Anon. de verbo 36. p. 168. Endl. atque Serv. Bern. et hic et infra ad v. 644. minus apte *effabilis*. Iteratur autem hic versus in Anth. Lat. I, 170, 103. et I, 178, 234. — **622**. Verba *Visceribus miserorum* iterantur in Anth. Lat. III, 81, 88. — **623** sqq. Cf. Odyss. IX, 288 sqq. et Ovid. Met. XIV, 203 sqq. Maronem imitatus. Similem rei tragicae descriptionem etiam Hor. Sat. I, 8, 23 sqq. incipit a verbis *Vidi egomet.* — — *corpora*. Vid. adnott. ad Aen. I, 70. — **624**. „*resupinus* [cf. I, 476.] bene nisum iacentis exprimit, dum ad colligendas vires corpus reducit ac recurvat." *Heyn.* Ceterum haec tota descriptio Cyclopis homines devorantis, quamquam nostro sensui minus conveniens, vere tamen poëtica est et rem horrendam horrenda pingit imagine. — **625**. *exspersa*, i. e. longe lateque conspersa, ut totum limen madeat, quod apte respondet sequenti *natarent*. Sic autem multi boni Codd., de quorum lectione iam Serv. sic iudicat: „*Exspersa*, haec fuit vera lectio, i. e. madefacta. Nam si *adspersa* dixeris, i. e. irrorata, tapinosis et hyperbole iunguntur," quamque propterea nunc alteri lectioni haud dubie ex interpretamento ortae praetuli, etsi non memini alius loci, ubi hoc Participium hac significatione usurpatum legatur; nam apud Catull. LXVI, 77. *exspersa* mera est Heinsii coniectura, neque minus dubia est apud Veget. III, 19. lectio *in campis exspersis.* Sensu dispergendi et dissipandi *exspergendi* verbum invenitur apud Lucr. (III, 827. ubi tamen a Lachm. hic totus locus in l. V. repetitus omittitur, et) V, 372. et in uno alteroque Cod. Claud. R. Pr. II, 85. et Sen. Herc. Fur. 87. Wagn. hic comparat Hom. Od. IX, 458. *τῷ κέ οἱ ἐγκέφαλός γε διὰ σπέος ἄλλυδις ἄλλη θεινομένου ῥαίοιτο πρὸς οὔδεϊ* atque etiam in Philol. Suppl. I. p. 378. contra Ladew., Haupt. et Peerlk. (quibus nunc addendus Ribbeck., ipse tamen in Proleg. p. 308. propterea se vituperans et retractans ea, quae ibid. p. 190. scripserat) disputat, qui *aspersa* ex Med. receperunt. (Conington nobiscum *exspersa* servavit.) — *natarent*. Cf. Geo. I, 372. ibique adnott. Cic. Phil. II, 41. *natabant pavimenta, madebant parietes*, Ovid. Met. XIII, 629. *manans sanguine terra* et similia. Peerlk. tamen, haerens in *liminibus sanie natantibus*, pro *Limina* praeter necessitatem coni. *Lumina*, ut oculi ex capitibus saxo illisis sparsi in sanie natare dicantur. — **626**. *membra fluentia tabo*, ex quibus tabum (vid. supra ad v. 29.) defluebat. Sic infra IX, 472. *ora atro fluentia tabo.* Lucan. II, 166. *Cum iam tabe fluunt* (artus). Liv. XXXVIII, 17, 7. *fluunt sudore membra.* Ovid. Met. VII, 343. *Ille cruore fluens.* ibid. IX, 57. *sudore fluentia multo Brachia.* Val. Fl. VI, 360. *pingui fluit unguine tellus.* Silius III, 705. *multo fluentia sanguine lora* cett. Cf. etiam Geo. II, 166. — Cum v. **627**. cf. Ovid. Met. XIV, 194 sqq., imprimis verba *elisi trepident sub dentibus artus*, et XV, 92. *tristia mandere saevo Vulnera dente iuvat ritusque referre Cyclopum.* Ceterum pro *tepidi* Codd. quidam (etiam Med., sed litera R puncto superposito nota

Haud inpune quidem; nec talia passus Ulixes
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus vinoque sepultus
Cervicem inflexam posuit iacuitque per antrum
Inmensus saniem eructans et frusta cruento

---

et Pal. a m. sec.) *trepidi*, quod ab Heinsio receptum Burm. rursus reiecit et Wagn. e prima syllaba sequentis vocis ortum esse censet. *Trepidi cum tremerent* mihi quidem (ut iam Servio) languidum pleonasmum efficere, neutiquam vero, quod Iahn. censet, rem magis horridam exhibere videtur (in quo mihi adsentitur Conington), quare miror, Schirachio quoque p. 621. Peerlkampio et Ladewigio (qui comparat Graec. πολεμὸν πολεμεῖν, κίνδυνον κινδυνεύειν et similia) hanc lectionem probari. Cf. etiam Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 379., qui Ladewigio quaerenti, qui Achemenides *videre* potuerit, artus esse *tepidos?* vere opponit: „Ad quid cogit nos illud *vidi* ad teporem referre, quod poeta rettulit ad verbum *tremerent?* *Tepidi* autem adiectum est, quo intelligeretur, quare tremerent artus, scil. quia etiamtum tepidi nondum omni vi vitali destituti erant" et Haeckerm. in *Zeitschr.* p. 114. Wagnero adsentiens. — *tremerent*: cf. Aen. I, 212. Ceterum praeter Ovidium l. l. (*elisi trepident sub dentibus artus*) imitatur hunc locum Silius IV, 378. *pugnantque feris sub dentibus artus*. — Cum v. **628**. Heyn. conferri iubet Hom. Od. IX, 299 sqq. et 216 sqq. et Conington praeterea ibid. v. 475 sq. Verba *Haud impune quidem* repetuntur in Anth. Lat. I, 168, 14. et 178, 24. — **629**. Cf. Val. Fl. III, 664. *Oblitave numine fesso Iuno sui* et Claud. Praef. II. in Rufin. 19. *Oblitusve sui posita clementior hasta*. Vid. etiam Anth. Lat. I, 146, 11. et 178, 18. — *sui*, i. e. calliditatis et astutiae suae; nam Pronomina personalia interdum pro singulari aliqua hominis, de quo sermo est, virtute ponuntur; quod hic eo magis fieri poterat, si vera sunt, quae Thiel. disputat, *Ithacum*, nomine *Ulixis* iam commemorato, propterea adiectum putans, ut astutia eius magis prematur, cum hoc Ulyssis epitheton apud Vergilium et Ovidium semper vafritiae notionem contineat, ut *Saturnia Iuno* crudelitatis, *Dionaea Venus* caritatis cett.; qua de re conferri iubet Serv. ad Aen. I, 23. IV, 372. V, 606. Cautius tamen iudicat Wagn. haec adnotans: „Ithacus appellatur a Vergilio Ulixes, ubi tangitur eius vafrities, tamquam hoc traxerit a patria. Cf. II, 104. 122. et VI, 511."; quibus etiam Haeckerm. non amplius adversabitur. Quod autem attinet ad collocationem verborum, cf. supra v. 161. *Non haec - - suasit Delius, aut - - iussit - - Apollo*, ibique adnott. — **630**. Cf. Hom. l. l. v. 296 sq. et 371 sq. — *simul* pro simulatque. Vid. ad XI, 908. — *sepultus*, motu et sensu privatus. Vid. ad II, 265. — **631** sqq. Cf. Hom. ib. v. 327 sqq. Verba *Cervicem inflexam posuit* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 237. — *per antrum* fortius quam *in antro;* spectat enim corpus Cyclopis humanae magnitudinis modum longe excedens, quasi antrum expleverit. Cf. Quinct. Inst. VIII, 3, 84., hunc locum afferens. — **632**. *Inmensus*, quod a Medic. aliisque bonis libris suppeditatum iure defendunt Burm. et Heyn. contra Servium aliosque, atque omnes recentiores editores servarunt, poëta longe dignior est lectio, quam altera (Palat., Gud. et Bern.1. a m. pr.) *Immensum*, quae iuxta illa verba *per antrum* friget. Pauci Codd. *Immensam saniem*, quod etiam Clercquium Observv. ad Lucan. Spec. II. p. 87. coniecisse memorat Iahn. et quod Peerlk. quoque amplectitur (*immensam saniem*, i. e. quam in alvum immerserat), qui conferri iubet Boëth. IV. metr. 7. *Flevit amissos Ithacus sodales, Quos ferus vasto recubans in antro Mersit immani Polyphemus alvo.* Sed vide, quae contra eum disputat Freudenberg. p. 26. Cf. etiam Burm. ad Ovid. Met. III, 37. et ad Val. Fl. VI, 553., qui hic comparat infra VI, 423. *totoque ingens extenditur antro*. Adde Aen. II, 135. *obscurus in ulva Delitui*, V, 387. *gravis - - castigat Aeestes*, ibid. v. 459. *ictibus heros creber - - pulsat*, VIII, 299. *Arduus arma tenens*, X, 196. *minatur Arduus*, XII, 926. *incidit ictus Ingens ad terram* et similes locos. — **632**. *frusta* carnis devoratae, ut I, 212. Cf. Ovid. Met. XIV, 211. *Mandentem*

Per somnum commixta mero, nos magna precati
Numina sortitique vices una undique circum
Fundimur et telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar,
Et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, o miseri, fugite atque a litore funem
Rumpite.
Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro

---

temque videns eiectantemque cruentas Ore dapes et frusta mero glomerata vomentem, ubi vid. Bach. Ceterum Medicei reliquorumque Codd. fere omnium auctoritate moti cum Wagn. revocavimus copulam *et* pro vulg. *ac.* Secuti sunt omnes recentiores editores praeter Bryceum. — **633**. *commixta mero.* Vid. praeter Ovidii l. l. infra Aen. IX, 349. et Sil. XV, 434. *permiscetque mero ructatos ore cruores.* — **634** sq. Cf. Hom. l. l. v. 331 sqq. et 378 sqq. — „*sortiti vices*, quid unicuique nunc esset agendum in excaecando monstro.“ *Heyn.* Cf. supra v. 510. — *circum Fundimur.* Vid. ad II, 383. — *terebramus.* Cf. Hom. l. l. v. 382 sqq. Donat. et Serv. commemorant etiam lectionem *tenebramus*, quod verbum cadentis Latinitatis a Vergilio alienum. — *lumen.* Vid. ad Geo. III, 433. et Aen. IV, 364. — **636**. *Ingens.* Vid. Geo. I, 477. cum adnott. ad Ecl. V, 21. et VII, 50. Thiel. confert Iuven. Sat. IX, 65. *Polyphemi Lata acies, per quam sollers evasit Ulixes.* — „*latebat* quanto ornatius quam *erat!* Vides eadem voce simul torvam frontem, horridas palpebras, hirsutum supercilium; λασιὰ μὲν ὀφρὺς ἐπὶ παντὶ μετώπῳ Ἐξ ὠτὸς τέταται Theocr. Id. XI, 31.“ *Heyn.* Ceterum cf. Silius III, 75. *torvaque oculos sub fronte minaces.* Martial. IV, 14. *Nec torva lege fronte - - libellos*, et Markl. ad Stat. Silv. II, 5, 15. — **637**. *Argolici clipei*, qui rotundus erat (ἀσπὶς πάντοσε ἴση, Hom. Il. III, 347. al.), cum ceteri essent vel oblongi vel quadrati, et tantae magnitudinis, ut totum hominem tegeret. Cf. Paus. II, 25. Heyn. ad Apollod. II, 2, 1. et Caryophylus de veterum clypeis p. 41 sqq. Comparant cum h. l. Callim. Hymn. in Dian. 53. de Cyclopibus: πᾶσι δ' ὑπ' ὀφρὺν Φάεα μουνόγληνα, σάκει ἴσα τετραβοείῳ, Δεινὸν ὑπογλαύσσοντα. Ex Vergiliano autem fonte hausit Ovid. Met. XIII, 851 sq. ubi Polyphemus, *unum*, inquit, *est in media lumen mihi fronte, sed instar Ingentis clipei.* — *Phoebeae lampadis*, solis, in qua quidem comparatione non minus, quam in priore, solius magnitudinis, non splendoris ratio habetur, quod iam Part. *aut* indicat. Sic *Phoebea lampas* etiam IV, 6. et *lampas* simpliciter Aen. VII, 148. de sole legitur, alibi (Lucr. VI, 1196.) pro die, ut ap. Val. Fl. VII, 366. *lampas Phoebi* pro nocte. — **638**. Cf. Hom. l. l. v. 475 sqq. — *tandem* Gossr. recte refert ad longum oculi ingentis effodiendi laborem. Ceterum hic versus totus iteratur in Anth. Lat. I, 170, 146. — **639**. Animadvertas aptissimos huius versus numeros, qui crebris elisionibus et dactylico rhythmo summam celeritatem et festinationem optime depingunt, quare etiam sequentem versum erunt qui consulto et cum singulari quadam vi et gravitate a Vergilio imperfectum relictum esse censeant. Vid. adnott. ad I, 634. — *Peerlk.* haec adnotat: „Hic etiam religionem et curam Virgilii admiror. Potuisset versum absolvere: *Sed fugite, o miseri, atque a litore rumpite funem.* Sensit esse elegantius, si *fugite* repeteretur.“ *Rumpite* autem festinationem magis suadere, quam *solvere*, in promptu est. Cf. etiam IV, 575. — *funem*, retinaculum. Vid. Geo. I, 457. et supra v. 266. — **641**. Bryantus hunc versum cum tribus sequentibus ab aliena manu interpositos temere suspicatur, et Peerlkamp. certe versum 642. abesse malit, cum eo omisso oratio melius et gravius procedat; quod enim Polyphemus pecudes in antro claudat et mulgeat, hoc nihil facere ad terrorem augendum, immo aliquid valere ad minuendum. Sed tum plane abundant verba *in antro.* Totus autem locus propterea non potest abesse, quia continet causam exhortationis v. 639. — *qualis quantusque Polyphemus - - claudit pecudes* cett., i. e.

Lanigeras claudit pecudes atque ubera pressat,
Centum alii curva haec habitant ad litora volgo
Infandi Cyclopes et altis montibus errant.
Tertia iam Lunae se cornua lumine conplent,
Cum vitam in silvis inter deserta ferarum
Lustra domosque traho vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio sonitumque pedum vocemque tremesco.
Victum infelicem, bacas lapidosaque corna,

---

qualis quantusque est P., qui claudit, vel cum claudit; ut I, 498. *qualis - - exercet*, et XII, 701. *Quantus Athos aut quantus Eryx* cett. Vid. etiam Tibull. I, 7, 16. III, 6, 23. Silius I, 127. alios, coll. Huschk. et Dissenii adnott. ad Tib. ll. ll. Wund. *qualis* ad habitum, *quantus* ad staturam refert rectissime. Cf. adnott. ad II, 591. Quod autem ad illum poëtarum usum attinet, ex quo pro simplici verbo *esse* (vel *vivere*, *stare* etc.) ponitur verbum actionem aliquam vel conditionem significans (ut hic *claudit pecudes atque ubera pressat*), Thiel. conferri iubet Cort. ad Lucan. I, 135. — *Lanigerae pecudes.* Vid. adnott. ad Geo. III, 287. — *ubera pressat.* Vid. Ecl. III, 99. — **643.** *volgo*, passim. Cf. Ecl. IV, 25. Geo. III, 363. 494. Aen. VI, 283. Liv. XXVI, 28. *vulgo facere incendia* etc. Quod autem attinet ad scribendi rationem per *o*, cf. Wagn. Orth. Verg. p. 446. Corsen. de pron. I. p. 243 sqq. et Ribbeck. Proleg. p. 438. — **644.** Iaekius in uno Cod. invenit *infandum*, quare Peerlk. suspicatur, Vergilium fortasse scripsisse *vulgus infandum Cyclopes*. — **645** sqq. Cf. cum h. l. Ovid. l. l. v. 214 sqq. et Prop. III, 13, (II, 20,) 21. *Septima iam plenae deducitur orbita lunae, cum* cett. praeterea autem Ovid. Met. VII, 179. X, 295. et similes loci. — **646.** „*domos*, sc. *ferarum*, non otiosum post *lustra;* nam speciem rei clariorem exhibet, quam voc. proprium dabat.“ *Heyn.* — *deserta lustra*, non a feris ipsis deserta, sed ab hominibus non frequentata. Vid. adnott. ad Aen. II, 714. Ceterum cf. VII, 404. *inter silvas, inter deserta ferarum.* Verba *inter deserta ferarum* repetuntur in Anth. Lat. I, 168, 11. et 178, 300., *domos et lustra ferarum* autem legimus etiam in Nemes. Cyn. 98., ut *domus ferarum* ap. Grat. Cyn. 235. — *vitam traho.* Vid. ad Aen. II, 92. — *vastosque.* Codd. quidam *vastaque* vel *vastoque*, sed vulgatam tuentur optimi libri et Lutat. ad Stat. Theb. I, 409. Vid. etiam infra v. 656. — *ab rupe* Heyn., Henry (*Tw. years* III. p. 44. et Philol. XI. p. 638.) et Conington cum voc. *Cylopas* coniungendum putant, ut Cyclopes in montibus errantes intelligendi sint (coll. v. 644.); cui artificiosae explicationi (ex qua *ab rupe* esset i. q. a parte vel regione rupium, ut ap. Liv. I, 37, 3. *ab cornibus* et similia) iam Singularem *rupe* obstare, recte observavit Wund. Cf. etiam Hand. Turs. II. p. 193., et ipse coniungens *ab rupe prospicio*, et quae Lindemann. contra Henr. disputat in Iahnii Annal. LXVIII. p. 619.; quamquam sane *ex* vel *de* aliquo loco *prospicere* usitatius est (cf. VIII, 603.). Nihilominus etiam Ladew. cum Heynio, Henr. et Coningt. facere videtur, cum infra v. 655. 675. Hom. Od. IX, 113. et adnot. ad Aen. I, 160. conferri iubeat. Etsi autem Cyclopes re vera in summis montibus apparebant, poterant tamen ab inferiore aliqua rupe prospici. In collocatione vero verborum nemo, puto, cum Henrico impedimentum inveniet, quominus iungamus verba *ab rupe prospicio.* Etiam Wagn. recte adnotat: „*ab rupe* prospicio, quia in silvis arbores prospectum adimebant“. Cf. etiam v. 651. — **648.** *tremesco* cum Ribbeckio et omnibus recentioribus editoribus praeter Bryceum ex Med. aliisque bonis libris pro vulg. *tremisco* recepimus. Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 476. *Tremiscere* (s. *tremescere*) transitive cum Accusativo Obiecti constructum redit infra XI, 403. Cf. etiam Aen. VIII, 350. Stat. Theb. IX, 686. *Notamque tremiscit Silva deam.* Hor. Od. II, 12, 7. *periculum - - contremuit domus.* Senec. Eq. 65. extr. *Non contremiscamus iniurias*, Senec. Troad. 262. *tremere varios casus.* Liv. XXII, 26. *virgas ac secures dictatoris tremere* cett. — **649.** *Victum infelicem*, miserum et tenuem, legimus etiam in Anth. I, 168, 3. — *lapidosa corna*, propter os, quod in se habent. Vid.

Dant rami et volsis pascunt radicibus herbae.
Omnia conlustrans hanc primum ad litora classem
Conspexi venientem. Huic me, quaecumque fuisset,
Addixi: satis est gentem effugisse nefandam.
Vos animam hanc potius quocumque absumite leto."
Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum et litora nota petentem,
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

---

ad Geo. II, 34. et Heind. ad Hor. Sat. II, 2, 57. — **650**. *volsis p. radicibus herbae*, i. e. ipsae herbarum radices comesae. Conington minus recte pro: volsae a radicibus positum censet coll. supra v. 27. — *pascunt*, scil. me. Vid. infra ad v. 659. — **651**. *Omnia conlustrans*, ut ap. Tac. Ann. II, 45. *Arminius equo collustrans cuncta*, et plenius *oculis omnia collustrare* ap. Cic. Tusc. V, 23, 65. Prospexerat autem Achemenides quoquoversus mare speculaturus, utrum navem adpropinquantem conspiceret. — *primum*, scil. ex quo in hac insula relictus sum. Nonius p. 335, 15. exhibet *primo (a litore)*, quod Heinsio temere placuit; Burm. mavult *primam*, quod Wagn. teste exstat in Cod. Haf. II., sed ab optimorum Codd. lectione sensu non differt. Wagn. comparat supra v. 108. *Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras*. Ceterum cf. Ovid. l. l. v. 218 sq. — Peerlk. coniicit, Vergilium fortasse scripsisse: *Omnia collustrans, ut primum ad litora classem Conspexi venientem, huic me* etc. — **652**. *Conspexi*. Unus Ladew. e Med. edidit *Prospexi* (quam variam lectionem Cod. Gud. in marg. commemorat et Conington fortasse veram censet); sed non opus est, ut Achemenides e longinquo advenientem classem videat, et *prospexi* facile ex v. 648. substitui potuit. (Cf. etiam Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 652.) — *fuisset*. Vid. supra ad II, 136. — **653**. *Addixi*, me totum tradere decrevi. Addicunt se, qui se vendunt aliis, ut gladiatores, ideoque omnia iura sua dimittunt, se totos aliis mancipant. Cf. praeter alios Cic. pr. Planc. 39, 93. *Senatus, cui me addixi*; id. in Pis. 35, 86. *creditorem debitoribus suis addixisti*. Hor. Ep. I, 1, 14. *nullius addictus iurare in verba magistri*. Ruhnk. ad Vellei. II, 25. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 27. Schmid. et Obbar. ad Hor. Ep. 1, 1, 14. et Thiel. ad h. l. — **654**. *animam hanc*, i. e. meam, me ipsum. Vid. adnott. ad II, 140. — *potius*, quam in Cyclopum manus incidam. — *quocumque leto*, quocumque mortis genere, vel crudelissimo. — *absumere* de morte praeter poëtas, comicos maxime (Plaut. Most. II, 1, 18. Mil. II, 4, 55.), ex pedestris orationis scriptoribus Livius maxime frequentavit (VIII, 18, 2. XXII, 39, 14. XXIII, 30, 12. XXVI, 33, 12. cett. (Cf. infra IV, 601. et IV, 494.) Verba *hanc animam quocumque absumite leto* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 436. — **656**. *vasta mole*, ingente corpore, ut in Anth. Lat. II, 193, 19. *et vasta mole Cyclopas*. Cum Hamb. I. praebeat *gerentem*, Burm., quem offendit cacophonia *mo* — *mo* (quamquam ipse affert Cic. Or. I, 1. *moles molestiarum*), coni. *mole ferentem*, comparans infra VIII, 199, et Stat. Theb. V, 442. *tarda se mole ferentem*. Sed contra omnium fere Codd. et Anth. Lat. auctoritatem, ubi I, 14, 14. et I, 45, 4. verba *vasta se mole moventem* sine ulla lectionis varietate repetuntur, nihil mutandum esse patet. Voces eadem syllaba incipientes saepe iuxta se ponuntur (cf. adnott. ad Aen. II, 27. III, 203. XII, 630. etc.) et *moventem* vastae moli multo convenientius, quam *ferentem*. Ceterum monstri vastitatem et incedendi tarditatem etiam versuum tarditate crebris elisionibus (de quibus vid. ad II, 84.) et homoeoteleuto signari, vere memorat Gossr. — **658**. „*Monstrum*, πελώριον θαῦμα ap. Homerum l. c. v. 190. *informe*, ἄμορφον, deforme, *horrendum*, *ingens* [plane ut IV, 181., unde apparet, falsam esse coniunctionem verborum *ingens lumen*, contra quam recte disputat Conington.], *cui lumen ademptum*, h. e excaecatum; deformitas nova praeter naturalem." *Heyn.* Henry (*Tw. years* III. p. 46. et Philol. XI. p. 638.) *lumen* non per oculum vult explicari, se

Trunca manu pinus regit et vestigia firmat;
Lanigerae comitantur oves; ea sola voluptas
Solamenque mali.
Postquam altos tetigit fluctus et ad aequora venit,
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem,

---

per *the light of day, das Tageslicht* (cuius loco certe scripsissem *the eyesight, das Augenlicht*) et comparat supra II, 85., infra XII, 935. Lucr. III, 1042. (*lumine adempto*) Ovid. Met. XIV, 197. (ubi Polyphemus ipse: *damnum mihi lucis ademptae*) ei. Trist. IV, 4, 45. et Ibin. 273. Sed v. 635 et 663. vulgarem explicationem videntur iuvare, quae etiam Coningtonis est sententia. De Verbo substantivo in commotiore oratione, quam decet brevitas loquendi, saepe omisso cf. Wagn. Qu. Virg. XV, 8., qui comparat v. c. VII, 507. 374. IX, 236 sqq. Ceterum animadverte numeros huius versus mira cum arte compositos, qui meris spondeis, crebris elisionibus (de quibus vide adnott. ad II, 84.), aequalibus caesuris et duris verborum sonis monstri naturam aptissime exprimunt. Turpiter hoc versu abusus est Auson. in cent. nupt. 108. — **659**. *Trunca pinus*, ramis dissectis. — *manu*. Burm. revocaverat recentiorum quorundam librorum (etiam Med. a m. sec., Bern. I. a m. sec. et Bern. II. — omnino 28 Codd. Henrici) lectionem, a Quinct. Inst. VIII, 4. 24. exhibitam, *manum*, quam etiam Henry in Philol. XI. p. 638. alteri in 15 modo Codd. inventae praefert, sed iure spreverunt Heyn. et omnes recentiores editores, cum pinus in manu regat et firmet vestigia, firmum incessum praestet. Poterat sane hoc vocabulum ad sensum non necessarium prorsus omitti, sed vid. adnott. ad Geo. II, 247., ubi addi possunt loci Aen. II, 459. 717. IV, 344. Ad *regit* autem prius cum Wagn. intellexi *eum*, ut v. 650. ad *pascunt* me, XII, 632. ad *agnovi* te etc. (vid. adnott. ad II, 492.), quod probat Henry in *Tw. years* III. p. 46.; cum tamen etiam VI, 30. legamus *caeca regens filo vestigia*, nunc cum Ladew. amplector simpliciorem rationem, ut construamus *pinus regit et firmat vestigia*. Quare non opus est Peerlkampii coni. *Trunca viam pinus regit*. Ceterum cf. Claud. R. Pros. I, 19. *ebria Maeonius firmat vestigia thyrsus* et Stat. Theb. II, 11. *medica firmat vestigia virga*. — **661**. *mali*. Rottend. III. *malis*, quod, coll. Sabini Epist. I, 3. *Solamen longis illa fuere malis*, praefert Wakef. ad Lucr. V, 1404. Ceterum hic versus in multis Codd. (etiam Pal., Gud., Minoraug. et Bern. I. III.) sic expletur: *de collo fistula pendet*, vel (in paucis quibusdam): *pendebat fistula collo;* quod languidum et absonum additamentum iam Heins. rescidit. Cf. etiam Broukh. ad Tibull. II, 5, 31. Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 76. et 80. et Ribbeck. Proleg. p. 73. Heynio etiam illa ipsa verba *ea sola vol. Sol. mali* suspecta sunt, quae, ab omnibus Codd. suppeditata apteque superioribus per appositionem addita, recte defendunt Weichert. l. l. p. 77. et Wagn., verissime censentes, cum his verbis, bucolicam quandam suavitatem spirantibus epico carmine non indignam, necessario etiam illa *Lanigerae comitantur oves* resecanda esse, cum non credibile sit, eum, qui superiorem versum explere voluerit, ipsum non nisi particulam aliquam versus subiecisse, rursus aliis explendam. — **662**. *altos tetigit fluctus et ad aequora venit* per hysteron proteron, ut supra II, 353. *moriamur et in media arma ruamus*. Cic. Cat. IV, 10, 21. *in Africam redire atque ex Italia decedere* (ubi vid. Beneck.) id. Legg. I, 22, 59. *ad obtinendam adipiscendamque sapientiam* cett. Cf. etiam (Ecl. VI, 20.) Geo. I, 179. Aen. II, 749. IV, 154. V, 292, 316. VI, 543. VII, 7. VIII, 125. IX, 374. etc. Brem. ad Nep. Pelop. 2, 5. Kritz. ad Sall. Cat. 36, 4. Bach. ad Ovid. Met. XII, 438. Ruddim. II. p. 393. Ramsh. §. 207. 3. alios. Peerlk., cum Polyphemus ex tactu sentiat, se ad fluctus pervenisse, hi autem ad litus non sint profundi neque elati, pro *altos* coni. *albos*, non cogitans, Polyphemo pro vasti corporis mensura utique altiores fluctus quaerendos fuisse, non vada, quae iuxta litus esse solent, et *albos fluctus* praeterea nusquam legi. — **663**. *inde*, ex aequore, aqua ex mari sumpta abluit vulnus oculi effossi; de quo usu Adverbii cf. Hand. Tursell. III. p. 363. Dietsch. ad Sall. Cat. 3, 3. et 22, 2. et quae ad Geo.

Dentibus infrendens gemitu graditurque per aequor
Iam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare recepto
Supplice sic merito tacitique incidere funem;
Verrimus et proni certantibus aequora remis.
Sensit et ad sonitum vocis vestigia torsit.

III, 490. VIII, 71. I, 5. Aen. I, 21. alibi adnotavimus. Peerlk., temere haerens in hoc Adverbio et praeterea commemorans, cruorem non fluere ex oculo effosso, sed ex loco, unde oculus sit effossus (!), pro *inde* coniicit *orbe*, coll. Ovid. Met. XIV, 200., qui de Polyphemo canens *inanem luminis orbem* commemorat. — *fluidum cruorem:* vid. Ovid. Met. IV, 482. *fluidoque cruore rubentem Induitur pallam.* Ribbeck. cum sched. Vat. et Bern. III. a m. sec. quibuscum conspirant plures Pierii et Burmanni Codd., scripsit *fluvidum*, ut iam Geo. III, 484. *fluvidus*, ubi hoc adnotare neglexi. Vid. Wagn. Orth. Verg. p. 438. et Ribbeck. Proleg. p. 448. et cf. Corssen de pron. I. p. 316. ed. 2. — **664**. *Dentibus infrendens gemitu;* quare non mirandum, in parallelo Ovidii loco Met. XIV, 188. Codd. scripturam fluctuare inter *fremebundus*, quae vulgaris est lectio, et *gemebundus*, quam recentissimi editores receperunt. Quod attinet ad simplicem Ablat. *gemitu*, cf. supra ad II, 323. et Dissen. ad Tibull. I, 2, 78. (*cum fletu nox vigilanda venit*), qui de eodem Graec. usu conferri iubet adnot. suam ad Pind. Nem. X, 75. — **665**. *medium.* Vid. adnott. ad VII, 566. — **666** sqq. Heyn. comparat Hom. Od. IX, 471 sq. et X, 126 sqq. — **667**. *sic merito* Wund. et Iahn. recte coniungunt cum verbis *recepto supplice:* qui sic (hoc, id) meruerat, ut reciperetur. Peerlk. confert Ovid. Her. IV, 127. *I nunc, sic meriti lectum reverere parentis* et Val. Fl. V, 541., ubi pro vulg. *tum meritis* legendum censet *tum vellera victor Sic meritis nec sola dabo.* Adde eiusd. II, 145. *tibi - - Sic meritae.* — **668**. *Verrimus.* Iahn. (in priore edit.) cum Oudend. ad Lucan. VIII, 462. ex optimis libris (Medic., fragm. Vat., Pal., Gud., aliis revocavit lectionem *vertimus*, quam etiam Heyn. praeferendam esse censuerat, verbo ab aratione ad navigationem translato (qua de re cf. adnott. ad Geo. I, 50. et Aen. II, 780. V, 158.); Wagn. vero strenue defendit alteram lectionem, cui analogia magis, quam Codd. auctoritas favet, cum *vertere mare* nemo poëtarum dixisse videatur, quamquam *versare aequor*, *aquas* legatur ap. Ovid. Ep. XIII, 98. Val. Fl. I, 450. alibi, *verrere aequor* autem, ab Ennio (Ann. XIV, 1. p. 103. Hessel. s. p. 57. Vahl.) sumptum, per omnem poësin Latinam propagatum sit (coll. Aen. III, 208. 290. IV, 583. V, 778. VI, 320. VIII, 674. [Lucr. V, 268. 1225. VI, 624.] Broukh. ad Prop. II, 12, 44. Cort. ad Lucan. III, 542. et Burm. ad h. l.); et quod Aen. V, 141. et X, 208. legatur *freta versa*, hoc ipsum non tam a *vertendi*, quam potius a *verrendi* verbo deducendum esse, cuius Participium *versus* vindicent Diomed. p. 375. Putsch. et Serv. ad Aen. I, 478. Quae Wagneri disputatio, imprimis cum Vergilium Ennii et Lucretii admiratorem fuisse constet, mihi tam probabilis visa est, ut vulgarem lectionem et ipse servandam censerem, qua in re omnes posteriores editores nos secuti sunt. Conington comparat Hom. Od. IX, 472. *πολιὴν ἅλα τύπτον ἐρετμοῖς.* Adde ibid. XII, 214. *ὑμεῖς μὲν κώπησιν ἁλὸς ῥηγμῖνα βαθεῖαν τύπτετε.* De Copula *et* postposita vid. ad Ecl. I, 34. coll. adnot. ad Ecl. IV, 63. — **669**. *Sensit*, scil. sonitum remorum. Vid. ad VIII, 393. — *sonitum vocis.* „*Vox* novo exemplo pro strepitu vel remorum vel undae remis impulsae, ut supra v. 556. *fractae voces* pelagi.“ Haec *Heyn.*, cui adsentiuntur Gossr. et Conington. Rectius Wagn., ita *ad sonitum vocis* idem fere esse dicens, quod *ad sonitum soni*, cum Burm. *vocem* de celeusmate accipit (de quo vid. Burm. ad Val. Fl. I, 186.). Quamquam enim *taciti* inciderint funem, nunc tamen a litore remoti cum in tuto navigentur, non opus esse, ut vocem premant, imprimis cum remorum motu iam satis strepitus excitari consentaneum sit. Peerlk. tamen, haerens in hoc vocabulo, Vergilium scripsisse suspicatur: *ad sonitum Cyclops vest. torsit.* — *vestigia* pro ipsis gressibus.

Verum ubi nulla datur dextra adfectare potestas
Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo,
Clamorem inmensum tollit, quo pontus et omnes
Contremuere undae penitusque exterrita tellus
Italiae curvisque inmugiit Aetna cavernis.
At genus e silvis Cyclopum et montibus altis

Vestigia torquere pro magis usitato *vestigia flectere* (Ovid. Met. I, 372. et alibi) legitur etiam apud Claud. I, 6. *Iam nova - vestigia torqueat annus.* — **670.** *potestas adfectare.* Vid. adnott. ad Geo. I, 305. II, 73. Aen. I, 704. — *dextra adfectare*, i. e. attingere, scil. navem (quod facile suppleri potest ex verbis antecedentibus *verrimus aequora remis*), i. e. dextram admovere, iniicere navi, dextra navem appetere. Plurimi sane libri (fragm. Vat., Pal., Gud. etc., etiam Med. a m. pr. *dextrum* scribens) aliam praebent lectionem, *dextram affectare*, quam Servius defendit his verbis: „*dextram aff.* est dextram intendere et iniicere, scil. sic, ut possit navem tenere. Ter. Heaut. III, 3, 60. *Ad dominam qui affectant viam*, i. e. intendunt, faciunt. Nam si *dextra* legeris, ut sit *dextra affectare*, i. e. contingere, caret exemplo.“ Sed *dextram affectare* multo magis carere exemplo, nec, si analogiam spectemus, aliud quid significare posse, quam appetere dextram alterius, vere ait Heyn.; Wagn. autem et in elisione (coll. adnott. ad Aen. I, 193.) et in Servii auctoritate causam corruptelae quaerendam esse iudicat. *Dextra* autem non solum in Codd. supra nominatis, sed etiam in Anth. Lat. I, 45, 13. legitur, ubi hic totus versus iteratur. Ladewigium tamen Servii scholion videtur movisse, ut parum probabiliter coniungeret verba *dextra potestas*, i. e. opportunitas; sed *potestas* non potest esse sinistra, quare epitheton illud supervacaneum, *affectare* contra tam nude positum offendit. Valesius coniecit *adiectare*, quod refellit Markland. Ep. Crit. p. 17., Peerlk. autem longe audacius *Verum ubi nulla viam datur aff. pot.* — **671.** *Nec potis* (est) *fluctus aequare sequendo*, non potest aequare celeritatem, qua fluctus classem propellunt, ut iam Wund. locum recte explicuit. Cf. Aen. X, 248. *ventos aequante sagitta* et Curt. IV, 1. *deficientibus equis cursum eorum - - aequare non poterant.* Aliter tamen Henry in Philol. XI. p. 639., qui censet, cum naves Polyphemum iam antecesserint, non sufficere, ut ille celeritatem fluctuum aequet, sed „fluctus ipsos, i. e. naves (?)“ ei aequandos, i. e. assequendos esse. Sententia sane haec est: naves celerrime currentes assequi non potest. — *sequendo*, dum sequitur. Vid. ad Aen. II, 6. — *Ionios;* nam mare Ionium orientale Siciliae litus alluit et ex eo fluctus vento in fretum Siculum propelluntur. — Cum v. **672.** cf. Hom. Od. IX, 395. — **673.** *Contremuere* pro vulg. *Intremuere* (quod sane exhibent sched. Vat., Pal., tres Bern. aliique libri) Wagn. ex Medic. et Colot. (qui unius Codicis instar sunt) recepit, cum librarii *con* saepe in *in* converterint (coll. Drakenb. ad Liv. X, 5, 11.), *in* autem non aeque facile in *con* mutari potuerit, praesertim in Codd. uncialibus literis scriptis, et cum *contremiscere* de ingenti, *intremiscere* de leviore aliquo tremore dicatur, ita ut mare leviter impulsum *intremiscat*, graviter percussum *contremiscat;* quod probare studet dictionibus *toto corpore, tota mente atque omnibus artibus contremiscere* locisque Aen. VII, 514 sqq. Catull. LXIV, 205., coll. supra v. 581. et Claud. III. Cons. Hon. V, 19., ubi *intremiscere* legitur. Quod quidem discrimen quamquam non ubique strenue servatur (cum *contremiscere* non tantum de vehementiore motu dicatur: cf. Ovid. Met. VIII, 760. *Contremuit gemitumque dedit Deoïa quercus*, contra autem *intremiscere* etiam graviorem tremorem indicare, iam loci ab ipso Wagn. prolati videantur comprobare), nunc tamen et propter Cod. Med. auctoritatem et propter additum *omnes* (coll. Cic. Or. I, 26, 121. *tota mente atque omnibus artibus contremiscere*) Wagnerum secutus sum, ut etiam ceteri recentiores editores praeter unum Bryceum. — *penitus*, non solum litora, sed etiam interiores regiones Italiae. — **674.** *inmugiit. Mugire* verbum proprium de sono subterraneo (cf. Aen. III, 92. IV, 490.), quare etiam de obscuro et obtuso oraculorum sono dicitur (Aen. VI, 99.). — *curvis cavernis.* Vid. ad Aen. II, 748. — **675.** Cf. Hom. Od. IX, 401.

Excitum ruit ad portus et litora conplent.
Cernimus adstantis nequiquam lumine torvo
Aetnaeos fratres caelo capita alta ferentis,
Concilium horrendum: quales cum vertice celso
Aeriae quercus aut coniferae cyparissi
Constiterunt, silva alta Iovis lucusve Dianae.
Praecipites metus acer agit quocumque rudentis
Excutere et ventis intendere vela secundis

— *ruit ad portus.* Vid. supra v. 570. (vid. ad Geo. I, 96.) — **676.** *conplent.* Vergilius cum collectivis raro adiiciat pluralem Verbi numerum (vid. ad Geo. IV, 378.) pluresque Codd. et Grammatici hic *conplet* exhibeant, Wagn. Qu. Virg. VIII, 4. Pluralem hic fortasse proximo nomini *litora* deberi suspicatur. Sed difficilior lectio, quam plurimi optimique Codd. tuentur, servanda. Collectiva autem nomina in uno eodemque loco et cum singulari et cum plurali Verbi numero coniungi, res est satis nota. Cf. supra II, 32. ibique adnott. Bryce autem non male adnotat, *ruit* esse positum, quod omnis turba Cyclopum simul ad portum ruat, *conplent* autem, quod singuli „*in their individuality*“ litora compleant. — **677.** *adstantes.* Vid. ad Aen. III, 150. — *nequiquam,* quia nocere non poterant abeuntibus nobis. — **678.** *Aetnaeos fratres,* Cyclopes circa Aetnam incolentes et feritate externaque specie germanos quasi fratres. Taubmann., quem sequitur Schmieder., epitheton *Aetnaeos* minus recte ad magnitudinem refert, comparans Soph. Oed. C. 313. *Αἰτναία πῶλος* et Aristoph. Pac. 72. *εἰσήγαγ' Αἰτναῖον μέγιστον κάνθαρον.* — *caelo.* Vid. ad II, 688. — *capita alta ferentes,* ut supra I, 189. — **679.** *concilium,* coetus, turba, multitudo. Sic Claud. in Ruf. I, 28. *infernas sorores* (Furias) vocat *concilium deforme.* — **680.** *Aëriae quercus.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 58., ubi adde Mülleri Spicil. animadvv. in Catull. p. 30. — *coniferae cyparissi,* ut ap. Calpurn. IX, 86. *coniferas inter viburna cupressos.* „Cupressus mas fert conos nuci pineae non absimiles; *baccas* appellat Plin. XVI, 33, 60., *κώνους* etiam Graeci. Vid. Athen. I. p. 57. B. C.“ *Heyn.* Vid. etiam Müller. l. modo l. p. 20. (nam Catull. LXIV, 106. *de conigera pinu* loquitur.). *Conum* autem *cupressinum* (qui proprie *galbulus* vocatur) etiam Colum. VI, 7, 2. commemorat. — **681.** *Constiterunt.* De Perfecto in comparationibus potissimum de rebus, quae solent fieri, usurpato vid. adnott. ad Geo. I, 49., de eius autem correptione ad Ecl. IV, 61. et al. — Ceterum Heyn. vere adnotat, *silvam Iovis* ad quercus (cf. adnott. ad Geo. II, 16. et III, 332.), *lucum Dianae* ad cupressos referendum esse, ita ut de Diana infera s. Hecate (vel Proserpina) agatur, cum cupressus feralis arbor sit et ex vulgari narratione Diti sacra. Dianam autem, utpote Lunae deam, saepe cum Hecate, quae ipsa primum ad cultum lunarem pertinebat, confusam esse, res est satis nota. Cf. Klopferi Lex. mythol. I. p. 618. et 787 sqq. quosque ille laudat, et infra ad IV, 511. adnott. — **682** sq. „Nos metu agitati quocumque malumus cursum dirigere, quam in portu manere. — *metus agit rudentes excutere,* evolvere, explicare et intendere, ut supra v. 267. [*laxare rudentes*]“. *Heyn.* *Agere* cum Infinitivo constructum legitur etiam ap. Stat. Theb. III, 625. VIII, 262. alibi. — **683.** *quocumque,* modo ne in Cyclopum manus incidant. — „*ventis secundis,* int. quo ventus ferret; non exspectare ventum, quem cursus postulabat.“ *Heyn.* — De v. **684—686.** permulta disputata sunt a viris doctis, ex quo Heyn. et Wagn. (qui etiam in Philol. Suppl. I. p. 379 sq. perstat in sententia sua), eos spurios esse iudicantes, brevissimam sane inierunt viam difficultates, quas continent, expediendi. Sed recte hos versus ab omnibus Codd. sine ulla fere lectionis varietate suppeditatos atque Servii, Probi I, 9. 12. et Prisciani XV, 2. et XVIII, 79. auctoritate defensos praeter ceteros recentiores editores omnes etiam Wakef. ad Lucr. V, 712. Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 84. et in Comment. I. de versu hypermetro p. 17. A. Moebius in *Archiv für Phil. u. Pädag.* Vol. I. p. 139. Iahnii Censor eius in Ephem. lit. Ien. a. 1827. ch. 94. p.

Contra iussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
Inter, utramque viam leti discrimine parvo,

---

367. Steinmetz. Progr. p. 5. Henry in *Tw. years* III. p. 46 sqq. et Philol. XI. p. 639 sqq. Haeckerm. in Muetzell. *Zeitschr.* VII. p. 88. et XIX. p. 114. et Kappes III. p. 25 sqq. Vergilio vindicare studuerunt; quare, quae in prioribus editt. contra Wagneri argumenta disputavi, nunc nolo repetere. In distinguendo autem et explicando loco nunc potissimum Haeckermannum, ex parte etiam Bryceum, Henricum (qui Philol. l. l. retractat, quae in *Tw. years* l. l. scripserat), Kappesium et Ladew. sequor atque constructionem hanc esse censeo: (Socii) *contra Heleni iussa, ni* (i. e. ne) *inter Sc. et Char., utramque viam leti parvo discrimine, cursus teneant, monent rudentes excutere et ventis int. vela sec.;* (sic igitur) *certum est d. l. r.;* ut *contra* Praepos. sit (non Adverbium, quod Henry et Kappes putant), *iussa* autem Accus. (non Nomin., ut plerique sumunt) *ni* (quod exhibent 38 Henrici Codd., qui *ne* in duobus modo, uno Gud. et uno Bern., invenit, *sed* in *ni* correctum) pro *ne* positum, quemadmodum ap. Plaut. Men. I, 2, 1. Prop. II, 7, 3. et Silium I, 374. (cf. Hand. Turs. IV. p. 408., quod probant Haeckerm., Ladew. et Conington) et verba *ni* - - *cursus* contineant ipsa *Heleni iussa*, Praep. *inter* Casui suo postposita sit (vid. adnott. ad Aen. I, 32. 667. al.) et *utramque viam leti* (i. e. ad letum ducentem) verbis *Scyllam atque Char.* per appositionem addita, *parvo* autem *discrimine* significet: cum parvum modo intervallum, spatium interiectum inter utramque leti sit viam, et *retro* indicet cursum inter septentriones et orientem solem ideoque Scyllam et Char. versus directum, a quo tamen ut Borea oriente averterentur, iis contigit. Sed ceterorum quoque interpretum potiores explicationes lectoribus nolo invidere. Iahn. in priore edit. locum sic interpretatur: „Metus agit quocunque rudentes excutere et ventis secundis, qui nos nunc versus Charybdim et Scyllam ferebant, obtemperare. Contra Heleni iussa monent, viam inter (per) Scyllam et Charybdim utramque (i. e. sive viam per Scyllam sive per Charybdim elegeris) parvo discrimine esse viam leti, nisi in tempore cursus teneant." Alia distinctione Hoeggius in Diss. de difficilioribus quibusdam Virg. locis. Colon. 1834. p. 3. sqq. loco difficillimo mederi studet, qui post *Heleni* Puncto posito sequentia sic construit: *Certum est dare lintea retro, ni teneant cursum inter Scyllam atque Charybdim, parvo discrimine utramque viam leti*, ut verba illa *Scyllam* etc. non Heleni sententiam contineant, sed ex mente Troianorum dicta sint; eumque in summa re secutus Iahn. in edit. II. locum sic distingui iubet: - - *Heleni, Scyllam atque Char. Inter, utramque viam leti, discrimine parvo Ni teneant cursus. Certum est* etc., hac adiecta interpretatione: „Acer metus nos impellit ventis cedere et versus septentrionem per fretum Siculum navigare. Sed huic consilio Heleni iussa repugnant, non negligenda illa, nisi forte contigerit, ut naves inter Scyllam atque Charybdim, quarum unaquaeque (*utraque*) per se via leti esset, in angusta, quae inter utramque periculo libera est, via (*parvo discrimine*) cursum teneant. Quod cum vix sperari posse videretur, certum est retro dare lintea." Eadem fere ratione Henry Philol. l. l. locum sic interpretatur: „*Andrerseits warnen sie die Befehle des H. vor Scylla u. Char., es sei denn, dass sie auf dem schmalen Zwischenraume zwischen beiden Wegen des Todes steuern.*" Kappes l. l. hos versus sic intelligit: *Contra* alii [quod tamen vix omitti poterat, imprimis cum verba *contra iussa* tum ambigua sint] *monent* (memorant, in memoriam revocant) *iussa Heleni, Scyllam atque Char.*, quae explicandi caussa *iussis* per appositionem adiungantur, *ni* (nisi) *teneant cursus* etc., quae ultima verba *inter* - - *parvo* sic explicat: „*welche beide Wege unfehlbar den Tod bringen in der Weise, dass nur wenig dazu gehört, dem einen oder dem andern zu verfallen*". Bryce (uberius de hoc loco disputans, sed nihilominus uncis eum includens), Ladew. et Conington in summa re cum explicatione ab Haeckermanno et supra a memet ipso proposita consentiunt, nisi quod post *secundis* Puncto distinguunt et Infinitivos *excutere* et *intendere* non ad *monent*, sed ad *agit* pertinere arbitrantur. Superest ut coniecturas commemorem, quibus viri docti loco tamquam conclamato succurrere studuerunt. Hildebr.

Ni teneant cursus; certum est dare lintea retro.
Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori

---

in Iahnii Annall. l. l. p. 174. eum sic constitui voluit: *Contra iussa monent Heleni Scyllaeque Charybdisque Inter utramque viam leti, discr. parvo Ne teneam cursus: certum est* etc., ut haec prodiret sententia: cavent Heleni iussa, ne cursus teneam inter Scyllae Charybdisque leti viam, quae parvo tantum distant discrimine (i. e. intervallo, coll. Aen. V, 154. et Cic. Agr. II, 32.); Peerlk. autem sic scribendum esse putat: *Contra iussa monent Heleni Scyllae atque Charybdis: Inter utrumque viam leti discr. parvo. Ni teneam cursus, certum est* cett., quae, satis contorte dicta, hoc vult significare: Iussa Heleni nos (ad)*monent Scyllae et Charybdis* (i. q. de Scylla et Charybdi): dixit enim viam inter utrumque valde periculosam esse. Conrads. p. XX. censet, Vergilium verba *certum est dare lintea retro* secundis curis margini allevisse, quae in vicem verborum *intendere vela secundis* substitui voluisset, ut v. 686. hemistichium modo *ni teneant cursus* relinqueretur; qua tamen ratione difficultates loci minime tolluntur. Ribbeck. denique (qui accurate de h. l. disputat in Proleg. p. 75 sq. et Conradsio concedit, totum locum a poëta non esse absolutum) transpositis vv. 685. et 686. locum sic edidit: - - *secundis. Contra iussa monent Heleni, Scylla atque Charybdis* (quem Nomin. sane exhibent schedae Vat., ut *Scylla* etiam in Pal. a m. pr. et *Charybdis* in Bern. I. a m. pr. legitur, dum Rottend. II. *Scyllae atque Charybdis* praebet), *Ni teneant cursus: — certum est dare lintea retro, Inter utramque viam* etc. ut *Scylla atque Char.* „quasi summam praeceptorum Heleni" contineant, *utraque* autem *via* non sit Scylla et Char., sed „aut prorsum aut retrorsum" ducens. Addit vir doct.: „Atqui Aeneae socii prorsum si pergebant, in Scyllam atque Char. incidebant; sin adverso vento redibant, unde venerant, verendum erat, ne ultro citroque navigare coacti ad Cyclopum litus adpellerentur. Ergo ab utraque parte letum minabatur, a quo tenui discrimine separabantur, dum inter utramque viam exiguo maris spatio se continerent. Quibus in angustiis dum versantur, ecce Boreas adest, qui secundo flamine naves meridiem versus vehit." Ceterum Heins. edidit *Scyllamque Charybdimque*, quem iure refellit Weichert. de versu hyperm. p. 17. — **684.** Pro *monent*, optimorum librorum lectione, quam Henry in 39 Codd. invenit, alii (inter quos fragm. Vat. et 12 Henrici Codd.) praebent *movent* sine sensu. De utroque verbo saepe confuso vid. Bentl. ad Hor. Od. III, 7, 19. *iussa Heleni.* Vid. supra v. 410 sqq. et 420 sqq. — **685.** Verba *Inter utramque viam* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 65. — *leti discrimine parvo.* Cf. IX, 143. *leti discrimina parva,* X, 511. *tenui discrimine leti,* Ovid. Met. VII, 426. *Attonitus tamen leti discrimine parvo,* Colum. X, 407. *expositi parvo discrimine leti* (unde etiam patet, Moebium l. l. aliosque falso coniungere verba *discrimine parvo ni teneant cursus,* i. e. *in geringem Abstande von der Sc. u. Char.*). Wagn. in min. edit. cavillans haec adnotat: „Praestiterit fortasse verbis *discr. parvo* eam subiicere sententiam, ut neget (vide, quam lepide!) quisquis est horum versuum artifex, multum interesse, a Charybdi absorbearis, an voreris a canibus Scyllae." — **686.** *Ni teneant cursus,* non aberrantes a recta via. Cf. Aen. IV, 46. V, 2. (I, 370. IX, 377.) Caes. B. G. V, 8. Cic. N. D. III, 34, 83. pr. Planc. 21. extr. etc. *Cursus* autem Plurali numero, quia plures sunt naves cursum tenentes. — *certum est,* ut ap. Plaut. Amph. I, 1, 183. *Certumst hominem contra adloqui* et Mercat. III, 4, 59. *Certumst hinc ire,* ap. Cic. Rosc. Am. II, 31. *Certum est deliberatumque - - dicere,* Liv. II, 15. extr. *Quando id certum obstinatumque est* etc. Cf. etiam Aen. IV, 564. — *dare lintea retro* (quae verba repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 280.), i. e. viam contrariam sequi, sive Cyclopum portum, sive mare Adriaticum repetentes. *Lintea dare* etiam ap. Hor. Epod. XVI, 27. Prop. IV, 3, (III, 4,) 7. et Nemes. Cyneg. 58. legitur, et *lintea* pro velis etiam ap. Hor. Od. I, 14, 9. Val. Fl. IV, 83. Ovid. Am. II, 11, 41. Lucil. Aetn. 243. alibi, *vela dare* autem omisso voc. *ventis* invenitur etiam Aen. II, 136. Ovid. Met. VIII, 175. XIII, 401. XIV, 437. et apud alios. Vid. infra ad v. 705. — **687.** „Ventorum origines a montibus, unde flant, tamquam a sedibus repetunt poëtae; ita I-

Missus adest. Vivo praetervehor ostia saxo
Pantagiae Megarosque sinus Thapsumque iacentem.
[Talia monstrabat relegens errata retrorsus
Litora Achemenides, comes infelicis Ulixi.]
Sicanio praetenta sinu iacet insula contra

---

l. aquilo, qui navem secundum litus Siciliae orientale versus austrum fert, a promontorio Peloro, ad fretum Siculum [ideoque ad angustias maris sito], venit; hinc *angusta ab sede.*" *Heyn.* — *angusta ab sede* autem plurimorum librorum est lectio pro vulg. *a sede.* Vid. I, 270. II, 601. VII, 209. 255. cett. et adnott. ad Ecl. VII, 6. et Geo. I, 171. De *Peloro* vid. supra ad v. 411. — **688.** *Missus*, favore deorum, ut ap. Val. Fl. I, 625. *Non hiemem missosque putant consurgere ventos.* — *vivo saxo.* Vid. ad I, 167. et supra ad v. 618. — **689.** *Pantagias* s. Pantachus, Pantacius (nunc *Fiume di Porcari*: cf. quae scripsi in Pauly *Realencycl.* V. p. 1126., retractans ea, quae proposueram in libro meo geogr. III. p. 784.), parvus Siciliae fluvius infra Leontinos haud procul a Megaris s. Hybla in mare sese effundens, cuius ostium utrimque praeruptis rupibus includitur. Cf. Thuc. VI, 4. Plin. III, 8, 14. Ovid. Fast. IV, 471. Cluverii Sicilia I, 11. et Dorvill. Sicula p. 206 sq. Claud. R. Pros. II, 57. *saxa rotantem Pantagiam* commemorat. — *Megaros sinus.* De Megaris Hyblensibus s. Hyblaeis cogitandum, Siciliae oppido, quod, olim Hybla Parva (Ὕβλα ἡ μικρά) dictum, duodecim millia passuum a Syracusis septentrionem versus ad sinum Megarensem (*Golfo di Augusta*) situm erat. Cf. Strab. VI. p. 185. Plin. III, 8, 14. Mela II, 7, 16. Diod. Sic. IV, 80. Liv. XXIV, 30, 11. alii, et liber meus geogr. III. p. 795. — *Thapsus*, peninsula, quae sinum Megarensem ab australi parte includit, Servio teste „plana et paene fluctibus par" erat; quare a poëta *iacens*, i. e. humilis, non alta montibus vocatur. (Cf. etiam supra I, 224. et Drakenb. ad Sil. Ital. XII, 131.) De Thapso, quae nunc *Penisola delli Magnisi* vel *Bagnoli* vocatur, cf. Thuc. VI, 9. ibique Duker. Cluver. I, 2. p. 137 sq. et liber meus modo comm. III. p. 806. — **690.** „*relegens retrorsus*, nam cum Ulysse a Lotophagorum inde insula, litori Africae praetenta, Siciliae litus orientale ad Cyclopas usque praeternavigaverat (cf. ad v. 570.); itaque *Litora* iam *errata.*" *Heyn.* De pleonasmo *relegere retrorsus* vid. ad Geo. I, 200. Pro *retrorsum* autem, Wund. suadente, cum Iahn. et Wagn. ex Med., Rom. aliisque libris praestantissimis et Prisc. XI, 5, 21. p. 922. P. recepimus *retrorsus.* (Cf. adnott. ad Ecl. X, 62.) Secuti sunt recentiores editores praeter Bryceum. — *erratus* pro pererratus, errando emensus, legitur etiam ap. Ovid. Fast. IV, 573. *immensum est erratas dicere terras* et Val. Fl. IV, 447. *diversus erratus casibus orbis* (cf. adnott. ad Aen. III, 14.); atque hunc quidem Ovidii versum fortasse obversatum esse putaveris Grammatico illi, quem Wagn. hos duo versus, a se tamquam spurios exterminatos, addidisse suspicatur. Argumenta autem, quibus Vir doct. ad oppugnandam horum versuum αὐθεντίαν utitur, sunt haec: 1) Haec loca ex Ulyssis itinere (Hom. Od. IX, 105 sqq.) Achemenidi cognita esse non poterant; nec ipsum Achemenidem ab eo loco, ubi latuerat, longe discessisse, v. 546 sqq. probant; 2) verba *comes infelicis Ulixi* inepte repetita sunt ex v. 613.; 3) voc. *retrorsus* ἅπαξ λεγόμενον est et ab epica poësi alienum; 4) Cod. Wittianus hos versus non in ordine exhibet, sed appictos in margine. Ex quibus omnibus concludit Wagn. (qui etiam cf. in Philol. Suppl. I. p. 180 sq.), hos duo versus a Grammatico quodam adiectos esse, qui, cum se ipse interrogasset, unde Aeneae haec omnia innotuerint, mancam poëtae narrationem supplere voluerit, non cogitans, hunc plurima, quae ipse ut poëta noverit, per Aeneam illa nescientem referre. Et hic quidem, cum internis argumentis satis probabilibus etiam externa causa accedat, hos versus, qui etiam Hildebrando l. l., Peerlkampio, Süpflio, Gossravio et Ribbeckio Proleg. p. 74. inepti et spurii videntur, cum Wagn. tamquam suspectos notare non dubitavimus, quamquam ceteri Codd. omnes et Prisc. XI, 5, 21. p. 922. P. eos agnoscunt. Burm. tantum verba *comes infelicis Ulixis* ex v. 609. adsuta esse censuit, quae tamen defendit Wei-

Plemyrium undosum; nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.
Iussi numina magna loci veneramur; et inde
Exsupero praepingue solum stagnantis Helori.

---

chert. l. saepe l. p. 77. — **692.** *Sicanio sinu.* Cf. adnott. ad Ecl. X, 4. et V, 29. Intelligendus sinus ille, qui postea Syracusarum Magnum portum (etiamnum *Porto Maggiore* dictum) efficiebat. Cf. Thuc. VII, 4, 23. Diod. XIII, 14. -- *contra.* Cf. Aen. I, 13. et V, 124. — **693.** *Plemyrium undosum*, promontorium ad aditum sinus et portus Syracusani situm (nunc *Punta di Gigante* appellatum: vid. librum meum geogr. III. p. 782.), quod semper aestuantis maris fluctus circumstrepunt, unde et nomen *Πλημμυρίου* habet a *πλημμύρᾳ*, maris aestu (cf. supra ad v. 402. et infra ad v. 698. adnott.); *undosum* igitur hic est *περικῦμον*, cum alibi (Aen. IV, 313. Sil. V, 21. cett.) de ipso mari undis abundante dicatur. Cum duplici *μ* nomen scribunt Thuc. VII, 4. Diod. XIII, 14. alii, Steph. Byz. autem p. 555, ut hic plures Codd., inter quos Med. et Rom., Serv. Dresd. et Schol. Maii, non geminata litera, quos cum Wagn. et ceteris recentioribus editoribus secuti sumus. (Cf. adnott. Ecl. VI, 29. Aen. V, 306. X, 128. etc.) Ribbeck. cum fragm. Ver., Pal. et Gud. scripsit *Plemurium.* Cf. Longus ad h. l. Wagn. Orth. Verg. p. 482. Ribbeck. Proleg. p. 453. et Corssen. de pronunt. I. p. 344. ed. 2. — *nomen dixere Ortygiam.* De constructione vid. supra ad v. 18. et ad Geo. I, 137.; de hac autem *Ortygia*, quae (diversa ab illa, quam supra v. 124. commemoratam vidimus) posterioribus temporibus, ubi antiquissimam Syracusarum partem efficiebat, *κατ' ἐξοχὴν* Nasos (*Νᾶσος*) appellabatur, vid. Thuc. VI, 3. VII, 22. Diod. V, 3. alios. Nomen inde accepisse dicitur, quod Latona, Pythonem fugiens, in coturnicem (*ὄρτυγα*) mutata in eam evolaverit. Vid. Maii Scholl. a Wagn. laud. et Dissen. ad Pind. Nem. I. p. 350. Boeckh. Omnino cf. liber meus geogr. III. p. 796. et quae exposui in Pauly *Realencycl.* VI. p. 1540 sq. — *Alpheum fama est* cett. Vid. ad Ecl. X, 1. et 4. — **695.** „*occultas egisse vias subter mare, τὰν δὲ θάλασσαν Νέρθεν ὑποτροχάει*, Mosch. Idyll. VII, 4. [Burm. confert Claud. IV. Cons. Hon. 101. *Nuntius - - longas incognitas egit - - vias.*] — **696.** *ore tuo*, eodem fonte [per fontem tuum erumpens]; unde Pindaro Arethusa *ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφεοῦ*, Nem. I, 1. Cf. Cluverii Sicil. ant. p. 163. 157.“ *Heyn.* Arethusae enim fons, de quo, nunc *Occhio della Zilica* appellato, cf. Polyb. XII, 4. Sen. N. Qu. III, 26. Tzsch. ad Melae II, 7, 16. et quos praeterea laudavi in libro meo geogr. III. p. 787., mari erat proximus atque mole tantum et aggere ab eo seiunctus. Cf. Cic. Verr. IV, 53, 118. *fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa, incredibili magnitudine, plenissimus piscium; qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum disiunctus esset a mari.* Henry (*Tw. years* III. p. 50. et Philol. XI. p. 641.), qui comparat Aen. I, 245. *Unde per ora novem - - It mare proruptum,* recte explicat: per fontem tuum, Arethusa Nympha. — **697.** *iussi*, ab Anchise, cuius per totum hunc librum eae sunt partes, ut religiones et auspicia curet. Servius etiam de Achemenide vel Heleno cogitari posse censuerat. Peerlk., qui contendit, ad *iussi* nihil subintelligi posse nisi: a praefecto classis, i. e. ab Aenea, sive *a me*, cum plures Codd. voc. *iussi* post *loci* collocent, parum probabiliter poëtam sic scripsisse suspicatur: *Numina magna loci iniussi veneramur*, i. e. tanta erat Alphei et Arethusae fama, ut etiam iniussi, sponte, numina loci veneraremur, et Dietsch. Theol. Verg. p. 4. (qui putat, si *iussi*, quod in libris varium locum obtineat, genuinum sit, certe cum Palat. scribendum esse *Numina magna loci iussi veneramur*, ne Participium in versus principio positum nimiam vim acquirat) cum indignum sit Aeneae Troianorumque pietate, si ad numina veneranda demum admonendi fuerint, coniicit *Ergo numina magna* etc. - **698.** *Exsupero*, praetervehor. Sic Plin. VI, 17, 21. *exsuperare amnem* et Val. Fl. II, 622.

Hinc altas cautes proiectaque saxa Pachyni
Radimus et fatis numquam concessa moveri
Adparet Camarina procul campique Geloi

Iam iuga Percotes Pariumque infame fragoris Exsuperant Pityamque vadis. Cf. etiam supra I, 244. et Ecl. VIII, 6. — „*Helorus* fluvius in litore orientali [Siciliae] paullo supra Pachynum promontorium. Primum ille inter specus et exesas rupes procurrit, unde Silio [XIV, 269.] *clamosus Helorus;* mox ubi ad litus accessit, placido ac leni cursu incedit, et hieme, clauso maris fluctibus ostio, frequenter excrescit stagnatque, unde agri vicini pinguescunt plurimum.“ *Heyn.* Quare Ovidio Fast. IV, 487. *Heloria Tempe* vocantur. Ipsum etiam nomen fluvii inde (a voce ἕλος) videtur repetendum, ut *stagnans Helorus* eadem ratione sit dictum, qua supra v. 693. *Plemyrium undosum,* I, 744. *pluviae Hyades* et similia. Cf. de hoc fluvio, qui nunc *Atellaro* et inferiore cursus parte *Abisso* vocatur, praeter l. l. etiam Plin. III, 8, 14. Cluverii Sicil. ant. I, 13. p. 184. et liber meus geogr. III. p. 785. — **699.** *proiecta saxa,* προβλῆτες σκόπελοι. Cf. Hom. Od. XIII, 97. et infra X, 587. De *Pachyno* vid. supra ad v. 429. — **700.** *Radimus* „propter scopulos latentes,“ ait Schirach. p. 557. Sed *radere* potius est i. q. obiter modo tangere (nostrum *streifen*), ut infra VII, 70. *litora radere* et ap. Ovid. Am. III, 15, 2. *raditur ultima meta.* A poëtis dicitur hoc verbum imprimis de fluviis locum aliquem praetermeantibus et tangentibus. (Vid. Lucr. V, 257. Tibull. IV, 1, 142. Lucan. II, 425. cett.) — *numquam concessa moveri Camarina.* Vid. Silius XIV, 199. *et cui non licitum fatis Camarina moveri,* coll. Claud. R. Pros. II, 59. *pigra vado Camarina palustri.* Servius haec adnotat: „Palus est iuxta eiusdem nominis oppidum, de qua quodam tempore, cum siccata pestilentiam creasset, consultus Apollo, an eam penitus exhaurire deberent, respondit: *Μὴ κίνει Καμαρίναν* [immo *Καμάριναν:* vid. Boeckh. ad Pind. Ol. V, 4. a Wagn. laud.]. *ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.* Quo contempto exsiccaverunt paludem, et carentes pestilentia, per eam partem ingressis hostibus, poenam dederunt.“ Eadem narrant Steph. Byz., Suidas h. v. et Anthol. Gr. T. III. p. 148. epigr. 23. (Iacobs. T. IV. p. 115.); sed quando hoc factum sit, et quae illa urbis (de qua vid. Strab. VI. p. 417. Thuc. VI, 5. alii) oppugnatio fuerit, nemo veterum docet; poetam vero haec ex sua potius, quam Aeneae narrantis persona dixisse, iam Serv. vidit. Temere igitur Peerlkampio talis doctrina historica Aeneam adeo non decere videtur, ut verba *et fatis numquam concessa moveri* spuria et a Grammatico aliquo adiecta censeat. Vide etiam, quae Dietsch. Th. Verg. p. 25. contra eum disputat. Ceterum verba illa *μὴ κίνει Καμάριναν* in proverbium abiisse constat. Cf. Erasmi Adagia Cent. I, 64. et Schott. ad Zenob. Cent. V, 18. De ipsa palude, quae etiamnum dicitur *Lago di Camarina,* vid. librum meum modo comm. III. p. 786. Ribbeck. et Ladew. cum plurimis sane Codd. (Med., Pal., Rom., fragm. Ver., Gud., Bern. II. III. etc.), Servio et Schol. Veron., sed contra Graecam orthographiam scribunt *Camerina.* — **701.** *Campi Geloi,* Gelae oppidi, quod statim post commemoratur, egregia fertilitate sua nobiles. *Gela* autem idem est cum *Lindo* oppidum, Doriensium colonia, quae a flumine Gela (etiam Ovid. Fast. IV, 470. Silio XIV, 218. Plin. III, 8, 14. Vibio Sequ. p. 10. aliis commemorato), in cuius meridionali ripa exstructa erat, idem nomen assumpsit. Cf. Thuc. VI, 4. Diod. XIII, 53. Steph. Byz. v. *Γέλα* et Claud. R. Pros. II, 58. Nunc vocatur *Terra Nuova,* flumen autem *Fiume di Terra Nuova.* Cf. Dorvill. Sicula c. 6. Mannert. Vol. IX, 2. p. 345 sq. et liber meus geogr. III. p. 785. et 798 sq. Argutatur Heyn. cum aliis interpretibus in explicando epitheto *inmanis,* quod perperam ad urbem referunt, de immanibus nescio quibus Gelae tyrannis cogitantes; quamquam Heyn. iam verum sensit, haec adiiciens: „Restat hariolatio, ut *fluvius immanis* dicatur propter speciem eius in numis expressam; est enim bos cum facie humana, adscriptum *Γέλας.*“ Sed non tam hoc fluminis signum ipsum spectandum, quam causa, cur flumen in numis eo repraesentatum videtur. Suspicor enim, illud externa specie decepisse homines, et vultum innocentem referens occultis ta-

Inmanisque Gela fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Acragas ostentat maxuma longe
Moenia, magnanimum quondam generator equorum;
Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus,

---

men verticibus exitiosum fuisse, quod etiam Ovidii verba Fast. IV, 470. comprobare videntur: *et te, verticibus non adeunde Gela;* quem locum iam Wagn. protulit, ut fluvii, non urbis epitheton hic haberi doceret, quod etiam Voss. perspexit. Ceterum Vergilius Graecam nominis mensuram sequitur *Γέλᾱ*, Silius contra XIV, 218. Romanam: *Venit ab amne trahens nomen Gela.* Ladew. comparat. Ovid. Fast. V, 115. (*Amaltheā*) et IV, 31. (*Electrā*), Lachmann. autem, qui ad Lucr. V, 1006. p. 326. Vergilium hoc versu Homeri illa Il. II, 711 sq. *παραὶ Βοιβηΐδα λίμνην, Βοΐβην καὶ Γλαφύρας* exprimere suspicatur, ad eiusd. VI, 971. p. 405. plura exempla Nominativi Graecorum nominum in *a* exeuntium a Cicerone, Vergilio, Tibullo, Ovidio, Martiali, aliis producta affert. — Verba *fluvii cognomine dicta* sic interpretor: cognomine dicta a fluvii nomine sumpto, s. cognomine, quod est fluvii nomen; in qua explicatione eo minus haerebimus, si cogitabimus, *cognomen* poëtis interdum pro simplici voc. *nomen* dici, velut I, 530. VIII, 48. 331. IX, 593. XII, 845. et Claud. B. Get. 555. *Pervenit ad fluvium miri cognominis Urbem* (fortasse etiam in locis, de quibus supra ad v. 133. diximus). Cf. Beier. ad Cic. Oratt. fragm. p. 120. et 173. Martini in Diariis schol. Darmst. a. 1826. P. II. ch. 43. hanc proponit coniecturam: *a fluvio cognomine dicta*, quam probant Iacob. in Disquiss. Virgg. P. I. p. 8. et Wagn. ad IX, 151. (propter formam Genitivi *fluvii* a Vergilio alienam), Süpflius autem adeo in contextum recepit, cum *a* post *Gela* facile excidere potuerit, tum vero nihil reliquum fuerit, quam ut *fluvio* in *fluvii* mutaretur. Sed minus placet versus sic constructus: *Inm. Gela a fluvio c. d.;* in forma autem *fluvii* (quam cum toto versu etiam Lachm. l. l. p. 326. tuetur) non haerendum esse, ad IX, 151. videbimus. Ceterum hunc versum, quem Peerlk. et Gossr. paulo cupidius pro spurio et glossa geographica habent, quemque etiam Wagn. in min. edit. uncis inclusit atque in Philol. Suppl. I. p. 381 sq. et propter formam *Gelā* (cum Verg. Nominativo Graecorum nominum femin. generis in longum *a* exeuntium abstinuisse videatur), et propter Genit. *fluvii* impugnat, aperte imitantur Silius XIV, 218. et Claud. R. Pros. II, 58., ut de eius *αὐθεντίᾳ* dubitari nequeat. — **703.** *Acragas.* „*Agrigentum* in monte Acragante situm, maximis quondam opibus ex agri fertilitate et Carthaginiensium mercatu refertum; hinc civium magnificentia et luxus. Aluere iidem equos ad certamina Graeciae [cf. Plin. VIII, 52, 64.], et inter Olympionicas fuit Theron Agrigentinus, a Pindaro celebratus; quamquam ad hunc solum respici a poëta non dixerim.“ *Heyn.* Cf. de hac urbe nobilissima, cuius magnificas reliquias oppidum *Girgenti* continet, Strab. VI. p. 417. Plin. III, 8, 14. Mela II, 7, 16. Polyb. IX, 27. X, 21. Thuc. VI, 4. Diod. XIII, 81 sqq. Cluverii Sic. ant. p. 202. Dorvill. p. 88 sq. alii et liber meus geogr. III. p. 799. Ceterum *Acragas* pro vulg. *Agragas* praebent sched. Ver., Rom. aliique boni libri. Ribbeck. cum Med., in quo tamen *N* puncto superposito notatur, scripsit *Acragans.* — **704.** Verba *magnanimûm generator equorum* spectare ad Agrigentinorum studium equos alendi, quos ad sollemnes ludos certandi causa mitterent, iam vidimus. Unum autem hoc est Adiectivum, cuius Genitivum Plur. Vergilius hic, ut Geo. IV, 476. et Aen. VI, 307. in *ûm* contrahit; nam Aen. VI, 21. *miserum!* (parenthetice adiectum) non est Genitivus cum *natorum* coniungendus. Cf. Iahn. ad Aen. I, 229. praeterea autem Neue *Formenl.* I. p. 102 sqq. et II. p. 17 sqq. Ceterum hunc versum, quem Schrader. propter anachronismum deleri voluit, voc. *maxima* in *moenia* mutato, bene defendit Weichert. l. l. p. 84., et praeter hunc multos etiam alios anachronismos in Vergilii carminibus inveniri docet Wagn. Qu. Virg. XXXIX. Peerlk. vero etiam hic (cf. v. 700.) Virgilium sui adeo oblivisci non potuisse arbitratus, ut putaret se, non Aeneam, loqui, et ipse hunc versum, excepto primo vocabulo, spurium habet, eique adsentit Gossr. — **705.** *datis ventis*, i. e. secundo vento a diis mihi misso.

Et vada dura lego saxis Lilybeia caecis.
Hinc Drepani me portus et inlaetabilis ora
Accipit. Hic pelagi tot tempestatibus actus
Heu genitorem, omnis curae casusque levamen,
Amitto Anchisen. Hic me, pater optume, fessum

---

beck. Proleg. p. XI. et p. 275. pro *ventis*, omnium Codd. lectione, coniicit *velis*, ut voc. *ventis* eadem ratione omissum sit, qua Geo. II, 41. Aen. I, 35. II, 136. III, 684. V, 796. XII, 264., quorum tamen locorum non nisi II, 136. III, 684. et fortasse V, 796. iure huc trahi poterant; eamque coniecturam unus Ladew. adeo in contextum recepit, cum locutio *venti dantur* (*a Diis*) a Latinorum sermone aliena videatur. Librorum lectionem, quam servandam duximus, Ribbeck. ex IV, 546. ortam putat. — *palmosa Selinus*. Selinuntem, haud ignobilem Siciliae urbem (de qua vid. Strab. VI. p. 421. Plin. III, 8, 14. Thuc. VI, 4. VII, 57. Diod. XIII, 56 sq. XXIV, 1. Xen. Hell. I, 1, 37. Steph. Byz. 592. multique alii, et e recentioribus Cluver. I, 18. p. 225. Dorvill. p. 60 sqq. 420 sqq. et liber meus geogr. III. p. 800 sq., ante omnes autem Reinganum in singulari libello: *Selinus und sein Gebiet*. Lips. 1828. 8.), palmis agrestibus abundasse, ex Cic. Verr. V, 33, 37. satis notum. Cf. etiam cum h. l. Silius XIV, 200. *Tum, quae nectareis vocat ad certamen Hymetton, Audax Hybla favis, palmaeque arbusta Selinus*. — **706**. „*vada dura saxis caecis*, h. e. latentibus [vid. ad Geo. I, 89. Aen. I, 356. al.], *dura* (ne *dira* coniectes) *vada* dixit, h. e. locum vadosum fundo saxeo, quoniam extrema Lilybaei promontorii ἄκρα plana atque depressa, ad III M. passuum sub undis protenditur, in trium circiter cubitorum altitudinem tecta. Cluver. II, 1. pr.“ *Heyn*. De ipso *Lilybaeo*, occidentali Siciliae promontorio, quod nunc *Capo Boeo* vocatur, cf. Strab. VI, p. 409. Plin. VII, 21, 21. Mela II, 7, 15. Polyb. I, 42. Diod. XIII, 54. alii et liber meus geogr. III. p. 782., uti de *Drepano* vel *Drepanis* (τὸ Δρέπανον et τὰ Δρέπανα) oppido ab illo ad septentrionem versus haud procul ab Eryce monte sito et nunc *Trapani* appellato eiusque portu cf. Diod. XXIII, 9. XV, 73. Polyb. I, 46. alii et liber meus modo comm. III. p. 802. — *inlaetabile* hoc promontorium dicitur propter tristem, quem praebet, adspectum (ut ἀτερπὴς χῶρος ap. Hom. Od. XI, 94.); nam ager Drepanitanus sterilis est et arenosus, arboribus fere omnibus et herbis destitutus. Altera (Servii) explicatio, quam Schirach. p. 442. et Thiel. amplectuntur, ut locus propter Anchisae ibi morte amissi memoriam per anticipationem tristis dicatur, minus probabilis videtur. Ceterum redit hoc Adiectivum infra XII, 619. Vid. etiam Stat. Theb. III, 706. V, 633. Sen. Troad. 861. al. — **708**. *Accipit*. Wakef. ad Lucr. V, 827. temere coni. *Excipit*. Vid. adnott. ad III, 210. — *actus*. Heins. et Ribbeck. cum multis sane Codd. (Pal., Rom., Gud., tribus Bern., I. et II. certe a m. pr., aliis) et Servio *actis* ediderunt, coll. Aen. VIII, 636. Geo. I, 413. Sil. III, 228. aliisque locis. Sed *actus*, quod Medic. cum aliis bonis Codd. praebet, unice verum, cum nemo hic quaerat, an tempestates *actae*, i. e. dispulsae fuerint, sed, quod iam Wagn. docuit, ad plurima illa et gravissima mala, quae longi errores Aeneae attulerint, tamquam cumulus accedat iactura patris. Ceterum cf. etiam Aen. I, 240. 333. VII, 199. Ceteri recentiores editores *actus* servarunt. — **709** sq. De Anchisae obitu singularem excursum scripsit Heyn., XVII. ad h. l., quo docet, aptissime poëtam hoc instituisse, ut Anchisen ante Aeneae ad Didonem adventum obiisse narraret, cum seni nullas inter Aeneam et Didonem partes satis decore tribuere posset; quamquam alii scriptores (Cato ipse secundum Serv. ad Aen. I, 570. Aur. Vict. de Orig. G. R. c. 10., ubi vid. Arntzen., coll. cum Muncker. ad Hygin. f. 260. et Meziriac. ad Ovid. Her. T. II. p. 221.) Anchisen cum Aenea in Italiam pervenisse narrent; omnino autem mortem eius a scriptoribus antiquis tam diverse tradi, ut nihil magis. Ceterum hac patris defuncti apostrophe desiderium pii filii eo vividius exprimi, non est cur memorem. Cf. II, 56. 664. et similes loci. — *omnis curae casusque levamen*. Cf. infra VI, 112 sq. Respicitur autem hic locus in Anth. Lat. II, 193, 20. *amissumque patrem Siculis narravit in*

Deseris, heu tantis nequiquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.
Hic labor extremus, longarum haec meta viarum.
Hinc me digressum vestris deus adpulit oris."
  Sic pater Aeneas intentis omnibus unus
Fata renarrabat divom cursusque docebat.
Conticuit tandem factoque hic fine quievit.

---

oris, fortasse etiam a Val. Flacco I, 286. sic scribente: *Hic soror Aeoliden, aevum mansura per omne, Deserit.* — 711. *nequiquam*, quia Anchisae diu desideratam Italiae terram et novas Troianorum sedes adspicere non contigit. Verba *nequiquam erepte periclis* repetuntur in Anth. Lat. I, 178. 38. et 209., ut etiam Val. Fl. I, 286. huius loci memor videtur scripsisse *saevae nequiquam erepta novercae.* — V. 712. comparant cum Hom. Il. XVII, 407 sqq. Imitatur hunc locum Val. Fl. III, 301 sqq. — *cum*, i. e. quamquam. — *Nec Helenus - - non Celaeno*, vid. supra v. 374. et 247. — 713. Verba *Hos mihi praedixit luctus* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 98., ut totus v. 714. repetitur ibidem I, 178, 206. — V. 715. ex Odyss. VII, 276. 277. sumptus. Redit sic Aeneas ad I, 34. *Vix e conspectu* etc. et omittit narrationem tempestatis, iam ab Ilioneo I, 534 sqq. prolatam. Respexit autem hunc locum Silius VIII, 159. *hinc vestris pelagi vis appulit oris.* — 716. *intentis omnibus*, intento, attento animo audientibus. Sic *intentis canere* ap. Val. Fl. V, 351.; similiter ap. eundem IV, 257. *intenta silentia*, ap. Caes. B. G. III, 26. *intenti oculi* cett. Cf. etiam Aen. V, 137. — *unus*, inter ceteros omnes intentos. Cf. adnott. ad v. 181. huius libri. — 717. *fata divom*, i. e. a diis constituta, decreta, ut II, 54. et VI, 376. *fata deûm;* non autem de vaticiniis et oraculis cogitandum, sed potius de omnibus, quae Aeneae ex deorum consilio acciderunt. Wund. confert Soph. Antig. 158. *θεῶν συντυχίαι.* — *renarrabat*, narrando quasi iterum transigebat, vel certe aliis, quae ipse perpessus erat, fata repraesentabat. Sic Ovid. Met. V, 635. *citius, quam nunc tibi facta renarro, In laticem mutor*, ubi vid. Bach. (Eadem etiam Henrici videtur sententia esse, qui *Tw. years* III. p. 51. et Philol. XI. p. 641. censet: *re* non habere „*the iterative, but the retrospective force, bezeichne nicht Wiederholung, sondern Rückblick.*") Alibi valet rursus narrare, veluti Ovid. Met. VI, 316. Claud. B. Get. 621. Stat. Theb. III, 400. XII, 390. cett.; nusquam autem *renarrare* (quod nisi de rebus vere iam factis usurpari nequit) idem esse potest, quod simplex *narrare.* Eadem ratio est verbi *referendi.* Cf. omnino Ernest. ad Tac. Ann. I, 7, 4. Herzog. ad Caes. B. G. I, 35. Bach. ad Ovid. Met. IV, 43. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 8, 2. Fasc. V. p. 9. — *docere*, ut Graec. *διδάσκειν* pro certum facere aliquem de aliqua re, nuntiare alicui aliquid. — 718. *facto fine quievit.* Wund. „ut tautologia versus liberetur, utque initium libri IV. *At regina* fini tertii conveniat", *quievit* explicat per: somno se tradidit; cui interpretationi iure adversatur Wagn., nullam hic esse tautologiam ostendens [qualis invenitur ap. Silium XV, 68. hunc locum sic imitatum: *Postquam conticuit finisque est addita dictis*], cum *facto fine quievit* significet: „quievit (narrare desiit), quippe iam ad finem narrationis progressus;" Henry autem ll. ll. melius etiam *quievit* refert ad gestus totumque corporis habitum inter narrandum, comparans Stat. Theb. IV, 404. *sic fata gelatis Vultibus et Baccho iam demigrante quievit*, Aen. VI, 226. X, 836. Liv. III, 58.; quocum consentiens Wagn. in recentiss. edit. explicat: „rediit ad habitum compositum et quietum"; eademque fere est Kappesii III. p. 29 sq. sententia. Ceterum quam apta sit verbum *quievit* totius libri clausula, non opus est ut commemorem. Verba *factoque hic fine quievit* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 91. Superest, ut referam, omnem huius libri exitum inde a v. 688. a Conradsio p. XXI sqq. iniuria reprehendi ut secundis curis nondum expolitum; contra quem recte disputat Ribbeck. Proleg. p. 76 sq.

P. VERGILI MARONIS

A E N E I S.

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Dido Cupidinis opera Aeneae amore incensa animi affectum Annae sorori aperit, ita tamen ut eum adhuc reprimens coniugi defuncto fidem se semper servaturam polliceatur (1—30.); sed sororis sermone confirmata tota est in amore et ad nuptias animum adiicit (31—89.). Tum Iuno, ut Aeneam facilius ab Italia avertat, agit cum Venere, ut eius bona cum venia Aeneae Didonem uxorem ducere liceat, quoque id commodius fieri possit, se opportunitatem oblaturam ostendit (90—128.). Postridie Aeneas et Dido venatum profecti subita tempestate a Iunone concitata opprimuntur; comites omnes alius alio diffugiunt; Aeneas autem et Dido in idem antrum conveniunt ibique infaustis ominibus connubio iunguntur (129—172.). Dum Aeneas Didonis amore Carthagine tenetur, Iupiter Iarbae, Gaetulorum regis et unius ex reginae procis, qui advenam sibi praeferri iniquo animo ferebat, precibus fatigatus Mercurium demittit ad Aeneam, quem relicta Africa Italiam petere iubeat (173—278.). Ille Iovis imperio morem gerens, quaecumque ad navigationem essent necessaria, clam per socios paranda curat (279—295.). At Dido, ubi classem instaurari sensit, suspicata Aeneae consilium graviter cum eo expostulat primumque precibus et lacrimis eum ab incepto revocare studet, deinde, cum Aeneam inexorabilem videat, ad iram et exsecrationem vertitur (296—392.). Nihilominus paulo post, cum iam in eo est ut Aeneas solvat ex portu, ultima experiens per sororem id saltem impetrare tentat, ut ille profectionem differat (393—436.). Frustra. Quare regina doloris impatiens simulque visis horrificis exterrita mori decernit (437—473.) et celans sororem, quae animo meditatur, exstructa in impluvio ingenti pyra sacrum magicum parat, quo infelici amore liberetur (474—521.); tum vero dolore noctu recrudescente furens ad moriendi consilium revertitur (522—553.). Interea Aeneas nave conscensa in somnis iterum a Mercurio admonitus intempesta nocte ancoras solvit et in altum evehitur (554—583.). Dido mane abeuntem classem prospiciens diris Aeneam devovet (584—629.) et ablegata Barce, Sychaei nutrice, ut Annam arcessat, necem sibi consciscit. Soror eam invenit iam morientem, tandemque Iuno Irim demittit, quae luctantem animam a corpore solvat (630—705.). (Ceterum Macrob. V, 17. et Servius hunc IV. Aeneidos librum paene totum ex Apollonii Argon. l. III. translatum esse memorant.)

At regina gravi iamdudum saucia cura
Volnus alit venis et caeco carpitur igni.
Multa viri virtus animo multusque recursat
Gentis honos; haerent infixi pectore voltus
Verbaque nec placidam membris dat cura quietem.

---

1. *At regina*. Quam bene haec clausulae superioris libri (*quievit*) opposita sint, vix est quod memorem. Wagn. vero docet, non solum contraria indicare Part. *at*, verum etiam usurpari in transitu ad novum argumentum, maxime in ordienda nova narratione. Vid. infra v. 504. V, 35. 545. 613. VI, 679. VII, 5. VIII, 370. 608. IX, 503. X, 689. aliosque locos a Wagn. Qu. Virg. XXXVII, 2. b. collectos. Cf. etiam adnott. ad l. III. extr. et Gronov. ad Gell. N. A. Praef., quem Thiel. laudat. — *saucia cura*, amore Aeneae a Cupidine excitato (Aen. I, 660. 719 sqq.); nam *cura* apud poëtas haud raro dicitur de amore, qui solet curas excitare (nobis *Liebespein*). Vid. VI, 444. Ovid. A. A. III, 680. id. Rem. 311. Met. VI, 493. Prop. I, 15, 31. cett. — *saucius* autem, ut *vulneratus*, *vulnus* et similia, de amantibus saepissime dicitur. De Adiect. *saucius* cf. Ennius ap. Cic. pr. Coel. 8. in. (Med. fr. I. p. 126. Vahlen.) Lucr. IV, 1044. Hor. Od. III, 10, 15. Tib. II, 5., 109. Ovid. Her. V, 152. al.; de *vulnere* Lucr. I, 34. II, 628. Hor. Od. I, 27, 11. Ovid. Met. IV, 207. Prop. III, 15, (II, 22,) 7. Sen. Agam. 188. al. Peerlk., temere haerens in voc. *cura* v. 5. repetito, etiam Vergilium hic *saucia amore* scripsisse suspicatur. Ceterum hic totus versus iteratur in Anth. Lat. I, 172, 100. — 2. *Volnus* (multa semper de Aenea cogitando) *alit venis*, „propter sanguinem aestu amoris concitatum.“ *Heyn.* Cf. Hor. Sat. I, 2, 33. *venas inflat dira libido* et Sen. Hippol. 278. *Labitur totas furor in medullas, Igne furtivo populante venas. Venis* Coningtoni videtur esse Ablat. instrumenti, mihi potius Ablat. loci; atque etiam Wagn. recte explicat: „in venis; quippe proditur illa animi affectio commotis venis sive concitatione sanguinis“. *Alere* autem *vulnus* legimus etiam ap. Petron. in Wernsd. Poet. L. min. IV, 304, 20. (*cor grave vulnus alit*), ut *vulnus pascere* ibid. IV, 452, 80. (*amor sua vulnera pascit*). Conington comparat Geo. III, 454. et Graec. βόσκειν ap. Aesch. Suppl. 620. et Soph. Phil. 312. 1167. — *caeco* (occulto, vid. modo III, 706. cum adnott. ad Geo. I, 89. 464. III, 210. etc.) *igni*, ut apud Lucr. IV, 926. Cf. I, 660. 688. et Ovid. Met. IV, 64. *Quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis.* Heyn. adnotat, Vergilio obversatum esse Apollon. III, 286 sq. Cupidini propterea ἰοὺς πυρφόρους et facem tribui, res satis nota. — *carpitur*, consumitur, ὃν θυμὸν κατέδει (Hom. Il. VI, 202. al.). Cf. Geo. III, 215. Ovid. A. A. III, 680. id. ex P. I, 4, 22. Ceterum eadem verba vide apud Ovid. Met. III, 490. *caeco paullatim carpitur igni.* Cf. etiam Val. Fl. III, 305. *aegra assiduo mens carpitur aestu* et Anth. Lat. I, 178, 173. *Mens inmota manet et caeco carpitur igni.* Respicitur praeterea hic et antecedens versus in Anth. Lat. II, 192, 31. et 193, 21. *At regina gravi Veneris iam carpitur igni* atque ibid. 194, 13. *At regina gravi pectus succensa dolore Ardet amore viri.* — 3 sqq. Didonem movet Aeneae fortitudo, nobilitas, pulchritudo et sermonis venustas. — *Multam virtutem* vulgo pro magna, ut *plurimam virtutem* XI, 312. et *plurimam pietatem* II, 429. pro maxima, dictam putant, coll. Drak. ad Liv. XXX, 1.; sed verissime Iahn. haec ita differre docet, ut *magna virtus* sit, quae ceteras virtutes praestantia aliqua superet, *multa virtus* autem, quae saepius exercita et multis factis probata, i. e. omnino multiplex sit. Non tamen adsentior viro doct. suspicanti, hic Adiectivum magis Adverbii vim habere sensumque esse: multum (saepius) recursat animo virtus et honos; quamquam etiam Wagn., Haeckerm. in Muetzell. *Zeitschr.* XII. p. 629. et XIX. p. 115. et Conington hanc explicationem repetunt. — *recursat.* Vid. I, 662. — 4. *gentis honos* aut omnino Troianorum clarum nomen, aut potius splendidum et ab omnibus celebratum Aeneae genus a Venere ductum. Cf. infra v. 12. X, 228. et XI, 305. Verba *haerent infixi p. voltus Verbaque* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 142 sq. — „Ad v. 4. 5. cf. Apollon. III, 453 sqq. Amor autem hic is est, quo Venus et falsus Ascanius Dido-

Postera Phoebea lustrabat lampade terras
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram,
Cum sic unanimam adloquitur male sana sororem:
„Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!

---

nem incenderant I, 672. 712 sqq.“ *Heyn.* — Verba *neque membris dat cura quietem* redeunt X, 217. — 6. *Auroram* pro tempore matutino et omnibus, quae ibi fiant, poni docet Wund., coll. Val. Fl. I, 310 sq., quare hic Aurora lampade Phoebea terras lustrans non miranda sit. De *lampade Phoebea* vid. ad III, 637. — *lustrare* i. q. obire ideoque radiis suis collustrare. Sic etiam apud pedestris orationis scriptores de sideribus orbem suum conficientibus. Vide infra v. 607. VII, 148. Lucr. V, 80. 692. 1435. VI, 738. Cic. N. D. II, 20. extr. et de Univ. 9. Claud. R. Pros. II, 48. et de VI. Cons. Hon. 412. Ceterum cf. Geo. I, 249. et Aen. V, 64 sq. — V. 7. iteratur ex III, 589., ubi vid. adnott. — 8. *unanimam sororem*, amantissimam (*die mit ihr ein Herz und eine Seele war*). Sic infra VII, 335., ut ap. Liv. VII, 21, 5. Claud. I, 231. et VII, 189. *unanimi* et *unanimes fratres.* Nam ubivis fere in Adiectivis a voc. *animi* factis fluctuant Codd. inter utramque formam in *us* et *is*, atque etiam hic Med. a m. pr., Bern. II. III. aliique *unanimem* exhibent. Heins. iam vidit, in his Vergilium ad soni suavitatem se accommodasse, quod Wagn. facile apparere censet locis VII, 335. IX, 451. XI, 30. 51. coll. cum IV, 686. V, 669. VI, 161. X, 396. 404. 841. XI, 635. XII, 356. et 264.; ubi tamen neutra forma offensionem habeat, ibi communem a poëta praeferri, velut X, 496. et V, 481. Cf. praeterea Aen. I, 484. V, 517. VI, 149. IX, 444. X, 424. 672. XI, 110. XII, 131., ex quibus locis collatis apparet, Vergilium neutrali forma horum Adiect. in *e* plane abstinuisse, praeterea autem Adiectivorum in *is* maxime Nomin., Dat., Accus. et Ablativo Sing. cum Nom. et Acc. Plur., Adiectivorum in *us* autem Nomin. (neutrius gen.) Gen. et Accus. Sing. cum Dat. et Abl. Plur. usum esse. formam tamen *unanimis* omnino evitasse, cum etiam VII, 335. et XII, 264. pauci tantum Codd. *unanimes*, meliores *unanimos* et *unanimi* exhibent. Cf. imprimis Iahn. ad Aen. XI, 444. et Both. ad Hor. Sat. II, 8, 1. Vol. II. p. 139. Feae. — *male sana*, insana, *μαινομένη*. Vid. ad II, 23. — 9. *Anna soror.* „Quod Annam sororem Didonis inducit, non nutricem, ut fere Graeci in tali re solent, admodum placet. Sed id Vergilius Apollonio Rhodio debet, qui Chalciopae, Medeae sorori, simile officium tribuerat; a quo etiam insomnia habet Didonis et confessionem amoris sorori factam. Vid. Apollon. III, 616 sqq. 645 sqq. - - Annam iam Naevius memoraverat, teste Servio ad v. 9., in bello, puta, Punico.“ *Heyn.* Apollonium enim et Naevium poëta in hoc libro, cuius argumentum ab Homeri saeculo alienum est, imprimis secutus esse videtur (cf. Macrob. V, 17. et VI, 2. extr.); quamquam negari nequit, magis hic poëtam suo iudicio usum suoque ingenio ductum videri, quam in ceteris libris. Movers *Die Phöniz.* I. p. 612. hanc Annam (quam eandem censet cum Romanorum Anna Perenna, cuius cultum Ovid. Fast. III, 523. et Silius VIII, 42. a Carthaginiensibus repetant) non minus quam Didonem ipsam eiusque patrem Belum (Aen. I, 620. Sil. I, 73. 87.) Poenorum numina fuisse docet. — De voc. *insomnia*, quod singul. numero vigilias, plurali vero somnia gravia et terribilia significet, Thiel. conferri iubet Ruhnk. et Bentl. ad Ter. Eun. II, 1, 13. Broukh. et Bach. ad Tibull. III, 4, 1., ubi *insomnia* pariter pro somniis ponuntur. Adde infra VI, 896. (Fortasse vox indicat visa illa nocturna somniisque simillima, quae vigilare opinantibus nobis semisomno sopore offeruntur, nobis *wache Träume, Träume im Wachen* appellata.) Servius adnotat: „*Insomnia* licet et Pacuvius et Ennius frequenter dixerunt, Plinius tamen exclusit et de usu removit.“ Wagn. confert *βαρεῖς ὀνείρους*, qui Medeam ap. Apoll. Rh. III, 636. terreant, cuius verba Vergilius haud dubie ante oculos habuit; eundemque locum etiam Henry (*Tw. years* IV. p. 4. et Philol. XII. p. 248.) affert, recte de h. l. disputans contra Pomp. Sabinum aliosque, qui *insomnia* falso per vigilias interpretantur. — *suspensam terrent*, terrent suspensamque reddunt, i. e. anxiam, inter spem metum-

Quis novus hic nostris successit sedibus hospes,
Quem sese ore ferens, quam forti pectore et armis!
Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.
Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille
Iactatus fatis! quae bella exhausta canebat!

---

que fluctuantem et dubiam, quid faciat. Vid. ad II, 729. et Henry in Philol. XII. p. 249. — **10**. Auctor videtur memor fuisse Catulli LXIV, 176. *in nostris requiescet sedibus hospes*. — *novus* positum videtur pro: eximius, diversus a vulgo hospitum, plane singularis. Iteratur autem hic totus versus in Anth. Lat. I, 170, 79. — **11**. *quem sese ore ferens*, quali oris habitu (v. 4.) incedit, quanta est in ore eius dignitas. Cf. Aen. I, 503. V, 373. VII, 492 etc. — *quam forti pectore et* (*quam fortibus*, quod repetendum: vid. ad III, 413. et IV, 588.) *armis*, i. e. brachiis, nam hic Abl. ab *armi*, non ab *arma* deducendus videtur (cf. Aen. XI, 644. XII, 433. et Lucan. IX, 829.); minus enim placet dicendi formula *quam fortibus est armis* (a Nom. *arma*), imprimis hic, ubi Dido externam modo Aeneae formam praedicat; quamquam *fortia arma* etiam X, 735. (ut ap. Ovid. Met. VII, 865. et al.) leguntur. Sic mecum consentientes nunc etiam Ladew., Wagn. in min. edit. (qui commemorat, Aeneae pulchritudinem etiam a Venere matre praedicari ap. Hom. h. in Ven. 279 sq.) et Conington; adversante tamen Haeckermanno in *Zeitschr*. etc. XII. p. 629. et XIX. p. 115., qui, cum minus aptum sit a Didone pectus humerosque latos Aeneae praedicari, quamquam etiam ab Homero Il. III, 194. Ulyssis et a Val. Fl. I, 433. Meleagri *humeri fortes* celebrentur, et *armi* animalibus potius, quam hominibus, tribui soleant, de audacia et fortitudine cogitandum esse opinatur; quocum etiam consentit Henry in Philol. XII. p. 250. haec verba opponi ratus sequentibus *Degeneres animos timor arguit* et *pectus* per „*Muth*", *arma* per „*tapfere Waffenthaten*" interpretatus. — *fortis* hic i. q. validus, robustus, ut Geo. I, 65. *fortes tauri* et Aen. XI, 705. *fortis equus*. Imprimis autem cf. Val. Fl. I. 1. *humeri fortes spatiumque superbi pectoris* et Hor. Epist. I, 7, 26. *forte latus*, praeterea etiam Colum. I, 8, 5. *villicus fortis in operibus*, id. VI, 1, 2. *boves ad opera — fortes* etc. Ceterum Vales., Markland. et Peerlk. temere coni. *quem* (scil. se ferens) *forti pectore et armis*; et Wakef. e paucis Codd. recepit *quam fortis pectore et armis*, quod iam Burmanno placuerat. Repetuntur autem haec verba in corrupto loco Anth. Lat. I, 178, 40. — **12**. *Credo equidem*. Cf. VI, 848. et Anth. Lat. VI, 84, 35. — *nec vana fides*, nec vanum est, quod aiunt; fides nititur certis argumentis. — *genus*, prolem, progeniem, ut VI, 793. et alibi. Cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 6, 12. De omisso Accus. *eum* vid. ad II, 25. — **13**. „Invertit orationem: credo eum prolem deae esse, quandoquidem fortitudo ac constantia in ferendis laboribus ac periculis generosam ac divinam originem arguit." *Heyn*. — *Degeneres* enim *animi* opponuntur *generi deorum* modo commemorato. *Degener* autem hic non est, qui degeneravit, a virtute maiorum deflexit, sed omnino qui nullos habet maiores nobiles ideoque ignobilis, humilis, vilis. Cf. Lucr. VI, 417. *degeneres animi*. Lucan. III, 149. *metus degener*. Sen. Herc. Oet. 1388. *clamor degener*. Val. Fl. VI, 86. (ubi vid. Burm. et Wagner.) Stat. Theb. X, 331. Silius II, 287. cett. Repetit verba *Degeneres animos timor arguit* Auson. Idyll. IV, 26. his additis: *at tibi consta Intrepidus*. — *arguit*, clare prodit, manifestat (externis signis); ut Ovid. Tr. IV, 3, 80. *Apparet virtus arguiturque malis*. Ovid. Fast. II, 397. *si genus arguitur vultu*. Hor. Epod. XI, 9. *amantem et languor et silentium Arguit* cett. Fortasse hunc locum respexit Iuvencus Carm. II, 37. *infidos animos timor irruit*. — **14**. *iactatus fatis*, vexatus, defatigatus. Cf. I, 3. et VI, 693. Ribbeck, signo exclamandi post *fatis* omisso coniungit verba *iactatus canebat*. — *exhausta*, tolerata, adiuncta tamen magnitudinis et molis notione. Sic X, 57. et Ovid. Met. XII, 161. *exhausta pericula*, XI, 256. et Lucan. II, 295. *exhaustus labor*, Liv. XXXIII, 11, 6. *dura et aspera belli exhaurire* etc. — *canebat*, narrabat. Vere tamen Wagn. ad IX, 621. adnotat, *canere* non simpliciter esse loqui, sed non vulgaria loqui, aut

Si mihi non animo fixum inmotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit;
Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset,
Huic uni forsan potui succumbere culpae.
Anna, fatebor enim, miseri post fata Sychaei
Coniugis et sparsos fraterna caede Penatis

---

magna, ut hic, aut dira, ut illo loco et XI, 399. Cf. etiam III, 438. *Iunoni cane vota.* — Cum v. **15**. cf. Stat. Theb. VI, 160. *Fixum matri immotumque manebat*, Cic. Balb. 28. extr. *illud fixum in animis tenetote*, id. ad Div. X, 34. extr. *perpetuo animo meo fixo manebunt*, id. pr. Mur. 30, 62. *fixum et statutum est*, Tac. Ann. I, 47. *manet mihi immotum* et similes loci. Vid. etiam adnott. ad II, 660. — **16**. *vinclo iugali*, quod, Servio auctore, iugum imponebatur matrimonio iungendis! Nam iugalis proprie dicitur de equis vel armentis sub eodem iugo coniunctis (Aen. VII, 280. Sil. XVI, 400. cett.); de matrimonio autem etiam infra v. 59. et 496. VII, 320. Catull. LXIV, 303. *taeda iugalis*. Val. Fl. VIII, 222. *foedus iugale* cett. — **17**. „*deceptam fefellit*, poëtica copia pro: spem destituit morte mariti.“ *Heyn.* Rectius cum Thielio interpreteris: amor ita me fefellit, ut morte coniugis deciperer. Verba *deceptam morte* accuratius definiunt modum, quo amor eam fefellit; gaudia enim coniugii et spes diuturnae coniunctionis ei erat erepta. Pauci quidam Codd. *decepta morte;* sed receptam lectionem etiam tuetur imitatio Ambrosii Hexaëm. V, 19, 62. *eo quod primus amor fefellerit eam dilecti morte deceptam.* Ceterum cf. etiam Oudend. ad Lucan. VIII, 61. et Appul. Met. VIII. p. 561., a Peerlk. laud. De Sychaeo a Pygmalione, Didonis fratre, interfecto cf. Veneris narratio I, 343 sqq. ibique adnott. — **18**. *si non pertaesum - - fuisset*, scil. me, ut ap. Plaut. Most. I, 4, 4. legitur *me convivii sermonisque pertaesum est.* Cf. etiam Aen. V, 714. Lucr. III, 1074. V, 1149. Liv. III, 67, 7. Nep. Att. 15. Ovid. Am. II, 9, 27. cett. et Neue *Formenl.* I. p. 484. — *taedae* nuptialis; taedis enim accensis sponsa vesperi a cognatis et familiaribus in domum sponsi deducebatur; unde *taedae* haud raro pro ipsis nuptiis. Cf. infra v. 338. VII, 388. Ovid. Met. I, 658. 763. IV, 60. 326. IX, 721. Stat. Silv. III, 4, 53. Ovid. Her. VI, 134. etc. — **19**. *potui*. Vid. ad Geo. III, 453., de Indicativo autem post *si non - fuisset* ad Aen. II, 55. — *succumbere culpae*. Cf. Ovid. Met. VII, 749. *simili succumbere culpae.* Et de *culpa* quidem Dido loquitur, quia Aeneae amorem tamquam delictum in priorem coniugem commissum spectat. Sequitur autem poëta Romanarum viduarum sentiendi rationem, quae *univirarum* mulierum laudem affectabant, de qua re cf. Dion. Hal. VIII, 56. Val. Max. II, 1, 3. Tertull. de exhort. cast. 13. et de monogam. 13. Inscript. ap. Orellium n. 2742. 4530. et Reines. XIV, 73. interpp. ad Prop. V, (IV,) 11, 36. (*In lapide hoc uni nupta fuisse legar*) et Hor. Od. III, 14, 5. (*Unico gaudens mulier marito* etc.) Iacobs ad Anthol. Gr. T. XII. p. 273. Hessium ad Tac. Germ. 19, 7. Henricum in *Two years* IV. p. 10. et Philol. XII. p. 251. et liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 314. adn. 200., qui etiam de taedis nuptialibus agit p. 282. Non igitur erat, cur Peerlk. in hoc vocabulo haereret et longa disputatione studeret ostendere, verba *succumbere culpae* ab aliena manu adiecta esse Vergiliumque tantum scripsisse *Huic uni forsan potui*, scil. me vinclo iugali sociare, hic solus meos sensus inflexit. — **20**. *fatebor enim* eodem modo inseri Ecl. I, 31. et in Eleg. ad Messal. 11., memorat Thiel., comparans etiam supra II, 78. *neque negabo*. *Enim* autem hic affirmativa est Particula. Vid. ad Geo. I, 79. et II, 509. — *fata* i. q. mortem fatis adductam. Cf. Aen I, 222. *fata Lyci*, ibique adnott. De Sychaei fatis vid. Aen. I, 343 sqq. — **21**. *fraterna caede* non tam est caedes a fratre edita, quam parricidium fraternum; nam etiam leviri s. affinitate coniuncti fratres sese appellant. Coningtoni tamen altera explicatio videtur simplicior coll. II, 526. *Pyrrhi de caede*. De ipsa re vid. I, 349. ibique adnott. — *sparsos Pe-*

Solus hic inflexit sensus animumque labantem
Inpulit; adgnosco veteris vestigia flammae.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentis umbras Erebi noctemque profundam,
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua iura resolvo.

---

nates, conspersos. Vid. adnott. ad Ecl. V, 7. Peerlk., cui haec verba iustum sensum praebere non videntur, cum *fraterna caede* nihil aliud significare possit, quam aut caede mei fratris, aut caede fratris Penatum, totum versum spurium censet. Verba *sparsos fraterna caede Penates* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 9. Cf. ibid. v. 263. — 22. *hic*. Santen. ad Ter. Maur. p. 252. docens, a Vergilio fortasse imitatione Lucretii VI, 9. bis tantum in Aeneide corripi Pronomen *hic*, hunc locum procul dubio respexit et VI, 792., ipse autem Ter. Maur. p. 1657. vana de metri sollicitudine legi voluit *Hocc'*. Vid. adnott. ad Aen. II, 664. — *inflexit sensus*. Cf. Val. Fl. VII, 172. *flectere sensus Virginis*. (Vid. infra ad v. 35.) Compositum verbum legitur etiam Aen. XII, 800. Stat. Theb. VIII, 716. et alibi. Verba *Solus hic inflexit sensus* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 72. — *labantem inpulit*, per prolepsin, i. e. impulit, ut labaret. Vid. ad I, 659. Sic etiam Wagn., Ladew. et Conington. Haeckerm. vero in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 115. explicat *iam labantem* propter verba praegressa *inflexit sensus;* neque aliter Henry in *Tw. years* IV. p. 7. et Philol. XII, p. 250: „iam labantem, i. e. invalidum, parum firmum.“ Ceterum sic ap. Ovid. Her. XVII, 178. *pectora labant*, ap. Cic. Att. VIII, 14. *labat meum consilium* et similia alibi. Süpfl. comparat Cic. ad Att. III, 13. *qui ut me paululum inclinari timore viderunt, sic impulerunt* cett. — 23. Agnosco amoris, qualem olim experta sum, signa. Cf. autem cum h. l. supra I, 720 sqq. — 24. Dido, dudum saucia amore (v. 1.) et sentiens morbum iam aggravescere, verborum et imprecationum terrore mederi sibi velle videtur. Heyn. comparat Hom. Il. IV, 182. (τότε μοὶ χάνοι εὐρεῖα χθών) VI, 464. et XVII, 416. Cf. etiam infra X, 675. XII, 883. Ovid. Met. I, 546. Fast. III, 609 et Silius IX, 538. — *prius* - - *Ante quam* eodem pleonasmo, quo Graeci dicunt πρὶν - - πρὶν ἤ. Cf. Plaut. Trin. V, 2, 17. *neque eum ante conspexi prius*. Prop. III, 20, (II, 25,) 25. *Aut prius infecto deposcit praemia cursu, Septima quam metam triverit ante rota?* Huschk. ad Tibull. I, 3, 9. et Hand. Tursell. I. p. 385. et 395. sq. Wund. minus probabiliter: „cum duo sint vota, ad alterum *prius*, ad alterum *ante* pertinere naturae consentaneum est.“ Markland., temere haerens in hoc pleonasmo, coni. *Sancte Pudor*, et Peerlk. totum adeo versum 27. tamquam spurium eiiciendum censet. Pro *adigat* Ribbeck. e sched. Vat. et deterioribus quibusdam Codd. recepit *abigat*, quod probare nequeo. Cf. etiam VI, 594. — 26. *Pallentis umbras*, ut infra v. 243. *animae pallentes*. In Anth. Lat. IV, 61, 1. legimus *Pallentes* (Subst.) *Orco eripere*. — *umbras Erebi*, ut etiam VI, 404. Aliquot Codd. (sched. Vat. et Sangall., Rom., qui *Eribo* exhibet, Pal. et Gud. a m. pr.) *Erebo*, quod Wund., Iahn. et Ribbeck. praetulerunt, pro *in Erebo* positum, coll. Aen. I, 403. VI, 186. [VII, 140.] et similibus locis. Sed Wagn. docet, eiusmodi Ablativum apud Vergilium non inveniri, nisi Verbo alicui iunctum (ut Geo. I, 6. Aen. I, 403. IV, 328. 578. — I, 263. XII, 344. alibi), aut epitheto aliquo adiecto (velut I, 110.), aut ubi ille excusetur quadam orationis brevitate (ut I, 160. III, 530.), aut alia denique singularis causa subsit (ut III, 125. VII, 269. VI, 187., ubi vid. adnott.). Hunc locum autem diversum esse ab illo, quem Wund. comparet, VI, 186. *coelo Ereboque potentem*, cum hic *pallentes* non sit Participium, sed Adiectivi munere fungatur; ita ut, si *Erebo* legere velimus, necessario coniungenda sint *adigat Erebo* (tertio Casu), quod sane verba *Pallentes umbras* per appositionem addita dissuadent. — *noctem profundam* Thiel. explicat per „locum inferorum profundum, ubi semper nox est“; coll. Geo. I, 243. Sen. Troad. 430. (*Styx profunda*) Agam. 486. (*inferna nox*) cett. Redit. infra VI, 462. — 27. *Ante, Pudor, quam te*

Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit; ille habeat secum servetque sepulchro."
Sic effata sinum lacrimis inplevit obortis.
Anna refert: „O luce magis dilecta sorori,
Solane perpetua maerens carpere iuventa,

---

violo. Hic locus Ovidio obversabatur, cum Her. VII, 97. Didonem haec scribentem fingeret: *Exige laese pudor poenas, violate Sychaeo: Ad quem* (*me miseram!*) *plena pudoris eo.* Ceterum *ante* repetit praecedens *prius* post plura interiecta. Vid. supra. Markland. igitur praeter necessitatem coniicit *Sancte Pudor.* — *tua iura resolvo.* Qui *iura* numinis *resolvit*, officia ab ipso sibi imposita laedit. Cf. II, 157. ac Wunderl. ad h. l. et ad Tibull. I, 3, 79. Haec autem officia Pudori debita laesura sibi videtur regina novo amore et secundis nuptiis. De dictione *resolvere iura* vid. supra II, 157. Ceterum Prisc. XVIII, 10. 92. p. 1146. et Codd. quidam deterioris notae *violem - - resolvam*, male; nam consilium certissimum Dido profert: nunquam resolvam iura, peream potius, quam resolvam (nos: *ehe ich das thue*). Cf. adnott. ad Geo. IV, 306. et Iahn. ad Aen. V, 347. Peerlk. etiam hunc versum spurium censet. — **28.** *me sibi iunxit.* Vir iungit sibi uxorem, uxor adiungit se viro s. coniungitur cum viro. — *meos amores Abstulit;* illi uni amorem meum addixi, eo mortuo alium amare mihi non licet. Cf. Catull. LXVIII, 19. *Sed totum hoc studium luctu fraterna mors Abstulit.* Lucan. I, 111. *pignora iuncti Sanguinis - - Abstulit ad Manes* etc. Ceterum Wagn. ad V, 334. adnotat, Pluralem *amores* in illo loco, ut in nostro, significare omnem mutui amoris sensum et affectum. Rectius fortasse dixeris, etiam hic Pluralem vocum affectum aliquem significantium, ut *amor, odium, ira, metus, gaudium, luctus* etc., indicare altiorem affectus gradum, qua de re cf. Unger ad Valgium Rufum p. 226 sq. — Cum v. **29**. Conington conferri iubet Soph. Oed. R. 971. — **30**. *sinum*, vestis. Peerlk. (coll. Val. Fl. VII, 251. *flebat iniquae In Veneris Medea sinus* et Senec. Med. 541. *liberos - - in quorum sinu lacrimas profundam*) minus probabiliter explicat: „sinum sororis, in quo caput et vultus reponebat", adversante etiam Henrico (*Tw. years* IV. p. 11. et Philol. XII. p. 251. qui de nudo Didonis sinu cogitans comparat Ovid. Her. VI, 70. *et lacrimis osque sinusque madent,* ibid. VIII, 62. *Perque sinum lacrimae fluminis instar eunt,* Trist. V, 4, 39. *Et te flente suos immaduisse sinus,* Fast. IV, 521. *ut lacrimae - - Decidit in tepidos lucida gutta sinus* et Apoll. Rhod. III, 803. *Δεῦε δὲ κόλπους Ἄλληκτον δακρύοισι.* Heyn. comparat Hom. Il. IX, 570. *δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι*, et sic pergit: „Hae autem lacrimae magnum facile poëtam arguunt. Dum vult constans et aspera et ab amore intacta videri, ecce obortae lacrimae laborantem occulto affectu animum produnt. Cf. Hor. Od. IV, 1, 33 sqq." Haud dubie respexit hunc versum Ovid. Met. IV, 684. *lumina, quod potuit, lacrimis implevit obortis.* — **31.** *refert*, respondet, ut ap. Ovid. Met. II, 35. Fast. VI, 354. Stat. Theb. VIII, 247. Cf. Barth. ad eiusd. IX, 400. — *luce magis*, i. e. vita. Cf. Geo. IV, 255. Aen. VI, 435. et quod ad sententiam attinet, Aen. V, 724. *Nate, mihi vita - - Care magis.* Ceterum antiquiores editt. male locum sic distinguunt: *Anna refert, O luce magis dilecta, sorori;* immo *dilecta sorori*, i. e. mihi, utpote sorori, coniungenda esse patet, *sorori* autem multo blandius esse, quam *mihi*, in promptu est. Cf. infra v. 435. *miserere sororis*, cum adnott. ad Aen. I, 48. et II, 674. — **32.** *Solane*, tamquam vidua. Cf. infra v. 82. — *perpetua maerens iuventa*, i. e. in iuventute tua perpetuo maerens; num per totam iuventutem tuam maerore carperis, spernens matrimonii gaudia? Nam *iuventae* aperte inest notio aetatis amori et coniugio aptae. Cf. Prop. IV, 10, (III, 11,) 7. et Sabin. Ep. III, 10. — De verbo *carpendi* vid. supra ad v. 2. adnott. Henry tamen (*Tw. years* IV. p. 12.), cum si de dolore, maerore cogitaretur, huius versus non aptus esset cum sequentibus connexus, quae potius haec ipsa verba explicent, *carpere* coniungit cum *iuventa* (comparans Shakespearii *withering on the virgin thorn*), ut sensus sit: visne rosae non carptae similis virgo deflorescere? quod non displicet Co-

Nec dulcis natos, Veneris nec praemia noris?
Id cinerem aut Manis credis curare sepultos?
Esto: aegram nulli quondam flexere mariti,
Non Libyae, non ante Tyro; despectus Iarbas

---

ningtoni, nunc tamen ab Henrico ipso retractatur. Ceterum Heyn. confert Senec. Hippol. 446 sq. *Aetate fruere - - cur toro viduo iaces?* — **33.** ***dulces natos***, ut II, 138., ubi vid. adnott. — ***Veneris praemia***, i. e. gaudia, fructus. Sic Lucr. III, 912. (ubi vid. Wakef.) et 969. de *praemiis vitae* loquitur. Heyn. comparat *δῶρα Ἀφροδίτης* ap. Hesiod. Scut. 47. Pind. Ol. I, 120., *φίλα δῶρα Κυπρίας* ap. eund. Nem. VIII, 12. et Ruhnk. Praef. ad Hymn. in Cer., in quo v. 102. pariter *τόκος* et *δῶρα Ἀφροδίτης* iungantur. Peerlk. (cum quo faciunt Gossr. et Ladew., qui Particulas *nec - nec* non semper disiunctivas esse memorat, de qua re diximus ad Geo. IV, 198.) negans, gaudia amoris exprimi posse per *praemia Veneris*, ipsos *dulces natos* hic praemia Veneris s. connubii appellari censet, et praeterea hanc coniecturam proponit: *Nec dulcis natos, Veneris pia praemia, noris.* Gentius autem Annot. crit. p. 15. parum feliciter coniicit - - *natos* (*Veneris haec praemia*), *noris.* Wagn. et Conington mecum consentiunt. Ceterum repetit hunc versum imitator Vergilii in Anth. Lat. I, 178. 268., cuius fortasse etiam Prisc. memor fuit Perieg. 720. scribens *Non Bacchi donum, Cereris nec praemia norunt.* — ***noris?*** noscere cupis? — **34.** ***Id***, utrum novum matrimonium ineas, an fidem serves mortuo marito. — ***cinerem*** Sychaei. De cinere pro umbra mortui posita Wagn. conferri iubet Iacob. ad Lucil. Aetn. v. 77. — „***Manes sepultos***, ex opinione, puto, de Manibus compositis et placatis, ubi mortuo iusta persoluta essent; ita pro Manibus sepultorum.“ *Heyn.* Etiam Wagn. explicat: „Manes sepultorum nihil iam curantium res humanas“ Ladew. vero (contra quem disputat Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 115.) putat his verbis indicari, Didonem Sychaeo iustis persolutis nihil amplius debere eius Manibus. — Ceterum cf. infra v. 427. et Petron. 111., ubi hic totus versus repetitur, ibique Burm. p. 669. — **35.** ***Esto*** non tam ad antecedentia, quam ad sequentia, est referendum. Sensus enim hic est: Concedendum sane, nullum antea procum mentem tuam flexisse, dum dolor recens esset ipsique proci tibi minus accepti; sed nunc, cum aliquot iam anni praeterierint tuque ames Aeneam, cur dulci amori diutius repugnabis? Recte enim *Heyn.*: „In *aegram* latet causa spreti adhuc amoris, quod recenti dolore coniugis amissi erat afflicta, qui nunc resedit.“ — ***nulli flexere mariti.*** Cf. Geo. IV, 516. *non ulli animum flexere hymenaei*, et qui utriusque loci memor fuit, poëta Anth. Lat. I, 170, 71. sic scribens: *Nulla Venus, nulli quondam flexere hymenaei.* — ***flectere*** *aliquem*, pro animum, mentem alicuius, apud poëtas haud raro legitur (cf. e. g. Aen. II, 689. VII, 312. cett.), interdum vero etiam apud pedestris orationis scriptores, velut ap. Cic. Phil. I, 14, 35. De ***maritis*** procorum loco commemoratis vid. infra v. 536. et Wagn. ad Eleg. ad Messal. p. 47. Sic alibi *maritus* pro sponso vel omnino pro amatore. Cf. Tibull. III, 2, 12. III, 4, 31. Prop. II, 17 (21), 10. Val. Fl. VIII, 16. cum adnott. ad Ecl. VIII, 18. et Aen. II, 344. — **36.** ***Non - - non*** post *nulli*, ut saepe. Wund. confert Ter. Eun. I, 2, 67. *Habeo hic neminem, neque amicum neque cognatum.* Plura exempla praebent Duker. ad Flor. III, 17. Drak. ad Liv. XXVII, 41, 4. Broukh. ad Prop. II, 15, 5. Bentl. et Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 2, 34. Schwarz. ad Plin. Pan. 3. p. 579. Beneck. ad Iustin. X, 3, 1. XXV, 5, 3. Daehn. ad Nep. Iphicr. 2, 1. alii. — ***Libyae*** non tam pro in Libya positum videtur (vid. adnott. ad Aen. III, 162.), quam potius a *mariti* pendere, ut intelligendi sint mariti ex Libya oriundi, Libyes; quemadmodum ***Tyro*** i. q. mariti a Tyro, Tyrii. Ita simplex Ablat. haud raro indicat locum, ubi aliquis natus est. Cf. X, 183. 345. Cic. p. Cluent. 69. 197. *Teano Apulo atque Luceria equites.* Caes. B. C. I, 24. *Cn. Matius Cremona*, ibid. III, 71. *C. Felginatem Placentia, A. Granium Puteolis, M. Sacrativirum Capua.* (Cf. etiam III, 503. ibique adnott.) Plenius dicitur V, 61. *Troia generatus Acestes*, et X, 141. *Maeonia generose domo.* Haeckerm. tamen l. l.

Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello,
Et Numidae infreni cingunt et inhospita Syrtis;
Hinc deserta siti regio lateque furentes

---

hunc locum cum X, 345. (ubi Ablativo *Curibus* adiectum sit verbum *aduenit*) et X, 183. (ubi ad *Caerete domo* ex seqq. verbis intelligenda sit Praep. *in*) non posse comparari ratus, *Tyro* pro *Tyri* positum censet coll. Zumptii Gramm. §. 398. — De *Iarba* vid. infra ad v. 196. et de ipsa re v. 321. Ceterum cf. Silius VIII, 54. *despectus taedae - - Hiarbas.* — **37.** *Africa terra triumphis Dives.* Terram bellis inter incolas assidue agitatis infestatam his verbis significari recte censet Wagn., qui porro de verbis *Africa terra* conferri iubet Columm. ad Ennium p. 188. Hessel. (Ann. IX. fr. 6. p. 46. Vahl. *Africa terribili tremit horrida terra tumultu.*) Habemus hic antiquum dicendi genus; nam ab initio omnia terrarum nomina erant Adiectiva. — **38.** *placito amori.* Cf. Geo. II, 425. Ovid. Her. XVII, 98. *placita bona,* Sall. Iug. 81. 1. *locus ambobus placitus;* et omnino de multorum Verborum neutralium Participio Perfecti Ruddim. I. p. 299 sq. De verbo *pugnandi* Graecorum ratione cum Dativo constructo vid. adnott. ad Ecl. V, 8. Quod ad sententiam attinet, Henry (*Tw. years* IV. p. 13. et Philol. XII. p. 251.) confert Catull. LXII, 59. *At tu ne pugna cum tali coniuge, virgo.* Verba *placitone etiam pugnabis amori?* iterantur in Ausonii cent. nupt. 90., *placito* modo in *placido* mutato. — **39.** De genere dicendi *Nec venit in mentem* (scil. tibi) Burm. conferri iubet Gronov. ad Liv. XXVIII, 24. Iteratur in Anth. Lat. I, 178, 251. et 400. — **40** sqq. Undique nos cingunt gentes ferissimae et bellicosissimae, quae semper impetum nobis minantur. — *Gaetulae urbes. Gaetuli,* gens barbara iuxta Numidiam meridiem versus partim Nomădum more vagans, partim in tuguriis (mapalibus, vid. ad I, 421.) habitans; quare poëtae tantum de urbibus eorum loqui licet. Cf. liber meus geogr. II. p. 895. — *urbes, genus ins. bello* ad Homeri morem dictum censet Heyn., qui saepe πόλεις pro incolis vel populis et contra populos pro insulis, terris, urbibus ponat. Idem Heyn. minus apte comparat supra I, 339. *fines Libyci, genus intractabile bello,* ubi vid. adnott. Verba *genus insuperabile bello* repetuntur etiam in Auson. cent. nupt. 3. — **41.** *Numidae infreni,* equis infrenibus (vid. Aen. X, 750.) utentes, ut ap. Silium I, 215. *Numidae, gens nescia freni,* cum quo loco cf. eiusd. II, 64. *nullaque levis Gaetulus habena* et Lucan. IV, 682. *Gens, quae nudo residens Massylia dorso Ora levi flectit frenorum nescia virga.* Cf. Drakenb. ad III, 293. et IV, 315. Idem sibi volunt *equites infrenati* apud Liv. XXI, 44, 1. Similiter Colum. X, 215. *Infreno cursu volitare equos.* Altera forma *infrenis* legitur infra X, 750. Cf. Neue *Formenl.* II. p. 71. — *cingunt,* scil. regnum tuum. Wund. confert Liv. XXI, 43, 4. *Dextra laevaque duo maria claudunt.* — **41.** *inhospita Syrtis,* maior et minor, duo vada septentrionali Africae litori vicina et navigantibus infestissima, quae nunc *Golfo di Sydra* et *G. di Capos* appellantur. (Cf. Plin. V, 4, 4. Mela II, 7, 3 sqq. Sall. Iug. 78. alii, Valckenar. I. p. 272. et liber meus modo comm. II. p. 833 sq.) Hic autem de vicina regione eiusque incolis inhospitalibus cogitandum esse patet. (Cf. supra I, 359 sq.) Eadem de causa etiam Ovidio Met. VIII, 120. et Lucano I, 367. *inhospita Syrtis* commemoratur. Paulo aliter Wagn. (et cum eo Ladew.), qui Syrtin *inhospitam* dici censet ob crebras Nasamonum in illa maris parte praedationes, coll. Silio I, 408. *Et vastae Nasamon populator Syrtis* et Lucan. IX, 440. *Nasamon, quem mundi barbara damnis Syrtis alit,* quibus locis Henry in Philol. l. l. addit Curt. IV, 31. *A septentrione Nasamones sunt, gens Syrtica, navigiorum spoliis quaestuosa* etc. Sed maiora, nisi fallor, Didoni eiusque novae coloniae pericula imminebant a populis finitimis, quam a piratis mare vicinum infestantibus. Orellius ad Hor. Od. II, 6, 3. (ubi *barbarae Syrtes*) epitheton tantum ad turbidum fluctuum motum refert. — **42.** *deserta siti regio,* i. e. pro-

Barcaei. Quid bella Tyro surgentia dicam
Germanique minas?
Dis equidem auspicibus reor et Iunone secunda
Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quam tu urbem, soror, hanc cernes, quae surgere regna
Coniugio tali! Teucrum comitantibus armis
Punica se quantis attollet gloria rebus!
Tu modo posce deos veniam sacrisque litatis

---

pter sitim infrequenter habitata. Vid. II, 714. — **43.** *Barcaei* (cf. Herod. III, 13. et Scyl. p. 46., apud Ptol. IV, 4. *Βαρκῖται*), incolae Barcae, urbis Cyrenaicae, a Carthagine paulo remotioris, ultra maiorem Syrtin sitae, quae postea Ptolemais vocabatur. Cf. Strab. XVII. p. 1194. Plin. V, 5, 5. Steph. Byz. v. *Βάρκη* et liber meus geogr. II. p. 831. Vere autem Heyn. observat, per prolepsin eos hic nominari, cum multo recentiores fuerint huius urbis origines, quippe a Batti demum nepotibus conditae, coll. Herod. IV, 160. — Isidor. Orig. IX, 2, 107. ex *Barcaeis* fecit *Vaccaeos*, haud dubie scriptura *Varcaei* deceptus, cum literas *B* et *V* in pronuntiando saepe permutatas esse sciamus. (Vid. Ribbeck. Proleg. p. 216. coll. cum Corssen. de pron. I. p. 130 sqq. ed. 2.) — *late furentes*, i. e. late vagantes atque omnia diripientes et vastantes. Cf. supra II, 771. *tectis urbis furit* Aeneas, i. e. per urbem impetu magno vagatur. Quatuor Codd. *lateque vagantes*, quod, si in pluribus libris inveniretur, Peerlk. praetulisset. — *Tyro surgentia*, Carthagini minantia a Tyro, *Τύροθεν*, ut supra v. 36. (quamquam ibi eiusmodi Participium non est additum). Cf. I, 340 sqq. Memor fuit huius loci Silius III, 616. *cognovit Latio surgentia bella.* — **44.** *Germani minas.* Cf. I, 361 sqq. — **45.** *Dis auspicibus.* Vid. ad III, 19. — *et Iunone secunda*, propitia, favente. Cf. adnott. ad III, 36. Sic infra V, 491. *clamor secundus.* Cic. Tusc. II, 1, 4. *populus secundus.* Hor. Ep. I, 10, 9. *rumor secundus.* Liv. XXXIII, 46, 6. *secundis auribus accipi* cett. Alia exempla praebent Wagn. ad Aen. VIII, 90. Wernsd. ad Poet. Lat. min. IV. p. 313. Ochsner ad Ovid. Met. VIII, 420. p. 544. ed. Bach. Hildebr. ad Apul. Met. IX. p. 812. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 10, 8. Fasc. V. p. 60. „Iunonem potissimum propitiam nominat, sive quia inter principes deos Carthaginiensium erat (cf. supra ad I, 15. et mox v. 59.); sive quia coniugiis illa praeest.“ *Heyn.* Hoc iure praefert Wagn., coll. Stat. Silv. I, 2, 138. *thalami iuga ferre secundi* ibique Handio. Vid. infra ad v. 59. — **46.** *Hunc*, i. e. hunc ipsum, non alium *cursum tenuisse.* (Vid. ad III, 686.) Possumus vero etiam haec verba ita capere, ut I, 534. *hic cursus fuit,* ubi vid. adnott. In utroque autem loco plures Codd. *huc*, perperam. — **47.** *Quam urbem*, i. e. qualem, quantam, et *quae regna*, quanta, quam potentia. Admodum bene autem sibi opponuntur *quam - - hanc*, quae Wagn. Qu. Virg. XX, 6, a. rectissime sic interpretatur: „quae nunc tam parva est, quanta fiet“, ut praesens urbis conditio cum futura comparetur. De Pronomine *hic* ad tempus relato vid. ad I, 670. coll. adnot. ad eiusd. libri v. 728. — **48.** *comitantibus armis.* Cf. Anth. Lat. I, 172, 14. *multis comitantibus armis*, ubi simul respicitur Aen. III, 346. Ceterum vid. adnott. ad III, 307. — **49.** *quantis rebus*, a coniuncto utroque populo gerendis. Cf. etiam III, 462. — **50.** Pronomen *tu* haud raro, ubi consilia et praecepta alicui dentur, adiici memorat Thiel., coll. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 2, 20. Hic vero etiam oppositio locum habet: *Dis auspicibus* cett. - - *Tu modo*, qua in re mihi adsentitur Conington. — De Part. *modo* vid. adnott. ad Geo. III, 73. „*Deos poscere veniam* (cf. v. 56.), eos placare ac propitios reddere iubet. [Cf. adnott. ad I, 519.] Causam in illis v. 9. quaere: *quae me insomnia terrent;* ad expianda scilicet insomniorum omina.“ *Heyn.* — *sacris litatis* Serv., cui *litare* tantum est deos sacris placare, male sic intelligit: *litatis* (scil. diis) - - *sacris*, i. e. per sacra; quod sane admodum mire dictum esset. Immo *litare* (a *λυτῇ* deducendum), quod respondet Graeco *καλλιερεῖν*, proprie est faustis ominibus sacra facere, ita ut dii aliquo signo annuant precantibus et placatos se ostendant (cf. Macrob.

Indulge hospitio causasque innecte morandi,
Dum pelago desaevit hiemps et aquosus Orion,
Quassataeque rates, dum non tractabile caelum."

Sat. III, 5, 4. p. 278. Ian. litare *sacrificio facto placare deos*. Cic. Div. II, 17. in. Liv. VIII, 9, 1. XXVII, 3, 1.); deinde significat sacrificio placare deos (cf. Aen. II, 118.), denique, apud poëtas maxime, omnino pro sacrificandi verbo usurpatur. (Vid. Pers. II, 75. Ovid. Met. XIV, 156. id. Fast. IV, 630. Prop. V, (IV,) 1, 24. Stat. Theb. X, 338. Lucan. I, 632. etc. et cf. Gronov. ad Sen. Agam. 577.) Quod ad constructionem attinet, modo absolute usurpatur, Casu Obiecti non addito (e. g. Liv. VIII, 9, 1. XXIX, 10, 6. Cic. Div. II, 17. in. Lucan. VII, 171. Suet. Caes. 81.), modo cum Casu Obiecti construitur, vel Accusativo (Prop. l. l. *exta*, Flor. III, 4, 22. *sanguinem humanum*, Iustin. XX, 2, 14. *hostias*, et, ut h. l., *sacra* ap. Stat. l. l. Lucan. I, 632. Ovid. Met. l. l.), vel Ablativo (supra I, 118. Tac. Germ. 9. *humanis hostiis*), vel utroque coniuncto (Ovid. Fast. IV, 630. *sacra litate bove*). Cf. Gron. et Drak. ad Livii, Broukh. et Burm. ad Prop., Duker. ad Flori, Bach. ad Ovidii ll. ll., Burm. ad Ovid. Fast. VI, 629., Barth. ad Stat. Theb. l. l. et I, 506. alii. — 51. *Indulge* Schol. Lucani IV, 664. interpretatur per „abundantius praebe." Valet potius: libenter inservias, plane te dedas; et *hospitio* pro: hospitali benevolentiae in eum. Sensus igitur est: sis animo benevolentissimo erga hospitem. Sic Aen. VI, 135. *indulgere labori*, IX, 165. *vino*, ibid. 615. *choreis*, Ovid. Rem. 751. *theatris*, Val. Fl. II, 371. *thalamis* etc. Verba *Indulge hospitio* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 98., ut sequentia *causas innecte morandi* ibid. v. 170. Imitatus est h. l. Statius Theb. V, 734. *utinam plures innectere pergas, Phoebe, moras*. Cf. Aen. VI, 609. Wunderl. et Dissen. ad Tibull. I, 1, 74. — 52. *Dum pelago desaevit hiemps*. Conrads p. XI sq. docet, haec verba adversari non solum ultimis libri I. versibus (ad quos vid. adnott.), sed etiam iis, quae v. 193. leguntur, *Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere* et v. 626. libri V. (ubi etiam vid. adnott.), neque sufficere ad hanc discrepantiam tollendam, quae Cerda adnotet: „Id dicitur ore famae, quae et veri et ficti nuntia. Itaque dissipavit rumorem falsum in Africa, Aeneam fuisse integrum annum cum Didone. Hiemem autem frequenter pro anno sumunt auctores." Et sane statuendum videtur, Vergilium temporum rationem ordinandam alteri carminis recensioni reservasse, quam quominus institueret, praematura morte impeditus est; ut nobis hac in re nimis scrupulosis esse non liceat. — *desaevit* vim habet intensivam vehementer et continuo saeviendi; ut infra X, 569. Hor. Ep. I, 3, 14. Lucan. VI, 540. Suet. Ner. 29. alibi. (Cf. adnott. ad III, 260.) Alii male explicant: dum finem fecit saeviendi; cui rationi aperte adversatur versus, qui sequitur; unde patet, *Dum* non esse *bis*, sed *so lange*. Peerlk. sine iusta causa (imprimis quod magnae tempestates non sint diuturnae ideoque non magna morae causa, ut tali praetextu Dido amorem, quem omni modo celare studeat, nimis aperte statim proderet) totum versum spurium censet. Verba *Dum pelago desaevit hiemps* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 81., ut sequentia *Quassataeque rates* ibid. v. 95. — „*aquosus Orion*, qui imbres et nimbos affert ortu suo. Sic etiam apud Prop. III, 8, (II, 16,) 51., et *Piscis aquosus* Geo. IV, 234. Cf. I, 535." *Heyn*. Cf. etiam Aen. III, 517. VII, 719. et adnott. ad Aen. I, 535., ubi *nimbosus Orion*. — 53. *Dum Quassatae rates*, dum naves nondum sunt refectae. Cf. I, 551. *quassata classis*. Negari tamen nequit, haec verba minus apte inseri illis *dum* - - *Orion et dum non tr. caelum*. Quare Peerlk. coni. *Quassataeque rates et non tract. caelum*, ut versu 52. plane omisso haec per appositionem adiiciantur *causis morandi*. Ribbeck. autem de hoc loco, cui sane ultima lima deest, sic iudicat: „Optimum erat v. 51. Annae orationem concludere, et poterat interpolator pannos desumere ex Aen. I, 535. et 551.", et versum 53., in quo desideretur *reficiendi* aliquod verbum, a Vergilio imperfectum esse relictum suspicatur, ut verba *dum non tract. caelum*, quae uncis includit, ab interpolatore adiecta sint, fortasse ex Geo. I, 211. ficta. — *non tractabile caelum* Heyn. recte in-

His dictis incensum animum inflammavit amore
Spemque dedit dubiae menti solvitque pudorem.
Principio delubra adeunt pacemque per aras
Exquirunt; mactant lectas de more bidentis
Legiferae Cereri Phoeboque patrique Lyaeo,
Iunoni ante omnis, cui vincla iugalia curae.

---

terpretatur saevum, asperum, procellosum; nam tractabilis omnino est, quocum facile agi potest, quo facile uti possumus in nostrum commodum cett. Vid. ad Geo. I, 211. et Aen. I, 339. Conington comparat Ovid. Her. X, 71. *Est mare, confiteor, nondum tractabile nanti.* — **54**. Verba sic coniungenda esse patet: *animum amore incensum his dictis inflammavit.* Pro *incensum* Ribbeck. ex fragm. Vat. et Pal. a m. pr. recepit lectionem *inpenso*, cum etiam Servius adnotet: „alii non *incensum*, sed *impense* (impenso?) legunt;" et pro *inflammavit* cum fragm. Vat., Rom., Bern. III. et Pal., in quo tamen *in* superscriptum est, scripsit *flammavit*, in quo eum secutus est Conington. Vid. supra ad III, 330. — **55**. „*solvitque pudorem* [cf. v. 27.] male accipitur, quasi ad impudentiam sit prolapsa. Sed effecit, ut amori iam minus eam puderet succumbere. [Quare etiam poëta nunc loquitur de *amore*, qui antea v. 1. et 5. adhuc erat *cura*.] Pudor adhuc tamquam vinculis tenebat et adstringebat animum, quo minus ea amori se daret." *Heyn.* Cf. Manil. IV, 509. *solvetque pudorem.* Iteratur hic versus in Anth. Lat. VI, 84, 63. et Auson. cent. nupt. 100. Ceterum Peerlk., coniectura in auxilium vocata et distinctione mutata, hunc locum sic constituendum censet: - - *animum inflammavit, amori Spemque dedit, dubiae menti solvitque pudorem.* — **56**. *delubra* (vid. ad Geo. IV, 541.) *adeunt* ambae sorores ex Annae consilio (v. 50.); quamquam in seqq. sola Dido agens introducitur. — *pacem*, veniam et benevolentiam deorum. Vid. supra III, 261. et 370. Geo. IV, 534. Cic. pr. Rab. 2, 9. pr. Font. 9, 20. Liv. XXXIX, 10. etc. — *per aras*, ab una ara ad alteram euntes; plurium igitur deorum templa et diversis locis posita adeunt. Cf. II, 501. et V, 86. — **57**. *de more* non solum ad *lectas*, sed ad totam notionem *mactant lectas bidentes* referendum, cum sacris supplicantium vulgo oves adhiberi solerent. Cf. loci infra de bidentibus allati. Ceterum vide ad III, 65. — *bidentis*. Bidens proprie est ovis alterum agens annum et nomen neutiquam ex *biennis* corruptum (cf. Gellius XVI, 6.), sed propterea fictum, quod ovis illa aetate duos habet dentes inter ceteros prominentes (ut Hygin. censet ap. Gellium l. l., Festus h. v. p. 28. Lindem., Acron ad Hor. Od. III, 23, 14. et accurate exposuit Henry in *Tw. years* IV. p. 14. et Philol. XII. p. 252.). Apud poëtas pro ove omnino usurpatur. Cf. Aen. VIII, 544. (ubi hic totus versus praeter primum vocabulum iteratur) V, 96. VI, 39. VII, 93. XII, 170. Phaedr. I, 17, 8. al. et Ruddim. I. p. 34. Memores fuerunt huius loci auctor Epit. Iliad. 550. *Caeduntque sacras de more bidentes* et imitator Verg. in Anth. Lat. I, 178, 113. *Mactat de more bidentes.* — **58**. „*Legiferae Cereri*, Δήμητρι θεσμοφόρῳ. Vitae cultu meliore [cum agricultura] invento iura ac leges sunt natae cumque his legitima connubia. Servavit Servius ad v. 58. versus Calvi: (Ceres) *et leges sanctas docuit, et cara iugavit Corpora connubiis, et magnas condidit urbes.*" *Heyn.* Vid. Anth. Lat. II, 160, 2. *Legiferae et segetes munera sacra deae.* Cf. etiam Claud. R. Pros. I, 30. *unde* (a Cerere) *datae populis leges*, ubi vid. Heins. et Gesner. — *patri Lyaeo*. Vid. adnott. ad Geo. II, 4. et Aen. I, 686. Verba *Phoeboque patrique Lyaeo* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 114. Servius hariolatur multa disputans de causis, cur his potissimum diis sacra a Didone offerantur; Henry autem (*Tw. years* IV. p. 15.) coll. proverbio illo *sine Cerere et Baccho friget Venus* (cf. Ter. Eun. IV, 5, 6.), Pervig. Ven. 43. *Nec Ceres nec Bacchus absunt, nec poëtarum Deus*, Stat. Silv. I, 2, 219 sqq. et Himer. Or. I, 3. docet, cur etiam Cereris, Bacchi et Apollinis (propter coenam nuptialem et epithalamium) partes fuerint in nuptiis faciendis. Non igitur opus est, ut cur Heynio hos deos Carthagine imprimis cultos esse statuamus. — **59**. De *I*

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccae media inter cornua fundit,
Aut ante ora deum pinguis spatiatur ad aras
Instauratque diem donis pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.
Heu vatum ignarae mentes! quid vota furentem,

---

none Carthaginiensium vid. ad I, 15. — *cui vincla iugalia curae*, Iugalis, Pronuba, ζυγία, γαμηλία. Cf. infra v. 166. Ovid. Her. VI, 43. Met. IV, 428. IX, 762. Anth. Lat. I, 170, 2. etc. De vinculis iugalibus Wagn. conferri iubet Boettigeri *Vasengemälde* T. I. p. 144. et *Die Aldobrand. Hochzeit* p. 168., de syncopata autem forma *vincla* etiam pedestribus scriptoribus vindicanda vid. Beier. ad Cic. Lael. 4, 4. et Goerenz. in Iahnii Annall. I, 1. p. 298., coll. iis, quae ad Geo. III, 166. et Aen. II, 709. adnotavimus. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 178, 30. et 115. — **60.** Dido victimis caesis deos sibi conciliare studet; nam libando vinum in frontem victimae diis eam consecrat, ut vere memorat Heyn. Recte tamen Wagn. adnotat, haec non diversa esse a sacrificiis modo commemoratis v. 57 sq., sed tantum, quod Didonis ipsius hac in re muneris fuerit, declarare. — *pateram - - tenens fundit*, scil. vinum e patera. Cf. adnott. ad II, 492. Alii iungunt *pateram fundit*, quod et ipsum reprehendi non potest. Cf. Iuven. III, 277. *defundere pelves*, et vid. adnott. ad III, 354. *libabant pocula Bacchi* et VII, 133. *nunc pateras libate Iovi*. Infra tamen V, 78. (ut hic) rectius coniunxeris *libans carchesia*, quam *carchesia fundit*. — *inter cornua fundit*. Hic mos Herodoto auctore II, 39. ab Aegyptiis esse dicitur, quod observat Gossr. Apud Homerum Il. I, 462. XI, 775. et III, 295. 300. alius mos obtinet. — „V. **62—64**. spectant ad extispicium; nam victimae ad exta super felici amoris exitu consulenda caeduntur." *Heyn*. Eiusmodi extispicia autem saepe cum sacris erant coniuncta; quare *aut* non tam disiunctivum est, quam copulativum, ut supra v. 34. *cinerem aut Manes*, vel certe non res, sed tempora tantum distinguit; quod iam Wagn. perspexit. — **62.** *pingues-arae* multitudine victimarum pinguium, quae in iis cremantur (vid. v. 202.). Cf. infra VII, 764. et IX, 585. — *spatiatur*. Inest notio tarde et cum dignitate incedendi. (Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 389.) — **63.** Schirach. p. 463. *instaurat* explicat per: denuo incipit, cum iam supra I, 631. eam sacrificasse legerimus; quod nemo facile probabit. Rectius *Wund.*: „Dido *instaurat diem donis* est: celebrem reddit sacrificiis, h. e. multa sacrificia offert;" comparans Liv. XXVII, 36, 9. *plebeiis ludis biduum instauratum est*. Nam *instaurare* de ipsis sacris dictum valet ea repetere, nova subinde sacra facere (cf. V, 94. VIII, 283. Cic. har. resp. 10, 21. id. ad Att. I, 13, 3. Tac. Hist. II, 70. Liv. V, 53. al. et Ritschl. Parerg. p. 311.); hic autem, ubi *dies* instaurari dicitur, ut ap. Stat. Theb. II, 88., nihil aliud significare potest, quam quod Wund. censet; *dona* autem sunt victimae mactandae. Wagn. Qu. Virg. XLI. haec verba de sollemnibus dapibus instituendis intelligit, coll. V, 94. VII, 109 sqq. (imprimis v. 146.) VIII, 283. et Silio XI, 422 sqq. *ductor Instaurat mensas dapibus*, atque *instaurare* et *reponere* idem fere significare suspicatur. Vid. adnott. ad Geo. III, 527. — Ceterum *instauratque - - pecudumque - - consulit exta* pro: consulit instaurans. Vid. ad VI, 543. Ex Romanorum enim more repetit Dido sacra et extispicia, ut tandem secunda omina accipiat, in quam rem Ladew. in Append. p. 246. conferri iubet Petri *Gesch. Rom's* I. p. 76. ed. 2. — **64.** *Pectoribus inhians*, ingenti futura cognoscendi cupidine. Ut hic et ap. Hor. Sat. I, 1, 71. (*congestis undique saccis indormis inhians*) *inhiare* est cupide spectare, ita ap. Val. Fl. V, 469. *dictis inhiare* est cupide et attente audire. De producta ultima syllaba verbi *pectoribus* vid. ad Ecl. I, 38. et al., imprimis autem Fleckeisen in Iahnii Annal. LXI. p. 34. — *spirantia*, adhuc trementia, palpitantia. (cf. I, 212.) *consulit exta*, i. e. consuli iubet et ipsa adest rem custodiens. — **65.** *vatum* (hic potissimum haruspicum, quod noli cum Gossravio ad solam Didonem cum Anna

Quid delubra iuvant? Est mollis flamma medullas
Interea et tacitum vivit sub pectore volnus.

---

sorore referre, quae ipsae sint extispices) *ignarae mentes*, scil. amoris Didonis et consiliorum, quae ei mederi possunt; non perspicientes, tali cupiditate inflammatae non prodesse vota, extispicia etc. Sic etiam Henry *Tw. years* IV. p. 16. et Philol. XII. p. 252 sq. locum rectissime explicat provocans ad Apoll. Rh. III, 932 sqq. et apertam loci nostri imitationem in Apuleii Met. X, 2., cui iure adsentitur Conington. Wagn., mira ratione Gen. *vatum* non a Subst. *mentes*, sed ab Adiect. *ignarae* pendere ratus, veritati tamen proxime accedit, locum sic explicans: „quippe non videntes, quae tali cupiditate obstricta sit, ei non esse opus vatibus et extispicio, nihil igitur prodesse vota, nihil adita delubra etc.“, quae rectissima essent, si verba „non videntes etc.“ ad vates, non ad Didonem et Annam retulisset. Ladew. haec verba ex Didonis sententia dicta esse opinatur, quae vates, quod optata non canant, ignorantiae accuset, eamque explicationem, quam Ribbeck. „perversam“ dicit, etiam in Append. l. l. defendere studet, contra Dietschium Th. Verg. p. 26. potissimum disputans; similiterque etiam Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 116. (ceterum recte Wagnerum oppugnans) locum interpretatur („*Ach, der Wahrsager-Unverstand!*“). Supervacaneae certe sunt Cuninghami et Peerlkampii coniecturae *fatum* et *fati*. Idem Peerlk. seqq. verba *quid vota - - medullas* ut spuria damnavit, Dietsch. autem hoc loco ita offenditur, ut Th. Verg. l. l. omnia illa verba *pecudumque reclusis - - - ignarae mentes* tamquam spuria eiicienda censeat; sed non solum omnium Codd., verum etiam imitatorum auctoritas, Apuleii Met. X. p. 682. *Heu medicorum ignarae mentes! Quid venae pulsus* etc. et Silii VIII, 100. *Heu sacri vatum errores!* haec verba tuetur. — *quid vota* (sacra ex voto diis oblata) *furentem* (caeco amoris furore agitatam: vid. ad III, 313.) *iuvant?* Nihil omnino iuvare possunt. — **66.** *delubra*, i. e. aditus ad delubra. Cf. supra v. 56. — Wagn. *mollis* recte pro Accus. habet, cum *mollis flamma* huic Didonis furori non conveniat; cui adsentior. Quamvis enim dicas, *furere* apud poëtas de amore loquentes non tam grave esse vocabulum, et hic quidem adiungi verba *et tacitum v. s. p. volnus*, ut *mollis flamma* significare possit lenem et tacite serpentem, vide tamen, quomodo quae v. 68. sequuntur, cum molli flamma conciliari possint. Non sufficit igitur, ut Burm. comparet supra II, 683. *mollem flammam* longe alio sensu dictam. Quare *molles medullas* interpretor imbecillas, non resistentes, quae facili negotio se exedi patiuntur, ut infra IX, 340. *lupus manditque trahitque Molle pecus mutumque metu* et alibi. Eo latius autem serpit malum, quia *tacitum* est vulnus; nam *quo magis tegitur, tectus magis aestuat ignis*, Ovidio iudice Met. IV, 64. (Conington tamen, hanc explicationem meam improbanti, *mollis* nil est nisi proprium („*characteristic*“) medullae epitheton, quod faciat „*the image appear more real*“.) Ceterum cf. Catull. XXXV, 14. *ex eo misellae ignes interiorem edunt medullam*, XLV, 16. *Ignis mollibus ardet in medullis* et LXVI, 23. *cum penitus moestas exedit cura medullas*, Ovid. Am. II, 19, 43. *Mordeat ista tuas aliquando cura medullas*, Sen. Phaedra 284. *Labitur totus furor in medullas Igne furtivo populante venas* (qui tamen versus spurii videntur, cum statim v. 287. sequantur verba *Sed vorat tectas penitus medullas*) et Wernsd. Poët. L. min. IV, 442, 20. *duroque medullas Igne vorat*, Cort. ad Lucan. V, 811. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 10, 28. Fasc. V. p. 72.; de *edendi* autem vocabulo, in hac sententia a Graecis non minus quam a Romanis usurpato, praeter Catulli locos comm. vid. Hom. Il. VI, 201. XXIV, 129. Od. IX, 75. X, 143. Iacobs. Delect. Epigr. VII, 86, 4. ἡ δὲ περισσὴ θυμὸν ἀεὶ κατέδει χρυσομανὴς μελέτη. Symb. Pythag. in Orell. opusc. Gr. I. p. 62. καρδίαν μὴ ἐσθίειν. infra XII, 801. Cic. Tusc. III, 26, 63. *Ipse suum cor edens.* ibid. I, 16, 51. Hor. Od. II, 11, 18. Erasm. Adag. I, 1. p. 17. Burm. ad Val. Fl. III, 365. 693. Obbar. et Orell. ad Hor. Ep. I, 2, 39. (*si quid est animum*). De form. vocc. *edere* et *esse* promiscue usurpatis diximus ad Geo. I, 151. Peerlk., qui haeret in *mollibus medullis*, et Vergilium potius *imas medullas* scripturum fuisse censet, hunc totum lo-

Uritur infelix Dido totaque vagatur
Urbe furens, qualis coniecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
Pastor agens telis liquitque volatile ferrum
Nescius; illa fuga silvas saltusque peragrat
Dictaeos; haeret lateri letalis arundo.
Nunc media Aenean secum per moenia ducit
Sidoniasque ostentat opes urbemque paratam;

---

cum *quid vota fur.* - - - *medullas* cum Guieto ad Lucan. VI, 629. spurium et v. 67. sic incipiendum censet: *Interea tacitum* etc. — *tacitum vulnus* (vid. ad v. 2.), quod ipsa non fatetur. Peerlk. omittit Copulam, quae sane deest in duobus Codd. Burmanni; sed ante literam *t* saepe a librariis omissa est. Cf. praeter alios Unger de Valgio Rufo p. 299. — *vivit* (utpote crudum) *sub pectore*, nam alitur in venis (v. 2.). Cf. Wernsd. Poët. L. min. III, 391, 23. *vivit pectore sub dolente vulnus* et Lucan. X, 188. *Sed cum tanta meo vivat sub pectore virtus*, praeterea autem supra I, 36. *aeternum servans sub pectore volnus.* — 68 sqq. „Hanc egregiam perdite amantis comparationem ex Iliad. XI, 475 sqq. ductam esse volunt, Macrobii fortasse auctoritate V, 6. [§. 9. p. 403. Ian.] Sed Homero Vergilius hic nihil debet.“ *Heyn. Uritur infelix Dido.* Cf. Anth. Lat. I, 170, 69. *Uritur infelix subitoque accensa furore Stare loco nescit.* — *totaque vagatur, Urbe furens.* Cf. similis locus IV, 300 sq. — 69. *coniecta.* Cf. IX, 698. et XII, 362. Animadverte etiam cautum et elegantem usum synonymorum, quae poëtae cumulare placuit, *sagitta* - - *telis* - - *ferrum* - - *arundo.* — 70. *procul.* Ladew. ad versum sequ. recte adnotat: „*Der pastor agens ist nicht ein auf der Verfolgung begriffener Hirte, sondern der Hirte, der, ohne sich von seiner Heerde zu trennen, der Hindin nachstellt*“. — *nemora Cresia. Cresius* s. Cressius i. q. Cretensis. Cf. infra VIII, 294. Ovid. Her. XVI, 299. id. in Ibin, 512. Stat. Theb. XII, 582. cett. Scripturam *Cresius* (*Κρὴς, Κρήσιος*) Heins. ex melioribus libris restituit. (Cf. quae de voc. *Parnasius* ad Ecl. VI, 29. adnotavimus.) Forma autem *Cressa* (Geo. III, 345. Aen. V, 285. cett.) duplex *s* requirit. Vid. ad Aen. l. l. Ceterum in Creta commemorata nihil reconditi quaerendum; quamcunque aliam regionem silvosam eodem iure poëta nominare poterat, imprimis si verum est, quod Plin. VIII, 58, 83. tamquam rem mirabilem commemorat, in Creta insula nullos esse cervos. — *fixit agens telis.* Cf. Geo. III, 412. ibique adnott. — 71. *volatile ferrum.* Cf. VIII, 694. Lucr. I, 969. Ovid. A. A. I, 169. alii. Macrob. VI, 5, 15. p. 531. Ian. affert Suevii fragm. ex l. V. *volucrumque volatile telum.* — 72. *Nescius.* „Non viderat telum vere in cervam descendisse, sed, frustra emissum credens, reliquerat.“ *Heyn.* Sic etiam Aeneas Didonis amorem se excitasse nescit. Ladew. *nescius* passive positum habet pro: a cerva non conspectus, quod recte reiicit Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 116., nobiscum Heynio adsentiens, ut etiam Conington. — *silvas saltusque.* Vid. Geo. III, 40. Aen. XII, 904. Caes. B. G. VI, 42. et infra ad v. 121. adnott. et cf. Hom. Il. XI, 118. *Καρπαλίμως δ᾽ ἤϊξε διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλην.* Fragm. Vat. et alii quidam Codd. inverso ordine exhibent *saltus silvasque.* — 73. *Dictaeos.* Vid. ad Ecl. VI, 56. — *haeret lateri letalis arundo.* (Cf. infra VII, 499.) Sic Ovid. Met. IV, 35. *haerere telae*, fortasse etiam supra I, 476. *haerere curru* (i. e. currui) *inani* et III, 607. *genibus haeret.* [Cf. Ruddim. II. p. 140. Neue *Formenl.* I. p. 246. *lateri* pro Ablativo habet (ut Gossr. X, 270. *capiti*). In fragm. Vat. sane *latere* legitur. — 74 sqq. Totum hunc locum, qui sequitur, de amoris aestu, consummatissimum esse, nec minus brevitate in summa rerum copia, quam dignitate commendari, vere memorat Heyn. Ostendit autem Dido Aeneae omnia, quae habet, ut in eo si non sui, at rerum tamen suarum desiderium excitet et sic ad matrimonium secum ineundum eum impellat. — *Nunc*, i. e. interdiu, ut alterum *nunc* v. 77. vespere ingruente. — *media per moenia*, mediam per urbem. Vid. ad II, 234. Gentius Annot. crit. p. 16. pro *media* temere coni. *mane.* — 75. *opes*, magnificum ornatum urbis, testem opum. — *Sidonias*, quia urbs a Poenis condita

Incipit effari, mediaque in voce resistit;
Nunc eadem labente die convivia quaerit
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit pendetque iterum narrantis ab ore.
Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit suadentque cadentia sidera somnos,
Sola domo maeret vacua stratisque relictis

---

est. Sidonem autem et Tyrum a poëta confundi, iam supra vidimus ad I, 338. Heyn. et Gossr. cogitant de thesauris Tyro advectis coll. I, 363. — — *urbem paratam*, iam conditam et Troianis patria extorribus patentem, cuius potiri possit Aeneas Didoni per matrimonium iunctus, ita ut novam quaerere per longos errores eum non oporteat. Sic I, 557. *sedes paratae.* Conferendus autem locus I, 437., ubi Aeneas exclamavit: *O fortunati, quorum iam moenia surgunt* cum Didonis verbis I, 573. *urbem quam statuo, vestra est.* — 76. *mediaque in voce resistit*, i. e. sed - - resistit; vid. adnott. ad II, 94. *resistit* autem i. q. haeret, haesitat. Cf. Ovid. Her. XIII, 121. *verba resistunt.* Quinct. Inst. X, 7, 14. *cursus* (verborum) *ad singula vestigia restitit.* ibid. XI, 2, 46. *resistens et salebrosa oratio* cett. Amoris autem est signum medio in sermone haesitare. Cf. Ovid. Her. IV, 7. Sapph. fragm. 2, 7. *Ὡς ἴδω γάρ σε βροχέ', ὥς με φωνᾶς Οὐδὲν ἔτ' ἴκει· Ἀλλὰ κὰμ μὲν γλῶσσα Ϝέαγε* etc. Apoll. Rhod. III, 685. Hor. Od. IV, 1, 35. Catull. LI, 9. Ovid. Fast. I, 538. et Stat. Theb. X, 151. Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 170, 75. Cf. ibid. I, 178, 371. *Incipit effari, nec vox aut verba sequuntur.* — 77. *eadem* (quae hesterno die) *convivia quaerit:* moram impatienter fert, dum coenae hora (*labente die*) illucescat, qua Aeneam rursus convenire possit. — 78. „*Iterum* quod audire vult, cupidinis signum est. Nam amans eadem ex amato audit sine taedio, qui modo curat ut loquatur amans, non quae proferat. Cf. Ovid. A. A. II, 127. *Haec* (Calypso) *Troiae casus iterumque rogabat.*“ *Gossr.* — *Iliacos labores.* Cf. II, 11. *Troiae supremum audire laborem.* — 79. *pendet iterum* (ut heri) *narrantis ab ore*, attentissimo animo eius narrationem excipit; ut nos: *an des Erzählers Munde hangen.* Cf. Ovid. Her. I, 30. *Narrantis coniux pendet ab ore viri.* Similiter Sil. It. VIII, 93. *ab imagine* et Val. Fl. I, 481. *ab astro* (observando) *pendere.* Ceterum Peerlk. (cui adsentitur Gossr.) post hunc v. 79. collocandos censet vv. 84. et 85., hac causa adiecta: „Non enim honestum est, Didonem, solam, media nocte, in domo vacua, Ascanium in gremio tenere: neque etiam vero simile, patrem, cuius omnis cura stabat in nato, passurum, nocte in aliena domo transigere Ascanium.“ Sed vide adnott. ad illum locum. — 80. *lumen* (suum) *obscura vicissim* (*ihrerseits*) *Luna premit*, ut antea, cum coena inciperet (*labente die:* v. 77.), sol lumen presserat. Luna autem *lumen premit* s. pallescit et paullatim evanescit sub matutinum tempus, Aurora iam surgente. Significant igitur haec verba (ut etiam adiecta *cadentia sidera*) coenam occidente sole coeptam fere ad mane usque esse productam. Sic si locum capimus, non opus est, ut cum Wund. alteram rem, quo *vicissim* referatur, omissam habeamus, velut ap. Val. Fl. I, 671.; *lumen* autem *premere* eadem fere ratione est dictum, qua *vocem, gemitum* (vel *dolorem, iram* cett.) *premere.* (Imprimis autem cf. XII, 322. *pressa est insignis gloria facti.*) Quare nec Burmanno adsentior, qui haec verba ad obscurata lunae nitore minora sidera refert (ut Hor. Od. I, 12, 46—48.), neque Noehdenio *vicissim* per *wechselweise* reddenti („*Erst war der Mond hell*, lumen, *dann dunkel*, luna obscura“). Quae prius contra Henricum disputavi, nunc omitto, cum vir doct. in *Tw. years* IV. p. 18. et Philol. XII. p. 253 sq. mutata sententia in explicando loco nobiscum consentiat, probante etiam Coningtone. — Verba *suadentque cad. sid. somnos* iam legimus II, 9. — 82. *domo vacua*, convivis dimissis et absente Aenea, quem cupit ut secum in una eademque domo vivat. — *stratis relictis* varie explicatur. Mihi simplicissima ratio videtur, ut cum Servio ad *relictas* suppleamus: ab Aenea,

Incubat. Illum absens absentem auditque videtque,
Aut gremio Ascanium genitoris imagine capta
Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non coeptae adsurgunt turres, non arma iuventus

---

hoc sensu: lectum, in quo cum Aenea mensae accubuerat, repetit iterumque ei incubat, ut, ipso absente, certe vestigia eius tangat et ipsa se fallat, illum iuxta se accumbere putans. Cf. Ovid. Epist. X, 51 sq. *Saepe torum repeto, qui nos acceperat ambo - - Et tua qua possum, pro te vestigia tango, Strataque, quae membris intepuere tuis,* et Ep. XV, 149. *Incubui tetigique locum, qua parte fuisti.* *Strata* autem etiam de toro convivarum dici, comprobat locus Ovid. Met. V, 34. Alii (quibus Heyn. adsentitur, comparans Lucan. V, 790. *Sic fata, relictis Exsiluit stratis amens*) *strata* de lecto cubiculari intelligunt, ad *relictas* supplentes *a se,* ut sensus sit hic: „amoris aestu iactata modo lectum suum reliquit, modo iterum repetiit"; ex qua ratione paulo artificiosiore videtur locus obscura quadam brevitate laborare, quam minime Vergilianam dixerim. Neque magis probare possum Wagneri explicationem, ut *strata relicta* significent „torum viduum, antea cum Sychaeo partiri solitum, nunc desolatum"; ex eo enim, quod coniuges superstites a coniuge defuncto relinqui dicuntur, non sequitur, etiam strata viduae absolute *relicta* dici posse; ad *relictas* autem supplere *a Sychaeo* nemini, puto, in mentem veniet. (Quibus perpensis Wagnerus in min. edit. non minus quam Haeckerm. l. l., Voss. in Progr. Cruc. p. 5. et Ladew. eandem mecum explicationem amplectitur.) Ceterum cf. Anth. Lat. I, 172, 116. *stratisque relictis Incubuitque toro.* — **83.** *illum abs. absentem* cett. Heyn. de ipsa re laudat Apollon. III, 453 sqq., cui adde Ter. Eun. I, 2, 111. et Ovid. Her. VII, 25. De repetito voc. *absens* vid. adnott. ad Aen. III, 159. — **84.** *gremio detinet,* ut I, 718. *gremio fovet. Detinere* autem est longius solito et illecebris demulsum apud se tenere. Cf. Staveren. ad Nep. Att. 9. et Bach. ad Tibull. I, 1, 46. (*et dominam tenero detinuisse sinu.*) Simplex verbum *tenere* sic legitur I, 670. Ceterum cum ex toto loco tum ex verbis antecedentibus *absens absentem auditque videtque* apparet, etiam haec sic capienda esse: Revocat sibi in memoriam, quomodo antea, mensae accumbens, Ascanium gremio detinuerit, *videtur* sibi eum etiam nunc gremio fovere; qua explicatione probata cadit Peerlkampii coniectura supra ad v. 79. proposita. Qui loci sensus ut clarius appareat, post *incubat* (ubi vulgo Semicolon) Puncto et post *videtque* (ubi vulgo Punctum) Commate distinximus. Nihilominus Ladew. et Conington, qui putat, non ad unum idemque tempus haec omnia referenda esse, de Ascanio vere praesente et (rursus) in Didonis gremio sedente cogitant. Ribbeck. verba *Illum - - videtque* parenthesi includit. — *genitoris imagine capta*, quam puer refert ore vultuque patri simillimus. — **85.** *infandum amorem*, ut II, 3. *infandum dolorem.* Vid. ad I, 525. — *fallere amorem*, expellere animo curas amoris; ut ap. Hor. Sat. II, 7, 114. et Ovid. ex P. IV, 10, 67. *fallere curam,* ap. eund. Trist. V, 7, 39. *fallere dolores,* Met. VI, 60. *fallere laborem* et similia. Nescio tamen, an rectius Henry in schedis mecum communicatis interpretetur: „*Sie sucht ihre Liebe zu Aeneas zu täuschen, ihr zu entschlüpfen, indem sie dieselbe auf Ascanius, von einem ihr unerreichbaren Gegenstande auf einen für sie erreichbaren, überträgt; sie sucht Aeneas in der Person seines Stellvertreters und Ebenbildes zu lieben*"; quae ratio sane postulat, ut verba *gremio detinet* proprie dicta capiamus, quod cur fieri vix possit, Peerlk. ad v. 79. ostendit. Comparat autem vir doct. Silium VI, 191. *infandum si possit fallere monstrum.* Ceterum cf. locus similiter conformatus Aen. VI, 78. *magnum si pectore possit Excussisse deum.* — **86.** Quae hic sequuntur, opposita sunt iis, quae I, 423 sqq. legimus. *non arma iuventus Exercet*, tractat, agitat. Cessant exercitationes armatae iuventutis, regina nil nisi amorem suum cogitante et omnia, quae ad rempubl. gubernandam pertinent, negligente. Amantes enim cetera omnia prae amore suo negligunt. Cf. Ecl. II, 70. De verbis *exercere arma* (quod nos dicimus *Waffenübungen halten*) Burm. conferri iubet

Exercet portusve aut propugnacula bello
Tuta parant; pendent opera interrupta minaeque
Murorum ingentes aequataque machina caelo.
Quam simul ac tali persensit peste teneri
Cara Iovis coniunx, nec famam obstare furori,
Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:

Val. Max. V, 1, 3. Ovid. Met. XIII, 53. et adnot. suam ad Val. Fl. III, 162. Cf. etiam Aen. III, 281. *palaestras*, Geo. I, 403. *cantus*, Aen. I, 499. *choros exercere* etc. Consentiunt nobiscum Ladew. et Haeckerm. l. l.; Wagn. autem coll. VIII, 424. interpretatur: „ferrum, unde fiant arma", ut sit i. q. arma procudere. — **87**. *portusve*. Schrader praeter necessitatem coni. *portasve*, quod Peerlk. comprobat, cum *portae* melius adiungantur *propugnaculis*, quam *portus*, et *portus parare* minus apte dicatur. — *propugnacula*, munimenta urbis, moenia, aggeres et similia; imprimis autem de molibus fluctibus oppositis cogitandum videtur, cum *portus* antecedant, *muri* autem postea diserte commemorentur, cumque etiam infra IX, 170. *pontes et propugn*. coniungantur, Statius autem Silv. III, 3, 101. de *propugnaculis aequoris* loquatur; cui tamen opinioni Conington non accedit. — **88**. *pendent*, intermittuntur ad tempus, non perficiuntur. Ita Silius I, 581. *Rerum omnes pendent actus et milite moesto Laxata obsidio, ac pugnandi substitit ardor*. — *opera* non solum sunt munitiones („*the works*, i. e. *the fortifications of the town*"), ut Henry censet in *Tw. years* IV. p. 20. coll. Caes. B. C. II, 2. Nep. Milt. 7, 2. et Vellei. II, 4. (quem tamen video nunc retractare sententiam suam), sed latiore sensu capienda, quod etiam Conington censet. — „*minae murorum*, muri alti, quasi altitudine sua minantes. Supra I, 162. *gemini minantur in caelum scopuli* [ubi vid. adnott.]. De eminentiis murorum ac pinnis, ἐπάλξεσιν [*Zinnen*], acceperunt iam veteres, ut Serv. [et nuper rursus Haeckerm. l. l.]; sed hoc sensu *minae* technicum, adeoque vix poëticum, et posteriorum quidem scriptorum vocabulum fuisse videtur." *Heyn*. — **89**. *machinas* sunt qui interpretentur per tigna colligata, quibus muros exstruentes insistant (*Gerüste*), quam tamen interpretationem parum iuvat magnificum illud epitheton *aequata caelo*. Wund. et Henry ll. ll. (qui tamen etiam hanc explicationem nunc reprobat) de instrumentis cogitant, qualium est in bello usus; rectius, nisi fallor, Wagn. (quocum etiam Ladew. facit) de turribus per muros dispositis; nam, quod bene observat Conington, machinae illa ratione intellectae non possunt *interruptae pendere*. Peerlk. (cui Gossr. videtur adsentiri) pro more suo difficultates facillima ratione tollendi verba *aequataque machina caelo* spuria et ad versum imperfectum explendum addita censet. — **90** sqq. Iuno, quae frustra speraverat, Troianos aut vento aut per barbaras gentes interituros esse, postquam eos Carthagine bene acceptos et adiutos opibus, Didonem autem Aeneae amore ardentem vidit, iam mutuum Aeneae amorem excitare et sic eum ab Italia retinere studet. In hoc loco poëtam ex Apollonio III. pr. hausisse, sed suae rationi singula praeclare accommodasse, memorat Heyn. — *simul ac*. Sic optimi quique Codd.; quare Wagn. iure refutat Iacobum ad Prop. III, 15, 25. p. 165. *simul ac* Vergilianum esse negantem. Redit etiam infra XII, 222. — *peste*, scil. amoris. Vid. I, 712. Catull. LXXVI, 20. *Eripite hanc pestem perniciemque mihi*, et Val. Fl. VII, 253. *Medea - - pestemque latentem Ossibus atque imi monstrabat pectoris ignem*. Ceterum *tali me peste teneri* legitur etiam in Maximiani Eleg. III, 51. — **91**. *Caram coniugem* Homeri φίλην ἄλοχον, ἄκοιτιν (Il. III, 138. XV, 156. Od. IX, 207. cett.) esse, quisque videt; quare reiicienda est Wakefieldii coni. *Clara* et Peerlk. *Magna*. Cf. etiam infra IX, 84. — *famam*, h. e. curam famae: ubi vidit, illam vel malae famae metu a furore suo non posse avocari. Cf. infra v. 170. — **92**. *Talibus adgreditur*. Non inesse captandi et dolose pertrahendi studium, ut in verbis *aggredi aliquem pecunia* ap. Sall. Iug. 28., sed simpliciter significare i. q. alloqui, iam Wund. docuit. Falso enim Servius: „Cum calliditate loquitur (et quasi ex praeparato, vel ex insidiis, ut alibi:

„Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis
Tuque puerque tuus; magnum et memorabile numen,
Una dolo divom si femina victa duorum est.
Nec me adeo fallit veritam te moenia nostra

Geo. IV, 404.)" Sic *dictis adgredi* III, 358., infra v. 476. et VI, 387. Adsentitur mihi Wilms in Progr. laud. p. 11. — *Saturnia.* Servius ad h. l. memorat, Vergilio hanc deam Saturniam dici, si sit nocitura (ut V, 600. et XII, 830.), Iunonem autem, ubi sit propitia. — In sequente colloquio Vergilius Coningtoni videtur respexisse Hom. Il. XIV, 188 sqq. et Apoll. Rh. III, 6 sqq. — **93.** *vero, in der That,* ironice, ut ap. Ter. Eun. I, 2, 9. Cic. Verr. V, 47, 124. Phil. XIII, 11, 25. alibi. *Egregius* simili ratione ironice usurpatum legimus VI, 523. — *laudem et spolia* pro victoria, quam illa sequuntur, *ampla.* Conington confert *amplissimum triumphum* ap. Nep. Cat. 1. Similiter *amplissimum funus* ap. eund. Eum. 4., *ampla praemia* ap. Cic. Mil. 22. in. etc. — *referre* autem vox propria de spoliis et victoriae praemiis. Cf. Geo. III, 10. Aen. X, 541. 862. alibi. — *refertis Tuque puerque tuus.* Cf. Ruddim. II. p. 30. Zumpt. §. 378. Ramsh. §. 93, 3. alii. Sic Ovid. Her. VI, 442. *Intrasses portus tuque comesque meos.* Wagn. non temere in *puero* pro *filio* commemorato cavillationem immaturitatis invenit, quod tamen negat Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 116., comparans Hor. Od. I, 12, 25. *Alciden puerosque Ledae.* Sed utriusque loci non eadem est ratio. — **94.** Egregiam reportastis victoriam et numen vestrum magnum et memorabile fecistis, si a vobis duobus una femina est victa. Verba *Tuque puerque tuus* iterantur in Ausonii Cent. nupt. 7. — *magnum et memorabile* (est) *numen* ironice pro: magna et memorabilis vestra potentia, si etc.; *vestrum* enim ex connexu facile potest intelligi. Aliter tamen Ameis. in Muetzellii *Zeitschr.* VII. (1853.) p. 932., qui de Iunone et Venere cogitans locum paulo artificiosius sic interpretatur: „*gross u. denkwürdig ist der über Aeneas verhängte Götterbeschluss* [vid. adnott. ad Aen. I, 8. et II, 396.], *wenn zwei Gottheiten, wie wir, zur Ausführung desselben die Werkzeuge bilden. Darum wollen wir Frieden u. eheliches Bündniss schliessen* (v. 99.)". Recte potius *Wund.*: „Ex victoria enim deorum magna eorum consequitur veneratio, *numen* fit *memorabile, ὀνομαστόν*". Sic apud Ovid. Met. IV, 416. *Bacchi memorabile numen.* Thiel., Ladew. et Conington, post *tuus* Commate incidentes, verba *m. et m. numen* per appositionem *puero* adiuncta censent, quod recte reprobat Haeckerm. l. l. Aliquot Codd. minoris pretii (ex 24 Codd. Henrici tres tantum) et Beda de trop. p. 348. C. *nomen,* quam lectionem receperunt Wakef. et Conington atque defendunt Scheller. in Obss. in prisc. script. p. 315. Peerlk. (qui etiam in Ovidii l. l. *nomen* scribi iubet) Dietsch. Th. Verg. p. 11. et Henry in Philol. XII. p. 254., neque improbat Ribbeck. comparans II, 583. et Ovid. Met. X, 608., ubi sane legimus *magnum et memorabile nomen;* sed longe languidius esse *memorabile nomen,* quod victoriae laudem necessario sequatur, quisque videt; neque verum est, quod Peerlk. contendit, Adiect. *memorabilis* tantum de facinore et nomine dici; cf. enim praeter Ovidii l. l. Cic. Phil. III, 19, 44. *memorabilis virtus*, id. Lael. 1, 4. *memorabilis familiaritas* etc.; quare iam Burm. ad Anth. Lat. I. p. 104. alteram lectionem iure praetulit. Accedit, quod *nomen* ex II, 583. huc transferri potuit. Ceterum eandem lectionis varietatem inveniemus V, 768. Ut hic *magnus et memorabilis* coniunguntur, sic e. g. ap. Ter. Heaut. II, 3, 73. *facinus magnum et commemorabile.* Ceterum hunc locum videtur respexisse Tibull. I, 6, 4. *Quid tibi, suave puer* (Amor), *mecum est? an gloria magna, Insidias homini composuisse Deum?* (ubi vid. Huschk.) et re vera respexerunt poëtae Anth. Lat. I, 147, 3. et I, 178, 334., ubi pariter *memorabile numen* legimus. — **95**. „*si - - victa est;* apte: quippe qua Coniunctione cum Indicativo iuncta, sibi de victoria non certo constare, Iuno dissimulanter (cf. v. 100.) significare voluerit." *Wund.* Ad ipsam sententiam cf. praeter Tibulli l. l. Ovid. Met. III, 655. *quae gloria vestra est, Si puerum iuvenes, si multi fallitis unum?* et similes locos. — **96.** *Nec adeo me fallit* Wund. interpretatur: neque adeo hebes sum, ut me fallat; atque etiam Wagn. Qu. Virg. XXVI. et Conington *adeo*

Suspectas habuisse domos Karthaginis altae.
Sed quis erit modus, aut quo nunc certamine tanto?
Quin potius pacem aeternam pactosque hymenaeos
Exercemus? habes, tota quod mente petisti:
Ardet amans Dido traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum paribusque regamus

---

cum *fallit* coniungunt et *tam valde* explicant. Rectius tamen *adeo* cum Pronomine *me* coniunxeris: neque me quidem fallit, quam tu ante ceteros omnes hac in re fallere studes; alios fortasse poteris decipere, me certe non decipies. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 11. et Geo. I, 24. Sic etiam Ladew. et mutata sententia Wagn. ipse in min. edit. comparans Plaut. Rud. prol. 36. *Nempe is adeo propter malitiam patria caret.* — *veritam te moenia nostra* cett., i. e. inveterato in me odio affectam te statim ab initio hanc novam urbem meo patrocinio gaudentem, unde Troianis tuis periculi aliquid enasci posset, suspectam habuisse. Cf. I, 670 sqq. Pro *moenia* duo Codd. *numina*, quod Wakef. temere recepit. — **97.** *suspectas habuisse domos.* Cf. I, 661. et 671. *Karthaginis altae.* Vid. ad Geo. I, 485. — **98.** *Sed quis erit modus?* ubi sit modus, sc. inimicitiam exercendi? Sic Ecl. X, 28. *Ecquis erit modus?* — *quo nunc certamine tanto?* i. e. quorsum progrediemini certamine vestro? (cf. Ecl. I, 72. III, 19. IX, 1. Geo. IV, 324. 504. Aen. I, 370. II, 520. etc.), quam loci explicationem suadent verba antecedentia. Quare non opus est Heinsii coniectura *certamina tanta*, quam, Hario quoque in Epist. crit. p. 23. et Marklando ad Stat. Silv. I, 2, 188. probatam, cum Burm., Heynio et Wagn. in prima editione temere recepimus, ut sensus sit: cui bono sunt certamina tanta. Quamvis enim verum sit, Substantivorum neutralium formas in *e* et *a* exeuntes in Codd. saepissime confusas esse (ut infra XII, 790. pariter *certamine* et *certamina*, IX, 143. *discrimine* et *discrimina*, ibid. v. 486. *funere* et *funera*, III, 144. *gramine* et *gramina* cett.), hic tamen, cum Codd. omnium lectio aptam sententiam efficiat, atque etiam in Anth. Lat. I, 170, 82. legamus *qui nunc certamine tanto*, a coniectura abstinendum. Consentiunt nobiscum ceteri recentiores editores praeter Haupt. et Wagn., qui lectionem *aut quo certamina tanta* in Philol. Suppl. I. p. 382. explicat: aut quo (qua de causa) exercemus certamina tanta, quod Verbum poëta fortasse e v. 100. mente iam praeceperit; nec minus Thiel., Süpflius et Haeckerm. l. l. Codd. scripturam defendunt, quamquam non omnes eadem ratione, qua nos et Iahn., locum explicantes. Thiel. enim (quocum facit Conington) *quo* pro *quid opus est* positum censet, Süpflius autem (ut Wakef.) simul audit *tenditis*, ut sensus sit: quid petitis amplius: cui apte respondeant sequentia *habes, tota quod mente petisti*, quae etiam Ladewigii est sententia, nostrae, a qua non multum differt, fortasse praeferenda. Ribbeck. orationem fortasse imperfectam esse suspicatur. — **99.** *pactos Hymenaeos*, ut in Anth. Lat. I, 172, 1. et VI, 84, 6. *Pacisci* verbum propr. est de sponsalibus. Cf. infra X, 79. 722. Plin. XV, 30, 40. Pricaeus ad Apul. Apol. p. 195. Heins. ad Ovid. Met. VII, 700. et ad Vellei. Pat. II, 65. Inde *pactio nuptialis.* — **100.** *Exercemus*, per zeugma positum, *paci* quidem convenit, non item *Hymenaeis*, i. e. matrimonio. Vid. ad I, 651. — *quod tota mente petisti.* Cf. supra I, 675 sqq. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 178, 100. — **101.** *traxit furorem*, imbibit quasi eoque tincta est; ut infra v. 701. II, 236. et Ovid. Met. II, 236. dicitur *colores*, ibid. III, 482. *ruborem*, Ovid. Met. IV, 674. et Plin. XXXVI, 18, 30. *ignem trahere* et similia. Imprimis cf. locus similis Ovid. Met. IV, 674. *Vidit Abantiades* (Andromachen) - - *trahit inscius ignem*, et adnott. ad Ecl. IX, 49. Conington tamen ex verbis additis *per ossa* concludit, *trahere* hic habere notionem longinquitatis et extensionis et significare i. q. tractim sentire coll. Geo. III, 258. — *per ossa.* Vid. ad II, 120. — **102.** „*Communem*, ita ut nobis communis sit, h. e. communiter s. communi imperio regamus.“ *Wund.* — *paribusque auspiciis*, quia imperium ex Romanorum more auspiciis institutis sanciendum erat, non nisi auspiciis habitis iniri poterat; quare *auspicium* haud raro pro ipso

Auspiciis; liceat Phrygio servire marito
Dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae."
Olli — sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiae Libycas averteret oras —
Sic contra est ingressa Venus: „Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Iuppiter unam

---

imperio ponitur. De imperio igitur aeque partito, i. e. de iure tutelae utriusque populi in unum coniuncti inter utramque deam aequaliter diviso sermo est. Cf. infra VII, 256. et Lersch. Ant. Verg. p. 4. De hoc autem Ablativi usu vid. ad Geo. II, 247. — **103.** *liceat* (Didoni) *Phrygio* (externo et exsuli) *servire marito*, nubere, ex veterum de matrimonio cogitandi ratione. Servius putat, Vergilium hic, ut Geo. I, 31., respicere coemptionis morem, de quo conferri potest liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 276. Ceterum vix est, quod memorem, quam fastidiosa improbatio coniugii a Venere spectati his verbis insit. Iteratur autem hic versus cum extremis superioris vocibus in Anth. Lat. VI, 84, 48 sq., verba autem *Phrygio servire marito* ibid. I, 147, 32. — **104.** „Et liceat eam *permittere dotales*, in dotem afferre, *Tyrios*, Carthaginis regnum, *dextrae tuae*, tibi socrui nurum." *Heyn.* Rectius *Wund.*: „Vide an *permittere dextrae tuae* sit fidei et tutelae tuae permittere, ut *dotales* ad maritum pertineat. Venus, socrus Didus, Carthaginiensium facta esset dea tutelaris", cui etiam Henry in *Tw. years* IV. p. 21. adsentitur. Ceterum respexit hunc locum Ovid. Her. VII, 149. *Hos potius populos in dotem, ambage remissa, Accipe et advectas Pygmalionis opes*, a Coningtone allatus. — **105.** *Olli.* Vid. ad I, 254. — Verba interposita *sensit enim - - oras* Wagn. causam reddere docet, cur Venus simulate responderit. Totus autem hic versus legitur etiam in Anth. Lat. I, 170, 152. — **106.** *regnum Italiae*, non quod iam est Italiae, sed quod ei fato debetur. Wakef. corr. *Italia*, coll. I, 38. *nec posse Italia Teucrorum avertere regem;* qua per se ingeniosa mutatione, a Peerlk. probata, non magis opus est, quam Schirachii (p. 321. proposita) *advertere*, quod sane ex interpretamento legitur in Codd. quibusdam minoris auctoritatis. Quod enim ab aliquo loco avertitur, necesse est ut alii loco advertatur, quare haud raro legimus avertere aliquo; de qua breviloquentia vid. Cort. ad Lucan. VI, 451. coll. Servio ad h. l. De omissa autem Praepos. *ad* vid. ad I, 2. Wagn. nobiscum consentiens in min. edit. locum sic explicat: „quo fieret, ut non Karthagini Italia imperaret, sed Italiae Karthago"; Haeckerm. autem l. l. contra eum disputans et de solo Aenea cogitans hunc sensum esse putat: ut regnum Aeneae a fato in Italia destinatum Karthaginem transferretur, ut Aeneas non Italiae, sed Africae septentrionalis rex fieret. — **107.** „*est ingressa*, scil. dicere, ut plene dixit Cic. ad Att. XV, 11. Cf. Aen. VI, 868. Compone usum verbi *incipere* Geo, I, 386." *Wund.* Adde Geo. II, 175. et cf. adnott. ad Aen. II, 348. Verba *Sic contra est ingressa Venus* iterantur in Anth. Lat. I, 147, 20. — **108.** *contendere bello*, ut VI, 643. *contendere ludo.* — **109.** *Si modo - - factum* (ubi effectum fuerit) *fortuna sequatur*, si modo fortuna rem *secundet*, quod verbum ipsum (de quo vid. ad III, 36.) a sequendo deductum est, si modo res optatum eventum habeat. Ladew. minus apte locum sic distinguit: *quod memoras factum, fortuna sequatur.* Ceterum verba *si fortuna sequatur* redeunt VIII, 15. — **110.** *fatis incerta feror*, incerta sum, quia ignoro, quid Iupiter de fatis explendis constituerit, vel, ut Wagneri verbis utar: „Quae mea est inscientia fatorum, incerta sum, si etc." Dietsch. Theol. Verg. p. 26. locum sic explicat: „Propter ea, quae de fatis audivi, dubito num Iupiter ita velit ea explere, ut Tyrii et Troiani in unam civitatem coniungantur"; nam Iovem fata regere et ordinare, iam ad Aen. I, 39. et III, 376. vidimus. Wunderl. Vergilium nova constructione *incerta fatis* pro *incerta fatorum* dixisse docet, quemadmodum

Esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis,
Miscerive probet populos aut foedera iungi.
Tu coniunx; tibi fas animum temptare precando.
Perge; sequar.“ Tum sic excepit regia Iuno:
„Mecum erit iste labor. Nunc qua ratione, quod instat,
Confieri possit, paucis, adverte, docebo.
Venatum Aeneas unaque miserrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus

---

etiam *peritus*, *imperitus*, *callidus* cum Casu sexto construantur (qua de re vid. Ruhnk. ad Vellei. II, 29. 3. Ruddim. II. p. 71. et Krüger Gr. Lat. §. 353, 3.). Vix tamen puto, Vergilium scripturum fuisse *incerta fatis*, non addito *ferendi* vocabulo. Ablativus ita pendet a notione coniunctorum verborum *incerta feror*, ut modo vidimus. Ceterum cf. infra v. 376. et Aen. X, 630. *ego veri vana feror.* — *si.* Vid. ad I, 181. — **111.** *Tyriis Troiaque profectis*, ut I, 732. — **112.** *aut.* Vid. supra ad v. 62. — *foedera iungi.* Cf. similis locus XII, 190. *paribus se legibus ambae Invictae gentes aeterna in foedera mittant.* — **113.** *temptare precando*, ut etiam infra v. 413., i. e. precibus adhibitis explorare animum Iovis et consilium eius, si fieri possit, regere. Cf. Anth. Lat. I, 172, 72. *supplex animum tentare precando.* Ovid. Met. XI, 239. *quoniam precibus tentata repugnas.* id. Am. II, 3, 17. *aptius ut fuerit precibus tentasse* cett. — **114.** *excepit*, respondit; nam qui sequitur alterum loquendo, excipit quasi id, quod antecessit. Sic infra IX, 258. *Excipit Ascanius.* Ovid. Met. V, 260. *Excipit Uranie.* ibid. V, 523. *Iuppiter excepit.* VII, 681. *Excipit - - alter et - - dixit* cett. — **115.** *Mecum erit iste labor*, *συνέσται ἐκεῖνος ὁ πόνος ἐμοί*, i. e. *ἐγὼ συνέσομαι ἐκείνῳ πόνῳ.* Heyn. minus recte interpretatur: labor tibi mecum erit, i. e. mihi tecum, ego allaborabo tecum, communis utrique erit labor. Immo *Mecum* hic nihil aliud est, quam *apud me*, i. e. *mihi* s. *meus*, cum provinciam Iovis explorandi et tentandi aperte in se unam Iuno suscipiat sibique soli reservet. Sic in Epit. Iliad. 93. *mecum labor iste manebit.* Silius VIII, 328. *Mecum erit haec prorsus pietas.* Ter. Phorm. V, 8, 90. *una iniuria est tecum - - altera est tecum, Chreme.* Liv. IV, 32, 5. *Proin memores, secum triumphos, secum spolia, secum victoriam esse* etc. Verba *Mecum erit iste labor* praeterea repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 27. et VI, 84, 54. Wagn. conferri iubet Lindem. ad Plaut. Capt. V, 1, 10., qui agit de formulis dicendi *secum servare, habere, cum aliquo orare, queri* et similibus, in quibus *cum* non sit *ἅμα, σὺν*, sed *ἐν, παρὰ apud aliquem.* Adde similes locutiones *secum cogitare, reputare, perpendere, statuere* cett. et cf. Hand. Tursell. II. p. 164 sq. — *quod instat* recte Wund. proprie dictum putat pro: quod peragendum est (*τὸ προκείμενον*), coll. Nep. Them. 1. *de instantibus verissime iudicabat.* — **116.** *Confieri*, quod legitur e. g. Lucr. III, 413. Ter. Andr. I, 1, 140. Ad. V, 8, 23. (ubi alii *cum fit*) Cic. ad Fam. IV, 5. Caes. B. G. VII, 58. (ubi cf. Herzog.) Suet. Caes. 20. (ubi vid. Graev. et Oudend.) alibi, gravius est, quam simplex fieri, et idem fere, quod confici, perfici. Nititur autem haec lectio Rom., Med. a m. sec., Bern. III. a m. pr. aliorumque Codd. et Servii auctoritate, dum in plurimis libris *quod fieri, quo fieri, hoc fieri, an fieri* legitur. — Verba *paucis, adverte, docebo* repetuntur in Anth. Lat. V, 116, 2. et Wernsd. Poët. L. min. V, 516. 135. — **117.** *miserrima* propter infelicem amorem. Cf. de hoc epitheto amantium proprio Bentl. et Ruhnk. ad Ter. Andr. III, 2, 40. et Heindorf. ad Hor. Sat. I, 9, 8. — **118.** De verbis *parandi* et *comparandi* cum Infin. constructis vid. Gronov. ad Liv. XXXVIII, 12, 6. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 5, 19. Cort. ad Sall. Iug. 22, 1. Brem. ad Nep. Thras. 2, 2. Daehn. ad eiusd. Dat. 4, 4. Kritz. ad Sall. Cat. 46, 3. alios. Cf. Ecl. VII, 5. *respondere parati* et adnott. ad Geo. I, 280. — Pro *primos* Rom. et a m. pr. Med. minus recte *primus* exhibent. — *ubi primus* legitur etiam III, 69. VII, 542. VIII, 407. Geo. III, 130., quemadmodum XI, 573. *ut primus* (pro *ubi, ut primum*, quod habemus infra v. 259. 586. I, 306. VI, 102. 452. XI, 300. etc.). Cf. Wagn. Qu. Virg. XXVIII,

Extulerit Titan radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem commixta grandine nimbum,
Dum trepidant alae saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam et tonitru caelum omne ciebo.
Diffugient comites et nocte tegentur opaca;
Speluncam Dido dux et Troianus eandem

3, b. — **119.** *Titan extulit ortus* paulo insolentius dictum pro extulit se ortu s. oritur. Sed vide Geo. IV, 544. et 554. (coll. cum Geo. I, 432.) et Claud. III. Cons. Hon. 157 sqq. *O decus aetherium - - primos cum detegis ortus.* Cf. etiam locus similis Tibull. IV, 1, 157. *ubi non unquam Titan super egerit ortus.* *Titan* pro Sole, qui est filius Titanis Hyperionis, etiam ap. Orph. Arg. 514. Hymn. 34, 3. Ovid. Met. I, 10. II, 118. Fast. I, 617. Tibull. IV, 1, 51. al. legitur. Cf. etiam Aen. VI, 725. *Titania astra.* — *radiis retexerit orbem* scil. terrarum, velum quasi, quo nox terram involvit (cf. infra v. 351.), radiis suis dimoverit, ideoque ipsam collustraverit. Cf. infra V, 65. IX, 461. Lucr. V, 390. *radiisque retexens aetherius sol.* Ovid. Met. VIII, 1. *retegente diem - - Lucifero.* Lucan. VII, 787. *clara dies Pharsalia damna retexit.* Sic etiam Geo. IV, 51. *Sol caelum aestiva luce reclusit.* Wagn. confert Ennium p. 125. Hessel. [Ann. fr. inc. 84. p. 80. Vahl.] *Inde patefecit radiis rota candida caelum,* cui addi possunt Epit. Iliad. 652. *nitidum Titan. radiis patefecerat orbem* et Ovid. Met. IX, 795. *Postera lux radiis latum patefecerat orbem.* Prorsus alio sensu ibid. VII, 531. legitur *Luna quater plenum tenuata retexuit orbem* (scil. suum). — **120.** Animadverte Iunonem tonantem, ut supra I, 42. Minervam, ubi vid. adnott. — *nigrantem,* aut omnia obscurantem, ut simili sensu apud Stat. Silv. II, 6, 83. legimus *Nigrasset planctu genetrix sibi saeva lacertos,* aut potius simpliciter i. q. nigrum, ut infra V, 97. VIII, 353. Lucr. II, 792. *nigrans color.* ibid. v. 732. *ea, quae nigrant, nigro de semine nata.* Ovid. Met. II, 535. *nigrantes alae* (corvi). Sil. IX, 225. *corpora ab immodico nigrantia Phoebo* et alibi haud raro. — *commixta grandine nimbum.* Cf. Silius III, 490. *mixtos cum grandine nimbos.* — **121.** *Dum trepidant alae* nunc cum plurimis editoribus (etiam Gronovio ad Liv. XXVII, 1, 7. Ulitio ad Nemes. Cyn. 307. Handio ad Stat. Silv. I, 2, 75. et Henrico (*Tw. years* IV. p. 21.) Servium secutus interpretor: Dum equites, qui instar alarum militarium Didonem et Aeneam a latere comitantur, in omnes partes diffusi negotio suo gerendo intenti sunt. Intellexi enim Silii II, 419. haud dubie hunc locum imitati verba *occultant alae venantum corpora silvis* aliter accipienda esse, atque prius putaveram, et respexi Isidori locum Orig. X. extr. ad Geo. III, 413. allatum. (Cf. etiam Muetzellii *Zeitschr.* XII. p. 630. et XIX. p. 116.) De verbo autem *trepidare* idem significante, quod navum, sedulum esse, calere in aliqua re agenda, imprimis si de pluribus sermo est huc atque illuc discurrentibus, praeter Verg. ipsum Aen. IX, 114. et XII, 403. cf. Liv. I, 7. XXIII, 19. XXVII, 28. Caes. B. G. V, 33, 1. B. Afric. 82. Sall. Cat. 31. Iug. 38. alibi. Prius cum Heynio de pinnis ad funiculos alligatis (*Federlappen*) cogitavi, quibus tamquam formidine aliqua terrentur aves et in retia aguntur. — *saltus indagine* (serie plagarum) *cingunt,* cinctos tenent. *Saltus* cum proprie sit locus silvae densis arboribus non consitus, Henry l. l. fortasse hunc locum recte sic capit: Cingunt apertiorem silvae locum indagine, ne ferae ex eo in densiorem silvam effugere possint utque Didoni venatio facilior sit. Ceterum cf. Tibull. IV, 3, 7. *indagine colles claudis,* Lucan. VI, 42. *silvas vastasque feras indagine claudit* cett., imprimis autem Senec. de clem. I, 12. *Sic feras lineis et pinna clausas contineas.* — **122.** Verba *Desuper infundam* repetuntur in Anth. Lat. VI, 84, 58., ut sequentia *Diffugiunt comites* ibid. I, 178, 425. — V. **124.** iteratur infra v. 165. *Speluncam - - eandem Devenient.* Vid. ad Aen. I, 365. coll. adnot. ad Aen. 1, 2. et 307. Ceterum cf. Silius II, 416., qui de eadem re agens: *Hinc et speluncam furtivaque foedera amantum Callaicae fecere manus.* — **125.** *Adero,* tamquam Iuno Pronuba. Cf. Ovid. Met. VI, 429. *Non pronuba Iuno, Non Hymenaeus adest illi, non*

Devenient. Adero et, tua si mihi certa voluntas,
[Conubio iungam stabili propriamque dicabo.]
Hic Hymenaeus erit." Non adversata petenti
Adnuit atque dolis risit Cytherea repertis.
Oceanum interea surgens Aurora reliquit.

Gratia, *lecto.* Ceterum vid. adnott. ad I, 734. — Verba *tua si mihi certa voluntas* repetuntur infra VII, 548. et in Anth. Lat. I, 172, 20. III, 81, 1. et VI, 84, 58. Cf. etiam Maximian. Eleg. III, 41. *Et modo certa fides atque inconcussa voluntas.* — V. **126.** iam legimus I, 73., ex quo loco Peerlk. eum hic male repetitum censet, hac adnot. adiecta: „Connubium his verbis significatur plane legitimum, solemni ritu initum. Sed tale connubium ita in spelunca contrahi non poterat. Immo in spelunca *aliquid* fieret, unde connubium stabile oriretur. Hoc *aliquid* Iuno honeste *Hymenaeum* appellat. - - Dido quidem hoc vocabat postea *coniugium*, sed Aeneas se non in ea foedera venisse testabatur." Quae argumenta cum satis probabilia videantur, etiam nos cum Ribbeckio et Ladew. hunc versum uncis inclusimus, quamquam in omnibus Codd. legitur atque etiam in Anth. Lat. VI, 84, 45. una cum seqq. verbis *Hic H. erit* repetitur. — **127.** Verba *Hic Hymenaeus erit* Wagn. in min. edit. explicat: hic (mecum) aderit Hymen, quod vituperat Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 116 sq. Venerem et Hymenaeum etiam alibi simpliciter pro nuptiis poni contendens, sed praetermittens, hoc tantum de Plurali *hymenaei* valere (vid. adnott. ad Aen. I, 651.), quare etiam Ladew. coll. Ovid. Met. IX, 796. *Cum Venus et Iuno sociosque Hymenaeus ad ignes Conveniunt*, hic aut deum ipsum, aut potius propter v. 168. carmen nuptiale intelligendum esse censet; et sane hac altera signif. *Hymenaeus* etiam ap. Plaut. Cas. IV, 3, 8. Ter. Ad. V, 7, 6. Ovid. Met. XII, 215. alibi legitur. (Henricum, qui in *Tw. years* IV. p. 22. et ipse de deo cogitaverat, quod probat Conington, nunc sententiam mutasse video; in Philol. XII. p. 254. enim non nisi Manilii V, 543. verba affert *Hic Hymenaeus erat*, haud dubie probaturus, Hymenaeum etiam Singulari numero pro nuptiis dici. — **128.** „Venus risit insidiosam Iunonis orationem, cum, eius consilia eventum non habitura esse, bene nosset. Vid. ad v. 90." *Heyn.* — *dolis repertis* Burm., Peerlk., Ladew., Conington et Haeckerm. l. l. cum Servio minus recte explicant: dolis a se compertis, deprehensis; nam (id quod bene docet Wund.) Venerem (a Iove futura edoctam: cf. I, 261.) Iunonis fallaciam deprehendisse, iam v. 105 sq. significatum est; recte potius Heyn. et Wund. (quibus etiam Gossr., Wagn. et Henry in *Tw. years* IV. p. 23. et Philol. XII. p. 254. adsentiuntur) *repertos* contendunt esse i. q. excogitatos, inventos a Iunone. Cf. Plaut. Capt. Epil. 5. *Huiusmodi paucas poëtae reperiunt comoedias.* Ter. Heaut. III, 2, 22. *Aliquid reperiret, fingeret fallacias.* Tac. Ann. XIV, 3. *caedes quomodo occultaretur, nemo reperiebat.* Nep. Them. 1. *Celeriterque quae opus erat, reperiebat* cett. Thiel. minus probabiliter de ipsius Veneris dolis cogitat, quibus Iovem, ut sibi morem gereret, commoverit. — De constructione *ridere aliqua re* pro vulg. aliquam rem Wund. conferri iubet Obss. suas ad Tibull. I, 8, 73., ubi profertur locus Hor. Sat. II, 3, 72. *malis ridentem alienis*; in quo vereor, ne Viro doct. idem acciderit, quod aliis, ut *mālis* confunderet cum *mălis*, (neque satis mirari possum, etiam Wagnerum in min. edit. hunc Horatii locum comparare, quem tamen, quod nolo reticere, in recentiss. edit. iure omisit). Immo ejusmodi loci conferendi erant, quales sunt Hor. Od. IV, 1, 18. *Largis muneribus riserit aemuli*, eiusd. Sat. II, 8, 83. *Ridetur fictis rerum* et similes, in quibus tamen non minus quam in nostro nescio an tertius potius, quam sextus, Casus agnoscendus sit, ut constructio non differat ab ea, quam infra V, 358. et saepius habemus. — **129.** Homericum (Il. XIX, 1. Od. XXIII, 243. al.) *'Ηὼς μὲν κροκόπεπλος ἀπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων Ὤρνυτο.* — *reliquit* pro vulg. *relinquit* et ob plurimorum optimorumque Codd. auctoritatem (inter quos Med. certe a m. sec.) et ob XI, 1., ubi hic versus sine lectionis varietate iteratur, cum Wagn. recepimus, qui praeterea conferri iubet X, 256. et XI, 182., vere memo-

It portis iubare exorto delecta iuventus;
Retia rara, plagae, lato venabula ferro
Massylique ruunt equites et odora canum vis.

---

rans, die orto Auroram iam reliquisse Oceanum, neque fuisse, cur ipsum surgendi et relinquendi initium hic indicaretur. — V. 129. repetitur in Ausonii Perioch. XIX. et Anth. Lat. I, 170, 100. — 130. *It portis*, pro exit ex portis, ut Geo. III, 507. *it naribus ater sanguis*. De verbo simpl. *eundi* pro compositis posito vid. ad II, 375. — *iubare exorto*, scil. solis. Quamquam enim *iubar* etiam de aliis sideribus dicitur, et de Lucifero quidem, de quo hic Serv. cogitat, apud Varr. L. L. V, 2. VI, 4. Ovid. Fast. II, 149. Claud. I, 25., de stellis crinitis ap. Plin. II, 25, 23., de ipsa Aurora ap. Ovid. Fast. IV, 944. cett., imprimis tamen de sole usurpatur. (Lucr. V, 696. Ovid. Met. I, 768. VII, 663. XV, 187. Ovid. Fast. V, 547. al.) Cf. Burm. ad Val. Fl. V, 311. et ad Lucan. V, 456. Ochsner. ad Cic. Ecl. p. 432. et de etymologia vocis Doederlein. Synon. II. p. 68. — Cum v. 131 sq. Heyn. conferri iubet Interpp. ad Grat. Cyneg. 223. — *retia rara* aperte non sunt ex tenui materia, ex tenui lino contexta, ut Schirach. p. 567. interpretatur, quae, profecto parum apta ad venationem, a feris facile dirumpi potuissent, sed magnis filorum intervallis insignia, quo retia venatoria, magnis animalibus capiendis destinata, differebant a piscatoriis. Coningtoni tamen *rarus* videtur commune retium omnium epitheton. Similiter apud Ovid. Met. XII, 437. *cribrum rarum* omnino pro pertuso. *Retia rara* etiam ap. Hor. Epod. II, 33. leguntur. — *plagae* proprie sunt funes illi, quibus retia tenduntur (quare Cic. Off. III, 17, 68. *tendere plagas*), apud poëtas autem haud raro pro ipsis retibus ponuntur (Plaut. Poen. III, 3, 35. Ovid. Met. II, 499. VII, 768. A. A. III, 428. cett.), a quibus alibi diserte distinguuntur, ut ap. Nemes. Cyneg. 300. Fuerunt igitur, qui per *retia rara* maiora, per *plagas* minora intelligerent; alii verba *retia rara* per epexegesin addita censent: plagae, quae sunt retia rara. Rectius autem per *plagas* intelliges retia crassiore filo et angustis maculis contexta, quibus validiores ferae capiebantur. Ut tamen explices hunc locum, id certe apparet, *retium* et *plagarum* coniunctionem et omissionem Verbi finiti, quod ex sequente *ruunt* repetendum (vid. infra), non iustam continere causam cum Peerlk. de totius versus αὐθεντίᾳ dubitandi, imprimis cum etiam Seneca hunc locum ante oculos habuisse videatur Phaedrae 48 sqq. sic canens: *alius raras Cervice gravi portare plagas, Alius teretes properet laqueos - - Robur lato dirige ferro*. — *lato venabula ferro*. Vid. Aen. I, 313. *lato hastilia ferro*. Ovid. Her. IV, 83. *lato venabula cornea ferro*. id. Met. VIII, 341. *tela - - lato vibrantia ferro* cett. De hoc usu simplicis Ablativi vid. infra ad v. 517. adnott. Wund. cum h. l. conferri iubet Hor. Epist. I, 6, 58. *qui mane plagas, venabula, servos Differtum transire forum populumque iubebat*. — 132. *Massyli*, non confundendi cum Massaesylis, erant populus orientalem Numidiae propriae partem incolens (Plin. V, 4, 4. Liv. XXIV, 48. extr. XXX, 11, 1., ad quos locos cf. Drak.), qui etiam Aen. IV, 483. et VI, 60. commemoratur. (Cf. liber meus geogr. II. p. 864. et Cless. in Pauly *Realencycl*. V. p. 731 sq.) Apud poëtas autem Massylus interdum pro Afro quocumque ponitur, ut h. l. Stat. Silv. III, 3, 94. II, 5, 8. Mart. X, 94, 1. XIII, 37. cett. — *ruunt* per zeugma etiam ad retia, plagas, venabula refertur; quamquam ruunt tantum, qui ea ferunt. — *odora canum vis*, ad Lucretii exemplum, qui VI, 1221. dixit *fida canum vis*. Utrumque imitatus est Stat. Theb. I, 625. *rabidamque canum vim*. Plane eadem ratione etiam Horatio Epod. VI, 6. canes vocantur *Amica vis pastoribus*. Voc. *vis* neque magnum numerum et robur canum indicat (quod prius putabam), neque, ut Graec. βίη, soli circumlocutioni inservit (vid. Colum n. ad Ennium p. 40. et 115. atque mea ad Lucr. III, 8. et V, 1285. Wesseling. Obss. II, 14., Iacobs. *Blumenlese* II. p. 322.), sed ex epitheto adiecto apparet, de sagacitate cogitandum esse, quod docet Henry in *Tw. years* IV. p. 23. et Philol. XII. p. 254. (quem etiam Ladew. et Wagn. in min. edit. sequuntur) bene perspiciens, etiam alibi solo epitheto adiecto indicari, quo sensu *vis* capienda sit. Sic Lucr.

Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Poenorum expectant, ostroque insignis et auro
Stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur magna stipante caterva
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

---

l. l. *fida canum vis* est fidelitas, ap. eund. III, 8. et 763. *fortis equi vis* ferocitas, ibid. v. 297. *vis violenta leonum* violentia etc., ideoque etiam hic *odora canum vis* i. q. canes magna sagacitate praediti (*tüchtige Schweisshunde*). — *odorus* pro: subtili olfactu praeditus et odorem sequens, s. sagax, alibi non videtur inveniri. Nemes. Cyneg. 235. loquitur de canibus, qui *odorato* (i. e. odorem ferarum vestigiis inhaerentem servante) *noscunt vestigia prato*. — **133**. „*cunctantem:* morabatur studio placendi, accommodate ad illud Terentianum [Heaut. II, 2, 11.] *dum moliuntur, dum comuntur, annus est.*“ Haec Servius. Quamquam autem hic Terentii locus, in quo pro *comuntur* rectius legitur *conantur*, illam explicationem minus iuvat, tamen non erat, cur Heyn. de veritate eius dubitaret et *cunctantem* pro ornante, quod vocant, epitheto haberet; nam Didoni, Aeneae quam primum conveniendi cupidae, nulla alia cunctandi causa videtur convenire, quam muliebre illud placendi studium. — *ad limina* idem fere, quod *ante limina*. Cf. Hand. Turs. I. p. 89. — **134**. *ostro et auro*, haud dubie ephippiis purpureis auro ornatis, quamquam etiam de frenis cogitari potest. Cf. VII, 277 sqq. De *ostro* vid. ad Aen. I, 639. — **135**. *sonipes* pro equo etiam infra legitur XI, 600. Catull. LXII, 41. Stat. Theb. V, 3. Sil. I, 222. Val. Fl. III, 334. alibi et tamquam Adiectivum cum *equus* coniunctum ap. Gratium Cyn. 43. (quem locum Coningt. affert). — *frena spumantia*. Vid. infra XII, 372. coll. cum VI, 882. Ovid. Met. VI, 226. VIII, 34. cett. — *mandit*. Hamb. *mordet*. Sed vide infra VII, 279. et Sedul. Carm. IV, 295. *equi, phaleris qui pictus et ostro Ora cruentatum mandentia concutit aurum*. Sic iam Apollon. Rhod. IV, 1607. *ἀργινόεντα δ' ἐνὶ στομάτεσσι χαλινὰ ἀμφὶς ὀδακτάζοντι παραβλήδην κροτέονται*. Cf. Ruhnk. Ep. crit. II. p. 226. — **136**. Verba *Tandem progreditur* hinc repetiit Auson. cent. nupt. 33. — **137**. „Chlamyde est induta purpurea, cuius oras ambit limbus acu vel radio pictus et variegatus.“ *Heyn*. Cf. Nemes. Cyneg. 91. *Sit chlamys aurato multum subtemine lusa*. De *chlamyde* vid. ad III, 484. — *Sidŏniam*, ut supra v. 75., infra v. 545. et Tibull. III, 3. 18. Alibi (velut XI, 74. Ovid. Met. III, 129. ex Pont. I, 3, 77. cett.) *Sidōnius;* de qua metiendi varietate vid. Bach. ad Tibull. III, 3, 18. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 10, 26. Fasc. V. p. 47. coll. cum iis, quae supra ad I, 343. et III, 35. adnotavimus. De constructione vid. ad Ecl. I, 54. Geo. IV, 337. al. adnott. — *limbus* hic est fascia, qua extrema vestis ora praetexebatur. Ovid. Met. V, 51. *Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat Aureus*. ibid. II, 734. VI, 127. Stat. Achill. I, 330. cett. — **138**. Heynio Pronomen *cui* ingratum erat; sed vide Huschk. ad Tibull. I, 6, 40. et Dissen. ad eiusd. II, 3, 43. Loci eadem ratione per relativum coniuncti sunt infra 645. XII, 65. Hor. Ep. I, 1, 83 sq. Tibull. II, 1, 78. 2, 6. 3, 48. Prop. III, 10, (II, 18,) 15. Martial. IV, 53, 5. etc. — *pharetra ex auro*. Vid. Geo. III, 26. et Hand. Turs. II. p. 634. — *crines nodantur in aurum*, crines in nodum collecti fascia vel retiolo aureo continentur; nisi malis coll. Claud. in Ruf. I, 118., ubi *comae adamante nodantur*, de fibula aurea et Graecorum *κρωβύλῳ* s. *κορύμβῳ* cogitare; quam explicationem mihi prius probatam etiam Conington amplectitur. Ceterum cf. infra v. 148. Una cum toto versu sequente iterantur haec verba in Anth. Lat. VI, 84, 38 sq. — *ex auro* - - *in aurum* - - *aurea*, ut magnificentia adspectus quam maxime augeatur. Vid. ad I, 448. (coll. cum V, 565 sqq. VII, 278 sq. etc.) Wagn. de hac orationis elegantia conferri iubet Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 98. et, quos ille laudat, Victor. Varr. Lectt. XXXIII, 12. et Burm. ad Ovid. Met. II, 107. (ubi *Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae Curvatura rotae.*) — **139**. „*Fibula* in chlamyde *subnectit*

Nec non et Phrygii comites et laetus Iulus
Incedunt. Ipse ante alios pulcherrimus omnis
Infert se socium Aeneas atque agmina iungit.
Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit ac Delum maternam invisit Apollo
Instauratque choros, mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi;

---

simpl. nectit in humeris vel pectore. Si tamen *subnectit* proprie dixit, ut Aen. V, 313., de balteo s. cingulo est accipiendum, quo tunica succingitur.“ *Heyn.* Et huic cingulo affixa erat fibula. Vid. adnott. ad I, 492. VII, 815. et XI, 776. — **140.** *Nec non et.* Ita saepe apud poëtas. Vid. Geo. I, 212. Aen. I, 707. 748. III, 352. V, 100. VI, 595. VII, 521. VIII, 461. etc. — **141.** *Incedunt* cum dignitate quadam et maiestate. Vid. I, 50. 496. V, 68. 553. (ubi pariter de equitibus dicitur) 764. — *Ipse.* Vid. ad Ecl. VIII, 96. — *ante alios pulcherrimus.* Cf. adnott. ad Aen. I, 342. *Pulcherrimus* autem est Veneris munere. Cf. I, 589 sqq. — **142.** *Infert se.* Cf. I, 439. X, 66. 401. XI, 36. et (de equo) Geo. II, 145. — *agmina* (sua) *iungit,* adiungit. Vid. ad II, 267. et cf. XI, 145. Val. Fl. I, 520. III, 505. cett. Ceterum vulgarem loci distinctionem, qua post *iungit* Colon, post *humeris* vero (v. 149.) Punctum ponitur, cum recentissimis editoribus mutavimus, ut comparatio sic procedat: Qualis ubi - - Apollo etc., haud illo segnior ibat Aeneas. — **143** sqq. Cf. Apoll. Rh. I, 307 sqq. (ab Henr. comparatus), quem hic Verg. ante oculos habuit. „Aeneas comparatur cum Apolline festo die prodeunte ad choros ducendos, ut supra I, 498., Dido cum Diana. Hieme Pataris Lyciae exacta narratur deus adire Delum, matri Latonae sacram (*maternam*), verno tempore festorum sollemnium die instante.“ *Heyn.* Pataris enim (*τὰ Πάταρα*), quae fuit urbs primaria Lyciae, haud procul a Xanthi ostio ad mare sita, Apollo celeberrimum templum cum oraculo habuit Delphico non multum cedente (vid. infra v. 346. *Lyciae sortes*), unde ei cognomen Pataraei (Ovid. Met. I, 516. Stat. Theb. I, 696.) vel Patarei (Hor. Od. III, 4, 64. Gr. *Παταρεύς*), ibique mitioris caeli causa per hiemem degere solebat, (quare hic *hiberna* vocatur *Lycia:* cf. adnott. ad Ecl. X, 20. cum iis, quae ad Aen. IV, 303. V, 162. IX, 722. et alibi adscripsimus), per aestatem in frigidiore Deli insula commorans. (Sic etiam Henry in *Tw. years* IV. p. 25. epitheton *hibernam* explicat.) Cum Delo *materna,* i. e. matri sacra, cf. Aen. V, 72. *materna myrtus* et VI, 193. *maternae aves.* De *Xantho,* qui nunc *Etschen* s. *Essenide* vocatur, cf. liber meus geogr. II. p. 104 sq. — **145.** *Instaurat.* Vid. supra ad v. 63. *Peerlk.* haec adnotat: „Melius in MS. Leid. *instaurant.* Cretes et Dryopes et Agathyrsi instaurant choros et fremunt circum altaria in honore Apollinis. Ipse graditur per iuga Cynthi.“ Poterat sane ita scribi; sed ceterorum Codd. omnium auctoritas non vilipendenda; et vid. ad v. 142. — **146.** „Instituuntur chori in dei honorem. - - Ducuntur chori ab iis, qui vel sacra curant, vel frugum primitias Delum apportant. Sunt ii *Cretes* (vid. Hom. h. in Apoll. 391 sqq. 535 sq. Tibull. IV, 1, 8.) [quibus Wagn. addit Meursii Cretam p. 199. Nunc imprimis conferendus est Hoeck. *Kreta* III. p. 143 sqq.], *Dryopes* (vid. Pausan. IV, 34.) et *Agathyrsi* pro Hyperboreis, de quibus vid. Callim. in Del. 281 sq.“ *Heyn.* — *Cretesquĕ.* Vid. de hac productione ad Ecl. IV, 51. *Dryopes* Arcadibus propinquitate coniuncti et Apollini Pythio dicati (cf. Mülleri *Dorier* I. c. 2. §. 4. p. 41 sqq.) in meridionali Doridis parte habitarunt, unde etiam partem Chaoniae Epiroticae et Thessaliae occupaverant. (Vid. Strab. VIII. p. 373. Plin. IV, 1, 1. alios.) Regio ab iis occupata antiquitus vocabatur Dryopis. (Herod. I, 56. VIII, 31, 43. Scymn. v. 595. Strab. IX. p. 434.) Cf. liber meus geogr. III. p. 902. *Agathyrsi,* populus Sarmatiae Europaeae inter Scythicas gentes saepe commemoratus, cuius sedes tamen satis incertae. Cf. Herod. IV, 48. 100. 104. Mela II, 1, 2. 10. Amm. Marc. XXXI, alii et liber meus geogr. III. p. 1125. Ceterum hunc adeo populum commemorans poëta nihil aliud vult significare, quam

Ipse iugis Cynthi graditur mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens atque inplicat auro,
Tela sonant humeris: haud illo segnior ibat
Aeneas; tantum egregio decus enitet ore.
Postquam altos ventum in montis atque invia lustra,
Ecce ferae saxi deiectae vertice caprae
Decurrere iugis; alia de parte patentis

---

undique, vel ex remotissimis terris, homines ad sacra Apollinis Delii celebranda confluxisse. — *picti*, ut etiam ap. Prisc. Perieg. 302. Vid. ad Geo. II, 114., ubi *picti Geloni*. Cf. Mela II, 1, 10. *Agathyrsi ora artusque pingunt iisdem omnes notis et sic, ut ablui nequeant*, Avien. descr. orb. terr. 447., Plin. IV, 12, 26. et Salmas. ad Solin. p. 133. — *fremunt*, canunt saltantes. Cf. infra VII, 389. et Iacobs. *Blumenlese* II. p. 472. ad illa Sen. Hipp. 509. *aves querulae fremunt*. — **147**. *Ipse* iam Wund. vidit adiectum esse propter interposita nomina *Cretes*, *Dryopes*, *Agathyrsi*. — De *Cyntho*, Deli monte, vid. ad I, 498. — *graditur*. Conington, comparans Dianam Aen. I, 498. et 501., suspicatur, Apollinem a poëta cogitari et ipsum in saltatione versantem; quod tamen Verg. vix *gradiendi* verbo expressisset semper firmum et aequabilem neque dignitatis expertem incessum significante (cf. I, 312. III, 664. VIII, 546. etc.). Accedit, quod sic etiam claudicaret comparatio cum Aenea venatum eunte. — *fluentem crinem*. *Fluere* de capillis non detonsis vel in nodum colligatis, sed longe dependentibus, legitur etiam ap. Prop. II, 3, 13. (al. II, 2, 23.) et alibi. Ceterum de *crinito Apolline* vid. ad I, 740. — **148**. *premit fingens*, comans, ornans. Cf. Ovid. A. A. I, 306. id. Rem. 841. Phaedr. II, 2, 8. cett. Constat autem, in omnibus Apollinis statuis capillos in fronte apparere studiose fictos. Ceterum cf. adnott. ad Aen. III, 305. et 429. Conington confert infra VI, 80., ubi contra *fingit premendo* legimus. — *inplicat auro*, cingit vitta aurea, diademate. Burm. confert Ovid. Fast. V, 220. *Sertaque caelestes implicatura comas*. Henry (*Tw. years* IV. p. 26.) ex Callim. h. in Apoll. 32. probat, Apollinem imprimis amare ornamenta aurea. — **149**. *Tela sonant humeris*, ad Homeri exemplum Il. I, 46. ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων ῥωομένοιο - - αὐτοῦ κινηθέντος. Cf. etiam Aen. IX, 660. XI, 652. Ovid. Rem. 705. *Phoebus adest: sonuere lyrae, sonuere pharetrae.* Val. Fl. II, 511. de Hercule: *pulsentque graves ut terga pharetrae*, et Ovid. Met. VI, 230. *audito sonitu per inane pharetrae*. — *segnior*. Male Bothius coni. *sequior;* recte enim iam Heyn. duplex hic comparationis momentum esse vidit, ita ut primum utriusque incesssus alacer et concitatus, tum corporis pulchritudo comparentur. Ceterum vid. ad III, 119. — **150**. *tantum* (quantum Apollinis) *decus enitet ore*. Cf. Ovid. Met. III, 422. Stat. Silv. III, 3, 113. cett. Verba *egregio decus enitet ore* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 44. et VI, 84, 36., et *decus enitet ore* sine epitheto ibid. I, 147, 25. — *ibat - - enitet*. Vid. omnino ad II, 432. III, 3. al. *Iahn.* ad II, 275. de h. l. sic iudicat: „Poëta *ibat* posuit, quoniam haec non ex orationis nexu, sed ex suo tempore constituit: sed statim subiungit *enitet*, quod ad praecedd. *infert* et *iungit* relatum est.“ Aliter Ladew.: *ibat*, quamdiu occupatus erat in ordinando agmine, *enitet*, etiam in ipsa venatione. Peerlk. temere hunc totum locum (*haud illo - - enitet ore*) spurium censet. — **151**. *invia lustra*. Vid. Burm. ad Val. Fl. III, 593. — **152. 153**. Cf. Hom. Il. IV, 106—108. — *ferae caprae*. Vid. Oudend. ad Apul. Met. VIII. p. 514. — *deiectae*, quae se deiecerant, quae desiluerant. (Vid. adnott. ad III, 405.) Wund. explicat: per venatores depulsae, comparans Aen. X, 707. *de montibus altis actus aper*, neque aliter Thiel. (qui provocat ad dictionem *deiicere hostes*, de qua conferri iubet Drak. ad Silium II, 114. et Schmid. ad Hor. Ep. II, 2, 30.), Peerlk. et Conington locum intelligunt; sed Wagn. docet, deiici a venatoribus dici feras, quae ab iis fugantur et perimantur, coll. Aen. V, 542. XI, 580. Mart. I, 61, 6. Phaedr. II, 1. Verbis autem *vertice deiectae decurrunt iugis* non meram tautologiam inesse, vix opus est ut demonstrem. — *cervi*. Vid. adnott.

Transmittunt cursu campos atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant montisque relinquunt.
At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo iamque hos cursu, iam praeterit illos
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum aut fulvum descendere monte leonem.
Interea magno misceri murmure caelum
Incipit; insequitur commixta grandine nimbus;
Et Tyrii comites passim et Troiana iuventus
Dardaniusque nepos Veneris diversa per agros
Tecta metu petiere; ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux et Troianus eandem

---

ad Aen. I, 184. — **154**. *campos transmittunt cursu*, i. e. transcurrunt, eadem ratione dictum, qua *flumen, mare transmittere*, omisso Pron. reflexivo *se*. Hausit autem Vergilius ex Lucr. II, 329. *Equites medios transmittunt - - campos*, quod iam Macrob. Sat. VI, 4, 9. adnotavit. Similiter Sil. VIII, 553. *transmittere saltu fossas*. — *agmina glomerant*, ita se glomerant, colligunt, ut agmina efficiant. Vid. Geo. IV, 79. et infra VI, 311. — *montisque relinquunt*. Wagn. vere adnotat, in soluta oratione dicendum fuisse *montibus relictis*, coll. Aen. II, 749., ubi vid. adnott. Ladew. autem locum sic interpretatur: agminibus iam glomeratis subinde alii cervi ex saltu prorumpunt, quo ingens cervorum numerus indicetur. Peerlk. temere coni. *fontesque*. In voc. *montis* ter repetito v. 151. 155. et 159. non haerendum esse, ad Ecl. VI, 16. Aen. I, 315. et alibi iam vidimus. Ceterum Haupt. *relincunt*, Ribbeck. *relinquont*, pro more suo. — **156** sq. Hunc locum Stat. Silv. V, 2, 118. sic ornavit: *Gaetulo sic pulcher equo Troianaque quassans Tela novercales ibat venator in agros Ascanius, miseramque patri flagrabat Elisam*. — Cum v. 157. cf. Epit. Iliad. 815. *Et nunc hos cursus, nunc illos praeterit ardens*. — *iam - - iam* i. q. modo - - modo. Vid. Hor. Sat. II, 7, 20. Flor. II, 17, 8. Liv. XXX, 30, 10. Claud. IV. Consul. Hon. 200. Vell. II, 114, 2. Bentl. ad Hor. A. P. 46. et Hand. Turs. III. p. 144 sq. — **158**. *dari*, offerri sibi a Diana: nam *vota* hic commemorata Dianae facta videri, iam Wund. memorat, coll. Ecl. VII, 29 sqq. *Votis* autem cum *optat*, non cum *dari* construendum videtur, ut X, 279., quem locum comparat Conington. — *spumantem aprum*, ut Aen. I, 324. Thiel. confert Lucr. V, 983. et Claud. R. Pros. II, 242. — *pecora inertia*, i. e. ignava, quae resistere nequeunt, cum contemptu, qui admodum bene iuvenilem fastum et exsultationem depingit. Cf. II, 364. IX, 55. et XI, 732., imprimis vero IX, 730. — **159**. *fulvum leonem*, sollemni epitheto. Vid. Ovid. Met. I, 304. Tib. III, 6, 45. cett. Haupt. et Ribbeck. *fulvom*. Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 172, 17. — **160**. *misceri murmure caelum*. Vid. ad I, 124. Wund. confert Val. Fl. *hinc olim soliti miscere polumque Infelixque fretum*, quem locum non de undis ad caelum usque erectis [ut similes Aen. I, 131. V, 790.] capiendum esse, doceat iterata Particula *que*. Vergilius haud dubie memor fuit loci Lucr. V, 1220. *magnum percurrunt murmura caelum*. — **161**. *commixta grandine nimbus*. Vid. supra v. 120. et IX, 670. — **162**. *passim*, nullo agmine, nullo ordine servato, sed distracti. Cf. Stat. Theb. II, 759. *eunt taciti passim*. Brut. ad Cic. in Ep. ad Div. XI, 13, 4. *Ille enim iit passim, ego ordinatim*. Vid. Hand. Tursell. IV. p. 406. et cf. Aen. II, 364. III, 510. — **164**. *Tecta* dicuntur omnia loca, quibus tegimur, arbores, cavernae cett. Cf. Lucr. V, 982. *saxea tecta*, quem locum Vergilio ante oculos fuisse patet. Verba *Tecta metu petiere* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 426. — *amnes*, torrentes; nam praecesserat *commixta grandine nimbus*. — **165**. *Speluncam - - deveniunt*. Vid. supra ad v. 106. Ceterum sunt qui poëtae Calypsus speluncam obversatam esse censeant. Henry in *Two. years* IV. p. 28. memorat, hunc locum petitum esse ex Apoll. Rh.

Deveniunt. Prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant signum: fulsere ignes et conscius aether
Conubiis summoque ulularunt vertice Nymphae.

IV, 1130 sqq. — **166.** *Prima et Tellus et pronuba Iuno* cett. *Prima* coll. Aen. VII, 136. nunc cum Thielio, Henrico (in *Tw. years* IV. p. 30. et Philol. XII. p. 255.), Ladew., Wagn. in edit. recentiss. (qui prius pro *primum* positum censuerat: de quo usu vid. ad Aen. I, 613.) et Coningtone explico: antiquissima dearum, nam Caelum Terramque parentes omnium deorum fuisse constat (cf. Hes. Theog. 44.). Coniectura certe non opus est. Tamen Heins. coni. *Primae*, quod Both. recepit. Peerlk. autem aliam proposuit coniecturam, *Tremuit tellus, et pronuba Iuno Dat signum;* cui tamen hoc obstat, quod tremor terrae (de quo omnino hic non cogitandum), ut fulmina, sequi debebat signum datum. — „*Tellus* interdum cum Vesta inter deas nuptiarum auspices, ex disciplina Etrusca (vid. Serv. ad h. l.); nec mirum, si Tellurem genetricem et altricem omnium rerum cogites. Cf. Orph. hymn. XXV.“ *Heyn.* Adde Varr. L. L. I, 2, 3. Verba *et pronuba Iuno* repetuntur in Ausonii cent. nupt. 83. De Iunone pronuba vid. supra ad v. 59. — *Dant signum*, scil. nuptiarum sollemnia celebrandi, quae sane hic plane novi sunt generis. *Heyn.* minus recte haec adnotat: „Mala nuptiarum omina enarrare debebat poëta, et enarrare videtur: motum terrae, aëris fragorem vento concitati, fulmina et per montium iuga auditos clamores vel ululatus, quae omnia, cum tempestate et procella magna interdum coniuncta, praeclare ad deas pronubas et ad Nymphas, ut carmen nuptiale canentes, referuntur. Cf. Ovid. Epist. VII, 95. 96.“ Wagn. autem docet, *ignes* caelestes hic esse pro facibus, quae in nuptiis praeferantur, et laetum Nympharum *ululatum* pro hymenaeo; atque etiam Henry in *Tw. years* IV. p. 28. et Philol. l. l. non cum Servio de signo infausto et terrae motu cogitandum esse recte memorat, verissime addens, Vergilium, si de malis ominibus cogitari voluisset, pro *Iunone pronuba* potius Tisiphonen (ut Ovid. Her. II, 117. *Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis*) vel simile numen malignum nominaturum fuisse. — *fulsere ignes et aether* i. q. aether fulsit ignibus. — *conscius aether Conubiis.* Codd. quidam (inter quos tamen etiam Rom., fragm. Vat. atque a m. sec. Pal. et Bern. II. III.) et editt. vulgg. *connubii*, contra Med. aliorumque bonorum Codd. auctoritatem. (Si numerus Codd. respiciendus esset, sane aliter statuere cogeremur; Henry enim in 22 Codd. *connubii*, in 14 *connubiis* invenit.) *Conscius* cum Dativo rei construitur etiam ap. Cic. pr. Cluent. 20, 56. et pr. Cael. 21, 52. (*facinori*), Verr. IV, 56, 124. (*temeritati* et *mendacio*), Ovid. Met. VII, 194. (*coeptis*), Tibull. I, 7, 48. (*sacris*) cett. Vid. Voss. de construct. c. XII. Heins. ad h. l. et ad Ovid. Met. VI, 588. Pric. ad Appulei. Apol. p. 518. Oud. Wakef. ad Lucr. III, 1031. Bach. ad Ovid. Met. II, 438. alios. (Quare nescio, quo iure Wagn. in edit. min. haec adnotet: „*Connubiis* sextus casus; Ovid. Met. VI, 588. *nox conscia sacris;*“ ubi *sacris* non minus est tertius Casus, quam in locis modo laud. Video tamen, virum doct. hoc recte perspexisse et in recentiss. edit. mutata sententia nobiscum consentire.) Saepe autem res inanimatas, locos potissimum, earum rerum, quae in illis fiunt, conscios dici, satis notum. Cf. Drak. ad Sil. III, 399. et Bach. ad Ovid. Met. II, 438. Ceterum *conubjis* esse pronuntiandum, iam ad I, 73. vidimus (ad quem locum cf. addenda), de scribendi autem ratione per unum *n* vid. ibidem. Ladew. scribit *Conubis* Lachmanno suasore ad Lucr. V, 85. p. 280. Iteratur v. 167. addito Genitivo *Conubii* in Anth. Lat. VI, 84, 16. — **168.** Ululatum Nympharum etiam Apollon. III, 1217. in simili loco [alio tamen sensu] commemorare, docet Heyn.: *αἱ δ' ὀλόλυξαν Νύμφαι ἑλειονόμοι ποταμηΐδες.* De laeto autem ululatu iam Ovidius Her. VII, 95. cogitavit, Didonem sic loquentem inducens: *Audieram vocem. Nymphas ululasse putavi.* Aliter tamen, ut videtur, Statius Silv. III, 1, 75. - - *Iliaco dum dives Elissa marito Donatur testesque ululant per devia Nymphae.* Henry l. l. p. 31. confert praeterea Lucan. VI, 261. *laetis ululare triumphis*, Ovid. Met. III, 528. *festisque fremunt ululatibus agri* et Aen. XI, 662. *magnoque*

Ille dies primus leti primusque malorum
Causa fuit; neque enim specie famave movetur,
Nec iam furtivum Dido meditatur amorem;
Coniugium vocat; hoc praetexit nomine culpam.
  Extemplo Libyae magnas it Fama per urbes,
Fama, malum qua non aliud velocius ullum:

---

ululante tumultu Feminea exsultant - - agmina. Respexit etiam hunc locum Val. Fl. II, 537. *Idaeaque mater Et chorus et summis ulularunt collibus amnes.* Ceterum Henry l. l. ex verbis *summo vertice* concludit, de Oreadibus esse cogitandum. — **169**. *Ille dies* cett. Heyn. comparat Homericum voc. (Il. V, 63.) *ἀρχέκακος*, Wund. autem Thuc. II, 12. *ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει.* Cf. etiam Hom. Il. XI, 604. *κακοῦ δ' ἄρα οἱ πέλεν ἀρχή* imprimisque Huschk. ad Tibull. I, 7, 1. Pro *primus* exspectaveris *prima* ad *causam* relatum, sed commiscuit auctor duas sententias: *ille dies erat primus* malorum et ille dies fuit causa malorum, quod etiam Conington adnotat. — Bothius pro *leti* temere coni. *laeti*, quod post *letum* frigeat *malorum* commemoratio; *laeti* autem (coll. Tac. Ann. XII, 8.) pro *laetitiae* positum vult haberi, ut idem dies Didoni et gaudium et mortem dicatur attulisse; Peerlk. autem *labis*, coll. Val. Fl. II, 239. Iustin. XVII, 1. et similibus locis. Pal. a m. pr. et Philarg. ad Geo. II, 168. pro *malorum* exhibent *laborum*, quod Ribbeck. ex VII, 481. huc translatum putat, in Proleg. vero p. 194. non audet decernere, utrum verius sit. — **170**. Ab hoc die palam se gessit Aeneae uxorem neque iam dedecoris vel infamiae metu movetur; *species* enim hic pro decoro positum videtur. — **171**. *furtivum*, celatum, tectum; vox propria de hac re. Vid. locos a Thielio prolatos, Catull. VII, 8. Tib. II, 5, 53. Ovid. A. A. II, 617. Met. III, 7. IX, 557. Fast. VI, 573. Val. Fl. VIII, 406. et Markl. ad Stat. Silv. I, 2, 49. — *meditatur*, cogitando persequitur; non iam furtivo amori se indulgere putat. Verbum enim *meditandi* (de quo etiam vid. adnott. ad Ecl. I, 2.) satis lato sensu de cogitanda, paranda, exercenda aliqua re usurpari constat. — **172**. *praetexit nomine culpam* pro vulgari *nomen culpae*, scil. excusandae, ut infra v. 500. *praetexere funera sacris*, pro praetexere funeri sacra. Idem, quod hic *praetexere*, infra v. 339. (ubi vid. adnott.) est *praetendere*. — *culpa* est amor illegitimus, ut ap. Tac. Ann. III, 24., ubi sermo est de *impudicitia filiae et neptis* Augusti, quae postea *culpa* vocatur. Vid. supra v. 19. Imitatus est h. l. Ovid. Met. VII, 69. *Coniugiumne vocas? speciosaque nomina culpae Inponis, Medea, tuae?* Thiel. praeterea comparat Hor. Sat. II, 7, 41. *verbis decoris obvolvere vitium* et Claud. in Eutrop. II, 606. *quis pulchra vocabula pigris Praetendas vitiis?* Burm. autem Aristoph. Plut. 159. *ὀνόμασι περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν.* — **173** sqq. In hoc celeberrimo de Fama loco poëtam Homeri Eridem Il. IV, 440 sqq., fortasse etiam Cererem Callimachi H. in Cer. 59. ex eadem Eride adumbratam, ante oculos habuisse, Vergilium vero aemulatos esse Ovidium Met. XII, 39 sqq., Statium Theb. III, 426 sqq. et Val. Flaccum II, 116 sqq., iam Heyn. docuit. *Famam* autem iam apud Homerum et Hesiodum tamquam deam prodire *Ὄσσης* (Il. II, 93.) et *Φήμης* (Op. et D. 760 sqq.) nominibus appellatam, in vulgus notum est. Cf. de ea Heynii Exc. III. ad h. l. Ceterum cf. Hom. Od. XXIV, 412. *Ὄσσα δ' ἄρ' ἄγγελος ὦκα κατὰ πτόλιν ᾤχετο πάντῃ.* — *Extemplo*. Vid. Hand. Turs. II. p. 671. — **174**. *Fama malum* etiam in Anth. Lat. I, 170, 15. legimus. Optimi et vetustissimi Codd. (Med., Rom., Gud., alii) non minus quam Servius praebent lectionem *Fama malum qua* cett., quam cum Heinsio, Wakef., Iahnio et omnibus recentioribus editoribus praeter Süpfl. et Bryceum (nam etiam Wagn., qui prius lectionem *quo* defenderat, quia in Med. post *malum*, non post *Fama* interpungitur, in recentiss. edit. recte *qua* edidit) recepimus, cum poëta v. 176. feminino genere pergat *Parva metu* cett. et *qua* facilius in *quo* mutari potuerit, quam contra. (Ceterum *quo* legitur in Pal. a m. pr., fragm. Vat., Gud. a m. sec., Bern. II. III., ap. Prisc. praeexerc. p. 260. Cap., Isidorum Orig. V, 27, 26. et Tertull.

Mobilitate viget viresque adquirit eundo,
Parva metu primo, mox sese attollit in auras
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens ira inritata deorum
Extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem
Progenuit pedibus celerem et pernicibus alis,
Monstrum horrendum, ingens, cui, quot sunt corpore plumae,
Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,
Tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit auris.

---

apol. 7.) Colon autem vulgo in fine versus positum, quod in altera edit. cum Iahnio omisimus, adsentiente Haeckermanno in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 117., nunc cum ceteris editoribus omnibus restituimus; non enim prorsus verum est, quod Iahn. et Haeckerm. contendunt, velocitatem sine mobilitate cogitari non posse ideoque v. 175. a priore seiunctum supervacaneum esse additamentum; immo ad velocitatem, qua circumfertur, accedit etiam mobilitas, qua mutatur et crescens in immensum augetur. Semicolon autem a Wagn. post *primo* positum recte vituperat Haeckerm., cum his verbis per se intelligendis poëta haud dubie addidisset verbum *est*. — **175**. Verba huius versus Maro ex Lucret. VI, 340 sq. (*Denique, quod longo venit impete, sumere debet Mobilitatem, etiam atque etiam quae crescit eundo*) petiit. — V. **176** sq. Verg. fere ad verbum transtulit locum Hom. Il. IV, 442 sq.: *ἥτ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.* Cf. etiam Callim. H. in Cer. 59. „*Primo* [quod hic Adverbium esse patet, non Adiectivum cum *metu* coniungendum: cf. V, 654. IX, 576. et adnott. ad I, 613.] *parva metu*, metuens scil., inquit Serv., redargui, cohibet se [timide serpit et caute contrahit quasi corporis speciem: *Gossr.*], *quod initio cautius loquatur;* mox sumpta licentia, altius exsurgit [i. e. timore sensim deposito in dies fit audacior]. - - - Respiciunt haec incrementa rumoris ex ipso progressu." *Heyn.* Haec omnia tam plana, ut mirum sit, Viros doctos in h. l. haesisse. Schrader. tamen coni. *parva modo primo,* Goesius *parva ortu primo,* Peerlk. *parva venit primo.* — *sese attollit in auras.* Vid. ad Ecl. I, 56. — V. **177**. iteratur X, 767. — **178—180**. „Genealogia antiqua, Hesiodeae similis. *Coeum* [qui e Titanum numero est] Terra ex Caelo [vid. Hesiod. Theog. 133 sq. Apollod. I, 2, 2. et Hermann. de mythol. p. VII.] vel ex Tartaro peperit (cf. Apoll. Rh. II, 39. et Hygin. praef. ibique Munker.). Sic et Gigantes ex Caelo nati (Apollod. I, 6, 1.), in quibus *Enceladus*, de quo supra III, 578. Propter corporis magnitudinem Gigantum familiae Famam adnumerare potuit." *Heyn.* Alii hanc genealogiam ignorant, et Sophocles Oed. T. 162. eam adeo Spei filiam esse fingit. — *ira inritata deorum*, irata diis, qui Titanas in Tartarum coniecerant. Vid. Heyn. ad Apollod. I, 6, 1. Ovid. Met. I, 151 sqq. Fast. V, 35—44. et Claud. Gigantom. I, 2 sqq. Quod attinet ad Genitivum causam *irae* exprimentem, cf. Aen. II, 413. (III, 181.) et IX, 736. Cornutus tamen videtur dubitasse, utrum locus sic distinguendus esset: *ira inritata, deorum Extremam.* (Cf. Ribbeck. Proleg. p. 126.) — „*extremam*. Utrum pessimam? an eruditius sensit, ut legimus ap. Medicos, degenerare extremos partus?" Haec Schol. Maii a Wagn. laudatus, cum quo consentit Servius. — *pernicibus alis*, ideoque ipsam perniciem alarum ope. — **181**. Cf. III, 658., ubi prius huius versus hemichium iam legimus, quod etiam repetitur in Anth. Lat. III, 81, 28. — **182**. „Ornate pro: tot ora ei sunt et aures; tota est oculata, aurita et vocalis." *Heyn.* — *vigiles oculi*. Sic *vigil* haud raro alii Substantivo Adiectivi loco adiicitur. Cf. infra v. 200. Hor. Od. III, 8, 14. III, 16, 2. Ovid. Met. II, 112. 538. III, 396. XI, 597. XII, 148. Iuven. XIII, 229. al. et Neue *Formenl.* II. p. 11. — **183**. *subrigit aures* pro eo, quod usitatius est, *arrigit aures.* Sic Plin. XI, 37, 50. et Sen. Herc. fur. 790. *subrectae aures.* — *caeli medio terraeque*, i. e. inter caelum et terram. Vid. infra v. 256. Henry in schedis mecum communicatis confert similes locos Val. Fl. II, 119. et Ovid. Met. XII, 39 sqq. Sic

Nocte volat caeli medio terraeque per umbram
Stridens nec dulci declinat lumina somno;
Luce sedet custos aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbes,
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Haec tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens et pariter facta atque infecta canebat:
Venisse Aenean Troiano sanguine cretum,

---

haud raro *medius* cum Genitivo apud poëtas pro *inter* (cf. Ovid. Met. V, 409. 644., ubi prorsus, ut hic: *Et medium caeli terraeque per aëra vecta* est, et VI, 409., ubi vid. Bach.); interdum etiam apud pedestris orationis scriptores, v. c. Caes. B. G. I, 34. in. *locum medium utriusque.* — **184.** Vulgo sic interpungitur: - - *terraeque, per umbram Stridens.* Nos nunc simplicissima distinctione contenti Comma (quod Wagn. aliique rectius post *umbram* ponunt) prorsus omisimus, verba autem *volat per umbram*, non *per umbram stridens* coniungi volumus. De *stridendi* verbo vid. ad Geo. IV, 262. — *declinat lumina somno*, palpebras ad somnum capiendum demittit, oculos claudit. Temere conferunt Catull. LXIV, 91. *ex illo flagrantia declinavit Lumina*, ubi declinare est deflectere. Aptius Thiel. comparat Prop. II, 1, 11. *Sed cum poscentes somnum declinat ocellos*, (cui addere poterat Anth. Lat. V, 141, 14. *Non prius in dulcem declinat lumina somnum*); de verbo autem *declinandi* cum Accus. Obiecti constructo adnot. meam ad Lucr. II, 250. conferri iubet. Vid. etiam Burm. ad Ovid. Met. VI, 415. et Barth. ad Stat. Theb. VIII, 653. — **186.** „*custos*, speculatrix, ne quid eam praetereat, non quae custodiat aut servet.“ Haec *Servius*. — *Tectis* civium domus, *turribus* procerum palatia indicari docent Ladew. et Wagn. — **187.** *territat urbes.* Thiel. comparat Val. Fl. II, 122. *Mox omnes agit* (Fama) *et motis quatit oppida linguis*, et Silium IV, 1. *Fama per Ausoniae turbatas spargitur urbes. Territare* legitur etiam ap. Plaut. Epid. IV, 1, 4. Bacch. IV, 8, 44. Caes. B. G. V, 6. VII, 63. alibi. — **188.** *ficti pravique tenax*, ut contra ap. Pers. V, 58. *Parca tenax veri.* Satis notum illud *tenax propositi* (Hor. Od. III, 3, 1. Ovid. Met. X, 405. Quinct. XI, 1. extr.) et similia. — *nuntia veri.* Cf. Ovid. Met. XV, 3. *praenuntia veri Fama.* — *populos sermone replebat.* Cf. XI, 296. Ovid. Met. IX, 134. *acta magna Herculis impleránt terras.* ibid. v. 665. *fama novi - - urbes implesset monstri* et similes locos. — **190.** *Replebat et canebat gaudens*, i. e. gaudebat replere et canere. Quod attinet ad hunc absolutum Participii *gaudens* (γεγηθυῖα) usum, Wund. confert Val. Fl. I, 600. (iuventus) *ingenti gaudens domat aequora velo*, ubi cavendum sit, ne iungamus *gaudens velo.* — *facta atque infecta.* Alibi si vocabula contraria sic coniunguntur, ut promiscue locum habere dicantur, Copula solet omitti, velut Stat. Theb. III, 430. *facta infecta loqui.* Sic *digna indigna* (ut ap. Val. Fl. II, 117., qui fortasse huius loci memor scripsit *digna atque indigna canentem*), *maxima minima, prima postrema, adversa secunda, magna parva, nobiles ignobiles, dies noctes, nolens volens* et similia. Cf. Aen. I, 543. IX, 595. XII, 811. Interpp. ad Liv. XXIV, 16, 9. Beier. ad Cic. Off. I, 17, 56. Kritz. ad Sall. Cat. 11, 2. Obbar. ad Hor. Ep. I, 7, 72. Vol. I. p. 389. Orelli Exc. II. ad Hor. Epod. V. Tom. I. p. 665. Wagn. Qu. Virg. p. 569. Wesenberg. Emend. Cic. Tusc. P. III. p. 19. Ceterum respicit poëta homines, qui et ipsi gaudent, si quid acceperunt, quod aliis narrare possint, facileque inducuntur, ut renarrando nova quaedam et infecta addant. — **191.** *Troiano sanguine cretum.* Vulgaris lectio erat *a sanguine*, quam prius cum Heynio et Wagn. servavi, quamquam non cum Wagn. arbitratus sum, Vergilium Praepositione significare voluisse longe disiunctam ab Afro genere originem, sed potius cum Gossr. statui discrimen inter *cretum ab aliquo*, i. e. oriundum, et *cretum aliquo*, i. e. ortum, natum. Sed cum in ceteris locis, ubi *cretus* legitur (II, 74., ubi vid. adnott., III, 608. VIII, 135. IX, 672.),

Cui se pulchra viro dignetur iungere Dido;
Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere
Regnorum inmemores turpique cupidine captos.
Haec passim dea foeda virum diffundit in ora.
Protinus ad regem cursus detorquet Iarban
Incenditque animum dictis atque aggerat iras.
Hic Hammone satus rapta Garamantide Nympha
Templa Iovi centum latis inmania regnis,
Centum aras posuit vigilemque sacraverat ignem,

Praepositio non addatur, quam etiam hic plures Codd., inter quos Med., Pal. et Bern. II. atque certe a m. pr. etiam Gud. et Bern. III. omittunt, nunc cum omnibus recentioribus editoribus praeter Bryceum, etiam Wagnero ipso in min. edit., Praepositionem delevi. — **192.** Cf. Ovid. Met. VIII, 325. *O felix, si quem dignabitur, inquit, Ista virum!* et Ecl. IV, 63. *Vir* autem pro marito, ut saepius. Cf. Hor. Sat. I, 2, 127. Ovid. ex Pont. IV, 13, 3. Petron. 111. Ruhnk. ad Ter. Hec. IV, 1, 9. Cort. et Kritz. ad Sall. Cat. 24, 4. — **193.** *hiemem - - quam longa*, scil. est (ut plenius infra VIII, 86. *nocte, quam longa est*), Graecorum ratione dicendi pro: totam hiemem. Sic Ovid. Am. I, 2, 3. *Et vacuus somno noctem, quam longa, peregi.* — *hiemem luxu fovere* nove dictum pro: se luxu fovere per hiemem, i. e. hiemem delicato et luxurioso modo transigere. *Wund.* haec adnotat: „Constructio est eadem in verbis *transigere hiemem luxu*, et similis verbi *fovere* significatio in locutione *fovere humum* Geo. III, 420., ubi vid. not.; nisi quod ibi ad locum, hic ad tempus est translatum.“ Cf. autem, quae de temporum ratione supra ad v. 52. adnotavimus. Ceterum, Peerlkampio teste, Wyttenb. putabat, Vergilium hic cogitasse rem recentis memoriae, Antonii et Cleopatrae similiter luxuriantium consuetudinem, de qua cf. Plutarch. M. Anton. 29. 56. al. et Dio Cass. V, 6. — **194.** *Regnorum*, Carthaginis illa, hic Italiae. Cf. v. 267. — *turpi cupidine captos*, ut ap. Iuven. X, 351. *caeca cupidine capti* cett. — **195.** *diffundit in ora*, spargit per ora, longe lateque divulgat. Similiter Hor. Ep. I, 3, 8 sq. *Bella quis et paces longum diffundit in aevum? Quid Titus Romana brevi venturus in ora?* ubi vid. Schmid. et Obbar. — **196.** *cursum detorquet.* Imitatus est h. l. Apul. Met. VIII. p. 168. Bip. *Fama dilabitur et cursus primos ad domum Tlepolemi detorquet.* — *Iarban.* Sic Heins. ex Medic. aliisque bonis libris (Pal. et Gud. *Hiarban*); vulgo *Iarbam* et *Hiarbam* (de qua scribendi ratione vid. Drakenb. ad Liv. Epit. l. LXXXIX. p. 245. ed. Würtemb. Arntzen. ad Aur. Vict. Vir. ill. 77. in. Duebner. ad Iustin. XVIII, 6, 1. Schneider. Gr. Lat. I, 1. p. 193. Ribbeck. Proleg. p. 421. alii; duplex enim erat nominis forma, *Iarbas* (ap. Verg., Iustin. et Silium ll. ll.) et *Iarba* (ap. Ovid. Fast. III, 552.). Vid. Unger. de Valgio Rufo p. 419 sq. Erat autem Iarbas rex Maxitanorum in Numidia, qui Didoni, ut in regno suo coloniam conderet, concesserat, eamque frustra in matrimonium petierat. Vid. supra v. 36. Cf. imprimis Iustini l. l. et praeter ceteros locos iam comm. etiam Ovid. Her. VII, 125. Silius VIII, 54. et Auson. Epigr. 118. — **197.** *aggerat iras*, i. e. auget, redit infra XI, 342. Cf. Stat. Theb. II, 198. *promissum dictis aggerare* etc. — **198.** *Hammone satus.* Vid. ad Geo. I, 278. Scripturam *Hammon* iuvant Serv. Dresd., Eutyches ap. Cassiod. p. 2312. P., Medic., Rom. et alii haud dubie libri, quos editores vel conferre vel commemorare neglexerunt. Vid. Schneider. l. l. Cort. et Oudend. ad Lucan. III, 392. Drak. ad Liv. XXI, 1, 1. idemque ad Sil. I, 39. mea ad Lucr. VI, 849. Ribbeck. Proleg. p. 421. Corssen. de pron. I. p. 108. ed. 2. alii. — *rapta* (ad stuprum, vid. ad I, 28.) *Garamantide Nympha*, i. e. Libyca, ut ap. Silium XIV, 499. *pinus Garamantis* pro navi Africana, ap. eund. XV, 676. *gemma Garamantis* pro carbunculo cett. De Garamantibus ipsis vid. ad Ecl. VIII, 44. — **199.** Iovis Hammonis patris religionem in Numidiam advexerat. — *latis regnis.* Cf. Senec. Troad. 879. et supra I, 25. — **200.** *Centum aras*, ut supra I, 416. Vid. ad Geo. III, 18. — „*posuit*

Excubias divom aeternas, pecudumque cruore
Pingue solum et variis florentia limina sertis.
Isque amens animi et rumore accensus amaro
Dicitur ante aras media inter numina divom
Multa Iovem manibus supplex orasse supinis:
„Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenaeum libat honorem,

ἀορίστως usurpatum est, *sacraverat* relatum ad v. 203. *Isque dicitur - - orasse.* Cumque utrumque liceret, variatus temporum usus. Similiter supra v. 149. cett.“ *Wund.* Sed vide adnott. ad illum locum. Neque hic puto Wunderlichium, cui Conington adsentitur, verum vidisse. Ego potius locum sic intelligo: Vigilem ignem Iarbas sacraverat eo tempore, quo primum omnem hunc Hammonis cultum in Numidiam induxerat et priusquam omnia illa centum templa deinceps exstruxit, in quibus iam solum semper pingue erat cruore pecudum cett. Bryce et Ladew. videntur mecum consentire; Wagn. autem haec adnotat: „Ex consuetudine diceres *posuerat - - sacraverat*; sed *posuit* scripsit poeta, usus principali Tempore, quod verbis *templa centum posuit* res primaria continetur, ad quam inprimis attendere vult legentem.“ — „*vigilem ignem* de igni perenni, ad quem alendum sacerdoti pervigilandum et excubandum est. Ignis hic aeternus ex Iovis Ammonis religione petitus putandus. Nota illa ex miraculo ap. Plutarch. de orac. defect. p. 410. B. Ceterum Callimachum ante oculos habuisse videri potest in Apoll. v. 80 sqq.“ *Heyn.* Thiel. laudat Langium in *Verm. Schriften* p. 191. Simili ratione Hor. Od. III, 8, 14. *vigiles lucernas* dixit. — **201**. Verba *Excubias divom aeternas*, igni vigili per appositionem addita, consilium indicant Iarbae: ut essent excubiae d. aeternae. Vid. ad I, 358. — **202**. *pingue solum* et *limina* non esse Accusativos a *sacraverat* pendentes, quod Heyn. statuit, sed Nominativos, verbo substantivo omisso, vere docet Wagn. Vid. adnott. ad Aen. I, 639. Ceterum *pingue cruore solum* ad magnum victimarum caesarum numerum, *limina autem sertis florentia* ad festos dies crebro celebratos spectare, quibus templa coronis ornari solebant (vid. I, 417.), in promptu est. Cf. autem cum h. l. Silius X, 462. *per lubrica pingui Stante cruore soli.* — **203**. *amens animi.* Vid. ad Geo. IV, 491. (coll. Aen. I, 178. II, 61. cett.) Wagn. hoc dictum memorat secundum illud *mens animi* apud Lucr. (III, 615. VI, 118.) et alios (velut ap. Catull. LXV, 4., ad quem locum cf. Iacobs *Blumenlese* II. p. 46.) — *rumore accensus amaro.* Respexit haec verba Val. Fl. II, 385. *monitis accensus amaris.* — **204**. *Dicitur.* Non opus est, ut quaeramus, cur hic non ipse rem narret Vergilius, sed alias inducat eam referentes. Solum enim orationis variandae studium eum videtur movisse, quae etiam Coningtonis est sententia. — *media inter numina divom*, ante deorum simulacra; quamquam, vel nulla simulacrorum ratione habita, omnia, quae in templo aliquo fiunt, inter numina deorum fieri recte dixeris, cum dii, quamvis oculis non conspicerentur, tamen in templis praesentes esse et numen suum manifestare crederentur. Cf. Iahn. ad Aen. I, 8., qui laudat Abr. Vossium in adnott. ad Aen. l. II. p. 2. comparantem nostrum *unter den Augen, im Anschaun der Götter.* Vid. ad I, 447. et II, 178. et quae Dietsch. Theol. Verg. p. 7. disputavit. Pro *numina*, Servio teste, olim lectum est *munera* (i. e. mediis in sacris, ut Geo. III, 486. *in honore deûm medio*), quod Heynio valde arridet et a Wakef. receptum video, Wagnero tamen iure Grammaticorum inventum videtur. — **205**. *manibus supinis.* Vid. ad III, 176. — **206** sqq. „Tales preces saepius commemorantur: primum Il. VII, 446 sqq. et al.; sed, quod tam impiam vecordiam Iarbae tribuit, hoc calidissimis et ferocissimis Afrorum ingeniis accommodatum esse videtur. Vide modo Herod. IV, 173. et 184.“ *Heyn.* — *nunc;* mea opera factum est, ut nunc hic divino honore colaris, quod antea non fiebat. Cf. v. 198 sqq. — *Maurusia gens*, i. e. Mauri s. Mauretani, nomen pluribus populis eius regionis commune, ad quos etiam Maxitani illi Iustini (fortasse iidem, qui Mazyes s. Maxyes) referendi videntur. Infra v. 320. iidem *Nomades* vocantur a vitae genere, unde omnis illa ora *Nu-*

Aspicis haec? an te, genitor, cum fulmina torques,
Nequiquam horremus, caecique in nubibus ignes
Terrificant animos et inania murmura miscent?
Femina, quae nostris errans in finibus urbem
Exiguam pretio posuit, cui litus arandum

---

midia dicta. Forma Adiectivi *Maurusius* legitur etiam ap. Sil. X, 402. XI, 414. Lucan. IX, 426. Claud. VI. Cons. Hon. 104. alibi; populus *Maurusiorum* commemoratur Livio XXIV, 49, 5. et Plinio V, 1, 1. — **207**. „Libationem, quae in epulis cibo sumpto facta (vid. I, 728.), omnino pro cultu sacro ac religioso dixit, ut poëta. — *toris pictis*, vid. supra I, 708., ubi tamen melius locum suum tueri videntur, quam inter Mauros.“ *Heyn*. — *epulata*, quia post epulas libationes fiebant. — *Lenaeum libat honorem*, vini honorem, vinum in Iovis honorem effusum. Cf. I, 736. *Laticum libavit honorem*. De voce *honoris* pro sacrificio posita vid. ad Geo. III, 486., ubi adde Drak. ad Sil. VII, 184. et Schmid. ad Hor. Ep. II, 1, 15.; de *Lenaeo* autem ad Geo. II, 4. — **208** sqq. Cf. loci similes Lucan. VII, 448. *Spectabit* (Iupiter) *ab alto Aethere Thessalicas, teneat cum fulmina, clades?* Stat. Theb. X, 889., ubi Bacchus ad Iovem: *Nunc ubi saeva manus meaque heu cunabula flammae? Fulmen, io, ubi fulmen?* — *Aspicis haec?* Comparant Hom. Il. VII, 448. et Gossr. conferri iubet non minus impiam Timonis precationem ap. Lucian. Tim. 1. Sensus est: Non videris haec adspicere; nam si adspicis, neque tamen me ulcisceris, tum nequidquam horremus cett. Recte enim Iahn., Wagn., Thiel. et omnes recentiores editores in seqq. *an te* cett. scribunt pro vulg. *An te;* cum apertum sit, hanc alteram quaestionem referri ad antecedentem, ut *an* respondeat nostro *oder*. — *genitor*. Henry (*Tw. years* IV. p. 33.) docet, Iovem ut verum et naturalem Iarbae patrem ab eo non *patrem* (quo nomine a quovis homine invocari possit, ut ab Anchise Aen. II, 691.), sed proprie *genitorem* appellari. — *fulmina torques*, ut alibi hastam, tela torquere (vid. ad Ecl. X, 59.). Infra IX, 670. legimus adeo *Iuppiter aquosam hiemem torquet*. — **209**. *caeci ignes* non sunt occulti, latentes, sed aut vani, inanes, ut Heyn. interpretatur, (vel, ut Gossr. explicat, comparans nostrum *blind schiessen*, „qui non urunt“), nam arcte haec cohaerent cum verbis *nequiquam horremus* et *inania murmura;* aut potius „quae non feriunt eos maxime, quos ferire debent“ (*Wagn.*) vel „quae casu modo sontes, modo insontes percutiunt“ (*Ladew.*), ideoque caeco quasi impetu, non certo consilio missi; quam explicationem iuvant loci Liv. XL, 10. in. (*ne sint caecae, pater, exsecrationes tuae*) et Verg. ipsius Aen. VI, 30. (ubi vid. adnott.) Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 117. praeterea conferri iubet Ovid. Fast. II, 822. Tac. Hist. I, 82. et Cic. ad Div. VI, 7, 4. — **210**. *Terrificare* ex Lucr. I, 134. et IV, 38. petitum. Cf. etiam Stat. Theb. VII, 677. Similiter infra v. 465. *horrificare*. — *inania* (quae causa modo prolata non terrent, quos debent, improbos) *murmura* (i. e. tonitrua) non esse Nominativum, sed Accusativum unumque modo totius esse sententiae Subiectum, *caecos ignes*, quisque videt. Recte enim Wunderl. compositionem *murmura miscent animum* intolerandam censet. Immo (Wagn. auctore in min. edit.) „ut mare, cum turbatur, *misceri* dicitur, sic *murmura* tonitruum, quia percusso turbatoque aëre fiunt.“ Peerlk. tamen, cui etiam *ignes murmura miscentes* displicent, cum humile sit, si fulmina ignibus immisceant inane murmur, coni. *murmura misces*, provocans etiam ad Paullini Carm. X. *Qui trifido igne micat, nec inania murmura miscet*. Ceterum fere descripsit hunc locum Silius XII, 628. *caecum e nubibus ignem, Murmuraque a ventis misceri vana docebat*. Praeterea cf. supra v. 160. — Verba *inania murmura miscent* repetuntur in Anth. Lat. III, 81, 77. et ap. Paullin. Carm. X, 121. — **211** sqq. Vid. supra I, 365 sqq. V. 211. in Anth. Lat. I, 178, 52. sic mutatus iteratur: *Femina, quae nostris erras in finibus*. — **212**. *pretio*, scil. emptionis pretio soluto. Nam Poeni mercati erant solum (I, 367.) — *posuit*. Vid. infra v. 344. VI, 19. III, 404. Hor. Od. II, 6, 5. — *litus* pro ora, plaga litorali, quae ut arenosa et infecunda minus apta est agriculturae;

Cuique loci leges dedimus, conubia nostra
Reppulit ac dominum Aenean in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,
Maeonia mentum mitra crinemque madentem

---

quare haec contemptim dici patet. Ladew. confert similem locum Aen. III, 272. Ceterum cf. infra VII, 797. *Qui saltus, Tiberine, tuos sacrumque Numici Litus arant.* — **213.** *loci leges* Heyn. explicat per ius, imperium loci, locum possidendum. Rectius *Wund.*: „*Leges dare alicui* est potestatem alicui dare legum, *loci*, i. e. quibus locus regatur, constituendarum. Diverso prorsus sensu usurpatur alibi *leges alicui dare* et *lex loci.*“ Haeckerm. l. l. paulo artificiosius explicat: „*der wir bedingungsweise einen Platz gegeben haben*“, de *lege loci*, i. e. conditione, provocans ad Ovid. Halieut. 32. et Amor. III, 2, 20. — **214.** *Reppulit.* Haud raro Part. *re* per se brevis in Verbis compositis (imprimis in Perff. *retulit, reperit, repulit* etc., praeterea vero etiam in aliis formis, itemque in Substantivis quibusdam, ut *religio, reliquiae* etc.) a poëtis Augustei aevi producitur, si eam sequuntur duae syllabae breves, cum alias haec verba prorsus excluderentur a versu heroico et elegiaco. Priores vero et posteriores poëtae vel ante longam syllabam hanc productionem admiserunt, quae etiam effecit, ut literae consonantes geminarentur, quod antiquioribus temporibus nusquam factum esse constat; quare recentissimi editores optimorum Codd. vestigia secuti hanc scribendi rationem restituerunt. Cf. de hac re Iahn. ad Ovid. Trist. IV, 1, 82. et Hor. Sat. II, 3, 91. Bach. ad Tibull. I, 3, 12. Thiel. ad Aen. V, 598. alii, imprimisque Schneider. Gramm. Lat. I. p. 595 sqq., quod autem ad scribendi rationem attinet, idem Schneider. I. p. 584 sq. Wagn. Orth. Verg. p. 462 sq. Lachmann. ad Lucr. V, 114. p. 281. Corssen. de pron. I. p. 226 sq. ed. 2. Brandt. Quaest. Hor. p. 114. alii. Cf. tamen etiam adnott. ad Aen. I, 30. (Ceterum haec iam ad Geo. II, 22. et IV, 233., ubi in contextu Verg. per errorem *repulit* exaratum est, adnotare debebam.) Verba *conubia nostra Reppulit* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 8 sq. — *dominum*, ut dominus, δεσπότης, i. e. hoc loco particeps regni, esset. Bene tamen *Servius:* „Vehemens accusatio: me maritum respuit, et Aeneam non virum, sed *dominum* recepit.“ Cf. etiam supra v. 103. *Phrygio servire marito.* — *in regna* (in societatem regni) *recepit.* Cf. Sall. Iug. 10. *Te in meum regnum accepi.* Quod ad rem attinet, cf. supra v. 102. et infra v. 374. — **215.** *Et nunc ille Paris* cett. De hoc usu Copulae in clausulis affectu plenis cum interrogatione prolatis vid. Burm. ad Prop. II, 15, 1. Matth. ad Cic. pr. leg. Man. 14, 42. Hand. Turs. II. p. 433. alii. De simili usu diximus ad Geo. II, 433. — „*ille Paris;* doctius fortasse, quam pro Iarbae Mauri persona; mollis ille Troianus, qualis Paris ap. Homer. Il. III, 391 sq.: aut quatenus Aeneas, ut alter Paris, alii quasi pactam coniugem eripuit. Sic etiam Serv.“ *Heyn.* Huic alteri explicationi (quae tamen priorem non excludit) favent etiam verba v. 217. *rapto potitur; raptum* enim s. praeda hic est Dido Iarbae quasi erepta, abducta. — *cum semiviro comitatu* cett. ex poëtarum Romanorum de effeminatis suorum temporum Phrygibus loquendi ratione. Vid. infra (VII, 579.) IX, 614 sqq. et XII, 99 sq. ibique adnott. Sic de Bacchi comitibus Lactant. I, 10. *Delatus Cretam cum semiviro comitatu* et Firmicus Maternus de err. prof. rel. 15. p. 9. Burs. *Liber - - cum semiviro comitatu fugiens.* — **216.** *Maeonia mitra*, i. e. Phrygia; quia Maeonia s. Lydia erat Phrygiae vicina. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 25. Sic etiam infra IX, 546. *Maeonius rex.* Ipsa mitra (vulgare tegumentum capitis apud plures Asiae gentes) etiam infra IX, 616. commemorata, erat pileus incurvus binis vel ternis fimbriis et fasciis pendulis praeditus, quibus subter mentum colligatis malae ac tempora tegebantur. Cf. Winckelm. *Gesch. d. Kunst* p. 308. et Monum. ant. ined. p. 155. Boettigeri *Ideen z. Kunst-Mythol.* T. I. p. 47. et *Archaeologie d. Malerei* p. 265. liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 325. (ubi tolle mendum typogr. *calanticae* pro *calauticae*) Heinrich. ad Iuven. III, 66. alii. — De constructione *mentum mitra subnexus* vid. supra ad v. 137. *Subnexus* autem cum Peerlk.,

Subnexus, rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus famamque fovemus inanem."
Talibus orantem dictis arasque tenentem
Audiit omnipotens oculosque ad moenia torsit
Regia et oblitos famae melioris amantis.
Tum sic Mercurium adloquitur ac talia mandat:
„Vade age, nate, voca Zephyros et labere pinnis

Hauptio, Ladew., Ribbeckio, Henrico in *Tw. years* IV. p. 35. et in Philol. XII. p. 111. et Coningt. ex Cod. Leid. (quocum conspirat Bas. D. ab Henrico collatus) nunc recepimus pro vulg. *subnixus* a ceteris Codd. omnibus, Nonio p. 405, 25. et Servio ad h. l. et ad Aen. XI, 493. exhibito, quod Gronov. in Diatr. Stat. c. 54. p. 543 sq., Heyn., Iahn., Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 402 sq. et Haeckerm. l. l. defendunt atque etiam Kappes III. p. 18. agnoscit, cum, quodcumque subligatam omninoque suppositam habeat sibi aliquam rem, id *subnixum* ea re videri possit, coll. Silio II, 397. *galeamque coruscis subnixam cristis*, Plaut. Pers. II, 5. 6. *subnixis alis me inferam*, atque etiam supra I, 506. et III, 402. Quod tamen recte negans Peerlk. Adi. *subnixus* hic absonum iudicat, cum non ipsa mitra subligata sit mento, sed tantum per funiculos constricta sub mentum alligatos, quod probare poterat loco Aen. IX, 616., ubi *redimicula mitrae* diserte commemorantur. Ribbeck. conferri iubet Stat. Silv. V, 3, 115. *comam subnexus* (ibique Markland.) et Gevartium Elect. I, 7. (Vid. etiam eius Proleg. p. 212.) *Innexus* simili ratione usurpatum legimus Aen. VI, 281. et VII, 669. — *crinem madentem* unguentis; qui mos crinem ungendi apud Romanos viro indignus habebatur, quare apud Ovid. Met. III, 555. Pentheus Baccho exprobrat, quod ei sit *crinis myrrha madidus*. — 217. *rapto potitur*. Vid. supra. Serv. minus apte interpretatur: stupro fruitur. *Potĭtur* autem correpta penultima, ut ap. Manil. IV, 882. *potĭmur*, ap. Ovid. Met. XIII, 130. *poteremur*, ap. Catull. LXIII, (LXIV,) 402. *poteretur*, unde apparet, poëtas hoc Verbum etiam ad tertiae Coniugationis normam flectere. — 218. *nos munera templis* cett. „Sensus: Nec mirum, Aeneam mihi esse praelatum; hanc enim repulsam pietas mea est merita. Ironia acerba vocabulo *quippe* inest, quod tum postponitur. Cic. pro Mil. c. 12. Cf. supra I, 39. [ibique adnott]." *Wund.* Conington tamen hunc causalem nexum negat neque ironice positam censet Part. *quippe*, sed affirmative („*forsooth*"). Cum verbis *munera templis ferimus* cf. Ovid. Met. VIII, 444. *Dona deum templis - - ferebat* et ibid. IX, 791. *date munera templis*. — „*famam fovemus inanem*, opinionem de potentia dei. Haec multo magis invidiosa in religione nova, nuper demum inducta. Vid. v. 198 sq. Fundus in nobilissimo loco Hecubae Eurip. v. 492 sqq." *Heyn.* Wagn. *famam* ad originem Iarbae vult referri, coll. v. 198. Ceterum *famam fovere*, ut ap. Mart. IX, 49, 4. *spem*, Liv. III, 66. in. *voluntatem patrum*, Tibull. II, 7, 2. *vitam fovere* et similia. *Fama inanis* etiam ap. Tac. Hist. IV, 11. et alibi legitur, ut *inania famae* ap. eundem Ann. II, 76. — 219. *aras tenentem*, ex more precantium. Vid. infra VI, 124. XII, 201. Ovid. Met. IX, 772. id. Am. I, 4, 27. Macrob. Sat. III, 2, 7. cett. Schmid. ad Hor. Ep. II, 1, 16. et Heindorf. ad Plat. Protag. p. 531. Peerlk. hunc totum versum, qui abest a Cod. Menag., spurium et a Grammatico aliquo ex Aen. VI, 124. additum censet. — 221. *oblitos famae melioris*. Vid. supra v. 170. In Anth. Lat. I, 178, 17. hic versus sic mutatur: *et oblitus famae melioris amantis*. — 222 sqq. „Ex Odyss. V, 28 sqq. et 43 sqq., ubi Mercurius [Iovis omninoque deorum nuntius: Hesiod. Theog. 938. Pind. Ol. VI, 78. Plaut. Stich. II, 1, 1. Ovid. Met. I, 668. etc.] ad Calypso mittitur, ut Ulyssem illa dimittat, non ex Iliad. XXIV, 333 sqq. haec expressa." *Heyn.* — *adloquitūr*. Cf. adnott. ad Ecl. I, 38. Geo. II, 81. (cum addendis) 211. et Aen. V, 521. Tertia Persona Pass., quae num ab initio longa fuerit (cf. Fleckeisen. in Novis Annal. phil. LXI. p. 33. et Corssen. de pron. I. p. 364.), adhuc sub iudice lis est, eadem ratione producitur Geo. III, 76. Aen. I, 668. II, 411. et V, 284. — 223. *Vade age*, *βάσκ' ἴθι*, Iliad. II, 8. Vid. supra III, 462. — *voca Zephyros*, qui te celeriter per aërem deferant. „Ut

Dardaniumque ducem, Tyria Karthagine qui nunc
Exspectat fatisque datas non respicit urbis,
Adloquere et celeris defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genetrix pulcherrima talem
Promisit Graiumque ideo bis vindicat armis;
Sed fore, qui gravidam imperiis belloque frementem
Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri

---

venti vocantur, navi parata velisque expansis (vid. supra III, 253.), sic h. l. *Zephyri* (dicti pro ventis) *pennis* [vel potius *pinnis*: vid. ad Geo. I, 398.] s. alis aptatis a Mercurio ad ventum excipiendum, velorum instar, et nunc quidem pedibus; nam infra v. 239. *primum pedibus talaria nectit.* Heins. *voca* et hic explicat *provoca*, ut Geo. III, 193. [ubi vid. adnott.]" *Heyn.* Qua de re Iahn. infra v. 245. et Voss. *Mythol. Briefe* T. II. p. 169. iubet conferri. De talaribus s. calceamentis alatis Mercurii vid. infra ad v. 239. — **225**. *Exspectat*, moratur, ut in omnibus locis, ubi *dum* sequitur: Caes. B. G. IV, 13. Cic. Acad. IV, 7, 19. Plin. Ep. X, 122. cett. Prorsus absolute, ut h. l., alibi non videtur legi, nisi ap. Plaut. Amphitr. in suppositis Sc. 2, 12. *nam, ut video, exspectat Amphitruo.* Dietsch. tamen Theol. Verg. p. 26. hanc meam rationem vituperans *Exspectat* explicat: „in longum spectat; quovis potius oculos vertit quam in urbes fatis datas"; qui usus verbi exemplis erat comprobandus. Iahn. *exspectat* ad *urbes* refert, ut sensus sit: qui Carthagine urbes exspectat, neque eas respicit, quae fatis sibi datae sunt, quod et ipsum Dietsch. propter verborum coniunctionem recte reiicit. — *fatis datas*, tributas, concessas (vid. ad III, 255.), *urbes*, urbem Romam (*Romanas arces* v. 234.). De ipsa re vid. I, 258. — **227** sqq. „Vide, orationem obliquam, cuius rara in poëta epico exempla (cf. v. 289—294.), qua arte vitaverit Vergilius." *Wund.* — **227**. *Non - - talem promisit.* De hac formula dolentibus et querentibus propria Thiel. conferri iubet infra XI, 152. Ovid. Met. III, 652. et Catull. LXIV, 139. Ribbeck. pro *nobis genetrix* edidit *genetrix nobis* Cod. Pal. a m. pr. et deteriores quosdam Codd. secutus. — *promisit - - vindicat. Vindicat* i. q. vindicavit et adhuc vindicat. Vid. adnott. ad Aen. II, 275. et 482. Wagn. autem Praesens *vindicat* eadem ratione explicandum censet, qua I, 99. *iacet* explicuit. — **228**. *Graiūmque* pro *Graiumve*. Vid. ad Geo. I, 442. — „*bis:* semel a Diomede Venus ipsa, Iliad. V, 311 sqq., tum ab Achille, Neptuni opera, Il. XX, 291 sqq. Alii ad Veneris in ipso Troiae excidio monitum referunt supra II, 589 sqq. et 632." Haec *Heyn.*, cui adsentitur Bryce; sed Wagn., Neptunum sua sponte, non intercedente Venere, Aeneae succurrisse memorans, prius inter tres alias explicationes a se propositas eam ceteris praetulit, ut coll. III, 476. de duplici Troiae excidio cogitemus; in min. tamen edit. mutata sententia cum Thielio et memet ipso Aeneam secunda vice ereptum putat Troia a Graecis incensa (II, 589 sqq.), eandemque sententiam etiam Ladew. et Conington proferunt. — **229**. Verba *gravidam imperiis* Heyn. triplici ratione capi commemorat, aut: quae multos imperatores est paritura, quod languidum sit et tenue; aut: quae orbem terrarum imperio complexura est, coll. I, 21. et X, 87. (in qua explicatione, a Gossravio adoptata, qui explicat: „quae multa exercebit imperia, multis gentibus imperabit" coll. X, 87., Wund. iure vituperat *imperiis* pro *imperio* acceptum et tautologiam, cum v. 231. addatur *ac totum s. l. m. orbem*); aut: quae multos potentes et late imperantes populos protulit, qui Aeneae subigendi erant, coll. Aen. I, 263 sq. et Auson. Epigr. IV. *Imperiis gravidas Pannonias;* quam tertiam explicationem iure amplectuntur Wund., Wagn., Ladew. et Conington, ita tamen, ut Ladew. et Wagn. in recentiss. edit. pro Perf. *protulit* rectius ponant Fut. *proferet*, et pro „qui Aeneae subigendi erant" potius: quibuscum postea Romani de imperio certarunt. Verba enim *bello frementem* adiiciuntur respectu habito bellorum, quibus cum Aeneae tum postea Romanis cum illis populis de imperio erat certandum. Ceterum de voc. *gravidus* pro plenus, refertus posito vid. ad Geo. III, 317. Similiter infra X, 87. *gravidam bellis urbem.* — **230**. Verba *genus alto a sanguine*

Proderet ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum
Nec super ipse sua molitur laude laborem,
Ascanione pater Romanas invidet arces?
Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur,
Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva?
Naviget! haec summa est; hic nostri nuntius esto.“

Teucri repetuntur VI, 500. Cf. etiam V, 45. — **231**. *Proderet* iam Serv. recte intellexit, ut sit i. q. propagaret, tamquam auctor stirpis. Heyn. confert Cic. Off. III, 21, 84. *regno, quod a Tantalo et Pelope proditum iure obtinebatur.* — *sub leges mittere orbem* Wund. recte interpretatur: orbi victo leges imponere. Cogitandum est de dictione *sub iugum mittendi*. Apertum est h. l. respexisse Lucan. I, 22. *Roma, Totum sub Latias leges cum miseris orbem.* Peerlk. suspicatur hunc versum fortasse spurium, eoque eiecto v. 230. *regerent* legendum et post *Teucri* Puncto distinguendum esse. Ceterum poëta de toto orbe terrarum Aeneae imperio subiiciendo loquens consulto videtur Aeneae et Augusti personas confudisse. — **232**. *Si nulla*, fortius quam *si non*. Vid. adnott. ad Geo. I, 101. et Aen. II, 583. VI, 405. — *accendit*, scil. eum, quod ex sequente *ipse* supplendum. — **233**. *super sua laude*, pro laude sua et gloria, ut Graec. ὑπέρ; quae significatio cognata est ei, de qua ad Geo. IV, 559. Aen. I, 29. et 750. disputavimus; valet enim omnino: quod attinet ad, *in Betreff*. De Praepositione a Substantivo suo vocabulo aliquo interiecto seiuncta vid. ad Ecl. VI, 19. (et Aen. II, 142.) Conington comparat Graec. πρὸς αὑτὸς αὑτοῦ et quod ad eundem Latinorum usum attinet, Ovid. Her. XII, 18. *Ut caderet cultu cultor ab ipse suo.* — **234**. *Ascanione p. R. invidet arces?* nonne cogitat, quam turpe sit filium per ipsum patrem privari regno a fato Aeneadis destinato? unde voci *pater* sonum admovendum esse patet. Cf. infra v. 267. 274. 355. Ceterum vid. ad Ecl. VII, 58. — *Romanas arces*. Vid. ad Geo. II, 172. Cf. etiam Aen. VI, 774. et *Latiae arces* ap. Ovid. Met. XV, 582. Thiel., et ipse de Roma septicolli cogitans, de *arcibus* pro montibus positis disputasse memorat Drak. ad Sil. XV, 305. et Weichert. ad Val. Fl. VIII, 462. — *pater* cum singulari vi additum. Vid. quae supra ad v. 31. adnotavimus. — **235**. De hiatu *spe inimica* vid. ad Ecl. II, 25. 53. III, 6. cett. Admodum raro autem voces monosyllabae in arsi positae cum hiatu efferri solent servata vocalis literae longitudine; quare et Schneider. Gr. Lat. I, 1. p. 145. et Ramsh. §. 221, 2. a. hunc locum fortasse unum, quod ex heroica poësi proferri possit, huiusmodi hiatus exemplum esse statuunt, quod tantum caesura versus primaria et singulari vocabuli vi et gravitate excusetur. Ceterum iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 178, 178. tertia Persona Verbi in secundam mutata. — **236**. *prolem Ausoniam*, progeniem in Ausonia cum femina Ausonia, Lavinia, procreandam, cui fata imperium Italiae decreverunt. Cf. v. 230. 274 sq. (ibique adnott.) et VI, 756 sqq. imprimis v. 763. — *et Lavinia arva*. Simplicem Copulam *et* post antecedens *nec* et ipsam acquirere vim negativam, vel potius posteriora prioribus per eam ita adiungi, ut in unum enuntiatum negativum coalescant, res satis nota. Vid. Geo. II, 83. 139. 337. 463. 496. III, 140. 175. Aen. IX, 139. 610. X, 319. etc. Burm. et Bach. ad Ovid. Met. III, 492. Oberlin. ad Tac. Ann. I, 32. Heinrich. ad Iuven. XI, 148. Iahn. ad Aen. III, 43. Wagn. Qu. Virg. XXXVI, 8, 10. Hand. Turs. II. p. 499. et 534. alios. Cf. etiam quae supra ad Aen. III, 43. adnotavimus. — Forma Adiect. *Lāvinius* hic, ut I, 2. (ubi vid. adnott.) Prop. III, 32, (II, 34,) 64. Lucan. IX, 991. alibi, prima syllaba producitur; cum nomen urbis *Lăvinium* corripi soleat (vid. Aen. I, 258. 270. IV, 84.); quamquam etiam apud Ovid. Met. XV, 728. *Lavini sedes* legimus. Ribbeck. hunc versum, qui post v. 225. et 230. abundare videatur, ut spurium uncis inclusit. Eodem vero iure etiam de multis aliis Vergilii versibus esset dubitandum, in quibus editores iure non haeserunt. — **237**. *Naviget!* cum singulari vi positum in principio versus, ita ut totum pedem expleat. Vid. adnott. ad Ecl. V, 21. et VII, 59.

Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio; et primum pedibus talaria nectit
Aurea, quae sublimem alis sive aequora supra
Seu terram rapido pariter cum flamine portant;
Tum virgam capit; hac animas ille evocat Orco
Pallentis, alias sub Tartara tristia mittit,
Dat somnos adimitque et lumina morte resignat.

— *haec summa est;* hoc unum praeceptum est instar ceterorum omnium, hic unus nuntius meae voluntatis sufficiet. *Nuntium* enim cum plurimis interpretibus intelligo de re, quae nuntiatur, ideoque hic quae iubetur. (Cf. VI, 456. VII, 437. VIII, 582. IX, 692. XI, 897.) Wagn. (cui adsentitur Conington) haec paulo artificiosius sic explicat: tu, Mercuri, *esto hic nuntius*, i. e. huius rei (ut alibi *is metus* pro *eius rei metus* et similia: vid. ad II, 171. et Geo. I, 329.), *nostri*, a nobis missus (coll. infra v. 654. VIII, 514. X, 72.). Haeckerm. vero l. l. contra Wagn. disputans nobiscum consentit. Ceterum Bryant., Heumann. et Peerlk., recte adversantibus Burm. et Weicherto, haec ultima verba *hic n. n. esto* spuria censuerunt, quae supervacanea sint post illa *haec summa est*. — **238** sqq. „Ex Odyss. V, 43—49. s. Iliad. XXIV, 339 sqq. haec adumbrata. Adde Od. XXIV. pr. Vergilium secuti sunt alii, ut Stat. Theb. I, 303 sqq. Ovid. Met. I, 671 sqq. etc.“ *Heyn.* — **239**. *et primum*. Vid. adnott. ad III, 62. Ladew. Particulam in eiusmodi locis nostro *drum* respondere censet; equidem potius comparaverim nostrum *und so - denn*. — *talaria;* supplent aut calceamenta (alis instructa, *πτερόεντα πέδιλα*), aut vincula, ut ipsae alae talis adnexae intelligantur; quales praeter Mercurium etiam Perseus (Ovid. Met. IV, 666. 729.) et Minerva (Cic. N. D. III, 23. extr.) gerunt. — **240**. *sublimem alis* (cf. v. 223.) - - *portant*, alis in sublime elatum, evectum. Oppositum infra v. 255. *humilis volat*. Cf. I, 415. X, 664. et imprimis XI, 722. *pinnis sublimem - columbam*. — *aequora supra*. Cf. infra IX, 553. Tibull. IV, 1, 66. *supra terras currere*. Sen. Epist, 71. *quaecumque vides supra nos currere* cett. — **241**. *pariter cum flamine*, *ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο* Hom. Od. V, 46. Cf. supra v. 223. De coniunctis Particulis *aeque, pariter, iuxta cum* vid. Hand. Turs. II. p. 140 sq. — **242**. *virgam* (*ῥάβδον:* Hom. Od. XXIV, 1.), caduceum, bacillum illud alatum et serpentibus cinctum; quam *virgam* fortasse propter vim magicam appellat, quae hic ei tribuitur: nam de veneficorum et sagarum bacillo sollemne est hoc vocabulum. (Cf. Aen. VII, 178. Ovid. Met. XIV, 278. 295. 300.) Etiam apud Hor. Od. I, 10, 17. I, 24, 16. Ovid. Met. I, 671. II, 735. alibi Mercurii caduceus *virga* appellatur. — „*Pallentes* [vid. supra ad v. 26.]. *animas evocat Orco*, v. c. Protesilaum. Vid. Hygin. f. 103. Orph. Hymn. 56. Aesch. Pers. 639 sqq.“ *Heyn.* Similes de Mercurio locos legimus apud Claud. Rapt. Pros. I, 77 sqq. et Stat. Theb. I, 304 sqq. — **242**. Verba *hac animas - - resignat* quasi per parenthesin adiecta sunt, ut poëta v. 245. ad ipsam narrationem revertatur, et Pronomine *Illa* totam virgae descriptionem quasi in unum colligat; quod Iahn. iam perspexit. — **243**. *mittit*, ducit, *πέμπει*, unde Graecis vocatur *Ἕρμης ψυχοπομπός, νεκροπομπός, πομπαῖος*. Cf. supra III, 440. — *sub Tartara*, ut infra v. 387. et XI, 181. *Manes sub imos*, i. e. in Tartarum subterraneum. — **244**. *Dat somnos adimitque*, ex Hom. Od. XXIV, 4. Cf. etiam Ovid. Met. I, 716. ibique Interpp. Similiter Hor. Sat. II, 3, 288. *Iupiter, ingentes qui das adimisque dolores*. — Verba *lumina morte resignat* vario modo explicantur. Heyn. (cum quo consentiunt Forcell. et Hoegg. de difficilioribus quibusd. Verg. locis p. 7. sqq.) *resignare* idem esse putat, quod *solvere* infra V, 856. et in vetere Epigrammate: *Et postquam fatis morientia lumina solvit;* cum oculi morientium, labefactata eorum structura et vitali vi cum vigore ac motu adempta, solvantur; quae tamen significatio verbo *resignandi* inesse non potest, neque magis probari potest Iahnii interpretatio (a Ladewigio accepta), qui antecedentium verborum ratione habita locum sic explicat: Mercurius virga sua dat adimitque somnum et *rursus* oculos morte *signat*, i. e. eosdem

Illa fretus agit ventos et turbida tranat
Nubila. Iamque volans apicem et latera ardua cernit

---

etiam morte occludit. Immo cum ap. Statium Theb. III, 129. *signare oculos* valeat comprimendo operire, *resignare* eos nihil aliud esse potest, nisi aperire; quam tamen significationem qui statuunt, et ipsi in varias abeunt partes. Schirach. enim p. 565 sq. et Iacob. ad Lucil. Aetnam 112. satis mire respiciunt oculos morientium, qui in ipsa morte aperiantur et ab aliis demum claudi soleant; ut *oculos morte resignare* sit: facere, ut oculi morte solvantur et hient; Wagn. autem (ut iam ante eum Günther. Animadvv. in aliquos Virg. locos Götting. 1817. p. 10. et post eum Voss. in *Anm. u. Randglossen.* Lips. 1838. p. 209., Thiel., Gossr. et Haeckerm. l. l.) coll. multis locis, ubi verba cum *re* composita simplicem Ablativum adiunctum habent sine Praeposs. *a* vel *ex* (de qua re cf. adnott. ad Geo. I, 275. et Aen. I, 358.), *morte resignat* explicat: resignat a morte, s. resignat, ne claudantur, i. e. lumina aperit iamiam se claudentia, in vitam revocat iam morientes, ut infra v. 375. *socios a morte reduxi* et V, 476. *revocatum a morte Dareta* pro: mori prohibitum; quae si Vergilii mens fuisset, scripsisset haud dubie *a morte*, ut ll. modo ll. (In recentiss. tamen editione sententia paulo mutata *morte* pro Ablativo temporis habens rectius explicat: „aperit oculos morte clausos, s. revocat mortuos in vitam.“) Equidem (ut nuper etiam Conington et Ribbeck., qui certe ad Henr. provocat) amplexus sum Henrici explicationem (prius in *Tw. years* IV. p. 36 sqq. et Philol. XII. p. 257. propositam): Ἑρμῆς Ψυχοπομπὸς recludit, aperit oculos mortuorum, quos in Orcum deducturus est; nam umbrae in inferis vident. Omissio autem Praepos. *in* ante *morte* offendere non potest. (Cf. adnott. ad Geo. I, 134. Aen. I, 2. 679. V, 98. etc.) Nescio tamen, an idem vir doctiss., retractans illam interpretationem, in Novis Annall. phill. a. 1867. p. 722 sqq. locum rectius sic capiat, ut *mors* hic pro arto *somno* (nostro *Todtenschlaf*) posita habeatur et sensus sit: lumina somno sepultis resignat s. aperit; *somno* enim iam commemorato sane de oculorum dormientium *morte* sermo esse poterat, et sic totius loci concinnitatem quam maxime iuvari in promptu est, cum post somnum vel datum vel ademptum non denuo ad mortuos revertatur oratio. Certe non opus esse videtur, ut ad coniecturas confugiamus. Burm. enim scripsit *limina morte resignat* (duo sane Codd., Gud. et Rottend. I., secutus), quod explicat: limina Orci mortuis aperit. Heyn. autem, qui hoc hemistichium prorsus abesse malit, proponit coni. *nocte resignat* (i. e. dormientes in ἀϋπνίαν resolvit), Weicherto de verss. iniur. suspp. p. 79 sq. valde probatam. Peerlk. et ipse totum hemistichion spurium et versus explendi causa adiectum censet, Weichertus autem l. l. totum adeo versum (quem sane fragm. Vat. extra ordinem in inferiore margine adscriptum exhibet) suspectum habere videtur. — **245.** *Illa fretus* non simpliciter esse *illam habens*, vel *cum illa*, ut Heyn. interpretatur, vere docet Wund., qui rectius explicat: illa adiutus, illa confisus. Vid. infra ad VI, 120. Redit autem poëta his verbis ad ea, quae facit Mercurius et a quibus v. 242 sqq. declinaverat. — *agit ventos* non est agere solet, sed tum agit (s. egit), cum a Iove ad Aeneam missus per auras volat; quod iam oppositionem Pronominum *hac* - - *illa* postulare censet Wagn., recte vituperans Wunderlichium, qui Punctum in fine v. 244. in Colon mutaverit. *Agit* autem *ventos*, quod Wagn. interpretatur „impellit, ut volatum suum secundent“, Haeckerm. l. l., comparans v. 257. *ventosque secabat*, rectius intelligere videtur: ante se agit, ne adversum tenentes volatum suum morari possint. Ladew. *agit* coll. v. 257. simpliciter pro movet („*setzt in Bewegung*“) positum censet, et Henry (qui tamen nunc retractat sententiam suam) in *Tw. years* IV. p. 41. et Philol. XII. p. 258. pro regit caduceo, comparans imperatorem, qui *agmen agat* (Aen. VII, 706. 804. VIII, 682.). Wakef. ad Lucr. IV, 178. temere coni. *adit ventos*, i. e. non timet ingredi. — *tranat nubila* ex Lucretio sumptum videtur, apud quem IV, 178. legimus *simulacra tranant auras*. Cf. Cort. ad Lucan. V, 553. et adnott. ad Geo. IV, 59. — **246** sqq. Quomodo Mercurius Carthaginem petens ad Atlantem

Atlantis duri, caelum qui vertice fulcit,
Atlantis, cinctum adsidue cui nubibus atris
Piniferum caput et vento pulsatur et imbri;
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento
Praecipitant senis et glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit; hinc toto praeceps se corpore ad undas

---

pervenire potuerit, bene exposuit Voss. in *Mythol. Briefe* T. I. p. 174., Weicherto laudatus l. c. p. 84. extr. Atlantem autem cur petat Mercurius, Heyn. infra ad v. 253. exposuit. De Atlante autem, Iapeti et Clymenes filio, cui, postquam cum ceteris Titanibus Iovem eiusque fratres impugnavit, haec poena irrogata est, ut in occidentali orbis terrarum termino caelum humeris sustineret, fabula est notissima; quare posteriores poëtae Herodotum IV, 184. respicientes eum a Perseo, cui hospitium denegaverit, in montem transformatum esse tradunt. Cf. Hom. Od. I, 52 sqq. Hesiod. Theog. 517 sqq. Apollod. II, 5, 11. (ibique Heyn. p. 681. et 409.) Hygin. f. 150. Ovid. Met. IV, 627 sqq. Silius I, 204 sqq. alii. Henry (*Tw. years* IV. p. 43 sqq. et Philol. l. l.) coll. v. 258., Ovid. Met. IV, 657 sqq. et Val. Fl. V, 411., de Atlante homine in montem mutato hic cogitandum esse docet: („*nicht eine Personification des Berges Atlas, sondern eine Schilderung des verwandelten Königs Atlas, des Berges Atlas in seiner frühern Eigenschaft als Mensch*"). — *apicem* de summo montis cacumine etiam Iuven. XII, 72. dixit, ut noster infra VII, 66. *arboris apicem* commemorat. — **247**. *duri*, laboriosi, propter aerumnas, quas tolerat v. 249 sqq. Vid. ad III, 94. Conington conferri iubet Aesch. Prom. 347 sqq. — *caelum, qui vertice fulcit*. Cf. infra VI, 797. *caelifer Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum*. — **249**. „*piniferum* vix proprie a poëta dici potuit; et dubites, an Libyae iuga pinus alant. Cf. Plin. V, 1. [§. 6.] Solin. c. 37. Vergilium aemulatus est Silius I, 202 sqq." *Heyn*. *Pinifer* apud poëtas omnino montium est epitheton. Cf. Ecl. X, 14. Stat. Silv. III, 4, 12. Val. Fl. VI, 993. cett. Ceterum respexit hunc locum Prudent. hamartig. 130. *caelum cui nubibus atris Anguiferum caput, et fumo stipatur et igni* (a Wold. Ribbeckio collatus). — **250**. De Part. *tum* in enumerationibus et descriptionibus usurpata vid. ad II, 697. — Fluvios et torrentes ex *mento senis* sese praecipitantes poëta propterea videtur finxisse, quia canae barbae crines defluentes ipsi sunt undis e fonte prorumpentibus similes. Lactant. ad Stat. Theb. III, 264. ex Vergilio haec verba affert: *riget horrida tergo Palla*, quare Peerlk. quaerit: „Errorne memoriae, an vidit *tergo riget horrida palla?*" Mihi, si Lactantius vere hunc locum respexit, memoria lapsus videtur; nam Codd. lectionem longe meliorem esse quisque videt. — **251**. *Praecipitant*, scil. se. Vid. ad Aen. I, 234. — **252**. *nitens* h. l. de volatu pro: sustinens, librans se in aëre. Cf. Geo. II, 427. Ovid. ex P. II, 7, 27. *Et quot aves motis nitantur in aëre pennis*. Hor. Od. IV, 2, 2. *cereatis ope Daedalea Nititur pennis* etc. — *paribus alis*, quod redit V, 657. et IX, 14., Serv. explicat „leni volatu". Cogitandum est de eo temporis momento, cum inhibetur volatus, ut subsidat Mercurius, cum igitur alae non magnopere moventur, sed expansae modo eadem fere linea semper manent. Cf. infra IX, 14. *in caelum paribus se sustulit alis* et Ovid. Met. II, 708. *Hinc se sustulerat paribus Caducifer alis*, ubi vid. Gierig. — *Cyllenius*. Vid. ad Geo. I, 337. et Aen. VIII, 138. 253 sqq. Poëtae ante oculos fuit Hom. Od. V, 50—54. — **253**. Verba *hinc — hic*, *toto corpore — paribus alis*, *se misit — constitit* sibi respondere, Thiel. iam observavit; qui etiam *toto corpore* recte explicat toto corporis pondere, vehementi corporis nisu, coll. Hemsterh. ad Prop. II, 13, 49. Cf. etiam infra X, 127. — „In eo non argutandum, quod itineris compendium non fecit Mercurius, cum Atlantem prius adeat, quam Carthaginem. Spectatur tantum Atlantis altum iugum, cui deus ex coelo descendens primum institit; hinc ad humiliora loca procedit." *Heyn*. — *se misit*, i. e. demisit; sed Praepositionis notio iam inest addito voc. *praeceps*. Cf. Aen.

Misit avi similis, quae circum litora, circum
Piscosos scopulos humilis volat aequora iuxta.
[Haud aliter terras inter caelumque volabat,

X, 633. Prop. III, 21, (II, 26,) 19. *Iamque ego conabar summo me mittere saxo.* Val. Fl. VIII, 35. *haud secus illa Acta timore gravi mediam se misit.* — *ad undas* maris medii, quod et Atlas et Carthago attingit. Ceterum Brunck., Wakef., Both., Iahn. et Thiel. post *Misit* Puncto, post *iuxta* autem Semicolo incidunt; sed vid. infra ad v. 256 sqq. — **254.** *avi similis* cett., i. e. mergo vel alii avi marinae, quae piscem conspicit; quod patet ex *piscosis scopulis*, qui sequuntur. Cf. Hom. Od. V, 51 sqq., (*ἐξ αἰθέρος ἔμπεσε πόντῳ· σεύατ' ἔπειτ' ἐπὶ κῦμα, λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς*), unde hic locus fluxit. — **255.** *piscosos scopulos*, circa quos mare redundat piscibus. Legitur hoc Adiectivum rarius usurpatum e. g. Ovid. Fast. III, 581., ubi *amnis piscosus* commemoratur. Hom. l. l. v. 53. verbis *ἰχθῦς ἀγρώσσων* causam adiungit, cur avis volet circum scopulos piscosos. — Vss. **256--258.**, de quorum *αὐθεντίᾳ* iam Bryant., Heyn., alii dubitaverant, quamquam a Wunderl., Weicherto l. saepe l. p. 84., Iahnio et Thielio defensi sunt, neque Haeckermanno l. l. removendi videntur, Wagn. (qui etiam cf. in Philol. Suppl. I. p. 382 sq.) tamquam spurios e contextu prorsus removit; et sane cum interna tum externa argumenta efficiunt, ut in maximam illi suspicionem incurrant. Vs. enim 257. a Zulich., v. 258. autem a pluribus Codd. abest, et v. 257. in aliquot libris post v. 258. collocatus apparet. Porro ipsi versus admodum sunt ieiuni et salebrosi. Ut enim nihil dicam de simili exitu vv. 256. et 257., qui sane defendi potest (vid. infra), quem non offendit aut asyndeton in his verss. obvium, si legimus *harenosum Libyae?* aut mira illa verborum compositio, quam v. 257., ut in plurimis Codd. scriptus legitur, exhibet: *Litus haren. ac Libyae ventosque sec.?* quae causa utique levior est, cum Codd., ut infra videbimus, etiam alias lectiones exhibeant meliores. Sed etiam alia et graviora proferri possunt argumenta, quae acute perspexit Wagn.: 1) ad eum, qui antea *humilis iuxta aequora volare* narratur, minus quadrant verba *terras inter caelumque*, quae altiorem volatum significare videntur; quamquam ei causae, quam Wagn. addit, scilicet quem se *ad undas* demisisse legerimus, eum non inter caelum et terram, sed inter caelum et mare volasse dicendum esse, non multum tribuo; 2) ieiuna et absona est ab h. l., ubi Mercurius minister Iovis introducitur, materna et avitae originis commemoratio, imprimis his verbis parum poëticis concepta et *Cyllenii* nomine iam v. 252. posito prorsus otiosa; 3) omnino insulsum est, hanc comparationem in re tenui versantem per tam multos versus extrahi, praesertim cum verbis *haud aliter*, *haud secus* Vergilius in comparationibus uti non soleat, nisi ubi gravitas et magnitudo rei ea admittant. Quibus *νοθείας* argumentis Wagn. etiam causas interpolationis adiunxit. Adscriptos enim suspicatur hos versus a Grammatico aliquo, qui v. 256. cavere voluerit, ne quis verba *avi similis*, quae tantum de volatu intelligenda essent, ad speciem dei referret; v. 257. autem ad explicanda illa *circum litora, circum scopulos*, v. 258. denique propterea addiderit, ne Subiectum sententiae desideraretur. Ceterum verba *terras inter caelumque* sumpta esse ex v. 184., *ventos secabat* ex Geo. I, 406. His toto de loco praemissis, quem etiam Peerlk., Bryce et Ribbeck. (non vero Haupt., Ladew. ad Thielium provocans et Conington) pro spurio habent et uncis includunt, de singulis, ac si Vergiliana essent, dicamus. — **256.** Verba *terras inter caelumque* Ladewigio in proverbium videntur venisse, ut in Plurali *terras* non haerendum sit. — *volabat.* Ut *ὁμοιοτέλευτον* vitaretur, iam Heins. coniecit *volatu* vel *volando*, Bentl. autem ad Hor. Od. I, 34, 5. *legebat.* Sed *ὁμοιοτέλευτον* per se nihil habet offensionis. Cf. Aen. I, 319 sq. 625 sq. II, 124 sq. III, 655 sq. V, 385 sq. VI, 843 sq. VIII, 171 sq. 567 sq. 620 sq. 646 sq. IX, 182 sq. 544 sq. X, 213 sq. 804 sq. (praeterea Ecl. VIII, 80. Aen. III, 549. XI, 872. similesque versus) et permulti aliorum poëtarum loci, imprimis Ovidii (Met. I, 67 sq. 682 sq. II, 22 sq. VI, 198 sq. 414 sq. 419 sq. Her. I, 6 sq. 15 sq. A. A. I, 238 sq. 294 sq. cett.), quorum multos collegit Schrader. ad Musaeum p.

Litus harenosum ad Libyae ventosque secabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.]
Ut primum alatis tetigit magalia plantis,
Aenean fundantem arces ac tecta novantem
Conspicit. Atque illi stellatus iaspide fulva
Ensis erat Tyrioque ardebat murice laena

---

139 sqq. et Observv. I, 1. p. 7. Cf. etiam Burm. ad Prop. I, 8, 11. Passow. ad Pers. I, 92. p. 313. Weichert. l. l. p. 86 sqq. Iahn. ad Hor. Od. IV, 6, 6. et Ovid. Met. XV, 426. Orell. ad Hor. A. P. 99. Wagn. ad Aen. VI, 901. Naeke in Mus. Rhen. III. p. 410. alii. — **257**. Plurimi et optimi Codd. exhibent *aren. ac Libyae*, quam Wagn. prius veram censuit lectionem, ut scilicet interpolator non curans Vergilianam elegantiam *ac* tertio loco posuerit pro: *ac litus aren. Libyae*; in recentiss. tamen edit. Iahnium, Thielium et Süpflium secutus cum Ribbeckio et Ladew. edidit *ad*, quod nos quoque recepimus, quamquam etiam haec Praepositionis collocatio optimorum scriptorum usui repugnat. Wopkens. autem lectt. Tull. I, 5. (cui adsentitur Voss. in *Anm. u. Randgl.* p. 209.) asyndeton eo tollere studuit, quod verba sic distinxit: *Haud aliter, terras inter caelumque, volabat Litus arenosum*, ut *litus volare* dictum sit pro *ad litus volare*, quemadmodum I, 2. *venit litora*, pariterque etiam Bryce et Conington cum Copulam tum Praepositionem omittunt, ut poëta Anth. Lat. I, 45, 1., qui scripsit *Litus harenosum Libyae - - Alcides aderat*. — *ventos secabat*. Vid. Geo. I, 406. Aen. XII, 267. et Barth. ad Stat. Theb. VI, 388. Praeterea cf. V, 218. 595. VI, 899. XII, 368. Ovid. Am. II, 16, 15. Silius II, 170. aliique loci, ubi *secare aequora*, *secare viam* et similia leguntur. — **258**. *materno ab avo*. Nam Maia, quae Mercurium ex Iove peperit, una erat Pleiadum, s. Atlantis et Pleiones filiarum. Vid. ad Geo. I, 221. — *Cyllenia proles* legitur etiam in Anth. Lat. I, 172, 157. — **259**. *Ut primum*. Vid. supra ad v. 118. — *magalia* hic significat partem urbis iam prius exstructam. Cf. supra I, 421. *Miratur molem Aeneas, magalia quondam*, ubi vidimus, hoc nomine etiam postea suburbium Carthaginis appellatum esse, et adnott. ad Geo. III, 340. — **260**. *arces*, moenia, munimenta urbis. Vid. I, 424. — *tecta novantem*, novas aedes privatas sibi condentem. Aeneas igitur novae urbis condendae partem capiens fingitur. — **261**. *Conspicit. Atque*. Sic Wagn., quem secuti sumus; vulgo *conspicit: atque*, quam distinctionem servarunt Bryce et Conington. Hanc ipsam autem Copulam, in qua temere haesit Heyn., ut adeo Vergilium in verbo *conspicit* desiisse, cetera autem a Vario et Tucca addita putaret, Wagn. Qu. Verg. XXXV, 22. bene explicat, in auxilium vocato huius Particulae usu in rebus necopinatis, repente oculis subiectis et miris (coll. Ecl. VII, 7. Aen. IV, 631. VI, 160. 494. VII, 29. X, 219.), cum poëta indicare velit Mercurii admirationem Tyrio Aeneae cultu provocatam, et consulto Maronem hanc vestitus descriptionem intexuisse, quae mutatum Aeneae prorsus ad Tyrium morem compositi animum ostenderet. Ceterum cf. etiam Becheri Progr. schol. de loco Verg. Aen. IV, 259—265. ab Heynio perperam tentato. Chemn. 1828. — *stellatus* (in capulo et vagina) *iaspide ensis*, i. e. distinctus et fulgens. Serv. ad h. l. profert C. Memmii fragm. *Syriaci calceoli gemmarum stellati coloribus*. Sic Ovid. Met. V, 461. stellionem *variis stellatum corpora guttis* et Plin. X, 67, 86. *Salamandra stellatum* vocat; similique ratione Ovid. Met. I, 664. et Stat. Theb. VI, 277. *stellatus Argus* commemoratur. Gemmae ipsae *stellatae* dicuntur Plinio XXXVII, 10, 66. et *stellantes* Ovidio Met. I, 723. — *ĭāspide* (non *jaspide*) legendum esse, docere videntur loci Mart. V, 11, 1. *Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno* et IX, 60, 20. *et pretium magnis fecit iaspidibus*. Ceterum hic locus obversatus Iuvenali Sat. V, 4. videtur (*quas* [gemmas] *in vaginae fronte solebat Ponere zelotypo iuvenis praelatus Iarbae*) et Avieno descr. 461. (*hic et iaspis Fulva micat stellis*). — **262**. *Tyrioque*. Schol. Iuven. III, 283. *Varioque*, haud dubie memoriae lapsu. — *laena* (χλαῖνα), pallium subsutum, quo populi

Demissa ex humeris, dives quae munera Dido
Fecerat et tenui telas discreverat auro.
Continuo invadit: „Tu nunc Karthaginis altae
Fundamenta locas pulchramque uxorius urbem
Exstruis? heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipse deum tibi me claro demittit Olympo
Regnator, caelum et terras qui numine torquet;
Ipse haec ferre iubet celeris mandata per auras:
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?

---

orientales vulgo utebantur, Romani rarius vel ad frigoris et tempestatum vim arcendam, ubi crassior erat et villosa (Mart. XIV, 136. Serv. ad h. l. Festus h. v. p. 87. Lindem.), vel etiam luxus causa. (Cf. Pers. I, 30. Iuv. V, 131. Mart. VIII, 59, 10. Sil. XV, 421. cett.) — *ardebat murice*, splendebat (*glühte in Purpurglanz*). Sic Val. Fl. I, 427. *Taenario ignea fuco purpura.* Cf. etiam Geo. IV, 91. 99. Aen. II, 734. XI, 602. cett. De *murice* ad Ecl. IV, 44. dictum. — **263.** *demissa*, dependens. Cf. infra VI, 298. Hor. Sat. I, 6, 28. *latum demisit pectore clavum.* Ovid. Met. X, 112. *demissa in armos monilia* etc. — *dives quae munera D. f.*, i. e. quod munus; nam de sola laena agitur. Cf. infra V, 359. Ovid. Trist. II, 295. *in magni templum, tua munera, Martis*, Sil. Ital. VI, 648. *ingentem pascens Mevania taurum, dona Iovi*, et multa similia. Epitheton *dives*, quod Wunderlichio tamquam ieiunum displicet, Wagn. vere docet ad splendida Didonis munera spectare. — **264.** „*telas*, int. stamina. Erat igitur vestis haec χλαῖνα, ipsius Didonis manibus texta, purpurea, aureo subtemine, filo. Cf. infra XI, 72 sqq. [ubi hic versus iteratur] et III, 483." *Heyn.* Vide etiam simillimum locum Val. Flacci supra laud., ubi *gemina tela*, quae additur v. 428., quid sibi velit, explicat Stat. Theb. XI, 401. *Et pollice docto Stamina purpureae sociaverat aurea telae.* Ceterum quod attinet ad constructionem paulo laxiorem *quae munera et telas* etc. cf. Geo. II, 208. *Aut unde devexit - - Et nemora evertit* et similes locos. — **265.** *invadit* non simpliciter est i. q. aggreditur dictis, adloquitur, ut Heynio videtur, sed (verbis duris, atrocibus) invehit in eum; quo vocabulo, id quod bene perspexit Serv., Verg. utitur, ut „habitus futurae orationis ostendatur". Sic supra v. 92. verbum *aggredi* absolute positum vidimus. Cf. Tac. Ann. VI, 4. *Agrippa consules anni prioris invasit, cur mutua accusatione intenta nunc silerent;* eiusd. Hist. I, 3. *Repugnantem huic sententiae Vinium Laco minaciter invasit* etc. Adsentitur mihi Wilms. Progr. l. p. 11. — *Tu.* Vid. adnott. ad Geo. II, 241. — **266.** *uxorius*, nimium uxori (feminae, quae uxor tua vult haberi: cf. adnott. ad Ecl. VIII, 18.) deditus, ab uxoris arbitrio pendens. Cf. Quinct. Decl. 388. *maritus nimium uxorius*, et Sen. Controv. I, 6. *refugio uxorem, quia uxorius sum.* Ita etiam Horatium Od. I, 2, 20. Tiberim ob nimium Iliae amorem *uxorium amnem* appellare, satis constat. — **267.** Pro *oblite* Pal. a m. pr. exhibet *ignare*, quod ex III, 382. huc translatum videtur. — **268** sq. ex Iliad. XI, 201. petiti. Cf. Stat. Theb. II, 115. *Ipse deum genitor tibi me miseratus ab alto Mittit*, qua loci nostri imitatione comprobatur, quod iam per se apparet, *deum* esse Genitivum ab *Regnator* pendentem, non Accusativum cum *me* coniungendum. — **269.** Ribbeck. pro *et* ex Pal., Gud. et Bern. I. recepit *ac.* Iidem Codd. praeter Bern. etiam pro *terras* exhibent *terram.* — *torquet* Heyn. explicat movet, moderatur, ut XII, 180.; rectius vero Wund. omnia proprie dicta putat, ut motus, quibus natura caelum et terram agitet, Iovi tribuantur, coll. IX, 93. *torquet qui sidera mundi* et Cic. Acad. pr. II, 39, 123., qui dicat, *terram circum axem se summa celeritate convertere et torquere.* Wagn. tamen (cui Conington adsentitur) ad IX, 93. etiam zeugma statui posse censet, ut, cum caelum proprie torqueri dicatur, ad terram communis *regendi* notio inde repetatur. — **270** sqq. Cf. supra v. 232 sqq. — **271.** *teris otia* (ut alibi *terere tempus*) pro: tempus otio consumis. Cf. Liv.

Si te nulla movet tantarum gloria rerum
[Nec super ipse tua moliris laude laborem,]
Ascanium surgentem et spes heredis Iuli
Respice, cui regnum Italiae Romanaque tellus
Debentur." Tali Cyllenius ore locutus
Mortalis visus medio sermone reliquit
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Aeneas aspectu obmutuit amens,
Arrectaeque horrore comae et vox faucibus haesit.
Ardet abire fuga dulcisque relinquere terras
Attonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem

I, 57, 5. Markl. ad Stat. Silv. III, 5, 60. et Drakenb. ad Liv. III, 7, 3. Quod attinet ad verba *teris - terris*, cf. adnott. ad II, 494. — V. 272. iteratur in Anth. Lat. I, 178, 238. Cf. etiam simillimus locus VI, 405. — V. 273. prorsus abest a Med., Pal. aliisque libris, et in aliis ab alia manu insertus vel margini adscriptus est, quare eum, ut invito auctore e v. 233. repetitum, cum recentissimis editoribus praeter Wagn. (qui eum defendit in Phil. Suppl. I. p. 383.) uncis inclusimus. Ribbeck. (qui etiam cf. in Proleg. p. 153.) eum prorsus e contextu remotum in marg. inferiorem reiecit, Iahn. vero ab Aproniano rescissum censet. — 274. *Ascanium - - Iuli.* Cf. Aen. I, 267. — *surgêntem*, crescentem, adolescentem. Sic iterum VI, 364. *per spem surgentis Iuli.* Cf. etiam Ecl. V, 39. Geo. I, 161. II, 182. IV, 12. Aen. I, 366. 437. cett. — Verba *spes heredis Iuli* (i. e. in Iulo ponenda: vid. I, 556.), *cui - - debentur* Wagn. Qu. Verg. XL. p. 591. docet adversari iis, quae supra v. 236. poëta scripserit, *Ausoniam prolem* commemorans [cf. etiam VI, 764.]; ut, nisi Vergilium etiam hic dormitasse statuamus, per *Ausoniam prolem* supra ipsa Lavinia intelligenda esse videatur; quod equidem minus probabile dixerim. Potius Vergilius hic se ipse correxisse videtur, probe sentiens, Aeneae hoc potissimum tempore, quo Didonis amore irretitus teneatur, magis curae cordique esse debere Ascanium, quam sperandam demum ex novo matrimonio in Italia ineundo progeniem. Peerlk. praeter omnem necessitatem coni. *At natum surgentem - - Respice, quis regnum* etc. — 276. *tali ore*, tali oratione. Vid. supra II, 423. — 277. „Formam hominis assumpserat Mercurius, ut posset conspici. Discedens numen suum indicat. Cf. I, 404. Non exspectat, dum Aeneas aliquid proferat; neque enim id ei fuit mandatum, neque Aeneas quidquam habere potuit, quod contra Iovis voluntatem proferret." *Goss.* — *medio sermone*, antequam plura subiiceret vel responsionem exspectaret, discessit. Cf. infra IX, 656 sq., ubi iidem fere versus repetuntur. Cf. etiam infra v. 388. et 663. Ceterum auctor Alcestae in Anth. Lat. I, 172, 67. hunc locum sic imitatur: *sic fatus Apollo Mortales visus medio sermone reliquit.* — 278. *in tenuem evanuit auram.* Cf. Silius VIII, 185. *Sic fata in tenuem Phoenissa evanuit auram* et Sedul. carm. Pasch. IV, 89. *in vacuas fugiens evanuit auras.* — 279 sq. Vehementer agitatur Aeneas horrore illo, qui θεοφανείας solet comitari. Heyn. comparat Hom. Il. XXIV, 358 sqq. Adde ibid. XX, 131. — *At vero.* Vide X, 762. 821. XII, 216. et Hand. Tursell. I. p. 450. — *amens*, subito horrore mente captus. — V. 280. iteratur XII, 868. et in Anth. Lat. I, 178, 316. Cf. etiam II, 774. III, 48. et Hom. Il. XXIV, 359. — 281. *ardet abire fuga.* Cf. adnott. ad Aen. I, 514. — 282. *attonitus* cett. Cf. III, 172. (V, 529. VII, 580. cett.) — *deorum*, Iovis, ut VI, 322. (ubi vid. adnott.) Veneris. Cf. etiam adnott. ad Ecl. (III, 7.) IV, 49. Aen. I, 4. al. — 283. „*Heu quid agat?* explica: incertus est, quid agat. Cf. Obss. ad Tibull. I, 9, 39. et vide quae Herm. ad Viger. p. 724. de Graeco τί λέγω explanavit." *Wund.* Vid. infra ad v. 534. Alibi *quid agam, quid faciam* (vel etiam *quid agerem, facerem*) est formula se excusantis et purgantis. Cf. adnott. ad Ecl. I, 40. — *ambire*, adire cum gratia, et quasi per ambages. Cf. Hor. Od. I, 35, 5.

Audeat adfatu? quae prima exordia sumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partisque rapit varias perque omnia versat.
Haec alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum,

Te pauper ambit prece. Val. Fl. VII, 256. *Dumque illam variis maerentem vocibus ambit.* Ceterum repetitur hic versus infra VIII, 20. et in Anth. Lat. III, 81, 66. — „V. 285 sq. putant expressum Homericum *διάνδιχα μερμήριξεν*, et v. 287. *῟Ωιδε δέ οἱ φρονέοντι δοάσσατο κέρδιον εἶναι*, ut Il. XIV, 23. XVI, 652. et saepe alibi. Cf. Od. XI, 230." *Heyn*. Brunckius (cui Peerlkampium adsentiri, nemo mirabitur) vv. 285. et 286., qui repetuntur VIII, 20. 21., et quorum posterior hic desideratur in fragm. Vat., Gud. et Pal. (in illis tamen a manu rec. margini adscriptus legitur), ut spurios prorsus omisit, Heyn. vero asteriscos adposuit, atque etiam Haupt. eos tamquam adventicios uncis inclusit, dum Ladew. et Ribbeck. solum v. 286. spurium habent, quod fortasse probandum censet Conington. Sed iure iam Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 66. et 89. utrumque versum defendit, ita tamen ut Heinsii coniecturam, iam Heynio probatam, *Utque* recipiendam esse censeat, Puncto in fine v. 286. in Colon mutato. Sed recte Wund. et Wagn. (qui hos versus etiam in Philol. Suppl. I. p. 399. Vergilio vindicare studet) vulgatum *Atque*, quod praeter omnium Codd. etiam Schol. Hor. Crucq. ad Od. II, 16. auctoritate nititur, tuentur; et Wund. quidem bene observat, per Particulam *Atque* ita continuari orationem, ac si antecesserit *incertus est, quid agat*, i. e. quomodo consilium abeundi reginae quam mollissime aperiat; Wagn. autem non minus vere contendit, *utque* tum tantum locum habere, ubi apodosis rem statim subsecutam contineat, non hic, ubi Aeneas multa secum volvens et rem varie versans paulatim ad certum consilium capiendum deveniat. Ceterum Iahn. ad Geo. II, 129. verissime docet, hos versus aegre desiderari, cum inter summam consilii inopiam (v. 283. et 284.) certamque et fixam animo sententiam (v. 287.) aliquid interpositum esse debuerit, unde, quid tantam rei conversionem effecisset, cognosceretur. Aeneas autem non quidem dubitat, quid omnino agat, sed qua ratione captum iam consilium optime possit peragere, cum variae rei efficiendae rationes cogitari possint. — *quae prima exordia sumat*. Conington confert Eurip. Iph. A. 1124. *τίν' ἂν λάβοιμι τῶν ἐμῶν ἀρχὴν κακῶν;* et quod attinet ad verbum *sumere* pro eligere positum, Hor. Od. I, 12, 2. et A. P. 38. — *dividit animum*, scil. *divorse tractum*, ut Terentius loquitur Andr. I, 5, 25. Cf. infra V, 701 s.; diversa autem sunt etiam divisa. Cf. Homeri *διάνδιχα μερμήριξεν*. — *animum celerem*. Thiel. confert Cic. Or. 59, 200. *mens, qua nihil est celerius*, Tusc. I, 19, 43. *quod nihil est animo velocius, nulla est celeritas, quae possit cum animi celeritate contendere* (ibique Davis.). Cat. mai. 21, 78. Lucr. III, 183. Hom. Od. VIII, 36. Xen. Mem. IV, 3, 13. — Haeckerm. in *Zeitschr*. etc. XIX. p. 118. epitheton adverbialiter cum *dividit* coniungendum sequenti *rapit* respondere docet. Ceterum repetitur hic versus infra VIII, 20. et in Anth. Lat. III, 81, 66. — 286. *perque omnia versat*, omnes rei expediendae rationes perpendens. Cf. Aen. XI, 550. *omnia secum Versanti subito vix haec sententia sedit*, infra v. 630. *partes animum versabat in omnes* et V, 701. *Nunc huc - - nunc illuc pectore curas Mutabat versans*. — 287. Cf. Hom. Il. XIV, 23. „*alternanti*, modo hoc, modo illud agitanti [dubitanti, utrum iter iam decretum Didoni aperte enuntiet, an per ambages quasdam eam aggrediatur: *Wagn*.], neutrorum more dictum, ita ut *haec* ad *sententia* referendum sit." *Wund*. Alibi *alternandi* verbum sic usurpatum vix invenies; quamquam neutrali sensu aliquoties ap. Plinium (XVI, 6, 8. XXXI, 3, 23. XXXVII, 10, 60. al.) usurpatum legitur. — *potior sententia visa est*. — Animadvertas ad poëticam orationem: *Haec sententia potior visa est: vocat* etc., ut consilii post dubitationem capti mentione non facta statim id ipsum, quod aliquis faciat, narretur. Cf. quae supra ad I, 50. adnotavimus. — 288. *Mnestheus*, a quo Vergilius propter nominis aliquam similitudinem gen-

Classem aptent taciti sociosque ad litora cogant,
Arma parent et, quae rebus sit causa novandis,
Dissimulent: sese interea, quando optuma Dido
Nesciat et tantos rumpi non speret amores,
Temptaturum aditus et, quae mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes
Imperio laeti parent ac iussa facessunt.
At regina dolos — quis fallere possit amantem? —

---

tem Memmiam deducit, Assaraci nepos perhibetur (cf. V, 117. 210. 493. XII, 127.); apud Homerum vero non commemoratur. — *Sergesti*, a quo gentis Sergianae originem poëta repetit, etiam I, 510. V, 121. 221. et XII, 561. mentionem fieri videmus. — *fortemque Serestum.* Sic optimi Codd. (Med., fragm. Vat., Gud., al.), quos cum Wagn. secutus sum. Cf. infra XII, 561., ubi hic versus repetitur, et adnott. ad I, 611. Vulgo *fortemque Cloanthum* ex I, 222., vel potius I, 510. — **289.** *Classem aptent*, scil. remis, velis et reliquis armamentis. Vid. ad III, 472. Ceterum haec omnia pendent a verbo *hortandi*, *monendi*, quod latet in voc. *vocat*. De quo usu satis noto cf. quos laudat Kritz. ad Sall. Cat. 21, 3., quibus adde Wopkens. Lectt. Tull. p. 244. (p. 331. Hand.) Matth. ad Cic. Mil. 18, 47. Herzog. ad Caes. B. G. I, 41. Daehn. ad Nep. Milt. 1, 3. alios. Similes sunt loci VII, 150. 256. 578 etc. Cf. etiam adnott. ad II, 190. — *sociosque* est Medic. aliorumque Codd. lectio, quam Wagn. revocavit, cum haec sit sententia: sociis ad litus coactis classem aptent; in quo recentiores omnes iure eum secuti sunt. Vulgo Copula omittitur, ut in Pal., Gud., Bern. III. et plerisque Pierii et Heinsii Codd. Ceterum cf. Hom. Od. XIV, 322. — **290.** *Arma parent*, ut VII, 468. — *quae rebus sit.* Hunc verborum ordinem, quo numeri versus aperte iuvantur, meliorum Codd. (Med., fragm. Vat., Pal., Gud.) et Servii auctoritate commoti cum Wagn. (quem etiam editores me posteriores sequuntur) restituimus pro vulg. *quae sit rebus* (orto fortasse ex Geo. II, 178. et Aen. II, 350.). — *res novare*, aliquid novi moliri. — **291.** „*quando* non temporis, sed rationis, *siquidem.*“ *Serv.* Vel potius i. q. *quandoquidem* vel *quoniam.* Vid. infra v. 315. et X, 366. Thiel. conferri iubet Ruhnk. ad Ter. Andr. IV, 5, 23. et Meieri *Uebers. aller latein. Part.* p. 413. Adde Grysar. *Theor. d. lat. St.* p. 572 sq. et Ramsh. §. 191, 2. — *optuma* cum Wagn., Ladew. et Coningt. scripsimus. Cf. adnott. ad Ecl. II, 54., ubi adde Corssen. de pron. I. p. 331 sqq. ed. 2. — **293.** *Temptaturum aditus*, i. e. alloquendi et placandi opportunitates, ut infra v. 423. *molles aditus*, quod epitheton etiam hic ex seqq. *mollissima tempora* videtur adsciscendum; quamquam hoc non necessarium esse censet Conington. (Cf. Cic. Manil. 14, 41. pr. Rosc. Am. 38, 110. de Off. II, 9, 31. ad Fam. VI, 13. ad Att. VI, 2. cett.) — „*mollissima fandi tempora* cett., quo tempore de discessu consilium et exponi possit mollissime, cum minimo eius dolore, et quomodo id dexterrime, opportunissime fiat.“ *Heyn.* Praeter v. 423. modo laud. vid. Ovid. ex P. III, 3, 84. *veniet mollior hora votis tuis.* Similiter ap. Liv. XXXIV, 17, 9. *Volo id quam mollissima via consequi* et alia eiusmodi. Cum omni sententia cf. Ovid. Met. IX, 611 sqq. Ladew. et Wagn. comparant Hor. Sat. I, 9, 56 sqq. *difficiles aditus primos habet - - tempora quaeram.* — **294.** *quis rebus dexter modus*, quis modus ex variis modis rei gerendae sit dexterrimus. Cf. adnott. ad Ecl. I, 18. Lectio *qui*, a prioribus quibusdam editoribus recepta et Iahnio quoque in prima certe edit. defensa, qua auctoritate nitatur, prorsus ignoramus. — *dexter*, ut ap. Hor. Sat. II, 1, 18. *dextrum tempus* (et ex Ladewigii certe sententia supra III, 670. *dextra potestas*). — *ocius*, scil. dicto, ut plenius I, 142. Cf. Ruddim. II. p. 104. — **295.** *ac.* Conington ex Med. a m. pr., fragm. Vat., Pal., Gud. et Bern. I. III. recepit lectionem *et*, recte fortasse, quamquam vulgarem scripturam etiam Nonius p. 306, 26. tuetur. — *iussa facessunt.* Pauci quidam Codd. *capessunt.* Vid. Geo. IV, 548. Wagn. confert Ennii p. 18. Hessel. [Ann. I. fr. 42. p. 11. hl.] verba *dicta facessunt.* — **296.** Imitatur hunc locum Val. Fl. VIII,

Praesensit motusque excepit prima futuros
Omnia tuta timens. Eadem impia Fama furenti
Detulit, armari classem cursumque parari.
Saevit inops animi totamque incensa per urbem
Bacchatur, qualis commotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho

---

408 sqq. — *quis fallere possit amantem?* Cf. Maximian. Eleg. V, 65. *non falles, inquit,-amantem* et Ovid. Met. IV, 68., ubi *Quid non sentit amor?* eadem ratione parenthetice interponitur, praeterea autem Val. Fl. VIII, 409. *amor - - fallique sinit nec virginis annos* etc. — **297**. *excepit* auribus, sensibus, s. animadvertit. — *motus futuros*, quid moturus, acturus esset Aeneas, scil. eum mox abiturum. Cf. Liv. I, 17. *cum sensissent eo moveri* (agi) *patres* (a Wagn. laud.). — **298**. *omnia tuta* i. q. omnia, quamquam tuta, vel: omnia, etiam tuta, ut apud Paullin. Carm. 18. *tuta etiam times*, et Ovid. Met. VII, 47. *Quid tuta times?* quemadmodum etiam Wagn. in min. edit. explicat: „timens etiam, quae minime timenda erant". Henrici (*Tw. years* IV. p. 46. et Philol. XII. p. 258.) interpretatio: hoc ipsum, quod omnia tuta sunt, timet; timet, ut haec nimia fortuna stare possit, quam prius probavi, nunc mihi, ut Coningtoni, paulo artificiosior videtur. Comparat Vir doct. Senec. Troad. 262 sqq. et notissimam de Polycrate narrationem, premitque verba *dolos praesensit* v. 296. et *sperare dolorem* v. 419., quae satis indicent, reginam iam nunc exspectare fortunae conversionem. Thielius comparat Hor. Sat. I, 3, 13. *omnia magna loquens* et Cic. Legg. I, 9, 19. *omnia infima summis paria fecit.* Ceterum iterantur verba *Omnia tuta timet* in Anth. Lat. I, 170, 127. et imitatur Vergilium Iscanus B. Troi. V, 442. *Omnia certa timet.* Nihilominus Peerlk. satis audacter coni. - - *prima futuri Omina, cuncta timens.* — *Eadem Fama*, quae etiam Iarbae nuntiaverat Aeneae adventum et Didonis dedecus (cf. v. 173 sqq.). Noli enim *eadem* pro Accus. Plur. habere. Consentiunt mecum Conington et Benoist. Peerlk. tamen praeter necessitatem coni. *Et iam improba* etc., ut *et iam* sit i. q. continuo. — *impia*, quatenus spargendis rumoribus, etiam falsis (v. 190.), numquam satiatur, numquam quiescit et fatigatur. Cf. Val. Fl. V, 82. et Silius IV, 5., qui idem Famae tribuunt epitheton. — *furenti* aut eadem ratione intelligendum, qua supra v. 62. 69. 283. (ut etiam Haeckerm. l. l. explicat, per *liebeskrank* reddens), aut per prolepsin adiectum, ut ipse Famae nuntius eam furere faciat (quae est Wagneri sententia a Coningtone probata). Vid. adnott. ad Geo. I, 320. et al. — **299**. *armari classem*, armamentis instrui. Vid. Geo. I, 255. — **300**. *inops animi*, quod ap. Plaut. Cas. III, 5, 7. *sui impos animi.* Sic *mentis inops* ap. Ovid. Fast. IV, 457., *consilii inops* ap. Liv. XXVI, 18, 6., *rationis inops* ap. Stat. Theb. I, 373. — **301**. *Bacchatur*, furens discursitat bacchantium more. Cf. infra VI, 77. X, 41. Cic. Brut. 80, 276. cett. et Mitscherl. ad Hor. Od. I, 25, 11. Imitatur hunc locum auctor Ciris 166. *Infelix virgo tota bacchatur in urbe.* Praeterea cf. simillimus locus Aen. VII, 376 sq. *furit lymphata per urbem.* — *qualis - - Thyias* cett. Comparatio satis frequens. Cf. Ovid. Fast. IV, 457., ubi Ceres, filia rapta, *Mentis inops rapitur, quales audire solemus Threïcias passis Maenadas ire comis;* id. Met. IV, 521. IX, 641. et Val. Fl. VIII, 462 sqq. ibique Weichert. Cf. etiam Aen. VI, 517. et VII, 385. — „Haec sunt vetustiora illa Bacchi sacra τριετηρικά, tertio quoque anno Thebis celebrata, a Thracibus in Graeciam illata, diversa ab Atheniensium Dionysiis, et inter sacra veterum hominum enthusiastica primo loco numeranda. Extra urbem in Cithaerone monte nocturnis discursibus arcana haec religio a mulieribus frequentabatur." *Heyn.* Cf. Hygini f. 131. — *commotis sacris* ad initium caerimoniarum referendum est, cum instrumenta sacra, vasa, cistae, paterae, thyrsi, imprimisque ipsius dei simulacrum a bacchantibus arripiuntur et proferuntur. Vid. Hor. Od. I, 18 sqq. Heyn. confert Val. Fl. III, 232. *motis ululantia Dindyma sacris*, et ibid. III, 539. *thiasa et sacra moventem.* — *excita*, audito sacrorum strepitu, ut ap. Hor. Od. III, 15, 10. *pulso Thyias uti concita tympano.* — **302**. *Thyias* (Θυάς s. Θυϊάς) i. q. Maenas, a verbo θύειν dicta, quod etiam

Orgia nocturnusque vocat clamore Cithaeron.
Tandem his Aenean compellat vocibus ultro:
„Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor nec te data dextera quondam
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris sidere classem

---

furere, furibundum circumcursitare significat, ut ap. Hom. Il. XI, 180. al. *ἔγχεϊ θύειν*. Legitur etiam Hor. Od. II, 19, 9. Catull. LXIII, 392. Ovid. Fast. VI, 514. alibi. De nominis scribendi ratione per *yi* (quae hic invenitur in fragm. Vat., Pal., Gud., Bern. II. III., aliis, dum Med. *Thyas* exhibet: vid. Ribbeck. Proleg. p. 270.) cf. Bentl. ad Hor. l. l. Weichert. ad Val. Fl. VIII, 463. et Müller. Spicil. Animadvv. in Catull. p. 42. — *trieterica orgia:* vid. supra. Sic Ovid. Met. VI, 587. et Stat. Achill. I, 594. *trieterica sacra* et Ovid. Rem. 593. simpliciter *trieterica*. Quae quia noctu celebrabantur, eiusmodi nox ipsa Statio Theb. II, 661. *trieterica* vocatur. Respicit hunc locum imitator Vergilii in Anth. Lat. I, 178, 298. *Triviis ululata per urbem, Qualis trieterica Baccho* etc. — *stimulant,* ut ad sacra in Cithaerone monte celebranda festinetur. Heyn. conferri iubet Tryphiod. v. 357 sqq. — *audito Baccho,* cum clamatur: Io Bacche! Thiel. minus probabiliter haec verba de ipsa Bacchi voce audita capit, coll. Mitscherl. ad Hor. Od. II, 19, 2. et 6. — **303**. *nocturnus vocat Cithaeron*, h. e. noctu. Cf. Geo. III, 538. infra v. 490. et 609. Hor. Sat. I, 3, 117. *qui nocturnus sacra divum legerit*. Cic. pr. Mil. 3. extr. Verr. IV, 43. extr. Petron. 15. etc. Sic etiam alia Adiectiva temporis apud Graecos (*νύχιος, παννύχιος, πανημέριος, ἠέριος, χθιζός* cett.) et Romanos usurpari constat; velut *matutinus* Aen. VIII, 465., *vespertinus* Hor. Sat. II, 4, 17. Epod. XVI, 51. (ubi vid. Orell.) Ep. I, 6, 20. (ubi vid. Schmid.), *quotidianus* Plaut. Capt. III, 5, 67., *hodiernus* Tibull. I, 7, 53. (ubi vid. Bach.) cett. Cf. praeterea Matth. Gramm. Gr. §. 446, 8. Kühner. Gr. Gr. §. 685. b. Ruddim. II. p. 373. Cort. ad Lucan. IV, 732. idemque ad Sall. Cat. 60, 3. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 1, 80. Heind. ad Hor. Sat. I, 6, 128. Schmid. ad eiusd. Ep. I, 6, 20. Bach. ad Ovid. Met. XI, 197. Iacobi Quaest. epic. p. 120 sq. alii, quaeque ad Aen. III, 632. V, 162. ét VIII, 298. adnotavimus. — *vocat Cithaeron.* Cf. Geo. III, 43., ubi tamen haec verba alio sensu ponuntur. De *Cithaerone*, ubi Bacchi cultus maxime vigebat, vid. ad Geo. l. l., de verbo *vocandi* ad Aen. III, 70. Ceterum cf. Ovid. Met. III, 702. *ubi electus facienda ad sacra Cithaeron Cantibus et clara Bacchantum voce sonabat.* — **304**. Verba *compellat vocibus ultro* repetuntur VI, 499. De voc. *ultro* cf. adnott. ad II, 145. — **305** sqq. Heyn. cum h. l. comparat querelas Medeae apud Apollon. IV, 356 sqq., quem poëta fortasse ante oculos habuerit, et Ariadnes ap. Catull. LXIV, 132 sqq. Cf. etiam Ciris 404 sqq. Ovid. Her. VII. X. et Met. VIII, 108 sqq. — *etiam* magis ad *dissimulare*, quam ad *sperasti* pertinere censet Hand. Tursell. II. p. 568. et sane sententia haec videtur esse: Quod iam per se magnum est nefas, id etiam maius fit dissimulando. — **306**. *sperasti tacitus decedere*, pro: te tacitum decedere, constructione apud poëtas Latinos haud rara. Vid. adnott. ad II, 377. De Infinitivo autem Praesentis iuxta verbum *sperandi* posito vid. ad II, 657. et V, 18. Ceterum Codd. quidam *discedere*, minus apte. Cf. adnott. ad Geo. II, 8. — **307**. Imitator Vergilii supra laud. v. 399. hunc locum sic variat: *Nec te noster amor, pietas nec mitigat ulla.* — **308**. *tenet* i. q. retinet. — *moritura,* si abieris; cui tum mors certa instat. Sensus igitur: Non mors mea discessum tuum certissime secutura hunc ipsum potest impedire? — *crudeli funere*, misero modo. Vid. Ecl. V, 20. Geo. III, 263. Catull. C, 8. Cort. ad Lucan. I, 105. et Bach. *Geist. d. R. Eleg.* p. 4. Sic *acerbum funus* Aen. VI, 429. et *crudelis mors* Aen. X, 386. Iteratur hic versus cum primis sequentis verbis in eodem illo Anth. Lat. carmine v. 20 sq. — **309**. Conington conferri iubet Ovid. Her. VII, 40 sqq. et 169 sqq. — *hiberno sidere*, h. e. hieme, ubi omnia maris pericula impendent; *sidus* enim

Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,
Crudelis? Quid, si non arva aliena domosque
Ignotas peteres et Troia antiqua maneret,
Troia per undosum peteretur classibus aequor?
Mene fugis? Per ego has lacrimas dextramque tuam te —
Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui —
Per conubia nostra, per inceptos hymenaeos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam

---

significat certum anni tempus, quod adiecto epitheto accuratius indicatur. Sic Ovid. ex P. II, 4, 25. *brumali sidere.* Vid. Tac. Ann. I, 70. *sidere aequinoctii* et infra XI, 259. *triste Minervae sidus,* quod Wagn. explicat per tempestatem a Minerva iniquo anni tempore excitatam. Cf. etiam adnott. ad Geo. IV, 234. p. 492. extr. — *moliri classem,* ut etiam III, 6., sed non prorsus eodem sensu. Hic enim non sermo est de classe aedificanda, sed tantum de reparanda (v. 53.), aptanda (v. 289.) et armanda (v. 299.), vel, ut Haeckermanni (*Zeitschr.* l. l.) verbis utar *„von einem Fertig- oder Klarmachen zur Abfahrt“.* Dido autem animi perturbatione concitata ut de classe aedificanda loquitur. — **310**. *Aquilones* omnino pro ventis procellosis, ut ap. Hor. A. P. 64. et alibi. — V. **311** sqq. argumentatio a maiori, quam vocant, continetur: Ne Troiam quidem patriam, si liceret, hac tempestate peteres; multo minus igitur excusandus es, qui me deserens nunc peregrinas nescio quas terras requirere velis. — Henry (*Tw. years* IV. p. 47. et Philol. XII. p. 258.) docet, quanta vi vox *crudelis* hoc ipso loco, in fine sententiae et versus principio posita sit, comparans Apoll. Rh. IV, 389.: *Μάλα γὰρ μέγαν ἤλιτες ὅρκον Νηλεές.* — „*arva aliena,* blande, quasi haec iam tua sunt; *domosque ignotas,* ac si diceret, Carthago iam tibi nota est.“ *Servius.* — **312**. Ribbeck. ex uno Pal. (in quo *sed* alt. m. corr. in *set*) pro *et* recepit *set.* — **313**. *Troiae* nomen cum vi iteratur, ut I, 554. *Italiae.* Vid. adnott. ad Aen. VIII, 396. — *undosum aequor,* ventis agitatum. — **314**. *Mene fugis?* meisne modo manibus evadere studes, cum te mei pertaesum sit? Etiam Henry ll. ll. *mene,* non *fugis,* voce premendum esse docet. — *Per ego has lacrimas* cett. Vid. ad II, 142. — *per dextram,* quam hospes mihi porrexisti, i. e. per dextram meam tuamque, quas iunximus. Vid. III, 83. (ibique adnott.) VII, 234. Cort. ad Sall. Iug. 10, 3. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 7, 94. Vol. I. p. 397. Henry (*Tw. years* IV. p. 47.) confert Apoll. Rh. IV, 99. et Conington Eurip. Med. 21. Verba *Mene fugis? Per ego has lacrimas* repetuntur in Anth. Lat. carm. laud. v. 210. — **315**. *aliud nihil,* quam has ipsas lacrimas et preces, quibus te obtestari possim; cum mea ipsius culpa nihil aliud mihi supersit, quae me totam in tuam tradiderim potestatem. Recte autem Wund. docet, versum 315. non minus ad seqq. *per conubia,* quam ad praecedentia esse referendum. Comparant interpretes Eurip. Iph. Aul. 903. sqq. Hec. 818 sq. et 316 sq. Iliad. XV, 39. — **316**. *per conubia nostra.* Cf. supra v. 172. et adnott. ad I, 73. Ceterum non idem bis dicere Vergilium, quod Serv. censeat, sed *conubia* h. l. furtivum amorem et quasi praelusionem hymenaeorum s. iusti coniugii mox ineundi, *incepti* igitur, nondum initi significare, vere memorat Wagn., premens verba sequentia *inceptos hymenaeos.* Ante oculos autem habuit poëta Catull. LXIV, 141. *mihi hoc non miserae sperare iubebas, Sed conubia laeta, sed optatos hymenaeos.* Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 172, 123. et inverso verborum ordine (*per inceptos hymenaeos, Per conubia nostra*) ibid. I, 178, 211 sq. Ceterum cf. supra ad v. 127. et Aen. I, 651. adnott. — **317**. *Si bene quid de te merui.* Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 172, 127. Sic etiam Stat. Theb. I, 60. *si bene quid merui.* — *quidquam Dulce meum* Heyn. recte interpretatur: a me profectum (*ὃ ἔπαθες ὑπ' ἐμοῦ*). Wagn. confert infra XII, 882. et Tecmessae verba ad Aiacem ap. Soph. 516 sq. *ἀνδρί τοι χρεὼν μνήμην προσεῖναι, τερπνὸν εἴ τί που πάθοι.* *Dulcia* autem sollemni fere epitheto poëtis dici Veneris gaudia, res satis nota. Cf. Geo. IV, 346.

Dulce meum, miserere domus labentis et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni
Odere, infensi Tyrii; te propter eundem
Exstinctus pudor et, qua sola sidera adibam,
Fama prior. Cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater

---

dulcia furta, Nemes. Cyneg. 25. *dulcia gaudia* etc. Burm. ad Ovid. Met. IX, 517. et ad h. l., simul observans *quidquam, quiddam, aliquid* et ipsum apud poëtas venereum quid indicare, coll. adnott. ad Ovid. Am. III, 2, 84. et Davis. ad Cic. Tusc. III, 18, 43. Peerlk. conferri iubet Interpp. ad Ter. Andr. II, 1, 25. — **318.** ***domus labentis*** de gente Didonis intelligendum, vel potius de Didone ipsa, quae hic novam gentem regiam conditura est. Conington confert infra XII, 59. *in te omnis domus inclinata recumbit* et Hom. Il. II, 701. δόμος ἡμιτελής. — **319.** ***si quis adhuc pr. locus,*** i. e. si quis superest. Cf. Tac. Hist. III, 9. *tres adhuc legiones erant,* id. Ann. V, 3. *erat adhuc perfugium* cett. et Hand. Turs. I. p. 161 sq. — ***istam exue mentem.*** Sic Geo. II, 51. *silvestrem animum,* Claud. XVII, 192. *animos ferarum,* Liv. XXVII, 8, 6. *mores antiquos,* Cic. pr. Lig. 5, 14. *humanitatem,* Tac. Ann. VI, 25. *vitia exuere* et plura similia. Thiel. conferri iubet Walther. ad Tac. Ann. II, 72. — **320.** Iam transit ad res molestas et adversas, quas Aeneas ipsi adduxerit, quibusque eo tantum, quod remaneat, mederi possit. Ex his versibus Ovidium Her. VII, 121 sqq. profecisse, iam Heyn. adnotat. — ***Nomadum tyranni,*** i. e. reges (vid. VII, 266.), ad Iarbam potissimum spectat. Vid. supra v. 36 sq. et 196 sqq. *Nomades* sunt Numidae, quorum nomen secundum Sall. Iug. 18. et Plin. V, 3, 2. ex Nomadum appellatione est ortum. (Vid. supra ad v. 206.) Quare etiam aliis poëtis Numidae vocantur *Nomades,* e. g. Prop. V, (IV,) 7, 37., et ipsa Numidia Martiali VIII, 55, 8. dicitur *Nomas.* — **321.** ***infensi Tyrii,*** qui frustra eam ambierant connubiis (cf. v. 36.), nisi malis cum Gossr. explicare: „quod parere coguntur externo homini.“ Respexit hunc locum Claud. VI. Cons. Hon. 315. *infensi comites, odere propinqui. Quid moror invisam lucem?* — **322.** ***Pudor et fama,*** res non dissociabiles, etiam alibi haud raro coniunguntur, v. c. Stat. Theb. III, 273. Val. Fl. VI, 470. Cic. de prov. cons. 6. etc. Verba *Exstinctus pudor* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 16. — ***Fama, qua sola sidera adibam,*** qua sola maxime florebam, etiamsi alias virtutes non habuissem. Cum verbis *sidera adibam* cf. Hor. Od. I, 1. extr. *feriam sidera vertice.* Ovid. Met. VII, 61. *vertice sidera tangam.* Prop. I, 8, 43. *Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis,* praeterea autem Ecl. V, 43. Aen. I, 379. et IX, 641. Iam Homerus Od. XV, 329. canit: τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει. Henry (*Tw. years* IV. p. 48. et Philol. XII. p. 259.) praeterea conferri iubet Iuven. XI, 63. Val. Max. I, 7, 2. Treb. Poll. Claud. 12. imprimisque Cic. Tusc. I, 30. — ***prior,*** antequam te cognovi, ante adventum tuum. Sic *prior fama* etiam ap. Stat. Silv. I, 1, 8. et Theb. IV, 32., quos locos Burm. profert. — **323.** ***Cui me deseris*** breviter pro: cui relinquens me deseris. Ceterum cf. similes loci Aen. II, 677. et Ovid. Her. III, 61. *Ibis, et o miseram cui me, violente, relinquis?* — ***moribundam,*** i. e. per te *morituram,* quod perperam hic exhibet Prisc. XIII, 5, 24. p. 697. P. Vid. ad Geo. III, 488. — ***hospes*** etc. Cf. Ovid. Her. VII, 167. *Si pudet uxoris, non nupta, sed* ***hospita*** *dicar.* — **324.** „***de coniuge:*** hoc solum nomen, sc. *hospes,* mihi restat de te, qui fueras antea coniux.“ *Heyn.* Simillimus autem est locus II, 678. — **325.** ***Quid moror?*** cum mori sit necesse, quid moror mihi ipsa manus inferre, exspectans donec Iarbas vel alius quis hostis me interficiat. Cf. Hor. Od. II, 17, 5. Ovid. Met. XIII, 517. et Claud. VI. Cons. Hon. 315. Ceterum haec verba ad illud: *cui me* ***moribundam*** *deseris* referenda esse, iam Wagn. adnotavit. Peerlk. minus recte interpretatur: quid moror

**Destruat, aut captam ducat Gaetulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam suboles, si quis mihi parvulus aula
Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret,
Non equidem omnino capta ac deserta viderer."
Dixerat. Ille Iovis monitis inmota tenebat
Lumina et obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: „Ego te, quae plurima fando**

---

in hac terra? Non possum in Africa manere, si tu abeas. Et sane iam Servius scripsit: „utrum quid in hac terra moror, an quid in vita moror?" sed iure etiam Conington hanc alteram explicationem praefert. — *an*, scil. morer, quod ex antecedentibus supplendum esse, quisque videt. — *mea Pygmalion - - destruat?* quod semper ab eo erat timendum. Vid. I, 346 sqq., imprimis 360 sqq. — **326.** *Gaetulus Iarbas*, i. e. omnino Afer. Non enim Gaetulorum (de quibus vid. supra v. 40.), sed Maxitanorum regem fuisse Iarbam, supra ad v. 196. vidimus. Spectavit hunc locum Ovid. Her. VII, 125. *Quid dubitas vinctam Gaetulo tradere Iarbae?* Cf. id. Fast. III, 551. — **327** sqq. Utinam vel filium *de te*, i. e. ex te, susceptum haberem, qui mihi vultus tuos repraesentare posset. Cf. similes locos Val. Fl. III, 316 sq. Claud. R. Pros. I, 110. Senec. Troad. 647 sqq. etc. Temere autem in hoc loco, non sane ex *nostro* sensu decori iudicando, tamquam turpi et indecente haeserunt interpretes, non cogitantes, veterum heroum sentiendi et agendi rationem a nostra mirum quantum discrepare. — *Suscipere* autem, quod plerumque de patre dicitur, qui liberos tollit educandos (cf. Ter. Andr. II, 3, 27. Phorm. V, 8, 50. 74. Cic. Verr. III, 69. in. Phil. III, 6. extr. ad Att. XI, 9. extr. cett.), noli confundere cum *concipere*. De femina dicitur v. c. Plaut. Epid. IV, 1, 34. *Filiam, quam ex te suscepi.* — **328.** Hunc locum ante oculos habuerunt Appul. Met. V. p. 345. *Sic in hoc saltem parvulo cognoscam faciem tuam*, et Paullin. Carm. 21. *Et nunc in aula parvulus ludit Dei;* eundemque obversatum esse Iuvenali V, 138. (*nullus tibi parvulus aula Luserit Aeneas, nec filia dulcior illo*), iam alii memorarunt. — *si quis - - parvulus Aeneas.* Vid. adnott. ad Aen. I, 181. Iam Cerda comparat *parvulum Torquatum* ap. Catull. LXI, 212. — **329.** *qui te tamen o. r.*, quem, si te ipsum possidere non licet, saltem tamquam exemplar aliquod tui intueri possim. De Part. *tamen* vid. ad Ecl. X, 31. et cum verbis *ore referre* cf. infra XII, 348. *Nomine avum referens*, Tac. Germ. 43. *Burii Suevos referunt*, Plin. Ep. VII, 19. *matrem eius reddit ac refert nobis* et similes locos. Ceterum vid. ad II, 27. Henry (*Tw. years* IV. p. 49. et Philol. XII. p. 259.) praefert Codd. quorundam deterioris notae (et 22 quidem inter 40, quos contulit) lectionem *tantum*, cum filius non esset *parvulus Aeneas*, nisi *ore referret patrem* (?), quare potius opus sit sententia: qui ore tantum, non animo duro, patri similis esset; quod nimis quaesitum videtur atque etiam a Coningtone oppugnatur. — **330.** „*capta ac deserta* graviter pro relicta a te, cum respectu ad Iarbam v. 326., cui ne relinqueretur captiva abducenda, verebatur." *Heyn.* Gossr. tamen, haerens in voc. *capta*, omnes quatuor versus 326—330., quos iam Iuvenalem hic legisse modo vidimus, sine iusta causa Vergilio abiudicat et hunc locum iam ante Iuvenalis tempora interpolatum censet, quam opinionem etiam Conington recte reiicit, simul Ovid. Her. VII, 135 sqq. conferri iubens. — **331.** *Iovis monitis*, ob, propter Iovis monita; non immemor eorum, quae Mercurius a Iove missus ipsum iusserat. Ceterum vid. ad III, 546. — *inmota*, ne miserationem Didonis vultu argueret, ut recte Heyn. explicat, comparans infra v. 369 sq. Burm. confert Ovid. Met. II, 50. VI, 305. XIV, 593. — **332.** *curam*, dolorem, *s. c. premebat.* Vid. I, 209. ibique adnott. — **333.** Verba *Tandem pauca refert* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 92. Cum non *pauca*, sed satis multa sint, quae Aeneas respondeat, ut Didoni persuadeat, invitum se discedere, et v. 337. sequantur verba *pro re pauca loquor*, Peerlk. coni. *dicta refert*, quod nemo facile

Enumerare vales, numquam, regina, negabo
Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissae,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge, fugam nec coniugis umquam
Praetendi taedas aut haec in foedera veni.

---

probabit. Quam late enim apud Vergilium pateant voces *pauca* et *breviter* Verbis dicendi adiunctae (praeter Aen. IV, 632. VI, 321. 398. 538. IX, 353. X, 251. 621. XII, 71.), imprimis I, 561. VIII, 154. X, 16. XII, 885. docent. Quare neque Wilmsio adsentiri possum, qui Progr. p. 15 sq. in his omnibus locis versus anxie numerat et, cum hic locus 29 versuum iam accedat ad X, 16., ubi orationi 47 versuum Vergilius praemittat verba: *at non - - pauca* (Venus) *refert*, potius *voce refert* scribendum esse suspicatur. Quantum enim inter 29 et 47 intersit, quantulum contra inter 29 et 20 (VIII, 154 sqq.), Wilmsium tam accurate numerantem fugere non debebat. — **335**. „*Promeritam*, de me, h. e. beneficia in me contulisse, ad *quae* referendum. Respicit autem Aeneas verba Didonis v. 317. Nam *mereri aliquid de aliquo* est bonum vel malum aliquod in aliquem conferre.“ *Wund.* Comparant autem cum h. l. Hom. Il. XXII, 387 sq. — *Elissa* (quam formam Heins. ex Med. et melioribus libris restituit) s. Elisa (cf. Drak. ad Silii I, 81.) proprium erat Didonis nomen (vid. infra v. 610. V, 3. Ovid. Am. II, 18, 31. A. A. III, 4. Fast. III, 553. 612. 623. Silius I, 98. Iustin. XVIII, 4, 3 sqq. cett.). Nam Dido, quod nomen Eustathio et Servio auctore viraginem, secundum Etym. M. autem et Phavor. v. *Διδώ* errabundam significat, Carthagine demum a Phoenicibus appellata esse dicitur. Cf. etiam Movers. de Phoen. I. p. 609 sq. — **336**. „Homericum *εἰσόκ' ἀϋτμὴ Ἐν στήθεσσι μένῃ*, ut Il. IX, 609. et alibi.“ *Heyn*. Vid. etiam Hom. Il. XXII, 387. Conington praeterea confert Apoll. Rh. III, 1079 sqq. — *spiritus*, vis vitalis. Wagn. conferri iubet Homeri Il. XII, 368. XXII, 68. *θυμόν*, Tac. Ann. XV, 70. XVI, 34. et Ovid. Trist. I, 5, 11. Vid. adnott. ad VI, 726. — *regit* Heins. ex Med. et aliis revocavit; vulgo *reget*, alii *regat*. Wagn. vere docet, *dum* in tali oratione cum Futuro iunctum significare diuturnitatem nullo termino conclusam, cum Praesente autem omne illud tempus, quod usque ad finem rei aliquando futurum in medio sit positum. Vid. Wagn. Qu. Virg. VI, 5. Hic totus versus repetitur in Anth. Lat. I, 172, 144. — **337**. *pro re* Wund. explicat: pro discessu et Ladew.: „*für meine That, zur Rechtfertigung meines Vorhabens*“ coll. Sall. Iug. 102, 12. *pauca pro delicto suo verba facit*, cui loco addere poterat Sen. Herc. fur. 401. *pauca pro causa loquar nostra;* rectius vero Wagn. idem esse dicit, quod *pro re nata* (velut ap. Cic. ad Att. VII, 8. ad Div. XIV, 6.), ut sensus sit: „pro rerum statu et conditione non opus est longo sermone;“ coll. Cort. ad Cic. Ep. VI, 2, 3. XIII, 68, 2. Tursell. p. 766. ed. Schwarz. Cf. etiam Lucr. VI, 1280. *Quisque suum pro re consortem maestus humabat.* Liv. VII, 33, 3. *factis benigne pro re memor* (ibique Drak.) et Hand. Turs. IV. p. 584. — *Neque* etc. Respondet his verbis ad Didonis quaestionem v. 305. — *furto. Furtum* est omne, quod clam fit, imprimis ad alium decipiendum. Quare *furto* (etiam infra VI, 24. 568. et ap. Liv. XLIII, 10.) et *furtim* (supra III, 50. Sall. Iug. 14. etc.) i. q. clam. Cf. etiam adnott. ad Geo. IV, 346. — **338**. *ne finge* tibi tale quid, tale commentum: *bilde dir das nicht ein*. — **339**. *Praetendi*, quod vulgo male accipiunt pro *praetuli* positum, cum sponsus non ipse taedas iugales ferat (quod sane Schirach. p. 540. nobis persuadere studet), Heyn. rectius interpretatur per *praetexere* (coll. v. 172.), hoc sensu: numquam consuetudini nostrae nomen iusti matrimonii praetexui. Sic Ovid. Rem. 420. *praetendens culpae splendida verba suae*, Cic. in Vatin. 6, 14. *hominis doctissimi nomen immanibus et barbaris moribus praetendere* et similia. Consentit nobiscum Haeckerm. in Mützellii *Zeitschr.* XII. p. 271. et XIX. p. 118., neque aliter Wagn. statuit, locum sic explicans: „numquam iustas nuptias prae me tuli s. coniugio iunctus tibi videri volui.“ Ladew. tamen in Append. p.

Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis et sponte mea conponere curas,
Urbem Troianam primum dulcisque meorum
Reliquias colerem, Priami tecta alta manerent
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.

---

247. alteram explicationem retinet et *taedas praetendi* eadem ratione dictum putat, qua *imperator castra fecit.* De *taedis* vid. supra ad v. 18. huius libri. — *aut haec in foedera veni*, scil. ut matrimonium tecum inirem. *Aut* enim post antecedentem negationem ipsum est negativum. Vid. adnott. ad Aen. III, 43.; *haec foedera* autem sunt coniugalia, quae etiam Ovidio A. A. II, 578. simpliciter *foedera* dicuntur. Cf. Gron. ad Liv. III, 18. et Ruhnk. ad Ovid. Her. IV, 17. (ubi *socialia foedera* leguntur). De *thalami foedere* loquitur e. g. Ovid. Met. VII, 403. Ceterum *venire in foedera*, ut apud Lucr. II, 347. *in curas venio partemque laborum*. Cf. etiam locus simillimus Aen. X, 901. *nec sic ad proelia veni.*—**340** sqq. Comparant Od. XVI, 148 sqq., cuius tamen loci diversam esse ab hoc sententiam, Dietsch. Theol. Verg. p. 26. docet, qui nostrum locum memorabilem censet, „quoniam ex eo manifestum est, fata non ipsa id efficere, ut homines consilia ad sua decreta dirigant, non tollere voluntatis libertatem, sed homines iis vel contra animi sententiam obedire debere, si felices esse velint." — „Rarus est usus verborum *meis auspiciis* [i. e. mea voluntate, meo arbitrio], ubi de rebus privatis agitur. Translata est significatio a re publica, a ducibus, qui aut *suis* aut *alienis auspiciis* (Liv. XXI, 40.) res gerunt. [Cf. supra v. 102 sq.] Vita erat Aeneae instituenda alienis quasi auspiciis, h. e. ad voluntatem deorum vel fatorum." *Wund.* Ceterum cf. similis locus Senec. Oed. 882. *Fata si liceat mihi Fingere arbitrio meo* etc. — **341**. *conponere curas* Heyn. interpretatur: res, negotia ordinare, quae curas movent. Cf. adnott. ad I, 249. et 374. — **342**. *Urbem Troianam - - colerem*, locum veteris Troiae incolerem, nova urbe in eo condita, et manibus meorum iusta persolverem, ut *colere* duplici et habitandi et honorandi sensu accipiendum sit, quae etiam Coningtonis et Benoisti est sententia. Recte enim Wunderl. verba *dulces reliquias meorum*, quae Heyn. pro ipsis sepulcris, in quibus ossa condita sunt, posita censet, de sacris mortuis [in ipso sepulcrorum loco] faciendis et quotannis fere iterandis capit. Wagn. autem in min. edit. (quocum consentit Ladew.) minus probabiliter etiam haec ad ipsam urbem refert, ut sensus sit: „reliquias eorum, quae mei tenuerunt, eversam scil. patriam colerem (ἐπεμελούμην ἄν) reficiendamque curarem." Dubito enim, num Aeneas ipsam urbem *dulces suorum reliquias* appellare voluerit, ut taceam urbem iam esse commemoratam, et si *reliquias colere* per reficiendum curare interpretemur, abundare sequentia *recidiva posuissem Pergama.* Ceterum verba *si fata paterentur - - - colerem — posuissem* simplicissima sunt ratione intelligenda: nunc ipsum colerem, nunc iam posuissem, i. e. urbe iam refecta nunc - - colerem. Male igitur *Peerlk.:* „Melior esset consecutio *colerem* et *ponerem* etc."; nam non potest urbs manere (i. e. etiam nunc esse) et ab Aenea habitari, nisi antea restituta. — *primum* i. q. ante omnia. Vid. supra III, 437. V, 746. XI, 786. et adnott. ad II, 40. Ceterum Aeneas his respondet ad Didonis verba v. 311 sq. — **343**. *manerent*, i. e. a me restituta etiamnum adessent. Cf. II, 56. ibique adnott. Peerlk., qui putat *manere*, quod semper valeat *incolume stare*, dici non posse de palatio vastato et postea restituto, hoc totum hemistichium, quod nihil aliud significare possit, quam: palatium Priami non esset vastatum, sed integrum staret, tamquam absonum deleri iubet, eique adsentitur Ribbeck. — **344**. *recidiva Pergama*. Cf. infra VII, 322. et X, 58. Sic *gens Phrygum recidiva* ap. Silium I, 106. Cf. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 45. Gronov. ad Sen. Troad. 472. et Drak. ad Silii l. l. — *manu posuissem*. Wund., coll. Geo. II, 156., voc. *manu* iis saepe addi docet, quae sint artis et industriae; quod tamen non ad omnes eiusmodi locos quadrat; immo *manu* hic significat, Aeneam ipsum quasi manum admoturum fuisse urbi restituendae, i.

Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,
Italiam Lyciae iussere capessere sortes.
Hic amor, haec patria est. Si te Karthaginis arces,
Phoenissam, Libycaeque aspectus detinet urbis,
Quae tandem, Ausonia Teucros considere terra,
Invidia est? Et nos fas extera quaerere regna.
Me patris Anchisae, quotiens humentibus umbris
Nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,
Admonet in somnis et turbida terret imago;

---

e. maximo studio rem procuraturum; quare non idem est pleonasmus, quo dicitur *ore loqui* et similia. (Vid. adnott. ad Geo. II, 247. et Aen. I, 614.) De verbo *ponendi* vid. ad I, 264. — *victis.* Peerlk. temere coni. *Teucris*, cum non quadret, ut Troiani se ipsi nominent *victos*, nisi ubi misericordiam movere velint. — **345**. *Italiam magnam*, ut I, 569. *Hesperiam magnam.* — *Gryneus Apollo.* Vid. ad Ecl. VI, 72. — **346**. *Lyciae sortes* i. e. oracula, ut iterum infra v. 377. VI, 72. VII, 269. Hor. A. P. 403. *Dictae per carmina sortes.* Cic. Divin. I, 18, 34. *sortes e terra editae*, ibid. II, 56, 115. *sors edita est regi* (Croeso), *Croesus Halyn penetrans* etc.; de *Lyciis* autem sortibus vid. supra ad v. 143. et Iacobs. ad Prop. III, 1, 38. Ceterum omnia oracula Apollinis Deli, Grynii et Pataris ab Aenea accepta hic intelligenda videntur. Eadem oracula spectans Hor. Carm. Saec. 37. Apollinem (cui, ut solet, soror iungitur) sic appellat: *Roma si vestrum est opus, Iliaeque Litus Etruscum tenuere turmae* etc. — *capessere Italiam*, navigatione petere Italiam, ut infra V, 703. *Italas capessere oras* et ap. Cic. ad Fam. X, 9. *Melitam igitur capessamus.* Cf. etiam Tusc. I, 18, 42. *animus superiora capessit.* N. D. II, 45, 115. *medium locum capessere* cett. Wund. docet, ad eandem metaphoram pertinere Aen. VI, 61. *prehendere oras Italiae.* — **347**. „*Hic amor:* hanc desidero, huius caritate ducor. Supra III, 134. *hortor amare focos.*“ *Heyn.* *Amor* pro re amata, ut alibi pro homine amato. Cf. Ecl. VII, 21. *Nymphae, noster amor.* Tibull. I, 2, 4. Ovid. Her. IX, 47. Plaut. Poen. I, 1, 79. Cic. Phil. VI, 5. in. ad Att. XVI, 6. extr. etc. Peerlk. malit *Haec amor.* — **348**. Pro *detinet* Serv. in bonis libris legi testatur *demeret*, quod temere arrisit Heinsio et I. Fr. Gronovio Obss. IV, 9. p. 130. Cf. Burm. ad h. l., qui vulgatam recte sic explicat: delectatione et iucunditate ita te afficit, ut ab ea discedere non possis; coll. Hor. Od. I, 33, 14. Ovid. Her. IV, 110. Verg. Ecl. X, 45. Aen. II, 785. et Broukh. ad Tib. I, 1, 40. — **349**. *Quae tandem - - Invidia est*, qua tandem invidia ducta non vis in Italia nos considere? Cf. adnott. ad Ecl. VII, 58. Burm. ad Ovid. Trist. I, 1, 1. et ad Petron. c. 14. Stat. Theb. I, 281. *me Tantaleis consistere tectis, Quae tandem invidia est?* De Infinitivo adiecto vid. adnott. ad Geo. I, 305. Wund. comparat Graecum τίς φθόνος. Ceterum cum hoc versu cf. VI, 67. et 807. — **350**. *Et nos fas* cett., ut tibi licuit exsuli Carthaginem condere. — **351** sqq. Comparant Iliad. XXIII, 105 sq. — *quotiens* etc. Cf. etiam VI, 695. *tua me, genitor, tua tristis imago Saepius occurrens* etc., praeterea autem V, 722 sqq. — *humentibus umbris.* Vid. ad III, 589. — **352**. *surgunt*, oriuntur. Vid. Geo. I, 440. coll. ad Ecl. VI, 39. et Geo. IV, 12. — **353**. *Admonet*, ad Italiam petendam novumque ibi regnum condendum instigat. Est autem *admonere* verbum proprium de somniis. Cf. Heins. ad Ovid. Met. XIII, 216. — *turbida imago* Servio et Heynio est turbata, tristis, ut V, 695., Wunderlichio vero (cui adsentitur Thiel.), cum addatur *terret*, et *turbidus* proprie de iis dicatur, qui affectu aliquo sint commoti, ira graviter commota, ut XI, 742. [IX, 57. XII, 10.] (Haeckerm., qui in Muetzellii *Zeitschr.* XII. p. 270. explicuerat „quae turbat“, hoc iure non repetiit in earundem Ephem. Vol. XIX.) Mihi Serviana ratio magis placet; gravis enim ira minus convenit patri pii filii; et terrere hunc poterat patris defuncti simulacrum vel sine ulla irae significatione. Turbatus autem est pater, quod timet, ne

Me puer Ascanius capitisque iniuria cari,
Quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis.
Nunc etiam interpres divom, Iove missus ab ipso —
Testor utrumque caput — celeris mandata per auras
Detulit; ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere teque querelis;
Italiam non sponte sequor.“
Talia dicentem iamdudum aversa tuetur
Huc illuc volvens oculos totumque pererrat

---

filius fatis non pareat. Cf. etiam XI, 814. et Stat. Theb. II, 349. *Aut avium lapsus, aut turbida noctis imago Territat.* — **354.** *Me puer*, scil. *admonet*, quod ex antecedd. repetendum. Peerlk. tamen requirit novum aliquod verbum, cum *admonet* ab *in somnis* separari nequeat et propius sit verbum *terret;* quare locum corruptum censet. De re ipsa cf. supra v. 234 sq. Ascanii autem causa se laborare dicit Aeneas, ut ambitionis suspicionem a se removeat. — *capitis cari.* Vid. infra ad v. 613. — **355.** *regno Hesperiae et fatalibus arvis*, i. e. regno Italiae fatorum lege ei debito, ut recte explicat Wagn. Qu. Virg. XXXIII, 4. De vi explicativa Copulae vid. ad Aen. I, 27. II, 722. alibi adnott. — *fatalia arva* legimus etiam V, 82. — **356** sq. Heyn. comparat Hom. Il. XXIV, 223. — *interpres divom* i. q. apud Hor. Od. I, 10, 5. *deorum nuntius.* — **357.** *utrumque caput*, meum tuumque. Alii quidem (ut etiam Haeckerm. ll. supra ll.) minus probabiliter de Aeneae et Ascanii capite cogitant et Steinmetz. p. 11. adeo de Iovis et Mercurii capite. Sed caput deorum testari veteres, nusquam memini me legisse; cf. potius Ovid. Her. III, 107. *perque tuum meumque caput, quae iunximus una*, praeterea autem infra v. 492. et IX, 300. Verba *Testor utrumque caput* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 94. — **358.** *manifesto in lumine*, ut dii hominibus apparere solent. Vid. ad II, 591. et III, 151. — **359.** *his auribus*, i. e. ipsis meis. Vid. ad IX, 205. — *vocem hausi.* Sic *haurire aliquid* etiam omisso voc. *auribus* ap. Val. Fl. I, 262. et infra VI, 559., ubi vid. adnott.; sic alibi (ut infra v. 661. XII, 946. et ap. Silium XI, 284.) etiam *oculis haurire aliquid.* Utrumque coniunxit Liv. XXVII, 51. in. *oculis auribusque gaudium haurire* (quemadmodum Cicero Tusc. V, 6, 16. dicit *voluptates haurire*). Cf. praeterea Aen. X, 899. et XII, 26. Serv. ad Aen. I, 208. et 614. Quinctil. Inst. VIII, 3, 54. (Vid. etiam Ribbeck. Proleg. p. 144.) Similiter dicitur *auribus bibere*, velut Hor. Od. II, 13, 32. Prop. IV, 5, (III, 6,) 8. Ovid. Trist. III, 5, 14.; quare etiam *aures bibulae* ap. Pers. IV, 50. (eaedem, quae ap. Cic. ad Att. II, 14. *aures sitientes*). Ceterum cf. etiam Aen. I, 749. — **360.** Heyn. confert Iliad. IX, 612. — *incendere*, commovere, exagitare. Heyn. comparat Catull. LXIV, 226. *Nostros ut luctus nostraeque incendia mentis*, et Val. Fl. VII, 243. *perpetior durae iam dudum incendia mentis.* Cf. etiam infra V, 455. IX, 500. X, 895. XI, 147. et Cort. ad Cic. Ep. ad Div. I, 9. Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 178, 247. — **361.** *non sponte*, sed deorum voluntati obediens, non vero i. q. invitus. — *sequor*, peto. Cf. infra v. 381. V, 590. (ibique adnott.) V, 629. VIII, 333. Val. Fl. I, 4. etc. Conington, qui praeter Aen. V, 629. confert Cic. Att. III, 16. *Si spes erit, Epirum, sin minus, Cyzicum aut aliud quid sequemur* et Ovid. Her. VII, 10. *Quaeque ubi sint nescis, Itala regna sequi*, verbum *sequendi* hic difficultatem inveniendi indicare putat, quod probat Benoist. Ribbeckio paulo abruptius Aeneas orationem concludere videtur; et sane iam versus imperfectus Vergilium aliquid additurum fuisse prodit. — **362.** Sedatum et grave Aeneae responsum magis etiam exasperat Didonem, quae longe aliter eum responsurum esse exspectaverat. — *aversa tuetur*, obliquis, torvis oculis (Homeri ὑπόδρᾳ ἰδών). Sic poterat, licet *aversa*, Aeneam luminibus pererrare; neque opus est altera lectione *adversa*, quae Burmanno non displicuit. Ceterum cf. Aen. VI, 469. Imitantur hunc locum Ovid. Met. IX, 27. *Talia dicentem iamdudum lumine torvo Spectat*, et Claud. B. Gild. 518. *Talia - - loquentem Obliquisque tuens*

Luminibus tacitis et sic accensa profatur:
„Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo? aut quae me ad maiora reservo?

---

oculis non pertulit ulla; totus autem versus repetitur in Anth. Lat. I, 170, 62. et in Ausonii cent. nupt. 91. — **364.** Verba *Luminibus tacitis* respondent nostro *mit stummen, schweigenden Blicken*, i. e. ipsa prae stupore et admiratione tacens, ut Heyn. (coll. Aen. VII, 343. *tacitum limen Amatae*) et Henry *Tw. years* IV. p. 53. et Philol. XII. p. 259. (coll. Senec. Thyest. 500. *tacito rostro*, i. e. non latrans, Stat. Theb. I, 532. et Verg. ipso I, 502. VIII, 108.) recte interpretantur. Sensus est: Dudum Aeneam dicentem ipsa tacens oculis *totum*, a capite ad calcem, pererraverat Dido; tum demum, quia, quo diutius eum adspicit, eo magis ira accenditur (*et sic accensa*), profatur etc. Wunderlichio *tacita lumina* videntur esse, quae iram abdant (coll. Ovid. A. A. III, 512. *Saepe tacens odii semina vultus habet* et eiusd. Am. II, 5, 17. *Non oculi tacuere tui*), quod certe ex parte verum; et Gossravio sunt „*stiere Augen*, quibus nullus inest sensus." Ceterum hoc loco praeclarissimo, quocum cf. similis X, 446 sq., ubi *visu obire*, quod hic *luminibus pererrare*, bis utitur Schol. Lucani ad VIII, 171. et IX, 355. — **365** sqq. Huius orationis gravissimae primas lineas inesse verbis Patrocli ad Achillem Il. XVI, 33 sqq., Heyn. adnotat, comparans Ecl. VIII, 43 sqq. Cf. etiam Eurip. Bacch. 988 sqq. et imitationem huius loci vide in Anth. Lat. I, 174, 10 sqq. — **365.** Neque a dea, neque a Troiano patre, sed inter feros barbaros procreatus es et a feris bestiis nutritus. — *generis nec*. Vid. ad Ecl. IV, 63. — **366.** *cautibus* male quidam interpretantur: e cautibus, i. e. e saxo: tu saxeus es (de qua metaphora cf. quos Dissen. laudat ad Tibull. I, 1, 63.). Immo arcte cohaerent verba *cautibus horrens*, quae Wund. recte explicat: arduus saxis, coll. Hor. Sat. II, 1, 13. *horrentia pilis agmina* et Val. Fl. I, 486. *Acastum horrentem iaculis*. Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 151. et Aen. prooem. v. 4. Respexit hunc locum Ovid. Her. VII, 37 sq., ipse autem Verg. fortasse memor fuit loci Catull. LXIV, 154 sqq., ut Coningtoni videtur. — **367.** „*Caucasus* et *Hyrcanae tigres* poëtarum posterioris temporis more Didoni tribuuntur; Homerus ad talia non deflexit. Multo tamen magis naturae rerum ac veritati consentanea sunt haec, quam Andromachae verba ap. Eurip. Troad. v. 761 sqq." *Heyn.* *Caucasus* incolebatur a feris et barbaris gentibus, quare si quem imprimis rudem ferumque veteres significare volunt, ad Caucasum natum esse dicunt. Cf. Cic. Tusc. II, 22, 52. *Calanus, Indus, indoctus ac barbarus, in radicibus Caucasi natus*. Eadem de causa hic mons Horatio Od. I, 22, 6. Epod. I, 12. et Senecae Med. 43. *inhospitalis* vocatur. — *Hyrcania*, terra Caucaso vicina, inter mare Caspium, Mediam, Parthiam et Oxum fluv. sita. Cf. Strab. XIII. p. 726. Mela III, 5, 7. Plin. VI, 13, 15. et liber meus geogr. II. p. 568 sqq. De eius tigribus cf. etiam Stat. Theb. IX, 15. *Nonne Hyrcanis bellare putatis tigribus?* Heyn. confert *Caucasium tigrim* Silii V, 148. et *Caspiam* Senecae Herc. Oet. 145., quibus addere poterat *Armeniam* Ovidii Met. VIII, 121. Cum omni hoc loco comparentur similes Ecl. VIII, 43 sqq. Catull. LXIV, 154 sqq. Hor. Od. I, 3, 9. Ovid. Met. II, 224. VII, 32. VIII, 120. XI, 612 sqq. Trist. I, 8, 41. III, 11, 3. Claud. R. Pros. III, 104 sqq. Tib. I, 1, 63. III, 4, 85. — **368.** *quid dissimulo*, cur dissimulo, quae sentio? i. e. non amplius dissimulabo, non amplius blanditiis et delinementis utar in eum, quem nulla amoris signa movent, sed, quae sentio, libere proloquar. — *quae me ad maiora reservo?* nolo me ad maiora, i. e. ad maiores iniurias, ad maiora perfidiae documenta reservare. Cf. V, 625. Codd. quidam *quid me ad maiora reservo;* et Peerlk. coni. *aut quae me ad meliora reservo?* cum sic legisse videatur Orosius II, 10. haec scribens: *Se ad meliora tempora reservent*. Ceterum iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 178, 279., voc. tantum *quae* in *quid* mutato, ut ibid. v. 273. sequentes versus sic contrahun-

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit aut miseratus amantem est?
Quae quibus anteferam? Iam iam nec maxuma Iuno,
Nec Saturnius haec oculis pater aspicit aequis.
Nusquam tuta fides. Eiectum litore, egentem
Excepi et regni demens in parte locavi;
Amissam classem, socios a morte reduxi.

---

tur: *Non fletu ingemuit nostro aut miseratus amantem est.* — V. **369.** cum sequente nullam amplius dissimulandi causam esse indicant. *Num fletu ingemuit* etc. Si modo precibus meis victus illacrimasset miseriae meae, ut invitum eum discedere appareret. Tertia autem Verbi Persona utitur Dido contemptim et invidiose loquens de eo, „qui sibi iam alienior factus esset“, ut Wagneri verbis utar. — *fletu* (de qua Dativi forma vid. ad Ecl. V, 29.) *ingemuit.* Sic vulgo verba *ingemere* et *ingemiscere* construuntur (Cic. Tusc. II, 9, 21. Hor. Epod. V, 30. Liv. XXXVI, 28. extr. Plin. Pan. 53. Tac. Germ. 46. al.); quamquam etiam cum quarto Casu ea constructa vidimus Ecl. V, 27., ubi vid. adnott. Conington *fletu* parum probabiliter sextum habet Casum comparans I, 669. *nostro doluisti saepe dolore,* quem tamen locum ipse nostro non prorsus similem indicat. — *num lumina flexit.* Vid. supra v. 331. et Senec. Cons. ad Marciam 15. *Flente populo Romano non flexit vultum.* — **370.** *victus* precibus meis. Cf. v. 314 sqq. — *Num lacrimas dedit.* Cf. IX, 292. ibique et ad I, 484. VII, 560. al. adnott. — *miseratus amantem est.* Cf. Maximian. Eleg. V, 13. *nimium miseratus amantem.* — **371.** *Quae quibus anteferam?* i. e. quibus durioribus haec tamquam leniora anteponam? quae maiora ab isto addi possint, quibus, quae iam passa sum, postponam, minora iudicem? nonne haec sunt extrema omnium, ut nihil omnino durius excogitari possit? Sic Heyn. locum rectissime cepit. Alii male ad narrandi ordinem vel rationem referunt: quae prius, quae posterius dicam? vel: quae aliis maiora dicam. Quod autem attinet ad genus illud dicendi, quo duo Pronomina relativa vel interrogativa in una eademque sententia coniunguntur (ut fortasse etiam Geo. II, 256.), cf. Gronov. Obss. p. 38. ed. Lips. Heind. ad Hor. Sat. II, 3, 201. Bremi ad Nep. Tim. 2, 2. Matth. ad Cic. Cat. IV, 9, 19. Kritz. ad Sall. Cat. 47, 1. et de eodem Graecorum usu Matth. Gr. Gr. §. 488, 12. p. 918. et Bernhardy *Syntax* p. 444. — *Iam iam.* Vid. ad II, 701. — *maxima Iuno,* ut VIII, 84. et X, 685. — **372.** *Nec Saturnius* etc. Iupiter ipse hoc non potest probare. — *oculis aspicit aequis.* Ita *adspicere* dici de diis omnia aeque et iuste gubernantibus, memorat Wagn., coll. Ovid. Met. XIII, 70. *Adspiciunt oculis superi mortalia iustis.* Cf. etiam Val. Fl. IV, 1. *Atque ea non oculis Divûm pater amplius aequis Sustinuit* etc. et quae ad II, 690. adnotavimus. — **373** sqq. In h. l. plane divino sententiarum et verborum gravitate Heyn. suspicatur poëtae ante oculos fuisse Homeri Calypso Od. V, 130 sq. et Euripidis Medeam v. 476 sqq., fortasse etiam Ariadnen Catulli in Epithal. 143 sqq. — *Nusquam tuta fides.* Cuinam fidere possumus, si vel is fallit, qui tot tantaque beneficia accepit? Nescio an Servius *nusquam* recte explicet: „nec apud deum, nec apud hominem.“ Conington praeter Catulli l. l. confert Eurip. Med. 412. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 170, 159. et 178, 19. — *eiectum* (ut I, 578.) *litore,* pro in litus, ut III, 135. *subductae litore puppes,* Ovid. Met. XIII, 536. et Caes. B. G. V, 10. *eiectus in litore* etc.; quae omnia ita capienda esse, ut simul de conditione ipsam actionem secuta cogitetur (qui eiectus in litore iacebat vel errabat cett.), non est ut doceam. De hoc ipso autem naufragorum epitheto vid. ad Aen. I, 578., ubi adde Ruhnk. ad Ovid. Her. VII, 89. et Beneck. ad Cic. Cat. I, 12, 30. et II, 11, 24. Priscian. p. 1214. P. commemorat esse etiam, qui locum sic distinguant: *Eiectum, litore egentem Excepi,* et sic sane Servius, comparans I, 540. *hospitio prohibemur arenae;* quod Conington ingeniosum, mihi vero perversum videtur. — **374.** *regni in parte lo cavi.* Vid. supra v. 214. Cf. autem XII, 145. *caelique - - in parte loc rim.* — **375.** „*amissam classem,* iam pro amissa habitam, cum vi

Heu furiis incensa feror! Nunc augur Apollo,
Nunc Lyciae sortes, nunc et Iove missus ab ipso
Interpres divom fert horrida iussa per auras.
Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat. Neque te teneo neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.

---

tuto portu *recepi, servavi* (supra I, 571 sq.), ex *reduxi* assumendum. Cf. de re I, 525." *Heyn.* Quam breviter et abrupte dicendi rationem bene convenire perturbato furibundae Didonis animo, vere memorat Wagn., recte simul totum versum defendens contra Bryant. et Heyn., quibus ille post superiorem languidior adeoque delendus videtur, ut etiam a Ribbeckio uncis includitur. Sed aptissime Didonem hic mentionem facere classis et sociorum a se servatorum, sine quibus ne liceret quidem Aeneae ipsam deserenti Italiam petere, iam Wagn. vidit; Iahn. autem confert similem locum Ovid. Her. II, 45. *At laceras etiam puppes furiosa refeci, Ut, qua desererer, firma carina foret.* Vid. etiam Schrach. p. 330. Peerlk. praeter ullam necessitatem (ingeniose tamen, ut Ribbeckio videtur) coni. *A flammis classem, socios* etc. — **376.** „Cum haec enumerasset in Aeneam merita ac beneficia sua, dolore et ira tantae viri perfidiae amens subiicit: *Heu furiis incensa feror!* Nunc aliquamdiu oratio eius subsistere putanda; sicut omnino per intervalla singulae sententiae pronuntiandae. Imprimis hoc tenendum est v. 380. et post v. 381." *Heyn.* Vid. XII, 946. coll. infra v. 474., Hor. Sat. II, 3, 135. *malis furiis actus,* Claud. R. Pros. II, 215. *quae te stimulis facibusque profanis Eumenides movere?* similibusque locis; de *ferendi* autem verbo vid. supra ad v. 110. Ceterum verba *Heu furiis incensa feror* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 153. — *Nunc* etc. i. e. Nunc demum (quo sensu simplex *nunc* etiam Ecl. VIII, 43. legimus: cf. Donat. ad Ter. Eun. I, 1, 25. Burm. ad Petr. 44. et Hand. Turs. IV. p. 335.), nunc tandem, cum me relicturus es, provocas ad illam deorum voluntatem, de qua antea nihil dixisti. — *Augur Apollo,* i. e. vatidicus, oraculorum respectu habito, ut etiam ap. Hor. Od. I, 2, 31. *Nube candentes humeros amictus Augur Apollo. Augures* enim poëtis dicuntur omnia, quae futura pronuntiant, velut ap. Hor. Od. III, 17, 12. *cornix augur aquae,* i. e. pluviae, et Stat. Theb. III, 6. *timor augur pessimus.* Sic etiam Calchas vates Ovidio Met. XII, 18. *augur* vocatur. Ceterum ad verba *Apollo* et *sortes* supple: iusserunt Italiam petere, quod ex v. 381. intelligendum. — **378.** *horrida iussa,* terribilia, quibus non parere aliquis horreat. Peerlkamp. confert Val. Fl. III, 47. *Mygdoniae Pan iussa ferens saevissima matris.* Heyn. memorat, Med. et Colot. Ursini (qui duo Codd. unius instar habendi sunt) exhibere *horrida dicta,* quod Wagnero ex ultima praegressi voc. syllaba ortum videtur. Ribbeck. de hac Med. scriptura tacet. — **379.** *Scilicet,* quod Wakef. male cum superioribus coniungit, significat, non credere Didonem, quae Aeneas sui excusandi causa dixerit, de qua ironica vi Particulae vid. ad Geo. II, 282. et Aen. II, 577. Similis est huic loco imprimis Ter. Andr. I, 2, 14. *Id populus curat scilicet.* — *is labor, ea cura.* Vid. ad II, 171. — Spectarunt hunc locum Lucan VI, 492. *Quis labor hic Superis* etc. et Iscan. B. Troi. III, 133. (a Peerlk. laud.) *Haec scilicet angit Cura deos, aevi tacitos vexare recessus, Et rerum librare vices.* — *quietos,* quos quietos esse scimus. Cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 5, 101. (*namque deos didici securam agere vitam*) et Mitscherl. ad Hor. Od. III, 3, 35. (*adscribi quietis Ordinibus patiar Deorum*) a Thielio laud. — **380.** *neque,* quod magis transitu inserviat et minus grave sit, quam *nec,* propterea etiam rarius geminari, quam illam Particulam, Wagn. contendit Qu. Verg. XXXII, 8., haec exempla geminati *neque* proferens: Geo. IV, 9 sq. Aen. IV, 380. VIII, 316. X, 757. — **381.** Servius bene haec adnotat: „Satis artificiosa prohibitio, quae fit per concessionem: quae tamen ne non intellecta sit persuasio, permiscenda sunt aliqua, quae vetent latenter, ut *ventis, per undas,* nomina terribilia, et *sequere,* quasi fugientem." Comparant illa Agamemnonis: φεῦγε μάλ' etc. Il. I, 173. — *I, sequere Italiam ventis.* Vid.

Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis et nomine Dido
Saepe vocaturum. Sequar atris ignibus absens

---

supra v. 361. et infra V, 628. De Imperativo *i* alteri Imperativo cum vi anteposito, ita ut Copula aut omittatur (ut hic, infra VI, 546. VII, 425. 426. IX, 634. Ovid. Met. XII, 475. XV, 23. 364. Hor. Od. III, 14. 17. Tibull. III, 6, 6. cett.), aut adiiciatur (Hor. Sat. I, 10, 92. Prop. IV, 17, (III, 18,) 17 cett.), cf. imprimis Bach. ad Ovid. Met. XII, 475., qui etiam illud *I nunc et* - - (*fac*) non intactum reliquit (de quo diximus ad Aen. VII, 425.), et Dissen. ad Tibull. I, 1, 76. — *pete regna*, nam haec regnandi cupido, si verum vis fateri, maxima causa est profectionis tuae. Cf. Anth. Lat. I, 173, 31. *sed regna petebas Debita.* — *per undas.* Cf. supra v. 310. et 313. Ceterum Servius memorat, esse multos, qui locum sic distinguant: *I, sequere Italiam, ventis pete regna per undas*, memores, puto, loci II, 25. *vento petiisse Mycenas.* — **382.** *si quid possunt.* Cf. Aen. IX, 446. *Si quid mea carmina possunt.* — *pia numina* Wund. interpretatur sancta, coll. III, 75. *pius Arcitenens* et Cir. 219. *pii divi.* Hic tamen propterea maxime *pia* commemorari videntur *numina*, quia Dido sperat fore, ut dii, 'qui ipsi sint pii ideoque etiam pietatem ab hominibus servatam velint, Aeneam impium et periurum poena afficiant, s. periurii vindices se gerant. Cf. Aen. II, 536. et V, 688. — Verba *si quid pia numina possunt* repetuntur in Auson. cent. nupt. 77., in Anth. vero Lat. VI, 84, 54. sic mutata: *si quid mea numina possunt*, et ibid. I, 178, 244 sq. totus locus *Spero equidem* - - *hausurum scopulis* ad verbum iteratur. — **383.** *Supplicia hausurum*, poenas daturum, nam „*haurire*, inquit Wund., dicimur Latine ea, quae agendo nobis paramus, sive bona sint, sive mala. Hor. Sat. I, 2, 78. *malum laborum haurire* dixit.“ Cf. etiam Stat. Achill. I, 667. *iuvenemque premat, fortassis acerbas Hausurum poenas.* Cic. Tusc. I, 35, 86. *Pompeius propagatione vitae quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates!* Claud. B. Gild. 37. *lugenda Getis et flenda Suevis hausimus* et similes locos. Nihilominus sunt, qui h. l. legendum putent *supplicio haesurum;* Peerlk. autem hos duo versus valde corruptos et Vergilium fortasse sic scripsisse censet: *Spero equidem, modo si quid apud pia numina possunt Supplicia* (i. e. preces), *haesurum scopulis* etc. Ceterum insolentior forma *hausurus* pro *hausturus* praeter Statii locum modo laud. legitur, etiam ap. Silium VII, 584. et XVI, 11. Cf. Neue *Formenlehre* II. p. 460. — *Dido* Vocativus videtur, non Accus. Graecorum ratione formatus, cum Verg. Casus obliquos huius nominis studiose evitet, Elissae nomen substituens, quod recte observat Conington comparans Prop. I, 18, 31. *resonent mihi Cynthia silvae.* — **384.** *Sequar atris ignibus* plerique editores sic interpretantur: ego tamquam ex Furiis una, etsi absens, ubique tibi occurram et faces tibi intentabo, i. e. dempta imagine poëtica, mala conscientia sceleris in me commissi semper te torquebit et imago deceptae a te Didonis ubique tibi ante oculos versabitur; et Heyn. quidem poëtam memorem fuisse suspicatur Apollonii IV, 386 sqq., Ladew. autem comparat Hor. Epod. V, 91 sqq. et Suet. Ner. 34., atque Wagn., ut probabilem reddat usum voc. *ignis* absolute pro *face* positi, confert Ovid. Fast. II, 561. *Conde tuas, Hymenaee, faces et ab ignibus atris Aufer; habent alias moesta sepulcra faces*, et de epitheto *atris*, i. e. fumidis, infra VIII, 199. (coll. cum v. 252 sqq.) VII, 456 sq. IX, 522. et Claud. in Rufin. I, 49., ubi Alecto quaerit: *quid facibus nequidquam cingimur atris?* (*Ignes* autem ipsos *atros* dici propter atram fumi nubem, quam excitant, non est quod memorem. Cf. Geo. II, 308 sq.) In min. tamen edit. Wagn. mutata sententia locum cum Iahnio prius sic explicuit: „Prosequar te abeuntem absens fumo flammisque rogi mei tamquam malo omine“, quam interpretationem sane v. 661 sq. et V, 3 sq. satis probabilem reddunt. (Cf. etiam Servius ad h. l. Urbanum secutus: vid. Ribbeck. Proleg. p. 168. et Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 118.) In recentiss. vero editione Wagn. ad priorem explicationem rediit, recte fortasse, quia Dido certum se in- ficiendi consilium postea demum capit (vid. infra v. 450. 474.), quamc hoc iam v. 308. minata est, et quia hic absens, sed viva opponitur

Et, cum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero. Dabis, improbe, poenas;
Audiam et haec Manis veniet mihi fama sub imos."
His medium dictis sermonem abrumpit et auras
Aegra fugit seque ex oculis avertit et aufert

---

tuae. Cf. etiam Henry *Tw. years* IV. p. 55. et Philol. XII. p. 260. Thiel. denique utramque explicationem coniungens Didonem consulto ambigue dicere censet, ut Aeneas *atros ignes* de Furiae facibus intelligat, dum ipsa de rogi flammis cogitet; quod mihi argutius videtur. Utut autem locum capis, certe non opus est Weicherti coniectura *atris anguibus* in Epist. crit. p. 77. prolata. — **385**. Peremptorum animas violenter insectari eos, a quibus interfecti essent, vulgaris erat antiquitatis opinio. Cf. Hor. Epod. V, 92 sqq. Ovid. in Ibin 145. Suet. Ner. 34. Val. Fl. III, 378 sqq. et Stat. Theb. III, 75. Broukh. et Dissen. ad Tibull. I, 5, 51. Hic autem Aeneas, etsi non ipse interfecit Didonem, causa tamen est caedis eius, quae iam de se interficienda cogitat. — *anima seduxerit artus* pro pedestri: animam ab artibus, a corpore seiunxerit. Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 172, 148. — **386**. *umbra* (vid. infra v. 571. et VI, 894.) *adero*, ut te angam. *Adesse* enim, vocabulum medium, quod etiam auxiliari, iuvare potest significare, hic quo sensu capiendum sit, non est dubium. Verba *dabis, improbe, poenas* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 54. et 178, 245. — **387**. *Manes* de loco, quo animae continentur. Cf. Aen. X, 181. Geo. I, 243. et Hor. Od. I, 4, 24. *Iam te premet nox fabulaeque Manes et domus Plutonia.* Ad constructionem compara v. 243. *sub Tartara mittere*, Silii locum infra laud. et, quod ad Graecos attinet, Aesch. Pers. 623. θαλάμους ὑπὸ γῆς. — *haec fama* est huius rei fama. Vid. ad II, 171. et VII, 595. coll. adnot. ad Geo. I, 329. Quod ad ipsam rem, ad nuntios rerum in hac vita gestarum inferis allatos attinet, Heyn. memorat, sic apud Pind. Ol. XIV, 29. Famam patri ad inferos nuntiare victoriam filii. Adde Sil. Ital. XI, 255. *mihi fama sub umbras Te feret oppressum Capuae cecidisse ruinis* ibique Interpp. et Theocr. XII, 18 sq. Ceterum Peerlk., cum Dido, si Aeneae ubique umbra adesset, *videre* posset eius poenam, neque opus esset, ut eam fama cognosceret, versum 386. ante 385. collocandum censet, ut haec sit loci sententia: „Omnibus locis, quamvis absens, tibi tamen adero, *ut umbra tua tuum corpus sequitur*. Et cum mortua ero, audiam poenas tuas, nam poenas dabis." Sed simplex voc. *umbra* nullo modo id significare potest, quod Peerlk. vult; certe adiiciendum fuisset *tua*, imprimis cum etiam Pronomen *tibi* omissum sit; quare hic locus non conferri potest cum Plaut. Cas. I, 1, 3. (*certum est mihi, quasi umbra, quoque ibis tu, te persequi*) et similibus; contra vero, cum illa *Omnibus umbra locis adero* de solo spectro intelligenda sint Aeneae Didonis personam repraesentante, nuntius poenae non inepte dicitur ad ipsam Didonem inter Manes versantem perventurus esse. Ribbeckio poëta hunc locum, in quo iam veteres haesisse ex Servii paraphrasi appareat, non absolvisse videtur, cum aut v. 386. aut v. 387. abundet (quod tamen iure negat Ladew. in Append. p. 247., cum v. 386. denuntiet poenam ipsam, sequens autem Didonis gaudium, quo poenae nuntium acceptura sit) et Vergilium ambiguum fuisse putat, utrum locum sic terminaret, ut vulgo legitur, an suppleto quomodocumque hemistichio 384. reliqua sic ordinaret: 382. 383. 384. (omissis verbis *sequar atris ignibus*) 387. 385. 386. (Cf. eius Proleg. p. 59 sq.) — **388**. *medium d. sermonem abrumpit*, Aeneae responsionem non exspectans. Noli enim locum ita intelligere, ac si ipsa alias querelas addere voluisset. Ceterum vid. supra v. 276. et cf. infra IX, 657. Etiam ap. Tac. Ann. IV, 60. legimus *inceptum sermonem abrumpere*. — **389**. *auras fugit*, lucem; quod infra v. 451. *taedet caeli convexa tueri*. Cf. etiam Geo. III, 417. *caelum fugit*. In thalamum autem se abdidisse putanda est. — *aegra*. Vid. ad Ecl. I, 13. Geo. I, 237. Aen. I, 208. — *ex oculis avertit et aufert*. Imitatur haec Senec. Cons. ad Marciam c. 23. *Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus*. —

Linquens multa metu cunctantem et multa parantem
Dicere. Suscipiunt famulae conlapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo stratisque reponunt.
At pius Aeneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit et dictis avertere curas
Multa gemens magnoque animum labefactus amore,
Iussa tamen divom exsequitur classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt et litore celsas
Deducunt toto navis. Natat uncta carina
Frondentisque ferunt remos et robora silvis
Infabricata fugae studio.

---

390. *multa cunctantem*, pro multum cunctantem, ut apud Val. Fl. I, 757. *multa leo cunctatus*. Cf. adnott. ad Geo. III, 226. et Wunderl. Obss. ad Tibull. I, 6, 7. Contra III, 610. legimus *haud multa moratus*. — *metu*, ne dolorem iramque Didonis se purgando augeret. — *parantem*. Medic., Bern. III. et multi alii Codd., sed deterioris notae, *volentem*, quod Wagn. ex Aen. II, 776. repetitum censet. (Cf. etiam Geo. IV, 501.) Miror igitur, hanc lectionem a Ladew. esse receptam. Respexit hunc locum Val. Fl. VIII, 445. *Sic fata parantem Reddere dicta virum furiata mente refugit*. — **391**. Ribbeck. cum Pal. scripsit *Succipiunt;* sed plurimorum Codd. scriptura praestat. Cf. Velius Longus p. 2226. — *collabi* verbum proprium de iis, qui vel animi defectum patiuntur (vid. infra VIII, 584. *famuli conlapsam in tecta ferebant*, Ovid. Met. VII, 826. X, 186. cett.), vel vere animum exspirantes procumbunt (vid. infra 664. Ovid. Met. VI, 295. al.). — **392**. *Marmoreo thalamo*, in thalamum marmoreum, marmore ornatum. Vid. supra ad v. 373. Verba *stratisque reponunt* iterantur in Ausonii cent. nupt. 82. — **393**. *lenire dolentem*. Etiam apud pedestris orationis scriptores invenitur *lenire hominem* pro: animum hominis. Cf. Cic. Mur. 31, 65. *te dies leniet, aetas mitigabit*. id. Att. VI, 2. *Illum saepe lenivi iratum*. id. ad Qu. fr. III, 5. *se multa consolatione lenire*. — **394**. *dictis avertere curas*. Cf. II, 775. *curas his demere dictis*. — **395**. *labefactus*. Cf. VIII, 390. Verba *animum labefactus amore* iterantur in Anth. Lat. I, 14, 21. — **396**. *Iussa divom exsequitur*. Vid. infra VI, 236. Cic. Phil. IX, 4, 9. *mandata exsequi*, Ter. Heaut. IV, 1, 22. *imperium exsequi* cett. — *classem revisit* post longam absentiam et neglectionem, ut recte explicat Henry in *Tw. years* IV. p. 57. et Philol. XII. p. 260. — **397**. *tum vero*. Vid. ad Aen. II, 105. et Henry ll. ll. — „*incumbunt* [non remis, sed] operi reficiendarum navium. Usurpatur verbum ita, ut Dativus rei, cui opera enixe datur, omittatur, itaque pro vires intendere, conniti, ut ap. Ovid. Met. X, 657. de currente [*Nunc, nunc incumbere tempus - - nunc viribus utere totis*]. Similiter Graeci verba ἀντιλαμβάνεσθαι, συνεπιλαμβάνειν, Genitivo rei non adiecto, posuerunt. Cf. Thucyd. II, 8.“ *Wund*. Primum comparandus erat parallelus ipsius Vergilii locus, Aen. IX, 73. Ceterum Heyn. conferri iubet Hom. Il. II, 149 sqq. et IV, 223 sqq. — **398**. *uncta carina*, pice delibuta. Cf. VIII, 91. *Labitur uncta vadis abies* et Ennius Ann. XIV. fr. 2. p. 57. Vahl. *Labitur uncta carina*. — **399**. Petunt materiam ex silvis, cum navalia non habeant. *Frondentes remi*, i. e. rami arboribus subito detracti needum remigando aptati (cf. I, 552., ubi *stringere remos* i. q. stringere ramos, ut remi fiant), eodem spectant, quo *Infabricata robora*, nondum dolata; inserviunt enim apparationis celeritati significandae. Cf. Val. Fl. VIII, 287. *intorquent truncis frondentibus undam*. Adiectivum *infabricatus* inter ἅπαξ λεγόμενα referendum videtur. Ceterum plures Codd. facili errore pro *remos* exhibent *ramos*, quod cum Burm. ad Ovid. Am. III, 8, 43. praefert Peerlk., cum haec lectio magis indicet studium celeritatis et melius conveniat cum *roboribus*, quae pro *malis* essent, ut *rami* pro *remis*. Henry, qui prius et ipse *ramos* defenderat in *Tw. years* IV. p. 58., hoc iure retractavit in Philol. l. l. (*Remos* in 39, ramos in duobus modo Codd invenit.) — *silvis*. Vid. adnott. ad Aen. I, 184. — **400**. *fugae studio*

Migrantis cernas totaque ex urbe ruentis.
Ac velut ingentem formicae farris acervum
Cum populant hiemis memores tectoque reponunt:
It nigrum campis agmen praedamque per herbas
Convectant calle angusto; pars grandia trudunt
Obnixae frumenta humeris; pars agmina cogunt
Castigantque moras; opere omnis semita fervet.

---

quia discessum accelerare student. *Fugam* autem et *fugere* de quavis celeriore abitu, vel cursu omnino dici, iam ad Geo. III, 142. et Aen. I, 317. vidimus. — **401.** *migrantis* - - et - - *ruentis*, i. e. ruentes, ut migrantes (festinare) solent. — *cernas* (si velis) poëtice pro *cerneres*. Sic VIII, 691. *credas innare*. Ovid. Met. I, 242. *in facinus iurasse putes*. ibid. XI, 517. *inque fretum credas totum descendere caelum*. X, 654. *Posse putes illos sicco freta radere passu* cett. Cf. de hoc potentiali, quem vocant, Optativo verborum *cernendi*, *putandi*, *credendi*, *sciendi*, *dicendi* et similium Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 1, 108. Beier. ad Cic. Lael. 25, 96. Ochsner. ad Ovid. Met. I, 162. p. 517. ed. Bach., alii. — V. **402** sqq. ex Apollonio IV, 1452 sqq. sumptos esse, adnotat Heyn., recte vituperans eos, qui de dignitate huius comparationis, cuius cardo non in ipso animantium genere, sed in festinationis et industriae notione versetur, dubitaverint; cum optimis quibusque scriptoribus etiam a parvis rebus et animalibus exempla petantur, veluti Hom. Il. II, 469. XVI. 641. Apollon. IV, 1298. cett. Henry autem (qui etiam cf. in *Tw. years* IV. p. 59.) putat, poëtam formicarum comparatione ea potissimum de causa usum esse, quia Didoni ex summa arce prospicienti (v. 410.) abeuntes minima forma appareant necesse sit. coll. Basil. Hexaem. Hom. VI, 9.; de cuius sententiae veritate alii iudicent. — *Ac velut*. Comma vulgo post *ac* positum Wagner. secuti delevimus, cum cohaereant *velut cum*, *ὡς ὅτε*. Vid. adnott. ad Aen. I, 148. *Velut* autem pro vulg. *veluti* hic non minus quam infra v. 441. et VI, 707. ex optimis Codd. restituit Wagn., quamquam Medic. vulgari lectioni favere videtur; *veluti* enim et *uti* apud Vergilium non nisi ante consonam locum habere contendit. Ceterum *Wund.* haec adnotat: „Omisit poëta notionem *studiose laborantes*, quam post v. 407. per formulam *haud secus* vel *haud aliter* annexam exspectabis, ut v. 441—447. factum est.“ — **403.** *populant*. Vid. ad Geo. I, 185. (*populatque ingentem farris acervum*) et Aen. I, 527. Respexit hunc locum Colum. X, 322. *Neu formica rapax populari semina possit*. — *hiemis memores*, providentes sibi in tempus hibernum, ubi frumenta colligere non possunt. Cf. Hor. Sat. I, 1, 35. atque etiam Geo. I, 186. — *tecto*, in cellis. — **404.** „*It nigrum campis agmen:* Hemistichium Ennii [p. 144. Hessel. s. Ann. inc. fr. 17. p. 69. Vahl.] de elephantis dictum, quo ante Accius est usus de Indis.“ *Serv.* — *It agmen*, *praedamque Convectant*. Vid. ad II, 31. *Convectandi* verbum praeter h. l. et VII, 749. (ubi pariter legimus *convectare praedas*) non nisi apud Tac. Hist. III, 27. videtur inveniri. Infra IX, 613. idem est *comportare praedas*. — **405.** *calle angusto*. Cf. Geo. I, 380. ibique adnott. — *trudunt* - - *humeris*, quae portare non possunt. Totum hunc locum imitatus est Ambros. Hex. VI, 4, 16. (a Wold. Ribbeckio laud.) *nigro convectatur agmine praeda per campos - - - et quae comprehendi angusto ore non possunt, humeris grandia frumenta traduntur*. Ambros. igitur *tradunt* videtur legisse, cuius lectionis in Codd. nostris nullum invenitur vestigium. — **406.** „*Cogere agmen*, locutio saepe a re militari ad alia translata, usurpatur de iis, qui agmen claudunt eo consilio, ut morantes coërceant et a rapinis prohibeant.“ *Wund.* Cf. Herzog. ad Caes. B. G. I, 4. — **407.** *castigant*, graviter vituperant: cf. V, 387. VI, 567. — *moras* pro morantibus, tardis, ut *opus* pro operantibus formicis, ex usu dicendi poëtis satis familiari. (Thiel. inter alia confert Ter. Andr. II, 3, 21. *uxorem his moribus dabit nemo* pro: homini sic morato. Stat. Silv. III, 2, 81. *tot gracili ligno complexa timores* pro: amicos, pro quibus timemus cett.) — Verba *opere omnis semita fervet* repetuntur in Anth.

Quis tibi tum, Dido, cernenti talia sensus,
Quosve dabas gemitus, cum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus aequor!
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis!
Ire iterum in lacrimas, iterum temptare precando
Cogitur et supplex animos submittere amori,
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.

Lat. I, 171, 7. Cf. etiam Geo. IV, 169. — „*semita fervet* pedibus frequentibus discursantium formicarum, semitam terentibus et calefacientibus"; haec Wakef. ad Lucr. II, 42. *Wund.* haec adnotat: „*fervere* tribuitur locis, quae opere et turba frequentantur. Cf. Aen. VIII, 677. Martial. II, 64, 7. *fora litibus omnia fervent.* Sic v. 409. [et 567.] *litora fervere,* ubi diversum puto *Troiani fervent* [ut Heyn. locum interpretatur], quod affectum aliquem animi Troianorum significaret." Adde infra v. 567. IX, 693. Geo. IV, 169. et Stat. Theb. X, 560. *fervent discursibus arces.* De duplici verbi forma vid. ad Geo. I, 456. — **408**. Cf. Hom. Il. XXIV, 367. Henry (*Tw. years* IV. p. 59.) comparat Soph. Philoct. 276 sqq. Totum, qui sequitur, locum Sedul. carm. Pasch. II, 127 sqq. sic imitatur: *Quis tibi tunc, lanio, cernenti talia sensus? Quosve dabas gemitus, cum vulnera fervere late Prospiceres arce ex summa vastumque videres Misceri ante oculos tantis plangoribus aequor?* — *Quis tibi tum sensus,* i. e. quo tandem nomine appellem eum sensum, qui tibi tum fuit, cum cernebas talia. Sic autem nunc cum omnibus recentioribus editoribus (etiam Ladew. in recentissima edit., qui prius mecum *tunc* ediderat) scripsi, quamquam non solum Med., sed etiam Prisciani XVII, 80. p. 1072. et Sedulii auctoritas formam *tunc* tuetur, in quam etiam Donati (ad Ter. Adelph. IV, 5, 34.) lectio *nunc* ducere videtur. Cf. autem adnott. ad Ecl. III, 10. et Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 383 sq. Burm. temere *nunc* vult legi, refutatus iam a Wunderl. Obss. ad Tibull. I, 3, 50. — **409**. *Quos dabas gemitus.* Vid. ad I, 485. Sic Ovid. Met. IX, 583. *voces dare* et multa similia. — *fervĕre.* Vid. ad Geo. I, 456. — **410**. *arce ex summa.* Vid. ad II, 718. — **411**. *misceri aequor* Heyn. dictum putat pro: clamores misceri in aequore; rectius Wund.: „*miscetur mare,* ubi motus est strepitusque plurium opus facientium." Vid. II, 208. et 486. coll. I, 124. et XII, 445. — *tantis.* Peerlk. temere coni. *laetis.* — **412**. Cf. III, 56. ibique adnott. Colorem huius versus (qui totus iteratur in Anth. Lat. I, 178, 12., ut verba *quid non m. p. cogis?* ibid. III, 81, 27.) ex Apollon. IV, 446. sumptum esse, observavit Heyn. — **413**. Verba *Ire iterum in lacrimas* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 80. et 178, 14., sequentia autem ibid. I, 172, 72. sic mutantur: *Cogitur et supplex animum temptare precando.* — *ire in lacrimas* pro descendere ad lacrimas (ut V, 782. *cogunt me - - preces descendere in omnes*) paulo insolentius dictum; ex vulgari dicendi ratione potius esset in lacrimas se solvere (*in Thränen zerfliessen*), ut *in sudorem ire* ap. Flor. II, 4., *Mulciber ibat in cinerem* ap. Stat. Theb. VI, 234. et similia. — *tentare precando.* Vid. supra v. 113. — **414**. „*animos* non male pro *iras* accipiunt nonnulli ap. Serv.; possunt tamen alti, superbi spiritus non minus bene locum habere." *Heyn.* Et haec altera quidem explicatio magis convenit addito voc. *supplex.* — **415**. „Brevitatem et poëticam dicendi rationem nota pro vulgari: ne, si quid inexpertum relinquat, *frustra* moriatur. Verba a cogitatione Didus pendent." *Wund. Frustra* autem hic non sine effectu, sed sine consilio et iusta causa, temere significat. Recte enim Heyn.: „Dido frustra moritura esset, si quid opis et auxilii neglexisset, quo tentato Aeneam in urbe sua retinuisset." Cf. etiam Burm. ad Aen. II, 348. et Henry in *Tw. years* IV. p. 60. et Philol. XII. p. 260., qui comparat Lucan. VII, 730. *perituraque frustra Agmina permisit vitae.* Non igitur probanda eorum ratio, qui locum sic interpungendum esse

„Anna, vides toto properari litore; circum
Undique convenere; vocat iam carbasus auras,
Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero. Miserae hoc tamen unum
Exsequere, Anna, mihi; solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;
Sola viri mollis aditus et tempora noras:
I, soror, atque hostem supplex adfare superbum:

---

suspicantur: *Ne quid inexpertum (frustra!) moritura relinquat.* — **416.** De omisso verbo dicendi celerique a narratione ad orationem transitu vid. ad III, 85. Iam Markland. ad Stat. Silv. II, 5, 13. vulgarem distinctionem (*litore circum: Undique*) vidit mutandam esse in eam, quam nos cum Heynio aliisque amplexi sumus. — Iahn., Wagn. et Haupt. post *litore* signum interrogandi posuerunt, quod ceteri recentiores editores iure non sunt imitati. De coniunctis Particulis *circum undique*, i. e. ex omnibus, quae circa sunt, locis, cf. imprimis Hand. Turs. II. p. 63. et Markl. ad Stat. Silv. II, 5, 13. — **417.** *carbasus.* Vid. ad III, 357. — *vocat auras*, exspectat et quasi optat. Vid. supra v. 223. — **418.** Cf. Geo. I, 304., ubi hunc versum iam legimus; quem hoc loco vituperant veteres quidam Grammatici. Etiam apud Servium legimus: „*Probus sane sic adnotavit: si hunc versum omitteret, melius fecisset.*“ Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 142. 153. — *laeti.* Praeter l. Geo. modo l. cf. etiam I, 35. *vela dabant laeti.* Post hunc versum Ribbeck. (qui etiam cf. in Emend. Verg. p. 5 sq. et in Proleg. p. 59.) inserit v. 548. et 549., totum tamen locum a poëta non absolutum censet et quoniam vel sic hiet oratio, post v. 549. lacunam sumit. Sed vide, quae contra eum verissime disputavit Regel Quaest. Verg. crit. p. 21 sq. — **419.** *Hunc dolorem*, quo me nunc affectam sentio. Vid. Wagn. Qu. Verg. XX, 3. — „Verba *si potui* Heyn. explicat *si debui.* Sed rectius Wachsmuth. in Athenaeo I. p. 276. censet, *si*, ut *εἰ* et nostrum *wenn, wofern*, esse in his *so gewiss als*. Vid. not. ad Hor. Od. I, 1, 29.“ *Iahn.* Cf. etiam adnott. ad Ecl. II, 27. et Geo. I, 7. Sensus igitur hic est: Ut praevidere poteram hanc Aeneae perfidiam et discessum (cf. v. 297 sq.), ita etiam pectus firmabo ad dolorem ferendum. Id unum ab eo peto, ut nolit tam subito abire, sed per aliquod tempus remoretur, quo me ad eius discessum parare possim. *Peerlkamp.* autem (cui adsentitur Benoist.) plane contrariam in hoc loco invenit sententiam: „Non potui expectare hunc dolorem, ergo non perferre potero. Si potuissem exspectare, me ad eum ferendum praeparare potuissem“; cui rationi adversatur tota eius natura et conformatio. — *sperare*, i. q. exspectare, praevidere. Vid. ad Ecl. VIII, 26. et Aen. I, 543. — **421.** *solam nam.* Vid. ad I, 444. De *κακοφωνίᾳ* Thiel. conferri iubet supra v. 178. *ira irritata* et v. 238. *parere parat.* Vid. etiam adnott. ad Aen. II, 27. III, 203. VI, 116. al. — **422.** *Te colere - - tibi credere.* Cf. adnott. ad Geo. I, 200. *Peerlk.* haec adnotat: „Dido vel sorori hanc notitiam Aeneae invidet. Varro scripsit, Aeneam ab Anna fuisse amatum. Vid. Servium ad Aen. V, 4. et IV, 682. Adde Ovidium Fast. III, 623.“ — **423.** Sola sciebas aptum tempus invenire, quo maxime affabilis esset. Cf. supra ad v. 293. Quinct. Decl. IX, 2. *Qui dum tempus opportunum, faciles aditus capto,* Ovid. Met. IX, 610. *Non adiit apte, non legit idonea, credo, Tempora* et Grat. Cyneg. 334. *accessus et agendi tempora belli.* — **424.** *hostem* Heyn. recte explicat infestum, odiosum virum. Thiel. cum aliis etiam pro *hospite* accipi posse censet, coll. Heusing. ad Cic. Off. I, 12. — „*superbum* appellat, quippe qui precibus et lacrimis non cesserat. Cic. Tusc. I, 8, 17. *Superbum id quidem est* de eo, qui non respondit.“ *Wund.* Aeneas vero superbe responderat. Cf. v. 337 sqq. Ceterum Peerlk. post *superbum* pro Colo Punctum vult positum: „Est enim, inquit, oratio Didonis ad Annam, ut ostendat, se dignam esse, pro qua Aenean alloquatur. Anna uti poterat his argumentis, sed

Non ego cum Danais Troianam exscindere gentem
Aulide iuravi classemve ad Pergama misi,
Nec patris Anchisae cinerem Manisve revelli:
Cur mea dicta negat duras demittere in auris?
Quo ruit? extremum hoc miserae det munus amanti,
Exspectet facilemque fugam ventosque ferentis.
Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro,
Nec pulchro ut Latio careat regnumque relinquat;
Tempus inane peto, requiem spatiumque furori,

---

hoc Dido ipsius arbitrio relinquit"; quod propter v. 428 sqq. probare non possum. — **425** sqq. „Color orationis frequens: Quid tantum in eum commisi, ut me fugiat? Tamquam poëta gravissima scelera, quae committi possint, memorat. Cf. Tibull. I, 2, 79 sq." Haec *Heyn.*, qui simul observat, h. l. ita imitatum esse Ovidium Her. VII, 165 sqq., ut plurima argutiis infirmaverit. Praeterea etiam Silius VI, 504 sqq. hunc locum ante oculos habuit. Loquitur autem Dido aegritudine affecta, ac si praesens esset Aeneas. — *exscindere gentem* redit IX, 137. Sic apud Tac. Ann. II, 25. *exscindere hostem.* Saepius de urbibus, ut supra II, 177. Liv. XLIV, 27, 5. al. Cf. etiam adnott. ad Aen. II, 637. — **426**. *Aulide iuravi.* Aulide enim, in Boeotiae oppido, in cuius portu convenerat Graecorum classis, iuraverunt Graeci, se nisi Troia capta non esse reversuros. Cf. interpp. ad Hom. Il. II, 303. 496. et Hor. Od. I, 15, 7. *Graecia Coniurata - - rumpere - - regnum Priami vetus.* De ipsa Aulide eiusque portu (qui nunc *Vathi*, i. e. βαθὺς λιμήν, vocatur) vid. librum meum geogr. III. p. 922. — **427**. *patris cinerem* ideoque etiam eius *Manes* (cf. supra v. 34. et Pers. I, 38. *Nunc non e Manibus illis, Nunc non e tumulo fortunataque favilla Nascentur violae?* a Coningtone laud.) *revelli*, i. e. laesi, violavi; quod quantum scelus veteribus visum fuerit, satis notum. Wund. conferri iubet Cic. Tusc. I, 12, 27. Adde interpp. ad Ovid. Met. I, 386. Fortasse poëta alludit ad narrationem illam a Servio proditam, Diomedem Anchisae tumulum vere evertisse cineremque secum abduxisse, postea tamen, cum multa ex eo tempore adversa perpessus esset, Aeneae reddidisse. Quod quamquam eo tempore, quo Dido haec dicebat, nondum factum erat, poëtae tamen eiusmodi res, quas sine anachronismo narrare non possunt, leviter certe attingere et innuere solent. Ceterum Ribbeck. ex Pal., Gud., Minoraug., tribus Bern. et aliquot Servii Codd. recepit Pluralem *cineres*, coll. V, 55. 81. — **428**. *mea dicta*, preces meas. — *negat.* Ribbeck. ex Pal. a m. pr. et Med. a m. sec. recepit lectionem *neget*, in quo eum sequitur Conington. — *demittere in auris*, ut apud Sall. Iug. 102, 11. et Liv. XXXIV, 50, 2. *in pectora animosque aliquid demittere* (ubi vid. Kritz. et Drak.) et similia. — **429**. *Quo ruit?* plane ut nos: *wohin geht er?* si significare volumus: cur abit? quidni hic manet? Sic etiam apud Hom. Il. VIII, 94. πῇ φεύγεις; ceterum cf. adnott. ad Aen. I, 8. — *hoc munus*, hanc gratiam, ut Graec. δωρεά (ap. Aesch. Prom. 637. et al.). Cf. Ecl. VIII, 60. — **430**. *fugam.* Vid. supra v. 281. et de *vento ferente* ad III, 473. Ceterum cf. supra v. 309 sq. — **431**. *Non iam - - oro* — opponuntur verba *Tempus inane peto* etc. Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 178, 78. Praeterea videtur hunc locum respexisse Ovid. Rem. am. 273 sq. *Non ego - - Iam precor, ut coniunx tu meus esse velis.* In eiusmodi autem locis *iam* negationi additum non tam temporis rationem habet, quam potius iudicio definiendo inservit et significat, id, quod quis dicere aut arbitrari possit, in praesente rerum statu non amplius venire in considerationem, quare etiam interdum *amplius* adiicitur (ut Aen. III, 192. 260.). Simillimus est locus Aen. V, 194. *non iam prima peto - - Extremos pudeat rediisse.* Cf. etiam Hand. Turs. III. p. 131 sqq. (Adsentitur mihi Conington.) — *antiquum*, pristinum. Vid. ad I, 23. et II, 188. et cf. infra v. 458. cum VI, 473. ibique adnott. — *prodidit* Wund. recte explicat: perfide reliquit. — **432**. *regnum relinquat*, regnum a fato sibi destinatum negligat. — **433** sqq. „Petit tempus ad leniendam

Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam — miserere sororis —;
Quam mihi cum dederit, cumulatam morte remittam."

---

amoris vim primumque impetum frangendum, donec ille cum tempore in dolorem subsidat." *Heyn.* — Verba *Tempus inane peto* repetuntur in Anth. l. l. v. 79. De omissa Particula adversativa post *non iam* cf. Hand. Turs. III. p. 133., omnino autem de Particulis adversandi cum vi quadam omissis, ut sententiae ἀσυνδέτως se excipiant, praeter eos, quos laudat Kritz. ad Sall. Cat. 35, 2. et 58, 14., cf. Bauer. ad Sanct. Min. II. p. 323. Wunderl. et Dissen. ad Tibull. I, 5, 43. Bach. ad Ovid. Met. II, 358. Kuehner. ad Cic. Tusc. I, 34, 83. Beneck. ad Cic. Cat. I, 1, 3. alii. — „*tempus inane* est, quo nil agitur; Val. Fl. III, 657. *inania tempora;* h. l. illud, quo nullum amoris commercium regina expetet, nec consiliis Aeneae officiet." *Wund.* Ita etiam Servius, sed paulo impudentius: „sine officio coëundi". Conington confert Quinct. IX, 4., Burm. autem Lucan. II, 342., ubi Marcia Catonis *da tantum,* inquit, *nomen inane Connubii,* ubi vid. Schol. Peerlk. tamen *tempus inane* interpretatur „quasi non rem magnam". Ceterum respexit hunc locum Ovid. Her. VII, 178. *Pro spe coniugii tempora parva peto* etc. et Remed. 277. *Ne properes, oro. Spatium pro munere posco. Quid minus optari per mea vota potest?* Quod ad sententiam attinet, Henry in schedis mecum communicatis confert Sen. Agam. II, 129. *Proin quidquid est, da tempus ac spatium tibi. Quod ratio non quit. saepe sanavit mora.* — **434.** *doceat me,* nunc furentem, *victam dolere,* ad dolorem, leniorem affectum, descendere, i. e. patienter dolorem ferre. Cf. Ovid. Her. VII, 177 sqq. — **435.** Ladew. ex coni. prorsus supervacanea edidit *ora.* Codd. vero lectionem recte defendit Wagn. in Phil. Suppl. I. p. 403. — *veniam,* beneficium, gratiam (cuius? Vid. infra). Cf. supra v. 50. Verba *Extremam hanc oro veniam* repetuntur in Anth. l. l. v. 80. — *miserere sororis,* quae tales ad preces redacta sit. Ribbeck. tamen suspicatur, haec verba fortasse ex v. 478. imitatione interpolata esse. — „*veniam dare alicui* proprie dicitur pro petenti aliquid annuere et perficere. Vid. interpp. ad Ter. Hec. IV, 2, 29." *Wund.* Adde Ruhnk. ad eundem l. et Andr. V, 3, 30., qui laudat Cic. pro Arch. 2. et ad Qu. fr. III, 1. — **436.** *dederit.* Sic nunc cum Ribbeckio (qui etiam cf. in Proleg. p. 94. et 365.), Ladew. et Benoisto ex Med., Pal. et Gud. a m. pr. recepi pro vulg. *dederis* (suadente etiam Haeckermanno in *Zeitschr.* XIX. p. 119.), cum nisi ad Aeneam relata haec verba iustum sensum non praebeant atque etiam *extrema venia* melius ad eum, quam ad Annam quadret, ita ut haec tantum graviter repetant sententiam v. 429. *extremum h. m. det munus amanti.* Wagn. l. l. vulgarem lectionem defendit, quam etiam ceteri recentiores editores servarunt et Servius tuetur. — Multum in hoc versu explicando sudarunt interpretes, cuius sensum paulo obscuriorem esse negari non potest. Heyn., quocum consentiunt Iahn. et Süpfl., lectionem *dederis* servans locum sic interpretatur: „Quam gratiam, quod beneficium si mihi praestiteris, usque ad mortem grata ero. — *cumulatam remittam* pro cumulate referam, et *morte* in morte, antequam moriar; grata ero per totam vitam usque ad mortem, ut in morte gratia cumulate repensa esse videri possit." Verissime autem Wagn. contendit, *morte* significare non posse *per totam vitam usque ad mortem,* sed tantum *cum moriar* s. *moriens* (vid. supra ad v. 244.). Quomodo autem Dido moriens sorori gratiam cumulatam relatura sit, utrum successionem regni (quod Wagn. suspicatur, qui tamen in min. edit. de testamento cogitans universe explicat: „quod mihi gratum feceris, remunerabor, ut plus feras a me, quam ego a te accepero") an divitias sorori relinquendas, an aliam rem cogitet, de hoc quaerere non attinet lectione *dederit* recepta, quae de venia Aeneae remittenda cogitare nos iubet. Sensus igitur, si locus non est corruptus, hic esse debet: Si paulo longius apud me commoratus fuerit, ego voluntaria morte, qua me in perpetuum liberabitur, quam gratissimam me praestabo. Ipsam enim iam nunc de morte sibi inferenda cogitare, quod, cum infra demum v. 450 sqq. hoc consilium iniisse narretur, Wagn. negat,

Talibus orabat, talisque miserrima fletus
Fertque refertque soror. Sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit;
Fata obstant placidasque viri deus obstruit auris.
Ac velut annoso validam cum robore quercum

---

supra ex v. 415. luce clarius apparere puto; quare etiam Iahnium *mortem* non recte de naturali morte accipere puto. Dido quidem videtur velle, ut haec de naturali morte intelligat soror, ipsa autem iam de caede sibi inferenda cogitat. (Ceterum *veniam remittere* pro gratiam referre, beneficium reddere, paulo insolentius dictum esse non nego; quamquam Conington in verbo *remittere* pro *reddere* posito non haeret, comparans Hor. A. P. 348 sq., *cumulatam* autem non male interpretatur „*with interest*" coll. Livio II, 23. *aes alienum cumulatum usuris*.) Plane novam loci, quem Wagn. in desperandis habendum esse censet, explicandi rationem iniit Henry (in *Tw. years* IV. p. 61 sqq.), qui, servans Codd. Med. et Ambros. lectionem *cumulata* et respiciens potissimum Aeneae verba v. 360. *Desine meque tuis incendere teque querelis*, locum sic interpretatur: *remittam*, voluntati Aeneae satisfaciens desinam eum querelis et precibus fatigare (quemadmodum ap. Silium XIV, 536. legatur *Vix morte incepta remittam*), *cumulata morte*, etsi abitu eius mors mihi quasi multiplex paratur; quam explicationem nimis artificiosam iuvari quodammodo censet loco Stat. Theb. XI, 582., ubi *mors imperfecta* legatur. (Non tamen reticendum, virum doctiss. nunc omnia et l. l. et in Philol. XII. p. 260 sq. de hoc loco scripta retractare, ut, quid nunc de eo statuat, nesciam.) Wilms. Progr. p. 18. et ipse amplexus Medicei lectionem simulque Schraderi coniecturam *sorte* locum sic interpretatur: „Extremam hanc oro veniam, - - quam mihi cum dederit Aeneas, cumulata mea sorte, i. e. quia tum fata mea plus quam completa erunt, quia tum nihil erit quod iam desiderem, eum remittam, ἀποπέμψω. Cf. Odyss. V, 163." Ladew. in Append. p. 247., ceterum Wilmsio adsentiens, *cumulatum* (sc. Aeneam) vult legi (quod etiam Conington probat, et contra Henricum et contra Wagnerum disputans), quid autem ex *morte* faciendum sit, se nescire fatetur. Ribbeck. recepit coniecturam suam minus felicem *monte* (scil. auri argentique), quam in Proleg. p. 94 sq. defendere studet locis Pers. III, 65. Plaut. Mil. IV, 2, 73. et Ter. Phorm. I, 2, 18. Peerlk. denique (cui adsentitur Gossr.) propter difficultatem interpretationis non solum hunc totum versum, sed etiam antecedentem (in quo ipso multa vituperanda esse arbitratur) spurium censet. Praeterea de eo cf. Heumann. Poecil. III. p. 536. Voss. in *Anm. u. Randgl.* p. 210. Hoegg. de diffic. quibusd. Virg. locis p. 10 sqq. et Guenther. Animadv. in aliqua Virg. loca p. 14 sqq. — **437.** *Talibus orabat.* Cf. X, 96. — *fletus*, preces multis cum lacrimis prolatas. Similiter II, 145. *lacrimae.* — **438.** *fertque refertque*, iterum iterumque fert, quam explicationem comprobari v. 447., iam Wagn. vidit. Cf. infra V, 709. VI, 122. XII, 753. 866. Ovid. Met. II, 409. VIII, 163. 537. Trist. I, 7, 6. Val. Fl. I, 725. Heins. ad Ovid. Fast. I, 126. Ruhnk. ad Ovid. Her. XV, 118. Wunderl. et Dissen. ad Tibull. II, 6, 46. Iahn. ad Ovid. Trist. I, 7, 6. Obbar. ad Hor. Ep. I, 7, 55. Vol. I. p. 381. alii. Verba *Fertque refertque soror* iterantur in Anth. Lat. I, 168, 16. — **439.** *aut.* Ribbeck. ex uno Goth. I. recepit *haut.* — *tractabilis audit*, ita audit, ut commoveatur. Cf. Cic. Att. X, 11. *nihil est eo* (filio meo) *tractabilius.* Suet. Octav. 65. *Agrippam nihilo tractabiliorem.* Plin. Ep. IX, 24. *quod te tam tractabilem video* cett. Ceterum hic versus cum altero prioris hemistichio repetitur in Anth. Lat. I, 172, 76 sq., ut verba *Sed nulla movetur Fletibus* ibid. 178, 14 sq. — **440.** *Fata obstant*, quibus, qua est pietate, Aeneas resistere non potest. — Translatum hoc in VI, 438., ubi ex meliorum Codd. auctoritate legendum *Fas obstat.* — *placidas auris*, aures hominis alioquin placidi. Consuluit autem poëta, quod Wund. adnotat, laudi humanitatis Aeneae. — Pro *viri* Wakef. ad Lucr. V, 753. temere coni. *viro*, quod Peerlk. probare non debebat. — *deus*, iussa, voluntas deorum. Noli enim de certo aliquo deo cogitare. — **441** sqq. Macrob. Sat. VI, 2. hanc com-

Alpini Boreae nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant; it stridor et altae
Consternunt terram concusso stipite frondes;
Ipsa haeret scopulis et quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit:
Haud secus adsïduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur et magno persentit pectore curas;
Mens inmota manet; lacrimae volvuntur inanes.
Tum vero infelix fatis exterrita Dido

---

parationem ex Iliad. XVI, 765 sqq. fluxisse sine iusta causa contendit. Magis huc trahi posse Iliad. XII, 131 sqq. censet Heyn. — *annoso robore*, i. e. trunco. Sic Ovid. Met. VIII, 743. *Stabat in his ingens annoso robore quercus*, et ibid. VII, 629 sqq. *sonum - - Alta dedit quercus - - tamen oscula terrae Roboribusque dedi.* — **442.** *Alpini Boreae*, ab Alpibus spirantes. Poëtae enim frigoris, nivium, glaciei notionem cum Alpibus solent coniungere (cf. Ecl. X, 47. *Alpinae nives*, Iuven. X, 152. *Alpesque nivemque*, Ovid. Met. XIV, 794. *Alpinus rigor* cett.), pariterque de *Scythico frigore, gelu* cett. loquuntur. Cf. Cort. ad Lucan. I, 18. — **443.** *Eruere certant*, certatim eruere nituntur. *Certare* cum Infin. eodem modo coniungitur Geo. II, 100. Aen. II, 64. VI, 178 etc. Cf. adnott. ad Aen. II, 33. — *it stridor.* Cf. VIII, 595. *it clamor.* — *altae* optimorum quorumque Codd. est lectio, quam cum Wagn. et Iahn. pro vulg. *alte* revocavi, qui recte coniungunt verba *altae consternunt*, i. e. alte consternunt, vel ita consternunt, ut altae sint. Cf. adnott. ad Geo. I, 320. et Aen. II, 53. Secuti sunt omnes recentiores editores praeter Bryceum. — **445** sq. Verba *quantum vertice - - in T. tendit* iterantur ex Geo. II, 291., ubi vid. adnott. Cf. etiam Aen. VI, 578 sq. et de *auris aetheriis* adnott. ad Aen. I, 547. Pro *radice* Med., Gud., Pal. a m. pr. et Bern. I. a m. sec. exhibent *radicem*, ut Med. et Pal. etiam in Georg. loco parallelo. Cum Ablat. *tendere* etiam XII, 938. construitur. — **447.** *vocibus* Annae. — **448.** „*Tundere* et *obtundere* aliquem fere idem est, quod *tundere aures* alicuius, sed h. l. accommodate ad imaginem propositam de Anna usurpatum, quae idem [saepius] repetendo et ingerendo Aeneam movere studebat.“ *Wund.* Cf. Plaut. Poen. I, 3, 25. Ter. Hec. I, 2, 48. Prop. V, (IV,) 5, 35. cett. — *curas*, animi aestuantis motus. — **449.** Verba *Mens inmota manet* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 173., ut sequentia *lacrimae volvuntur inanes* ibid. v. 18. et I, 172, 82. *Mens* opponitur *pectori*, omninoque hic versus arcte cum antecedente cohaeret; quare Wund. et Wagn. Punctum ab Heynio in maiore edit. post *curas* positum recte in Semicolon mutarunt. — *lacrimae* Didonis et Annae; respiciunt enim haec verba ea, quae supra v. 438. legimus: *Sed nullis ille movetur fletibus*, quibuscum cf. v. 370. Consentiunt mecum Voss. in Progr. Crucen. p. 5 sq., Haeckerm. in *Zeitschr.* XIX. p. 119., Conington et Benoist. Sed Thiel., Ladew., Wagn. (in recentiss. edit.) et Henry in *Tw. years* IV. p. 66. et Philol. XII. p. 261. perperam de Aeneae lacrimis cogitant, quae cur *inanes* vocentur, iusta causa non apparet, et *volvuntur* melius quadrat ad mulierum, quam ad viri lacrimas. — *inanes*, Didoni non profuturae. — **450** sqq. Hunc locum Heyn. non iniuria inter felicissimos et elaboratissimos referendum censet. — *fatis*, scil. suis, malis suis, miseria sua consternata, quam in fatis esse nunc intelligit. Ladew., comparans supra v. 345 sqq. et 440. *fata* minus probabiliter explicat *Schicksalssprüche*, quibus credendum esse Dido nunc demum intelligat. Markland. Epist. crit. p. 117. pro *exterrita* coni. *exercita*, ut V, 725., qua coniectura certe non opus est. Heyn., ut comprobet, *exterritus* de iis dici, qui consternati subito aliquo casu et mente alienati insaniant, confert Geo. III, 149. 434. infra XII, 660. et Val. Fl. VIII, 450. — **451.** *Mortem orat. Peerlk.* haec adnotat: „Quos oraret, nisi deos? Et cur *oraret*, quod sibi ipsa dare poterat et dare decreverat? Scribendum potius *mortem optat.*“ Sed nonne poterat Dido

Mortem orat; taedet caeli convexa tueri.
Quo magis inceptum peragat lucemque relinquat,
Vidit, turicremis cum dona inponeret aris,
— Horrendum dictu — latices nigrescere sacros
Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum:
Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri, nox cum terras obscura teneret;
Solaque culminibus ferali carmine bubo

---

orare deos, ut sibi mortem mitterent, ne ipsa cogeretur sibi manum inferre? Possumus vero etiam cum Dietschio Theol. Verg. p. 26. not. 203. *Mortem*, ut XI, 197., pro numine habere, quod Dido oret, ut se ex vita eripiat, vel ex vita cedentem excipiat; eamque explicationem recte, puto, Ladew. et Wagn. (qui confert Soph. Ai. 840. ὦ θάνατε, θάνατε, νῦν μ' ἐπίσκεψαι μολών!) amplectuntur. — *taedet c. c. tueri.* Cf. VI, 435. *lucem perosi.* — *caeli convexa*, ut VI, 241. 750. et X, 251. *supera convexa.* Vid. ad Ecl. IV, 50. et Aen. I, 310. atque cf. Cic. Arat. v. 314. *convexum caeli contingimus orbem* et Ennium p. 327. Hessel. (s. Trag. inc. fr. 6. p. 146. Vahlen.) *caeli ingentes fornices* ibique Colum. Verba *caeli convexa tueri* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 150. Cf. ibid. IV, 61, 5. *Taederet quantos caeli convexa tueri.* — **452**. *lucem relinquat*, ut X, 855. *lucemque relinquo.* Wagn. conferri iubet Columnam ad Ennium p. 53. Hessel. (s. Ann. III. fr. 3. p. 24. Vahlen.: *Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit*), mea ad Lucr. III, 541. et infra ad XII, 62. adnott. Idem Wagn. structuram huius loci sic capiendam esse docet: „quo magis inceptum peragat, *eo impellitur, quod vidit.*“ — **453**. *turicremae arae* ex Lucr. II, 353. (*Nam saepe ante deûm vitulus delubra decora Turicremas propter mactatus concidit aras*), quod iam Macrob. Sat. VI, 5. animadvertit. — *Dona aris inponere* legimus etiam in Anth. Lat. I, 178, 415. Sic Aen. I, 49. *aris inponit honorem*, ubi vid. adnott. — **455**. *in obscenum cruorem.* Vid. ad Geo. I, 470. Quod ad ipsam rem attinet, idem Xerxi inter coenam accidisse narrat Val. Max. I, 6. ext. 1. — **456**. „Ad maiorem horrorem faciendum egregie hic versus comparatus. Nunc demum de Didonis salute desperes. Nam ita humana natura fert, ut in extrema ruens animus et iam deliberata morte defixus silentio pertinaciter omnia premat.“ *Heyn.* Ceterum pauci Codd. voc. *sorori* addunt Verbum subst. *est*, quod in priore edit. recepit Iahn., sed, recte adversante Wagn. Qu. Verg. XV, 6., in altera omisit. — **457** sqq. Imitatus est hunc locum Ovid. Her. VII, 99 sqq. „*templum:* intellige sacellum Sychaei Manibus dicatum, fortasse cum eius signo, ut Ovidius expressit Ep. VII, 99. Simile Elissae templum memorat Silius I, 81 sqq.“ *Heyn.* Wagn. Qu. Verg. XXXIX. quaerit: „An eiusmodi sacella huic iam aetati tribuenda?“ Cf. adnott. ad I, 343. 427. III, 52. IV, 215. cett. — *de marmore*, i. e. ex materia factum, quae dempta est de rupe marmorea. Cf. adnott. ad Aen. IV, 457. VI, 69. Geo. III, 13. et Ecl. VII, 31. — **458**. *antiqui*, prioris. Vid. supra v. 431. Eodem sensu infra VI, 473. *pristinus coniunx* appellatur. — **459**. „*velleribus niveis*, infulis ac vittis laneis, quae etiam in monumentis passim reperiuntur.“ *Heyn.* *Vellus* enim proprie est lana detonsa, quare etiam de rebus dicitur ex lana factis. Prorsus eadem ratione ap. Stat. Silv. V, 3, 8. vittae, quae cingunt poëtarum tempora, *vellera Parnasia* vocantur. — *festa fronde.* Cf. II, 249. — *revinctum* Nominativum habeo, non Accusativum, ut Conington, qui nihilominus Comma post *colebat* positum servavit. — **460**. *Hinc*, ex hoc templo. — *exaudiri voces* etc., quod malum erat omen. Cf. Geo. I, 476. Liv. I, 31. VI, 33 etc. — **462**. *Solaque.* Nonius p. 194,

Saepe queri et longas in fletum ducere voces;
Multaque praeterea vatum praedicta piorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Aeneas; semperque relinqui

---

3. habet *Seraque* (fortasse quia Geo. I, 403. *seros* noctuae *cantus* et Aen. XII, 864. *serum canere* legimus). Sed *sola* praeter omnes Codd. etiam Servius tuetur. — *bubo*, avis noctuae similis, sed maior, a voce, quam edit, appellata, quam diligenter describit Plin. X, 12, 16. et 13, 17. Feminino genere praeter Vergilium (quem etiam Ecl. VI, 62. *corticem amaram*, III, 69. *aërias palumbes*, et VIII, 28. *timidos damas* commemorare, docet Wund.) nemo veterum hac voce usus videtur. Agnoscunt tamen hoc vocabuli genus Nonius III, 23. Prisc. VI, 3, 14. p. 683. P. et Palaemon. Art. gramm. p. 1370. Cf. Voss. Arist. III, 22. Ruddim. I. p. 13. Schneid. Gr. Lat. II, 1. p. 89. et Forcell. h. v. Non minus autem, quam noctua, funesta et inauspicata erat avis, quam, si in domum quampiam venerat, sollicite prehensam foribus affigebat superstitiosa vetustas, ut, quod infaustis volatibus familiae minata esset malum, cruciatibus suis lueret. Vid. Colum. X, 348. et Pallad. I, 35. Praeterea cf. etiam Lucr. V, 396. Ovid. Met. V, 549. X, 453. XV, 791. Tac. H. I, 18. Plin. V, 12. Calpurn. Ecl. VI, 6. Anth. Lat. Burm. V, 133. 28. Ceterum cf. etiam Geo. I, 402 sq. — *ferali carmine.* Vid. infra ad VI, 216. Ceterum Wund. in fine v. 461. Punctum posuit, ut significaret, *queri* esse Infinitivum historicum, non a *visa* suspensum. Sed Wagn. Qu. Verg. XXX, 6. Infinitivum histor. ita per Copulam praegressae orationi adnecti, iure negare videtur; unde tamen non sequitur, bubonem non vere questum, sed tantum Didoni queri visum esse; recte enim Wagn. docet, veteres in connectendis sententiis interdum paulo liberius versari et constructionem semel inceptam persequi, quamvis ad subiectam sententiam proprie non quadret; quod praeter alios comprobet Phaedri locus I, 11, 3 sqq. *Venari asello comite cum vellet leo, Contexit illum frutice et admonuit simul, Ut insueta voce terreret feras, Fugientes ipse exciperet*, pro *ipsum excepturum esse.* — **463.** *longas voces*, in longum productas, diu continuatas (*lang gedehnt*). Sic ap. Ovid. Met. III, 706. et XIV, 405. *longi ululatus.* Cf. adnott. ad Ecl. III, 79. — Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 170, 32. Verba *in fletum ducere voces* leguntur ibid. I, 178, 125. Cf. etiam Colum. X, 350. *Culminibus vetuit feralia carmina flere.* — **464.** *piorum.* Fragm. Vat., Pal., Gud., tres Bern. aliique Codd. *priorum*, quod, Broukhusio ad Prop. IV, 6, 28. et Heynio non improbatum, receperunt Brunck., Wakef., Iahn., Ladew., Henry (*Tw. years* IV. p. 67. et Philol. XII. p. 261., qui *priorum* in 41, *piorum* in 5 modo Codd. invenit), Conington et Benoist.; et sane etiam in Anth. Lat. I, 178, 88. 110. bis legitur *vatum praedicta priorum.* Nos tamen cum Wagn. (quem Peerlk., Süpfl., Gossr., Bryce, Haupt. et Ribbeck. sequuntur, probante etiam Dietschio Theol. Verg. p. 26. not. 196.) Medicei aliorumque bonorumCodd. lectionem retinuimus, cum sonus antecedentium vocc. *praeterea* et *praedicta* librarios decepisse videatur. Saepe autem in Codd. utrumque vocabulum confusum (cf. adnott. ad III, 75.), et *pius* sollemne est vatum epitheton (cf. infra VI, 662. Ovid. Fast. III, 325. Silius VI, 288. cett.), qui manent *pii*, sancti, et propterea venerandi, etiamsi terribilia vaticinantur, qui autem sunt pii, iidem sunt veraces et fide digni, quae res plus etiam valere debet ad exagitandum Didonis animum, ut vere docet Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 340. — **465.** *horrificant*, horrorem incutiunt. Legitur hoc verbum, sed alio sensu, etiam apud Catull. LXIII, 269. Silium III, 389. et Florum III, 21. Cf. etiam supra v. 210. *terrificare.* Quod ad omissum Casum Obiecti attinet, Wagn. comparat Tac. Hist. I, 86. *Prodigia insuper terrebant*, et III, 26. *terrebat ipsorum miles.* — *Agit ipse furentem* etc. Cf. Val. Fl. VII, 142. *Saevior ipse Turbat agitque sopor* et Interpp. ad Ovid. A. A. II, 496. — **466** sqq. „Nihil ad sensum verius. Solent enim, si gravi aerumna usque ad insaniam aestuat animus, eiusmodi somnia obiici, ut per horrendas solitudines, per deserta palatia, aut per porticus immensas sine fine errare nobis videamur. Non male compa-

Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam et Tyrios deserta quaerere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus
Et solem geminum et duplicis se ostendere Thebas,
Aut Agamemnonius scaenis agitatus Orestes
Armatam facibus matrem et serpentibus atris

---

res Ennii versus ap. Cic. de Div. I, 20. (Ann. I. fr. 34. p. 10. Vahl.) „*Excita cum tremulis* cett.“ *Heyn.* — *in somnis.* Vid. II, 270. — **468.** Pro *Tyrios* Schrader. male coni. *Teucros.* — **469** sqq. ex Eurip. Bacch. 906 sqq. fluxisse, e Vergilio autem rursus hausisse Senecam Agam. 728 sqq., iam alii adnotarunt. De *Pentheo*, Echionis filio et Cadmi successore in Thebarum regno, qui, cum Bacchi religioni Boeotiam invadenti adversaretur, a Bacchis dilaceratus esse fertur, fabula est notissima. Cf. Apollod. III, 5, 2. Paus. II, 2. Hygin. f. 184. Ovid. Met. III, 513 sqq. – *Eumenidum agmina* Wagn. de magno agmine, vel potius de choro Eumenidum in plures partes diviso accipienda esse putat. Non opus est. Etiam apud Stat. Silv. IV, 8, 44. (*quem non hoc agmine vincas?*) *agmen* de tribus modo dicitur. Peerlk. praeterea affert Senec. Herc. fur. 101. *agmen horrendum anguibus Megaera ducat;* Val. Fl. VII, 147. *saevae ferit agmina matris Orestes;* eund. II, 227. *velut agmina cernant Eumenidum;* et Senec. Med. 958., ubi *turba Furiarum* commemoratur. Cf. etiam Gronov. ad Sen. Thyest. 523. Argutatur de h. l. Servius (cf. Ribbeck. Proleg. p. 168.). Verba *demens videt agmina Pentheus* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 143. — Cum v. **470.** cf. Eur. Bacch. 916. *καὶ μὴν ὁρᾶν μοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ, δισσὰς δὲ Θήβας καὶ πόλισμ' ἑπτάστομον*, et Senec. Agam. 728. *Sed ecce gemino sole praefulget dies, Geminumque duplices Argos attollit domos.* – **471.** *Agamemnonius*, possessivum pro patronymico. Sic X, 123. *Hicetaonius*, X, 749. *Lycaonius*, XII, 515. *Echionius*, XIII, 321. *Telamonius*, Hor. Od. II, 20, 13. *Daedaleus*, Ovid. Met. III, 351. *Cephisius* etc. — „*Orestes*, Agamemnonis fil., Clytaemnestrae matris Furiis agitatus, cum matrem faces sibi et serpentes intentantem fugiens templo [Apollinis Delphici] prosilit, in foribus in Furias incidit, itaque se terroribus undique exagitari videt.“ *Heyn.* Servius in h. l. Pacuvii tragoediam quandam (haud dubie Dulorestem) poëtae ante oculos fuisse memorat; quem quidem Pacuvium, non minus quam Ennium in Eumenidibus (cf. Columna. ad Enn. Fragm. p. 251.), Aeschylum, non Euripidem, in Orest. 255 sqq. et Iph. Taur. 283. al. rem paulo aliter tractantem, secutum esse docet Heyn. — *scaenis* (ut hic scribunt Med., fragm. Vat., Rom., Bern. I. et Marius Vict. p. 2480.: vid. adnott. ad Geo. II, 381., cum addendis p. 550.) *agitatus*, vulgo pro: in scaenis positum accipiunt, et pluralem quidem numerum Wagn. interpretatur: „saepe in scena“, simul docens, in scaenae mentione hic eo minus interpretibus haerendum esse, cum supra I, 427. in Carthagine condenda etiam theatrum memoratum viderimus; quare non erat, cur in recentiss. edit. mutata sententia *scaenas* per fabulas scaenicorum poetarum interpretaretur. Burm. comparat Iustin. XI, 3. *Adiiciunt scelerum priorum fabulas, quibus omnes scaenas repleverint.* Ante omnes autem comparandus erat Ausonius, perpetuus Vergilii imitator, qui cum Epigr. 71. scribat: - - *vitiosa libido* - - *Quam toga facundi scenis agitavit Afrani*, Vergilium sic intellexisse in promptu est. Ex hac igitur interpretatione respicit poëta antiquiorum poëtarum Romanorum, Naevii, Pacuvii, Ennii, aliorum fabulas, in quibus Pentheus et Orestes Furiis agitati producebantur. Cf. Matth. ad Cic. Rosc. Am. 24, 66. Ladew. quidem in verbis *scaenis agitatus* invenit parum aptam prolepsin historicam, sed Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 403. haec adnotat: „Quid tandem adeo molestum est *scaenis*, cum rei in scaenis repraesentatae mentionem poëta modo fecerit, Penthei dico insanientis; nam ipse Vergilius voluit nos de Pentheo a tragicis producto admonere, cum dicit *videt*, non *vidit;* hoc tempus convenit mytho, illud scaenico spectaculo“, quod probat Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 119. Lersch. vero in libello de mo-

Cum fugit, ultricesque sedent in limine Dirae.
Ergo ubi concepit furias evicta dolore
Decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque
Exigit et maestam dictis adgressa sororem
Consilium vultu tegit ac spem fronte serenat:
„Inveni, germana, viam — gratare sorori —,

---

rum in Verg. Aeneide habitu p. 99. et in Antiqq. Vergil. p. 34. et Henry in *Tw. years* IV. p. 68 sq., cum poëta minus dignum sit, Didonem furibundam, quae antea recte cum ipso Pentheo comparata fuerit, hic non cum Oreste ipso, sed tantum cum Oreste ab histrione in scaena repraesentato comparari, *scaenas* interpretati sunt per *φαντάσματα*, visiones, quae menti Orestis obversentur, ut hic *scaenis agitatus* respondeat voc. *demens* v. 469. Et Lersch. quidem memoravit, *scaenam* simili certe significatione usurpari ab Ausonio Mos. 318. Stat. Silv. IV, 3, 20. et Suet. Calig. 15., Henry autem, cum coram de hoc loco mecum disputaret, contulit Aesch. Choëph. 1051. *τίνες σὲ δόξαι - - στροβοῦσιν* et Eur. Or. 397. *φαντασμάτων δὲ τάσδε νοσεῖς ποίων ὕπο.* Nunc vero etiam hic vir doctiss. mutata sententia vulgarem voc. *scaenae* explicationem sequitur. (Vid. Philol. XII. p. 263.) Superest, ut eorum breviter mentionem faciam, qui loco mutatione facta mederi volunt. Wachsmuth. in Athenaeo T. I. p. 267. praetulit paucorum quorundam Codd. lectionem *Furiis agitatus*, quam Heyn. ex III, 331. [quocum cf. XII, 668.] repetitam esse iure suspicatur (quamquam etiam imitator Vergilii in Anth. Lat. I, 178, 294 sq. scripsit *Furiis agitatus Orestes Armatam facibus matrem Ardens agit* etc.); Markl. autem ad Stat. Silv. III, 3, 15. et in Epist. crit. p. 127. coni. *Poenis agitatus*, quod Burmanno ad Prop. IV, 8, 1., Heynio et Coningtoni (qui conferri iubet Val. Fl. VII, 147.) valde arrisit et a Wakef. in contextum receptum est. Hildebrand. in Iahnii Novis Annall. etc. XXVI. p. 175. protulit coniecturam *saevis agitatus* (quam Ladew. prius amplexus est, postea autem rursus deseruit), et Peerlk., multa de hoc loco disputans, suspicatur Vergilium scripsisse *scelere exagitatus*. Ceterum *agitari* verbum proprium de iis, quos Furiae persequuntur. Cf. Aen. III, 331. *Scelerum furiis agitatus Orestes.* X, 872. XII, 668. Hor. Sat. II, 3, 135. Cic. Rosc. Am. 24, 66. 67. Verr. I, 2. extr. etc. — **473.** *sedent in limine Dirae.* Hoc ex Pacuvio sumptum esse docet Serv. ad h. l. De *Diris* vide ad VII, 324., de earum autem sede *in limine* Henry ll. ll. confert VI, 279. 555. 574. sq. VII, 341 sqq. et Ovid. Met. IV, 453 sqq. — Fr. Vat. a m. pr., Pal. et Gud. a m. pr. male exhibent *Divae*. Ceterum hunc locum, quem etiam laudat Schol. Stat. Theb. XII, 509., bis respexit Val. Flaccus V, 446. *Ultrices spectant a culmine Dirae* et II, 237. - - *sed dira in limine coniux Obsidet.* Cf. etiam simillimus locus Ovidii Met. IV, 487 sq. Gentius, quem iam alibi ut satis audacem, ita parum felicem in coniectando deprehendimus, Annot. crit. p. 16 sq. coni. *sequenti nemine, Diras.* — **474.** *evicta dolore. Evincere* fortius est, quam simplex verbum. (Cf. adnott. ad Geo. IV, 145.) Sic Ovid. Fast. III, 688. *evicta precibus.* Cf. infra v. 548. II, 497. 630. cett. — *concepit furias.* Cf. I, 41. et VIII, 205.; *furiae* pro furore, ut I, 41. — **475.** Verba *Decrevitque mori* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 105. — *secum ipsa*, secum sola, *bei sich allein.* Vid. Wagn. Qu. Verg. XVIII. p. 468., Aen. VI, 185. et XII, 843. et Bach. ad Ovid. Met. X, 586. — *modum*, genus mortis. Thiel. confert Sen. Hipp. 257., ubi Phaedra *Decreta*, inquit, *mors est*: *quaeritur leti genus.* — **476.** *exigit* pro constituit, quod fit re exacta ac deliberata. Ut hic *secum exigere*, ita VI, 105. *secum peragere* legimus. — Ladew. pro *et* ex Med. recepit *ac*, quod versui sequ. videtur originem debere. — *dictis adgressa.* Cf. III, 358. — **477.** *Consilium voltu tegit.* Cf. Bentl. ad Hor. Sat. II, 5, 104. — Dido *spem fronte serenat*, h. e. laetiorem spem ostendit vultu, ut *spem vultu simulat* I, 209. Similiter Silius XI, 369. *tristia fronte serenant.* Ipsam dicendi formulam *spem fronte serenare* ex Vergilio repetit Calpurn. XI, 17. Cf. adnott. ad Aen. I, 209. Non igitur opus est Heinsii coni. *fronte serena.* — **478** sqq. „Simulat Dido parare sa-

Quae mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.
Oceani finem iuxta solemque cadentem
Ultimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum:
Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi

---

crum magicum, quo aut Aeneas amori iterum illigetur, aut ipsa amore solvatur; est igitur sacrum, quale in Ecl. VIII. expositum vidimus. In toto hoc commento tam operose adornando et instruendo haec respexisse videtur Dido, ut specie sacrificium arcanum parandi, cui, arbitris remotis, sola operaretur, ad mortem sibi inferendam opportunitatem, silentium et solitudinem haberet. Sed et illud furorem misere amantis arguit, quod vestes Aeneae et torum coniugalem secum comburi vult (infra v. 495 sqq.), quodque Aeneae gladio in se iugulando utitur." *Heyn.* Quod attinet ad magiae usum apud Graecos et Romanos cf. Wachsmuth. in Athen. Vol. II. fasc. II. p. 209 sqq. Lerschii Antiqq. Vergil. §. 68. p. 192 sqq. Reinii diss. in Pauly *Realencycl.* IV. p. 1377 sqq. et multos locos veterum poëtarum, quos sedula cura collegit Dissen. ad Tibull. I, 2, 43. Vol. II. p. 43. — *Inveni viam* etc. Cf. Stat. Theb. V, 109. *Inveni, promitto, viam - - qua renovanda Venus.* Cf. etiam Aen. III, 395. — *gratari*, i. q. gratulari, cum Dativo Obiecti coniunctum legitur etiam Ovid. Met. VI, 434. IX, 244. Her. XI, 65., cum Accusativo (ut sit i. q. gaudentem salutare) infra V, 40., et absolute Ovid. Met. VII, 162. Liv. VII, 13, 10. Tac. Ann. II, 75. Hist. II, 29 etc. Cf. Boettich. Lex. Tac. p. 225. — **479.** „*eo solvat*, h. e. amore in eum. Usitatior est compositio *solvere aliquem luctu, amore,* quam *solvere hominem homine.*" *Wund.* Ceterum animadverte iteratum usum Pronominis *is* in eodem versu, cuius Casibus obliquis poëtae omnino rarissime utuntur, quare sumendum est, Vergilium eo pro Aeneae nomine posito Didonis Aeneam aspernantis odium eo fortius exprimere voluisse. — **480.** Comparant Hom. Il. I, 423. ἐς Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας etc. Aethiopes ab omnibus in extremis terrarum finibus habitare perhibentur et duplices erant et orientales et occidentales. Hic de occidentalibus cogitandum (cf. liber meus geogr. II. p. 888 sq.), quos Vergilius usque ad Atlantem et Mauritaniam incolere fingit. Respexit hunc locum Avienus descr. 273. *Aethiopes soli subiecta cadenti Arva tenent.* — *Oceani finem iuxta.* Conington praeter Aen. VII, 225. conferri iubet Eleg. ad Messal. 54. *Vincere et Oceani finibus ulterius.* — **481.** De *Atlante* vid. ad I, 741. et supra ad v. 247., quod autem attinet ad *maximum Atlantem,* cf. infra ad VI, 796. — **482.** Cf. locus parallelus VI, 797. *Axem* pro caelo. Vid. ad II, 512. — „*torquet* ornatius quam sustinet, motu simul caeli diurno expresso; praeeunte Ennio ap. Macrob. VI, 1. *Qui caelum versat stellis fulgentibus aptum* [Ann. 1. fr. 27. p. 8. Vahl.]. Colum. ad Ennii fragm. p. 45. [Ideoque i. q. sustinet axem (caelum) se torquentem.] — *aptum stellis*: vulgari loquendi modo stellae caelo aptae, h. e. affixae sunt: tum et ipsum coelum affixum et aptum stellis, h. e. alligatum." *Heyn.* *Aptus* enim, a Graeco ἅπτεσθαι deducendum, proprie est i. q. coniunctus, ut et illud, quod adiungitur, et cui adiungitur, ita dicatur (cf. Ernesti Clav. Cic. h. v.), ideoque etiam instructus, ornatus aliqua re (ut Ennius ap. Cic. de Off. III, 29, 104. (Thyest. fr. 14. p. 143. Vahl.) scribit *fides alma, apta pennis*); unde *aptare* i. q. instruere (vid. ad III, 472. VIII, 80. et Wagn. ad h. l.). Pertinent huc praeter Ennii et Vergilii locos iam laud. Aen. XI, 202. Ennius Ann. III, 14. p. 26. Vahl. *Caelum stellis ardentibus aptum,* idem Ann. X, 6. p. 51. Vahl. *nox stellis ardentibus apta* et Lucr. VI, 357. *stellis fulgentibus apta caeli domus,* ubi vid. adnot. mea. Burm. praeter alios conferri iubet Salmas. Exerc. Plin. p. 221. et sua ad Petron. c. 34. — **483.** *mihi monstrata.* Non ipsa magam quaesivit; nam invita ad has artes descendit. (Vid. v. 493.) Sed in eo, quod monstrata sibi fuerit, quasi monitum divinum agnoscit. — *Massylae*, i. e. Libycae. Vid. supra ad v. 132. — **484.** *Hesperidum* hortos, qui plerumque intra Cyrenaicae fines collocantur, Maro in Mauretania ad

Quae dabat et sacros servabat in arbore ramos,
Spargens humida mella soporiferumque papaver.
Haec se carminibus promittit solvere mentes,

Atlantis radices sitos fingit. Consentit cum eo Plin. V. pr. et XIX, 4, 22., ad Lixum, Mauretaniae oppidum, et Hygin. f. 30. extr., ad montem Atlantem eos quaerendos esse docens. Heyn. praeter hos locos conferri iubet Interpp. ad Hygin. l. l., Salmas. ad Solin. p. 264 sqq. et sua ad Apollod. p. 166 sqq. Vid. etiam liber meus geogr. II. p. 827. not. 10. De ipsis Hesperidibus cf. Hes. Theog. 215. Apollod. II, 5, 11. Athen. III. p. 83. Diod. IV, 27. Serv. ad h. l. alii. Ceterum vv. 484—486. a Medeae exemplo ap. Apollon. III, 530 sqq. petitos esse, iam Heyn. vidit; *Iahn.* autem verissime haec adnotat: „Sacerdos illa nunc Carthagine versari dicitur: olim custos templi erat et draconi [qui Ladon dicebatur: cf. Apoll. Rh. IV, 1396. et Hes. Theog. 333. a Wagn. laud.] epulas dabat cett. Frustra igitur in vv. *dabat* et *servabat* haeserunt, eaque pro *dat* et *servat* posita esse censent." — *epulasque.* Wagn. docet, non sibi respondere Part. *que — et*, sed locum ita intelligendum esse, ac si scriptum esset: *quae* custos *erat* et dabat. Peerlk. tamen haeret in hac Copula adiecta et coniicit *Hesperidum templi, succos epulasque* etc., ut *succi* ad *humida mella, epulae* ad *soporiferum papaver* referendae sint. — 485. *„in arbore ramos*, sc. cum pomis aureis, quos Veneri sacros fuisse Serv. narrat: alii Terrae munus poma aurea tradiderant. Vid. ad Apollod. II, 5, 11. Certe violari eos nefas erat." *Heyn.* Ladew. vere adnotat, verba *sacros servabat in arbore ramos* proprie ad draconem referenda esse, sed cum sacerdos eum alat et ita efficiat, ut ille servare possit, non inepte etiam ad hanc ipsam referri potuisse. Regel. Quaest. Verg. crit. p. 23. pro *et* legi vult *is* et verba *is sacros - - ramos* παρένθεσιν habet. — 486. *Spargens*, i. e. obiiciens, apponens draconi, non ad proximum verbum *servabat*, sed ad *dabat* referendum. *Iahn.* quidem (cui adsentitur Thiel.) haec scripsit: „Spargebat in vina mella et papaver, quibus advenientes ab horto arceret et poma Hesperidum servaret"; sed iure Wagn. de veritate huius interpretationis videtur dubitare, cum mel et papaver ad hunc usum adhibuisse veteres non constet. Et sane quid *mel* tum sibi velit, non intelligo, etsi papaver ad hospites consopiendos aptissimum fuisse concedo. Et nonne poëta hoc accuratius indicare debebat, cum, epulis draconis antea commemoratis, quivis lector de iis cogitet necesse sit? Audio sane, *soporiferum papaver* non aptum esse draconis, qui pervigil esse debeat, cibum; at parva papaveris copia comesta non consopit draconem, sed tantum mitigat eius rabiem (quare etiam mel adiicitur), *soporiferum* autem (quod nimis acriter vituperat Conington, multa de h. l. disputans) est epitheton ornans, vulgarem papaveris vim respiciens, quae hoc loco non premenda est; quam sententiam Süpfl. et Henry in Philol. XII. p. 263 sq. (retractans, quae scripsit in *Two. years* IV. p. 71 sq.) repetunt; et Henry quidem mel cum papavere mixtum dulcissimum et delicatissimum veterum cibum fuisse docet coll. Petron. p. 101. Hildebr. Plin. XIX, 8, 53. et Hor. A. P. 375. Cf. de his epithetis ornantibus, in quibus eligendis non semper felicem esse Vergilium videmus, adnott. ad Ecl. X, 6. Gossr. cum Servio male de melle et papavere Didoni ad leniendum amoris dolorem et oblivionem parandam porrecto cogitat. Schrader. propter hanc difficultatem omnem versum eiici malit; Waddel. autem Animadv. critt. p. 18. pro *spargens* coni. *arcens*. Ribbeck. hunc versum hic eiectum posuit post v. 517., Regel. vero l. l. vulgarem versuum ordinem recte defendit: ut etiam Conington hanc transpositionem improbabilem iudicat. — 487. *carminibus*, i. e. magicis formulis, quae versibus concipi et cantari solebant, quo sensu voc. *carmina* etiam Ecl. VIII, 66. Ovid. Met. VII, 203. Hor. Sat. I, 18, 19. Tibull. I, 5, 12. Iuven. VI, 132. Plin. XXVIII, 2, 3, 4. et alibi legitur. Cf. Düntzer. *Das Wort carmen* etc. in Muetzellii *Zeitschr.* 1857. p. 1 sqq. et quae Ribbeck. in Novis Annal. phil. LXXVII. p. 201 sqq. contra eum disputat. Sic etiam *cantus* haud raro pro incantationibus. Cf. Aen. VII, 754. Ovid. Met. VII, 195. Tibull. I, 8, 20. Sil. Ital. VIII, 495 sqq. Vid. Schol. Crucq. Hor.

Quas velit, ast aliis duras inmittere curas;
Sistere aquam fluviis et vertere sidera retro;
Nocturnosque movet Manis; mugire videbis
Sub pedibus terram et descendere montibus ornos.
Testor, cara, deos et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artis.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras

Epod. XVII, 7. Gierig. ad Ovid. Met. V, 137. Voss. ad Verg. Ecl. l. l. et quos laudant Dissen. ad Tibull. I, 5, 12. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 1, 34. Vol. I. p. 53 sq. Similem nostro locum vid. ap. Tibull. I, 2, 43 sqq. — „*solvere* animos proprium in hac re; ut *defigere*. Referuntur enim in re magica ea, quae ad amorem spectant, ad notionem illigandi et solvendi; ut in superstitionibus astrologicis reliquisque divinationum generibus pleraeque praestigiae allegorici tropicique generis sunt.“ *Heyn*. Vid. supra v. 479. De Infin. Praesentis pro Infin. Futuri posito cf. adnott. ad Aen. V, 18. — **488**. *duras curas* amoris. Vid. ad v. 394. et cf. Tibull. III, 6, 7. *Ite procul durum, curae, genus* ibique Huschk. — **489**. *Sistere aquam fluviis* (Casu tertio). Cf. Apoll. Rhod. III, 552. de Medea: *καὶ ποταμοὺς ὕστησεν ἄφαρ κελαδεινὰ ῥέοντας, ἄστρα τε καὶ μήνης ἱεροὺς ἐπέδησε κελευθούς*. Ovid. Met. VII, 154. Her. VI, 87 etc. Alibi magae etiam efficiunt, ut flumina recurrant ad fontes. Cf. Ovid. Am. I, 8, 6. Tibull. I, 2, 46. Lucan. VI, 473. Claud. in Ruf. I, 159. Petron. c. 134. etc. — *vertere sidera retro*, cursum siderum mutare. Vid. ad Ecl. VIII, 69. Ceterum sidera et flumina praeter Apollon. et Tibull. ll. ll. in eadem re coniungit etiam Prop. I, 1, 23. — **490**. *nocturnos Manes*, i. e. noctu apparentes: vid. supra ad v. 303. Manes autem noctu tantum hominibus solebant apparere. Conington praeter Aen. V, 739. comparat Hor. Epist. II, 2, 209. *nocturnos lemures*. — *movet* pro vulg. *ciet* (quod sane praeter plurimos Codd. etiam Isidor. Orig. VIII, 9, 6. exhibet, sed nihil nisi interpretamentum difficilioris lectionis ex III, 68. vel VII, 325. petitum videtur esse) ex Med. et Pal. a m. pr. cum Wagn. et recentioribus editoribus praeter Süpflium, Bryceum et Coningtonem (nam etiam Ladew. in recentissima edit. *movet* restituit) nunc recepimus. (Vid. tamen Ribbeck. Proleg. p. 283., qui, cum alterum altero explicari potuerit, utrum verum sit dubitat.) Wagn. praeter Aen. VII, 312. et Hor. Epod. XVII, 3. *per Dianae non movenda numina*, qui loci pariter atque Geo. IV, 505. non prorsus eiusdem sunt generis, aptius comparat Val. Fl. VI, 447 sq. *Haemoniis agitari cantibus umbras*. *Movere* enim hic i. q. excitare, evocare. — *mugire videbis*, i. e. videas. „Variat poëta orationem. Sequi debebat: illa motus terrae facit, et silvas in alium locum transfert.“ *Heyn*. „Ultimam sententiam *ἀσυνδέτως* adiicit et alibi et Geo. III, 478—481. Aen. II, 442—444.“ *Wund*. De confusis *videndi* et *audiendi* verbis cf. adnott. ad Ecl. IX, 58. et Aen. VI, 257. Wagn. hic conferri iubet Aesch. S. ad Theb. *κτύπον δέδορκα* et Sturz. de Vocibus animal. in eius Opusc. p. 227. Ceterum de terrae mugitu cf. VI, 256. Ovid. Met. VII, 206. Cic. de Div. I, 18. etc. et supra III, 92. — **491**. *ornos*, i. e. arbores omnino; specie pro genere posita. Quod ad rem attinet, cf. locus modo laud. Aen. VI, 256. *Sub pedibus mugire solum et iuga coepta moveri Silvarum*. — **493**. *testor - - tuum Dulce caput*. Cf. supra v. 357. Sil. VIII, 105. *Tellurem iuro - - iuro caput, Germana, tibi*. Catull. LXVI, 40. *adiuro teque tuumque caput*. Liv. XXVI, 48, 12. *se suumque caput periurio obstringere*. — *invitam*. Vergilius hic non Carthaginiensium omninoque illius aetatis, sed Romanorum respicit mores, quibus magicarum artium usu acriter interdictum erat. Iam Servius causam huius excusationis indicat verbis: „Cum multa sacra susciperent Romani, *magica* semper damnarunt.“ Cf. Plin. XXVIII, 2, 4. et Cod. Theod. l. IX. t. 16, 3. 5. et 11. ibique Gothofr. — *accingier*. Vid. ad Geo. I, 454. et de constructione *accingi artes* ad Ecl. I, 54. al. — Cum v. **494** sqq. cf. Silius I, 81 sqq. — *secreta*, in secreto loco; nam qui in eo versatur, ipse est secretus ab aliis. Sic

Erige et arma viri, thalamo quae fixa reliquit
Impius, exuviasque omnis lectumque iugalem,
Quo perii, superinponas: abolere nefandi
Cuncta viri monumenta iuvat monstratque sacerdos."
Haec effata silet; pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna novis praetexere funera sacris

---

igitur Adiect. *secreta* i. q. Adv. *secreto.* Cf. V, 387. VI, 77. VII, 404. XI, 684. et similes loci. — Verba *Tu secreta pyram - - Erige* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 377. — *tecto interiore* (ut VII, 59. *medio tecti*), in impluvio ab ipsis aedibus circumcluso. Vid. infra ad v. 504. et ad II, 512. De mortuis in ipsis aedibus crematis cf. etiam Aen. XI, 205. cum Servii schol. ad utrumque locum, Appian. B. Civ. IV, 41. Isidor. Orig. XV, 11. et Beckeri Gallus III. p. 288. ed. 2. — *sub auras* Heyn. hic et v. 504. explicat: sub divo; rectius autem Wund.: in altum, in sublime (nam v. 505. de *ingente pyra* sermo est), eamque vim verborum *sub auras* cum verbo motus iunctorum esse docet coll. Aen. III, 422. VIII, 24. III, 579. VII, 768. II, 158. Non autem in conclavi aliquo, sed in impluvio, pyram erigi, iam per se patet (cf. etiam adnott. ad v. 504.), ut sane notio *sub divo* verbis *sub auras* simul contineatur, sed tamquam res minoris momenti; quae etiam Coningtonis est sententia. — *pyram*, πυράν, rogum. Vid. infra VI, 215. XI, 185. Ovid. Fast. II, 534. cett. et adnott. ad v. 504. — 495. *arma viri* etc. „Hoc inter remedia amoris recte referebatur, ut omnia eo facilius obliviscimur, quorum signum nullum videmus. Cf. Ovid. Rem. Am. 719." *Gossr.* Ceterum vid. infra ad v. 507. — *arma* de solo ense, Didoni ab Aenea muneri dato, intelligendum esse docet Heyn. coll. infra v. 504. et 647. — *fixa.* Vid. ad I, 248. — 496. *exuvias.* Vid. infra v. 507. 651. et adnott. ad Ecl. VIII, 91. — *lectum iugalem* legimus etiam in Anth. Lat. I, 172, 127. et in Ausonii Cent. nupt. 86. — 497. *quo perii*, quae causa est miseriae meae; cum pudore dictum. - Pro *superinponas* Med. a m. pr., fragm. Vat. aliique Codd. praebent *superinponant*, quod Wagn., Peerlk., Gossr., Haupt. et Conington receperunt, ego vero, quamvis Codd. fluctuans scriptura (qui etiam *superimpone* et *superimpones* praebent) dubitationem aliquam moveat, propterea tamen recipere nolui, ne Vergilium amphibolia augerem, cum etiam coniungi possint verba *viri superinponant.* Quod Wagn. addit, non potuisse haec omnia ab Anna ipsa fieri, sed tantum facienda curari, id non multum habet ponderis, nam quae pyram erigere iubetur, eadem multo facilius ensem et cetera potest superinponere, atque etiam infra v. 507 sq. ipsa regina haec sola faciens producitur; *secreta* autem (de loco dictum) cum Plurali facile conciliari posse, non statim crediderim. (Süpfl., Bryce, Ladew., Ribbeck. et Benoist. nobiscum fecerunt.) — *abolere monumenta.* Cf. I, 720. *abolere Sychaeum*, i. e. Sychaei memoriam. Tac. Hist. I, 84. *abolete memoriam foedissimae noctis.* Aen. XI, 798. *da - - aboleri dedecus armis* etc. — 498. *iuvat* ex fragm. Vat., utroque Lips. aliisque Codd. et Servio (qui h. v. per συμφέρει reddit) cum Iahnio et Wagn. recepi, imprimis cum eodem ducat aliorum librorum (inter quos Gud. et Rottend. I.) lectio *iubat*, unde vulg. *iubet* ortum, quod si servamus, locus languidam continet tautologiam. Accedit, quod Medic., qui etiam infra v. 660. et supra III, 606. *iubat* et *iubabit* pro *iuvat* et *iuvavit* exhibet, hic quatuor punctis supra syllabam *bet* positis et ipse alteram lectionem praeferre videtur. (De litera *b* etiam in antiquis monumentis saepe pro *v* posita vid. Corssen. de pron. I, 131 sq. ed. 2.) Omnes recentiores editores praeter Bryceum nobiscum faciunt. Sic igitur locum intellige: et me ipsam iuvat abolere monumenta et sacerdos idem monstrat. *Monstrat* autem i. q. iubet. (Cf. IX, 44.) Conington coll. infra v. 636. et Geo. IV, 549. verbum proprium de praeceptis ad res sacras pertinentibus fuisse suspicatur. — 499. *pallor* ex conscientia cogitatae mortis. Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 172, 133., ut prima eius verba ibid. I, 178, 336. — 500. *Non tamen*, quamquam *videt pallorem* Didonis ora occupantem. — *novis sacris*, insolitis, ut-

Germanam credit nec tantos mente furores
Concipit aut graviora timet, quam morte Sychaei.
Ergo iussa parat.
At regina pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti taedis atque ilice secta
Intenditque locum sertis et fronde coronat

---

pote magicis. — *praetexere funera sacris* pro magis usitato sacra funeri praetexere; quamquam utrumque bene dicitur, praetexere alicui aliquid et praetexere aliquid aliqua re. Vid. supra v. 172. et cf. similes locos infra v. 506. V, 536. VI, 229. 353. Geo. III, 399. etc. Plur. *funera* de uno funere, ut VI, 874. et IX, 486. — **502**. *nect. mente furores Concipit*: non potest mente concipere, Didonem tam furiosum agitare consilium. Ceterum cf. Ovid. Met. X, 403. *nec nutrix etiamnum concipit ullum Mente nefas* et similes locos. Conington affert ingeniosam Iortini coniecturam *Concipere* (quemadmodum Bentl. ap. Hor. Od. I, 1, 6. pro *evehit* coniiciat *evehere*), ut *concipere furores* de Didone dictum sit i. q. v. 474. *concipere furias*, et comparat Ovid. Met. II, 640. *concepit mente furores*. — *nec - - aut*. Vid. supra ad v. 339. Hand. in Tursell. I. p. 545. praefert paucorum quorundam Codd. lectionem *haud;* quam maiore distinctione post *concipit* posita, et ipse praeferrem, si potiorum Codd. auctoritate niteretur. — *quam morte Sychaei*. „Graviora timet posse contingere, quam quae morte Sychaei vel fecit vel passa est Dido.“ *Servius*, quem plerique editores sequuntur, „acciderant“ simul audientes; sed simplicius est cum Ribbeckio et Ladew. intelligere, „quam quae in morte Sychaei timuerat“. *Morte* significat *beim Tode*, quod alibi (e. g. infra VI, 371. et 444.) est *in morte*. Vid. supra ad v. 436. coll. adnot. ad v. 244. — V. **503**. repetitur in Anth. Lat. I, 170, 96. et 172, 14. — *iussa*, i. e. res iussas, Participium est, non Substantivum. — **504** sqq. Haec omnia ad praeparandum et rite auspicandum sacrum magicum spectant. Cf. autem cum hoc loco Ecl. VIII, 64 sqq. Hor. Epod. V. et XVII. Sat. I, 8. Ovid. Her. VI, 83 sqq. Am. I, 8. Met. VII, 179 sqq. XIV, 403 sqq. Fast. V, 429 sqq. Sabin. ep. III, 80 sqq. Prop. I, 1, 19 sqq. V, (IV,) 5, 13. Lucan. V, 429. et similes locos ad artem magicam spectantes, cuius quanta fuerit illa aetate inter Romanos auctoritas satis constat. — *pyra erecta*. Cf. v. 494. „Scrobem intellige in sacris magicis fieri solitum, in quo lignorum strues cumulabatur. Vid. Orph. Argon. 948. 968 sqq. Odyss. XI, 25. et Val. Fl. I, 735. In eandem foveam victimarum caesarum sanguis demittebatur. Erat illa pro ara, ἐσχάρα. De hac accipe *pyram*. Cf. Stat. Theb. IV, 451 sqq. - - Eadem pyra mox Dido usura erat pro rogo, quo se concremaret, v. 645 sq.“ *Heyn*. Cf. etiam adnott. ad Aen. XI, 188. — *penetrali in sede*, quod v. 494. *tecto interiore*. Cf. infra V, 660. VII, 59. cett. Sub divo autem pyram exstructam esse, coll. Barth. ad Stat. Theb. V, 313. et Heinsio ad Sil. XV, 18., Burm. docet ex libri V. initio, ubi Aeneas moenia rogi flammis collucere videat, et ex Silio, qui VII, 130. dicat, ex pyra (*in penetralibus* structa, ibid. v. 51.) Didonem *potuisse cuncta freta et totam Carthaginis urbem cernere*. Vid. ad v. 494. Ceterum cum *penetrali sede* compara *penetralia tecta* Geo. I, 379., *adyta penetralia* Aen. II, 297. et *focos penetrales* Aen. V, 660. — **505**. Ut iungerentur verba *pyra erecta taedis* (sicut supra II, 185. *attollere molem roboribus* et Iuven. XIV, 95. *attollit marmore villas*), Wund., quem nos cum Wagn. et Iahn. secuti sumus, sustulit Comma vulgo post *ingenti* positum. Wakef. locum sic distinxit: *Erecta, ingenti taedis* cett., comparans infra VII, 483. et XI, 124., quibus locis Wagn. addit XI, 641. Imprimis autem conferendus est VI, 214., quo Henry (*Two years* IV. p. 74. et Philol. XII. p. 264.) et Conington probare student, Wakef. recte coniungere verba *ingenti taedis;* sed omnia hic tam arcte cohaerent, ut omnis distinctio removenda sit. — *ilice secta*, ut II, 16. *secta abiete*. — **506**. *Intendit locum*, pyram, *sertis*, pro vulgari *intendit serta loco* (ut supra II, 236. *vincula collo Intendunt*). Utrumque enim recte dicitur; vid. supra ad v. 500. Cf. etiam infra v. 829. et V, 403.

Funerea; super exuvias ensemque relictum
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant arae circum, et crinis effusa sacerdos
Ter centum tonat ore deos, Erebumque Chaosque
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.

Cic. Verr. V, 31, 80. *intendere tabernacula velis* cett. Ceterum Heyn. vere adnotat, pyram hic tamquam aram corollis cingi, coll. Ecl. VIII, 64. *molli cinge haec altaria vitta.* Cf. etiam Ovid. Met. VII, 242 sqq. Iteratur hic versus cum prima voce sequentis in Anth. Lat. I, 178, 324. sq., ut verba *sertis et fronde coronat* ibid. I, 14, 20. De Particulis *que - et*, ut alibi *que - atque* et *que - que* pro Graec. τέ καί positis vid. adnott. ad Geo. I, 182. — **507**. „*funerea fronde*, i. e. qua funus suum futurum indicat Dido; ubi Anna intelligit fictum quasi funus Aeneae significari.“ *Gossr.* Funerea autem corona erat cupressina. Cf. Aen. III, 64. VI, 216. ibique adnott. Hor. Epod. V, 18. Ovid. Trist. III, 13, 21. etc. — *super exuvias* cett. Videmus igitur reginam nunc ipsam ea transigentem, quae supra v. 495 sq. sorori curanda mandaverat. „Pyrae imponit Dido ea, quae contactum corporis Aeneae senserant, vestimenta, ensem, torum coniugalem et in hoc *effigiem* [eius], puta, ceream, quae, ut in talibus sacris, igne liquefacta efficeret, seu ut Aeneas ipse simili modo amore liquesceret ac contabesceret (cf. Ecl. VIII, 75. 80.), seu, quod v. 604. docet, ut perfidiam morte misera lueret.“ *Heyn.* — *toro*, i. e. *lecto iugali* supra v. 496. — *haud ignara futuri.* Dido his verbis opponitur sacerdoti et Annae, quae erant futuri (i. e. mortis voluntariae instantis) ignarae. Conington confert Hor. Sat. I, 1, 35 *haud ignara ac non incauta futuri.* — **509**. Respexit hunc locum Silius I, 91 sqq. — *sacerdos*, Massyla illa v. 483. commemorata. Nam etiam, quae sacra magica peragunt, sacerdotes dicuntur. Cf. Val. Fl. I, 755. — **510**. *Ter centum t. d.* Alii iunctim scribunt *tercentum deos.* Sed recte Wagn. in mai. edit. *trecentos deos* alibi se non legisse ait, etsi fortasse huc referri possit VIII, 716., ternarium autem numerum in sacris magicis non minus sollemnem esse (vid. ad Ecl. VIII, 73.), quam centenarium in re ad deos spectante (vid. ad Geo. III, 18.). Coniunge igitur Servium secutus: *ter tonat centum deos.* Neque aliter hunc locum intellexit Silius I, 91., ubi vid. Drakenb., quamquam aliter statuit Henry, contra me disputans in Philol. XII. p. 264 sq. Etiam Wagn. in min. edit. mutata sententia *ter centum* coniungit et simpliciter per multos, plurimos explicat (quo sensu sane legitur Geo. I, 15. Aen. VII, 275. VIII, 716. X, 182.), Schirach. p. 615. *tercentum* quidem scribendum, non tamen cum *deos* coniungendum, sed adverbialiter positum esse censet pro multipliciter, multis nominibus, eademque videtur Thielii sententia. Bryce, Ladew. et Benoist. mecum consentiunt, dum Conington alteram sequitur rationem. — „*tonat*, [magna voce] invocat (*vocat* Silius I, 94.) deos inferos, longo ordine eorum nomina recitans, qui in his sacris mos erat, omninoque in hymnis veterum et formulis sacris. Cf. Ovid. Met. VII, 192 sqq.“ *Heyn.* *Tonare* (alibi de oratoribus grandia loquentibus dictum: cf. Plin. Epist. I, 21. med.) cum Accus. Obiecti constructum (de qua re vid. ad Aen. II, 31. et al.) non eius quidem, quem invocat aliquis, ut h. l., sed verborum, quae tonitru quasi proferuntur, legitur etiam ap. Prop. V, (IV,) 1, 134. *verba tonare*, Claud. R. Pros I, 83. *alia celso ore tonat*, Mart. VIII, 3, 14. *aspera bella tonare* al. Ceterum cf. adnott. ad VI, 607. — *deos* inferos, quos in magicis rebus invocabant Romani, propterea *magicos* vocant Tibull. I, 2, 64. et Lucan. VI, 577. — *Erebus*, Tartari frater, ex Chao natus (*das Urdunkel*, nox tartari). Cf. Hes. Theog. 123. Hygin. praef. 1. et Klopferi Lex. myth. I. p. 684 sq. De ἐρέβῳ Homeri (Il. VIII, 368. XVI. 327. Od. X, 528. XI, 37. etc.) cf. Nitzsch. III. p. 171 sq. — *Chaos*, magnum illud inane, in quo omnia formabantur (a χάω, χαίνω, unde etiam χάσμα), interdum etiam pro Orco dicitur, qui et ipse ingens est semperque apertum spatium, quod omnes homines sensim excipit. Cf. infra VI, 264. Ovid. Met. X. 30. XIV. 404. (ubi, ut hic, *Ereboque Chaoque*) Fast. IV, 600. etc. — **511**. *Terge-*

Sparserat et latices simulatos fontis Averni,
Falcibus et messae ad lunam quaeruntur aënis
Pubentes herbae nigri cum lacte veneni;
Quaeritur et nascentis equi de fronte revolsus
Et matri praereptus amor.
Ipsa mola manibusque piis altaria iuxta

---

mina Hecate, triceps, *τρισσοκέφαλος*, *τρισσοκάρηνος*, vel triformis, *τρίμορφος*, et *tria ora Dianae*, *Ἄρτεμις τριπρόσωπος*, unam eandemque deam significant, quae tres naturas (Dianae, Lunae et Proserpinae) in se complectitur (vid. ad III, 681. et VI, 247. Interpp. ad Ovid. Fast. I, 141. (*Ora vides Hecates in tres vergentia partes*) et Met. VII, 94.). Cf. *Dea triformis* ap. Hor. Od. III, 22, 4. Ovid. Met. VII, 94. Senec. Med. 7. et alibi. Alii de tribus lunae crescentis, plenae et decrescentis phasibus cogitant. *Tergeminus* alibi imprimis de Geryone (Lucr. V, 28. Ovid. Trist. IV, 7, 16. al.) et Cerbero (Ovid. ibid. Tibull. III, 4, 88. al.) usurpatur. Iteratur hic versus ab Ausonio griph. 18. in Wernsd. P. Lat. m. VI, 584. — *tria ora Dianae*, pro: Dianam tria ora habentem. Conington comparat *foedati ora Galesi* VII, 575. et (minus apte) *squalentia terga lacerti* Geo. IV, 13. — **512.** „Effunditur in rogum aut in aras aqua, quae e Styge hausta putabatur. — *simulatos* proprie h. l. cf. III, 302. 349., quos fingebat *Avernales*, ut Hor. Epod. V, 26., et ex locis inferis petitos esse.“ *Heyn*. Servius haec adnotat: „in sacris quae exhiberi non poterant, simulabantur et erant pro veris“. Aquae autem ex Averni lacu haustae effusio vel sparsio ad complendum ritum magicum pertinebat. Cf. Max. Tyr. XIV, 2. et Interpp. ad Hor. Epod. V, 26. De ipso *Averno* vid. ad III, 442. — **513.** *falcibus aënis*. „Aeris proprius in re magica usus. Aeneam falcem ab Sophocle [fr. 489, 7. *χαλκέοις δρεπάνοις*] habere Vergilium volebat Macrob. V, 19., quem vide.“ *Heyn*. Cf. etiam Ovid. Met. VII, 227. (De his falcibus etiam Carminium docte exposuisse coniicit Ribbeck. Proleg. p. 186. Cf. etiam Conington, qui laudat Pers. II, 59. *Saturnia aera*.) — *ad lunam*, luna splendente. Cf. Iuven. X, 21. *Et motae ad lunam trepidabis arundinis umbram*. Ovid. Fast. I, 438. *Omnibus ad lunae lumina risus erat*. Sic saepissime *ad lucernam*, *ad lumina* et similia. Vid. Hand. Turs. I. p. 97 sq. — *quaeruntur*. Cf. VII, 758. De ipsa re praeterea cf. Ecl. VIII, 95. — **514.** *Pubentes herbae* (i. e. sucosae, vid. ad Geo. III, 126. et Aen. XII, 413.) *nigri cum lacte veneni*, i. e. quae plenae sunt suco veneni; nam *herbae* et *lac veneni* non sunt seiunctae notiones, quare Comma, quod vulgo ponitur post *herbae*, cum Wund., Iahn. et Wagn. omisimus. Cf. II, 72. *poenas cum sanguine poscunt*. Ovid. Met. XV, 87. *dapibus cum sanguine gaudent*. Cic. Off. I, 13, 40. *interitum cum scelere approbabit* etc. — *Lac* autem de herbarum quoque suco dici, comprobant loci Ovid. Met. XI, 606. *Innumerae herbae, quarum de lacte soporem Nox legit*. Cels. V, 7. *lac caprifici*. Colum. VII, 8. *ficulneum lac* cett. et *niger* (ut *ater* Geo. I, 129.) de omnibus rebus diris et horribilibus usurpatur. *Nigrum* autem *venenum* legimus etiam ap. Ovid. Met. II, 198. et Nemes. Cyneg. 220., quare etiam *pocula nigra*, i. e. venenata ap. Propert. IV, 27, (III, 23,) 10. et *nigri mariti*, i. e. veneno necati, ap. Iuven. I, 72. — **515.** *nascentis equi - - amor*, Hippomanes. Vid. ad Geo. III, 280., ubi adde Rub. ad Iuven. VI, 133. Heyn. hic conferri iubet Aristot. H. An. VI, 22. VIII, 24. Aelian. H. An. XIV, 18. et Plin. H. N. VIII, 42, 66. — „*matri praereptus amor*, h. e. quod amorem conciliat, philtrum, caruncula, quae ad philtrum adhiberi potest, praereptum, antequam equa feta devoraverit.“ *Heyn*. — **517**. *Ipsa*, Dido; antea enim de sacerdote sermo erat. Vid. ad Geo. IV, 464. et alibi. — *mola*, scil. salsa, quod Adiect. etiam Ecl. VIII, 82. et Aen. IV, 517. omittitur, est i. q. Aen. II, 133. et XII, 172. *salsae fruges*. Plinio autem teste N. H. XVIII, 2, 2. *Numa instituit Deos fruge colere et mola salsa supplicare*. Cf. de ea, quam falso cum Graecorum *οὐλοχύταις* confundi iam ad Aen. II, 133. vidimus, Preller *Röm. Mythol*. p. 547. — Ribbeck. ex Med., Pal., Gud. a m. pr., Eutychii II, 8. Cod. et Servio ad Ecl. VIII,

Unum exuta pedem vinclis in veste recincta
Testatur moritura deos et conscia fati
Sidera; tum, si quod non aequo foedere amantis
Curae numen habet iustumque memorque, precatur.

---

82. pro *mola* recepit *molam*, quem Accus. suspensum facit ex Part. *spargens* in v. 486. hic inter v. 517. et 518. inserto; sed verissime Ladew. in Append. p. 248. memorat, hoc non quadrare ad verba *altaria iuxta*. Immo *mola* est Ablat. modi, quo significatur, quid Dido iuxta altaria stans secum habeat, quemadmodum VII, 284. legimus *talibus donis Aeneadae dictisque redeunt*, ut hic describatur habitus Didonis molam ferentis et piis manibus ad aram accedentis. Sic etiam Ladew. et Regel. Progr. laud. p. 24 sq. de h. l. iudicant. — „Notabis constructionem *mola manibusque piis testatur deos*, qualis est ap. Plin. H. N. XVIII, 2, 2. *mola salsa supplicare* et ap. Val. Fl. I, 781. *Stygiasque supremo obsecrat igne domos.*" *Wund.* Cf. autem de hoc usu Ablativi habitum aliquem vel modum significantis, ad quem Participium aliquod ex ipsa sententia facile intelligendum supplere possumus (ut hic *mola* in ignem iniecta et *manibus* ad caelum sublatis), Aen. I, 90. II, 358. III, 64. 618. VII, 187. 284. XI, 711. 815. XII, 123. 306. Burm. ad Val. Fl. I, 90. Ruhnk. ad Ovid. Her. IV, 83. Ilgen. ad Copae v. 30. p. 54. Axt. in Spurinn. p. 92. Bremi ad Nep. Dion. 8, 2. Matth. ad Cic. Cat. III, 2, 6. Kritz. ad Sall. Cat. 49, 2. Beneck. ad Iustin. II, 11, 2. Regel. l. l. alios cum adnott. ad Ecl. X, 24. et Aen. VII, 284. — *manibus piis*, i. e. castis, puris, lotis. Cf. Tibull. III, 2, 16. *Perfusaeque pias ante liquore manus.* Sic etiam apud Graecos ὅσιαι χεῖρες, velut ap. Soph. Oed. Col. 460. ed. Reisig. Conington adnotat, Adi. *pius* perpetuum fere esse epitheton rerum ad sacra pertinentium coll. infra v. 637. *pia vitta* et V, 745. *farre pio.* — 518. „*Unum exuta pedem vinclis*: unum pedem habere nudum ad religionem pertinuisse videtur. Inter plura, quae Interpp. afferunt, unus Artemidori locus huc facit IV, 67. Invenitur eadem res in signis veterum. (Cf. Mus. Pio-Clem. Vol. II. n. XL. et Passer. ad Vasa Etrusca T. I. p. 67.)" *Heyn.* Cf. etiam Servius („In sacris nihil solet esse praeligatum, praecipue eius, quae amore vult solvi"), Hor. Sat. I, 8, 24. Ovid. Met. VII, 183. etc., de *vinculis* autem pedum (i. e. calceis) Ovid. Fast. V, 432. *habent gemini vincula nulla pedes*, Met. III, 168. *Vincla duae pedibus demunt* etc. Respexit hunc locum Ambros. de Isaaco et Anima 4. (a Peerlk. laud.) *Exi quasi exuta vinculis pedem et nudo exserta vestigio.* — *in veste*, veste induta. Cf. V, 179. VII, 167. XII, 169. Sic Val. Fl. I, 840. *seu venit in vittis castaque in veste sacerdos.* Suet. Vitell. 8. *ut erat in veste domestica.* Tib. I, 9, 70. *in laxa quid iuvat esse toga?* Cf. Oudend. ad Apul. Met. p. 736. et quos ad III, 595. laudavimus. — „*veste recincta*, soluta zona; nota res in religionibus. Cf. Ovidii locum ex Vergilio expressum Met. VII, 182 sqq. (*Egreditur tectis vestes induta recinctas, Nuda pedem* etc.)" *Heyn.* Cf. Gierig. ad Ovid. l. l. et Interpp. ad Tibull. I, 5, 15. Ovid. Met. I, 382. *cinctas resolvite vestes.* Iteratur hic totus versus in Anth. Lat. I, 178, 326. — 519. Verba *Testatur moritura deos* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 116. — *conscia fati sidera*, quae fatum suum, i. e. se morti devotam, adspicerent, ut supra v. 167. *conscius aether*; nisi praestat cum Thielio interpretari: quae tamquam caeli oculi omnia vident ideoque etiam fata hominum sciunt. Dietsch. tamen Theol. Verg. p. 27. cogitat de fato, quod Didoni acciderit, s. de Aeneae discessu, putatque eam sidera, quae illud viderint, invocare, ut testentur, propter quam causam moriatur. — 520. „*Tum numen precatur, si quod habet curae amantes non aequo foedere*, h. e. eos respicit, qui mutuo amore non amantur." *Heyn.* *Curae habere aliquem* legitur e. g. ap. Cic. ad Fam. VIII, 8. extr. et ap. Suet. Octav. 48., et cum verbis *aequo foedere* cf. Ovid. Her. XV, 163. *Quoniam non ignibus aequis Ureris* et Ter. Eun. I, 2, 11. *Utinam pars aequa amoris tibi esset mecum.* Wagn. similem Aiacis mortem sibi inferentis obtestationem ap. Soph. 835 sqq. conferri iubet, Henry autem (*Tw. years* IV. p. 75.) Theocr. XII, 15. ἀλλη-

Nox erat et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras silvaeque et saeva quierant
Aequora, cum medio volvuntur sidera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti.
[Lenibant curas et corda oblita laborum]
At non infelix animi Phoenissa, nec umquam

λους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ et Martial. IV, 13, 8. *Tamque pari semper sit Venus aequa iugo.* — *memor* iniuriae aliis illatae. — **522.** His adumbratam, sed minus suavem noctis descriptionem legimus ap. Stat. Theb. III, 407 sqq. Cf. etiam Ovid. Met. VII, 185 sqq., eiusd. Trist. I, 3, 27. multique alii poëtarum loci similes. Vergilius autem ante oculos habuit Apollon. III, 744 sqq. et IV, 1058 sqq., quem iam ante Maronem convertisse Varronem Atacinum, cuius versus ap. Senec. Controv. XVI. extr. leguntur (cf. Wernsd. P. Lat. min. V. p. 1412.), Heyn. memorat. Ceterum cum v. 522. cf. I, 691. VII, 414. et VIII, 26 sq. et de *carpendi* verbo I, 388. Servius locos modo comm. cum nostro confundens ad Aen. I, 388. hunc versum sic affert: *Nox erat et placidam carpebant membra quietem.* — **523.** *per terras*, ubique terrarum, in tota terra. — *silvae et aequora quierant*, vento sub noctem cessante. Cf. supra III, 568. Iahn tamen (in edit. II.) haec verba potius refert ad animantium corpora per silvas, aequora et agros somno dedita. Vide infra ad v. 528. — *quierant*, coeperant quiescere (*waren zur Ruhe gekommen*), ut VII, 6. et Claud. in Ruf. II, 327 sqq. *Labitur in somnos. Vix toto corde quierat, Ecce videt* cett. — **524.** „*medio volvuntur sidera lapsu*, cursu per mediam caeli partem; ad rudem hominum sensum." *Heyn.* Verba nihil nisi tempus indicant, pro: sideribus in medio caelo se volventibus et agris omnibus tacentibus. Etiam ap. Cic. de Div. I, 11, 17. stellae *certo lapsu feruntur.* In simillimo loco Epist. Didonis in Wernsd. Poët. L. min. IV, 446, 45. legimus *peraguntque micantia sidera cursus.* — **525.** Verba *Cum tacet omnis ager* repetuntur in Anth. Lat. VI, 84, 44. — *pictae volucres.* Vid. ad Geo. III, 243. Ceterum de distinctione huius versus vid. infra ad v. 528. — **526.** Non nova hic animalium genera adiungi, sed aves aquaticas et silvestres distingui censet Wagn., cum v. 527. *positae* sequatur, non *posita*; eique nunc cum Coningtone et Benoisto adsentior, cum etiam ap. Lucr. II, 344. legamus *Et variae volucres, laetantia quae loca aquarum Concelebrant circum ripas fontisque lacusque, Et quae pervolgant nemora avia pervolitantes.* (Prius putavi, poëtam etiam pisces et feras commemorare et ad *quaeque* intelligi voluisse commune vocabulum *bestiae*.) Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 91. de piscibus et serpentibus cogitavit. — **527.** *somno positae. Somno* aut sextus est casus (quod mecum censent Gossr., Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 119., Conington et Benoist.), ut Ecl. VI, 14. et Geo. IV, 404. *somno iacentem,* aut, quod Wagnero et Ladewigio placuit, tertius, coll. Geo. IV, 432. *sternunt se somno phocae,* ut sensus sit: ad somnum compositae. — Versum **528.**, qui abest a Mediceo, Pal. et pluribus aliis libris, in Gud. vero aliisque recentiore manu in margine adiectus est, neque a Servio lectus videtur, cum perturbet omnem loci structuram, post Heinsium, Heynium et Schraderum Emendatt. X. p. 203. etiam Wagn. et Ribbeck. spurium censuerunt et ex IX, 225. huc translatum, adeoque ex ordine ceterorum removerunt, neque aliter Peerlk. de eo iudicavit; Bryce, Haupt., Ladew. (in recentissima edit.), Conington et Benoist. uncis certe eum incluserunt ut suspectum, quos perlectis iis, quae Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 340. scripsit, nunc secutus sum, postquam in prioribus editionibus nihil intactum reliqui, quod ad αὐθεντίαν versus defendendam dici potest, de qua etiam Weichert. de verss. iniur. susp. p. 91., Iahn. eiusque Censor Ienens. Suppl. a. 1827. ch. 64. p. 366., Thiel., Gossrau et Henry in Philol. XII. p. 265. non dubitarunt, dum Süpflius rem in incerto reliquit. — **529.** *At non infelix Phoenissa*, scil. quiescebat, quod deleto v. 528. ex v.

Solvitur in somnos oculisve aut pectore noctem
Accipit: ingeminant curae rursusque resurgens
Saevit amor magnoque irarum fluctuat aestu.
Sic adeo insistit secumque ita corde volutat:
„En, quid ago? rursusne procos inrisa priores

---

523. repetendum. Cf. etiam Geo. III, 349. et 530. — *infelix animi.* Vid. ad Geo. IV, 491. Aen. II, 61. et supra ad v. 203. — *nec* (*umquam*), quod Wagnerum secutus ex pluribus libris recepi pro vulg. *neque*, concitatiori orationi convenientius videtur. Cf. Wagn. Qu. Verg. XXXII, 9. — **530**. *noctem*, quietem noctis et somnum. Cf. Stat. Theb. IX, 599. *Dum gemit, - - Abrupere oculi noctem.* Sil. III, 216. *Promissa evolvit somni noctemque retractat.* Sic etiam contra *somnum* pro *nocte* dici, memorat Thiel. coll. Silio III, 200. et Ruhnk. ad Ter. Andr. II, 5, 19. — **531**. *Ingeminant curae* in noctis solitudine, ut I, 662. *sub noctem cura recursat.* Ceterum vid. ad Aen. I, 747. et 234. — De pleonasmo *rursus resurgere* vid. ad Geo. I, 200. — **532**. *irarum fluctuat aestu*, Dido. Cf. infra v. 564. et VIII, 19. XII, 527. 831. Lucr. III, 299. *Nec capere irarum fluctus in pectore possunt* (ibique adnot. mea), Catull. LXIV, 62. *magnis curarum fluctuat undis* (ubi vid. Doering.), Val. Fl. III, 637. *ingenti Telamon fluctuat ira* etc. Quare nescio, cur Conington dubius sit, utrum *amorem*, an *Didonem* ipsam *fluctuare* statuat. De *irae fluctibus* etiam Val. Max. IX, 3. in. loquitur. De *aestu* cupiditatum et affectuum Thiel. confert infra XII, 527. Cir. 340. Cic. Brut. 81, 282. Claud. IV. Cons. Hon. 226. Plin. Epist. IV, 11. Herzog. ad Caes. B. G. III, 12. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 1, 99. Ceterum verba *magnoque irarum fl. aestu* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 149. — Cum v. **533** sqq. Heyn. conferri iubet Eurip. Med. 502 sqq. — *Sic adeo insistit.* *Sic adeo* est Graec. *οὕτως γε, ὥς γε*, nostrum *so gerade;* nam *adeo* vim addit vocabulis, quibus adiicitur. Vid. Hand. Turs. I. p. 146., qui profert v. c. Sil. XII, 646. *Sic adeo orantes pressere silentia.* Cf. adnott. ad Geo. I, 24. et supra ad v. 96. — *Insistere* scil. mente et cogitatione, quod Wund. explicat per: cogitatio aliquem subit, significat potius cogitationi alicui inhaerere, tota mente defixum esse in una eademque re cogitanda. Schirach. p. 461. explicat: his curis insistit, i. e. indulget. Conington coll. Geo. III, 164. et Aen. XII, 47. minus recte per *incipit* explicat. — Verba *secumque ita corde volutat*, quibuscum cf. Aen. I, 50., repetuntur in Anth. Lat. III, 81, 67. — **534**. *En, quid ago?* repetitur in Anth. Lat. I, 170, 81. et 178, 148. Reprehendit autem his verbis Dido semet ipsam propter varios animi motus v. 531 sqq. commemoratos. Pauci Codd. *En quid agam?* quod esset deliberantis, quid potissimum faciat; *was soll ich thun?* (cf. IV, 283.) *quid ago?* autem est se, utpote temere agentem, vituperantis: *was mache ich da?* idque melius convenire Interiectioni *en*, contra Wunderl. verissime docet Iahn. Hanc autem scripturam, quam et h. l. et in simillimis X, 675. et XII, 637., ut ap. Pers. III, 5. (*En quid agis?*) meliores libri exhibent, tuetur etiam Macrobii Sat. IV, 6, 11. Probi I, 1, 1. et 2. Servii ad Aen. I, 37. et Rufin. p. 212. R. auctoritas. Alteram illam lectionem ex v. 283. ortam esse, Donat. ad Ter. Eun. I, 1, 1. monstrare videtur, qui h. l. sic affert: *Heu, quid ago?* Both. coni. *Hem*, quod comicorum esse, neque epici carminis gravitati convenire, vere censet Iahn. Ceterum Wagn. Qu. Verg. XXXI, 14. in hac interrogatione vestigium retentae Graeci Coniunctivi formae sibi videtur invenisse, qua tamen nisi prima Persona Romani non usi sint. Cf. etiam Hand. Turs. II. p. 369. — *inrisa* Heyn. explicat: ut irridear; epitheto ab effectu rei ex more poëtarum sumpto (qua de re cf. adnott. ad Geo. I, 320.), cique adsentiri videtur Süpfl. interpretans: „*ein Gegenstand des Spottes*“, ut ego prius explicui: irrisione digna coll. Wagn. Qu. Verg. XXIX, 3. et adnott. ad III, 275. Quaeritur tantum, a quo se irrisam cogitet Dido, ab Aenea (ut prius cum Wund. et Iahn. cogitavi), an a procis, quorum antea spretorum matrimonium ab Aenea repudiata nunc ipsa ultro appetat (ut nunc cum Wagn. explico). Ceterum vid. supra v. 36 sq. — *rursus* autem non cum *inrisa* coniungendum (ut Süpflio videtur), sed cum *experiar* etc.: Num ego rur-

Experiar Nomadumque petam conubia supplex,
Quos ego sim totiens iam dedignata maritos?
Iliacas igitur classis atque ultima Teucrum
Iussa sequar? quiane auxilio iuvat ante levatos
Et bene apud memores veteris stat gratia facti?
Quis me autem, fac velle, sinet ratibusve superbis
Invisam accipiet? nescis heu, perdita, necdum
Laomedonteae sentis periuria gentis?
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantis?

---

sus experiar priores procos etc., ut ab iis irridear? Peerlk. tamen aliter locum intelligit: „Iungenda esse videntur *rursus irrisa*, ego, quae olim procos irrisi, dedignata sum". — **535**. *Experiar*. Thiel. conferri iubet infra VII, 434. Prop. III, 13, [IV, 12,] 66. Suet. Tib. 70. Vellei. II, 128. et Burm. ad Phaedr. I, 14, 9. — *petam conubia*, acerba cum ironia dictum; nihil enim honesta femina indignius; in quam rem cf. Sall. Cat. 25. *Libidine sic accensa, ut saepius peteret viros, quam peteretur.* — **536**. *sim* (i. e. cum ego sim) Heins. ex melioribus libris (Med., Pal., al.) restituit pro vulg. *sum*, quod sane hic minus aptum videtur, cum omnem causae significatum excludat. Vid. Iahn. ad V, 536. Peerlk. tamen legi vult: - - *supplex? Quosne ego sum toties* etc. — *maritos*. Vid. supra ad v. 35. — **537**. Hoc cum fieri nullo modo possit, restat *igitur* ut Troianis me adiungam. — *ultima iussa* non suprema, sed infima, deterrima esse, vere memorat Heyn.; sunt enim iussa, quibus nihil potest esse gravius, ut *ultima poena* et similia. Recte enim Pomp. Sabinus: „Puta, quod loquatur ad miserationem, quasi quod, si naviget cum Troianis, sit futura serva". Conington confert ἔσχατον ἀνδράποδον ap. Alciphr. Ep. XLIII. §. 4. et quod ad ipsam rem attinet Ovid. Her. VII, 167. et Catull. LXIV, (LXII,) 158 sqq., Henry autem (*Tw. years* IV. p. 76.) adnotat, poëtam hic ante oculos habuisse Apoll. Rh. IV, 81 sqq. locum de Medea. — *iussa sequar*. Cf. Geo. III, 40 sq. — **538**. *quiane* (quod etiam apud Plaut. Pers. V, 2, 69. Stat. Theb. X, 592. et alibi legitur: *doch nicht etwa, weil*) *iuvat* (eos) *auxilio* (meo) *ante levatos* (esse et e naufragio exceptos) et seqq. ironice dicta esse patet. Heumann. Poecil. IV. p. 549. temere coni. *auxilium*. Vid. II, 452., ubi *auxilio levare* iam invenimus, quod etiam ap. Iustin. V, 2. legitur. Sic *auxilio sublevare* ap. Ovid. Trist. I, 4, 102., *auxilio iuvare* infra X, 33. Ovid. Met. XI, 780 al. De ipsa re cf. supra I, 571. Conington conferri iubet similem locum Catull. LXIV (LXII), 180 sqq. — **539**. *Et bene*, Wund. iam suadente, cum Iahn. et Wagn. ob Codd. fere omnium auctoritatem restitui pro vulg. *aut*, quod, cum haec verba priora explicent, per se minus est aptum. (Secuti sunt omnes recentiores editores praeter Bryceum.) — Verba *stat gratia facti* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 153. — *stat* (immota manet) *apud memores*. Vid. Hand. Turs. I. p. 411. *memores*, scil. beneficiorum acceptorum. Cf. VI, 664. — **540**. *me sinet*, scil. sequi classem. — *ratibusve* ex Med., Pal. aliisque bonis libris cum plerisque recentioribus editoribus nunc recepi. Prius cum Bothio, Iahnio et Wagn. (qui tamen et ipse in recentiss. edit. *ratibusve* restituit) *ratibusque* edideram. Brunck. ex Parrhas. edidit *ratibusne*. Ceterum plures Codd. *sinat*, minus apte. Fortasse huius loci memor fuit Stat. Theb. XI, 690. *finge autem temptare, sines?* — **541**. Pro *invisam* Med. a m. sec. et Gud. *inrisam*, quod, cum etiam Serv. adnotet „*irrisam*, alii *invisam*", Ladew. prius receperat, qui tamen in recentissima edit. iure ad alteram lectionem rediit. Non enim probabile est, Didonem tam brevi intervallo (cf. v. 534.) bis inrisam se appellasse; immo ex illo versu *inrisam* in hunc translatum iudicemus. Cf. etiam Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 341. Verba *nescis heu, perdita, necdum* iterantur in Anthol. Lat. I, 178, 44. et in *nescis heu, perdita, nescis* mutata ibi v. 190. — Cum v. **542**. cf. Hom. Il. XXI, 442. Geo. I, 501. ibiq adnott. et Ovid. Met. XI, 205 sqq. — **543**. *Quid tum?* Cf. de h

An Tyriis omnique manu stipata meorum
Inferar et, quos Sidonia vix urbe revelli,
Rursus agam pelago et ventis dare vela iubebo?
Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.
Tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras atque obicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere more ferae, talis nec tangere curas!

---

quaerendi formula Heindorf. ad Hor. Sat. II, 3, 230. a Thielio laud. — *ovantis*. Vid. ad Geo. I, 346. Legimus autem supra v. 418. *puppibus laeti imposuere coronas*. — 545. *Inferar*, insequar et aggrediar classe? Vid. infra IX, 400. X, 66. 576. XI, 742. Liv. II, 14, 6. II, 50, 7. V, 43, 3. IV, 33, 7. et similes locos, ubi de hostili impetu sermo est. Ante Heinsium legebatur *Insequar*, quam lectionem etiam Serv. commemorat. — „*et quos Sidonia* cett.: quos paulo ante a Tyro excitavi, iterum maritimis cursibus errare faciam?“ *Heyn*. — De voc. *revellendi* cum simplici Ablat. constructo vid. ad I, 358. — 546. *agam pelago*. Cf. X, 540. et XII, 502. — 547. Verba *ferroque averte dolorem* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 51. et sequentia *Tu lacrimis evicta meis* ibid. I, 172, 141. — 548 sq. „Errant animi sensus et motus per varia ac diversa, ut solet fieri in tanto affectu. Quod ipsam sororem amantissimam accusat, summum affectum arguit, quo etiam in carissimos iniurii esse solemus.“ *Heyn*. Sed si consideramus verba *Tu lacrimis evicta meis* et *Non licuit* v. 550., videmus, non tam accusari et increpari sororem a Didone, quam potius excusari, cum fati voluntas fuerit, ut ipsa sororis sui amantissimae fides et amor causa ultimorum malorum fieret et deplorandam fortunam suam adduceret, quae etiam Regelii est sententia Progr. p. 21 sq. — *Tu lacrimis evicta meis* (vid. supra v. 31 sqq.) *prima - - malis oneras*, tu horum malorum causa, auctor es, tu mihi persuasisti, ut Aeneae nuberem (cf. v. 31 sqq. et 54 sq.); *primus* enim haud raro refertur ad causas auctoresque rerum. Cf. Ecl. VIII, 24. Aen. VIII, 134. 319 sq. V, 596. et Wagn. Qu. Verg. XXVIII, 3. — Ribbeckium v. 548. et 549. post v. 418. collocasse, iam supra vidimus. (Urbanus ap. Serv. v. 549. artificiosius sic explicat: „tu persuasisti, ut nuberem, victa lacrimis meis, tu etiam nunc me his oneras malis; nam me olim occidissem, nisi te deserere formidarem“. Vid. Ribbeck. Proleg. p. 168.) — 550. 551. *Non licuit*, scil. per fatum; quo etiam mitigatur sororis accusatio, quae et ipsa fato regebatur. — *sine crimine vitam degere* Henry explicat sine concubitu vivere, ut verba *thalami expertem* per epexegesin addantur, comparans Maximian. Eleg. IV, 51. *Et nunc infelix tota est sine crimine vita* et fortasse etiam *culpam* Aen. IV, 19. sic intelligendum esse ratus. (Vide tamen infra.) — *more ferae*, cui nec amandi nec nubendi necessitas est, vel potius (ut Ladew. explicat premens verba *sine crimine*), quae amore non impellitur ad crimina. Aliter hunc locum intellexit Quinct. Inst. IX, 2, 64. haec scribens: *Quamquam de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit eius affectus, ut sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum;* ut igitur hic sit sensus: fera esse debebam, non homo, ut contra amoris et matrimonii gaudia plane me obdurarem; quae tamen explicatio ceteris non videtur convenire. Wagn. in recentiss. edit. solitariam modo ferarum vitam sociali hominum vitae opponi censet, et similia proferunt Henry *Tw. years* IV. p. 77. et Philol. XII. p. 265. (quem tamen omnia ibi scripta nunc retractare video) et Conington. Explicant quodammodo hunc locum Maximian. Eleg. IV, 51. Ovid. Her. XIX (XX), 7. et Metam. I, 478 sqq. ab Henr. laudati. Alii adeo ad coniecturas confugiunt, veluti Burm., vel *more meo*, vel *more fere* legendum coniiciens, et Peerlk. hanc proponens emendationem satis audacem: *Degere, vae miserae!* — *tales curas*, amatorias, dolores animi ex infelici amore profectos. — *tangere*, attingere, sentire. Cf. Prop. III, 32, (II, 34,) 9. *Linceu, tune meam potuisti tangere curam?* et Val. Fl. II, 398. *thalamos excussaque vincla quod ausae Induere, atque iterum tales ad-*

Non servata fides cineri promissa Sychaeo!“
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
  Aeneas celsa in puppi iam certus eundi
Carpebat somnos rebus iam rite paratis.
Huic se forma dei voltu redeuntis eodem
Obtulit in somnis rursusque ita visa monere est,
Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque
Et crinis flavos et membra decora iuventa:
„Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos,
Nec, quae te circum stent deinde pericula, cernis?

---

mittere curas, cui Vergilium ante oculos fuisse in promptu est. — **552.** *cineri Sychaeo* pro Sychaeio s. Sychaei. Vid. de hac Adiectivorum forma adnott. ad I, 686. III, 602. et al. Brunck., cui Wagn. adsentiri videtur, *Sychaeo* pro ipso nomine habet, cui *cineri* per appositionem adiungatur pro *defuncto*. Antiquiorum alii locum sic distinguunt: *Non serv. fides cineri, promissa Sychaeo* (scil. vivo), alii faciliorem Cod. Med. aliorumque lectionem *Sychaei* praeferunt. — Ceterum *promissa fides* etiam VI, 346. legitur, ubi vid. adnott. — **553.** *rumpebat questus.* Vid. ad II, 129. et III, 246. et cf. *effundere questus, voces* V, 780. 482. 723. — **554** sqq. „Non Homeri imitatione, apud quem bis a Iove Mercurius mandata accipit [vid. infra ad v. 571.], ut Calypso Ulyssem dimittere iuberetur; nec ea de causa, ut invitum discedere Aeneam significaret, denuo Mercurium nuntium induxisse videtur poëta, sed ut ipse discessus dignitatem aliquam ac dissimilitudinem a vulgari quoque discessu haberet. - -“ *Heyn.* — *celsa in pnppi*, ut III, 527. — Bothius, duplici *iam* temere offensus, coni. *Aeneas c. in p.* (*nam certus eundi*) *Carpebat s.* Sed vid. adnott. ad III, 374. — *certus eundi* constructione poëtis satis usitata, cuius etiam apud posteriores pedestris orationis scriptores exempla inveniuntur. Cf. v. c. Tac. Hist. IV, 14. *certus desciscendi.* id. Ann. IV, 53. *c. relinquendae vitae* cett. Saepius cum Infin. construitur, ut infra v. 564. — **555.** *Carpebaut somnos.* Vid. ad I, 388. — Verba *rebus iam rite paratis* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 246. — **556** sqq. „Comparant Iliad. II, 20 sqq. 57 sq. Od. II, 268. Il. XXIII, 66 sq., sed primo loco erat commemoranda Od. X, 277 sq.“ *Heyn.* — *forma dei*, non deus ipse. Vid. infra ad v. 571. Aliter hunc locum explicat Weidner. ad Aen. I, 173., ac si Verg. diceret, primum Aeneam formam modo aliquam deo similem conspicere sibi visum esse, postea demum sensim intellexisse esse Mercurium. — *redeuntis*, iterum euntis, ut saepe. — **558.** *omnia M. similis*, in omnibus; quod satis notum. Vid. adnott. ad Ecl. I, 54. et Aen. I, 320. et cf. IX, 650., ubi, uno tantum voc. mutato, hic versus iteratur. — *colorem* pulchrae iuventae. Nam Mercurium inter pulcherrimos esse deos constat. Ceterum cf. Ecl. II, 17. ibique adnott. — **559.** *flavos crines* Graeci et Romani, ipsi plerumque nigris capillis praediti, imprimis pulchros habebant. Quare iam apud Hom. ξανθὸς Μενέλαος, ap. Ovid. Met. II,749. *flava Minerva*, ap. eund. Fast. II, 763. *Forma placet niveusque color flavique capilli*, ap. Tibull. I, 5, 44. *flavis nostra puella comis* etc. Quid quod posterioribus temporibus imperatores Romani aliique homines molles capillamentis flavis utebantur, vel flavo cinere capillos conspergebant? Cf. liber meus *Hellas u. Rom* P. I. Vol. 1. p. 323. adn. 277. — *m. decora iuventa.* Sic optimi Codd. (etiam Med. et fragm. Vat.), quos cum Wakef., Iahn., Wagn. et Thiel. secutus sum, neque aliter Süpfl., Haupt. et Conington. Vulgo *m. decora iuventae*, minus bene, quod tamen Ribbeck., Bryce et Benoist. ex Pal., Gud., Bern. I., Schol. Hor. Od. I, 10, 3. et Servio receperunt, et sane etiam in Anth. Lat. I, 146, 14. legimus *et membra decora iuventae*. — **560.** Cf. Hom. Il. II, 20. 23. 69. *hoc sub casu*, hoc periculo, discrimine proxime futuro, immo iam instante. Cf. v. 566. — *ducere somnos* i. q. *trahere somnos* (cf. Broukh. ad Prop. I, 14, 9.) et ap. Silium XI, 405. *educere somnos*, i. e. per totam noctem secure dormire, παννύχιον εὕδειν. — **561.** *te circum.* Vid. ad

Demens! nec Zephyros audis spirare secundos?
Illa dolos dirumque nefas in pectore versat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat aestu.
Non fugis hinc praeceps, dum praecipitare potestas?
Iam mare turbari trabibus saevasque videbis
Conlucere faces, iam fervere litora flammis,
Si te his attigerit terris Aurora morantem.
Heia age, rumpe moras. Varium et mutabile semper

---

32. 667. et Wunderl. ad Tibull. I, 3, 68. Ceterum Heyn. confert Hom. Od. XIV, 270. περὶ γὰρ κακὰ πάντοθεν ἔστη. — *deinde*, ut Graec. εἶτα, haud raro in interrogationibus cum consecutione aliqua coniunctis usurpatur, ut valeat i. q. cum res ita sint, postquam res ita ciderunt, nostrum *dann*. Vid. infra IX, 781. XII, 889. cett. Gronov. ad Liv. IV, 49, 15. et Hand. Turs. II. p. 247. (Cf. etiam adnott. ad II, 391. et III, 609.) Hic igitur: nonne vides, quae in hoc rerum statu, si diutius hic remaneas, te circumstent pericula? Ladew. *deinde* explicat: proxime (*in nächster Zukunft*), post hanc noctem, coll. Aen. VI, 756. 890. Ceterum cf. Sil. IV, 170. *Nec quae tibi fraudes Tendantur, quae circum stent discrimina, cernis.* Totus autem hic versus iteratur in Anth. Lat. I, 178, 200. — **562.** *Zephyros secundos* pro lenibus et secundis ventis omnino ponit; magis enim Africus, quam Zephyrus, Aeneae a Carthagine in Italiam navigaturo secundus erat. Respexit hunc locum Val. Fl. II, 372. *Zephyros audire vocantes Dissimulant.* — V. **563.** imitati sunt Silius VIII, 178. *Molitur, dirumque nefas sub corde volutat*, et Val. Fl. II, 568. *tacitusque dolos dirumque volutat Corde nefas.* — *versare dolos* legimus iam II, 62. — **564.** *Certa mori.* Vid. supra v. 475. et cf. Val. Fl. VIII, 316. *Non aliud, quam certa mori.* Praeterea *certus* cum Infin. iungitur ap. Ovid. Her. VII, 6. IX, 43. Lucan. 586. al. Cf. adnott. ad Ecl. IV, 54. V, 1. 53. Geo. I, 284. etc. — Ultima pars versus iteratur ex v. 532.; quare Ribbeck. (quem sequuntur Coningt. et Benoist.) potius ex fragm. Vat., Rom., Bern. III., Minogaur. (quibus accedunt Gud. et Bern. II. a m. sec. certe *varios aestus* praebentes) recepit lectionem *variosque irarum concitat aestus.* Sed vid. Hoffmann. in *Zeitschr. f. d. Oesterr. Gymn.* 1866. p. 507. — **565.** *Non fugis?* Vid. ad Ecl. III, 17. et Aen. II, 596. Wakef. pro *non* ex cod. Iesuit. et tribus aliis male *num* scripsit. — *praecipitare*, scil. fugam. De constructione *potestas praecipitare* vid. ad Geo. I, 305. Ceterum repetitur hic versus in Anth. Lat. I, 170, 52. et 178, 198. — **566.** *Iam* de re, quae tamquam mox futura confidenter exspectatur, nostrum *gleich*, vel etiam *schon*. Cf. Aen. I, 272. (ibique adnott.) VI, 676. VIII, 42. XI, 708. Hor. Od. I, 4, 16. Ter. Andr. IV, 5, 37. Tibull. I, 1, 70. II, 5, 55. cett. Schwab. ad Phaedr. V, 2, 6. Hand. Turs. III. p. 125. Wagn. Qu. Verg. XXIV, 5. — *turbari trabibus* (i. e. navibus Carthaginiensium: cf. infra v. 592 sqq. et adnott. ad III, 191.), scil. remis impulsum. Aliter Gossr., qui *trabes* propria vi accipit de navium Teucrorum fragminibus, ut sententia sit: „nisi celeriter aufugis, naves tuas fractas et incensas a Poenis videbis? quod probare non possum. Ceterum cf. locus similis VIII, 689 sqq. — **567.** *Conlucere faces*, quibus naves tuae incendantur. Cf. v. 594. — *fervere litora flammis.* Ergo non solum e navibus, sed etiam e litore iaculabantur faces s. ignes. De verbo *fervĕre* vid. ad Geo. I, 456. et supra ad v. 407. — Cum v. **568.** compara Il. XVIII, 268 sq. Conington confert Eurip. Med. 352. — *Si te attigerit Aurora*, primis solis radiis. Cf. Wakef. ad Lucr. IV, 409. Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 178, 102. — **569.** *Heia age* est eius, qui morae impatiens cessantem castigat et excitat (cf. Val. Fl. VIII, 110. Stat. Silv. I, 2, 266. al., quo sensu etiam *en age* dicunt: cf. Geo. III, 42. Copae v. 31. Colum. X, 68. et Lachm. ad Lucr. III, 374. p. 164.), et totam formulam *heia age rumpe moras* ex hoc loco plures repetiverunt. Vid. adnott. ad III, 43. (ubi addi potest Anth. Lat. I, 178, 89.) et Aen. IX, 13. De forma autem scribendi *heia*, quam cum Ribbeckio et recentiss. editoribus hic et IX, 38. ex Med., fragm. Vat., Pal.

Femina.“ Sic fatus nocti se inmiscuit atrae.
Tum vero Aeneas subitis exterritus umbris
Corripit e somno corpus sociosque fatigat:
„Praecipites vigilate, viri, et considite transtris;
Solvite vela citi. Deus aethere missus ab alto

---

aliisque bonis libris recepimus, cf. Eutych. ap. Cassiod. p. 2312. Lachm. ad Lucr. III, 374. p. 164. Wagn. Orth. Verg. p. 442. et Ribbeck. Proleg. p. 421. — *Varium et mutabile semper femina*, sententia in vulgus nota. Cf. Galli Eleg. 21. (in Wernsd. Poet. L. min. III. p. 188.) *Femina natura varium et mutabile semper.* Calpurn. III, 10. *Mobilior ventis o femina* et Anth. Lat. Burm. I, 170, 159., ubi haec ipsa Vergilii verba iterantur. Neutrum Adiectivi Substantivo mascul. vel femin. generis additum non minus quam adiunctum Substantivum *res*, cui illud respondet, plerumque contemptum aliquem et despicientiam indicat. Cf. praeter Galli locum modo laud. Ovid. Am. I, 9, 4. *Turpe est senex miles* cett. et adnott. ad Ecl. III, 80. Cum ipsa sententia Thiel. comparat Tibull. III, 4, 61. et proverbium illud: *Aut amat aut odit mulier, nihil est tertium.* Ceterum respicitur hic locus etiam in Anth. Lat. III, 81, 8. *varium et mutabile semper Artificis scelus.* — **570.** *nocti se inmiscuit atrae*, evanuit. Cf. supra v. 278. Infra X, 664. legimus *nubi se inmiscuit atrae.* Poeta Anth. Lat. IV, 348, 2. hunc locum sic imitatur: *tenebris se miscuit atris.* — **571.** *Tum vero. Vero* hic affirmativam habere vim, in promptu est. Aeneas, qui iam antea consilium ceperat abeundi (v. 265.), post vero rursus incertus erat factus (v. 283.), nunc recenti visione nocturna exterritus revera profectionem iubet; ut Henry in Philol. XII. p. 267 sq. locum rectissime explicat. — *subitis umbris* Heyn., Gossr. aliique intelligunt de caligine subito exorta deo abeunte, qui, ut mos est deorum, in multa luce apparuerat (cf. v. 358.); Henry vero (*Tw. years* IV. p. 80. et Philol. XII. p. 266 sq.), qui putat his umbris subito obortis, quae essent naturales, Aeneam exterreri non potuisse, rectius *umbras* per visionem nocturnam, simulacrum, φάντασμα explicat; non enim ipsum Mercurium Aeneae apparuisse, sed tantum speciem Mercurio similem ei per somnum esse oblatam, cum Iove indignum sit Mercurium ipsum bis mittere (cf. 222 sq.); eandemque explicationem etiam Wagn. in edit. min., Ladew., Conington et Benoist. proferunt. Ceterum hunc locum imitatus videtur Silius II, 704. *Saguntinis exterritus umbris*, praeter quem Henry conferri iubet Aen. VI, 894 sq. Petron. p. 368. Hildebr. *Somnia, quae mentes ludunt volitantibus umbris*, Justin. I, 9. et Val. Fl. I, 778. In Plurali autem non haerendum esse, docent loci Aen. V, 81. VI, 510. al. — *exterritus* verbum proprium de iis, qui vel inopinata vel terribili re graviter permoventur, percelluntur. Cf. infra v. 672. XI, 806. Lucr. II, 1041. Hor. Ep. I, 6, 11. Val. Fl. I, 778. VIII, 450. Cic. Off. II, 10, 37. Liv. VII, 39, 15. etc. Vid. Obbar. ad Hor. l. l. — **572.** *Corripit e somno corpus.* Vid. ad III, 176. — „*fatigare* notat impellere, stimulare; cf. [I, 280.] VI, 553.; et ut verba *instare, hortari, incitare*, similia, ita usurpatur, ut res, ad quam instigantur homines, ex contextu intelligenda sit.“ *Wund.* Cf. infra VI, 533. Sil. XII, 192. *socios voce fatiget* cett. — **573.** *praecipites vigilate et considite tr.*, i. e. vigilate et festinate considere transtris, nam — id quod vere memorat Wagn. Qu. Verg. XXXIII, 10. — Verbis *et cons. tr.* declaratur, quid Aeneas a vigilantibus praecipiter fieri velit, et *praecipites* non ad *vigilandi*, sed ad *considendi* notionem est referendum, quamquam Bryce docere studet, Adiectivum ad utrumque Verbum pertinere, locum sic interpretatus: „*Make all haste* (*praecipites*), *rouse yourselves from sleep* (*vigilate*), *and take your seats on the rowing-benches*“. Ceterum vid. adnott. ad III, 289. Wagn. adnotat, magnam hic esse vim in hyperbato et conferri iubet Theocr. Id. XXVIII, 6. eiusd. Epigr. XIX, 1. et Xen. Hell. VII, 3, 7. — **574.** *solvite vela*, ut V, 831. et al. Contrarium est *legere vela*, Aen. III, 532. — *citi* pro Adverbio *cito* etiam infra v. 5[illegible] IX, 37. XII, 425. Hor. Sat. I, 10, 92. Plaut. Amph. I, 1, 89. et alibi ha[illegible] raro legitur. Cf. Kritz. ad Sall. Iug. 101, 1. et Boetticher. Lex. Tac.

Festinare fugam tortosque incidere funis
Ecce iterum stimulat. Sequimur te, sancte deorum,
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adsis o placidusque iuves et sidera caelo
Dextra feras.“ Dixit vaginaque eripit ensem
Fulmineum strictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnis simul ardor habet, rapiuntque ruuntque;

---

37. — **575.** *festinare fugam*, ut I, 137. *maturare fugam*. Cf. Geo. IV, 117. Aen. IV, 310. VI, 177. VII, 264. IX, 401. XII, 425. Barth. ad Stat. Theb. II, 478. (ubi *festinare viam*) Drak. ad Sil. Ital. VIII, 52. (*fest. pyram*) Kritz. ad Sall. Cat. 36, 3. et Herzog. ad Caes. B. G. I, 71. — *funis* i. q. retinacula v. 580., quibus puppes navium litori alligabantur. Cf. Geo. I, 457. Aen. III, 266. 639. 667. — *incidere funis*, ut III, 667. Cf. etiam Geo. I, 457. *ab terra convellere funem*. — *tortos*. *Tortus* perpetuum est funium et rudentum epitheton. Cf. Hor. Ep. I, 10, 48. Catull. LXIV, 235. Pers. V, 146. Ovid. Met. III, 679. etc. *Intorti funes* etiam Ovid. Met. III, 679. commemorantur. Conington conferri iubet Pacuv. ap. Nonium 179, 16. et *tortam cannabim* ap. Pers. V, 146. — **576.** Verba *Ecce iterum stimulat* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 76. Conington ex fragm. Vat., Pal., Gud. (quibus addi potest Bern. III.) recepit lectionem *instimulat* (quod verbum rarum legitur e. g. ap. Ovid. Fast. VI, 508.). — *Sequimur te, sancte deorum*, secundum Ennium (p. 65. Hessel. s. Ann. I. fr. 46. p. 12. Vahl.) dictum esse, Heyn. observat, ubi *Respondit Iuno Saturnia, sancta dearum* (*δῖα θεάων*). Constat enim, poëtas et posteriorum temporum scriptores prosaicos etiam Positivum Adiectivorum partitive usurpatum cum Genitivo construere. De Graecis vid. quos Matthiae Gr. Gr. §. 442. laudat, de Romanis autem Gronov. et Drak. ad Liv. XXX, 9, 1. Ruhnk. ad Vellei. II, 80, 2. Vechner. Hellenol. p. 131. ibique Heusing. Cort. et Kritz. ad Sall. Cat. 53, 5. Boetticher. Lex. Tac. p. 212. alii. Cf. v. c. Hor. Od. I, 10, 19. *superi deorum*. Serm. II, 2, 99. *festi dierum*. Liv. I. modo l. *expediti militum*. XXVI, 5, 3. *delecti peditum equitumque*. Curt. IV, 2, 5. *captivae feminarum*. Tac. Ann. XV, 56. *praecipui amicorum*. Plin. XI, 50, 111. *degeneres canum*. VIII, 48, 73. *nigrae lanarum* cett. — **577.** *quisquis es*; nam *forma* tantum *dei Mercurio similis* (v. 556 sq.) Aeneae apparuerat. Omnino autem veteres, ubi intelligunt quidem cum deo aliquo sibi rem esse, sed tamen, quis deus sit, ignorant, vel non certo sciunt, sancta deorum veneratione ducti, certum dei nomen ponere studiosissime vitant, ne falso nomine dicto eos offendant. Servius, qui multus est in explicando hoc loco, commemorat etiam usitatas Pontificum preces *Iuppiter omnipotens, vel quo alio nomine appellari volueris*, et Conington addit Aesch. Agam. 160. *Ζεὺς ὅστις ποτ' ἐστίν*. Ceterum cf. infra IX, 21. Ovid. Met. XIV, 841. *O dea — namque mihi nec quae sis dicere promptum, Et liquet esse deam — sequor*. Stat. Theb. X, 680. *Sequimur, Divûm quaecunque vocasti*. Val. Fl. IV, 674. *Sequor, o quicunque deorum*. Claud. in Ruf. I, 170. *Sequimur, quocunque vocaris, Seu tu vir, seu numen* etc. — **578.** *placidus iuves*. Cf. III, 266. *Di - - placidi servate pios*. — „*sidera dextra*, mitte ventos secundos, proprie sidera, quorum exortu venti secundi flant, ac prospera navigatio fit.“ *Heyn*. Sidera enim tempestatem regere credebantur. Cf. Geo. I, 311. 335. (ibique Voss.), 351 sq. etc. — *caelo feras*. Cf. Geo. I, 6. — **579.** Cf. Apoll. Rh. IV, 207. *ὃ δὲ ξίφος ἐκ κολεοῖο Σπασάμενος πρυμναῖα νεὼς ἀπὸ πείσματ' ἔκοψεν*, infra Aen. VI, 260. *vaginaque eripe ferrum* et Epit. Iliad. 374. *vaginaque horridus ensem Eripit*. — *ensis fulmineus* redit IX, 441. Idem fere est *ensis coruscus* supra II, 552. — **580.** Comparant Hom. Od. X, 127. — **581.** *habet*, ut apud Graecos *ἔχει*, nos *er beseelt, erfüllt*. Cf. XI, 357. et XII, 282. (ubi huic loco simillima legimus verba *Sic omnis amor unus habet*). Stat. Theb. III, 549. *Terror habet vates*. Ovid. Fast. III, 288. *pectora terror habet*, et Heins. ad Ovid. Her. XII, 170. Vid. etiam ad III, 147. Ceterum hoc hemistichium verbo *habet* in *agit* mutato iteratur infra VII, 393. — Verba *rapiuntque ruuntque* ardorem et festinationem optime depingere,

Litora deseruere; latet sub classibus aequor;
Adnixi torquent spumas et caerula verrunt.
Et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Regina e speculis ut primum albescere lucem
Vidit et aequatis classem procedere velis

---

non est quod doceam. Cogitandum autem de omnibus navium armamentis, quae celeriter aptantur, disponuntur, digeruntur. — Ladew. *rapiunt* explicat „*rasch greifen sie zu*" et *ruunt* „*rasch fahren sie ab*". Nimirum *rapere* aliquid haud raro significat cum rapida festinatione manum alicui rei admovere, quod recte adnotat Wagn. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. III, 81, 11. — **582**. *latet sub classibus aequor*. Tam multae magnaeque sunt naves, ut maris superficiem plane contegant et oculis subducant. — **583**. *caerula verrunt*. Vid. ad III, 208., ubi hunc versum iam legimus. — **584** sqq. „Animadverso classis discessu Dido in furorem acta iras, querelas, minas, diras miscet, quibus Aeneam cum Troianis devovet." *Heyn*. Imitatus est h. l. Silius VIII, 84 sqq. — V. **584**. et **585**., quos ex Homero (Il. XI, 1. XXIV, 695. Od. V, 1. al.) translatos esse patet, repetuntur IX, 459. 460., unde Peerlk. invito Vergilio a Grammaticis huc translatos censet, atque etiam Ribbeck. eos non immerito Peerlkampio displicuisse memorat, quamquam a Gossravio defenduntur. Ceterum cf. Lucr. II, 143. *Primum Aurora novo cum spargit lumine terras*, Furius Ann. I. ap. Macrob. Sat. VI, 1, 31. *Interea Oceani linquens Aurora cubile*, Auson. Perioch. XI. Iliad. *Titoni croceum linquens Aurora cubile Spargebat terras* et Geo. I, 447. (ubi versum 585. iam legimus). Proprie sententiae sic erant coniungendae: Cum iam - - spargebat, regina - - vidit etc.; nam haec continent principalem sententiam, cui temporis descriptio ut secundaria adiicitur, quare etiam Imperf. *spargebat* est positum. — **586**. „Bene Didonem primum inducit vidisse crepusculum, quae, quasi amatrix, tota vigilaverat nocte." Haec *Serv*. Heyn. adnotat, poëtae fortasse ante oculos fuisse Apollon. III, 819 sqq. — *e speculis*, ex edita aedium parte. Cf. VII, 511. (III, 239. X, 454. XI, 526. 877.) Supra v. 410. legimus *arce ex summa*. — *primum albescere* simili pleonasmo, quo XII, 76. *primum rubescere*. Ribbeck. ex Pal., Gud. a m. pr. et Bern. I. recepit lectionem *primam;* sed recte Conington opponit, vix probabile esse, Vergilium, cui *ut primum* satis usitatum sit [vid. Geo. II, 426. Aen. I, 306. IV, 259. VI, 102. 452. XI, 300. XII, 47. 669.], post *primam Auroram* statim adiecisse *primam lucem*. — „*Albescere* creditur ex antiquo poëta, fortasse Ennio, adumbratum esse: *Ut primum tenebreis abiecteis inalbabat dies*. Vid. Columna ad Enn. p. 65." *Heyn*. Cf. etiam Caes. B. Civ. I, 68. *albente caelo omnes copias castris eduxit*. Wagn. hunc versum, qui ipse novam sententiam exordiatur a Part. *ut* incipientem, neque, ut alii similes loci (II, 801 sqq. III, 356 sqq. cett.), cum prioribus coniunctus in formam protasis cum apodosi redigi possit, post superiora languere censet Qu. Verg. XXXV, 8., quod (ut iam vidimus) movit Peerlkampium, ut antecedentes duo versus eiiciendos suspicaretur. — **587**. *aequatis velis*, pari velificatione, ut omnes naves eodem tempore exire et aequaliter eodem promoveri possint (cf. V, 232. et 844.), in qua loci explicatione nunc cum Wagn. sequor Henricum in Philol. XII. p. 267. Similiter etiam Haeckerm. in Muetzellii *Zeitschr*. XIX. p. 119. cursum aequaliter tuteque procedentem et navigationi obliquatis velis (V, 16., *dem Kreuzen, Laviren*) oppositum indicari putat. Paulo aliter statuit Paldamus in Caesaris *Zeitschr. f. d. Alt.-Wiss*. XII. (1854.) p. 241., qui sumit, *aequata vela* significare omnia, quae ad profectionem spectent, tam prudenter et gnaviter curata esse, ut omnes naves uno eodemque tempore sine ulla perturbatione exirent. Ladew. prius receperat C. F. Hermanni c- *arquatis* in Mus. Rhen. V. p. 621. propositam (quod iure reprehend- Paldamus l. l., Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 403. et Haeckerm l.), postea tamen ad omnium Codd. lectionem iure rediit, quam et

Litoraque et vacuos sensit sine remige portus,
Terque quaterque manu pectus percussa decorum
Flaventisque abscissa comas „Pro Iuppiter! ibit
Hic, ait, et nostris inluserit advena regnis?
Non arma expedient totaque ex urbe sequentur
Diripientque rates alii navalibus? Ite,
Ferte citi flammas, date tela, inpellite remos! —

Serv. testatur et hic et ad V, 844. — **588**. *sensit*, gravius, quam praecedens *vidit*. — *vacuos sine remige portus*, eadem ubertate dicendi, qua Soph. Ant. 440. *Σὺ μὲν κομίζοις ἂν σεαυτὸν, ᾗ θέλεις ἔξω βαρείας αἰτίας ἐλεύθερον*, id. Soph. Ai. 464. *γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ*, Hom. Il. XXI, 50. *γυμνὸν ἄτερ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος*, Sil. X, 583. *vacuum sine corpore nomen*, XVI, 624. *vacuumque Iovem sine pube, sine armis*, Ovid. Met. X, 245. *sine coniuge caelebs*, et contra infra VI, 359. *madida cum veste gravatus*, ubi vid. adnott. Ceterum Adi. *vacuus* non minus ad *litora*, quam ad *portus* referendum. Cf. III, 413. IV, 11. VI, 353. VIII, 281. etc. — **589**. *terque quaterque*. Vid. ad I, 94. — *manu pectus percussa*. Cf. I, 481. *tunsae pectora palmis* ibique adnott. — *percussa* - - *abscissa* pro percutiens, abscindens, evellens. Vid. ad Geo. I, 206. Pro *abscissa* Gud. a m. pr. et tres Bern. praebent *abscisa* (Pal. autem *absciasa*); sed vide ad Geo. II, 23. et Aen. V, 685. — **590**. *flaventes comae* Didoni etiam infra v. 698. tribuuntur, quia Romanis imprimis placebant. Vide supra ad v. 559. — *ibit* (abibit, ut II, 578.) -- *inluserit*. Vid. ad II, 581. Heyn. comparat Geo. I, 157. *Falce premes* - - *vocaveris*. — **591**. *Hic, ait*. Peerlk. malit *Pro Iuppiter! ibit, Ibit, et nostris* etc. — „*nostris regnis*, mihi, tamquam reginae. Illuserat autem discessu tuto et impune facto post tantas in Didonem amantem iniurias.“ *Heyn*. In maiore edit. Heyn. post *regnis* signum exclamandi apparet, quod recte Wagn. in interrogandi signum mutavit, Wund., Iahn., aliis praeeuntibus. — *advena* cum magna vi adiicitur: quem advenam inopem et egenum in regnum meum recepi. *Advena* autem Aeneas etiam XII, 261. cum contemptu vocatur. — **592**. *arma* non tantum esse instrumenta navalia, ut Heynio videtur, sed omnino instrumenta bellica, Wund. docet ex divisione *expedient* (alii) *arma, alii deripient rates*. Cum voc. *alii* semel posita (pro *alii* — *alii*) cf. Gron. ad Liv. III, 37. IX, 36. Oudend. ad Suet. Caes. 89. et Caes. B. G. I, 8. extr. Ernest. ad Tac. Ann. I, 63. Held. ad Caes. B. C. III, 110. Beneck. ad Iustin. XXXVIII, 3, 6. et Boettich. Prol. ad Lex. Tac. p. LXXXVIII. Ceterum vid. ad I, 702. et V, 102. — **593**. *Diripient*, plurimorum Codd. lectionem, non erat cur Wagn. (quem etiam Peerlk., Gossr., Haupt., Bryce et Conington sequuntur, probante etiam Haeckerm. l. l.) in *Deripient* mutaret. Iahn., Süpfl., Ladew., Ribbeck. et Benoist. nobiscum faciunt. Vid. adnott. ad Geo. II, 8. Aen. I, 211. et III, 267. Ceterum cf. etiam Wakef. ad Lucr. V, 1319. (Wagn. etiam in Philol. Suppl. I. p. 341 sq. sententiam suam de verbis cum *de* et *di* compositis repetit, ex qua *diripere* nihil aliud significare potest, nisi in diversas partes rapere.) — *Ite*. Referendus est hic locus inter eos, qui adversantur Bentleii opinioni, simplicem dictionem dissyllabam in fine versus post longiorem sensus pausam poëtis Romanis fuisse ingratissimam. Vid. quae de hac re disputavi ad Lucr. VI, 1142. et Obbar. ad Hor. Ep. p. 67. edit. I. — **594**. *date tela*. (*Waffen herbei!* ut IX, 37., ubi praecedunt verba *Ferte citi ferrum*. Sic Servius et omnes, quantum constat, Codd. praeter unum Menag. I., qui praebet *date vela* (quod sane etiam Claudii Sacerd. I. p. 126. Donati Art. III, 5, 2. et Prisc. p. 1105. P. aliquot Codd. et vulgares editiones occupat atque etiam Ribbeckio arridet. Vid. eius Proleg. p. 357.). Sed difficiliorem et concitatissimae Didonis orationi (in qua languent *date vela* iuxta *impellite remos* posita) longe aptiorem lectionem a Wagn. (quem omnes posteriores editores iure secuti sunt) iure restitutam censeo, qui simul literam *t* toties hic repetitam irae omninoque summae animi perturbationi significandae quam maxime inservire docet, comparans Soph. Oed. R. 370. *τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματ'*

Quid loquor? aut ubi sum? Quae mentem insania mutat, 595
Infelix Dido? nunc te facta impia tangunt?
Tum decuit, cum sceptra dabas. — En dextra fidesque,

---

et, notissimum illum Ennii versum ap. Auct. ad Herenn. IV, 12. (Ann. I. fr. 71. p. 18. Vahl.) *O Tite, tute, Tati, tibi tanta Tyranne tulisti*, et infra IX, 37. — **595**. Iam redit quasi ab insania et se colligit. *Quid loquor?* Vid. supra v. 534. — *ubi sum?* Wagn. confert Ter. Heaut. V, 1, 48. *Prae iracundia non sum apud me*. Verba *Quid loquor? aut ubi sum?* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 158. — *Quae mentem insania mutat?* Vid. ad I, 237. — **596**. *nunc* e Med. aliisque Codd. recte praetulit Heins. Vulgo *num*, quod sane legitur ap. Cledonium p. 1924. P. Sed haec opposita sunt sequentibus *Tum decuit* etc. — *facta impia* Wund. recte ad Aeneam refert propter ea, quae praecesserant v. 592—594., „quibus perfidia illius se commotam et ultionis cupidam ostenderat;" neque aliter Wagn., qui confert Tibull. III, 6, 42. de Theseo et Ariadne: *Ingrati referens impia facta viri*, Conington, Bryce, Ladew. et Benoist.; Heyn. autem, Haeckerm. l. l. p. 120. et Henry (*Tw. years* IV. p. 82. sq. et Philol. XII. p. 268.) de ipsius Didonis factis impiis cogitant, et ceteri quidem de factis impiis in Sychaeum maritum, coll. v. 552., Haeckerm. autem de impiis in Aeneam eiusque socios iussis v. 594. et 600 sqq. Sed premenda videntur verba praegressa *quae mentem insania mutat?* et quomodo verba *Tum decuit* etc. capienda sint, statim videbimus. Plures Codd. *fata*, quod (ab editoribus Heinsio prioribus exhibitum) non displicuit Heynio, et sane in Anth. Lat. I, 168, 20. legimus *nunc te fata impia tangunt;* sed vere memorat Wagn., fato nusquam tribui impietatem, et quod Senec. Oed. 1046. legatur: *fata superavi impia*, id recte explicari: plura impie feci, quam fatale erat. — *tangunt*, afficiunt, et hic quidem pungunt. Cf. I, 462. XII, 57. Ovid. Her. VIII, 15. *Cura mei si te pia tangit, Oreste*. Claud. Epist. I, 9. *humanae superos numquam tetigere querelae* cett. — **597**. „*Tum decuit*, te tangi eius perfidia, h. e. cogitare de perfidia eius, eamque prudenter cavere." *Wund.* Quamquam Dido ipsius Aeneae perfidiam illo tempore nondum experta erat, tamen *Laomedonteae periuria gentis* (v. 542.) non ignorans eam praesagire et metuere poterat. Haeckerm. l. l. explicat: *Tum* (priusquam castitatem deserui et prodidi) *decuit* ita in eum sociosque consulere, ut v. 600 sqq. indicatur. Plures Codd. (Pal., Gud., Bern. I., alii) cum Prisc. VIII, 102. *tunc*, quod probat Wunderl. ad Tibull. I, 1, 21., et Iahn. in contextum recepit, cum opponatur antecedenti *nunc*. Sed vid. adnott. ad Ecl. III, 10. *Tum* praeter Med., Bern. II. III. aliosque Codd. tuetur Cledonius l. l. atque etiam X, 94., ubi rursus *Tum decuit* legimus, opponitur *nunc*. — *cum sceptra dabas*, cum ei te credebas eumque in regni societatem recipiebas. Cf. supra v. 214. Sensus omnino hic est: Nunc, cum serum est, sentis Aeneae perfidiam; tum potius, cum totam te ei credidisti, fidem eius suspectam habere te oportebat. Nescio, quid in hac sententia displicere possit. Nihilominus Peerlk. coniecturam parum sane felicem protulit *Tum decuit, cum se ista dabant*, cui ipse non multum tribuere videtur. Ceterum cf. similes locos infra X, 94. Liv. XXX, 44, 7. *tunc flesse decuit, cum adempta nobis arma, naves incensae* cett. — *En* h. l. indignationem et acerbitatem prodit. Cf. Cic. pr. Deiot. 6, 17. pr. Sext. 27, 59. Verr. I, 37, 93. cett. et Hand. Turs. II. p. 370. De Nominativo huic Interiectioni adiuncto (non ab ea pendente) vid. ad I, 461. — *dextra fidesque*, scil. *eius, quem*. Cf. adnott. ad Ecl. II, 71. Sententiam enim loci hanc esse patet: Ita fidem servat is, quem aiunt portare secum Penates; quare signum exclamandi, quod Heyn. in maiore edit. post *fidesque* posuit, prorsus absonum; neque magis aptum videtur alterum exclamationis signum in fine v. 598., quod etiam Wagn. servavit (in minore tamen edit. recte in Comma mutavit). Pro *portare* Med., Dorvill. et Serv. *portasse*, quod sequenti *subiisse* originem debere videtur. Wagn. ex v. 599. concludit, Vergilium vere de eo modo tempore cogitari voluisse, quo ex incensa Troia Aeneas Penates extulerit (II, 293.), et Praesens ea ratione explicandum censet, de qua ad I, 99. disputavit; sed mihi sententia long

Quem secum patrios aiunt portare Penatis,
Quem subiisse humeris confectum aetate parentem! —
Non potui abreptum divellere corpus et undis
Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium patriisque epulandum ponere mensis? —
Verum anceps pugnae fuerat fortuna. — Fuisset;
Quem metui moritura? Faces in castra tulissem
Inplessemque foros flammis natumque patremque
Cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem. —
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,

---

gravior videtur esse, si perfidum Aeneam Penates etiamnum secum portantem ideoque ex Didonis mente pietatem modo simulantem cogitamus. Eandem cogitationem Ovid. A. A. III, 39. 40. his verbis expressit: *Et famam pietatis habet; tamen hospes et ensem Praebuit et causam mortis, Elissa, tuae.* Quod ad rem ipsam attinet, cf. Aeneae ipsius verba I, 378 sq. — **599**. *subiisse humeris.* Cf. II, 708. *Ipse subibo humeris*, de pleniore autem Infin. forma *subiisse* adnott. ad II, 25. — *confectum aetate parentem.* Cf. Catull. LXVIII (LXVI), 119. *confecto aetate parenti.* — **600**. *Non potui* (vid. ad Ecl. III, 17. et Aen. II, 596.) *abreptum*, vi abductum et sociis suis ereptum, *corpus divellere*, dilaniare. Donat. ad Ter. Andr. IV, 3, 3. pro *abreptum* exhibet *avulsum*. (Vid. Ribbeck. Proleg. p. 185.) — *undis Spargere.* Vid. adnott. ad Ecl. II, 30. et Aen. II, 85. et cf. supra III, 605. *Spargite me in fluctus.* — **601**. *ipsum Ascanium* Wagn. Qu. Verg. XVIII, 3, a. sic interpretatur: „eum, quem natura ipsi, Aeneae, carissimum esse voluit.“ — *absumere ferro*, ut infra IX, 494. Sic etiam *absumere malis* Geo. III, 268. et Aen. III, 257. Poëta Anth. Lat. I, 173, 86. hunc locum sic imitatur: *poteram dispergere ponto Membra manusque tuas - - poteram crescentis Iuli Rumpere fata manu.* — **602**. Ad Thyestae (Hyg. f. 88. Paus. II, 18.) vel Terei (Hyg. f. 45. Apollod. III, 14, 8. Schol. Soph. Ai. 633. Ovid. Met. VI, 455 sqq.) coenam hic spectari in promptu est. — **603**. *Fuisset*, nihil id curassem. — **604**. Cf. Apoll. Rh. IV, 391 sq. *Quem metui moritura?* Qui mori decrevit, nihil habet amplius, quod metuat. Vid. Stat. Theb. V, 623. *Quid enim metuam moritura fateri?* Cf. Oudend. ad Appul. Met. IV. p. 304. Indicativus Perfecti, quem Gossr. pro *metuissem* positum censet, eadem ratione explicandus, qua supra v. 19. *potui*. Cf. etiam Conington ad h. l. — *in castra*, scil. nautica. Vid. ad III, 519. — **605**. *foros*, tabulata (καταστρώματα) navium, pro navibus ipsis. *Fori* enim omnino significant spatium (imprimis planum) in plures partes aequales divisum. De navium tabulatis etiam infra VI, 412. ap. Cic. Sen. 6, 17. et Gell. XVI, 19. legitur. Cf. Festus h. v. p. 63. Lindemann. Isidor. Orig. XIX, 2. alii et Neue *Formenl.* I. p. 476. — **606**. *cum genere*, Thiel. explicat: cum stirpe, i. e. radicitus, coll. infra v. 622., et Wagn.: „ut nihil ex eo genere reliquum esset.“ Peerlk. malit *Cum gente exstinxem.* — *exstinxem* pro exstinxissem. Vid supra ad Aen. I, 201. — *super.* Vid. ad Geo. III, 263. Aen. I, 29. II, 71. — *dedissem*, coniecissem, in ignes. *Dare se aliquo* i. q. praecipitem aliquo ferri. Cf. Geo. IV, 528. Aen. II, 566. IX, 816. Ter. Andr. III, 4, 27. cett. Heyn. conferri iubet furorem Medeae ap. Apollon. IV, 392 sqq. et Peerlk. Deianirae apud Senec. Herc. Oet. 345. *Si quid e nostro Hercule Concepit Iole, manibus avellam meis, - - Me - - Iolen dum supra exanimem ruam.* — **607** sqq. „Solis, dei πανδερκοῦς, adeoque et iniuriae inspectoris, ut in foederibus (vid. Iliad. III, 277. et infra XII, 176.), ita in diris sollemnis mentio. Cf. Soph. Ai. 856 sqq. 835 sq. 845 sqq. Adde Ennii locum ex Med. Eurip. 1246. conversum in Fragm. p. 208.“ *Heyn.* Ennii (Medeae fr. XIX. p. 131. Vahl.) verba haec sunt: *Sol, qui candentem in caelo sublimat facem.* Wagn. conferri iubet Inscr. Orell. 4791 sq. Cf. etiam Ovid. Met. I, 766. IV, 238. etc. — *terrarum opera omnia*, omnia, quae in terra fiunt. Heyn. minus recte: „*terrarum opera*, ut ἔργα, proprie de cultis locis.“ — *lustras.*

Tuque harum interpres curarum et conscia Iuno
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes
Et Dirae ultrices et di morientis Elissae,
Accipite haec meritumque malis advertite numen
Et nostras audite preces: Si tangere portus
Infandum caput ac terris adnare necesse est

Vid. supra ad v. 6. Iteratur hic versus in Anth. Lat. VI, 84, 1. secunda modo Verbi Persona *lustras* in tertiam mutata. — **608**. *Iuno* pronuba cogitanda (vid. supra ad v. 59.), quae est *interpres harum curarum*, ex amore prodeuntium (vid. supra ad v. 1.), ideoque etiam *conscia* earum et testis periurii et perfidiae. *Interpres* Servio recte est „media[trix] et conciliatrix". Henry in *Tw. years* IV. p. 84. et Philol. XII. p. 268. conferri iubet Plaut. Mil. IV, 1, 5. Curcul. III, 64. et Ammian. XXVIII, 1. Satis notus est usus vocabuli nostro *Mittelsperson, Unterhändler* respondentis. — **609**. De *Hecate* vid. ad v. 511. — *nocturnis triviis ululata*, quae noctu (vid. supra ad v. 303.) in triviis cum ululatu invocatur, unde ipsa *trivia dea* (Prop. III, 30, (32,) 10.), *trivia virgo* (Lucr. I, 85.), vel simpl. *Trivia* (Aen. VI, 13. 35. X, 537. XI, 566. Tibull. I, 5, 16. Ovid. Fast. I, 389. al.) appellatur. In triviis enim omnino sacra magica institui et inferiorum numina invocari solebant. Male autem Heyn. *ululatam Hecaten* ita capit, ut supra III, 125. *bacchatam Naxum*. Longe enim alia est huius loci ratio, atque eorum, ubi *ululata antra* (Stat. Theb. I, 328.), *ululata iuga* (eiusd. Silv. I, 3, 85.) et similia legimus. Quare potius hos locos conferas: Claud. bell. Get. 234. *noctibus - crebris ululata per urbes*, Stat. Theb. III, 158. *nulloque ululata dolore Respexit Lucina domum*, Mart. V, 42, 3. *quem sectus ululat Gallus* et similes. Verba *triviis ululata per urbes* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 33. et 298. Vid. etiam Heinrich. ad Iuven. Sat. VI, 314., omnino autem cf. adnott. ad Aen. III, 14. Conington suspicatur, hoc vocabulo respici ululantes Hecates canes coll. Aen. VI, 257., ubi vid. adnott. — **610**. *Dirae*. Vid. supra v. 473. Peerlk. temere coni. *Et Divae ultrices et Di*, i. e. dei et deae ultrices. Verba *Et Dirae ultrices* iterantur etiam in Anth. Lat. I, 178, 2. — *di morientis Elissae* sunt dii morienti Elissae propitii et mortis ultores (cf. supra v. 520 sq.), non Genii Didonis, mox Manes futuri, ut quidam explicant (inter quos etiam Gossr. et Conington). — **611**. *Accipite haec*, scil. animis, ut plene dicitur infra V, 304. (cf. etiam supra III, 250.); *haec* autem sunt, quae nunc accidunt, ut *Accipite haec* minime idem sit, quod sequens *audite preces nostras*, sed animum intendite ad miseriam meam; *audite* autem i. q. exaudite, ut IV, 220. VIII, 574. XI, 794. Cf. etiam Haeckerm. in *Zeitschr.* XIX. p. 120. — „*numen* vestrum, h. e. vim ac potestatem ulciscendi malos, *advertite malis*, contra improbos et impios Troianos, *meritum*, quippe qui meruerunt vestrum numen, h. e. poenam a diis malorum ultoribus infligendam." Sic *Heyn*. cumque eo Thiel. et Peerlk.; simplicius vero et rectius Wagn. (cui etiam ceteri recentiores editores, Henry in Philol. XII. p. 268. et Dietsch. in Theol. Verg. p. 5. adsentiuntur) meis *malis adv. numen* eaque ulciscimini; *meritum* autem, mihi debitum, „quia immerito his malis obruor." Dietsch. l. l. apte comparat Hor. Epod. V, 51. *Nox et Diana, quae silentium regis, Arcana cum fiunt sacra, Nunc nunc adeste, nunc in hostilis domos Iram atque numen vortite*. Praeterea cf. Ovid. Trist. II, 223. *Lusibus - advertere numen* (ubi de Octaviani Augusti *numine* sermo est). Ceterum hic versus totus repetitur in Anth. Lat. I, 178, 7. — **612** sqq. Comparant Hom. Od. IX, 532 sqq. Adde Od. XX, 358 sqq. et Il. XXII, 358 sqq. et cf. etiam locum similem Val. Fl. I, 788—815. Süpflius docet, poëtam hic secutum esse communem illam antiquitatis opinionem, *animum appropinquante morte multo esse diviniorem* (ut loquitur Cic. Div. I, 30, 63.) et futura clarius praevidere. Omnia enim, quae hic Dido Aeneae imprecatur, postea re vera accidunt. — *tangere portus*. Vid. Geo. I, 303. — **613**. *Infandum caput*. *Caput* ipsius personae notionem circumscribit. Cf. supra v. 354. infra v. 640. VIII, 570. XI, 399. Ter. Andr. II, 2, 34. id. Ad. II,

Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret:
At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, conplexu avulsus Iuli
Auxilium inploret videatque indigna suorum
Funera; nec, cum se sub leges pacis iniquae
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur;
Sed cadat ante diem mediaque inhumatus harena.

3, 8. Catull. LXVIII, 120. Prop. II, 1, 36. Sen. Med. 465. Iustin. XVIII, 7. etc. Cf. omnino supra ad v. 132. adnott. — *terris adnare*. Vid. I, 538. ibique adnott. — *necesse est*, i. e. fato constitutum, quod flecti nequit. — **614**. *fata Iovis*, ut II, 54. *fata deum* et III, 717. *fata divom*, ubi vid. adnott.; *poscere* autem de fatis usurpatum legimus etiam V, 707. VII, 272. VIII, 12. 477. De ipsa re cf. III, 251. — *hic terminus*, scil. fatorum, (non alius) *haeret*, manet, certus fixusque est: si fatale est, ut Aeneas tandem vere in Italiam perveniat; quare Wagn. ad *terminus* intelligit *navigationis*. Hausit autem poëta ex Lucr. VI, 64. *finita potestas denique quoique Quanam sit ratione atque alte terminus haerens*. Cf. etiam Claud. in Eutrop. II, 292. *immobilis haeret terminus: haec dudum nato placuere tonanti;* Accius ap. Prisc. VI. p. 716. P. *fatorum terminus;* et Hor. Carm. Saec. 26. *stabilis rerum terminus*. — **615**. „Eximia poëtae ars elucescit in subiungendis his diris, quibus Aeneae fata post adventum in Italiam, mox temporum posteriorum eventus bellaque inter Poenos et Romanos gesta ingeniose intexuit. - - - Revocata sunt ad has diras, quae l. VII sqq. memorantur, bellum cum Latinis et sociis Rutulis, Aeneae profectio ad Evandrum auxilii petendi causa, relicto in castris Ascanio, quem interea oppugnat Turnus cum magna Troianorum strage. Reliqua a v. 618. ad mortem Aeneae spectant; namque is tertio a foedere cum Latinis anno, pugna cum Tyrrhenis facta, in Numicio flumine periit. Cf. supra I, 264 sq.“ *Heyn*. — *audacis populi*, Rutulorum, qui etiam IX, 519. *audaces* dicuntur, ut Turnus ipse aliquoties *audax* vocatur: VII, 409. IX, 3. 126. X, 276. *Audax* autem apud poëtas i. q. bellicosus, fortis. — **616**. *Finibus extorris* hic nihil aliud est, quam profectus e finibus, ex castris in Latio positis, quae Aeneas ab Evandro auxilium petiturus reliquit. Cf. tamen Cic. Verr. II, 3, 51. Liv. VII, 4, 4. IX, 34, 3. XXVII, 37, 6. Sall. Iug. 14, 11. cett. et Drak. ad Liv. II, 6, 2. — **617**. *indigna funera*, indigna morte peremptos (VI, 163.). Vid. ad II, 285. De Pallante potissimum cogitandum esse censet Servius. — **618**. *nec* pro neve. Cf. adnott. ad Ecl. II, 34. — *nec - - fruatur*, certe non diu; nam tres modo annos regnasse Aeneas fertur. — *cum se sub leges* cett. Cf. XII, 823 sqq. Wagn. conferri iubet Markl. ad Stat. Silv. I, 1, 27. (ubi *in leges ire* legitur). *Pacis leges dicere* legimus XII, 112. — **619**. *optata luce*. Cf. VI, 363. *caeli iucundum lumen*. — **620**. *ante diem*. Non obstat VI, 764. *tibi longaevo;* hic enim brevitas modo temporis spectatur, quo Aeneas regnabat, iam tertio regni anno mortuus. — *Ante diem* autem satis nota breviloquentia dictum pro: ante diem fatis destinatum. Vid. infra v. 697. Ovid. Met. I, 148. VI, 675. A. A. III, 739. cett. — Verba *mediaque inhumatus harena* Wagn. Qu. Verg. XXIX, 5. (ubi de Participio pro Verbo finito posito agitur) sic explicat: „neque humetur, sed media arena proiectus iaceat;“ possumus vero etiam verba *ante diem* pro Adiectivo *immaturus* posito accipere, ut Copula simpliciter coniungat duo Adiectiva *immaturus* et *inhumatus;* quod Heyn. voluisse videtur, verba sic collocans: Sed cadat ante diem inhumatusque media arena, eandemque explicationem repetit Ladew. — „*inhumatus*, quoniam eius corpus nusquam inventum est, ut adeo inter deos receptus diceretur, ut ex Livii I. pr. notum.“ *Heyn*. Peerlk., cui oratio huius versus non absoluta videtur, suspicatur post *arena* tale hemistichium excidisse: *Praeda feris iaceat*. Gentius autem l. l. p. 18. pro *mediaque* audacter coni. *iaceatque*. — **621**. *cum sanguine*, cum ipsa vita. — **622**. *stirpem - - Exercete odiis*, i. e. persequimini, vexate, agitate. Cf. Geo. IV, 453. et Aen. III,

Haec precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
Exercete odiis cinerique haec mittite nostro
Munera. Nullus amor populis nec foedera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos,
Nunc, olim, quocumque dabunt se tempore vires.
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Inprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotesque!"

---

182. ibique adnott. Heyn. haec dicta putat pro vulg.: exercete odia in posteros. Indicat autem poëta bella Romanis de imperio gerenda, imprimis Punica. Cf. similis locus Lucani VIII, 283 sqq., ab Heur. allatus. — 623. *mittite.* Cf. Geo. IV, 545. et Aen. VI, 380. — 624. *Munera.* Sensus est: Nuntius ille de bellis populo Romano cum potentibus hostibus gerendis mihi in Orco versanti instar muneris erit gratissimi. Nam ne Manes quidem iram omittebant, sed ulciscendi cupiditate flagrabant et, cum res in terra actas curarent (cf. VI, 690 sq.), eiusmodi nuntio gaudebant. Vid. infra XI, 180. Thiel. temere de veris muneribus inferialibus cogitat. Ceterum de voc. *Munera* cum singulari vi in principio versus posito vid. supra ad v. 237. — *sunto* Urbanus ap. Servium iuris sermonem sapere recte videtur adnotasse. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 169. — 625. *Exoriare aliquis* cett. pro: exoriatur aliquis, sed longe vividius et confidentius dictum: exoriare tu, quem video ultorem fore, etsi nescio, quis futurus sis. Vid. Huschk. ad Tibull. I, 6, 39., qui confert Comicorum illos locos, ubi *aliquis* adiungitur Imperativo Pluralis, e. g. Plaut. Epid. III, 3, 17. *Heus foras exite huc aliquis* et Ter. Adelph. IV, 4, 26. *Aperite aliquis actutum ostium.* Cf. etiam Ramsh. §. 159. 2. not. 6. — „*ultor.* Hannibalem ostendit, qui Italiam ferro ignique vastavit. — *ex ossibus* pro vulg.: ex cinere meo, h. e. post me veniat aliquis, qui persequatur cett." *Heyn.* Peerlk. tamen, qui putat *ex ossibus* nihil aliud significare posse, nisi: ex prole mea, cum Dido nullam habuerit prolem, coni. *nostris hinc* (i. e. ex hac terra, hoc populo) *ossibus.* Sed recte Gossr.: „*ex ossibus* probe dictum; quasi ex ipsius membris reparari vult aliquem sui ultorem; non agitur de vera generatione." Gentius l. l. etiam hic profert coniecturam parum felicem *aliquis - rex.* — 626. „Ad posituram verborum cf. Callim. in Del. 324. *Παίγνια κουρίζοντι καὶ Ἀπόλλωνι γελαστύν* et infra V, 55. *Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis.*" *Wund.* — *face ferroque,* ut saepe *ferro atque igni* (vid. infra VII, 692. Liv. XXXI, 7, 13. Vellei. II, 110. Sil. I, 114. Claud. B. Get. 156.) et *ferro flammaque* ap. Silium VI, 702., ubi vid. Drak. — 627. *Nunc, olim,* i. e. omni tempore. Cf. Lucan. IX, 603. *quem - - Nunc, olim factura deum.* — *dabunt se,* suppetent, se offerent, paratae erunt. Cf. Ter. Hec. III, 3, 20. *omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus;* Liv. XXVIII, 5, 9. *prout tempus ac res se daret,* ibique Gronov. et Burm. ad Gratii Cyneg. 143. Heyn. minus apte comparat Geo. I, 287. *multa se nocte melius dedere.* — 629. Versus hypermeter in fine totius orationis plurimis editoribus scrupulum movit, ita ut alii (quibus iure adversatur Weichert. de vers. hyperm. p. 21.) totum hemistichion, alii (Heyn., Both. etc.) certe alterum *que* deletum vellent, prius autem *que* pro *quoque* positum acciperent (qua de re cf. Drak. ad Liv. V, 27, 1. Oudend. ad Apulei. Met. VI. p. 408. Hotting. ad Cic. de Div. I, 3. Roth. in Seebod. *Neues Archiv.* 1829. n. 22. p. 85. Boetticher. Lex. Tac. p. 177.), alii vero loco coniecturis succurrerent, velut Weichertus l. l. coniiciens *arma armis pugnent ipsique penates.* Mihi nihil mutandum videtur, sed, cum plurimi optimique Codd. *nepotesque* exhibeant, librarii autem Copulam in eiusmodi locis delere potius quam addere soleant, versum hypermetrum iure a Wagn. defensum arbitror, qui censet, „Vergilium ipsa hypermetri ratione aptissime adiuvisse impetum irae in hanc extremam exsecra-

Haec ait et partis animum versabat in omnis
Invisam quaerens quam primum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem adfata Sychaei;
Namque suam patria antiqua cinis ater habebat:
„Annam, cara mihi nutrix, huc siste sororem;
Dic, corpus properet fluviali spargere lympha

tionem erumpentis.“ Suspicor enim, poëtam pingere Didonem nimio affectu nimiaque loquendi contentione paene exanimatam et haec ultima verba interrupte voceque anhelante et deficiente aegre emittentem; in qua re mihi adsentitur Ladew., dum Wagn. potius „impetum irae se superfundentis“ indicari putat. Sententiam tamen (ipse Aeneas eiusque socii bella gerant, atque etiam posteri eorum, Romani, perpetuis bellis vexentur) etiam altero *que* omisso non mutari puto; nam qui dicit, *pugnent ipsique nepotes*, i. e. ipsi quoque nepotes pugnent, hunc simul de proavis cogitare, apertum est. Melius tamen dicitur: *et ipsi* (qui nunc vivunt: cf. v. 627.) *et nepotes* (eorum) *pugnent*. Vulgo haec verba male de Carthaginiensibus intelliguntur. Certe cum Vossio in Progr. Crucen. p. 6., Coningtone aliisque de Carthaginiensibus atque Troianis eorumque posteris (Romanis) cogitandum est. Peerlk., et ipse de Tyriis cogitans, quos hic Dido alloquatur, temere coni. *pugnent natique nepotesque* (provocans ad illud: *et nati natorum et qui nascentur ab illis*). Ceterum cf. locus similis VII, 470. — **630**. *partis animum versabat in omnis.* Cf. similes loci supra v. 285 sq. V, 701. 720. VIII, 21. etc. — **631**. *invisam lucem.* Henry (*Tw. years* IV. p. 85.) confert Eurip. Hipp. 355. *Ἐχθρὸν ἦμαρ, ἐχθρὸν εἰσορῶ φάος.* — *abrumpere lucem* Schirach. p. 314. ad filum vitae a Parcis tractum spectari putat. Cf. similes locos Silii II, 597. *abrumpere vitam Ocius attoniti quaerunt lucemque gravantur.* Sen. Troad. 939. *abr. ense lucis invisae moras.* id. Herc. Oet. 893. *fata sua abrumpere*, et infra Aen. VIII, 579. et IX, 497. Imprimis etiam de iis dicitur, qui ipsi vitae suae vim inferunt. Cf. Drak. ad Sil. Ital. VII, 33. Conington comparat Graecorum *ἀποῤῥῆξαι βίον, πνεῦμα* ap. Eurip. Or. 864. al. — **632**. „Ut sola et sine arbitro esset, cum mortem sibi inferre decrevisset, Barcen, quae cum ipsa erat, foras ablegavit. — **633**. Suam nutricem iam olim apud Tyrum sepeliverat.“ *Heyn*. Barce nobis in mentem revocat nomen gentile Hannibalis. Hunc versum Bryanto, Schradero et Heynio suspectum recte defenderunt Burm. in Obss. Miscell. I. p. 13., Wund. in Epist. ad Heeren. p. XIV., Wagn. et Gossr., qui contendunt, eodem iure, quo dicatur *redactus sum in cinerem, cinis sum*, licere etiam poëtae dicere *cinis me habet* (ut alibi *tumulo, urna haberi* defuncti perhibeantur), idque ipsum comprobari duobus Aristotelis Epigramm. [Anth. Gr. I. p. 115. Iac.] *υἱὸν ὑπερθύμου Εὐαίμονος — ἥδε κόνις κατέχει* et *Εὐρύπυλον κρύπτει δακρυόεσσα κόνις*; ex summo autem, qui fuerit apud veteres, nutricum honore hunc versum minime absonum esse facile demonstrari posse; quo deleto non apparere, cur Sychaei, non ipsius Didonis nutricem poëta commemoret. De Pron. reflexivo *suus*, quod hic pro *eius* positum videtur, sed propterea locum habere potest, quod haec e Didonis, non ex scriptoris mente intelligenda sunt, cf. Cic. pr. Sext. 68, 142. ad Att. VI, 2. med. Nep. Milt. 1, 1. Cim. 3. in. Plaut. Amph. III, 4, 19. Men. prol. 25. Ovid. Fast. V, 223. Am. I, 15, 30. Cort. ad Cic. ad Fam. XI, 11, 2. Drak. ad Sil. XII, 33. Heusing. ad Nep. Att. 10, 4. Beneck. ad Iustin. XI, 11, 11. alii. — *patria antiqua,* ut supra v. 458.. *coniux antiquus.* — **634**. Wakef. delevit Commata, quibus verba *cara mihi nutrix* includuntur, ut iungatur *mihi siste*; quem miror Wagn. secutum esse, et ipsum haerentem in verbis *cara mihi.* Verum animadvertendum, Barcen non ipsius Didonis, sed Sychaei nutricem fuisse, nihilominus tamen etiam illi caram. Quare cum *cara* coniunctum minime abundat Pronomen, abundat vero cum *huc siste* connexum. (Süpfl., Bryce, Ladew., Ribbeck. et Benoist. mecum, Peerlk., Gossr., Haupt. et Conington cum Wagn. faciunt.) Verba *cara mihi nutrix* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 164. — **635**. *corpus spar-*

Et pecudes secum et monstrata piacula ducat;
Sic veniat; tuque ipsa pia tege tempora vitta.
Sacra Iovi Stygio, quae rite incepta paravi,
Perficere est animus finemque inponere curis
Dardaniique rogum capitis permittere flammae.“
Sic ait. Illa gradum studio celerabat anilem.

---

gere (i. e. conspergere: vid. ad Ecl. V, 7. et Aen. XI, 82. et supra v. 21.) *fluviali lympha* (i. q. II, 719. *flumine vivo*), quia sacra parabantur, quae non nisi a puris rite fieri poterant. Ceterum cf. VI, 635. *corpusque recenti Sparge aqua.* — **636.** *pecudes*, haud dubie nigras (cf. Geo. II, 395.), cum Iovi Stygio sacrum paretur. — „*monstrata* [cf. Geo. IV, 549.] a sacerdote [cf. v. 498.], puto, *piacula*, h. l. purgamina, quibus in sacris magicis utebatur superstitio, hic mentem amore exsolvendam. Cf. Ecl. VIII, 73. et 80 sq. Usa autem erat Annae opera in sacro parando supra v. 494 sq.“ *Heyn.* — *ducat. Ducere* verbum sollemne in sacris. Cf. Geo. II, 395. Aen. VI, 153 al. Ducendae enim erant hostiae, ut ultro et sponte sequi viderentur; trahere eas erat vetitum. Cf. etiam Cic. de Div. I, 45, 102. Ovid. Am. III, 13, 13. Plin. H. N. XXVIII, 2, 5. etc. — **637.** *pia tege tempora vitta*, qua utebantur matronae Romanae in sacris faciendis (cf. Boettigeri Sabina I. p. 157.); quam consuetudinem Vergilius pro more poëtarum Roman. ad Carthaginienses transfert. — *tege.* Cf. VIII, 34. *crinis umbrosa tegebat harundo.* Iteratur hic versus primo pede excepto (a Burm. emendatus) in Anth. Lat. I, 178, 377. — **638.** *Iupiter Stygius*, *Ζεὺς καταχθόνιος* (Hom. Il. IX, 457.), est Pluto, qui ab inferis vocatur *Ζεὺς ἡμέτερος* (Lucian. dial. mort. 23., ubi vid. Hemsterh.), oppositus *τῷ ἄνω Διΐ* (Lucian. Char. 1.). Silio II, 386. et Ovid. Fast. V, 448. pariter *Stygius*, eidem Silio II, 672. *Tartareus* et VIII, 117. *niger*, Statio autem Theb. I, 615. *profundus*, et Sidonio Apoll. carm. XXII, 158. *tridentifer Iupiter* dicitur. Sic etiam Proserpina appellatur *Iuno Stygia* (Stat. Theb. IV, 526.) et *Iuno inferna.* (Vid. infra VI, 138.) — *incepta.* Vid. supra v. 504 sqq. — *Perficere* verbum proprium de sacris esse Conington probat locis III, 178. 548. VI, 637. VIII, 307. Ceterum v. 638. et 639. iterantur in Anth. Lat. I, 178, 379 sq. — **640.** *rogum permittere flammae* est rogum incendere; *Dardanii* autem *capitis* (cf. supra v. 613.) cum *rogo*, non cum *flamma* coniungendum; rogo enim ceream Aeneae effigiem impositam fuisse, supra v. 508. legimus. Med. pro *flammae* praebet *flammis*, quod recepit Haupt. atque etiam Haeckerm. in *Zeitschr.* XIX. p. 120. defendit; sed vix probabile est, Vergilium hos duo versus tam aequaliter exire passum esse (*inponere curis - - permittere flammis*). Vid. etiam Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 384. Peerlk. hunc totum verbum obscurum et Vergilio indignum censet. — **641.** *studio*, nullo Adiectivo addito, pro studiose etiam VI, 681. XII, 131. Ovid. Trist. III, 4, 41. *Nunc quoque submotum studio defendis amicum* et Hor. Sat. I, 4, 79. *et hoc studio pravus facis* legitur. — *anilem* ex bonis Codd. (inter quos Pal. et tres Bern. a m. pr., dum Gudiani prima lectio dubia est: vid. Henry in Philol. XII. p. 269.) restituit Wagn., quem (ut etiam Süpfl., Peerlk. et Haupt. fecerunt) secuti sumus. Vulgatum *studio anili*, quod Ladew. (coll. Aen. IX, 488. *curas aniles*), Bryce, Ribbeck., Coningt. et Benoist. ex Med., Bern. II. et III. a m. sec., Donato ad Ter. Eun. V, 3, 4. et Servio restituerunt atque etiam Henry (*Tw. years* IV. p. 85. et Philol. l. l., qui *anili* in 19, *anilem* in 20 Codd. invenit) et Haeckerm. l. l. probarunt, significaret: festinabat quidem, sed quantum omnino anus poterat (*sie trippelte so rasch als möglich fort*), quod Baucidi quidem Ovidianae bene conveniret, ab epici autem carminis gravitate mihi iuxta cum Wagn. (qui etiam cf. in Philol. l. l.) alienum videtur; recepta contra lectio valet: gradum anilem, lentum et tardum alias, studiose incitabat. (Cf. Ovid. Met. XIII, 533. *Dixit et ad litus passu procedit anili.*) Ceterum vulgatam scripturam facili negotio ex *anilē* oriri potuisse, in promptu est; receptam vero lectionem tuetur

At trepida et coeptis inmanibus effera Dido
Sanguineam volvens aciem maculisque trementis
Interfusa genas et pallida morte futura
Interiora domus inrumpit limina et altos
Conscendit furibunda rogos ensemque recludit
Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.
Hic, postquam Iliacas vestes notumque cubile
Conspexit, paulum lacrimis et mente morata

---

etiam Ambrosii de Abrah. I. [8, 70.] a Peerlk. laud. auctoritas: *Quamvis senilem studio celeraret gradum*, unde etiam patet, Ambrosium in suo Cod. invenisse *celerabat*, non *celebrabat*, quod Ribbeck. ex Pal., Gud. a m. pr. et Med. a m. sec. recepit. (Vid. eius Proleg. p. 304.) Nolo tamen reticere, etiam V, 609. Med. exhibere *viam celebrans* pro *celerans*. Donatus ad Ter. Eun. V, 3, 4. memoriae, puto, lapsu exhibet *properabat*. Idem Peerlk. de hoc versu conferri iubet Burm. ad Ovid. Met. IV, 304. — **643**. *sanguineam aciem*. *Acies* non facile simpliciter pro oculo dicitur, nisi ubi de oculis acutis, vel, ut hic, Hor. Sat. II, 2, 5. Ovid. Met. IV, 464. Sen. Herc. fur. 954. alibi, de ardentibus ira aliove gravi affectu commotis sermo est. — Repetitur hic versus in Anth. Lat. I, 178, 329. verbis *maculis trementis* in *manibus cruentis* mutatis. — **644**. *maculis interfusa genas*. Cf. Val. Fl. II, 104. *maculis suffecta genas* et similia. *Peerlk.* haec adnotat: „De maculis vere dicit Virgilius. Observatum est nuper in Francia, eos, quibus crines et pars tunicae in cervicibus abscinduntur, ut mox securi Guillotinae percutiantur, plerumque in vultu flavas et caeruleas maculas contrahere.“ — Verba *pallida morte futura* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 104. Videtur hunc locum respicere Ovid. Met. XIII, 74. *Pallentemque metu et trepidantem morte futura*. Cf. etiam infra VIII, 709. (Cleopatram) *pallentem morte futura*. — **645**. Cf. supra v. 494. et 504. — **646**. *ensemque recludit*. Cf. IX, 423. *ense recluso*. — **647**. *non hos quaesitum m. in usus*. Peerlk., non cogitari posse contendens de gladio Didoni ab Aenea muneris loco oblato, quale donum mulieri non conveniret, intelligit ensem illum Aeneae a Didone donatum (cf. supra v. 261.), quem ille fortasse fugae studio reliquerit, ut *quaesitum* sit i. q. paratum. Sed quidni reginae et mulieri, qualis Dido erat, etiam ensis dono dari potuerit? Sic certe veteres ipsi hunc locum recte intellexerunt. Cf. Ovid. Her. VII, 184. *gremio Troicus ensis adest — Quam bene conveniunt fato tua munera nostro — Praebuit Aeneas et causam mortis et ensem*, et Silius VIII, 148., qui memor loci nostri scripsit *Haec dicens* (Dido) *ensem media in praecordia adegit, Ensem Dardanii quaesitum in pignus amoris;* eamque rationem poëticae loci gravitati longe aptiorem esse, quis non videt? Ladew. suspicatur, Didonem rogasse Aeneam, ut sibi donaret gladium in bello Troiano gestum (cf. supra v. 261 sqq.), quem memoriae causa asservaret, eique pro eo alium muneri dedisse. Etiam Conington proclivis est ad amplectendam nostram explicationem, quamquam eam adversari censet versui 507., ita ut etiam hic locus inter eos referendus videatur, in quibus Vergilius dormitaverit. Sed nonne etiam ensis Didoni muneri datus dici poterat *relictus* ab Aenea, qui abierat? — *quaesitum*, idem fere quod acceptum. Alibi quoque *quaerere* i. q. adipisci (cf. Gruter. ad Sen. Ep. I. Taubm. ad Plaut. Cist. IV, 2, 42. Heins. ad Ovid. A. A. II, 764. Broukh. ad Prop. III, 16, 5. Kritz. ad Sall. Iug. 3, 3.), nusquam tamen aliter intelligendum videtur, quam ut sit quaerendo acquirere, sibi parare (cf. Geo. IV, 157. Hor. Sat. II, 6, 82. Ovid. Met. VII, 656. cett.). — *in usus*. Sic Ovid. Met. V, 111. *non hos adhibendus in usus*, XI, 28. *thyrsos non haec in munera factos* et similes locos. Vid. adnott. ad Aen. VII, 13. — Gentius l. l. p. 23. etiam hunc versum coniectura vexavit, *in funeris usus* legendum esse suspicatus. — **648** sqq. *Hic* de tempore. Vid. adnott. ad Aen. I, 728. — *vestes*. Cf. supra v. 496. 507 sq. (*exuvias*). Heyn. minus recte cogitat de vestibus inter munera e navibus allatis I, 647 sqq. — *notumque cubile*. Vid. v. 496. — **649**. „*mente*, defixa in pristini

Incubuitque toro dixitque novissima verba:
„Dulces exuviae, dum fata deusque sinebat,
Accipite hanc animam meque his exsolvite curis.
Vixi et, quem dederat cursum fortuna, peregi;
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Urbem praeclaram statui, mea moenia vidi;
Ulta virum poenas inimico a fratre recepi;

---

amoris ac consuetudinis cogitatione." *Heyn.* Imitatur hunc locum Val. Fl. II, 169. *lacrimisque iterum visuque morantur.* — **650** sqq. Comparant Soph. Trach. 917 sqq., ubi Deianira super Herculis toro necem sibi consciscit, et Eurip. Alcest. 173 sqq., ubi Alcestis moribunda in torum coniugalem se proiicit. Imitatus est h. l. Silius VIII, 140 sqq. — *dixitque novissima verba.* Vid. VI, 231. *Novissimus* haud raro i. q. ultimus, extremus. Sic *novissima tempora, novissimum agmen* et similia. Cf. Herzog. ad Caes. B. G. I, 15. — Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 172, 117., ibidemque II, 192, 39. v. 646. et 650. sic in unum contrahuntur: *Conscenditque pyram dixitque novissima verba.* — **651.** *deus*, non certus aliquis, sed universe divina illa vis res humanas regens, *die Gottheit.* Cf. Aen. I, 199. III, 715. IV, 440. V, 467. — *sinebat* Medicei, Pal. a m. pr. et aliorum bonorum Codd. est lectio, a Wagn. revocata, qui *deum* et *fata* in unam divini fati notionem coire censet, quod tamen negat Dietsch. Th. Verg. p. 27., Singularem *sinebat* potius Vergilii more, qui Verbum ad proximum Subst. aptare amet (cf. Wagn. Qu. Verg. VIII, 3, a.), defendens et praeter fata etiam numina, quippe quae illorum explendorum modum definiant, recte commemorari censens coll. supra v. 440. (Etiam Haupt., Coningt. et Benoist. Singularem praetulerunt.) Vid. etiam adnott. ad Ecl. VI, 30. et Aen. III, 269. Vulgo *sinebant*, quod a fragm. Vat. et Pal. a m. sec. exhibitum Süpfl., Ladew. (qui tamen in recentiss. edit. ad Singularem rediit), Bryce et Ribbeck. receperunt. Verba *dum fata deusque sinebant* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 118. et 178, 43. atque *dum fata sinebant* vel ex hoc loco, vel ex XI, 701. etiam ibid. IV, 36, 3. — *Dulces exuviae - - Accipite hanc animam*, quia iis incubans animam est exspiratura. Verba *Accipite hanc animam* leguntur etiam in Anth. Lat. II, 54, 3. Henry (*Tw. years* IV. p. 87.) conferri iubet Turni verba XII, 648 sq. — **653** sqq. „Magni animi hoc esse puta, quod in novissimis rebus sese erigit, et laudis suae conscientia ac rerum gestarum claritate fato ac diis iniuriam facit. Ingloria morior; at non vixi ingloria." *Heyn.* Cf. III, 493. *Vivite felices, quibus est fortuna peracta iam sua.* Haud dubie memor huius loci fuit Calpurn. VIII, 11. scribens *Viximus et - - cantavimus olim.* Totus autem hic versus iteratur in Anth. Lat. I, 172, 96., ut verba *Et quem mi dederat cursum Fortuna, peregi* etiam in antiquo lapide ap. Fabrettum p. 408. et Burm. ad Anth. Lat. Vol. II. p. 251. Grave illud *vixi* repetitur ab Horatio Od. III, 29, 43. et in Anth. Lat. III, 62, 7. IV, 144, 4. 190, 3. Peerlk. versus hoc ordine collocatos malit: 653. 656. 655. 654., quem iuvet etiam Silii locus VIII, 143 sqq. ex nostro expressus et Lucani V, 667 sq. comparatio. Nihil tamen contra Codd. auctoritatem mutandum videtur, quamquam non tacendum, in tribus Codd. versum 656. ante 655. collocatum apparere. — **654.** „*imago*, εἴδωλον, umbra, *magna* rerum gestarum nomine ac fama." *Heyn.* Cf. Silius X, 289. *nec manes tam parva intramus imago* et adnott. ad Aen. I, 353. — *mei*, qua repraesentor; *mea* esset, quam possideo. Cf. Cic. de Fin. V, 9, 26. in Cat. IV, 9, 19. ad Att. XIII, 1, 3. ad Fam. XII, 17, 1. etc. Wagn. confert Ovid. Met. I, 30. *Et pressa est gravitate sui tellus.* — *sub terras ibit* ab Ennio et Lucretio petitum ait Heyn., ubi tamen me legere non memini. Vide mox v. 660. — **655.** *Urbem - - statui.* Vid. ad II, 295. — **656.** *Ulta virum.* Vid. I, 360 sqq. — *poenas a fratre recepi*, i. e. pro marito, quem mihi eripuit, ab eo sumpsi poenam supra I, 360 sqq. expositam; quare hic verbum compos. *recipere* neutiquam pro simplici *capere* positum, ut Heyn. et Thiel. censent, quorum hic ad III, 717. provo-

Felix, heu nimium felix, si litora tantum
Numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae!"
Dixit et os inpressa toro „Moriemur inultae,
Sed moriamur! ait. Sic, sic iuvat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus et nostrae secum ferat omina mortis."

---

cat, ubi vid. adnott. Ribbeck. (cui fortasse adsentiendum esse censet Ladew.) in Proleg. p. 355. (ut iam Peerlk. fecit) praefert transpositionem v. 655. et 656. a Cod. Mentel. I., Menag. II. et Sprot. exhibitam, contra Conrads. Qu. Verg. p. XVIII. adnot. disputans, qui vulgarem versuum ordinem, quo in fragm. Vat., Med., Pal., Gud., Bern. II. III. leguntur, defendit. Equidem meliores Codd. non deserendos censeo, cum Conrads. recte videatur adnotare: „Dido postquam indicavit, quae factura sit (v. 654.) a re praesenti (v. 655.) cogitatione descendit ad praeteritam (v. 656.), quod sane reminiscentium est". Praeterea Servius adnotat, esse, qui v. 656. minus recte „quasi per interrogationem velint accipi, ut nihil dicat esse perfectum." — **657**. *Felix, heu.* Comparat Servius Catull. LXIV, 171 sqq., unde sententia, non verba petita. Ipsa autem verba *Felix, heu nimium felix* repetita videmus ap. Stat. Silv. III, 3, 25. et in Anth. Lat. I, 178, 42. II, 139, 17. Ceterum cf. Hand. Turs. III. p. 66., qui verissime docet, *heu* numquam a laetantibus dici, quamvis collocari possit inter verba, quae ipsa laeta desiderium moestum excitent. — *nimium felix.* Vid. adnott. ad Geo. II, 458. — *felix, si - - numquam* etc. Cf. similis locus Ecl. VI, 45. — **658**. Cf. Ovid. Fast. I, 519. *Et iam Dardaniae tangent haec litora pinus.* — **659** sqq. „Et hoc animi magni et superbi est, quod inultam se vel maxime pungit. Tandem pro ultione et solatio habetur saltem hoc, quod conspectum mortis suae et cum hoc spectaculo perfidiae poenitentiam obiectum iri Aeneae prospicienti cogitat." *Heyn.* Thiel. de hac veterum cogitandi ratione conferri iubet Valcken. ad Eur. Hippol. 1417., ipse comparans supra II, 670. Aen. X, 739. Hor. Sat. II, 8, 34. *moriemur inulti?* eiusd. Epod. VI, 16. *inultus ut flebo puer?* Ovid. Am. I, 7, 63. *minuet vindicta dolorem* et similes locos. — *os toro*, cui incubabat, prae animi dolore *impressa*. Cf. Stat. Theb. V, 252. *Hic impressa toris ora* etc. Appul. Met. VIII, 9. p. 205. Elmenh. *At illa toro faciem impressa lacrimis emanantibus genas cohumidat* et Val. Fl. VIII, 9. *Atque haec impresso gemuit miseranda cubili.* Henry autem (*Tw. years* IV. p. 87. et Philol. XII. p. 269.), qui contendit, Didonem tranquillo et composito animo haec dicere, cui nimius ille dolor non conveniat, haec verba coll. v. 651. sic explicat: osculata lectum genialem, comparans Eur. Alcest. 173., ubi Alceste, et Apoll. Rhod. IV, 26., ubi Medea eadem ratione lectum osculentur; quae explicatio certe praeferenda est a Thielio propositae, qui comparans Suetonii verba de Caesaris morte c. 82. *Caesar caput obvolvit*, reginam vultu quasi obvoluto e vita discedere voluisse suspicatur. — **660**. *Sed moriamur.* Cf. Prop. II, 8, 17. *Sic igitur prima moriere aetate, Properti? Sed morere.* Verba *Sed moriamur, ait* repetuntur etiam in Anth. Lat. I, 172, 107., ut sequentia *Sic, sic iuvat ire sub umbras* ibid. v. 128. — *sic, sic iuvat ire s. u.*, hac ipsa ratione, qua semel constitui; stat sententia de morte mihi inferenda. Cf. simillimus et haud dubie ad huius exemplum scriptus Senecae locus, quem infra laudavimus, et supra Aen. II, 644. Wagn. in edit. min. *sic* pro adeo, tantum censet positum. Cf. autem X, 641. *sic itur ad astra* et quae Henry (*Tw. years* IV. p. 88. et Philol. XII. p. 270.) recte de h. l. disputavit, comparans etiam Sidon. Apoll. II, 10. *Sic sic psallite* et *sicsic* unam modo vocem esse censens, ut *sese.* — *iuvat ire*, ut II, 27. — *ire sub umbras*, in Orci tenebras. Cf. infra XI, 831. XII, 952. cett. Bis hunc locum respexit Seneca in Herc. Oet. 344. *Ire, ire ad umbras Herculis nuptam libet, Sed non inultam* et 845. *Eat per artus ensis exactus meos: Sic, sic agendum est.* — **661**. *Hauriat - - oculis.* Vid. Aen. XII, 946. et cf. supra ad v. 359. adnott. — **662**. *Dardanum*, i. e. Dardanium (vid. ad

Dixerat; atque illam media inter talia ferro
Conlapsam aspiciunt comites ensemque cruore
Spumantem sparsasque manus. It clamor ad alta
Atria; concussam bacchatur Fama per urbem.
Lamentis gemituque et femineo ululatu
Tecta fremunt; resonat magnis plangoribus aether,
Non aliter, quam si inmissis ruat hostibus omnis
Karthago aut antiqua Tyros flammaeque furentes
Culmina perque hominum volvantur perque deorum.

III, 306. 602. al.), hic cum contemptu vocari Aeneam, Wagn. adnotat, conferens infra XII, 14. — „*nostrae secum ferat omina mortis:* et meae mortis indicio ac nuntio infaustum omen navigans ille secum auferat! Sit illi ferale hoc spectaculum pro sinistro itineris omine.“ *Heyn.* Cf. supra v. 385 sq. (Disputavit de h. l. Wagn. Philol. Suppl. I. p. 385. contra Ladew., qui prius ex Med. ediderat *et secum nostrae,* sed in recentissima edit. ad vulgarem verborum ordinem rediit.) — **663.** *atque* cum singulari vi positum in re necopinata et mira, repente oculis obiecta. Vid. ad Ecl. VII, 7. — *media inter talia,* scil. *verba,* quod additur XII, 318., i. e. statim postquam haec dixit. Vid. supra v. 277. 388. et infra IX, 657. — Similiter VI, 183. *opera inter talia.* Brunck. e suis Codd. recepit *mediam,* quae Aproniani videtur correctio. (Vid. Heyn. Var. lect.) — *ferro,* in ferrum. Conington comparat Soph. Ai. 828. et 899. πεπτῶτα περὶ ξίφει et φασγάνῳ περιπτυχής et disputat contra Henricum, qui *Tw. years* IV. p. 90. explicat: „*with the sword, in consequence of the sword wound*“. — **664.** *comites;* famulas potissimum intelligas v. 391. commemoratas, quae nunc demum irrumpunt in impluvium. Bene autem Servius: „Non induxit occidentem se, sed ostendit occisam; et hoc tragico fecit exemplo, apud quos (tragicos) non videtur, quemadmodum fit caedes, sed futura narratur.“ — *aspiciunt.* Wagn. adnotat, hoc verbum dici de iis, qui praesentes videant rem oculis subiectam seque offerentem. — **665.** *sparsas,* conspersas. Vid. supra v. 21. Quae Henry de h. l. disputavit in *Tw. years* IV. p. 88 sq., ea vir doct. nunc retractat. — **665** sqq. Cf. similis locus II, 486 sqq. *It clamor ad alta Atria.* Cf. infra V, 451. ibique adnott. — **666.** *bacchatur Fama* (personaliter, ut supra v. 173. et 298.) *per urbem,* celeriter percurrit urbem et homines vehementissime commovet. Vid. supra ad v. 301. — **667.** *gemitu.* Quam lato sensu hac voce utatur Verg., apparet coll. locis II, 413. VII, 15. XII, 928. Cf. etiam adnott. ad III, 555. Verba *Lamentis gemituque* iterantur in Anth. Lat. I, 173, 97. — *femineo ululatu.* Cf. IX, 477. Val. Fl. I, 312. VIII, 143. Stat. Theb. X, 567 etc. et de hiatu adnott. ad Ecl. II, 53. — **668.** *Tecta fremunt lamentis* - - cett., h. e. resonant lamentis, idque pro vulgari: homines in tectis fremunt lamentis. Cf. Cul. 151. et similis locus Aen. II, 487. *Fremere* de lugentibus etiam Aen. VI, 175. — *magnis plangoribus* proprie de percussione pectoris accipiendum, quod tamen negat Conington coll. II, 487. Pal., Bern. I. et Arusiani (p. 258. L.) Gud. exhibent *clangoribus.* Cf. autem Lucr. V, 971. *plangore magno.* Ribbeck. adnotat: „*magnis* omisit Arusianus, qui fortasse *magnis resonat* in suo exemplari invenerat, ut habet Voss. II. Nec id displicet.“ Et sane optandum esset, ut plures Codd. huic verborum ordini faverent. — **669.** „Haec comparatio primum ap. Hom. Il. XXII, 410 sq. occurrit, ut iam Macrobio notatum Sat. IV, 6. Eurip. Phoen. 1046 sqq. laudat Cerda.“ *Heyn.* — *Non aliter, quam si.* Cf. Liv. XXIII, 4, 4. XXI, 63, 9. Sueton. Aug. 40. etc. et Hand. Turs. I. p. 270. — *ruat.* Cf. II, 363. *Urbs antiqua ruit.* — **670.** *Tyros.* Sic optimi Codd. Vid. ad Ecl. VI, 13. — *antiquam* Tyrum Conington oppositam censet *novae Karthagini* I, 366. etc. — *flammae furentes,* ut apud Hor. Epod. XVII, 33. Bentl. aliique ediderunt *Furens in Aetna flamma,* ubi tamen Orell. tuetur lectionem *Virens.* — „Ad v. **671.**, quo incendio civium aedes privatae ac publicae deorum correptae narrantur, Burm. confert Val. Fl. II, 179 sq. ex h. l. expressum.“

Audiit exanimis trepidoque exterrita cursu
Unguibus ora soror foedans et pectora pugnis
Per medios ruit ac morientem nomine clamat:
„Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant?
Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? Eadem me ad fata vocasses:
Idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset.
His etiam struxi manibus patriosque vocavi
Voce deos, sic te ut posita crudelis abessem.

Heyn. Videtur hunc locum respicere Silius XVII, 507. *et volucres spargit per culmina flammas.* — *culmina* pro tectis, ut V, 459. — *culmina hominum - - deorum.* Cf. adnott. ad II, 312. De Praepositione cum vi iterata vid. ad II, 358. et de Praep. Casui suo postposita ad Ecl. VI, 19. Geo. I, 161. Aen. I, 13. 32. al. — **672** sqq. „Egregie affectus veritas servata in Annae luctu et verbis. Praeivisse creditur Briseis Homeri in Patrocli funere Il. XIX, 282 sqq. Haec autem omnia, quae effatur, ne a tempore et loco aliena sint, dum illa incedit, prolata esse cogita. Unde v. 686. *Sic fata gradus evaserat altos.*“ *Heyn.* — V. **673**. iteratur XII, 871. Cf. etiam XI, 86. — **674**. *nomine clamat*, i. q. nomine vocans; recte enim Wilms. Progr. p. 14.: „quasi revocare possit sororem decedentem, exclamat, quae sequuntur.“ Sic Geo. IV, 356. *et crudelem nomine dicit.* Servius sine causa de h. l. multa argutatur. Thiel. autem haec de more *conclamandi* intelligenda esse putat, de quo conferri iubet Iahn. ad Ovid. Trist. III, 3, 43. Ruhnk. ad Ter. Eun. II, 3, 56. et Interpp. ad Lucan. II, 23. — **675**. *Hoc illud fuit*, hoc igitur vere agitabas, cum illud simulate apparabas. Vid. adnott. ad III, 558. et infra VII, 255. Burm. ad Petr. c. 93. haec sine interrogandi signo scribenda censet, cui adsentitur Peerlk., qui post *fuit*, *petebas* et *parabant* exclamandi notam poni iubet, minus bene. — *me*, sororem, quae te adeo diligebam; Pronomen igitur graviter pronuntiandum. Cf. supra v. 314. — *fraude petere*, i. e. fallere, ut alibi *insidiis*, *telis petere* et similia. *Fraude et insidiis petere* coniunxit Liv. XL, 55. — **676**. Verba *hoc ignes araeque parabant* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 48., ut sequentia *Quid primum d. querar* ibid. v. 8. — *comitemne sororem* etc. Cf. similis locus IX, 199. — **678**. *ad fata*, ad mortem. Cf. Aen. I, 222. et IV, 20. — *vocasses* duplici modo intelligi posse docet Wagn., aut ut conditioni inserviat: si vocasses; aut ut vim optandi habeat: debebas me vocare, utinam me vocasses! et hanc rationem iure praefert ut aptiorem querenti et quasi expostulanti cum mortua, coll. infra VIII, 643. X, 854. XI, 162 sq. Cir. 444. Ovid. Her. X, 77 sq. Sil. XVII, 560. Cic. pr. Sulla 8, 25. (*sileretur*) et pr. Sext. 20, 45. (*restitisses*, *repugnasses*, *oppetisses* in tetrametro, quem vel ex Ennii Telamone, vel ex Pacuvii Teucro repetitum censet). Semicolon tamen ab eo post *vocasses* positum cum Ribb., Ladew. et Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XIX. p. 121. in Colon mutavi, ut sequens versus contineat apodosin, quam rationem imprimis iuvat Pron. *idem* in principio utriusque membri sententiae repetitum. — **679**. *ferro*, Ablat. instrum. cum *tulisset* coniungendus sensu non differt a Gen. *ferri* cum *dolor* connexo. — *tulisset.* Vid. ad II, 555. — **680**. *struxi*, scil. rogum iussu Didonis supra v. 494 sq. Verba *His etiam struxi manibus* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 158. Verbo simplici in compositum *instruxi* mutato. — *patrios vocavi Voce deos*, h. e. ipsa sacrum iussu tuo paravi et rite auspicata sum, sc. sollemni precum carmine decantato. Cf. v. 500 sqq. — *voce vocare* (καλεῖν βοῇ) legitur etiam VI, 247. 506. X, 873. XII, 483. 638. Lucr. IV, 713. Ovid. Her. X, 34. alibi, et significat ubique clara, magna voce vocare. Cf. Burm. et Bach. ad Ovid. Met. X, 3, 507. Huschk. et Dissen. ad Tibull. II, 1, 83. Similiter Aen. V, 161. *voce compellare* et Aen. IX, 403. et XI, 784. *voce precari.* — **681**. *sic te posita*, i. e. mortua.

Exstinxti te meque, soror, populumque patresque
Sidonios urbemque tuam. Date, volnera lymphis
Abluam et, extremus si quis super halitus errat,
Ore legam.“ Sic fata gradus evaserat altos

Vid. supra II, 644. ibique adnott. et Iahn. ad Ovid. Met. IX, 504. — *ut crudelis abessem* Heyn. explicat: ut crudeliter seiungerer. Sed si quis crudeli modo ab altero avellitur, eo non ipse fit crudelis. Quare Wagn. *crudelis* pro Vocativo habet, quo ipsam Didonem mortuam soror alloquatur, et propterea distinctionem loci mutavit; simul tamen adnotans, eum fortasse etiam sic intelligi posse, ut Anna more graviter dolentium culpam fortunae in se transferat, ac si ipsa in culpa esset, utpote quae rogo structo abierit et sororem sibi soli commiserit; et hanc alteram explicationem ego cum Henrico (*Tw. years* IV. p. 91. et Philol. XII. p. 270.) praefero, qui comparat simillimos locos Aen. XII, 873. Silii VIII, 66. et XIII, 656. Adsentiuntur nobis posteriores editores atque etiam Wagn. ipse Commata, quibus in maiore edit. voc. *crudelis* incluserat, in minore recte sustulit. Signum interrogandi vulgo in fine versus positum cum Ribb., Ladew. et Haeckerm. l. l. in Punctum mutavi. — **682**. *Exstinxti.* Vid. supra ad v. 606. „Scripturam *exstinxsti* refellunt ea, quae Struvius *über d. lat. Decl. u. Conj.* p. 153. de his formis disputavit.“ *Iahn.* Gud., Bern. I. II. et Pierii Codd. minus apte praebent *extinxi*, quod in recentiss. Ladewigii edit. typothetae modo errore videtur receptum. Haupt. et Ribbeck. cum Med. et Pal. scribunt *extinxti*. — *te meque.* Sic Med., fragm. Vat., Pal. et plerique, ut videtur, Codd. pro vulg. *me teque* (sane etiam a Diomede p. 436. exhibito), quos iure secutus est Wagn., cum sensus sit: „tua caede me simul interemisti, s. non te solum, sed etiam me.“ — *populumque patresque.* Cf. IX, 192. — **683**. Vulgo (ut nuper etiam Conington) distinguunt *Date vulnera lymphis*, quod per enallagen explicare solent, pro: „lymphas date vulneribus“ positum, quemadmodum III, 61. dicatur *dare classibus austros*. Sed iure eiusmodi enallagen ineptam censet Wagn. loco meliore distinctione succurrens, quam nos secuti sumus; eandemque rationem iam a Servio (qui locum sic explicat: Date lymphas, ut vulnera abluam) et Peerlk. Bibl. crit. nov. Vol. II. p. 21 sq. initam fuisse, idem Vir doct. memorat, qui constructionem illam Romanis non minus quam Graecis frequentatam, ex qua Imperativo nudus Coniunctivus consilium indicans subiicitur (*date, abluam*, pro *date, ut abluam*), comprobare studet locis Hom. Il. VI, 340. XXII, 450. XIII, 71. Lucian. Tim. c. 45. coll. Zeunio ad Viger. p. 312. et Matth. Gr. Gr. §. 518. atque ex Latinis Ter. Heaut. II, 3, 32. et infra Aen. VI, 884 sq. et VIII, 507. Noli tamen cum Servio et Wagn. ad *date* intelligere *lymphas* (quibus abluam), sed potius hoc verbum cum Haeckerm. l. l. et Ladew. absolute pro *concedite, sinite* positum accipe, quo sensu non solum cum Infin. (ut V, 689. VI, 66. 67.), sed etiam cum Coniunct. (ut hic et VI, 884.) construitur. Sic etiam infra v. 717. *habeant sine.* Respicit hunc locum Prudent. peristeph. IV, 193. *date, perluamus.* Ceterum cf. Ovid. Met. XIII, 531. *Quid moror interea crudelia vulnera lymphis Abluere?* et Stat. Theb. III, 398. *Vulnera dum lymphis Epidaurius eluit Idmon.* — **684**. *si quis super halitus errat*, si quis halitus superest, qui oberret in ore Didonis. Cf. adnott. ad III, 489. „Hunc imprimis locum inter eos referunt, ubi propinqui morientis extremum halitum ore excepisse traduntur. Cf. Albinov. Cons. ad Liv. 97. 158.“ *Wund.* Vid. etiam Ovid. Met. VII, 680. *et in me Infelicem animam nostroque exhalat in ore*, ibid. XII, 424. *Inpositaque manu vulnus fovet oraque ad ora Admovet atque animae fugienti obsistere temptat.* Iustin. XXIII, 4. *periculo spiritus sui empturum, ut extremos viri spiritus exciperet.* Cic. Verr. V, 45, 118. *matresque - quae nihil aliud orare solent, nisi ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret.* Meurs. de fun. 3. Graev. ad Cic. l. l. Cleric. ad Eleg. ad Liv. 95 sqq. Iahn. ad Ovid. Trist. IV, 3, 41. Becker. in Gallo III. p. 269. ed. 2. Gossr. et Conington. ad h. l. alios. — **685**. *evaserat.* Vid. II, 458. ibique ad-

Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu atque atros siccabat veste cruores.
Illa gravis oculos conata attollere rursus
Deficit; infixum stridit sub pectore volnus.
Ter sese attollens cubitoque adnixa levavit;
Ter revoluta toro est oculisque errantibus alto
Quaesivit caelo lucem ingemuitque reperta.
Tum Iuno omnipotens longum miserata dolorem

---

nott. — **686.** *amplexa fovebat.* Cf. Aen. I, 718. VIIII, 388. Tibull. I, 6, 6. etc. — **687.** *cruores.* De hoc Plur. pro Sing. usurpato cf. Neue *Formenl.* I. p. 401 sq. et 414. Vid. etiam addenda ad Geo. III, 111. — **688.** *Illa gravis oculos.* „Est hoc mirum in modum ad effectum movendum comparatum. Cf. de Eteocle Eurip. Phoen. 1438. sqq. impr. 1454 sqq., de Pyramo Ovid. Met. IV, 145 sq., de Alcestide Eurip. 203 sqq.“ *Heyn.* — De *gravibus oculis* cf. adnott. ad Ecl. I, 49. — **689.** *stridit volnus,* sanguine ex eo erumpente. Cf. Ovid. Met. IV, 120. 124. Ceterum pro *stridit,* optimorum Codd. lectione, vulgo *stridet* (quod inter Ribbeckii Codd. tantum Bern. II. III. exhibent). Vid. adnott. ad Geo. IV, 262. Primo voc. excepto iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 178, 15. — **690.** *Ter sese attollens.* Ruhnk. Ep. crit. II. p. 217. comparat h. l. cum Apoll. Rhod. III, 654. *τέτρατον αὖθις λέκτροισιν πρηνὴς ἐνικάππεσεν εἱλιχθεῖσα.* — *cubitoque adnixa* plurimorum et optimorum Codd. est scriptura, iure ab Heinsio revocata. Pauci modo Codd. (inter quos Pal.) favent vulg. lectioni *innixa,* quam non erat cur Both. et Iahn. (qui Burm. ad Prop. I, 3, 34. p. 41. conferri iubet) revocarent. Hic versus cum priore sequentis hemistichio iteratur in Ausonii cent. nupt. 122 sq. — **691 sq.** „Oculi iam morte natantes et caligine obscurati lucem recipere laborant, sed non colligunt [certe aegre tantum colligunt solis radios]. — *ingemiscit,* ut moribunda, quod infra XII. extr. *Vitaque cum gemitu fugit. indignata sub umbras.*“ *Heyn.* — **692.** *Quaesivit caelo lucem.* Cf. Ennii fragm. apud Serv. ad Aen. X, 396. (Ann. fr. inc. 15. p. 69. Vahl.) *Seminecesque micant oculi lucemque requirunt.* Silius VI, 11. *Frustra seminecum quaerentia lumina caelum.* Senec. Herc. Oet. 519. *Ille iam quaerens diem Tabem fluentem vulneris dextra excipit.* Ammian. XVI. p. 90. *Alii semineces labente iam piritu lucis usuram oculis morientibus inquirebant* (cf. etiam Aen. X, 782.); cum *errantibus* autem *oculis* cf. Val. Fl. VI, 277. *extremus cum lumina corripit error,* et Stat. Silv. V, 1, 170. *Iamque cadunt vultus oculisque novissimus error* etc. — *ingemuitque reperta,* dolore, quod lucem relinquere coacta est. Sic XII, 952. *Turno vita cum gemitu fugit.* Cf. etiam X, 819. *vita per auras Concessit maesta.* Ceterum Gud., Bern. II., Bern. III. a m. sec. et, ut videtur, Med. a m. pr. et Servii Codd. exhibent *repertam* (de qua constructione cf. adnott. ad Ecl. V, 27.). Eandem lectionis varietatem deprehendimus infra VI, 718. Brunck. (coll. Ovid. Met. IX, 261.) Accusativum tamquam exquisitiorem recepit et Iahn. quoque praeferendum censet. Sed *repertam ingemuit lucem* significaret: ingemuit propter lucem repertam, et Participium in eiusmodi locis haud raro a Grammaticis et librariis antecedenti Nomini est accommodatum. Quae Henry (*Tw. years* IV. p. 93.) de h. l. disputavit, ea vir doct. nunc reiicit. — **693** sq. Heyn. adnotat, mirum videri posse, quod Iris mittatur ad expediendam miserae Didonis animam, quae, ea morti nondum matura, aegre a corpore secedat; sed ut Iovem Mercurii, sic Iunonem plerumque Iridis uti ministerio (cf. infra V, 606. IX, 2. Iliad. XVIII, 166 sqq.), Iunonem autem hac de re sollicitam esse, quam Didonis et Poenorum causam suscepisse constet, neminem posse mirari; vulgo tamen illas Proserpinae partes fuisse (cf. v. 698 sq.). Ladew. autem adnotat, quod Dido nec *fato* nec *merita morte* pereat, non, ut alios defunctos, a Proserpina, sed ab Iride Iunonis, quae Didoni faveat, iussu reginam diis inferis consecrari. Vergilium secuti sunt Stat. Silv. II, 1, 147.

Difficilisque obitus Irim demisit Olympo,
Quae luctantem animam nexosque resolveret artus.
Nam quia nec fato merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem subitoque accensa furore,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per caelum roscida pinnis,

---

et Martial. III, 43, 4., quibus Heyn. etiam Horat. Od. I, 28, 19 sq. addit, simul conferri iubens Hemsterh. ad Luc. T. I. p. 512. — **694**. *Irim* hic et V, 606. IX, 2. X, 38. constans est omnium fere Codd. lectio. Cf. Wagn. Qu. Verg. III. et adnott. ad Ecl. IV, 32. et V, 50. — **695**. *luctantem*. Cf. Ovid. Ibis 125. *Luctatusque diu cruciatos spiritus artus Deserat*. — *animam nexosque artus*, i. e. corporis cum anima nexum. Poëtae ante oculos versabatur Lucr. II, 948 sq. *Donec materies omnes concussa per artus Vitales animae nodos e corpore solvit*. Conington confert Ovid. Met. VI, 242. *et iam contulerant arto luctantia nexu Pectora pectoribus* et Wagn. laudat Spalding. ad Quinct. II, 9, 13. — **696**. *nec fato*, non eo die, quo fata destinaverant (nam *stat sua cuique dies*: Aen. X, 467.), sed *ante diem*; ut igitur hic sibi opponantur naturalis atque arcessita et voluntaria mors. Cf. etiam quae recte de h. l. disputat Henry *Tw. years* IV. p. 94 sq. comparans Plin. Ep. I, 12. *Decessit Cor. Rufus, et quidem sponte, quod dolorem meum exulcerat; est enim luctuosissimum genus mortis, quae non ex natura, nec fatalis videtur*. Iustin. IX, 8. *qui partim fato, partim ferro periere* et eund. II, 2. *Neque plus hominum ferrum et arma, quam naturalis fatorum conditio raperet*. Verba *Nam quia nec fato* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 134. — *merita nec morte*, nullo immani crimine commisso et culpae inexpiabilis conscientia vexata, sed *subito accensa furore*. Henry l. l. et Ladew. conferri iubent Ovid. Fast. III, 705. *At quicumque nefas ausi, prohibente deorum Numine, polluerant pontificale caput, Morte iacent merita*. Non tamen omnem culpam Vergilium a Didone removere, etsi eius crimen expiari possit, Dietsch. Theol. Verg. p. 27. multa de h. l. disputans not. 206. docet coll. v. 24—29. et 550 sqq. — **697**. *ante diem*, ὑπέρμορα: Iliad. II, 155. XX, 336. Vid. supra v. 620. — *accensa furore*, ex ira orto, quos duo affectus multis locis collatis sibi affines esse docent Mitscherl. ad Hor. Od. I, 16, 5. et Obbar. ad eiusd. Ep. I, 2, 62. Vol. I. p. 183 sq. Ceterum verba *Sed misera ante diem* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 135., ut sequentia *subitoque accensa furore* ibid. I, 170, 69. — **698**. „Quod *crinis abscinditur*, e re sacra puto ductum; nam victima consecratur deo, pilis in fronte abscissis et in ignem iniectis (cf. v. c. infra VI, 245.; est id proprie κατάρχεσθαι); ab hoc momento victima deo dicata et sacra erat. Itaque et is, qui moritur, crine abscisso diis inferis tamquam victima consecratur Iovique infero sacer est. - - Imitatione locum expressit Stat. Theb. VIII, 9.“ *Heyn*. Cf. etiam Eurip. Alc. 74 sqq. Hor. Od. I, 28, 20. *nullum Saeva caput Proserpina fugit* (ibique Orell.) Stat. Silv. II, 1, 147. *Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno* et Turnebi Adv. XIX, 17. Henry l. l. etiam comparat Etym. M. v. ἀπεσκολυμμένος: κόλλος γὰρ ἡ θρὶξ ἡ ἐπὶ τοῦ ἄκρου ἣν ἐφύλαττον ἀκούρευτον, θεοῖς ἀνατιθέντες. — *flavam comam* iam supra v. 590. Didoni tributam vidimus. — **699**. *caput damnaverat Orco*. Cf. Silius V, 241. *nisi quem deus ima colentum Damnasset Stygiae neci*. id. XV, 76. *degeneres tenebris animas damnavit Avernis*. id IV, 229. *damnati Superis*. Lucan. VI, 413. *damnata fatis castra*. ibid. v. 641. *quem tristis Erichtho Damnaverat sacris*. De hac constructione cf. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 3, 23. Bach. *Geist der Röm. Eleg*. p. 210. et Lachm. ad Prop. V [IV], 6, 21. — **700** sqq. Cf. Ovid. Met. I, 270. (*varios induta colores Iris*), ibid. XI, 589 sqq. (*velamina mille colorum*), imprimisque infra Aen. V, 609 sqq. *Discolor virgo* Iris dicitur Statio Theb. X, 112. — *croceis pinnis*. Cf. adnott. ad Geo. I, 448. — *roscida*,

Mille trahens varios adverso sole colores
Devolat et supra caput adstitit: „Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero teque isto corpore solvo.“
Sic ait et dextra crinem secat: omnis et una
Dilapsus calor atque in ventos vita recessit.

---

quod numquam est sine pluvia. — **701.** *trahens varios - - colores.* Cf. Anth. Lat. V, 21, 2. *varios iacit unda colores* et ibid. V, 28, 2. Iris *Picta veste decens et multicoloribus alis.* — **702.** Comparant Hom. Il. II, 20. *Στῆ δ' ἄρ' ὑπὲρ κεφαλῆς* cett. et Od. VI, 21. De verbo *adstare* cf. Geo. III, 545. Aen. I, 152. II, 328. IX, 550. etc. „Iris crine rescisso Didonem diis inferis consecrat, quo ipso călor vitalis corpore solvitur. - - Exspirat Dido animam, quae in aërem abit. Atque ita quiescat in pace infausto amore liberata Dido!“ *Heyn.* — **703.** *te isto corpore solvo.* Cf. XI, 829. — **705.** *Dilapsus calor.* Cf. III, 308. *calor ossa reliquit.* — *in ventos vita recessit,* dum exspiratur anima. Cf. XI, 617. *vitam dispergit in auras.* — *in ventos* enim i. q. in aërem, ut V, 527. et in simillimo loco Ammiani XIX. p. 148. *animis in ventum solutis.* Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 172, 162. et ultima eius verba *vitaque recessit* ibid. I, 45, 16. Ceterum de morte Didonis cf. Ausonii Epigr. 118.

P. VERGILI MARONIS

A E N E I S.

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Aeneas relicta Carthagine in Italiam navigans vi ventorum in Siciliam defertur (1—34.), ubi ab Aceste benigne exceptus Manibus Anchisae patris, quem eodem die superioris anni apud Drepanum sepeliverat, anniversarium sacrum ludosque apud tumulum eius instituit (35—103.). Conveniunt undique ad spectandos ludos. Proponuntur in medio praemia (104—113.). Navale certamen, quo vincit Cloanthus (114—285.). Tum cursu certatur et Euryalus Nisi dolo victoriam reportat (286—361.). Sequitur pugilum certamen et Entellus senex Daretem iuveniliter se iactantem caestu vincit (362—484.). In sagittandi certamine superat Eurytion: prima tamen praemia Acestae decernuntur, cuius sagitta in aërem emissa subito exarserat (485—544.). Ascanius cum nobilibus pueris in honorem Anchisae avi Troiae ludicrum sive equestres ludos pugnaeque simulacrum exhibet (545—603.). Interea Troianae mulieres Iunonis dolo et Iridis hortatu longae navigationis pertaesae ignem in classem coniiciunt quatuorque naves comburunt; ceterae subita pluvia a Iove immissa servantur (604—699.). Nocte insequenti Anchises Aeneae clade partis navium perculso in somnis apparet eumque Iovis verbis hortatur, ut Nautae consilium secutus mulieres imbellesque senes in Sicilia apud Acesten relinquat, ipse cum iuventutis robore in Italiam naviget Sibyllaeque antrum adeat, qua duce ad inferos descendat, ubi et posteritatis suae seriem et instantium bellorum eventum ex ore parentis cognoscat (700—740.). Cuius consiliis morem gerens Aeneas oppidum Acestam (s. Segestam) in Sicilia condit et matres senesque bello inutiles ibi colonos relinquit, post Veneri in Eryce monte templum fundat tumuloque Anchisae lucum et sacerdotem addit (740—761.), ipse cum exercitus robore Italiam petit, navigantique Veneris precibus exoratus Neptunus tutum praestat mare (762—826.). In eo itinere Palinurus somno succumbens una cum gubernaculo in mare excutitur Aeneasque ipse vicarius eius muneri succedit (827—871.).

Interea medium Aenēas iam classe tenebat
Certus iter fluctusque atros aquilone secabat,
Moenia respiciens, quae iam infelicis Elissae
Conlucent flammis. Quae tantum accenderit ignem,
Causa latet; duri magno sed amore dolores

---

1. *Interea*, dum ea, quae l. IV. exeunte narrantur, Carthagine fiunt; ut igitur haec verba arcte cohaereant cum IV, 583., ubi iam solvisse Aeneam vidimus. — *iam medium tenebat iter* (τὸν μέσον πλοῦν), i. e. iam in alto mari vehebatur, ut III, 664. *graditurque per aequor Iam medium* et Lucan. III, 1. *Propulit ut classem velis cadentibus auster Incumbens, mediumque rates tenuere profundum;* nostrum: *er war schon mitten auf dem Wege*, qua dicendi formula etiam nos nihil aliud significamus, quam aliquem iter iam ab aliquo tempore incepisse, etiamsi dimidiam partem viae nondum vere emensus est. Idem sibi velle videtur Wagn., qui observat, *medium* dici de eo, quod iam rite aggressi, in quo ipso occupati simus, coll. Geo. III, 486. 519. Aen. IV, 277. al. Cf. etiam adnott. ad Aen. I, 505. VII, 566. et al. *Iter, cursum tenere* est vox nautica, de qua vid. ad III, 686. — Respicitur hic versus in duobus locis Anth. Lat. II, 193, 25. *Interea Aeneas pelagus iam classe tenebat* et II, 194, 25. *Interea medium Aeneas tendebat in aequor.* — 2. *certus* nunc cum Servio explico: itineris sui certus, persistens in consilio proficiscendi in Italiam; ut igitur sit i. q. IV, 554. *certus eundi.* Etsi enim aquilo (illo tempore continuus: cf. III, 285. IV, 310.) cursui officiebat, cum potius austro opus esset a Carthagine in Italiam proficiscentibus, tamen imperterritus Aeneas tendebat eo, quo volebat. (Cf. infra v. 16. *Obliquat sinus in ventum.*) Non igitur *aquilo* simpliciter pro vento positus, ut prius censui, quamquam ventorum nomina a poëtis promiscue usurpari constat. Cf. etiam quae de h. l. verissime disputat Henry *Tw. years* V. p. 1 sqq. et Philol. XIII. p. 629. comparans etiam Aen. IX, 96. 249. et VIII, 39. — *fluctus atros aquilone.* Ladew. et Wagn. conferri iubent Gellium II, 30., qui doceat *austris spirantibus mare fieri glaucum et caeruleum, aquilonibus obscurius atriusque.* — 3. *Moenia respiciens*, cum dolore et desiderio aliquo; nam ipse Aeneas infra VI, 460. *Invitus*, inquit, *regina, tuo de litore cessi.* Cf. etiam Silius VIII, 108. *Respiciens aegerque animi tum regna reliqui Vestra.* — *Elissae flammis*, rogi, in quo Elissa (cf. IV, 335.) comburebatur. *Serv.* haec adnotat: „Circa primum ortum lucis navigavit - - flammas rogi circa vesperam vidit; quo tempore et per naturam ignem videre potuit, et per pristinum morem, quo per diem cadavera non incendebantur;“ quibus haec Heyn. addit: „Noctis fere tempus datum rogo igni consumendo, et postridie mane lecta ossa. Sic in Patrocli funere Il. XXIII, 226. Stat. Theb. VI, 236. et al.“ Respexit hunc locum Silius VI, 312. *Vidissem moenia flammis Phoenissae ruere.* — 5 sqq. Locus paulo impeditior, qui sic est capiendus: Troianos latet causa flammarum; *sed duri dolores polluto amore*, i. e. quod cogitant, quam duri Didonem ab Aenea spretam vexare debeant dolores, cum eius causa fidem Sychaeo debitam violaverit; ideoque de Sychaei amore a Didone polluto cogitandum, non ut vulgo putant, de Didonis amore ab Aenea polluto, nam Troianorum, non Didonis cogitationes hic afferuntur. (Nolo tamen reticere, Schenklium in *Zeitschr. f. d. Oest. G.* 1852. p. 395. contra me disputantem contendere, Vergilium, si hoc voluisset dicere, pro *amore* potius *connubio* scripturum fuisse.) Ultima lima carere hunc locum censet Ladew. in Append. p. 248. — *Pollutus amor*, ut alibi *fidem, iusiurandum, sacrum, hospitium* (III, 61.) et *pacem* (VII, 167.) *polluere* legimus. *Pollui* enim dicuntur omnia, quae, cum sacra habeantur, aliquo modo laeduntur. *Amor* autem, qui iam *coniugium* appellari poterat (IV, 172.), non minus sacra res, quam modo commemoratae. Peerlk. tamen, haerens in *polluto amore*, temere coniicit *Abrupto.* — *dolores notumque* (scil. illud) s. res illa nota et perspecta, i. e. quod non ignorant, *quid possit furens femina, ducunt* Troianos *per augurium*, ad augurandum et suspicandum id, quod vere factum erat. — *Notum* autem substantive

Polluto notumque, furens quid femina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates nec iam amplius ulla
Occurrit tellus, maria undique et undique caelum:
Olli caeruleus supra caput adstitit imber
Noctem hiememque ferens et inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
„Heu! quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras?“ Sic deinde locutus
Colligere arma iubet validisque incumbere remis,

---

est accipiendum. Sic Liv. VII, 8. *perlitatum*, id. XXVII, 37, 5. *nuntiatum*, Lucan. I. in. *certatum* etc. Cf. Periz. ad Sanct. Min. T. I. p. 657. Ruddim. I. p. 273. Boettich. Lex. Tac. p. 339 sq. Drak. ad Liv. I, 53, 1. Ramsh. §. 171. III, 3. Kritz. ad Sall. Cat. 41, 5. et Thiel. ad h. l. (Cf. etiam quae de Ablativo absoluto Participiorum *libato, nuntiato, cognito* cett. ad I, 737. adnotavimus.) — *furens quid femina possit*, quo adigi possit (*wessen sie fähig sei*). Cf. imprimis Sen. Hipp. 821. *Quid sinat inausum feminae praeceps furor*, et Iuven. X, 328. *Mulier saevissima tunc est, Cum stimulos odio pudor admovet*, porro Ovid. Met. IX, 150. XIV, 384. et similes loci. Peerlk. docet, propterea Aeneam apud Silium VIII, 112. dicere: *Sed cur, heu seri monitus! cur tempore tali Incustodito saevire dedistis amori?* i. e. Didonem custodire, observare debebatis, non solam linquere. Ceterum hic versus excepto primo voc. repetitur in Anth. Lat. I, 168, 6. et I, 178, 65. — **7**. *per augurium* Heyn. explicat: ad augurium, coll. VI, 743. *per amplum Mittimur Elysium;* in quo tamen loco *per* non magis, quam hic, pro *ad* positum est. Immo *per* hic significat, animum per varia auguria, i. e. suspiciones, opiniones (*Ahnungen*), errando tandem ad hanc cogitationem pervenisse. *Augurium* autem hoc latiore sensu usurpatum legitur etiam Cic. Tusc. I, 15, 33. Phil. II, 35, 89. Ovid. Met. I, 395. Her. XVII, 234. al. — *pectora*, animos, cogitationes. Thiel. conferri iubet Obbar. ad Hor. Ep. I, 1, 33. et Goerenz. ad Cic. Legg. I, 18, 49. — Vss. **8—11**., paucis modo verbis mutatis, iam III, 192—195. legimus, ubi vid. adnott. — *pelagus*, quod in loco parallelo *altum*, mare non proximum litori. Cf. infra v. 165. et IX, 81. Hic autem Accus. redit X, 378. et Cul. 343. Cf. Neue *Formenl.* I. p. 336. — **9**. *maria undique et undique caelum* Heins. ex melioribus libris restituit; vulgo *caelum undique et undique pontus*, ex III, 193. repetitum. — **10**. *Olli*. Vid. ad I, 254. — *caeruleus imber*. Vid. ad III, 64. — „*supra caput*, desuper, κατακρῆθεν vel ὑψόθεν, ut ap. Arat. Phaen. 422. 423.“ *Heyn.* — **12**. *Ipse gubernator*, i. e. gubernator adeo, quem talia minus, quam ceteros, formidare decebat. Cf. Wagn. Qu. Verg. XVIII, 3, c. et adnott. ad III, 201., ubi etiam de *Palinuro* iam dictum. — **13**. *quianam* hic et X, 6. ex antiquo sermone pro *qua re, τί γάρ*. Legitur praeterea apud Plaut. Truc. I, 2, 34. Ennium in Servianis ad Aen. X, 6. (Ann. II. fr. 6. p. 21. Vahl.) et in Festianis p. 132. Lind. s. 257. Müll. (Ann. VII. fr. 18. p. 40. Vahl.). Attium in Phoen. exordio (secundum Lachm. etiam Lucr. I, 599.), alibi. Cf. etiam praeter Festum l. l. Priscian. XVII. p. 1060. et XVIII. p. 1169. Hand. tamen in Tursell. IV. p. 21. de hac Particula composita videtur dubitare, et hoc quidem loco praefert Codd. quorundam Pontani lectionem *quinam*, X, 6. autem non paucorum librorum scripturam *quaenam*. Sed probat eam Quinctiliani quoque auctoritas, qui Inst. VIII, 3. med. (p. 686. Burm.) utrumque archaismum *olli* et *quianam* huic loco singularem dignitatem afferre censet. — *nimbi*. Vid. ad I, 51. — **14**. *pater Neptune*. Vid. ad I, 155. — *Sic deinde locutus - - iubet*, i. e. haec locutus deinde iubet. Cf. infra v. 400. adnott. ad I, 195. III, 609. VII, 135. De Part. autem *deinde* et *tum* post Particip. Perf. Pass. positis vid. ad II, 391. — **15**. *colligere arma*. Heyn. conferens Homericum ὅπλα Od. II, 390. 423. al. cum Servio expli-

Obliquatque sinus in ventum ac talia fatur:
„Magnanime Aenea, non, si mihi Iuppiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere caelo.
Mutati transversa fremunt et vespere ab atro
Consurgunt venti atque in nubem cogitur aër.
Nec nos obniti contra nec tendere tantum

---

cat per contrahere vela, neque aliter Wagn., *colligere* cum Donato tantum pro breviari positum esse censens. Cum tamen vela non contrahantur, ut e versu sequente appareat, Ladew. pro *colligere* potius *corripere* legendum esse suspicatur, quod verbum sequentibus *val. inc. remis* accuratius explicetur, ut *arma* de remis intelligendum sit. In vulg. tamen lectione cum omnes Codd., tum Nonius 273, 19. et Serv. non solum ad h. l. (quem sic explicat: „vela contrahere, non prorsus deponere; nam dicit *Obliquatque* etc.“) sed etiam ad Aen. I, 119. et 183. consentiunt. *Arma* tamen et ipse cum eo et Henrico (in Philol. l. l.) nunc de remis intelligo, ut VI, 353., fortasse etiam IV, 290. Cf. omnino quae de latiore huius voc. significatione ad Geo. I, 160. disputavimus. *Colligere* autem nihil aliud potest significare, nisi remos lateri navis alligatos solvere, in manus sumere et ad usum parare; quae etiam Coningtonis videtur esse sententia minus clare de h. l. disputantis atque adeo cogitantis de dictione *se colligere in arma* X, 412. XII, 491. Henry non temere ex h. l. fluxisse censet Val. Fl. IV, 111. verba *Tum legere arma* (caestus) *iubet sumptisque occurrere contra Caestibus*. — *incumbere remis*, κώπαις ἐμβάλλειν: Hom. Od. IX, 489. etc. Vid. VIII, 108. X, 294. al. coll. cum Geo. I, 213. et Aen. III, 207. Arcte haec verba cohaerent cum sequentibus; nam remorum usu adiuvabatur id, quod Verg. v. 16. dicit *obliquare vela in ventum*. Vere enim *Peerlk.*: „Veteres non habebant illud laterale, quod apud nos tollitur et premitur. Ideo utebantur remis, ne nimium a cursu recto deflecterent.“ — 16. „*Obliquat sinus* velorum [vid. ad III, 455.] *in ventum*, nostrorum nautarum *laviren*, vento adverso non totis velis accepto, sed tantum ex obliquo, ne ille magna vi irruens navem nimium de cursu deflectat.“ *Heyn.* *In ventum* igitur *obliquare* non est contra ventum, sed ita ponere vela, ut ventum obliquum excipiant. Cf. Liv. XXVI, 39. *Aliae ad incertos ventos hinc atque illinc obliqua transferentes vela in altum vectae sunt*, et Lucan. V, 426. *totosque rudentes Laxavere sinus et flexo navita cornu Obliquat laevo pede carbasa* cum adnott. ad Aen. VII, 13. 664. 757. Verba *Obliquatque sinus in ventum* iterantur in Anth. Lat. I, 14, 30. — 17. De epitheto *magnanimi* vid. Barth. ad Stat. Theb. IX, 1. et adnott. ad Aen. I, 260. — *auctor*, qui aliquid promittit, qui fidem dat, se aliquid effecturum. Cf. Geo. I, 432. — 18. *hoc caelo*, hac caeli tempestate. (Cf. adnott. ad Geo. I, 102.) — *sperem contingere*, i. e. fore ut contingam. Sic haud raro Infin. Praes. pro Futuri post verba sperandi, exspectandi, promittendi etc., si quid tam certo futurum exspectamus vel cogitamus, ut de re futura, ac si iam nunc esset, loqui nobis licere putemus. Cf. II, 657. IV, 305. 337. 487. Lucan. IX, 302. *hos audax sperat sibi cedere virtus*. Oudend. ad Caes. B. G. II, 32. Walch. ad Tac. Agr. c. 44. p. 418. Zumpt. §. 605. alii. — 19. *transversa fremunt*, paulo audacius pro: in transversam partem. Vid. ad Ecl. III, 8. et Geo. III, 149. Repetit hoc Stat. Theb. I, 348. *venti transversa frementes Confligunt*. — *vespere ab atro*, atris nubibus obducto; quo exprimit poëta Homericum ζόφον ἠερόεντα. *Venti a vespere consurgentes* sunt Zephyri infra v. 33. commemorati. — 20. *in nubem cogitur* (i. e. densatur) *aër* legimus etiam ap. Ciceronem N. D. II, 39, 101. et ex nostro loco repetitum in Anth. Lat. I, 178, 188. Burm. conferri iubet Barth. ad Stat. Theb. I, 348. et sua ad Val. Fl. III, 92., Peerlk. autem Ambrosium Hexaëm. II, 3. *dicant, quemadmodum aër cogatur in nubem*. Praeterea cf. etiam Geo. IV, 36. Isidor. de nat. rer. 22. *nubes* exhibet pro *nubem*. — 21. *obniti contra*. Vid. de similibus pleonasmis ad Geo. I, 200. Aen. II, 593. III, 690. VI, 310. al. Sic Liv. XXI, 58, 3. *contra eniti*. — *tendere tantum*, quantum opus est ad

Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, sequamur,
Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis portusque Sicanos,
Si modo rite memor servata remetior astra."
Tum pius Aeneas: „Equidem sic poscere ventos
Iamdudum et frustra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. An sit mihi gratior ulla,
Quove magis fessas optem demittere navis,
Quam quae Dardanium tellus mihi servat Acesten
Et patris Anchisae gremio conplectitur ossa?"
Haec ubi dicta, petunt portus et vela secundi

---

vincendam adversam tempestatem. Peerlk. malit: *obniti tantum, nec tendere contra*, ut v. 27. Potest autem *contra* cum utroque Verbo coniungi. Vid. v. 29. — **22**. *sufficimus*, vires nostrae sufficiunt. *Sufficere* cum Infinitivo legitur v. c. Mart. IX, 1, 8. *sufficit in vestras redire manus*. Lucan. V, 154. *nec vox antri complere capacis Sufficiens spatium*. — **23**. *Quoque* pro et quo, ut Geo. IV, 283. et ut alibi *quaeque, ubique, itaque* et similia. Vid. praeter eos, quos iam laudavit Kritz. ad Sall. Cat. 14, 1. et 23, 4., Walch. ad Tac. Agr. p. 178. Goerenz. ad Cic. Finn. II, 10, 32. et mea ad Lucr. II, 63. Ceterum cf. infra v. 709. *quo fata trahunt retrahuntque, sequamur* et II, 387. *qua prima fortuna salutis Monstrat iter - - sequamur*. — **24**. *Fida*, propter Acesten, de quo vid. infra ad v. 30. — *fraterna*, quia *Eryx*, urbis cognominis conditor (vid. ad Aen. I, 570.), Veneris et Butae erat filius (Apollon. IV, 914 sqq.) ideoque frater Aeneae a matre. Cf. infra v. 412. Ut hic *fraterna Erycis litora*, sic infra v. 630. *fraterni Erycis fines*. De duobus autem epithetis sine Copula uni Substantivo adiectis vid. adnott. ad Geo. I, 449. Wagn. longa adscripta adnot. *fraterna litora* in unam notionem coire censet: *Brudergestade*, quod cum Thielio probo. Alii fortasse dicent, hunc locum esse ex eorum genere, ubi alterum epitheton prius vel explicet (fida, quippe fraterna), vel per gradationem aliquam augeat (fida adeoque fraterna). Cf. imprimis Geo. I, 407. (ibique adnott.) III, 7 sq. Aen. II, 622 sq. III, 619. 658. V, 306. VI, 282. VII, 170. 624. VIII, 245. XII, 888. Quare non erat, cur Heins. coniiceret *fraterni*, quod de ipso Eryce satis mire esset dictum. — *portus Sicanos*. Vid. ad Ecl. X, 4. et Aen. III, 692. — **25**. Sensus est: Si positum astrorum (per quae cursus maritimus regitur), qualem a Sicilia profecti ante tempestatem (I, 34.) observavimus, nunc, cum iter a contraria parte (ab Africa) remetior, recte memini. De verbo simplici *servare* pro *observare* posito vid. adnott. ad Ecl. III, 75. (de astris etiam Geo. I, 205. 335. et infra VI, 338. legitur); *rite* autem, i. e. recte, cum *memor* (*remetior*) coniungas. Ladew. potius coniungit verba *rite servata;* sed quamquam hoc bene dici non nego, collocatio tamen verborum alteram rationem videtur suadere, quam etiam Wagn., Bryce et Conington amplectuntur. — **27**. *tendere contra*. Cf. supra v. 21. IX, 377. 795. et Tac. Hist. I, 28. — **28**. „*Flecte viam*, ut supra *iter*, h. e. cursum, navem. Proprie flectunt vela ad alium cursum tenendum; h. l. velis mutatis flectitur cursus." *Heyn.* — *Velis* i. q. navigando, ut III, 477 *hanc* (Ausoniam) *arripe velis* et VII, 7. *tendit iter velis*. — Verba *Flecte viam velis* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 53. — *ulla* scil. navis, quod e sententia secundaria intelligendum. Cf. adnott. ad Geo. IV, 25. — **29**. *fessas naves*. Vid. ad I, 168. — *demittere* aliquo, i. e. immittere in locum aliquem inferiorem. Sic Cic. ad Fam. XV, 4, 7. *se in Ciliciam dem.*, Liv. XXXIV, 44. extr. *aliquem in carcerem dem.* cett. Ribbeck. ex Med., Pal., Gud., Bern. I. II. et Prisc. p. 775. Cod. ω recepit *dimittere*. Cf. adnott. ad Geo. II, 8. Aen. I, 211. al. — **30**. *Acestes*, rex Siciliae, iam antea Aeneam benigne exceperat. Vid. ad I, 195. et Interpp. ad Ovid. Met. XIV, 83. — **31**. Cf. Lucr. IV, 736. *Quorum morte obita tellus complectitur ossa*, et I, 136. *Morte obita quorum tellus amplectitur ossa*. De Anchisae obitu cf. III. 710. — **32**. „*secundi Zephyri*, cursu iam versus

Intendunt Zephyri; fertur cita gurgite classis
Et tandem laeti notae advertuntur harenae.
At procul ex celso miratus vertice montis
Adventum sociasque rates occurrit Acestes,
Horridus in iaculis et pelle Libystidis ursae,
Troïa Crimiso conceptum flumine mater
Quem genuit. Veterum non inmemor ille parentum
Gratatur reduces et gaza laetus agresti
Excipit ac fessos opibus solatur amicis.

---

ortum solstitialem inflexo." *Heyn.* Vid. etiam IV, 562. — **33.** *gurgite* pro mari omnino, ut saepe. Vid. I, 118. ibique adnott. — **34.** *tandem*, „periculis liberati", *Serv.* — *advertuntur* (vid. Geo. IV, 117. Aen. I, 158. etc.) *harenae*, litori. Vid. ad I, 107. — **35.** *ex celso* cum Wagn. divisim scripsimus, cum libri quidam praebeant *e celso*, quod etiam Bentl. ad Lucan. III, 88. praefert, et haec lectio melius conveniat Participio *miratus*, i. e. ex celso loco mirabundus conspicit. Vulgo *excelso loco*, i. e. in excelso stans loco, quod inter recentiores editores Bryce modo et Conington receperunt. Iam Servius dubitat, utrum *excelso*, an *ex celso* poëta scripserit. — *montis*, Erycis. — **36.** *occurrit.* Peerlkampio magis placet lectio a Donato commemorata *accurrit*, quod verbum deceat Troianum Troianos procul videntem, cum etiam mox Acestes suos populares *laetus* excipiat. Sed invitis Codd. nihil mutandum. — **37.** *horridus in iaculis*, rigidis iaculis instructus; nam bina singuli gestabant (cf. I, 313.). De voc. *horridus* vid. ad Geo. I, 151. 142. Aen. VII, 526. XI, 602. etc. et de constructione *horridus in iaculis* ad III, 595. Ceterum cf. etiam Val. Fl. I, 486. *Acastum Horrentem iaculis.* Wagn., qui recte sustulit Comma ab Heyn. post *horridus* positum et nuper etiam a Peerlk. defensum („cum homo parvo et debili corpore, vultu muliebri, licet in iaculis et pelle ursae, non fuisset horridus, sed ridiculus!"), de hoc usu Praepositionis conferri iubet Weichert. ad Val. Fl. VIII, 134. et Beier. ad Cic. Off. I, 9, 22. Vid. adnott. ad III, 595. — *pelle* (*horridus*), quia ursae pellis est hirsuta. Ladew. confert Tac. Hist. II, 88. *tergis ferarum et ingentibus telis horrentes.* — *Libystidis ursae*, Libycae: quamquam praeter Vergilium hic et VIII, 368., ubi eadem verba repetuntur, nemo hac Adiectivi forma utitur. Cf. omnino quae ad Ecl. IV, 1. adnotavimus. Plinius quidem VIII, 58, 83. et cum eo Serv. Dresd. ursos in Africa esse negant; sed vid. ad I, 184. et alibi adnott. Vergilium sequuntur Iuven. IV, 100. Martial. I, 105, 5. et Solin. c. 39. in. — **38.** Servio auctore Acestes Crimiso, Siciliae fluvio, et Troiana virgine, Segesta s. Egesta, Hippotae filia, natus erat. Cf. etiam Schol. Lycophr. 951. 963. Aliter rem narrat Dion. Hal. I, 52. Omnino vid. Cluver. Sic. ant. II, 2. — *Crimiso concepta* pro usitatiore *ex* vel *de Crimiso concepta.* Conington confert Plin. VIII, 16. [17.] *leone conceptus.* — *Crimisus* autem (*Crimissus, Crinisus,* de qua scripturae varietate vid. imprimis Cellar. Sic. ant. II, 12. Heins. ad Claud. R. Pros II, 57. et Oberlin. ad Vib. Sequ. p. 93.), Siciliae ille fluvius, ad quem Timoleon Carthaginienses vicit. Vid. Dion. Hal. l. l. Ael. V. H. II, 33. Plut. Tim. 25. 28. Nep. Timol. 2. Habetur autem is fluvius, qui nunc *S. Bartolomeo* s. *Freddo* vocatur. Cf. liber meus geogr. III. p. 786. Ribbeck. (quem sequitur Benoist.) cum Med., Pal., Rom., Gud., Bern. II. III. et Prisc. p. 730. Cod. ω scripsit *Crinisum,* cum etiam Serv. ad Aen. I, 550. adnotet: „a *Crimiso* fluvio, quem *Crinisum* Vergilius poëtica licentia vocat." — **39.** *veterum parentum*, quandoquidem ipse a Troianis originem ducebat ideoque non immemor communis originis. — **40.** *gratatur reduces*, i. e. gratulatur iis, quod sint reduces, ideoque omnino reduces cum gaudio salutat. Vid. ad IV, 478. Conington simul audit *esse* et comparat Tac. Ann. VI, 21. *incolumem fore gratatur.* — *gaza agrestis*, i. e. larga copia, beata ubertas frugum agrestium (cf. Aen. I, 119. et II, 763.), explicatur sequ. *opibus.* De voc. *laetus* vid. ad I, 275. 696. II, 417. — **41.** *sola-*

Postera cum primo stellas Oriente fugarat
Clara dies, socios in coetum litore ab omni
Advocat Aeneas tumulique ex aggere fatur:
„Dardanidae magni, genus alto a sanguine divom,
Annuus exactis conpletur mensibus orbis,
Ex quo reliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra maestasque sacravimus aras.
Iamque dies, nisi fallor, adest, quem semper acerbum,

---

tur. Cf. Geo. I, 159. et Hor. Sat. VI, 117. *me silva - - tenui solabitur quercu.* — **42.** *primo Oriente,* ut III, 588. *primo Eoo,* ubi vid. adnott. *Oriens* pro Sole matutino. Vid. ad Geo. I, 250. In Epit. Iliad. 637. hic versus sic mutatur: *Postera cum primum stellas Aurora fugarat.* — **43.** *in coetum advocare,* quod alibi *concionem advocare.* Burm. laudat Barth. ad Stat. Theb. IV, 305. et adnott. ad Phaedr. I, 14. — **44.** „*tumuli ex aggere* (ornate pro: ex tumulo) socios alloquitur, more militari, ut toties ap. Liv. et Tac. de suggestu et aggere in castris allocutio facta legitur." *Heyn.* Cf. etiam VII, 6. XI, 382. et Val. Fl. V, 91., ubi *agger busti* commemoratur. — **45** sq. Inferias annuas parenti Anchisae faciendas die anniversario et ludos apud tumulum eius instituendos indicit Aeneas. — *alto a sanguine divom,* propter Dardanum, Iovis fil. Vid. III, 167. VII, 219. „Solet autem eius, qui gentis auctor ac regni vel urbis conditor fuit, nobilitas toti genti ac populo tribui. Sic Romani *Martis genus, Romulidae* etc." *Heyn.* De constructione *genus a sanguine,* scil. ortum, vid. ad Geo. II, 243. al. Aen. IV, 230. et VI, 500. legimus *genus alto a sanguine Teucri.* — **46.** „Per partem hiemis apud Didonem commoratus est Aeneas. Cf. IV, 52. 192. 310. Quantum temporis ab Anchisae morte usque ad illam tempestatem, qua in Africam delatus est, effluxerit, modo ex hoc loco potest coniici." *Gossr.* Sed hoc ipsum totius anni tempus non iniuria offendit Conradsium Quaest. Verg. p. XI sq. Cf. adnott. ad IV, 52. et infra ad v. 626. — *exactis mensibus,* ut Geo. III, 139. — **47.** *divinique ossa* pro ossaque divini. Haud raro enim Part. *que* a poëtis alii voci adiungitur, quam quo proprie pertinet. Sic Hor. Od. II, 19. ult. *ore pedes tetigitque crura.* id. Carm. saec. 22. *ut cantus referatque ludos.* id. Serm. I, 6, 43. *cornua quod vincatque tubas.* Tibull. I, 3, 56. *Messalam terra dum sequiturque mari* cett. Cf. Broukh. ad Tib. III, 6, 48. Dissen. ad eiusd. I, 1, 51. Bach. ad eiusd. I, 1, 10. idem ad Ovid. Met. XII, 109. Burm. ad eiusd. XIV, 30. Heind. ad Hor. Sat. I, 6, 43. Ruddim. I. p. 323. alii. Vid. etiam adnott. ad Geo. IV, 22. *divini:* vid. infra ad v. 54. — **48.** *Condidimus terra.* Aliquod Codd. *terrae.* Vid. adnott. ad Geo. II, 290. et Aen. VI, 84. - - *maestas sacravimus aras* explicant: nos maesti sacravimus aras. Rectius de ornatu ararum cogitaveris, qui ipsum adspectum earum maestum reddidit. Cf. supra III, 63 sq. - - **49** sq. Cf. simillimus locus Tibulli IV, 5, 1 sq. — *Iamque dies adest.* Cf. infra v. 104. *Exspectata dies aderat.* — *nisi fallor;* antiquissimis enim temporibus illis non nisi ad solis siderumque conversiones, quales cuiusque oculis se offerebant, anni et dies computabantur. Ceterum hanc lectionem ex Med. aliisque libris melioribus pro vulg. *ni fallor* cum Wagn. revocavimus, qui censet, inter utramque Particulam hoc discrimen intercedere, ut *ni* sit affirmantis (et graviter minantis, velut Aen. IX, 805. XII, 568.), *nisi* negantis aut ambigentis; quare hic, ubi Aeneas non putet se falli, unice verum sit *nisi fallor,* ut ap. Cic. Att. VIII, 7. *nisi omnia me fallunt,* ibid. XIV, 12. *nisi me fallit,* ap. eund. ad Fam. V, 20. *nisi quid me fallit,* Plaut. Men. V, 9, 23. *nisi me animus fallit* cett. Contra in *ni fallor* (quod tamen, metro fortasse cogente, legi memorat ap. Ovid. Fast. IV, 623.) ex Wagneri sententia latet cogitatio: facile tamen fieri potest ut fallar. Scilicet *ni* est i. q. *si non* (ita tamen ut illud ad totam sententiam pertineat, hoc ad unum aliquod eius vocabulum referatur), neque umquam ponitur in iis sententiis, ubi ob exceptionem aliquam *nisi* requiritur. Cf. imprimis Hand. Turs. IV. p. 188 sqq. (ex parte contra Wagn.

Semper honoratum — sic di voluistis — habebo.
Hunc ego Gaetulis agerem si Syrtibus exsul
Argolicove mari deprensus et urbe Mycenae,

disputans), praeterea autem Bentl. ad Hor. Ep. I, 2, 5. Vol. I. p. 109. Gernhard. in Epist. ad Herzog. de Tac. Agr. 2. Vimar. 1838. p. 15. Iahnii Nov. Annall. phil. et paed. Vol. XXIII. p. 341. et Iahn. ipse ad h. l., cui *ni* (quod inter omnes recentiores editores unus modo Bryce servavit) maiorem emphasin habere videtur, quam quae cum hoc loco congruat. Verba *Iamque dies, nisi fallor, adest* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 97. — **50.** *Semper.* Vid. adnott. ad Ecl. I, 53. — *honoratum.* Dies *honoratus* est status aliquis dies, quo diis *honores*, sacrificia, offeruntur in memoriam rei, quae eo anni die nobis vel contigit vel accidit. Cf. adnott. ad Geo. III, 486. — *sic di voluistis*, i. e. ut ita fieret, voluistis, ut alibi *sic di voluere, sic dis, superis placuit, visum est* et similia, solatii inde petendi causa adiicitur. Cf. supra II, 427. Ovid. Met. I, 366. XIII, 597. Hor. Od. I, 12, 31. Sat. II, 6, 22. Grat. Cyneg. 538. et alia exempla huius formulae a Cuningh. in Animadvv. ad Horat. p. 95. collecta, quibus adde quae Dietsch. ad Sall. Iug. 21, 4. p. 180. et in Theol. Verg. p. 21. de eodem usu Part. *ita* disputat. Wagn. ad haec verba adnotat: „Vox doloris plena; maluisset enim vivo patri officia pietatis exhibere, quam mortuo." — **51.** Hunc diem etiamsi in Syrtibus aut in Argolico mari agerem, tamen annua vota exsequerer. *Diem agere*, ut *vitam agere*, valet transigere, degere diem, ut X, 235. *agitare aevum.* Sic etiam Iahn., Peerlk., Gossr., Süpfl., Bryce, Coningt., Benoist. et (si eum recte intelligo) Ladew. locum capiunt. Heyn. et Wagn. (quem in prima edit. temere secutus sum), Commate post *ego* posito, *agerem* cum Servio accipiunt pro simplici essem, et in toto loco anacoluthon inveniunt, ut pro eo, quod proprie scribendum erat: „Hunc ego diem votis pompisque exsequerer, i. e. celebrarem, vel si - - agerem", scriptum sit: *vota tamen et pompas exsequerer;* et Wagn. quidem confert infra VII, 611 sqq. *Has* (portas) - - - *ipse* - - *reserat stridentia limina consul.* Sed etiamsi tale anacoluthon a Vergilio non alienum, tamen non nisi necessitate flagitante vere ab eo admissum esse sumamus. Ceterum Peerlk. docet, hunc locum reddidisse Paullinum Carm. 23. *Hunc ego si Geticis agerem male subditus armis, Inter et immites celebrarem laetus Alanos.* — *Gaetulae Syrtes*, i. e. omnino Libycae; nam Gaetuli ab iis remotiores occidentem versus habitarunt. Cf. adnott. ad IV, 40. et 41. Syrtes autem h. l. non de ipsis maris sinubus, sed de regione Syrtica, de ora Syrtibus vicina intelligendas esse, in promptu est. Sic etiam apud Hor. Od. I, 22, 5. *Syrtes aestuosas* capit Orellius. — *exsul*, patria domoque extorris. Cf. III, 71. VIII, 320. et adnott. ad Aen. II, 780. — **52.** *deprensus*, ab hostibus, Graecis: si deprehensus et in servitutem abductus essem; in qua loci explicatione mecum consentiunt Bryce, Benoist. et Ribbeck. in Proleg. p. 317., dum Heyn., Wagn. et Conington potius interpretantur: si is dies me deprehenderet. Sed dubito, num bene coniungi potuerint *si hunc* (diem) *agerem Gaet. Syrtibus, vel deprensus* (ab hoc die) *Argol. mari* etc., cum contra apte sibi respondeant: *Si hunc* (diem) *agerem* (vel) *exsul* (in) *Gaet. Syrtibus, vel deprensus* (captivus in) *Arg. mari* etc. Cf. autem adnott. ad Geo. IV, 421. — *Argolico mari*, i. e. Aegaeo; nam *Argolicus* poëtis omnino pro Graeco dicitur. Vid. III, 283. IX, 202. al. — *et urbe Mycenae.* Wagn. Qu. Verg. XXXIV, 1 *et* pro *vel, aut* positum censet (qua de re vid. adnott. ad Geo. I, 442. Aen. II, 36. al.), quod probare non possum. Duo enim hostium genera distinguit poëta, Afros inhospitales et Graecos, quod iam duplex praedicatum *exsul* et *deprensus* indicat; quare recte dicit: *Gaetulis Syrtibus Argolico*ve *mari* et *urbe M.* Consentiunt mecum Ladew., Bryce, Conington et Benoist. — *Mycenas* tamquam Agamemnonis, infestissimi Troianorum hostis, sedem videtur commemorare. Cf. I, 284. II, 180. 331. cett. Ceterum cum *urbe Mycenae* cf. I, 247. 565. III, 293. (VI, 659. VII, 714.) VII, 697. VIII, 231. etc. *Mycenae* autem Med. et meliorum librorum est lectio; alii *Mycene, Mycena, Mycenis.* De forma nominis *Mycene* (Mycena, quae legitur etiam apud Silium I, 26. Stat. Theb. IV,

Annua vota tamen sollemnisque ordine pompas
Exsequerer strueremque suis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis
Haud equidem sine mente, reor, sine numine divom
Adsumus et portus delati intramus amicos.
Ergo agite et laetum cuncti celebremus honorem;
Poscamus ventos atque haec me sacra quot annis

---

57. alibi) vid. Schneid. Gramm. I. p. 432. et Neue *Formenl.* I. p. 496. Sic etiam *Athene, Thebe* et similia. Cf. etiam Burm. ad Ovid. Met. XII, 109. Pro *urbe* Pal. a m. pr. *arce* exhibet, quod praeferre videtur Ribbeck. Proleg. l. l. — **53**. *sollemnis pompas exsequi*, cum voc. *ordine* addatur (de quo vide adnott. ad Aen. I, 703.), *dona* autem in seqq. diserte commemorentur, non aliter intelligo, quam Geo. III, 22. *sollemnes ducere pompas.* Nam pompas in exsequiis ductas esse, ex Aen. XI, 163. Cic. Mil. 13. in. Nep. Att. 22. Prop. III, 5, 3. (II, 13, 19.) Appul. Met. VIII, 6. p. 524. Oud. Stat. Silv. II, 1, 19. aliisque locis satis notum. Cf. etiam Geo. III, 22. — **54**. *struerem altaria donis*, tamquam strue facta cumularem. Vid. Burm. ad Lucan. III, 404. — *altaria*, tamquam inter deos recepto Anchisae. Cf. supra v. 54. et infra v. 84. et 760. — *suis*, i. e. debitis, ut III, 469. (ubi vid. adnott.) et VI, 142. — **55**. *ultro*, i. e. adeo, insuper (qua de re vid. ad Geo. IV, 204. et Aen. II, 145.), oppositum verbis *Gaetulis agerem si Syrtibus* etc., ut sensus sit: Quanto magis nunc faciam, cum in eum ipsum delatus sim locum, ubi mortuus et sepultus est pater; *ipsius* enim ad notandam locorum diversitatem pertinere et sensum esse: ad ipsum eius sepulcrum, vere docet Wagn. Qu. Verg. XVIII, 2, b. Consentiunt mecum Bryce, Coningt. et Benoist.; Ladew. autem (quocum etiam Wagn. facit in min. edit.) *ultro* explicat „*ohne unser Zuthun, ganz unwillkürlich*“, ut IX, 7. — **56**. *Haud equidem - - adsumus. Equidem* enim, quod non ex *ego*, sed ex intensivo illo *e*, etiam in *ecastor, edurus, egelidus* apparente (vid. adnott. ad Geo. IV, 145.), et *quidem* compositum esse, post Drakenb. ad Liv. V, 53, 3. Burm. ad Verg. Aen. II, 77. Ramsh. Gramm. §. 194. not. 1, a. et Muellerum ad Cic. pr. Sext. 57, 122. evicisse videtur Hand. Tursell. II. p. 422 sqq., etiam cum plurali Verbi numero et aliis, quam prima, Personis construi, res est satis nota; neque opus est, ut cum Wagnero (Kritzii fortasse sententiam de hac Particula secuto, qui tamen, quae ad Sall. Cat. 51, 20. proposuerat, ab Handio veriora edoctus ad Iug. 10, 6. ipse retractavit) Comma post *mente* positum tollamus totumque locum sic capiamus: *Haud equidem sine mente reor, sine numine divom, Adsumus* (quod nuper etiam Peerlk. improbavit, Vergilium, si hoc voluisset, potius *Haud sine mente, equidem reor, haud sine numine divom* scripturum fuisse censens). Cf. e. g. Ter. Phorm. III, 1, 7. *equidem nos - - accusamus.* Sall. Cat. 51, 20. *possumus equidem dicere.* ibid. 52, 11. *equidem amisimus* cett. Consentiunt mecum Bryce et Benoist., dum Conington coniungit verba *equidem reor* (ut IV, 45. et *credo equidem* Geo. I, 415. et VI, 848.) atque etiam Haupt., Ladew. et Ribbeck. (qui v. 56. *παρένθεσιν* facit) Comma post *mente* omittunt. — *sine mente, sine numine divom* Heyn. recte interpretatur: sine consilio ac voluntate deorum. Est Homeri *οὐκ ἀέκητι θεῶν*. Cf. etiam II, 777. *sine numine divom* et Val. Fl. V, 255. *haud sine mente dei.* De *mente deorum* etiam Cic. N. D. I, 2, 4. loquitur. De *mente* vid. ad I, 676., de *numine* deorum ad I, 8. et II, 623. — **57**. *intramus* Lachm. ad Lucr. V, 396. p. 291. pro contracta habet Perfecti forma, comparans Plaut. Poen. I, 2, 9. Ter. Adelph. III, 3, 11. Prop. III, 15, 39. et Calpurn. VII, 18. Quod, quamquam III, 219. legimus *Huc ubi delati portum intravimus*, tamen vix probari posse censeo, cum aliud huius contractionis exemplum apud Verg. non inveniatur. — **58**. „*honorem*, inferias in honorem Anchisae faciendas, *laetum*, alacriter, lubenti ac parato animo celebrantes.“ *Heyn. Laetum* ad honorem transfertur, quamquam proprie pertinet ad homines, qui laeti honorem celebrant. Cf. adnott. ad Aen. I, 4. et al. — **59**. Peracta hac sollemnitate *poscamus ventos*, scil. secundos. (Cf. III, 253.) Recte enim *Both.* h. l. sic interpretatur: „Nunc dati

Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troia generatus Acestes
Dat numero capita in navis; adhibete Penatis
Et patrios epulis et quos colit hospes Acestes.
Praeterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit radiisque retexerit orbem,
Prima citae Teucris ponam certamina classis;
Quique pedum cursu valet et qui viribus audax

---

opportunitate hunc diem in Sicilia celebremus, sed poscamus etiam felicem navigationem, ut in Italiam perveniamus ad annuas inferias patri ibi instituendas." Waddel. Animadv. crit. p. 21. temere coni. *poscamus veniam*, Peerlk. autem *posc. votis*, et Wagn., „si hariolationi locus esset", *posc. manes*. Lactant. Inst. I, 15. ad *poscamus* videtur intellexisse: ab Anchisa, cum scripserit: *Cui Anchisae Aeneas non tantum immortalitatem, verum etiam ventorum tribuit potestatem*. Ceterum cf. infra v. 772 sqq. — **60**. *Urbe posita*. Vid. ad I, 263. — *velit* (Anchises) *me sibi ferre* (instituere, celebrare) *haec sacra*, i. e. lubens ac propitius ea accipiat. Cf. adnott. ad I, 733. et II, 457. — **61**. Heyn. comparat Hom. Il. XXIII, 260. *βοῶν τ' ἴφθιμα κάρηνα*. Cf. adnott. ad Geo. III, 51. et quae de simili circumlocutione diximus ad Geo. IV, 475. Aen. I, 193. et II, 18. — **62**. *numero* eadem ratione per pleonasmum adiicitur infra v. 560. — *in navis* (singulas). Cf. de hoc usu Praepositionis in distributione rerum Burm. ad Suet. Caes. 54. Hand. Turs. III. p. 329. alii. De simili cervorum et vini partitione in singulas naves facta sermo fuit Aen. I, 193 sqq. — **62** sq. „Non *lectisternium* Anchisae factum; sed *ferales epulas* celebrandas indicit, quae, ut alibi post sacra diis facta, ita nunc inferiis peractis instituuntur (cf. infra v. 102 sq.); in iis libatio fit diis penatibus et Troianorum et Siculorum, communi epularum more. Hor. Od. IV, 5, 31. *Hinc ad vina redit laetus, et alteris Te mensis adhibet deum*." Haec fere *Heyn*. Adde Ovid. Fast. IV, 829. *Quosque pium est adhibere deos, advertite cuncti*. — Cum v. **64** sqq. cf. Silius XII, 296 sqq. *Si* quo *cum* temporali, vel potius conditionalem et temporalem significationem in se complectens, ut Ecl. V, 70. Geo. I, 454. Aen. VI, 770. 829. VIII, 535. alibi. Vid. etiam adnott. ad Ecl. II, 27. et Geo. I, 7. — „*nona*, ex more. Notum *novendiale sacrum* [*τὰ ἔννατα*], nono a sepultura die, luctu per novem dies continuato. Vid. infra v. 762. Alibi ipsae caerimoniae sunt novendiales, ut in expiatione prodigiorum." *Heyn*. Nono autem die, sacris parentalibus peractis, ludi et epulae funebres celebrabantur. *Servius* haec adnotat: „Apud maiores, ubi quis fuisset exstinctus, ad domum suam referebatur; et illic septem erat diebus, octavo incendebatur: unde Horatius [Epod. XVII, 28.] *Novendiales dissipare pulveres* etc." Cf. etiam Appul. Met. IX, 31. p. 652. Oud. *Iamque nono die rite completis apud tumulum sollemnibus*, Schol. Horat. l. l. Kirchmann. de fun. II, 1. et Beckeri Gallus III. p. 275. ed. 2. — *diem almum*. Vid. ad Ecl. VIII, 17. et Aen. I, 306. — V. **65**. paululum mutatus iam IV, 119. legitur. — **66**. *prima ponam certamina* pro: primum, primo loco ponam cert. Sic Ovid. Met. X, 450. *primos tegis, Icare, vultus*. Vid. ad I, 442. Illud tamen animadvertendum, quod reliqua certaminis genera per simplicem Copulam adiunguntur. Haud raro autem verba *primum, primo, primus* non sequuntur, quas exspectamus, Particulae *tum, deinde* cett., sed aut prorsus omittuntur, aut cum aliis Particulis, *et, sed, autem* cett., commutantur. Cf. viros doctos a Kritzio ad Sall. Iug. 45, 2. laudatos, quibus adde Heusing. ad Cic. Off. I, 28, 9. Ochsner. ad Cic. Ecl. p. 68. et Bremi ad Nep. Phoc. 2, 1. — „*ponam*, *θήσω ἄθλον, ἀγῶνα*, instituam certamen navale. Cf. Geo. II, 530." *Heyn*. Similiter Tac. Hist. V, 5. extr. *ritus festos ponere*, et ap. eund. Ann. I, 7. *edictum ponere*. Spectat autem poëta notissimum morem veterum Graecorum et Romanorum in honorem parentum defunctorum ludos instituendi. Vid. infra ad v. 104. — **67** sqq. Fortasse auctor hic memor fuit Hom. Il. XXIII, 620 sqq. Peerlk. docet, hunc locum ante oculos fuisse Iosepho

Aut iaculo incedit melior levibusque sagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere caestu,
Cuncti adsint meritaeque exspectent praemia palmae.
Ore favete omnes et cingite tempora ramis."
Sic fatus velat materna tempora myrto.

Iscan. B. Troi. V, 23. *qui iaculis longe, qui cominus ense, Qui pede, qui cursu fidit, vel classe mereri Promptior.* — *pedum cursu* legimus etiam VII, 807. — *et qui viribus audax* cett. Cf. Iustin. XXXVII, 4. *Inter aequales* (Mithridates) *aut equo, aut cursu, aut viribus contendebat* et Liv. VII, 33, 2. *velocitatis viriumque inter se aequales certamina ineant.* Peerlkamp., cum *audax viribus* caestui conveniat, non iaculo et sagittis, et iaculorum certamen in seqq. non memoretur, versus sic transponendos et coniecturis emendandos censet: *et qui viribus audax Se crudo fidit pugnam committere caestu, Aut arcu incedit melior* etc. — **68.** *Aut iaculo - - levibusque sagittis, Seu - - caestu.* Recte *iaculo* et *sagittis* simplici Copula coniunguntur; pertinent enim ad unum certaminis genus, ad artem telis (vel iaculis, vel sagittis) eminus feriendi (vid. supra ad v. 52.); peritus enim iaculator plerumque etiam bonus erat sagittarius. Cf. X, 754. *Insignis iaculo et longe fallente sagitta;* unde etiam intelligitur, cur infra v. 485 sqq. singulare iaculandi certamen non proponatur. Quare neque opus est Peerlkampii coni. *arcu,* neque Rom. et Pal. lectione *levibusve.* Etiam IX, 178. legimus *iaculo celerem levibusque sagittis.* De Partt. autem *seu* (hic prima signif. pro *aut si* posita, ut XII, 685. 935.) et *aut* sibi respondentibus vid. ad I, 370. Ladew. adnotat, conditionem propterea magis premi, cum dubium sit, num quis caestu instructus ad pugilatum sit proditurus. — *iaculo melior,* ut X, 735. *haud furto melior, sed fortibus armis,* ap. Val. Fl. I, 143. *optimus hasta* et similia. Ceterum vere adnotat Wagn., nihil impedire, quominus coniungas *iaculo melior incedit,* cum *incedendi* et *ingrediendi* verba interdum fiduciae, gloriae et superbiae notionem adiunctam habeant. Confert infra v. 543. *Proximus ingreditur donis.* Vid. etiam I, 691. et ad I, 46. adscripta. — **69.** *crudo caestu,* e crudo bovis corio facto, ut Geo. III, 20. Vid. infra v. 404. Sic *corium crudum* ap. Varr. L. L. IV, 24., *taurus crudus* pro corio bovino ap. Val. Fl. IV, 250. cett. — **70.** *meritae.* Schol. Statii, ad Theb. I, 336. hunc locum afferens, exhibet *emeritae,* haud dubie memoria deceptus; *meritus* autem passive usurpatum, ut III, 118. et al. — *praemia palmae,* ut Geo. III, 49.; *palma* autem pro victoria. Vid. Ruhnk. ad Ter. Eun. V, 4, 8. Obbar. ad Hor. Epist. I, 1, 49. et adnott. ad Geo. I, 59. Videtur hunc locum respexisse Silius XVI, 300. *Adsint et pulchrae certent de laude coronae.* — **71.** *Ore favete,* εὐφημεῖτε (i. q. *favete linguis,* Hor. Od. III, 1, 2. Ovid. Fast. I, 71. Ovid. Met. XV, 677 etc.), formula satis nota, qua ante sacra instituenda omnes a sacerdote reverenter silere et attendere iubentur, quia haec certissima est ratio a verbis male ominatis abstinendi. Vid. Tibull. II, 2, 1. Ovid. ex P. II, 5, 19. Prop. V, (IV,) 6, 1. Cic. Div. I, 45, 102. Senec. de vita beata c. 26. etc. et cf. Brisson. de form. I, 11, 12. Heins. ad Silium XVI, 295. Mitscherl. et Orell. ad Hor. et Dissen. ad Tibull. ll. ll. Conington comparat usum verbi *favere* Aen. I, 735. et VIII, 173. et disputat contra Henricum, qui *Tw. years* V. p. 6. et Philol. XIII. p. 630. vulgarem huius formulae interpretationem negat eamque per „bona verba dicite" explicat. — *cingite tempora ramis.* Mos in sacris se coronandi et velandi satis notus. Vid. Aen. III, 405. IV, 101. VII, 154. VIII, 274. 276. 286. etc. Pauci quidam Codd. deterioris notae, quos Heyn. sequitur, *tempora cingite ramis,* ut evitetur concursus verborum *tempora ramis.* Sed eadem alliteratio redit VII, 135. et VIII, 286. (cf. omnino adnott. ad Aen. II, 27. III, 136. IV, 421. et al.), et ordo verborum, quem ex meliorum Codd. auctoritate cum Wagn. et Iahnio restituimus, aptior est ad sensum, cum non *ore* et *tempora,* sed *favete* et *cingite* sibi opponantur. Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 178, 106. — **72.** *velat* igitur *tempora myrto.* Cf. adnott. ad Aen. II, 76. „*velat*

Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius, sequitur quos cetera pubes.
Ille e concilio multis cum milibus ibat
Ad tumulum magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro,
Purpureosque iacit flores ac talia fatur:
„Salve, sancte parens; iterum salvete, recepti

---

voc. sacrum de corollis, infulis et vittis. Cf. [II, 249.] XI, 101. VII, 154. VIII, 276. 277. — *materna myrtus* supra Geo. I, 28. respectu Caesaris Augusti dicta erat, nunc Aeneae. *Cytheriaca myrtus* est ap. Ovid. Fast. IV, 15.“ *Heyn.* Cf adnott. ad Geo. I. l. et Ecl. VII, 62. — **73.** „*Helymum* bene h. l. memorat, nam is cum Aegesto vel Acesta, Troia capta, Siciliam petiisse ferebatur. Vid. Dion. Hal. I, 47. et 52.“ *Heyn.* Adde Strab. XIII. p. 608. Ab eo *Elymi* s. *Helymi* Siciliae (Scyl. p. 4. Thuc. VI, 2. Paus. X, 11. Dion. Hal. I, 52. et liber meus geogr. III. p. 790.) nomen accepisse feruntur. — *aevi maturus.* Vid. de hac constructione ad Ecl. II, 20. Geo. IV, 310. 491. et Aen. I, 178. Sic etiam IX, 246. *annis gravis atque animi maturus Aletes.* Imitatur Vergilium Pacatius Paneg. c. 8. *ad illa veniam, quae aevi maturus egisti.* Ceterum *maturus* etiam sine hoc additamento de senibus dicitur, velut apud Horatium Od. IV, 4, 55. *maturi patres* et A. P. 115. *maturus senex.* — **74.** Verba *sequitur quos cetera pubes* iterantur VII, 614., *quos* in *tum* mutato. *Sequi* de iis, qui alicuius exemplum imitantur, alicuius auctoritati parent in aliqua re, legitur etiam I, 747. — **76.** *magna comitante caterva.* Vid. I, 497. II, 40. 370. IV, 136. cett. — **77.** „Inferiarum ritus. Cf. Il. XXIII, 170 sqq. 219 sqq. et supra III, 66 sq. Religio esse debuit in numero; cur enim non unum vas satis erat? Idem vidimus Ecl. V, 67 sq.“ *Heyn.* De his vini, lactis et sanguinis libationibus cf. Heins. ad Sil. XIII, 433 sq. Bronkh. et Dissen. ad Tibull. III, 5. extr. et Blomfield. ad Aesch. Pers. 616. — *carchesia.* Vid. ad Geo. IV, 380. — *libare* autem *carchesia* (quod repetit Val. Fl. V, 274. *Ipse ter aequoreo libans carchesia patri:* quare etiam hic praestat coniungere verba *libans carchesia*, non *carchesia fundit:* cf. etiam adnott. ad IV, 61.) eadem ratione dictum, qua *pocula libare* III, 354., ubi vid. adnott. Nova structura additur Ablativus (*Baccho, lacte, sanguine*) pro Genitivo, quem exspectaveris coll. Geo. IV, 380. Aen. III, 354. cett.; quod etiam Wagn. memorabile visum. Non aliter autem hic Ablativus explicandus, atque III, 618. *domus sanie dapibusque cruentis* (ubi vid. adnott.) et similia. — *mero Baccho*, nam aquam admiscere in sacris nefas erat. De *Baccho* pro vino posito vid. ad Ecl. V, 69. — **78.** *Fundit humi*, χαμάϑις χέε Hom. Il. XXIII, 220. — *lacte novo*, ut Ecl. V, 67. (ubi vid. adnott.). Cf. etiam Aen. III, 66. — *sanguine sacro*, victimarum, ut III, 67. — **79.** *purpureos flores*, i. e. pulchros, nitentes, nil amplius. Cf. adnott. ad Ecl. IX, 40. et Aen. I, 591. De certo quodam florum rubentium genere (quos Servio auctore „ad sanguinis imitationem“ sparserint?) non videtur cogitandum, quamquam Aen. VI, 884. etiam Marcello defuncto *purpurei flores* sparguntur. De more autem tumulos (imprimis die natali aut fatali defuncti) coronandi et floribus conspergendi cf. Sil. VI, 330. Tib. II, 4, 48. Iuven. VII, 207. Cic. pr. Flacc. 38. Suet. Ner. 57. Burm. ad Anth. Lat. 157. Kirchmann. de fun. Rom. IV, 3. Kuinoel. ad Prop. III, 16, 23. Iacob. ad Lucian. Alexandr. p. 60. Dissen. ad Tibull. II, 4, 48. alii. — **80** sqq. Heyn. conferri iubet Iliad. XXIII, 179 sqq. In distinguendo hoc loco imprimis ob versus numeros et sollemnem formulam *salve iterumque salve* nunc Iahnium, Thielium, Peerlk., Ribbeck., Ladew. et Henricum (*Tw. years* V. p. 6 sq. et Philol. XIII. p. 631.) sequor. Prius (ut postea etiam Süpfl., Gossr., Haupt., Bryce, Coningt. et Benoist.) cum Wagn. vulgarem rationem amplexi sumus, iam a librario Cod. Med., Servio aliisque initam, qua sic

Nequiquam cineres animaeque umbraeque paternae.
Non licuit finis Italos fataliaque arva
Nec tecum Ausonium, quicumque est, quaerere Thybrim."
Dixerat haec, adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit
Amplexus placide tumulum lapsusque per aras,

---

distinguitur: *iterum; salvete recepti*, cum Wagn. adnotet, iam ex Participio *recepti* concludendum esse, respici ad id, quod tum secunda vice fieret; *receptos* enim *cineres* esse, ad quos iterum ille accesserit. Rectius vero Henry ll. ll. *receptos* explicat servatos, *gerettet* (cf. I, 188. 553. 583. VI, 111.), ut iam antiquus commentator, qui in Cod. Gud. huic voci superscripsit glossam „liberati a Troia". — *nequiquam* autem, quod doloris significationem habet, vss. seqq. poëta ipse satis explicat. *Iterum* igitur non spectat priorem patris salutationem post sepulturam in Sicilia, ut Servius putat haec adnotans: „*Iterum*, nam quo tempore sepeliit eum, dixit sine dubio salve et vale" (in quam rem conferre poterat Aen. XI, 97. *Salve aeternum mihi, maxume Palla, Aeternumque vale* et Catull. CI, 10. *Atque in perpetuum frater, ave atque vale*), sed praegressum modo *salve*, quod repetitur, quia primum *pater*, post *cineres animaeque umbraeque* eius appellantur. — *umbrae* de Manibus etiam VI, 264. 401. 510. al. legitur. Ceterum ad explicanda vv. *cineres animaeque umbraeque* Wagn. adscripsit hoc scholion interpretis antiqui ap. A. Maium: „In tria hominem dividit: animam, quae in caelum abit, umbram, quae ad inferos, corpus, quod traditur sepulturae." — **82.** *fatalia arva*, ut IV, 355. Vid. Aen. I, 2. X, 67 etc. De synizesi *fataljaque* vid. ad I, 2. — **83.** *quicumque est*, ut I, 387. *quisquis es*, de ignotis. Servius haec adnotat: „Aut quia adhuc eum nusquam vidit, aut taedio longae navigationis hoc dicit." Illud verum, hoc nimis quaesitum. Conington Vergilium censet memorem fuisse Apollonii Rh. III, 266. — *Thybrim*. Vid. ad II, 782. Peerlk. preces Aeneae v. 83. abrumpi magis quam finiri miratus post eum aliquid excidisse suspicatur; atque etiam Ribbeck. Proleg. p. 80. adnotat: „Sufficere fortasse poterant duo versus 80 sq. Sed his qui addidit *non licuit finis Italos - - quaerere Thybrim*, eum certe exspectares precari, ut suo saltem augurio praesens genitor suos prosequeretur. Nec erat, cur subito anguis visu talis oratio interrumperetur." — Cum v. **84** sqq. cf. Silius II, 584 sqq. — Comparant simile portentum ap. Hom. Il. II, 308 sqq. Heyn. non inepte memorat, Genios locorum et hominum a tota antiquitate, imprimis ab Etruscis et Romanis, per serpentes exhibitos fuisse; ideoque hunc morem h. l. apte referri ad Genium sive loci (infra v. 95.), sive Anchisae; male autem Servium, Cerdam, alios, permotos loco Ovid. Met. XV, 389 sq., cogitare de anguibus e medullis cadaverum natis. Thiel. hac de re conferri iubet Spanh. de usu et praest. numism. T. I. p. 218. Casaub. ad Pers. I, 113. et Langium *Verm. Schriften* p. 220. Adde Meurs. ad Lycophr. 1473. et Heins. ad Sil. II, 585. — *adytis*. Wagn. adnotat, *adytum*, sanctissimam quandam ac remotissimam partem templi (vid. ad II, 351.), de sepulcro dictum significare eximiam quandam sanctitatem loci, quippe a deo, Anchisa, habitati. Cf. etiam infra v. 760 sq. — **85** sqq. Cf. similem locum de Laocoonte II, 203 sqq. — *septem gyros, septena volumina*, i. e. septem gyros in se replicatos, ut Wagn. recte h. l. explicat. Cf. etiam Ovid. Met. XV, 721. *Perque sinus crebros et magna volumina labens.* Septenarium autem numerum ut imparem et sacrum (cf. VI, 38. et X, 329. ibique adnott.) apte hic poni censet Heyn.; Gossr. autem cum Servio putat esse omen de fine errorum, quibus per septem annos detenti fuerint. De voc. *gyri* vid. ad Geo. III, 115., de numeris autem distributivis pro cardinalibus positis ad Ecl. VIII, 73. — *volumina*, ut II, 208. Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 171, 4. et in Sedulii carm. pasch. IV, 149. — **86.** *Lapsus per aras*. *Labi* verbum proprium de serpentibus. Cf. infra VII, 349. Ovid. Met. IV, 493. XV, 721. cett. Auctor. Progr. Leitmerit. a 1868. p. 5 sq., temere haerens in Participiis Perf. *amplexus* et *lapsus* e

Caeruleae cui terga notae maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille iacit varios adverso sole colores.
Obstipuit visu Aeneas. Ille agmine longo
Tandem inter pateras et levia pocula serpens
Libavitque dapes rursusque innoxius imo
Successit tumulo et depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus, Geniumne loci famulumne parentis

---

dubitans de hoc usu a Ladew. ad VI, 335. exposito, hunc versum post v. 90. vult transpositum. — „Nihil de aris dixerat: sed eam inferiis faciendis exstrui sollemne erat; vid. supra III, 62 sq.“ *Heyn.* Imprimis etiam cf. supra v. 48. et IV, 509. — **87** sq. „*cui terga notae caeruleae* (pingebant, adsume ex sequ. *incendebat*) *et squamam incendebat* (i. e. inerat squamis) *fulgur maculosus auro* (macularum auri s. aurearum), i. e. maculae erant aureae fulgentes. Habuit ante oculos illud: *δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινός*, Iliad. II, 308. Silius, qui totum locum imitatus est, II, 585. *Excitus sede — horrendum — prorumpit ab ima Caeruleus maculis auro squalentibus anguis.*“ Haec fere *Heyn.* — *incendere* pro: igneo colore, splendore inficere, i. e. facere, ut aliquid exsplendescat, legimus etiam Ovid. ex P. II, 1, 41. *sol incendit aurum;* Sil. XV, 681. *Et gemmis galeam clipeumque accenderat auro;* Stat. Silv. II, 2, 134. *digitos incendere gemmis*, alibi. Cf. etiam Geo. IV, 91. et Aen. IV, 262., ubi *ardere* simili ratione usurpatur. — *nubibus* pro in nubibus (cf. adnott. ad IV, 244. 436. 502.); quod praeferendum alteri rationi a Coningtone propositae, ut coniungamus *iacit nubibus*, „*flings on the clouds*“. — **89**. *iacit colores*, ut alibi radios, lucem, igniculos iacere. (Vid. e. g. Aen. VII, 526.) Quid, quod Lucr. II, 845. adeo dixit *odorem iacere* et Vergilius ipse Geo. II, 132. *odorem iactare?* Pauci Codd. (inter quos Rom.) *trahit*, quod ex simillimo loco IV, 701. huc translatum videtur, ubi, cum de Iride ad terram descendente sermo sit, *trahere colores* longe aptius, quam h. l., quod iam Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 68 sq. intellexit, vulgatam iure defendens. — **90**. *agmine longo.* Vid. II, 212. — **91**. *lēvia*, polita, splendida, utpote ex aere facta. Sic infra v. 558. *pharetras*, VII, 626. *clipeos*, ibid. v. 634. *ocreas leves* commemoratas videmus. — **92**. *Libavit*, leviter gustavit (vid. ad Ecl. V, 26. et Aen. I, 256.) *dapes*, quae mortuis certis diebus in tumulis apponebantur. Vid. ad Aen. III, 301. — **93**. *altaria* Heyn. pro dapibus in iis appositis dictum putat; sed de ipsa ara cogitandum esse, iam verbum *liquit* videtur indicare, quod iam Wagn. adnotavit, et *depascere agros* dixit Cic. Or. II, 70, 284. Non proprie antem intelligi posse vocem *depastus*, cum anguis dapes tantum libaverit, per se patet. Ribbeck. Proleg. p. 145. Probum *depastas aras* post pateras et pocula commemorata de vino interpretatum esse coniicit. Aliter tamen haec capit Servius, qui putat, non ab angue depasta esse altaria, sed illum non prius abiisse, quam cunctas dapes aris impositas *flamma* consumpsisset. — **94**. Tam fausto prodigio Aeneae animus magis etiam confirmatur in iis peragendis, quae facere constituerat. — *inceptos instaurat honores*, repetit inexspectata re mira interruptos. Vid. ad IV, 63. (Prius locum falso explicui: repetit iam superiore anno peractos; quod iure vituperat Conington.) — **95**. *Geniumne — famulumne.* Vid. adnott. ad Aen. I, 308. De *Genio loci* vid. ad Aen. VII, 136., de serpentis autem forma ei tributa Lersch. Ant. Verg. §. 57. — *famulum parentis* Heyn. interpretatur Genium parentis; Genios enim ministeria praestare, quatenus genitos suscipiant, tueantur, iisque perpetui comites et custodes adsint; quod iure vituperat Wagn., cum Genius loci et famulus parentis aperte tamquam diversi distinguantur; quare ipse potius simpliciorem et probabiliorem sequitur Servii explicationem, qui haec adscripsit: „Per apotheosin [Anchisen] deum ostendit effectum, unde ei *famulum* dat,

Esse putet; caedit binas de more bidentis
Totque sues, totidem nigrantis terga iuvencos;
Vinaque fundebat pateris animamque vocabat
Anchisae magni Manisque Acheronte remissos.
Nec non et socii, quae cuique est copia, laeti
Dona ferunt, onerant aras mactantque iuvencos;
Ordine aëna locant alii fusique per herbam
Subiciunt veribus prunas et viscera torrent.

---

quasi ministrum. Singula enim numina habent inferiores potestates ministros, ut Venus Adonim, Diana Virbium." Qua de re vid. Burm. ad Val. Fl. V, 520. Drak. ad Sil. II, 585. et Barth. ad Stat. Theb. V, 511. et cf. Sil. VI, 288., ubi serpens commemoratur *famulus sororum Naiadum*, atque Val. Fl. III, 459. *placidi, quos protinus angues, Umbrarum famuli, linguis rapuere coruscis.* Conington comparat etiam Silium XIII, 124., ubi cerva *famula Dianae*, et Ovid. Met. VIII, 272., ubi aper Calydonius *famulus Dianae* appellatur. Videtur hunc locum respexisse poëta Anth. Lat. I, 170, 73. *famulumne parentis Audeat affari.* — **96.** *binas*, more sacro, ut paulo ante v. 77 sq. Memorabilis lectionis varietas deprehenditur in fragm. Ver., Pal., Gud., tribus Bern., Minoraug., ap. Nonium p. 272, 7. et Serv. ad V, 78., qui omnes *quinas* exhibent, quae lectio orta videtur ex Rom. scriptura metro adversante CAEDITQ. BINAS. — *bidentis.* Vid. ad IV, 57. — **97.** *nigrantis terga iuvencos.* Nigra enim animalia Diis infernis caedebantur, quare hoc epitheton etiam ad oves et sues referendum. Cf. Geo. IV, 546. Aen. V, 736. VI, 153. 243. (ubi haec verba iterantur) 249. Hor. Sat. I, 8, 27. Tibull. I, 2, 62. III, 5, 33. Silius VIII, 120. Sen. Oed. 556. etc. Vid. interpp. ad h. l. et Ovid. Met. VII, 244. imprimisque Valcken. Epist. ad Roever. p. 53. et Rosini Ant. Rom. p. 322. De constructione autem vid. ad Ecl. I, 54. (III, 106.) Aen. I, 320. (713.) al. — **98.** *Vina fundebat pateris*, omissa Praepositione, ut saepe. Vid. e. g. Ovid. Met. IX, 160. *Vinaque marmoreas patera fundebat in aras* et cf. Ecl. VI, 38. Geo. I, 275. IV, 88. al. ibique adnott. — *animam vocabat*, ut adesset sacrisque oblatis frueretur. Vid. supra ad III, 68. Idem esse videtur ap. Tibull. III, 2, 15. *animam precari*, i. e. precando vocare, ubi vid. Huschk. — **99.** „*Manes*, qui ex locis inferis adesse inferiis credebantur." *Heyn.* Cf. Hom. Il. XXIII, 221. — *Acheronte remissos*, ut modo *fundebat pateris.* — **100.** *quae cuique est copia*, quantum quisque habet offerendum. — **101.** *Dona ferunt*, afferunt, quae ad sacrificia pertinent. Vid. infra VII, 86. et Broukh. ad Tibull. IV, 1, 8. coll. adnot. ad Aen. I, 463. — *onerant aras.* Vid. Geo. IV, 378. coll. cum Aen. I, 195. 363. X, 620. cett. Bothius revocavit vulg. lectionem *onerantque;* sed Copula abest ab optimis libris, et recte quidem, cum haec verba antecedentia expliceut, vel, ut Iahnii verbis utar, „specialiter describant, quae verbis *dona ferunt* generaliter dicta sunt": Socii dona ferunt, i. e. onerant aras mactantque iuvencos (in quibus verbis non opus est, ut ὕστερον πρότερον inveniamus, cum alii iam possint aras onerare, dum alii adhuc occupati sint in iuvencis mactandis), alii etiam aëna locant. Nam *socii* — *alii* positum pro *sociorum alii* — *alii* etc. Voc. *alii* autem in altero membro interdum omitti, satis notum. Vid. adnott. ad IV, 592. Simili ratione Graecos ponere constat οἱ δέ, non antecedente οἱ μέν. Quamquam in omnibus eiusmodi locis non opus est, ut de ellipsi cogitemus, alterum illud *alii*, vel apud Graecos οἱ μέν, vere supplentes. (Vid. Bernhardy Synt. p. 309 sq.) Cf. etiam infra v. 108. *pars.* — *iuvencos*, quos Acestes iis donaverat. Vid. supra v. 61 sq. — **102.** „Alii parant epulas, quae h. l. festae sunt, nec tamen ex victimis: nam inferias fieri vidimus." *Heyn.* — *ordine.* Vid. Geo. IV, 376. et adnott. ad Aen. I, 703. — *aëna.* Vid. ad I, 213., qui totus locus nostro simillimus. Henry *Tw. years* V. p. 8. etiam hic cogitat de calida lavatione coll. Soph. Ai. 1420. Apoll. Rh. III, 271. 299 sq. et Apul. Met. IV, 7. — *fusi per herbam.* Vid. I, 214. IX, 164. 316. — **103.** *viscera.* Vid. ad I, 211. et Geo. II, 396. — **104.** Sequitur longa

Exspectata dies aderat nonamque serena
Auroram Phaethontis equi iam luce vehebant
Famaque finitimos et clari nomen Acestae
Excierat; laeto conplebant litora coetu
Visuri Aeneadas, pars et certare parati.
Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio, sacri tripodes viridesque coronae
Et palmae pretium victoribus, armaque et ostro
Perfusae vestes, argenti aurique talentum;

---

ludorum in Anchisae honorem habitorum descriptio, quam Romanis suis fore acceptissimam, poëta facile praevidere poterat, qui fortasse etiam ad ludos in Caesaris honorem ab Augusto institutos respexit; quae rationes hoc longum episodium satis excusant. Praeiverat autem Homerus, ludos funebres in Patrocli et Achillis honorem institutos eadem copia enarrans Il. XXIII. et Od. XXIV, 85 sqq., quam enarrationem repetitam videa a Quinto Smyrn. IV, 110 sqq. Cf. etiam Argonautarum certamina in Orph. 575 sqq. et ex Vergilii imitatoribus Silium XVI, 295 sqq. et Stat. Theb. l. VI. — *Exspectata dies aderat.* Cf. Silius XVI, 304. Stat. Theb. VI, 214. et Ausonii cent. nupt. 12. — **105.** *Phaethon* pro Sole ipso etiam Apoll. Rhod. IV, 1266. Silio VI, 3. et Val. Flacco III, 213. commemoratur; ut ap. Homerum (Il. XI, 732. Od. V, 479. etc.) saepe *'Ηέλιος φαέθων*, splendens, lucem fundens. De Solis equis vid. Ovid. Met. II, 183 sqq. Confundit autem poëta Solis et Aurorae equos, quos distinguit Hom. Od. XXIII, 245 sq., quod iam Günther. (a Wagn. laud.) observavit in Animadvv. in aliquos Verg. Aen. locos p. 21 sq. Bene tamen Auroram, quae Solem proxime antecedat, cum eo venientem s. curru eius vectam fingi potuisse, quisque videt. Wagn. confert Claud. R. Pr. II, 46., ubi Sol et Luna *Aurorae noctisque duces* vocantur, et eiusd. Gigantom. 33 sq. *Alter habenas Aurorae pro Sole regat.* — **107.** *laeto conplebant litora coetu.* Cf. Catull. LXIV, (LXII,) 33. *oppletur laetanti regia coetu.* — *complebant* autem Medicei est lectio, quam cum Ladew., Hauptio, Wagn. in min. edit. et Coningtone recepimus ut aptiorem. Ribbeck., Bryce et Benoist. servarunt Pal., Gud. plurimorumque Codd. lectionem *complerant.* — **108.** *Visuri Aeneadas,* Troianos pugnantes. Cf. adnott. ad I, 157. — *pars.* Burm. adnotat, voc. *pars* semel tantum poni, ubi bis intelligi debeat, coll. Gronov. ad Liv. XLIV, 6, 2. et Torren. ad Val. Max. II, 5, 3., sensum igitur esse: pars visuri, pars certare parati. Sed non opus est, ut haec tam stricte sibi opposita capiamus; immo sic locum intellige: Complerant litora visuri Troianos et pars, nonnulli eorum, si occasio se dederit, etiam ipsi cum iis certaturi. — *pars - - parati.* De Plurali adiecto vid. ad I, 212., et de mascul. genere ad VII, 624. (*pars arduus altis - equis*). — *certare parati.* Vid. ad Ecl. VII, 5. et Geo. I, 280. (coll. adnot. ad Ecl. IV, 54. et V, 1.) — **109** sqq. ex Hom. Il. XXIII, 259 sqq. petita. — *munera,* praemia victoriae, *τὰ ἆθλα.* — *circum* Heyn. de consessu, corona interpretatur; rectius, nisi fallor, Serv. de ipso spatio, in quo ludi instituuntur. — **110.** *sacri tripodes,* quorum usus esse solet in sacris, diis enim pro munere offerri solebant. Cf. Hom. Il. XXIII, 702. Apud Graecos autem etiam fortium virorum fuisse praemia, discimus ex Hor. Od. IV, 8, 3., ubi vid. Interpp. Cf. etiam Hom. Il. XXIII, 259. 264. et infra Aen. IX, 265. — *virides coronae,* et quidem lemniscatae. Vid. infra v. 269. — **111.** *palmae.* Vid. supra v. 70. et infra v. 472. 519. — *pretium* pro praemio, ut saepissime (Ovid. Met. II, 701. Am. I, 1, 34. Cic. Verr. III, 32, 76. V, 20. in. Sall. Cat. 49, 1. Iug. 29, 3. Liv. XLV, 37, 5. cett.), imprimis apud Tacitum. Vid. Boettich. Lex. Tac. p. 373 sq. Ex Ovidio magnam copiam exemplorum collegit Burm. ad ei. Epist. VI, 146. — *ostro perfusae vestes,* purpura tinctae. Vid. ad Geo. I, 207. Aen. I, 639. et 700. Cf. autem Lucr. II, 821. *Omne genus perfusa coloribus.* — **112.** *talentum,* ex optimis Codd., inter quos Med., Pal. et Gud.,

Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quattuor ex omni delectae classe carinae.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristim,
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi,
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,

---

cum Wagn. recepimus pro vulg. *talenta*, cum non plura, sed unum tantum auri, unum itidem argenti talentum fuerit (vid. v. 248.), Singularis autem a librariis, qui memores essent locorum IX, 265. X, 526. 531. XI, 333. et cetera praemia omnia Plurali numero commemorata viderent, facilius in Pluralem mutari potuerit, quam contra. (Secuti sunt omnes recentiores editores praeter Ribbeck. et Coningtonem, qui ex fragm. Vat., Rom., Bern. II. III., Minoraug. et Servio *talenta* restituerunt.) — **113.** „*Et tuba canit* ludorum commissionem, signum committendorum ludorum dat. Serv. *Romano more*; et recte. [Cf. Plin. Ep. II, 7.] Nam heroicis temporibus tubam nondum inventam, nec Homero frequentatam esse, satis constat.“ *Heyn.* Homero tamen *σάλπιγγα* non incognitam fuisse, patet ex Il. XVIII, 219. et XXI, 388. Cf. autem II, 313. V, 139. VI, 233. VII, 628. VIII, 526. IX, 503. XI, 192. — *Et tuba.* Copula post interposita illa *sacri tripodes* cett. continuat orationem, ut arcte cohaereant *Munera locantur in medio, et tuba* cett. Cf. Wagn. Qu. Verg. XXXV, 9., qui comparat V, 839 sqq. IX, 176 sqq. V, 704 sqq. et Geo. II, 434 sqq. idemque docet, unius Cod. Rottend. II. lectionem *Ut tuba*, quae Heynio melior videtur, ob v. 132—140. ferri non posse. — *commissos*, qui nunc ipsum committuntur, incipiunt (cf. adnott. ad Geo. I, 206.), vel potius nunc ipsum committendos (vid. ad Aen. II, 721.). *Ludos committere* ap. Cic. ad Qu. Fr. III, 4, 6. de Fin. III, 2, 8. et alibi legitur. — *medio aggere.* Vid. supra v. 44. — **114.** „Cum Homerus in certamine curuli describendo et ornando paulo disertior fuisset Il. XXIII, 272 sqq., Vergilius navale certamen bene substituit, ut rem variaret.“ *Heyn.* — *pares* non de magnitudine (et remorum numero) cum Heynio intelligendum esse, sed de celeritate, vere memorat Wagn., coll. infra v. 118 sqq. et 153. Chimaera enim, ceteris navibus maior, tribus remigum ordinibus instructa erat. *Peerlk.* haec adnotat: „*Pares* fortasse cogitatione cum *delectae* iungendum. Delegerat ex omni classe quatuor naves, quas celeritate haud multum diversas, pares fore putabat.“ — **116.** De *Mnestheo* vid. ad IV, 288., de nomine navis, quam ille *agit* s. regit, ad III, 427. Pro vulg. autem *Pristin* cum Wagn. recepimus formam *Pristim*, quam hic plures Codd. (inter quos Rom., fragm. Vat., Bern. II. III.) et Nonius p. 535, 27. (infra X, 211. etiam Med.) tuentur. Cf. adnott. ad Ecl. II, 1. IV, 32. et V, 50. Secuti sunt ceteri recentiores editores praeter Bryceum. De forma nominis, quod navis a *παρασήμῳ* gerebat, vid. adnott. ad III, 427. et X, 209. — **117.** Quaeras, quomodo ex *Mnestheo Memmii* nomen confici potuerit? Scilicet ut Mnestheus a Verbo *μεμνῆσθαι*, sic Memmius a Verbo *meminisse* originem ducere putabatur. Atque etiam post Vergilium gentes Romanas (vel fortuitam modo literarum similitudinem spectantes: Cic. N. D. III, 24, 61.) studuisse originem suam ad Troianos referre docet Iuven. I, 99. Ceterum iungas *Mnestheus mox Italus*, sc. futurus. — *Memmi* Heyn. et Brunck. pro Nominativo Plur. habent, Wagn. rectius pro Genitivo Sing., coll. v. 123. (Vid. etiam infra ad v. 568. adnott.) Peerlk. totum versum sic scribendum putat: *Mox Italis Memmeus, genus a quo nomine Memmis.* Ribbeck. huic versui, qui adiicitur, ut mutatio nominis ex translatione in Lat. linguam explicetur, *παρενθέσεως* signa appinxit. — **118.** *Gyan* iam I, 222. et 612. commemoratum vidimus. Servio auctore etiam ab hoc Troiano aliqua Romana gens, Gegania (de qua vid. Haakh. in Pauly *Real-encycl.* III. p. 659.), originem traxit; quae tamen, cum iam ultimis reipublicae temporibus exstincta esset, a Vergilio reticetur. — *ingentem* - - *ingenti mole* Wagn. ita explicat, ut prius *ingentem* navis magnitudinem omnino declarare, *ingenti mole* vero ad altitudinem referri putet. V locos similes infra v. 447. X, 842. XI, 641. XII, 640. Peerlk. tamen,

Urbis opus, triplici pubes quam Dardana versu
Inpellunt, terno consurgunt ordine remi;
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna, Scyllaque Cloanthus
Caerulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.
Est procul in pelago saxum spumantia contra
Litora, quod tumidis submersum tunditur olim

---

altitudo navis ab universa magnitudine separari non possit, comparans Graec. *μέγας μεγέθει* [*μέγας μεγαλωστί*], iungendum censet *ingentem mole ingenti;* quod cum Gossr. praefero, qui adnotat: „duplicato Adiectivo magnitudo navis extollitur“. Cf. X, 842. et XII, 640. — **119.** *Urbis opus* Servius recte interpretatur: *ita magna, ut urbem putares.* Est enim ad analogiam Genitivi magnitudinis explicandum, et idem significat, quod *instar urbis* apud. Sen. Epist. 90. *non habebant domos instar urbium.* Imitatur hunc locum Stat. Silv. II, 2, 31. *Inde per obliquas erepit porticus arces, Urbis opus* (ubi vulgo falso interpretantur „urbe dignum“) et Theb. VI, 86. *aërium truncis nemorumque ruina, Montis opus, cumulare pyram.* Cf. etiam Cic. Verr. V, 34, 89. *Quae* (navis) *si in praedonum pugna versaretur, urbis instar habere inter illos piraticos myoparones videretur*, et infra VIII, 691., ubi naves cum montibus comparantur. Henry *Tw. years* V. p. 8. apte comparat Flor. IV, 11., qui de Antonii navibus scribit: *Turribus atque tabulatis allevatae castellorum et urbium specie non sine gemitu maris et labore ventorum ferebantur.* — *pubes Inpellunt.* Vid. ad Geo. IV, 378. (et Aen. III, 676.) Wagneri ratio (Qu. Verg. VIII, 4, c.), qui ad *inpellunt* supplet *remiges*, et vv. *Dardana pubes* per appositionem adiecta putat, paulo artificiosior videtur. — *triplici versu*, i. e. ordine remorum remigumque, per gradus in obliquum adsurgente; unde de triremi sermonem esse apparet. Heyn. conferri iubet Lucan. III, 534. Silium XIV, 424 sq. Phot. Cod. CCXXIV, 14. et *Antichità d'Ercol.* T. V. append., quibus Ruhnk. addit Boettiger. *Archaeolog. Mus.* I. Imprimis etiam cf. Liv. XXXIII, 30. extr. *Navis inhabilis prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant.* (Cf. etiam Geo. IV, 144. *in versum distulit ulmos.*) Ceterum etiam hic Vergilius ad priora tempora transtulit, quod posterioribus demum inventum est. Corinthios enim non prius quam tertio ante bellum Peloponn. saeculo primas triremes aedificasse, auctor est Thuc. I, 13. Ribbeck. verba *terno consurgunt ordine remi*, cum mera sint antecedentium interpretatio, spuria habet et uncis includit. Sed verissime memorat Conington, haud raro Vergilium idem bis dicere varia ratione. — **121.** *Sergestus* iam I, 510. et IV, 288. commemoratus. — *tenet nomen.* Cf. VI, 235. VII, 412. — **122.** *Centauro magna*, femin. genere, quia navis est nomen. Sic infra VIII, 551. *Praeneste sub ipsa*, scil. urbe. Sen. Troad. 14. *excisa ferro Pergamum.* Suet. Tib. 2. *Eunuchus bis die acta est*, scil. fabula s. comoedia, cett. Vid. Ruddim. II. p. 387. Zumpt. §. 368. Ramsh. §. 91, 1, b. alii. — *Cloanthus.* Vid. I, 222. 510. 616. IV, 288. — *Scylla caerulea.* Conington recte putat, non totam navem, sed tantum Scyllae insigne caeruleo colore illitum esse cogitandum; *caeruleos* autem Scyllae *canes* III, 432. commemorari memorat. — **123.** *Romane Cluenti.* Sic etiam infra v. 568. *Attii Latini.* **124** sqq. „Scopulus hiberno tempore fluctibus saevientibus latet, undis submersus; cum mare est placidum, tunc ipse attollitur et planities soli (*campus*) in aequore eminet. Simili modo curriculi metam descripserat Homerus Il. XXIII, 326 sq.“ *Heyn.* Cf. etiam similis locus Ovid. Met. IV, 731 sq. Ceterum hanc navium decursionem in sinu Longuri sub Erycem factam fingi, Heyn. docet coll. Cluv. Sicil. p. 246 sq. — *procul* (a litore) *in pelago*, ut etiam nos: *weit im Meere.* — **125.** Heyn. comparat Apoll. Rh. I, 365. — *olim*, i. e. interdum, suo tempore. Usurpatur enim haec Part. haud raro in exemplis vel fabellis prolatis de tempore infinito, quo aliquid vel factum est vel fieri solet. Cf. VIII, 391. Geo. II, 403. III, 303. Hor. Sat. I, 1, 25. *Ut pueris olim dant crustula blandi Docto-*

Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera Cori;
Tranquillo silet inmotaque attollitur unda
Campus et apricis statio gratissima mergis.
Hic viridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater, unde reverti
Scirent et longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori;
Cetera populea velatur fronde iuventus
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris intentaque bracchia remis;

---

res (ubi vid. Heindorf.), Ep. I, 10, 42. *ut calceus olim, Si pede maior erit, subvertet* etc. (ubi vid. Lamb. et Obbar.) Lucr. VI, 148. Ovid. Fast. III, 555. Iuven. IV, 97. etc. Vid. Orell. ad Hor. Od. IV, 4, 5. Hand. Tursell. IV. p. 367 sq. alii coll. Doederl. *Hom. Gloss.* I. p. 17. et quae de Adv. *quondam* ad II, 367. adnotavimus. Cum *olim — ubi*, quod Serv. recte explicat „Tunc fere, cum", cf. Geo. IV, 433. et Lucr. VI, 148. Sic Aen. VIII, 391. *olim — cum*. — **126**. *condunt sidera Cori*, caelum nubibus obducunt. De *Cauro* s. *Coro* vid. ad Geo. III, 378. — **127**. *Tranquillo* Ablat. absolutum esse (γαλήνης οὔσης) iam Wagn. docuit coll. Liv. XXVIII, 17. *conspectae duae quinqueremes, haud cuiquam dubio, quin hostium essent;* Tac. Ann. I, 6. *iuxta periculoso, ficta seu vera promeret*, et Drak. ad Liv. III, 14, 6. Saepius Participia Perfecti sic usurpari constat. Cf. Cic. Fin. II, 27, 83. Off. II, 12, 42. Iustin. II, 5. Macrob. Sat. I, 18. etc. Vid. etiam adnott. ad Aen. I, 737. et supra ad v. 6. — **128**. *Campus*, planities saxi. Wakef. ad Lucr. III, 905. (ubi eodem sensu *aequor saxi* commemoratur) male coniecit *Campus ut, apricis* cett., quod abhorret a Vergilii elegantia. — *apricis*, quod alibi est soli expositus, nostrum *sonnig*, hic est aprica loca amans, sole gaudens, qua signif. legitur etiam Pers. V, 179. *aprici senes*, et Hor. Od. I, 26, 7. *apricos necte flores*. — *statio* (vid. Geo. IV, 8.) *gratissima mergis*, ut Geo. IV, 421. *statio tutissima nautis* et Aen. II, 23. *statio male fida carinis*. De *mergis* vid. ad Geo. I, 361. — **130**. *pater* hic, ut infra v. 380. et 424., Aeneas dici videtur tamquam conditor instructorque ludorum, quae etiam Coningtonis est sententia comparantis I, 196. 412. et 692., ubi *heros* et *dea* eadem ratione addantur, ut agentis persona graviter designetur. Dignitatis certe et auctoritatis notionem inesse, dubitari nequit. — **131**. *longos circumflectere cursus*. Vid. ad III, 430. — **132**. *sorte;* quia, quamquam in eadem linea constituuntur, interest tamen, si longius aut arctius flectendum est. Cf. Hom. Il. XXIII, 352. Verba *Tum loca sorte legunt* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 111. — **133**. *Ductores*, vox Vergilio satis frequentata. Vid. I, 189. V, 249. 561. VI, 334. Noli autem *ductores*, navarchos, confundere cum gubernatoribus (quos interdum confundi docent Interpp. ad Silium IV, 719.); vide potius infra v. 160., ubi Gyas a Menoeta, rectore, i. e. gubernatore navis, diserte distinguitur. — **134**. *velatur*. Cf. III, 174. — „*populea fronde:* quia ludi funebres sunt, et haec arbor ab Hercule ab inferis allata est, cum canem Cerberum extraheret." *Serv.* Cf. adnott. ad Ecl. VII, 61. — **135**. „Ut in certaminibus gymnicis, ita nunc ad magnum corporum nisum uncti sunt oleo." *Heyn.* Verba *oleo perfusa nitescit* repetuntur in Anth. Lat. I, 171, 6. — **136**. *Considunt transtris*. Vid. ad III, 289. Iterantur haec verba in Anth. Lat. III, 81, 37. — *intentaque bracchia remis: Intenti* cett. Propter hanc eiusdem vocabuli repetitionem iam in antiquis quibusdam libris Pierii *intentaque* mutatum in *nudataque* et Both. coni. *intortaque* (quamquam non solum Servius, sed etiam Priscian. p. 788. P. et Nonius p. 329, 2. lectionem *intenta* testantur), Peerlk. autem *Attoniti* legi voluit pro *Intenti*, et Heymann. verba *intent. br. remis* spuria iudicat, ut versum imperfectum habeamus, Bryant. autem totum versum et Heyn. simul cum

Intenti exspectant signum exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans laudumque arrecta cupido.
Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis: ferit aethera clamor
Nauticus, adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos totumque dehiscit

---

eo etiam sequentem suspectum censet. Sed in eiusmodi locis minime haerendum esse, iam ad Ecl. VI, 16. Aen. I, 315. II, 207. 633. alibi vidimus; immo efficacissimam esse hanc repetitionem ad vim orationis intendendam et nautarum remigandi cupiditatem eo fortius exprimendam, vere memorat Wagn., qui *intenta bracchia remis* recte explicat: „remis iam admota, morae impatientia et audito signo statim remos impulsura". Quare horum versuum αὐθεντίαν iam Weichert. de verss. ini. suspp. p. 66. 98. (coll. Burm. ad Claud. B. Gild. 245.) et Iahn. recte defenderunt. — *intendere bracchia* redit infra v. 403. — **137**. Verba *exsultantia h. C. p. pulsans* etiam Geo. III, 105 sq. leguntur, ubi vid. adnott. — *haurit*, quod ibi explicuimus per exhaurit, dum sanguinis liberum meatum intercludit, rectius fortasse cepit Thiel. (coll. Voss. ad Geo. III, 106. et IV, 427.), ut sit alte penetrat, permeat (quemadmodum etiam nos *erschöpfen* pro: *tief durchdringen*); neque aliter iam *Burm.*: „*haurit* ad profundos cordis recessus et anhelitus pertinet; vid. Barth. ad Stat. Theb. II, 854." Similis autem est locus illi Stat. Theb. I, 538. *pallorque ruborque purpureas hausere genas*. — **138**. Cf. Hom. Il. XXIII, 370. *pavor* est animi motus fluctuans inter spem et metum. Peerlk. conferri iubet Interpp. ad Silium III, 215., ubi *pavor laetus* commemoratur. — *laudum arrecta cupido*. Cf. infra VI, 823. *laudumque immensa cupido*. Sic etiam Geo. III, 110. *Tantus amor laudum* et Hor. Ep. I, 1, 36. *Laudis amor*. Ceterum cf. Geo. III, 105., ubi *arrectae spes*, ut alibi *arrectae aures* (I, 152.), *arrecti animi* (XII, 251.) (*gespannte Erwartung, Hoffnung*) etc. — **139**. Cf. similem locum Ovid. Met. X, 652 sqq. — *clara*, e longinquo audienda. Cf. Lucr. I, 98. Ovid. Met. II, 625. (ubi vid. Bach.) IV, 138. cett. et adnot. mea ad Lucr. V, 945. (ubi tamen Lachm., coniecturam meam ab Orellio et Munrone probatam pro more suo cavillans, finxit verbum *clarigitare*, Ritschlius vero Opusc. II. p. 434. hoc reiiciens pro *Claru'* coniicit *Largu'*). — *finibus*, quae *loca* v. 132. sortiti erant. Idem sibi vult *limen* v. 316. In circo hi fines *carceres* appellantur. Cf. infra v. 145. — *omnes* nautae, qui sonitum tubae cupide exspectaverant, *prosiluere*, naves remorum impulsu celeriter promoverunt. Peerlk., qui et dubitat de hac significatione voc. *fines*, et haeret in voc. *prosiluere*, cum non soli nautae, sed nautae cum navibus suis prosiliant, ad quas (urbium opera, ingenti mole) non quadret hoc verbum, coni. *sedibus omnes - - prosiluere suis*, i. e. surgunt, ut eo vehementius remos ad pectora ducant (s. *insurgunt remis*, coll. III, 207. V, 189. etc.). Omnia tamen Peerlkampii argumenta accurate examinavit et refutavit Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 403 sqq. Ribbeck. et ipse haerens in *finibus* ex coni. edidit *funibus* (scil. quibus ad litus alligatae erant naves), quam in Proleg. p. 365. frustra, ut mihi quidem videtur, defendere studet locis, ubi *funis* convellitur (Geo. I, 457.), litore deripitur (Aen. III, 266.), rumpitur (Aen. V, 639. X, 659.), inciditur (III, 667. IV, 575.), solvitur (V, 733.), laxus immittitur (VIII, 708.). Hi enim loci omnes non tuentur miram dictionem *funibus suis prosilire*. — **140**. *Haud mora*. Vid. ad III, 207. — *ferit aethera clamor*. Cf. II, 488. *ferit aurea sidera clamor*. — *nauticus clamor*, τὸ κέλευσμα. Vid. Aen. III, 128. IV, 411. Val. Fl. I, 186. (ubi cf. Burm.) id. II, 112. etc. Apud Rutil. Itin. I, 370., ut ap. Martial. III, 67, 4. IV, 64, 21. et al., Graecum *celeusma* invenimus. — **141**. *adductis*, simul cum remis, *lacertis spumant freta versa*. Vid. adnott. ad Geo. I, 327. et Aen. III, 668. et cf. locus simillimus Aen. VIII, 689. *Versa* autem hic et X, 208. non a *vertendi*, sed a *verrendi* verbo deducendum videtur. Cf. adnott. ad III, 208. et 668. Aliter tamen censet Conington, cum Particip. Verbi *verrendi* admodum rarum sit. — **142**. *Infindere sulcos* ab agri-

Convolsum remis rostrisque tridentibus aequor.
Non tam praecipites biiugo certamine campum
Corripuere ruuntque effusi carcere currus,
Nec sic inmissis aurigae undantia lora
Concussere iugis pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virum studiisque faventum
Consonat omne nemus vocemque inclusa volutant

---

cultura (cf. Ecl. IV, 33.) transfertur ad navigationem. (Vid. adnott. ad Geo. I, 50. Aen. II, 780. III, 495. cett.) Cf. etiam infra v. 158. et X, 197. — *totumque dehiscit.* Cf. I, 106. *his unda dehiscens Terram inter fluctus aperit.* — **143.** *rostris tridentibus.* Vulgo et hic et VIII, 690., ubi totus versus iteratur, legitur *rostrisque stridentibus,* contra metrum; de qua re Wagn. conferri iubet Santen. ad Ter. Maur. p. 250. Sed optimi Codd. (Med., certe sec. Fogginium, fragm. Vat. a m. pr. et Pal., praeterea Rottend. II., Bern. II., alii) praebent *tridentibus,* quod etiam tuetur Val. Flacci imitatio I, 688. *volat immissis cava pinus habenis Infinditque solum et spumas vomit aere tridenti* et Silii VI, 358. *rostrum trifidum.* Pomp. Sabin. haec adnotat: „*tridentibus,* i. e. acutis, legit Apronianus, ab Ennio sumptum.“ Veteres enim habebant naves trifidis rostris ornatas. Wagn. literam sibilantem saepius hic repetitam corrumpendae lectionis causam fuisse suspicatur. Defendit tamen vulgarem lectionem Schirach. p. 622. — **144** sqq. „Sumpta, ut iam Macrobio V, 11. notatum, comparatio ab Homero Od. XIII, 81 sqq. Sed cf. Il. XXIII, 362 sqq. et Geo. III, 103.“ *Heyn.* — *biiugo certamine* pro bigarum. Biga autem Lucretio V, 1298. et Statio Theb. II, 723. vocatur *currus biiugus.* Cf. etiam Aen. X, 299. 453. 586. — *campum corripuere.* Vid. ad Geo. III, 104. (ex quo totus v. 145. hic iteratur) et Aen. I, 418. Ceterum *Corripuere* et paulo post *Concussere* pro corripere, concutere solent. Vid. ad Geo. I, 49. — **145.** *effusi carcere currus.* Vid. ad Geo. III, 104. et I, 152. et cf. infra VI, 305. *turba effusa ruit.* Thiel. de hoc metaphorico verbi *effundendi* usu conferri iubet Drak. ad Sil. II, 151. — *carcer,* quod alibi *carceres,* cancelli illi, quibus equi arcebantur, coercebantur, ne exirent, priusquam signum daretur, unde etiam secundum Varronem L. L. V (IV), 32. vox derivanda (quasi *arceres* vel *coarceres*), quam alii deducunt a Graeco ἕρκος. Cf. Voss. ad Geo. l. l. et Heind. ad Hor. Sat. I, 1, 114. Singularis hac signif. usurpatus legitur etiam in Ennii fragm. ap. Cic. Div. I, 48., ap. Ovid. Her. XVIII, 166. Met. X, 652. Tibull. I, 4, 32. alibi. — **146.** „*immissis iugis,* h. e. equis iugalibus admissis, dum freni laxantur. [Vid. infra ad VIII, 708. Heins. praeter necessitatem coni. *iubis.*] — *undantia lora,* pro effusis frenis.“ *Heyn.* Cf. etiam XII, 471. Simili ratione ap. Plaut. Epid. III, 3, 55. *undans chlamys* et ap. Claud. in Ruf. II, 176. *purpureis undantes anguibus hastae,* i. e. vexilla purpurea cum anguibus pictis, commemoratur. — **147.** „*proni in verbera pendent,* quod egregiam rei imaginem habet, ipsi Vergilio deberi videtur, etsi res expressa Iliad. XXIII, 362 sqq.“ *Heyn.* Adde Odyss. XIII, 82. Iterantur haec verba in Anth. Lat. I, 170, 121. — *In verbera,* ut verbera dent. Cf. infra X, 586. Geo. III, 106. et simillimi loci Silii VIII, 283. *praeceps trepida pendens in verbera planta* (ubi vid. Heins.) et Claud. Nupt. Pall. 113. *pronique manus in verbera tendunt.* Vid. etiam Markland. ad Stat. Silv. V, 2, 115. et Hand. Turs. III. p. 308. *Verbera* remorum (*Ruderschlag*) legitur etiam ap. Ovid. Met. III, 662. *illi remorum in verbere perstant,* Lucan. III, 536. *praetoria puppis verberibus senis agitur* et Silium XI, 492. *centeno fractus spumabat verbere pontus.* Vid. etiam infra v. 198. — **148.** Cf. similis locus Ovid. Met. X, 656 sq. *clamorque favorque Verbaque* etc. — *studiis faventum,* clamore favorem declarante. Alii enim aliis certantium favent. — **149.** *Consonat* pro resonat, quia additur *omne nemus,* quae verba repetuntur VIII, 305. Vid. adnott. ad III, 673. Co nington *consonat* potius ad echo referendum censet. — *inclusa,* his col libus nemorosis, a quibus repulsa vox in litora volutatur. Schrader. te·

Litora, pulsati colles clamore resultant.
Effugit ante alios primisque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas; quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis, sed pondere pinus
Tarda tenet. Post hos aequo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare priorem;
Et nunc Pristis habet, nunc victam praeterit ingens
Centaurus, nunc una ambae iunctisque feruntur
Frontibus et longa sulcant vada salsa carina.
Iamque propinquabant scopulo metamque tenebant,
Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menoeten:
„Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum;

---

mere coni. *illisa, incussa, impulsa.* — *volutant.* Cf. I, 725. *vocemque per ampla volutant Atria.* — **150**. *colles clamore resultant*, pro vulgari: clamor resultat a collibus, ut Geo. IV, 50. *vocisque resultat imago*. Cf. locus simillimus infra VIII, 305. Claud. Cons. Prob. et Ol. 174. Avien. descr. terr. 182. Tac. Ann. I, 65. etc. Cum epitheto *pulsati* cf. Hor. Sat. I, 2, 129. *undique magno Pulsa domus strepitu resonat.* — **151**. *Effugit ante alios.* Cf. Silius XVI, 334. *Evolat ante omnes.* — „*elabitur* pro praecurrit celeriter, ut Serv., primo ante ceteros loco.“ *Heyn.* Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 244. — **152**. „*Turbam inter fremitumque*, dum ceteri, qui Gyan elabentem vident, turbulenter et cum fremitu naves suas propellunt.“ *Wagn.* — **153**. *pinus.* Vid. ad Ecl. IV, 38. — **154**. *tenet*, scil. eum, moratur eius cursum. — *aequo discrimine*, pari intervallo ab illis. Fragm. Vat. a m. pr. exhibet *aliquo*. — *Pristis.* Vid. adnott. ad III, 427. Med. hic a m. pr. exhibet *Pistris*, ab alt. *Pristis.* — **155**. *tendunt* inter se, post Gyan et Cloanthum, *locum superare priorem*, altera nave superanda priorem locum tenere. Respicitur hic locus in Anth. Lat. III, 81, 46. *socium certent superare priorem.* — **156**. *Pristis habet*, scil. locum priorem. Hanc autem lectionem praebent optimi Codd. omnes et Schol. Stat. Theb. VI, 508. Vulgo *abit*, quod fortasse ex v. 318. huc translatum, quia v. 151. praecedit *effugit*. — **157**. *iunctis frontibus*, ita ut frontes, i. e. rostra navium, una eademque linea invehantur. — **158**. *longa carina* meliorum librorum (Med., Vat., Rom., aliorum) est lectio, quam ab Heinsio revocatam servavimus. *Longam* autem minime otiosum esse epitheton, docent Henry (*Tw. years* V. p. 9. et Philol. XIII. p. 631.) et Conington, cum Centaurus magna sit navis (cf. 156. et supra v. 122.), ambae autem naves per longitudinem ita iuxta se invicem vehantur, ut altera alteram parte tantum carinae superet (cf. infra v. 186.). Vulgo edebatur *longae carinae* vel *longe carinae*, quae altera lectio Wagnero valde arridet, cum naves velocissime promotas necesse sit longiores post se relinquere sulcos, i. e. *longe sulcare vada*. Nihil tamen mutare ausus sum, cum etiam X, 197. sine ulla lectionis varietate legamus *et longa sulcat maria alta carina.* Schrader. coni. *iuncta* vel *socia sulcant v. s. carina*, et Heyn. totum hemistichium tamquam male suppletum abesse malit. Peerlk. autem pro *carina* fortasse *lacuna* legendum censet, quod nemo probabit. — *vada salsa.* Vid. VII, 198. IX, 670. cett. Ut hic de mari, ita VI, 320. etiam de flumine usurpatur. — **159**. *scopulo*, qui pro meta erat. Cf. v. 124. „*metam*, non ubi finirent cursum, sed circumflecterent: vid. supra v. 130. 131.“ *Heyn.* — **160**. *princeps*, qui ceteros omnes cursu anteverterat. — *medio* proprie intelligendum. Conington recte per *halfway* explicat et *medio in gurgite* censet esse i. q. media in via per gurgitem. — **161**. *rectorem navis*, gubernatorem. Cf. X, 218. *clavum regit* cum V, 868. et VI, 350. — *voce.* Vid. supra ad IV, 681. — **162**. *Quo mihi dexter abis?* i. e. in dextram partem; de quo usu Adiectivorum loci et temporis ad ipsos homines relatorum vid. ad Geo. III, 538. Aen. I, 644. alibi, imprimis ad IV, 303. adnott.,

Litus ama et laevas stringat sine palmula cautes;
Altum alii teneant." Dixit; sed caeca Menoetes
Saxa timens proram pelagi detorquet ad undas.
„Quo diversus abis?" iterum „Pete saxa, Menoete!"
Cum clamore Gyas revocabat; et ecce Cloanthum

---

etiam infra v. 166. *quo diversus abis?* — *huc dirige gressum* (ut I, 401. et XI, 855.). Sic Codd. fere omnes, quorum scripturam revocavit Heins. Vulgo *h. d. cursum* (a Med. a m. sec., Bern. II. III. aliis et Seneca de benef. VI, 7. exhibitum), ex interpretatione; quod tamen Wagnero magis placet, cum navi *gressum* dare nimis sit insolens, ita ut Asinius Pollio ap. Gellium X, 26. (ab Heinsio laud.) diserte vituperet Sallustium, quod *transgressu* de navigatione usus fuerit [quod testatur etiam Nonius p. 452.], et cum Codd. lectio facile ex Aen. I, 401. et XI, 855. huc transferri potuerit; fatetur tamen, *gressum* fortasse eo defendi posse, quod maris aequor interdum *solum* appelletur, velut infra v. 199. Etiam Peerlk. memorat, Vergilium nulla necessitate coactum posuisse *gressum*, cum facile fuisset *huc dirige clavum;* ideoque haud dubie antiquiores auctoritates secutum esse. Recentiores editores omnes *gressum* servarunt. Ceterum Ribbeck. cum Pal. et Rom. scripsit *derige*. — **163.** *Litus ama*, serva; stude, quam proximam litori tenere navem. *Amare* enim interdum i. q. cupide tenere, amplecti, nolle relinquere, omittere aliquid. Cf. Hor. Od. I, 25, 3. *amatque ianua limen* (ibique Mitscherl.), Rutil. Itin. I, 522. *latebram*, Stat. Theb. IV, 114. *corpus amare* cett. et vid. adnott. ad III, 134. *Litus amare* igitur i. q. Ecl. VIII, 7. et Geo. II, 44. *oram* (*litoris*) *legere*. Cf. etiam Propertii praeceptum IV, 2, (III, 3,) 23. *Alter remus aquas, alter tibi radat arenas; Tutus eris: medio maxima turba mari est.* — *laevas*. Med., Pal., Gud. a m. pr. et plures alii Codd. *laeva*, quod non mirum, cum sequatur vox *stringat*, in Codd. autem una litera sibila haud raro inserviat duobus vocabulis. Quare non erat, cur Wakef., Ribbeck. et Ladew. illam lectionem reciperent. Ceteri recentiores editores omnes nobiscum servant lectionem *laevas*, quam praebent Rom., Gud. et Bern. II. a m. sec., Bern. III. alii. (Cf. etiam Wagn. Qu. Verg. XII, 14. p. 534.) — *stringat*, i. q. in Propertii l. l. *radat*. Vid. infra v. 170. — *palmula*, ταρσὸς κώπης, pars remi inferior, qua mare verritur. Saepius vocatur *palma*. Vid. Catull. LXIV, 7. Vitruv. X, 8. — **164.** *caeca saxa*. Vid. ad I, 356. IV, 706. et ad Geo. III, 210. — **165.** „*pelagi:* sc. dextrorsum in altum evectus, ideoque *diversus*, in diversam partem, cum deberet laevam versus scopulum tenere." *Heyn.* Vid. ad Geo. IV, 432. et supra ad v. 8. Ceterum cf. Val. Fl. VI, 387. *Quoque, ait, hinc diversus abis?* et Gronov. ad Stat. Theb. VI, 223. — **166.** *iterum revocabat* scil. a cursu, quem Menoetes ingressurus erat, ad saxa; *iterum* autem, quia iam illis verbis: *Quo tantum mihi dexter abis* cett. vere eum revocaverat. Ceterum primum sic fere dicere voluisse poëtam: *iterum clamabat*, sed, suppresso hoc vocabulo, ita invertisse orationem, ut pergeret: *cum clamore revocabat*, non inepte suspicatur Wagn. Alii minus recte coniungunt *Quo diversus abis iterum?* Peerlk. autem sic vult distingui: *Quo diversus abis? iterum, pete saxa;* i. e. iterum tibi dico: pete saxa. — **167.** *et ecce*, quod dicere soliti sint recentiores, veluti Apuleius (vid. Miscell. Obss. II. p. 308. et Oudend. ad Apul. Met. p. 9. et 283.), non Vergilianum esse opinatur Hand. Turs. II. p. 493 sq., qui, cum nemo nunc dubitet de ancipiti syllaba in quarta sede, Copulam „optimorum Codd." auctoritate omittendam censet, qua in re cum eo consentit Fleckeisen. in Iahnii Annal. LXI. p. 32. syllabam *bat* ab initio longam fuisse ratus. Sed quinam sint illi optimi Codd. praeter Rom., in quo sane Copula desideratur, nemo facile dixerit. Quare cum posteriores illos scriptores antiquioris alicuius poëtae exemplum hac in re secutos esse non improbabile sit, omnium fere et optimorum Codd. auctoritatem sequi, quam praepropere Copulam omittere malui. Cf. etiam Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 343. contra Fleckeis. et Ladew. disputans, qui tamen in recentissima

Respicit instantem tergo et propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyae scopulosque sonantis
Radit iter laevum interior subitoque priorem
Praeterit et metis tenet aequora tuta relictis.
Tum vero exarsit iuveni dolor ossibus ingens
Nec lacrimis caruere genae segnemque Menoeten
Oblitus decorisque sui sociumque salutis
In mare praecipitem puppi deturbat ab alta;
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister,
Hortaturque viros clavumque ad litora torquet.

---

edit. Copulam rursus adiecit. — **168**. *propiora* metae loca. Cloanthus inter scopulum et Chimaeram propiore via in altum evadit. Conington explicat: propiora Gyae. — **170**. *radit iter*. Prius explicui: radit mare remis, ut v. 217. (ubi vid. adnott.); cum tamen ille locus paulo alius sit generis, nunc potius cum Conington interpretor: facit viam radendo litora, comparans III, 700. VII, 10. et Propertii locum supra laud. — „*laevum*, a laeva parte, *interior*, versus scopulum, ita ut Chimaera, qua Gyas vehebatur, esset exterior, versus patentiora loca maris. [Vid. adnott. ad XI, 695.] Petita omnia a circo et cursu circensi. [Etiam *interior* et *exterior*. Cf. omnino Schirach. p. 464. et interpp. ad Plin. Epist. IV, 16.] — *priorem*, Gyam, qui modo prior fuerat, et *metis relictis*, meta superata, quam circumvectus erat, *tenet aequora*, mare liberum, quo iam cursum a meta versus litus repetere posset. [Et quia in hoc reditu non tam periculosa via quam prius (v. 169.) navigat, additur *tuta*.] In tota hac increpatione ante oculos Menelai obiurgatio ap. Hom. Il. XXIII, 420 sqq." *Heyn.* — V. **170**. cum primo sequentis vocabulo iteratur in Anth. Lat. I, 170, 137 sq. — **172**. Cf. Hom. l. l. v. 385 sqq. — *ossibus* noli pro sexto Casu habere, omissa Praepos. *in* (ut IX, 66.), sed est Dativus, qui ad Graecorum exemplum alteri Dativo, *iuveni*, quem accuratius definiat, adiungitur; qua de re cf. Schaef. ad Soph. Phil. 747. Elmsl. ad Eur. Med. 961. et Bacch. 619. Matth. §. 389, 2. h. Thiersch. §. 275. nott. 11. Kühner. §. 580. not. alii (quod tamen propter locum modo laud. negat Conington). Ceterum vid. ad IX, 66. Geo. III, 272. et Aen. II, 120. adnott. Repetitur hic versus in Anth. Lat. I, 170, 151. — **174**. „*decoris sui*: inhonestum enim est irasci, duci praesertim." *Serv.* — *salutis socium*, scil. erepto gubernatore navis. Peerlk. minus probabiliter *sociorum* pro *socii*, scil. gubernatoris, positum esse putat, quam rationem iam Serv. commemorat. Contractam Genitivi formam, qua antiquis temporibus omnes Romanorum scriptores ubique usi esse videntur, posterioribus poëtae maxime in nominibus propriis (Danaûm, Argivûm, Graiûm, Rutulûm cett.), solutae autem orationis scriptores in sollemnibus quibusdam formulis ad cultum divinum et disciplinam civilem pertinentibus (deûm, virûm, ephorûm, fabrûm cett.) et in ponderis, mensurae et numorum designatione servarunt. *Sociûm* legitur etiam ap. Liv. XXII, 17, 2. (ubi vid. Drak.) XXII, 27, 11. 40, 6. et saepius. Vid. etiam Varr. L. L. VII, 38. Prisc. VII, 6, 24 sqq. Ramsh. §. 27, 5. Zumpt. §. 51. Schneider. II, 1. p. 70. Buecheler. *Grundr. d. lat. Decl.* p. 43 sq. Neue *Formenl. d. Lat. Spr.* I. p. 102 sq. II. p. 17 sq. Koene *Spr. d. Röm. Epiker* p. 29 sq. Corssen. *über Ausspr.* etc. I. p. 587 sq. ed. 2. et Iahn. ad Aen. I, 229. — **175**. *deturbat*. Cf. Lucr. V, 401. *Phaëthonta repenti fulminis ictu Deturbavit equis in terram*. Caes. B. G. VIII, 81. B. C. III, 21. etc. Infra VI, 412. legimus Charon *animas deturbat* et X, 554. *caput deturbat terrae*. — **176**. Verba *ipse rector*, *ipse magister* cum singulari vi eandem notionem geminant; hic enim (ut infra v. 224. 867. I, 119. VI, 353. Val. Fl. I, 18. alibi) *magister* i. q. gubernator. Vid. etiam Cort. ad Lucan. II, 696. Alibi autem *magistrum* navis, s. omnium nautarum praefectum (*der Schiffscapitain*), a gubernatore diversum esse constat. Vid. Liv. XXIX, 25, 7. XLV, 42, 3. cett. et cf. supra ad v. 133. adnott. — **177**. *ad litora*, ad scopulum, qui pro meta erat. — Cum v. **178** sqq.

At gravis, ut fundo vix tandem redditus imo est,
Iam senior madidaque fluens in veste Menoetes
Summa petit scopuli siccaque in rupe resedit.
Illum et labentem Teucri et risere natantem
Et salsos rident revomentem pectore fluctus.
Hic laeta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto Mnestheique, Gyan superare morantem.
Sergestus capit ante locum scopuloque propinquat,
Nec tota tamen ille prior praeeunte carina;
Parte prior, partem rostro premit aemula Pristis.

---

usque ad v. 182. cf. Hom. Od. V, 319 sqq. — „*gravis*, gravatus, ideoque tardus ad natandum, partim senio, partim aqua, quam vestis imbiberat.“ *Heyn.* Cf. infra VI, 359. *madida cum veste gravatus.* — *fundo*, a fundo. Vid. ad Geo. II, 520. — *vix tandem redditus est*, longum erat tempus, antequam non sine magno labore emersit. — **179**. „*fluens in veste* antique pro fluens veste, et hoc pro: veste fluente aqua, vel aqua fluente e veste.“ *Heyn.* Cave igitur h. l., ubi *fluere* propria significatione est sumendum, confundas cum iis, de quibus ad I, 320. diximus. Praepositio autem non poterat abesse (ut III, 626. VIII, 487. etc.), cum *fluens veste* ineptum praeberet sensum *von Kleid fliessend*, quemadmodum alibi *sanguine, tabo fluere* etc. De vv. *in veste* cf. IV, 518. (ibique adnott. VII, 167. XII, 169. et adnott. ad III, 595.) Wagn. conferri iubet Santen. ad Balb. p. 123. et quos Sillig. laudat ad Cir. v. 251. — V. **182**., quem Heyn., haerens imprimis in vv. *risere — rident*, tamquam poëta indignum non bene a Tucca relictum censuit, ita ut asteriscum ei praefigeret, recte defendunt Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 92., Ruhk., Iahn. (ad X, 465.) et Wagn. Sensus enim aperte hic est: ut antea riserant labentem et natantem, ita nunc rident vomentem. Risus igitur diverso tempore erat indicandus. Cf. etiam adnott. ad Aen. II, 12. Diversa autem tempora non minus quam paria per Copulam coniungi, docet Hand. Turs. II. p. 486 sq. Peerlk. tamen hanc profert temerariam coniecturam: *Et salsos tremulo revom. p. fl.* — *salsos revomentem fluctus* ex Homeri Od. V, 322 sq. translatum. — *pectore* verecunde pro alvo. Cf. Maximian. Eleg. V, 30. *Atque sub exhausto pectore pingue femur.* — **183**. *Hic*, hoc ipso tempore. Vid. ad I, 728. — *extremis duobus*. Vid. supra v. 154 sqq. — **184**. *Mnesthei* pro vulg. *Mnestheo* Heins. restituit, cum Med. et Rom. cum aliis bonis libris exhibeat *Mnesthi*. Vergilius enim, ut alii poëtae, nomina propria in *eus* ita flexisse videtur, ut Dativum et Accusativum ad Graecorum rationem *ei* et *ea*, Genitivum et Ablativum Latino modo *ei* et *eo* formaret. Sic eadem Dativi forma admissa legimus etiam Ecl. IV, 57. Geo. IV, 545. et 553. et Claud. XL, 33. *Orphei*, Catull. LXIV, 337. *Pelei* (ubi tamen alii *Peleo*) cett. Vid. etiam Prisc. VII, 2, 8. et 4, 14. p. 732. et 735. P. Macrob. Sat. V, 17. Schneider. Gr. Lat. II, 1. p. 289. Wagn. ad h. l. et Iahn. ad Geo. IV, 553. Ribbeck. *Mnesthi* scripsit. Ceterum *Heyn.* haec adnotat: „Sergesti Centaurum puta propius ad scopulum interiore ideoque breviore spatio (quod in re circensi sinistrum erat, unde h. l. ad navale certamen transductum: vid. v. 116.) succedere, Pristin autem Mnesthei exteriore versus dextram decurrere. Cum tamen Pristis remigio valeret, Centaurum illa est assecuta, ita ut anteriore navis parte Centaurum aequaret (187.) et tantum non aequo cum illo cursu Centaurum antevertere Sergestus in animum induxit.“ — **184**. *morantem* gubernandi imperitia. — **185**. *capit ante locum*. Vid. adnott. ad Ecl. I, 70. et Geo. III, 552. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. III, 81, 61. — *scopuloque propinquat*, ut v. 159., sed a latere, non in rectum, ut illic. Cf. infra v. 202 sq. — **187**. *partem* pro vulg. *partim* ex Med. cum Wagn. restituimus, qui comparat infra XI, 794 sq. (ubi altero loco pariter tres Codd. male *partim* pro *partem*) et vere memorat, formam *partim* aurea aetate aut Adverbium esse, aut ita pro *pars*, *partem* usurpari, ut Pluralis adiungatur (*partim*

At media socios incedens nave per ipsos
Hortatur Mnestheus: „Nunc, nunc insurgite remis,
Hectorei socii, Troiae quos sorte suprema
Delegi comites; nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi
Ionioque mari Maleaeque sequacibus undis.
Non iam prima peto Mnestheus, neque vincere certo;

---

eorum, vel ex illis, eiusmodi sunt) coll. Heusing. et Brem. ad Nep. Att. 7. et Beier. ad Cic. Off. II, 21., quibus adde Kritz. ad Sall. Iug. 55, 4. et viros doctos ab eo laudatos. Cf. etiam quae nos ad Lucr. XI, 88. adnotavimus. Nihilominus Ribbeck. ex Pal., Rom., Gud., Bern. II. III. et Schol. Hor. Od. V, 1, 18. restituit *partim*, coll. Gellio X, 13., quem tamen posteriorum editorum nemo secutus est. — **188** sqq. „Factam orationem pulcherrimam ad Homeri imitationem, ubi Antilochus equos suos increpat, Il. XXIII, 402 sqq. omnes observarunt interpp.“ *Heyn.* — **189**. *insurgite remis*. Vid. ad III, 207. (560.) Heyn. conferri iubet Apollon. II, 588 sq. Servius, qui ad h. l. testatur lectionem *insurgite*, ad VIII, 108. etiam hic legit *incumbite*, ut supra v. 15. — **190**. *socii Hectorei* ex Servii sententia aut fortissimi sunt, quales Hector fuit, aut revera quondam Hectoris socii. Hoc alterum verius puto: vos, qui una cum fortissimo Hectore pugnavistis, virium vestrarum documenta edidistis. Cf. infra VI, 166. Adsentiuntur mihi Bryce, Conington et Benoist. Heynii et Thielii explicatio, ex qua *socii* sunt socii navales, *Hectorei* autem simpliciter Troiani (ut I, 273. *gens Hectorea*), paulo languidior videtur; quamquam etiam Wagnero *Hectorei* hic simpliciter sunt *Troiani*. — *sorte suprema*, excidio, eversione, s. cum everteretur Troia; de quo simplicis Ablativi usu diximus ad IV, 502. *Sorte suprema* legimus etiam ap. Hor. Ep. II, 2, 173. (ubi tamen nunc editur *morte suprema*), praeter quem locum Conington comparat Aen. II, 11. *Troiae supremum laborem*, Claud. in Eutrop. II, 289. *Phrygiae casus venisse supremos* et Tac. Hist. I, 3. *supremae clarorum virorum necessitates*. — **191**. Verba *Nunc illas pr. vires* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 5. Comparant Iliad. XVI, 556 sqq. Exhortationibus autem militum ubique fere laudes rerum prius gestarum adiiciuntur. — **192**. *in Gaetulis Syrtibus*, in quas, priusquam Carthaginem venit, ventis erat actus. Cf. I, 110 sqq. Ceterum vide supra v. 51. — *usi*, omisso *estis*, ut I, 202. *vos et Cyclopia saxa Experti*. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 154. adnot. — **193**. „*Ionio in mari*, cum ex Creta solvissent supra III, 192 sqq. 211 sq.; tum etiam *Maleae* in extrema Laconica promontorium, etsi paulo latiore flexu, circumvecti sunt.“ *Heyn*. De mensura vocis *Ionius* vid. ad III, 211.; de *Maleae* autem promontorio inter sinum Laconicum et Argolicum sito et nautis exitioso, quod nunc vocatur *Capo Malio* s. *St. Angelo*, vid. Strab. VIII. p. 250. Herod. I, 82. Polyb. V, 101. Mela II, 3, 8. alii et liber meus geogr. III. p. 867. — „*sequacibus undis*, dum fluctus fluctum urget, quoniam in hac plaga paulo tumidius mare est: *Κύματά τε τροφόεντα πελώρια, ἶσα ὄρεσσιν*, ut Od. III, 290. Aliis in locis esset ista bona rei imago, si fluctus, carina et remis impulsi, sulco facto iterum concitate coëunt et in puppim irruunt.“ *Heyn*. Secundum Lutat. ad Stat. Theb. VII, 16. *sequaces* dicuntur undae, quia tam citae sunt, ut persequi videantur navigantes. Ceterum cf. Geo. IV, 230. *fumi sequaces*, Aen. VIII, 432. *flammae sequaces* cett. De navigationis circa Maleam promont. periculis cf. antiquum proverbium a Strab. l. l. servatum *Μαλέαν ἐπικάμψας* (vulgo *Μαλέας δὲ κάμψας*) *ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε*, quod Erasm. Adag. Chil. II. cent. 4. c. 46. sic reddit: *Maleam legens, quae sunt domi, obliviscere.* Inde etiam ap. Prop. IV, 18, (III, 19,) 8. *saeva Malea*, et Stat. Theb. VII, 16. *Et raucae circumtonat ira Maleae*. — **194**. *Non iam prima peto*, quae antea petebam vel sperabam. Vid. adnott. ad Aen. IV, 431. — *prima*, sc. praemia, *τὰ πρωτεῖα*, ut infra v. 338. *Prima tenet*. Sententia igitur haec est: Non iam contendo Gyae vel Cloantho palmam eripere, utpote qui me longe antecesserunt. Magna au-

Quamquam o! — Sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti;
Extremos pudeat rediisse; hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas.“ Olli certamine summo
Procumbunt; vastis tremit ictibus aerea puppis
Subtrahiturque solum; tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit; sudor fluit undique rivis.
Attulit ipse viris optatum casus honorem.
Namque furens animi dum proram ad saxa suburguet

---

tem cum arte adiectum est nomen loquentis, quo summa indignatio significatur (vid. ad I, 49.). Sensus est enim: Ego, qui tanti sum nominis (erat enim facile fortissimus omnium Aeneae comitum: cf. IX, 171. 306. 779. X, 143. etc.), iam contentus ero, si non ultimus rediero. (Cf. etiam Wagn. Qu. Verg. XXXII, 7.) — **195**. *Quamquam o!* scil. si victoria mihi contingat, i. e. utinam vincam! — *sed superent* cett. per aposiopesin, de qua vid. ad I, 135. Adiicit autem, quo se ipse consoletur, *quibus hoc, N., dedisti*, cum rem ex divino consilio pendere significet; modo ne omnium extremus redeat, precatur. Cf. Gossr., qui comparat similem orationem Turni XI, 415. et Hom. Il. XXIII, 402. Ribbeck. totum versum habet παρένθεσιν. — **196**. *rediisse*. Vid. ad II, 25. (ubi pro V, 595. lege IV, 599. et ex aliis poëtis adde Lucr. III, 799. V, 340. Hor. Od. III, 14, 2. Ovid. Met. VI, 700. cett.) et Wagn. ad h. l., qui, contra Heinrich. in Indice Cic. Oratt. pro Scauro cett. partt. inedd. p. 102. disputans, hanc formam iure Vergilio vindicat. — **197**. *hoc vincite et prohibete nefas*, hanc ignominiam, hoc opprobrium, scil. extremos rediisse, nitendo effugite. Peerlk. (cui adsentitur Ladew.) coll. Silio II, 228. *Audeat et primum hoc vincat, servasse parentem*, non coniungit *hoc nefas*, sed *hoc vincite* („*hierin bestehe euer Sieg*“: Ladew.) refert ad verba *extremos pudeat rediisse*, quae aliquid proverbiale habeant, et *prohibete nefas* explicat: prohibete, ne quid accidat, quod nefas sit nobisque dedecori vertatur. Heyn. *hoc* male interpretatur per: hactenus saltem; Heins. autem coni. *O vincite*. Ceterum cf. Ovid. Met. X, 322. *hoc prohibete nefas* et Wernsd. P. Lat. m. IV, 526, 29. *Et prohibete nefas*. — *Olli*. Vid. ad I, 254. — Cum v. **198** sqq. comparant Iliad. XXIII, 417 sq. — *procumbunt*, scil. remis proni incumbunt, quod alibi simpl. *incumbunt*. — *vastis ictibus*, quia mare remis *verberatur*. Cf. X, 208. et supra v. 147. — *aerea puppis*, aerata. Cf. VIII, 675. X, 223. Hor. Od. II, 16, 21. (ubi vid. Bentl.) Ovid. Met. VIII, 103. cett. Sic Geo. III, 173. *temo aereus* et infra v. 274. *rota aerea*. — Serv. coll. Geo. III, 173. *aerea* explicat per fortis, cum prora, non puppis aerea esse soleat. — **199**. *subtrahitur solum*, sulco facto dehiscit mare, quod navi est solum, in quo currit. Vid. v. 142 sq. Henry in Philol. XIII. p. 632. et Ladew. comparant Val. Fl. IV, 713. *ponti iacentis omne solum*. — *creber anhelitus artus quatit*. Cf. infra v. 432. et IX, 814. — **200**. *sudor fluit rivis* (more rivorum, ut nos: *in Strömen*). Burm. confert Sen. Oedip. 922. et Ovid. Met. IX, 173. Adde infra VIII, 445. *fluit aes rivis* et Epit. Iliad. 960. *sudor agit rivos*. Ceterum v. 199. et 200. ex Hom. Il. XVI, 109 sq. translatos esse, Heyn. iam adnotavit. Iterantur inde a verbis *tum creber* etc. in Ausonii cent. nupt. 129 sq. — **201**. *casus ipse*, i. e. solus casus, qui opponitur quodammodo priori contentioni et laboribus. Cf. Wagn. Qu. Verg. XVIII, 2, 9. — *honorem*, victoriam, ut anteverterent Centaurum. — *optatum*, ardenter cupitum, ut apud Catull. LXIV, 141. *optati hymenaei;* ibid. v. 372. *optatos animis coniungite amores* etc. Cf. Lachm. ad Prop. I. p. 58. — Cum v. **202** sqq. Conington conferri iubet Hom. Il. XXIII, 391 sqq. et 416 sqq. Commata, quibus vulgo vv. *furens animi* (de quibus cf. adnott. ad Geo. IV, 491. Aen. I, 178. II, 61. IV, 203.) includuntur, delevi, ne quis perperam coniungat *furens animi haesit;* cum *fur. an. suburguet* cett. necessario sint coniungenda. Quae ipsa est causa, cur Wagn. Med. et Pomp. Sab. lectionem *prora*, quae Heynio arrisit, tamquam ex elisione ortam iure re-

Interior spatioque subit Sergestus iniquo,
Infelix saxis in procurrentibus haesit.
Concussae cautes et acuto in murice remi
Obnixi crepuere illisaque prora pependit.
Consurgunt nautae et magno clamore morantur
Ferratasque trudes et acuta cuspide contos
Expediunt fractosque legunt in gurgite remos.
At laetus Mnestheus successuque acrior ipso
Agmine remorum celeri ventisque vocatis
Prona petit maria et pelago decurrit aperto.

---

pudiavit. Ceterum *animi* lectio est Med., Rom., Gud. a m. sec., Servii et Arusiani p. 230. L.; Pierii aliquot Codd. exhibent *animis*, ut VIII, 228., Pal. denique et Gud. a m. pr. *animo*. — **203.** *interior*, inter Mnestheum et scopulum (v. 185.). Vid. ad v. 170. — *spatio iniquo*, i. e. angusto et ob saxa periculoso. (Cf. infra XI, 531. *silvae iniquae*.) Heyn. confert Stat. Theb. VI, 440 sqq. — **204.** *procurrentibus*, a scopulo illo magno, qui meta erat, et subter aquam, ut videtur, latentibus, nam v. 164. *caeca saxa* vocantur. Ceterum cf. infra v. 220 sq. et 270 sqq. — **205.** *murex* secundum Serv. est „saxi acumen eminens per tranquillitatem.“ Intellige scopulos acutos; *murex* enim poëtis usurpatur de omnibus rebus, quae muricis instar (vid. ad Ecl. IV, 44.) cuspides et dentes habent, et de scopulis quidem etiam Silio XVII, 277. dicitur, qui omnino hunc totum locum imitatus est: *Increpuere ictu prorae; tum murice acuto Dissiliens sonuit rupta compage carina.* Cf. etiam Isidor. Orig. XVI, 111. *Murices petrae in litore, similes muricibus vivis, acutissimae et navibus periculosissimae.* Conington addit Plin. XIX, 1, [6.], ubi legimus: Cato Censorius *sternendum forum muricibus censuerat.* — **206.** *Obnixi.* Cf. Geo. III, 222. 233. — *crepuere*, scil. fracti. Cf. v. 209. — „*illisa pependit* pro vulgari: illisa est, sed suavius, quod suspensa et sublimis nutavit, libravit sese. Cf. infra X, 303 sq. Sumpsit ab Vergilio haec eadem Silius XVII, 281. sqq.“ *Heyn.* — **207.** *morantur*, cum *magno clamore* iunctum, Wagnero languidum, ideoque aut verbum nauticum aut corruptum videtur. Heyn. cum Servio explicat: „haerent, dum navem retro agunt“; i. e. a scopulo student revellere. *Morantur* potius significat: moram faciunt (*sie bleiben halten*), i. e. attrahunt remos nec amplius movent, sed cum magno clamore consurgunt et trudes contosque expediunt, ut navem retro trudant et a scopulis solvant. Cf. v. 220. et 270. Quare non erat, cur Peerlk. hemistichio illo *illisaque prora pependit* prorsus sublato et versibus ad arbitrium traiectis, totum locum sic constituendum censeret: v. 202. 203. 205. 206. (dimidius et imperfectus) 207. (*morantur*, scil. proram) 208. 209. 204. 210. etc. — **208.** *trudes* plurimorum Codd. (etiam Pal., Rom., Gud.) et Isidori Orig. XVIII, 7, 3. est lectio, quam Heinsio et Burm. suadentibus recepit Heyn. Vulgo *sudes* (quod sane etiam Med. exhibet), ex interpretamento; nam *sudes*, pali acuminati et praeusti, non sunt *ferrati*, i. e. ferro praefixi, quod vere adnotat Wagn. Vox *trudes* autem, a *trūdendo* (quamquam mutata quantitate) facta, significat perdicam aeratam ad trudendum aptam, neque multum differt a *conto*, quod vocabulum eodem sensu legitur infra VI, 302. IX, 510. Tac. Ann. III, 46. Plin. XXXIV, 18. alibi. Cf. etiam Isidor. Orig. XVIII, 7. — **209.** *Expediunt.* Vid. ad I, 702. — **210.** Verba *successuque acrior ipse* repetuntur a Paullino vit. Mart. I, 178. (quem Wold. Ribbeck. laudat). Ceterum cf. infra v. 231. — **211.** *agmine remorum*, remorum agitatorum aequali motu. Cf. II, 782. (Geo. I, 322. III, 423.) et supra v. 90. Conington tamen addit, *agmen* fortasse hic significare ordinem, ut ap. Stat. Theb. V, 509. *terna agmina adunci Dentis.* — *ventis vocatis.* Vid. ad III, 253. (et IV, 223.). — **212.** „*Prona maria*, in quibus cursus pronus ac celer sine impedimento fit; idem *apertum pelagus*.“ *Heyn.* Rectius autem Henry (*Tw. years* V. p. 11. et Philol. XIII. p. 632.) *prona maria* expli-

Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arva volans plausumque exterrita pinnis
Dat tecto ingentem, mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum celeris neque commovet alas:
Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis
Aequora, sic illam fert impetus ipse volantem.
Et primum in scopulo luctantem deserit alto

cat per fluctus ex alto litus versus decurrentes ideoque navis metam assecutae reditum adiuvantes, coll. Geo. I, 203. Aen. VI, 474. VIII, 548. Lucan. IV, 429.; eumque etiam Wagn. in min. edit. sequitur. — *pelago* autem *aperto* non i. q. alto pelago, sed obstaculum nullum praebente. Cf. adnott. ad I, 394. Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 14, 28. Quinct. Inst. VII, 9, 10. haec proferens Vergilii verba: *coelo decurrit aperto*, memoria lapsus hunc locum confudisse videtur cum Aen. I, 155. *coelo invectus aperto*. — „213 sqq. *κοίλην πέτρην Χηραμόν*, Iliad. XXI, 494 sq. expressisse putatur.“ *Heyn*. — *columbam* (domesticam avem) pro palumbi (vid. ad Ecl. I, 57.) commemorat. — **214**. *dulces nidi*, ob pullos dulces, quos continent. Cf. Ecl. I, 3. Sic prius cum Wagn. locum explicui; nunc tamen cum Henrico *Tw. years* V. p. 14. et Philol. XIII. p. 632. et Ladew. *nidos* Plur. numero positos potius ipsos pullos in nido versantes significare censeo coll. Geo. IV, 17. (ubi vid. adnott.), Aen. XII, 475. et Claud. III. Cons. Hon. praef. 5. *implumes nidi*. — *latebroso in pumice*, qui multa habet foramina, in quibus palumbes latebras quaerere possunt. Redit hoc pumicis epitheton XII, 587. Sic ap. Silium V, 192. *colles latebrosi*, qui multas habent speluncas. — **215**. *Fertur in arva volans*. Cf. II, 498. *Fertur in arva furens*. — „*plausum pennis dat ingentem*, cum inde volatu abire parat. Bene Pomp. Sab.: „cum incipit volare columba, dat ingentem strepitum; inde ita quieta volat, ut non videatur movere alas.“ *Heyn*. *Ingens* igitur non per se est plausus alarum, sed tantum sequenti *quieto itineri* oppositus. Minus recte Servius pennarum concussione terrorem significari putat, comparans infra v. 505. — **216**. *tecto*, spelunca in pumice, ubi nidum habet. Cum verbis *exterrita tecto* Conington comparat Ennii Ann. I. fr. 34. (v. 2. p. 10. Vahl.) *exterrita somno*. — *aër quietus* secundum Wakef. ad Lucr. II, 238. (ubi *inane quietum* legitur) est „transitum quietum praebens, nihilo remorante vel offendente.“ — *labi* autem et *lapsum* de volatu dici, iam III, 225. vidimus. — **217**. Conington comparat Apoll. Rh. II, 936. *οὐδὲ τινάσσει Ῥιπὴν, εὐκήλοισιν ἐνευδιόων πτερύγεσσιν*. — *radit iter liquidum*, i. e. iter per aërem liquidum. „*Radere*, *ψαύειν* et *ψαίρειν*, v. c. ap. Aesch. Prom. 394. [*λευκὸν οἶμον αἰθέρος ψαίρει πτέροις*]. Cf. Valken. ad Eurip. Phoen. p. 471. Sic *verrere* aequor. Vulgarius *secare;* nisi quod alterum illud eam vim habet, ut quasi aëris aliqua superficie leviter tantum perstricta incessum denotet. [Cf. adnott. ad III, 300.] Columbarum motu placido et leni, suspenso gradu et levi incessu, Homerus dearum incessum declarari posse putavit Il. V, 778. At hic aequabilem et liberum et tranquillum navis cursum per apertum mare egregie repraesentat.“ *Heyn*. Conington confert Ovid. Met. X, 654. *sicco freta radere passu*. — *celeris alas*. Cf. Hor. Od. III, 29, 45. *celeres pennas* et II, 17, 24. *volucres alas*. Ceterum cum volatu, qui hic describitur, cf. IV, 252. *paribus alis volare*. — **218**. *ipsa*, cum *Pristis*, non cum *aequora* iungendum, navem significantius distinguit a Mnestheo, eamque vel sua sponte, sine illius opera, mare celeriter permeasse significat. Cf. adnot. ad Ecl. I, 39. IV, 21. al. — *ultima aequora*, circa metam. — **219**. „Mnesthei navis cum remis et velis summo labore incitata in cursu esset, ita pergit volare remigibus vel minus intentis. Cf. Cic. de Or. I, 33, 153. *Concitato navigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum, intermisso impetu cursuque remorum*.“ Gossr. — *volantem*. Cf. Geo. II, 41. *pelagoque volans da vela patenti*. — **220**. *in scopulo*

Sergestum brevibusque vadis frustraque vocantem
Auxilia et fractis discentem currere remis.
Inde Gyan ipsamque ingenti mole Chimaeram
Consequitur; cedit, quoniam spoliata magistro est.
Solus iamque ipso superest in fine Cloanthus,
Quem petit et summis adnixus viribus urguet.
Tum vero ingeminat clamor cunctique sequentem
Instigant studiis resonatque fragoribus aether.
Hi proprium decus et partum indignantur honorem
Ni teneant, vitamque volunt pro laude pacisci;

---

luctantem, a scopulo solvi, liberari nitentem. Med. omittit Praepositionem, recte fortasse, ut censet Conington. — Per *altum scopulum* intelligenda sunt *saxa* illa *procurrentia* v. 204., quae cum murice comparabantur. Wagn. conferri iubet Iacob. Disquiss. Verg. P. I. p. 6., haec memorantem: „Scopulus dicitur *altus*, quia navigantibus e mari conspectus ob prominentiam suam ita apparebat, minime vero, quia summae erat altitudinis," eademque ratione etiam Ladew. epitheton explicat. In min. autem edit. Wagn. haec adnotat: „*alto*, ex fundo maris ad eam altitudinem assurgente, ut prope superficiem maris tangat." Quae Henry in *Two. years* V. p. 15. contra Iacobum disputavit, ea nunc retractat vir doctiss. — **221**. *brevibus vadis*, locis aqua carentibus scopuloque propioribus. Cf. I, 111. ibique adnott. Henry, qui hunc scopulum pro ipsa meta habet supra v. 124 sqq. descripta, cum incredibile sit, scopulum vadis cinctum electum fuisse cursus metam, *scopulo brevibusque vadis* prius voluit per *ἓν διὰ δυοῖν* explicatum (pro scopulosis vadis), quemadmodum Aen. I, 111. *brevia* et *syrtes;* quod probare non potui; nunc tamen etiam hoc retractat. — **222**. *discentem*, necessitate doctum, experientem, conantem, quod necessitas flagitat. — *currere*, ut v. 235. III, 191. etc. — Cum v. **223**. cf. supra v. 118. — **224**. *cedit*, h. e. praeteriri se sinit Gyae Chimaera. — *spoliata magistro*. Cf. VI, 353. *Spoliata armis excusso magistro*. Conington conferri iubet Hom. Il. XXIII, 386. — **225**. *in fine* totius cursus, sub reditum ad litus. Cf. v. 327 sq. Vid. etiam supra v. 130 sq. et 159. ibique adnott. — **226**. *adnixus*. Sic Med., Rom., alii et Nonius p. 366, 29. (Cf. I, 144. III, 208. IV, 583.) Pal. et Gud. minus apte *enixus*. — **227**. *ingeminat clamor*. Vid. ad I, 747. — „*sequentem* Mnestheum, qui insequitur Cloanthum, urget et instat. — **228**. *studiis* h. l. proprie, ut in consessu ludorum circensium, de favore spectantium. Cf. Iliad. XXIII, 448 sqq. et 767 sqq. Sil. XVI, 319 sqq." *Heyn*. Vid. supra v. 148. et cf. similis locus Ovid. Met. X, 656 sqq. — *fragoribus*, non remorum, sed clamore et plausu spectantium. Sic autem Heins. recte edidit ex Med. et Rom. Alii Codd., ut Pal. et Gud., exhibent *clamoribus*, quod etiam hic legit Abbo Floriacensis in A. Mai Auct. class. V, 335. a Ribbeckio laud. Conington comparat *Plangoribus resonare* IV, 668. et XII, 607. atque Quinct. VIII, 3. *fragor plaudentium et acclamantium*. — **229**. *Hi* ad Cloanthum eiusque socios, *hos* ad Mnestheum cum comitibus referendum. Ruhk. utrumque Pronomen minus recte de diversis spectatorum partibus interpretatur. — *proprium decus*, quod iam sine controversia suum sibique mansurum putant. Cf. adnott. ad Ecl. VII, 31. Peerlk. confert Ammian. XVI. p. 86. *Romanae maiestati reddere proprium decus*. — **230**. *indignantur - - Ni teneant*, i. q. se non tenere, sibi eripi. — *volunt*. Cum sensus sit: Cloanthus et socii vitam, si postularetur, potius amitterent, quam victoriam sibi eripi paterentur, non vero significetur, victoriam cum praesenti vitae periculo fuisse coniunctam, laudem revera emi non potuisse nisi vita, Peerlk. coniicit *velint*, coll. Stat. Theb. I, 316. *hac aevum cupiat pro laude* [vulgo *luce*] *pacisci*. Sed satis constat, Romanos etiam in eiusmodi locis, si de certo consilio et voluntate sermo est, Indicativo uti; Statii autem auctoritas, licet hunc locum

Hos successus alit: possunt, quia posse videntur.
Et fors aequatis cepissent praemia rostris,
Ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus
Fudissetque preces divosque in vota vocasset:
„Di, quibus imperium est pelagi, quorum aequora curro,
Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras voti reus extaque salsos

---

vere respexerit, non tanti est, ut invitis omnibus Codd. aliquid mutandum sit. — „*pacisci* pro reddere, impendere: redimere famam sempiternam morte. Sic *emere* infra IX, 206. Imitatus Stat. Theb. I, 319. *hac aevum cupiat pro luce* [vid. supra] *pacisci*.“ *Heyn*. Cf. etiam infra XII, 49. *letum pro laude pacisci*. Verba *vitamque volunt pro laude pacisci* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 22. — 281. *alere*, ut *pascere*, metaphorice de spe, animo cett. Sic Tibull. II, 7, 3. *spes alit agricolas*, Sil. XI, 556. *alit animos favor* et similia. Vid. etiam Cort. et Kritz. ad Sall. Cat. 37, 3. Ceterum cf. supra v. 210. *successu acrior*. — Verba *possunt, quia posse videntur* Heyn. (quem sequitur Peerlk.) refert ad fiduciam certantium, ut sensus sit hic: „efficiunt id, quod facere student, s. in eo sunt, ut id efficiant, quoniam sibi videntur id efficere posse.“ Sic igitur ad *videntur* intelligendum erit Pron. *sibi*, quae sane simplicissima est ratio, etiam Henrico in *Tw. years* V. p. 16. et Philol. XIII. p. 632., Wagnero, Ladew., Bryceo, Coningtoni et Benoisto probata. Potest vero etiam haec esse sententia: Multum possunt, quia *aliis*, i. e. spectatoribus, posse videntur. Fiducia, quam spectatores gestibus, acclamationibus etc. significant, animum eorum auget eosque incitat, ut illi fiduciae respondeant; quae loci explicatio Serviana mihi, ut Süpflio, prius videbatur praeferenda. — Cum v. 282 sqq. conferunt Hom. Il. XXIII, 382. et 770 sq. — *fors*. Vid. ad II, 139. — *aequatis rostris*, aequatis proris, aequato cursu simul ad litus redeuntes, ideoque fere i. q. supra v. 157. *iunctis frontibus*. — 283. Conington conferri iubet Hom. Il. I, 350. — *palmae utraeque* poëtice pro palma utraque positae redeunt VI, 685. Cf. etiam infra v. 855. *utraque tempora*. Tac. Ann. XVI, 7, 11. Lucan. X, 301. et alia exempla ap. Madvig. §. 495. obs. 2. Carminium tamen hoc vituperasse memorat Servius. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 186. — *ponto tendens*, ad pontum. Vid. ad Ecl. II, 30. — 234. „*divos in vota vocare* vi et sensu idem esse debet ac *deos votis vocare*, h. e. invocare [vid. ad Geo. I, 347. et Aen. V, 514. VII, 471. XII, 780.], quod aliquoties apud Vergilium [Geo. I, 42. (ubi vid. adnott.) 157. Aen. I, 290.] et eius imitatione ap. Silium et Senecam Trag. invenitur; sed dictum exquisite, ut *in partem praedamque vocare* III, 222. et ap. Ovid. Fast. V, 527. *iuratus vobis in verba vocatis*. Nam *votis* est i. q. vocare ad vota, ad ea, quae voventur [ad promissa munera, quibus fruerentur].“ *Heyn*. Conington comparat dictiones *votis exposcere* (III, 261.), *venerari* (VII, 507.), *optare* (X, 279.), *petere* (XII, 259.). — 235. *imperium est pelagi*. Hoc ordine exhibent verba Med., Pal., Gud. aliique Codd., quos cum plerisque editoribus secutus sum. Wagn. autem recepit Cod. Rom. aliorumque lectionem *imp. pelagi est*, cum in Med. lineolae superscriptae haec verba inverso ordine legenda esse moneant et similis locus VI, 264. *Di, quibus imperium est animarum* verborum transponendorum ansam praebere potuerit. Vulgaris tamen verborum ordo mihi quidem numerosior videtur. (Ladew., Ribbeck., Bryce, Conington et Benoist. mecum, Süpfl. et Haupt. cum Wagn. faciunt.) Aliquot Codd. verbum substant. prorsus omittunt, quod temere probat Heyn.; in sententiis enim a relativo pendentibus illud non solet deesse. Vid. Wagn. Qu. Verg. XV, 2., qui confert hos locos: III, 154. V, 714. VII, 311. IX, 175. X, 493. XI, 23. — *quorum aequora curro*. Vid. ad I, 67. et III, 191. Rom., Gud. et Macrobii III, 2, 5. Codd. Cantabr. et Salisb. minus bene scribunt *aequore*. — 236. *laetus*. Cf. supra v. 58. — *candentem taurum*, superis enim diis albae, ut inferis nigrae victimae immolabantur. Taurus autem albus maximum erat sacrificium. Cf. etiam III, 20. De ipsa re vid. adnott. ad III, 119. — 237. *Constituam*. „Hostia dicitur

Porriciam in fluctus et vina liquentia fundam."
Dixit eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus Panopeaque virgo,
Et pater ipse manu magna Portunus euntem
Inpulit: illa Noto citius volucrique sagitta

---

ad aram constitui (VI, 243.), statui (IX, 627.), sisti (VIII, 85.). Neque enim invitam admovere aris licebat hostiam; sed ipsa stare debebat ad aram, ut a numine volenti accipi sacrum putarent." *Gossr.* — *voti reus* i. q. voti damnatus. Vid. ad Ecl. V, 80. Cf. etiam Macrob. Sat. III, 2, 1. Similiter Liv. XXV, 30, 5. *ut suae quisque partis tutandae reus sit* et Afric. in Dig. XVI, 1, 17. §. 2. *pecuniae reus.* — **238.** *porriciam* i. q. porro iaciam, proiiciam. Est autem haec vox sacrorum propria secundum Macrob. Sat. l. l. („*Porriciam*, non, ut quidam *proiciam*, aestimantes dixisse Vergilium *proicienda exta*, quia adiecit *in fluctus*," quocum consentit Servius: „Exta *proiiciuntur*, aris *porriciuntur;* nisi forte dicamus etiam fluctibus offerri. Quod si est, *porriciam* legendum.;"), et invenitur etiam infra v. 776., Plaud. Pseud. I, 3, 32. *exta in manibus teneam, ut porriciam*, Liv. XXIX, 27, 5. *cruda exta victimae, uti mos est, in mare porricit* (ubi vid. Gronov.), Varr. R. R. I, 29. *Sic quoque exta deis cum dabant, porricere dicebant* et in pluribus fragmm. apud Macrobium l. l. Multos tamen Codd. hic exhibere *Proiiciam* vel *Proiciam*, non mirum. *Proiiciendi* autem verbum, cui saepe neglectus contemptusque notio adhaereat, ad rem sacram transferri vix potuisse, bene observat Wagn. Nihilominus Ribbeck. ex Pal., Rom., Gud., Bern. I. II., aliis Codd. recepit *Proiciam*, quem tamen posteriorum editorum nullus secutus est. — *liquentia* hic corripitur; producitur e. g. I, 432., ubi vid. adnott. — **240.** *Nereïdum Phorcique chorus*, ut Ecl. VI, 66. *Phoebi chorus*, ubi vid. adnott. et infra v. 824. *Glauci chorus Phorcique exercitus.* Etiam ap. Stat. Silv. II, 2, 19. *Phorci chorus* legitur. *Nereides*, Nerei (vid. ad Aen. II, 419.) et Doridis (vid. ad Ecl. X, 5.) filiae, numero quinquaginta. Cf. Hes. Theog. 243. Apollod. I, 2, 7. Orph. hymn. 23, 3. alii et supra III, 74. — „*Phorcum* (Φόρκος et Φόρκυς), Ponti et Terrae fil. (vid. Hes. Theog. 237. Apollod. I, 2, 6.), Nerei fratrem, posuisse videtur poëta, cum omnino deus marinus esset nominandus, cui subesset deorum marinorum ac Tritonum chorus. Cf. infra v. 823 sq. *Numen aquis secundum* Phorcynem vocat Lucan. IX, 646." *Heyn.* Forma *Phorcus* redit infra v. 824. Vid. etiam praeter Lucani l. l. Plin. XXXVI, 4, 7. — De *Panopea* s. *Panope*, quam hic tamquam unam ex principibus Nereidum poëta commemorat, ut supra I, 144. *Cymothoen*, vid. ad Geo. I, 437. Plures Codd. exhibent *Panopeïa virgo*, quod temere Heynio placuit; nam „in huiusmodi triplici συναθροισμῷ" Copulam omitti non posse, vere censet Wagn. Eo minus autem hic potest desiderari, cum ea Panopea inter ceteras Naiades eminere significetur. Vid. adnott. ad Geo. I, 498. IV, 14. al. (Locis ibi allatis adde Aen. III, 148. VII, 535. VIII, 330. 698. IX, 454. 811. XII, 399.) Idem Heyn. hanc suadet loci distinctionem: *omnis N. P. chorus; Panopeaque virgo Et pater* cett., cui Wagn. opponit locos I, 510. II, 714. IV, 58. 146. — **241.** *Portunus* s. Portumnus (i. e. portuum deus) Romanis habebatur idem deus, qui Graecis Melicertes vel Palaemon (vid. infra v. 823.) vocatus (vid. ad Geo. I, 437.) inter deos σωτῆρας nautarum referebatur. Cf. quos laudat Pfau in Pauly *Realencycl.* V. p. 1068. et 1924. — *pater.* Cf. adnott. ad Geo. II, 4. — *manu magna*, utpote dei. Vid. ad Aen. II, 773. — *euntem*, scil. navem, *Inpulit*, ut supra I, 144 sq. Cymothoe et Triton ipsi naves Aeneae levarunt. Respexit poëta Ennium, cuius hunc versum Schol. Veron. ad h. l. (p. 95. Keil.) affert: *Atque manu magna Romanos inpulit amnis* (Ann. fr. inc. 94. p. 81. Vahl.). — **242.** *Noto*, i. e. vento omnino. Vid. nott. ad Aen. I, 108. — *volucris sagitta*, ut infra v. 544. *volucris arundo.* Ovid. Trist. III, 10, 64. *volucre ferrum* cett. Cf. adnott. ad Geo. II, 217. Verg. haud dubie memor fuit Apollonii Rh. II, 601. Ἡ δ' ἰκέλη πτερόεντι μετήορος ἔσσυτ' ὀιστῷ, ut rursus

**Ad terram fugit et portu se condidit alto.
Tum satus Anchisa cunctis ex more vocatis
Victorem magna praeconis voce Cloanthum
Declarat viridique advelat tempora lauro;
Muneraque in navis ternos optare iuvencos
Vinaque et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipsis praecipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Maeandro duplici Meliboea cucurrit,**

Vergilium respexit auctor Epit. Iliad. 737. *quos nec praecederet Eurus Nec posset volucri cursu superare sagitta.* — **243**. *portu se condidit*, portum ingressus est; qui *altus* dicitur ob fluctus penitus in terram intrantes, litore longe recedente. Cf. λιμὴν πολυβενθής Homeri Il. I, 432. locique similes Aen. I, 159 sqq. et Ovid. Met. XI, 229 sqq. — **244**. *satus Anchisa*, ut rursus infra v. 424. Vid. ad Geo. I, 278. - *cunctis*, qui certaverant, ad se *vocatis* — *ex more*, sc. ludorum. — *advelandi* verbum praeter h. l. nusquam legi videtur, nisi ap. Lamprid. Commod. 15. *panno purpureo nudos humeros advelans* et fortasse, ut plura alia, a Verg. ipso fictum est. Non minus inusitata sunt infra IX, 52. *adtorquere* et X, 628. *adlacrimare.* Alia vocabula, quae apud scriptores Vergilio priores non inveniuntur, Ladew. ad h. l. collegit. — **247**. *in naves*, in suam cuiusque navem, ut supra v. 62. — *optare - - ferre dat.* Vid. ad I, 319. (ubi addi potest VI, 66 sq.). Sic paulo post v. 262. *Donat habere viro.* Cf. Hom. Il. XXIII, 512. δῶκε ἄγειν - - φέρειν. ibid. v. 612. XV, 532 sq. etc. — *optare* i. q. eligere. Vid. ad I, 425. et III, 109. Ante Heins. male legebatur *aptare*, quod ex Ribbeckii Codd. praebent Gud. a m. sec., Bern. II. III. et Minoraug. — **248**. „*magnum talentum*, non comparative, quoniam maius et minus talentum fuit; nam hoc et posterioris temporis et subtilius, quam pro poëta; sed per se, quod multas minas intra se continet; ut *magnus annus*, *mensis* etc.“ · *Heyn.* Immo simpliciter: quod magnum habet pondus. Wagn. conferri iubet Oudend. ad Apul. Met. VII. p. 463. et quos ille laudat. Adde Iacobs. disquiss. Vergg. Spec. I. p. 7. Brem. ad Nep. Phoc. I, 3. Bach. ad Tibull. I, 1, 2. Beneck. ad Iustin. VIII, 3, 8. et librum meum *Aufg. z. Bild. d. lat. Stils* XVII. not. 71. p. 53. ed. VI. Ceterum cf. Anth. Lat. III, 81, 14. *Omnibus extemplo magnum dat ferre talentum.* — **249**. *praecipui honores* i. e. victoriae praemia, opponuntur *muneribus* (v. 247.), quae sunt communia. — **250**. *chlamys* (vid. ad III, 484.) *aurata*, i. e. auro picta, vel, ut VIII, 167. legimus, auro intertexta. — *quam plurima circum* cett., quae duplici limbo purpureo erat praetexta, περιπόρφυρος. *Plurima* autem *purpura* latum limbum purpureum videtur significare. Cf. adnott. ad Ecl. VII, 60. — **251**. *Meliboea*, i. e. Meliboeensis. (Vid. ad III, 602. et IV, 552.) Hoc epitheton, quod ex Lucr. II, 499. sumptum videtur, ubi legimus *Meliboeaque fulgens Purpura Thessalico concharum tincta colore*, Voss. ad Melae II, 3. a Meliboea insula in Orontis, Syriae fluvii, ostiis sita (cf. Oppian. Cyn. II, 120.) deducit, quod omne illud litus muricum copia celebratum fuerit. (Cf. Cellar. III, 12, 28. Mannert. Vol. VI. P. I. p. 348. et lib. meus geogr. II, 640.) Heyn. tamen Lucretii l. l. respiciens, rectius de Thessaliae illa urbe cogitat, quam in Magnesia inter Ossam et Peneum sitam commemorant Hom. Il. II, 717. Herod. VII, 188. Strab. IX. p. 443. Cas. Scylax. p. 25. Plin. IV, 9, 19. Liv. XLIV, 13, 1. alii, et de qua vid. liber meus modo comm. III. p. 888. Cf. etiam quae disserui hac de re in Pauly *Realencycl.* IV. p. 1742. — *Maeandro duplici.* „(Limbum illum) Maeandrum dicere potuit, quandoquidem cinctu et amictu rugatur vestis et sinuatur, et alia parte defluit, alia attollitur; sed ipse limbus esse potuit flexibus sinuatis textus eodem modo, quo in vasis antiquis fictilibus pictis videmus passim ornamenta appellata vulgo *à la Grecque.*“ *Heyn.* Hoc mihi verisimilius videtur. De sinuoso autem

Intextusque puer frondosa regius Ida
Velocis iaculo cervos cursuque fatigat,
Acer, anhelanti similis; quem praepes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis;

Maeandri Cariam permeantis cursu, qui in proverbium abiit, vid. Strab. XII. p. 577. Ovid. Met. II, 246. VIII, 162 sqq. Silius VII, 139. Sen. Herc. fur. 683 sq. Phoen. 605. Liv. XXXVIII, 13. Plin. V, 29, 30. Interpp. ad Cic. in Pis. 22, 53. Gesner. ad Claud. in Eutrop. II, 292. et Erasmi Adag. p. 1925. alii; omnino autem de hoc flumine (qui etiamnum *Meinder* s. *Bojuk Meinder*, i. e. magnus M., appellatur) librum meum geogr. II. p. 103. — *cucurrit*. Heyn. comparat Hom. Il. VI, 320. *περὶ δὲ χρύσεος θέε πόρκης*, cui Conington addit Il. XXIII, 561., ubi *ἀμφιδεδίνηται* legitur. Ceterum imitatur h. l. Stat. Theb. VI, 540 sq. *At tibi Maeonio fertur circumflua limbo - - chlamys*, totus autem hic versus cum ultimis superioris verbis iteratur in Auson. cent. nupt. 48 sq. — 252. „Argumentum in antiquae artis operibus obvium, non alienum erat ab hac textura, cum Ganymedes ad Aeneae genus spectaret." *Heyn*. Vid. idem argumentum in artis operibus repraesentatum ap. Pausan. V, 24, 1. Petron. c. 83. et Plin. XXXIV, 8, 19. Ceterum cf. Mueller. Spicil. animadv. in Catull. p. 14 sq., plures locos veterum congerens, qui similes continent artis operum descriptiones. De ipso *Ganymede*, Trois regis et Callirrhoes filio, quem hic *frondosa Ida* (cf. Val. Fl. II, 414.) satis significat (cf. Hor. Od. III, 20, 16. IV, 4, 4.), vid. Hom. Il. XX, 232 sq. 264 sq. h. in Ven. 202. Apollod. II, 5, 9. III, 12, 2. Ovid. Met. X, 155 sqq. Fast. VI, 43 sqq. Stat. Theb. I, 548 sqq. multique alii et Munck. ad Hygin. f. 271. — Quaesitum est, quomodo v. 253. cum v. 255. conciliari, h. e. quomodo eadem imagine Ganymedes et currens cervumque persequens et ab aquila in aërem sublatus repraesentari possit, quare Wagn. adeo hunc locum Qu. Verg. XL, 2. iis adnumerat, ubi bonus Vergilius dormitaverit. Heyn. paulo artificiosius rem ita expedire studet, ut verba illa *veloces iaculo - - fatigat* non ad ipsam picturam spectare, sed tantum poëtice interposita esse dicat, cum in venatu raptus sit puer. Peerlk. autem, coll. loco Aen. VI, 20., pro *quem* coniicit *tum*, i. e. iuxta, non procul inde; ut de duabus imaginibus iuxta se chlamydi intextis cogitandum sit, de qua re conferri iubet Gesnerum ad Quinct. VI, 3. et Claud. de laud. Stilich. II, 347. Et haec sane simplicissima est ratio difficultatis expediendae, quam etiam Henry (*Tw. years* V. p. 19.), Ladew., Wagn. ipse in min. edit., Conington et Benoist. amplectuntur; coniectura tamen non opus videtur. Cf. etiam, quae Voss. in Progr. Crucen. a. 1838. p. 6 sqq. verissime de h. l. disputat. — 254. *anhelanti similis*. Conington confert VIII, 649. *indignanti similem, similemque minanti*. — *praepes Iovis armiger*. *Praepes* pro avi legitur etiam Ovid. Met. IV, 714. (*Iovis praepes*) XIII, 617. XIV, 576. Val. Fl. VIII, 33. alibi. Cf. etiam adnott. ad III, 361. — *ab Ida - - rapuit*: sic enim, non *praepes ab Ida*, verba coniungenda sunt. Cf. etiam Henry in *Tw. years* V. p. 20. et Philol. XIII. p. 632., qui apte comparat IX, 565. *agnum Martius a stabulis rapuit lupus*. Burm. eiusdem vocis repetitione offensus, ad Anthol. Lat. I. p. 272. coni. *ab alto*, quod Heynio placet, coll. infra XI, 721., vel *ab aethra*, quam coniecturam, adiutam quodammodo locis Aen. XII, 247. Val. Fl. I, 156. et Claud. B. Gild. 468., Brunck. recepit atque etiam Schrader. Emendd. p. 154. et nuper Peerlk. commendaverunt. Sed si de duabus cogitamus imaginibus, quod necessarium videtur, molestum illud, quod inest iteratae loci significationi, certe minuitur; quare Codd. lectio non sollicitanda videtur, et recte *Wagn*. haec adnotat: „Non licet in eiusmodi re spernere omnium Codd. auctoritatem, quamquam hoc poëta fortasse emendaturus erat, si licuisset." Nihilominus etiam Ribbeck. Proleg. p. 80. haeret in h. l. et librarios peccavisse suspicatur. — 255. *Iovis armiger*, quia fulmen Iovis tenet. Cf. Plin. II, 55. 56. *aquila, quae ob hoc armigera huius teli fingitur*, et Ovid. Met. XII, 560 sq. *volucris, quae fulmina curvis Ferre solet pedibus*. Eodem nomine appella-

Longaevi palmas nequiquam ad sidera tendunt
Custodes saevitque canum latratus in auras.
At qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Levibus huic hamis consertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto,
Donat habere viro, decus et tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem conixi humeris; indutus at olim
Demoleos cursu palantis Troas agebat.

---

tur infra IX, 564. Ovid. Met. XV, 386. Val. Fl. I, 156. II, 416. alibi; et ap. Hor. Od. IV, 4, 1. *minister fulminis ales*. Vid. etiam Aen. I, 394. — *rapuit*, recte; nam puer iam in altum raptus repraesentatur. – **256**. *Longaevi custodes*. Vid. infra ad v. 546. — „*tendunt palmas*, non mirantes, sed graviter ferentes ac deorum fidem implorantes, ut et res postulat et hymn. in Ven. 208., ubi copiose de Trois patris luctu agitur.“ *Heyn*. Similis est locus II, 405 sq. — **257**. *saevit latratus in auras*. Similiter Varius ap. Macrob. Sat. VI, 2, 20. *canis* - - *saevit in absentem*. Ceterum cf. adnott. ad Ecl. I, 56. (ubi praeter h. l. etiam VI, 561. potest addi). — **258**. Mnestheus loricam pretiosam victoriae praemium accipit, quam etiam ap. Hom. Il. XXIII, 560. in ludis Achillis victori contingere, docet Heyn. — Verba v. **259**. iam legimus III, 467., ubi vid. ádnott. — **260**. Cf. Hom. Il. XXIII, 560. Auget doni pretium commemoratio prioris possessoris et rationis, qua Aeneas ipse loricam ceperat. Thiel comparat similes locos I, 650 sqq. IV, 263. infra v. 536. alios. — *Demoleum* vel e poëtis cyclicis petiit, vel ipse finxit poëta; nam ápud Homerum homo ille non commemoratur. — **261**. Pro *sub Ilio alto* Codd. quidam Verg. et Max. Victor. (de fin. V. p. 457. Endl.) Cod. Bob. a m. pr. *sub I. alta*, non male. Vid. Heins. ad Ovid. Her. I, 48. et quae supra ad v. 122. adscripsimus. Sed vulgatam praeter plurimos et optimos Codd. tuentur Serv. et ad h. l. et de rat. ult. syll. p. 1802. P., Donat. ad Ter. Phorm. prol. 2., Macrob. Sat. V, 7, 3. Mart. Capella III. p. 64. Grot. Sergius in Donat. 7. p. 479. Endl. et Pompeius p. 51. L. Ceterum cf. adnott. ad Geo. I, 485. et de hiatu cum correptione longae vocalis ante proximam vocalem vid. adnott. ad Ecl. II, 53. III, 79. Geo. I, 437. Aen. III, 211. et al. — **262**. *donat habere*, Hom. Il. XXIII, 612. *δῶκεν ἄγειν*. Vid. supra ad v. 247. — *viro*, post *huic* (v. 259.) additum, non prorsus abundat (cf. infra v. 521. *pater*, XII, 401. *senior* etc.), cum verbis adiectis *decus et tutamen in armis*. *Vix illam famuli* cett. lorica diserte tamquam ornamentum viro conveniens viroque dignum significetur; quamquam omnino verum est, quod Wagn. Qu. Verg. XXI, 7. docet, Pronomina demonstrativa apud Vergilium haud raro ita usurpari, ut Subiectum obscure illis indicatum post aliquot demum verba ipsum addatur. Cf. Geo. IV, 457 sqq. Aen. V, 609. X, 198. XII, 401. cett. — „*decus et tutamen* Hom. Il. XV, 533. *δηΐων ἀνδρῶν ἀλεωρήν*. — *in armis*, vel inter pugnam, vel eius armati, *αὐτοῦ ἐν ὅπλοις* (*ὄντος*). Sed illud praestat.“ *Heyn*. Recte; temere igitur Peerlkampio haec verba otiosum nec Vergilio dignum additamentum videntur, cum ipsa *lorica* genus sit *armorum*, ut Vergilius in voc. *viro* substitisse censendus sit. — **263**. In vv. *Vix illam* - - *indutus at olim* color ductus ex Hom. Il. V, 303 sq. In memoriam autem revocăndum, heroibus et omnino priscis hominibus tribui molem corporis, robur ac vires ultra communem hominum sortem: bene itaque h. l. duorum e vulgo hominum vires longe superabat unus Demoleos. -- **264**. „*multiplicem*, quod multis annulorum nexibus pondus magnum habebat.“ *Heyn*. Cf. Sil. XVI, 583. *auri multiplicis thoraca tulit*. — *conixi humeris* Cf. IV, 406. et IX, 725. *obnixae* et *obnixus humeris* atque IX, 410. et 127. *toto conixus corpore*. Vid. etiam infra v. 642. *Conixi* autem litera non geminata scripsimus cum Hauptio, Ribbeckio et Ladew. optimorum Codd. auctoritatem secuti. (Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 455.). — **265**. *Dem*

Tertia dona facit geminos ex aere lebetas
Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.
Iamque adeo donati omnes opibusque superbi
Puniceis ibant evincti tempora taeniis,
Cum saevo e scopulo multa vix arte revolsus,
Amissis remis atque ordine debilis uno,
Inrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens,

---

leos, *Δημόλεως*, i. e. *Δημόλαος*. Sic omnes fere Codd. (Rom., Pal., Gud. etc.) et Quinct. Inst. VIII, 4, 24. Vid. adnott. ad Ecl. VI, 13. et Aen. II, 371. Vulgo *Demoleus*, ut in Med. et tribus Pariss. — *cursu palantis agebat*, Homeri (Il. XIV, 14. al.) *κλονεῖν ὀρινομένους*, de exercitu in dissolutam fugam converso accipiendum, quam maxime pertinet ad laudem Aeneae, qui vicit hominem Troianos iam victos persequentem. Respexit hunc locum Silius II, 161. *a moenibus actos Palantesque fuga praeceps ad litora cursu Egerat*, unde etiam patet coniungenda esse verba *cursu agebat*, non *cursu palantes*. Cf. etiam Geo. III, 409.; *palantes agebat*, ut XI, 734. *palantes agit*. — **266**. *Tertia dona*, quae Gyae tribuuntur. — *facit*, Homeri *θῆκε* Il. XXIII, 263. 265. etc. — *lebetes* (de quibus vid. ad III, 468.) etiam ap. Hom. Il. XXIII, 667. et 885. inter praemia victoriae commemorantur. — *gemini* autem ex more veterum. Vid. adnott. ad IX, 263. — **267**. Cf. Hom. ibid. 270. 616. 656. *Cymbia argento perfecta*, ut VI, 895. (ubi vid. adnott.) *porta perfecta elephanto*. De *cymbiis* vid. ad III, 66. — *aspera signis*, anaglypha figuris eminentibus caelata. Sic etiam infra IX, 263. Ovid. Met. XII, 235. *signis exstantibus asper crater*. ibid. XIII, 701. *crater erat asper acantho*. Sen. Hippol. 899. *regale parvis asperum signis ebur*. Sil. II, 431. et XI, 279. (ubi vid. Drak.) cett. Sic etiam Graeci, v. c. Pind. Isthm. VI, 58. *οἰνοδόκον φιάλαν χρυσῷ πεφρικυῖαν*. — **268**. *Iamque adeo*. Vid. ad II, 567. et Hand. Turs. I. p. 146. — *superbi*. Cf. infra v. 473. *tauro superbus* et vid. adnott. ad I, 21. — **269**. „*puniceis taeniis*: atqui v. 110. *virides coronae?* et infra v. 494. *viridi Mnestheus evinctus oliva*. At erant frondes punicea taenia religatae. Bene Serv.: „„Significat lemniscatas coronas, quae sunt de frondibus et discoloribus fasciis."" [His igitur taeniis religatae sunt coronae v. 110. et 494. commemoratae.] Cf. Theocr. Id. II, 121 sq. Plin. XXI, 3, 4." *Heyn*. Henry in *Tw. years* V. p. 21. conferri iubet Museum Pio-Clem. T. VI. tab. 12. et 13. — De extremis syllabis vocis in unam contractis (ut VII, 769. *Paeoniis*) vid. ad Aen. I, 73. VII, 96. XII, 401. al. Haupt., Ribbeck., Ladew. et Conington Lachmanno suasore ad Lucr. V, 85. p. 279. cum Med., Pal., Rom., fragm. Ver., Gud. et Bern. II. scribunt *taenis*. — **270** sqq. Animadverte, poëtam omnia ad ipsum Sergestum referre, quae proprie de nave tantum valent, quam ille regit. — *saevo scopulo*, ut X, 678. *saevis vadis*. — *e scopulo - - revolsus*. Cf. Ovid. Met. XIII, 882. *Insequitur Cyclops, partemque e monte revulsam Mittit*, ibique Bach. — **271**. „*ordine debilis uno* proprie esset uno remorum ordine e ternis supra v. 119 sq.; at h. l. *ordo* de latere, paulo latius: ab uno latere omnino remi detersi erant. Cf. supra ad I, 104 sq." *Heyn*. Quod attinet ad vocem *debilis* (i. e. dehabilis), Conington (qui explicat per *disabled*) comparat Ovid. ex P. III, 1, 67. *Fac tu sustineas debile sola iugum*. Abest hic versus ab uno alterove libro, sed agnoscitur etiam a Donato ad Ter. Andr. IV, 2, 24. — **272**. *ratem agebat*, ut alibi *currum, equos agere*. Vid. Burm. ad Lucan. VII, 3. et ad Ovid. Fast. I, 500. Bentl. ad Lucan. I. 316. et Barth. ad Stat. Theb. VI, 316. et 432. Sic Hor. Ep. II, 1, 114. *navem agere ignarus navis timet*, et Tac. Hist. IV, 22. *agere naves in amnem adversum*. — **273** sqq. Poëtae obversatus videtur Lucretii locus III, 657 sqq. Eandem comparationem ap. Quintum Smyrn. IX, 374 sqq. legi memorat Heyn. Cum totius loci conformatione cf similis locus II, 471 sqq. ibique adnott. — *saepe*, quod alibi *quondam* vel *olim*. Vid. adnott. ad

Aerea quem obliquum rota transiit aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator;
Nequiquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox ardensque oculis et sibila colla
Arduus attollens; pars volnere clauda retentat
Nixantem nodis seque in sua membra plicantem.
Tali remigio navis se tarda movebat;
Vela facit tamen et velis subit ostia plenis.

I, 148. II, 367. et V, 125. Heins. temere cogitabat de Ablativo vocabuli *saepes*. — *viae in aggere* nihil aliud, nisi in via; quia viae structae, munitae, solent aggeris instar paulo elatiores esse campo. Quare Rutil. Itin. I, 39. et Sidon. Apoll. Carm. 24, 5. et Epist. I, 5. viam silice constructam simpliciter *aggerem* dixerunt. Conington conferri iubet Isidor. XV, 16, 7. Ammian. XIX, 16. et Turnebi Adv. XI, 6. Schirach. p. 325. haec vv. interpretatur per terram in via egestam. — **274**. *Aerea rota*, ferrea, vel potius ferrata. Vid. ad v. 198. — *obliquum*. Haupt. et Ribbeck. *oblicum*. Vid. ad Ecl. V, 4. 28. — *transiit*. Ribbeck. cum uno Rom. scripsit *transit*. Vid. supra ad II, 497. — „*ictu* et ad *gravis* (qui gravem ictum infert) et ad *seminecem* referri potest; sed prius puto melius [et recte quidem]. Vulgare erat, *gravi ictu*." *Heyn*. Ut hic *gravis ictu*, sic infra v. 387. *gravis dictis*. Cf. etiam adnott. ad Geo. III, 506. — **275**. *saxo* non minus ad *seminecem*, quam ad *lacerum* pertinere, quisque videt. Ladew. *saxo* pro Ablativo loci habet, ut sit i. q. supra *viae in aggere*, quod probare non possum. Cf. potius Geo. III, 420. *Cape saxa manu - - Tollentemque minas et sibila colla tumentem Deiice*. Moret. I. *saxi* (i. e. ictu gravis saxi), quod recepit Wakef. — **276**. *fugiens* de conatu est intelligendum: fugere tentans. — *dat tortus*, i. e. facit tortus (quemadmodum apud Graecos διδόναι pro ποιεῖσθαι), et hoc pro: intorquet se flexibus et tentat prorepere, ut Geo. I, 320. *dare motus* pro se movere (saltare), Geo. III, 247. *stragem dare* etc. Simili ratione dicitur *dare sonitum, voces, modos* etc. Vid. ad VII, 701. IX, 323. et al. adnotata. — **277**. *parte ferox*, altera tantum, priore s. superiore parte corporis. — *sibila colla* legimus etiam Geo. III, 421., ut *sibila ora* Aen. II, 211. — **278**. *Arduus attollens*. Heyn. confert Callim. fragm. 438. αὐχέν' ἀνασχών. Alios locos similes protulit Ruhnk. Epist. Crit. II. p. 189. Ceterum cf. etiam Aen. II, 472. sqq., imprimis verba *Arduus ad solem*. — „*pars vulnere clauda retentat*, pars vulnerata, obtrita et fracta, moratur ac retinet, ne possit procedere, serpentem." *Heyn*. *Retentare* ex Lucr. II, 728. videtur petitum. Cf. etiam Plaut. Asin. III, 3, 1. et posteriores haud pauci. — **279**. Vulgaris lectio *nexantem nodis* (sane etiam a Prisc. p. 861. et 904. P. atque Eutychio II, 17. exhibita), quam explicant: nectentem se in nodos, replicantem se in orbes, admodum suspecta est, primum quia *nexare* pro se nexare usurpatum alio exemplo probari non potest, quamquam omnino admodum raro invenitur hoc vocabulum (v. c. Lucr. II, 98., ubi tamen Lachm. *vexantur* edidit, et Liv. Andr. fr. ap. Prisc. X, 8. extr. p. 904. P.), tum quia languida est tautologia *nexantem nodos seque in sua membra plicantem*. Aptissima contra Med., Pal., Ver., Gud. a m. pr. al*i*orumque Codd. lectio *nixantem nodis*, quam, ab Iahnio iam commendatam, cum Wagn. recepimus. Haec enim (id quod iam Wagn. docuit) optime convenit verbo *retentat* (serpens retinetur, quantumvis nodis s. spiris, qui ei sunt pedum loco, nitatur); et facile poterat in alteram mutari a librariis, quibus *nexandi* verbum magis ad *nodos* quadrare videretur, quam *nixandi*, quod non legi videtur nisi apud Lucr. III, 1013. et IV, 507. (Omnes recentiores editores praeter Bryceum et Coningtonem mecum Wagnerum secuti sunt. Cf. etiam Neue *Formenl*. II. p. 323.) — **280**. *se tarda movebat*, pro tarde. Vid. ad IV, 494. et al. Pal. et Gud. praebent *ferebat*, ut III, 199. *magna se mole ferebat*. — **281**. *Vela tamen facit*; nam in antecedentibus *tali remigio*,

Sergestum Aeneas promisso munere donat
Servatam ob navem laetus sociosque reductos.
Olli serva datur operum haud ignara Minervae,
Cressa genus, Pholoe, geminique sub ubere nati.
  Hoc pius Aeneas misso certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant silvae, mediaque in valle theatri
Circus erat; quo se multis cum milibus heros

---

i. e. fracto, latet haec protasis: quamquam remis promoveri non potest. — *Vela facere*, i. q. velificare, valet plenis velis navigare, et praeter h. l. etiam ap. Cic. Tusc. IV, 5, 9., sed metaphorice usurpatum, legitur. — *et velis* (pro iisque: vid. ad I, 553.) *subit ostia*, portum, *plenis*. Vid. ad I, 400. Similiter ap. Ovid. Met. XIII, 728. *Hac subeunt Teucri remis*. Med. et pauci alii Codd., quos Haupt., Ribbeck., Ladew. et Benoist sequuntur, verba sic transponunt: *plenis subit ostia velis;* quos tamen recte sprevit Wagn., adsentiente Coningtone, nam voce *plenis* in medio versu posita videtur poëta aliquid diversum dicturus esse ab his *vela facit*. Vulgarem verborum ordinem, qui ex I, 400. facile mutari poterat, tuentur Pal., Rom., fragm. Ver., Gud. et Minoraug. Bryantus hunc totum versum spurium censuit, Peerlk. autem sic scribi iubet: *Vela facit tandem, et plenis subit ostia ventis*. — 282 sqq. „Quod Sergesto, etsi inferiori, munus dat, et quod servam dat, ab Homero habet Il. XXIII, 536 sqq. et 261 sq. Quod autem Pholoën Cretensem nominat, hoc ut poëta facit, a quo nihil facile indefinite ponendum.“ *Heyn*. — *promisso munere;* nam omnibus certamen inituris, etiam victis, Aeneam dona constituisse, luce clarius apparet ex v. 70. 305. et 365 sqq., quod etiam Wagn. adnotare non neglexit. — Cum v. 283. cf. I, 390. *Reduces socios classemque relatam*. — 284. Cf. Hom. Il. XXIII, 263. 704. et Stat. Theb. VI, 549. *at generum famula solatur Achaea*. — *datūr*. Vid. ad Ecl. I, 38. Geo. II, 211. et al., sed cf. etiam, quae infra ad v. 521. disputavimus. Verba *Olli serva datur* iterantur in Auson. cent. nupt. 63. — *operum haud ignara Minervae*, *ἔργα Ἀθηναίης εἰδυῖα*, lanificii et texturae perita. — 285. *Cressa genus*. Sic hic et Geo. III, 345. optimi plurimique Codd. Est Graecum *Κρῆσσα*, formatum ut *Θρῆσσα*, *Θρᾶττα;* quare non mirum, Schol. Horatii Crucq. ad Od. III, 9. etiam hic *Tressa* exhibere, quod Burm. temere defendit. Cf. adnott. ad Geo. l. l. et Aen. IV, 70. Cum Accus. remotioris Obiecti *genus* cf. infra VIII, 114. *Qui genus?* XII, 25. *Nec genus indecores* et multos similes locos. Vid. ad Ecl. I, 54. III, 106. Geo. II, 131. Aen. III, 594. et alibi adnotata. — *gemini sub ubere nati*, quos Sergestus domi educare poterat servos vernas, maius etiam muneri conciliabant pretium. *Sub ubere*, ut ap. Stat. Theb. III, 683. *Parvumque sub ubere caro Thessandrum portabat avo*, et Sil. III, 63. *parvumque sub ubere natum*, ubi vid. Drak. — Med., Rom., Gud. et a m. pr. Pal. male scribunt *sub ubera*. Verba *geminique sub ubere nati* (quae Ribbeck. Proleg. p. 80. recte contra Schwenckium defendit, qui ea vult deleta) hinc repetuntur in Ausonii cent. nupt. 63. et Anth. Lat. I, 178, 95. Similiter Aen. III, 392. *albi circum ubera nati*. — 286 sqq. „Totum hoc, quod sequitur, cursus certamen ex Homero adumbratum Il. XXIII, 740 sqq. Locum spectaculi tantum non exscripsit ex nostro Statius Theb. VI, 255 sqq.“ *Heyn*. — *misso certamine*, i. e. misso facto, finito. Heyn. minus recte interpretatur: certantibus dimissis. Vid. infra ad v. 545. — 287. *collibus* (Abl. instrum.) *cingebant silvae* pro: colles silvosi, silvis consiti; *curvis*, ut II, 748. *curva valle* (ubi vid. adnott.) et XI, 522. *curvo anfractu vallis*. Cf. etiam VIII, 508. *undique colles Inclusere cavi*. — 288. *quem - - cingebant, mediaque - - Circus erat*. Locus similis est amplo theatro, ita ut campus medius cum arena Circi, colles eum cingentes cum cavea comparentur. Quare Semicolon vulgo post *silvae* positum cum Wagn. in Comma mutavimus. De Copula post Pron. relat. inaequalia membra iungente cf. adnott. ad Ecl. VIII, 3. et alibi. — *theatri*, cuius species quaedam per

Consessu medium tulit exstructoque resedit.
Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis animos et praemia ponit.
Undique conveniunt Teucri mixtique Sicani,
Nisus et Euryalus primi,
Euryalus forma insignis viridique iuventa,
Nisus amore pio pueri; quos deinde secutus

---

colles erat effecta. Cf. infra v. 340. et 684. — *theatri* a voc. *Circus* pendet, non a *valle*, ut prius falso ratus sum. — **290.** *consessu* vulgo explicant per: in consessum, ut IV, 373. *eiectum litore*, qui tamen locus plane alius est generis, cum sit *eiectus in litore*, non *qui eiicitur in litus*. Quare Thiel. *consessu* pro antiquo Dativo habet, pro *in*, *ad consessum* posito, quod probo; Gossr. autem, cum quivis lector coniungere debeat *quo consessu* et aliquot Codd. praebeant *Consessu in medium*, suspicatur Vergilium scripsisse *Consessum medium*, ut *consessum* sit Supinum. — *exstructo* Heyn. recte explicat: in loco exstructo, suggestu in medio circo, coll. supra v. 44. Alii cum Servio verba sic capiunt: heros se tulit medium, consessuque exstructo resedit, ut consessus de loco intelligendum sit, quo sedent spectantes; quod probare non possum, quamquam etiam Conington similem profert explicationem, qui tamen *exstructo* recte pro Substantivo habet. Ribbeck. (qui etiam cf. in Proleg. p. 80.), et ipse *consessu* Dativum esse, ad Ablativum autem *exstructo* requiri *toro* ratus, post v. 290. poëtam aliquid additurum fuisse suspicatur, quare lacunae signa . . . . . appinxit; quod Ladewigio admodum probabile videtur. — V. **291.** prius hemistichium iteratur in Anth. Lat. I, 170, 12., alterum ibid. v. 16., totus autem, qui sequitur, versus ibid. v. 13. — *contendere cursu* etiam ap. Tibull. IV, 1, 93. et alibi legimus. Sic Ovid. Met. X, 470. *pedibus cum aliquo contendere*. — **292.** *pretiis*, i. e. praemiis, quod voc. ipse poëta explicationis causa addit (vid. ad v. 111.); nisi praestat *pretia* (munera) cum Wagn. a *praemiis* distinguere, ut infra v. 308. *honorem* et *praemia*. — *animos*, i. e. eos, quibus animus fuit cursu contendendi; ideoque audaciae et fortitudinis notione adiecta, quod vere observat Ruhk. Ceterum *qui velint* — *animos* positum pro: animos eorum, qui velint. Vid. adnott. ad Ecl. II, 71. Aen. IV, 597., imprimis autem ad XI, 172. *Peerlk.* temere suspicatur, Vergilium substitisse in verbis *Invitat pretiis*, versumque ex huius libri v. 486. suppletum esse. — *ponere* pro: in medium locare, verbum proprium de praemiis. Vid. Burm. ad Phaedr. I, 14, 9. coll. iis, quae Heyn. ad Geo. II, 530. adnotavit. Saepius utique *proponere* usurpatur. Cf. Drak. ad Liv. XXI, 45, 7. — **293.** *Undique conveniunt.* Vid. Anth. Lat. I, 170, 20. 171, 11. 178, 417. — *mixtique Sicani.* Teucris, ad quos hi ludi proprie spectabant, etiam Siculi admixti erant. Ita enim *mixtus* apud poëtas plerumque significare rem secundariam ad primariam accedentem, Thiel. probare studet locis Hor. Od. IV, 11, 10. Ovid. Met. III, 529. et Tibull. I, 3, 63., ubi vid. Bach.; quamquam hoc non de omnibus locis valere, Conington docet coll. Ecl. X, 55. *Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis.* Et sane ipsa fert natura rei, ut non paucos modo Sicanos Troianis admixtos fuisse sumamus. De *Sicanis* vid. ad Ecl. X, 4. — **294.** *Nisus et Euryalus*, coniunctissimum par amicorum, ob intimam familiaritatem celebratum (vid. infra v. 334. IX, 176 sqq. Ovid. Trist. I, 5, 23. V, 4, 26.), quorum uterque in pugna cum Rutulis commissa, alter super alterius corpus multis vulneribus confossus, occidit. (Vid. infra IX, 444 sqq.) Euryalus Opheltae erat filius, Nisus Hyrtaci. Ceterum cum infra l. IX. ita describantur, quasi numquam antea eorum mentio facta esset, Ribbeck. Proleg. p. 79. suspicatur, locum nostrum v. 286—361. post illud de Niso et Euryalo episodium, quod nono libro legitur, esse ortum. — **295.** *viridi iuventa*. Vid. ad 304. Haec verba in Anth. Lat. VI, 84, 30. sic mutata repetuntur: *signis facie viridique iuventa*. — **296.** *amore pio*, casto, intima ami[illegible] ut apud Val. Fl. IV, 2. *natique pios miseratus amores*. Conington fert Ovid. Tr. IV, 5, 30. *Quo pius adfectu Castora frater* a[illegible]

Regius egregia Priami de stirpe Diores;
Hunc Salius simul et Patron, quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeaeae sanguine gentis;
Tum duo Trinacrii iuvenes, Helymus Panopesque,
Adsueti silvis, comites senioris Acestae;
Multi praeterea, quos fama obscura recondit.
Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus:
„Accipite haec animis laetasque advertite mentes.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnosia bina dabo levato lucida ferro

— *pueri*, Euryali adolescentuli; nam *puer* omnino ad iuvenilem aetatem spectat, ut etiam adolescentes viginti annorum et amplius *pueri* dicantur, veluti Octavianus XIX annos natus Ciceroni ad Div. XII, 25. et ad Att. XVI, 11., Scipio plus quam XX annos natus Silio XIII, 704. et XV, 33. cett. — **297**. *Diores*, Priami fil., etiam Hygino f. 273. commemoratur. Qui infra XII, 509. a Turno interficitur Diores, Amyci frater, Coningtoni recte alius videtur esse. — *regius*, quod est e stirpe regia. Vid. supra v. 252. — **298**. *Salii* alibi non fit mentio, nisi ap. Festum v. Salios p. 329. M. Qui enim X, 753. prodit *Salius*, alius est. — *Patron* autem secundum Dion. Hal. I, 51. Acarnan fuit et unus ex iis, quos Helenus Aeneae comites dedit (vid. ad III, 470.), quique, cum ceteri post adventum in Italia reverterentur, Aeneae precibus motus remansit. Cf. Heynii Exc. III. ad h. l. Habemus igitur hic chiasmum, ut verba *Alter ab Arcadio* etc. ad Salium pertineant. Cf. etiam Festi l. l. — Forma *Acarnan*, unde Adiectiva *Acarnanus* et *Acarnanius*, invenitur etiam Liv. XXXVII, 45, 17. XXXVI, 21, 6. Ovid. Met. VIII, 569. alibi. — **299**. *Tegeaeus*. Vid. adnott. ad Geo. I, 18. et Aen. VIII, 459. Pars Codd. praebent *Tegeae de* (Med. a m. sec.) vel *Tegeaea de sanguine* (Rom.), ita ut iam ap. Servium de hac lectionis varietate disceptetur. Sed recte Heyn. omissionem ultimae syllabae interpolationi locum dedisse suspicatur. *Tegeaeae* Pal. a m. pr., Mentel. II. aliique Codd. exhibent. De forma *Tegeaeus* (cum qua cf. *Nemeaeus*) cf. infra VIII, 459. Cort. ad Lucan. I, 655. Ruhnk. ad Ovid. Her. IX, 87. et Bach. ad Ovid. Met. VIII, 316. — **300**. *Trinacrii iuvenes*. Vid. ad I, 196. Verba *Tum duo Trinacrii iuvenes* iterantur in Anth. Lat. III, 81, 31. — *Helymus* Troianus, qui cum Acesta in Siciliam venerat, iam supra v. 73. commemoratus est (vid. etiam infra v. 323. et 339.), *Panopes* alibi non commemoratur. (*Panopeus* autem herois Graeci est nomen ab Apollod. II, 4, 7. Paus. II, 29, 4. X, 4, 1. Lycophr. Cass. 935. et Ovid. Met. VIII, 311. commemorati.) — **301**. *senioris Acestae*, ut infra v. 574. Ceterum vid. ad I, 195. — **302**. Ex Ennii Alexandro (fr. 5. p. 99. Vahl.) comparat Macrob. VI, 1. p. 506. Ian. *Multi alii adventant, paupertas quorum obscurat nomina.* Cum *fama obscura* cf. VII, 205. *fama est obscurior annis.* Totus hic versus iteratur in Anth. Lat. l. l. v. 38. — **303**. *quibus in mediis* pro vulg. in quorum medio, vel inter quos medius. Sic *in mediis* etiam VIII, 696. et XI, 237. Vid. Barth. ad Stat. Theb. IV, 683. — Cum v. **304**., qui iteratur in Auson. cent. nupt. 1., cf. III, 250. ibique adnott. et IV, 611., ubi *Accipite haec* (animis), atque VIII, 440., ubi *huc advertite mentem.* — **305**. Cf. Hom. Il. I, 119. et Od. IX, 42. *non donatus*, Homeri ἀγέραστος. Peerlk. confert Hegesipp. Excid. Hieros. V, 27. *Haud quaquam mihi non donatus opimo abibit munere.* Adde Silium XVI, 302. *Nec quisquam nostri discedet muneris expers.* — **306** sq. Cf. Hom. Il. XXIII, 884. et 851. *Gnosia spicula.* Vid. ad Geo. I, 222. Scripturae *Gnosius* per simplex *s* favent Med., Rom. et alii Codd. (itemque Pal., Gud., alii, qui *Cnosia* exhibent), de qua re Wagn. conferri iubet Schaeferi Melet. p. 1. Blomf. ad Aesch. Prom. 751. Poppon. ad Thuc. I. p. 210. et ad Xen. Anab. VII, 5, 12. Boeckh. ad Pind. Ol. IX, 47. et Sillig. ad Cul. v. 15. Vid. etiam, quae de scriptura *Parnasius* ad Ecl. VI, 29. adnotavimus. Unus Ribbeck. cum Pal. et Gud. scribit *Cnosia*.

Spicula caelatamque argento ferre bipennem;
Omnibus hic erit unus honos. Tres praemia primi
Accipient flavaque caput nectentur oliva.
Primus equum phaleris insignem victor habeto,
Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis
Threiciis, lato quam circum amplectitur auro
Balteus et tereti subnectit fibula gemma;
Tertius Argolica hac galea contentus abito."
Haec ubi dicta, locum capiunt signoque repente
Corripiunt spatia audito limenque relinquunt,

Ut autem hic *Gnosia*, sic Ecl. X, 59. (ubi vid. adnott.) ab alio Siciliae oppido *Cydonia spicula* commemorantur. Cf. etiam Callim. h. in Apoll. 33. ab Heyn. laud. Ceterum non haerendum in duplici epitheto sine Copula adiecto; *Gnosia* enim originem, *lucida* qualitatem spiculorum significat. Vid. adnott. ad Geo. I, 449. et al. — *levato ferro*, polito, vel, ut Schol. Stat. Theb. I, 519. de h. l. agens explicat, *lucido facto*. — *dabo*, scil. cuique, quod ex antecedentibus facile intelligitur. -- **307.** „*bipennem* [de qua vid. ad Geo. IV, 331. et Aen. II, 479.] argenteo manubrio, signis caelatis, h. e. ornamentis exsculptis, ornato." *Heyn*. *Bipennis* inter tela bellica etiam XI, 651. commemoratur. — **308.** *unus*, idem et communis omnibus. Cf. II, 102. V, 616. IX, 182. X, 487. 703. Plaut. Most. III, 1, 147. *Iterum iam ad unum saxum me fluctus ferunt* etc. -- *Honos* Heynio est praemium. Rectius tamen inter *honorem*, i. e. munera honoris causa data, et ipsa victoriae *praemia* distinxeris. Apertum est enim, h. l. sic esse intelligendum: Haec munera honorifica omnes accipient, tres primi autem alia et maiora praemia. Ceterum de forma *honos* vid. ad Ecl. III, 56. Geo. II, 81. Aen. III, 27. al. — **309.** *flava oliva*. „*Fulvaque* est apud Serv. ad IV, 261. - - - Scilicet sunt varia olearum genera, et mutat oliva colorem ipsa maturitate. Laudatur quoque ξανθῆς ἐλαίας καρπός ex Persis Aeschyli." *Heyn*. *Flava* praeter Codd. nostros tuentur etiam Gellius II, 26, 12. et Iul. Rufinian. p. 255. R. Ceterum cf. infra v. 494. — **310.** Cf. Hom. Il. XXIII, 265. *phalerae*, singulare quoddam equorum ornamentum, quod haud dubie ex capite et collo dependebat et bullis argenteis vel eburneis decoratum erat. Cf. Cic. Verr. II, 4, 12. IV, 12, 29. et ad Att. XV, 29. Liv. XXII, 52, 5. Plin. XXXVII, 12, 74. Iuven. XI, 103. alii et liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 146. adn. 59. De phaleris ab hominibus gestis hic non est disserendi locus, sed ad IX, 359. — **311.** *Amazonia* et *Threiciae* (i. e. qualibus Amazones et Thraces utuntur) epitheta ornantia, a praestantissimo genere petita, ut mos poëtis. Thraces enim imprimis bonos sagittarios fuisse constat. Non autem urgendum est, Amazones (I, 480.) et Thraces (III, 15.) fuisse Troianis belli socios. -- **312.** *lato quam - - gemma*. Ea pharetra pendebat e balteo lato et aurato, infra gemmata fibula nexo. Cf. supra ad IV, 139. Conington comparat Pers. IV, 44. *lato balteus auro Praetegit*, infra X, 499. et Hom. Od. XI, 610. Adde infra IX, 359. *aurea bullis cingula* et cf. librum meum modo comm. p. 114. — *circum amplectitur*. Sic maior pars Codd. (Pal., Rom., Gud., Bern. II. III. etc.), quorum lectionem, quam coll. Ecl. III, 45. iam prius fortasse praestare censueram Medicei aliorumque librorum scripturae *circumplectitur*, nunc cum Ribbeckio, Coningtone et Benoisto recepi; neque intelligo, cur hoc Wagnero minus commode „de baltei vinculo" dici videatur, quam illud. Nam sive hanc sive illam lectionem amplectimur, pharetra balteo inserta est cogitanda, ut intima pars baltei pharetram circumdet, quod non minus apte *circum amplecti*, quam *circumplecti* dicitur. Modo ne quis de verbo composito *circumamplecti* cogitet, quo Vergilium hic uti noluisse, si vera est haec lectio, ipsa elisio demonstrat. Cf. Hand. Tursell. II. p. 68. — **314.** Cf. Hom. Il. XXIII, 799. *Argolica galea* peculiare est genus. Cf. supra II, 389 sq. et 412. Videtur autem haec galea e spoliis fuisse. Cf. III, 286. — **315.** *locum capiunt*, unde excurrant (*sie treten an*). — **316.** *Corripiunt spatia*,

Effusi nimbo similes; simul ultima signant.
Primus abit longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis;
Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
Insequitur Salius; spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus;
Euryalumque Helymus sequitur; quo deinde sub ipso

---

currere incipiunt. Cf. adnott. ad Aen. I, 418. *Spatia*, locus, ubi decurritur, ut Geo. III, 203., ubi vide adnott. — *limen*, *νύσσην*, ut Hom. Il. XXIII, 758. Od. VIII, 121., albam lineam, regulam, creta vel calce ductam. Supra v. 139. *fines* eodem sensu. — **317**. *Effusi nimbo similes*. Cf. Geo. IV, 312., ubi *imber* i. q. hic *nimbus* (i. e. densae guttae pluviae). Magnum autem numerum una se proripientium indicari in promptu est. Cf. etiam Aen. VII, 793. *Insequitur nimbus peditum*. Henry in Philol. XIII. p. 632. cogitat potius de celeri et guttarum cadentium et cursorum se proripientium consequentia (*Aufeinanderfolge*). Sed nonne cursores omnes uno eodemque temporis momento excurrunt? Quae vir doct. hic et in *Tw. years* V. p. 21. praeterea adiungit de verbis *ultima signant*, ea reiicienda esse, nunc ipse intellexit. — „*simul ultima* [spatia] *signant*, notant, oculis animoque designant metam. Subnatum forsan poëtae ex illo [l. l. v. 757.]: *σήμηνε δὲ τέρματ' Ἀχιλλεὺς Τηλόθεν*.“ *Heyn*. Cf. etiam Il. XXIII, 323. *αἰεὶ τέρμ' ὁρόων*. Sic infra XII, 3. *Se signari oculis;* neque prorsus alienus est locus Cic. Cat. I, 1, 2. *Notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum*. Cf. Servius ad h. l. Henry, qui negat, *signare* non addito voc. *oculis* (ut XII, 2.) hoc significare posse, explicat: linea (creta) ducta signant, ut Geo. I, 126. (ubi vid. adnott.), quod probare non possum, cum iam in eo sit, ut ipse cursus incipiat, meta autem iam antea constituta esse debeat. Quae autem mutata sententia in Philol. XIII. p. 632. scripsit, ea nunc ipse iure retractat. Ceteri recentiores editores mecum consentiunt, neque dissentire videtur Conington, multa de h. l. in utramque partem disputans. — **318**. *ante omnia corpora*, i. e. ante omnes. Cf. adnott. ad Aen. I, 70. 193. et II, 18.; de formulis autem dicendi *ante omnes*, *ante alios* (Aen. I, 347., ubi vid. adnott., III, 321. VII, 55. cett.), *ante ceteros*, *ante cunctos*, apud poëtas et recentiores solutae orationis scriptores haud raris, cf. Hand. Turs. I. p. 386 sq. — **319**. *Emicat*, prosilit. Cf. infra v. 337. II, 175. VI, 5. XII, 327. Ovid. Met. I, 27. 776. X, 653. Val. Fl. VI, 550. Flor. I, 18, 4. cett. et Burm. ad Ovid. Fast. VI, 423. — *fulminis alae*. In artis operibus, maxime in numis, fulmen alatum frequenter inveniri, docet Heyn.; Wagn. autem confert Val. Fl. II, 97. de Vulcano: *haec templa, peracta Aegide et horrifici formatis fulminis alis, Laetus adit;* cui adde Claud R. Pros. II, 229. *ni Iupiter - - Pacificas rubri torsisset fulminis alas*. Ceterum cf. Grat. Cyneg. 204. *Ocior pinna* (i. e. sagitta). — **320**. *longo sed proximus intervallo*. Cf. Nonius p. 524.: *Proximum dicebant veteres non solum adhaerens et adiunctum, verum etiam longe remotum, si tamen inter duo discreta nihil medium exstitisset*, et Orell. ad Hor. Od. I, 12, 19. Verg. respexit Ciceronem Brut. 47, 173. in. *Duobus igitur summis Crasso et Antonio L. Philippus proximus accedebat, sed longo intervallo tamen proximus*. Auson. autem Epist. IX, 26. hunc locum sic imitatus est: *Proxima sunt quaevis, sed longe proxima multo Ex intervallo*. Peerlk. confert Hegesipp. Excid. Hieros. II, 8. *Longo sed proximo intervallo praeteritus ac derelictus*. — **321**. *post deinde* hic non per pleonasmum illum dictum, de quo ad III, 464. egimus, sed verba sic collocanda: *deinde*, sc. insequitur, *spatio post* eum *relicto;* quare errat Hand. Tursell. IV. p. 502. hunc locum adnumerans iis, ubi pleonastice *post deinde*, *post tum* dicitur. Adsentiuntur mihi Bryce, Conington et Benoist. — V. **323** sq. Heyn. ex Hom. Il. XXIII, 764 sq. petitos esse docet. Memor huius loci fuit auctor carm. de alea in Anth. Lat. III, 81, 52. — *sub ipso*, statim post ipsum, iuxta ipsum; nam *sub* interdum dicitur de eo,

Ecce volat calcemque terit iam calce Diores
Incumbens humero; spatia et si plura supersint,
Transeat elapsus prior ambiguumque relinquat.
Iamque fere spatio extremo fessique sub ipsam
Finem adventabant, levi cum sanguine Nisus
Labitur infelix, caesis ut forte iuvencis

---

qui proximus est loco. Sic Manil. II, 187. *Nec non Arcitenens, qui te, Capricorne, sub ipso* (i. e. statim ante se) *Praemittit, duplici formatus imagine fertur.* — *ipso* autem ea ratione explicandum, de qua ad III, 5. diximus. Wakef. ad Lucr. II, 790. Maronem scripsisse putat *ipse volat*, quod Diomedes Gramm. I. p. 407. P. exhibet. — **324**. *calcem* - - *calce* nihil aliud esse videtur, quam *pedem* - - *pede*. Vid. etiam Schirach. p. 613. et cf. adnott. ad I, 684. et V, 569. Peerlk. tamen vituperat Vergilium, cum nemo intelligat, quomodo Diores *calce calcem* Helymi triverit, et laudat potius Silium, qui Vergilium imitatus XVI, 488 sq. magis perspicue scripserit: *Instat* - - *Hesperos, ac prima stringit vestigia planta Praegressae calcis.* (!) Expressit poëta Homeri ἴχνια τύπτειν πόδεσσι (Il. XXIII, 764.). Cf. etiam Henry *Tw. years* V. p. 21 sq. (et Nov. Annal. phil. LXVIII. p. 616.). — **325**. *Incumbens humero*, tam prope ab Helymo currit, ut eius alterum latus paene tangat. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 170, 120. — *spatia et si plura supersint*, si plus spatii superesset, nisi metae vicinitas impediret, *transeat elapsus*, praevertens eum transcurreret. Pro vulg. *ambiguumve*, quod Heins. edidit, probante Schaefero ad Lamb. Bos. p. 144., nunc cum Ribbeckio, Henrico et Coningtone recepi lectionem *ambiguumque*, quam Med., Pal., Rom., Gud., Minoraug., Bern. II. III. et omnes omnino (56) Henrici Codd. exhibent, ut Heinsii verba: „*ambiguumve* Codd. nostri omnes" magnam habeant suspicionem. Vid. Henry in *Tw. years* V. p. 23. sq. (in Nov. Annal. phil. LXVIII. p. 617.) et Philol. XIII. p. 633. Haec vero lectio etiam aliam flagitat interpretationem. Vulgo enim verba sic explicant: aut certe eum aequaret et ita ambiguum relinqueret (*würde es zweifelhaft lassen*), uter metam prius attigerit, utrum ipse prior fuerit, an posterior; si autem *que*, non *ve* legimus (quod sane ceteri recentiores editores retinuerunt), potius *ambiguum* cum Heynio et Coningtone pro Masculino habendum et ad Helymum referendum erit, ut sensus sit: „eum ambigentem de cursus palma, vel de quo ambigerent alii": quod sane cum vox *transeat*, tum Homeri comparatio Il. XXIII, 882. Καί νύ κεν ἢ παρέλασσ' ἢ ἀμφήριστον ἔθηκεν (scil. αὐτόν) et ibid. v. 526. τῷ κέν μιν παρέλασσ' οὐδ' ἀμφήριστον ἔθηκεν videtur comprobare. Etiam Henry in *Tw. years* et Annal. ll. ll. *ambiguum* recte nobiscum pro Masculino habuit eodemque modo, quo nos, explicuit, neque erat, cur mutata sententia in Philol. l. l. hanc aliam proponeret explicationem: omnem dubitationem post se relinquat („*left the doubt behind*"), i. e. haud dubium relinquat, se priorem esse; quem usum verbi *relinquere* aliis exemplis probare vix poterit. Ceterum Praesentia *supersint* - - *transeat* - - *relinquat* hic eadem ratione sunt posita, qua VI, 293 sq., ubi vid. adnott. — **327**. *spatio extremo*, extrema stadii parte (cf. Hom. l. l. v. 373. 768. πύματος δρόμος), *fessique*. De hac coniunctione verborum vid. ad Geo. I, 142. — **328**. *sub ipsam Finem adventabant*. Wagnero *finis* idem locus est, unde cursum inceperant; sed cum v. 317. legamus *ultima signant*, nec usquam de cursu *circa* metam acto sermo sit, *finis* potius de meta intelligendum videtur, quam Nisus recte cursu studet attingere; quod etiam Peerlk. perspexit. De femin. genere vocis *finis* vid. adnott. ad II, 554. et III, 145. Non igitur erat, cur in Med. altera manus *ipsam* in *ipsum* mutaret. Ceterum haec verba cum toto versu superiore repetuntur in Auson. cent. nupt. 128 sq. — *levi sanguine*, i. e. in solo victimarum sanguine lubrico (cf. v. 333.); qua signif. *levis* alibi non videtur legi. Similiter tamen Geo. IV, 45. *levis limus* dicitur. — **329**. *ut* Wagn. prius pro *ubi* de loco positum censuit coll. Lachmann. ad Prop. IV, 2, 31. et Sillig. ad Catull. XI, 3., nunc vero *ut forte* rectius

Fusus humum viridisque super madefecerat herbas.
Hic iuvenis iam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo, sed pronus in ipso
Concidit immundoque fimo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum;
Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens;
Ille autem spissa iacuit revolutus harena.
Emicat Euryalus et munere victor amici

---

explicat per *ὡς ἔτυχε προσκεχυμένος* etc., atque etiam interpres eius germ., Kochius, cautius scribit: „*ut, wie ὡς, bei Angabe einer nähern Erläuterung, so wie gerade, streift dem Gedanken nach in die Bedeutung des localen ubi hinüber;*" extrema tamen verba melius, puto, prorsus omisisset, cum hic non tam loci, ubi res fiat, quam potius causae, quae eam efficiat, ratio habeatur. — **330**. *super* adverbialiter positum esse pro superne, quisque videt. Vid. infra VI, 254. et adnott. ad Geo. II, 351. — **331**. *ovans*. Vid. ad Geo. I, 346. Aen. IV, 543. al. — *vestigia titubata haud tenuit* paulo audacius dictum pro: pedibus titubantibus vestigia non tenuit, i. e. currens se non potuit sustinere. Particip. Verbi intransitivi *titubatus* eodem modo usurpatum, quo Aen. III, 14. (ubi vid. adnott.) *regnatus*, Geo. II, 487. et Aen. III, 125. *bacchatus* et multa alia. De voc. *tenendi* hoc connexu usurpato Burm. conferri iubet Broukh. ad Prop. III, 7, 33. et sua ad Lucan. II, 248. — **333**. *sacroque cruore*, utpote victimarum. Sic etiam supra v. 78. Male igitur Parrhas. *crassoque*, quod ex v. 469. huc translatum. Ceterum nonne dignitas epici carminis v. 333. et infra v. 357 sq. violata sit, temere quaesitum est a viris doctis, qui non considerabant, antiquorum hominum simplex et incorruptum iudicium in eiusmodi rebus aestimandis a nostro pulchri et decori sensu nimium subtili et delicato prorsus recessisse. Ribbeck. (et cum eo Conington) in fine versus pro Puncto Comma posuit haerens in usu simplicis Participii (*oblitus*) omisso Verbo subst. *est*, de quo diximus ad I, 237. Sed dubito, num apte coniungi possint verba *non oblitus Euryali concidit immundo fimo* etc. — **334**. *oblitus amorum*, i. e. amoris, et h. quidem l. amicitiae. Nisus non immemor est officiorum, quae amicitia postulat, sed cupit, ut ex sua ipsius calamitate certe amico commodum aliquod prodeat: quare non opus est, ut cum Heyn. *amorem* pro ipso homine amato s. amico positum accipiamus. Wagn. coll. IV, 28. docet, *amores* Plur. numero interdum indicare „omnem mutui amoris sensum et affectum." Cf. tamen, quae ad illum locum adnotavimus. — **335**. „Humi iacens ita se currenti Salio opposuit, ut ille in eum impingeret pede et proruerет." *Heyn.* — **336**. *spissa arena*, i. e. densa, profunda. Sic Geo. II, 236. *spissus ager*, Ovid. Met. IX, 222. *spissa grando* cett. Quamquam autem de campo herbido (v. 287. 330.), non arenoso sermo est, tamen poëta cogitans Circum proprie dictum, qui arena solebat esse obductus, *arenam* dixit, quam Wagn. pro humo positam censet coll. locis Geo. I, 105. et IV, 293., qui tamen non prorsus eiusdem sunt generis, atque etiam Conington simpliciter pro poetico vocis *terrae* synonymo habet. Brycei explicatio, qui putat, concursu hominum caespitem iam proculcatum fuisse et evanuisse, ut nuda humus *spissa arena* apte significata conspiceretur, quaesita videtur. — *revolutus*. *Peerlk.* recte haec adnotat: „Salius prolapsus in os cecidit. Quare Vergilius non *revolutus*, sed *provolutus* dicere debuerat. *Revolutus* tamen habet rationem. Nam cecidit quidem in os, sed propter celeritatem motus totum corpus circumagitur, et ille in tergo iacuit *revolutus* adeo et *resupinus*." Ceterum cf. infra XI, 671. — *iacuit*. Praesens tempus exspectaveris; sed Perfectum melius exprimit celeritatem, qua Salius improviso procumbit; nos similiter: *sogleich lag er da* pro *sogleich stürzte er*. Prorsus similem locum legimus IX, 771. Iteratur hic totus versus in Anth. Lat. I, 14, 16. — **337**. *Emicat*. Vid. supra ad v. 319. — *Euryalūs*. Vid. ad Geo. III, 189. — *munere*, i. e. officio, beneficio; nam munus de quavis re dicitur, qua alicui gratum facimus. Cf.

Prima tenet plausuque volat fremituque secundo.
Post Helymus subit et nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveae consessum ingentis et ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus inplet
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum lacrimaeque decorae,
Gratior et pulchro veniens in corpore virtus.
Adiuvat et magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmae frustraque ad praemia venit

Geo. I, 7. — Pro *amici* Med. a m. pr. *amico*, non male; ut *munus amicum* dicatur, quemadmodum II, 255. *amica silentia lunae*, II, 147. *dicta amica*, VIII, 128. *verba amica* et similia. Nihil tamen invitis ceteris libris omnibus mutandum. Verba et *munere victor amici* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 34. — **338**. *Prima tenet*, τὰ πρῶτα, victoriam obtinet primo loco. Cf. supra v. 194. et X, 157. — *plausu - - fremitu*, i. e. cum plausu cett., *unter Beifallsgeschrei*, de quo simplicis Ablativi usu vid. ad Ecl. IV, 60. X, 24. et quae de usu Ablativi absoluti infra ad v. 369., ad Geo. I, 214. al. adnotavimus. — *fremitus secundus* est laeta et favens spectantium acclamatio, quae currentis alacritatem adiuvat. Vid. infra v. 491. VIII, 90. X, 266. Hic versus in Anth. Lat. III, 81, 61. sic mutatus legitur: *capit ante locum fremituque secundo Prima tenens* etc. — **339**. „*tertia palma*, tertio loco victor, ratione poëtica, quam ipsa illa exempla illustrant, quae Burm. laudat h. l. et Drak. ad Sil. XVI, 504. Cf. Geo. I, 95. *Palma*, ut *victoria* et saepe alia abstracta, pro victore.“ *Heyn*. Vid. Sil. IV, 392. *Ultima restabat fusis iam palma duobus Virbius*. id. XVI, 502. (ex nostri loci imitatione) *et modo postremus, nunc ordine tertia palma*. Manil. I, 785. *Fabriciusque patres et tertia palma Marcellus*. Stat. Theb. VI, 326. *Amphiaraus spes proxima palmae* cett. Cf. etiam Barth. Advers. XXII, 8. et quae supra ad v. 70. adnotavimus. — **340** sqq. Simile iurgium ap. Hom. Il. XXIII, 545 sqq. inveniri, observavit Heyn. — *Hic* pro *tum*. Vid. ad I, 728. — *consessum*. Vid. supra v. 290. et infra v. 577. Med. a m. pr., Rom., Gud. et Bern. II. a m. pr. duoque Pariss. *consensum* (ut ap. Cic. Phil. I, 12, 30. *recordare consensum theatri*), quod tamen huc non quadrat. *Consessus caveae*, qui petitus est ex Lucr. IV, 76. (78.), legitur etiam VIII, 636. Quid hic sit *cavea*, vidimus supra ad v. 288. — *ora prima patrum*, i. e. ora patrum prima subsellia occupantium, in quibus seniores et honoratiores sedere solebant, ut Romae Senatores prima caveae spectacula occupabant. — **342**. Verba *reddi sibi poscit honorem* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 36. et III, 81, 80. — **343**. *lacrimae decorae* pueri supplicantis, ne sibi victoriae honos eripiatur. Eiusmodi autem lacrimas, praesertim si furtim et passim manantes cogitamus, non dedecere iuvenem, non est quod memorem. Similiter ap. Stat. Theb. II, 234. *ora rigantur honestis Imbribus*. — **344**. Etiam pulchritudo pueri cum virtute coniuncta favorem ei conciliat, nam virtus in pulchro corpore amabilior, quam in deformi. Vituperat tamen hanc sententiam Senec. Epist. 66. — *veniens* Heyn. per: „quae est“ explicat, cum *venire* poëtis sit pro simplici esse, coll. Heinsio ad Ovid. Fast. V, 648. et al., veteres autem Grammatici, inter quos Servius, per „proveniens, nascens,“ ut Gossr. per „crescens.“ Valet potius i. q. se offerens, se spectandam praebens. Cf. etiam Mitscherl. ad Hor. Od. I, 19. extr. et Dissen. ad Tibull. I, 2, 78., qui comparat Graec. ἔχει φέρων, laudatis Valcken. ad Eur. Phoen. 260. et Stallb. ad Plat. Symp. p. 68. — **345**. „Adiuvat Euryalum eiusque causam Diores, qui in victoriae tertium locum successerat et, si Salius primo vel secundo loco renuntiatus foret victor, iterum ea excidisset.“ *Heyn*. Nonius p. 501, 30. et Arusianus p. 240. L. minus apte verbum *Adiuvat* coniungunt cum antecedentibus. — *proclamat* absolute positum, ut ap. Cic. Verr. V, 42, 108. *Adsunt, defendunt, proclamant, fidem tuam implorant*, quem locum Conington confert. — **346**. *subiit palmae*, accessit ad palmam, tertius inter tres primos

Ultima, si primi Salio reddentur honores.
Tum pater Aeneas „Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri, et palmam movet ordine nemo;
Me liceat casus miserari insontis amici.“
Sic fatus tergum Gaetuli inmane leonis
Dat Salio villis onerosum atque unguibus aureis.
Hic Nisus „Si tanta, inquit, sunt praemia victis,
Et te lapsorum miseret, quae munera Niso
Digna dabis? primam merui qui laude coronam,

---

illos, quibus v. 308. praemium promissum. — *Qui*, cum tria modo praemia sint proposita - - *frustra* - - *venit*, *si* - - *reddentur*. Med. a m. pr., Rom., Gud. a m. sec. aliique boni Codd. praebent *reddantur*, quod, Iahnio iam suadente, recepit Wagn., qui putat, „poëtam haec ita struxisse, quasi praecederet Infinitivus: *proclamat*, se frustra - - venisse, si *reddantur*, inversa autem oratione extremam tantum partem ad Dioris cogitationem composuisse.“ Sed hoc ipsum est, quod me offendit. Per se et Indicativum et Coniunctivum poni potuisse, in promptu est; poterat enim poëta aut simpliciter narrare: Diores adiuvat Euryalum propterea, quod ipse - - venit, si primi honores Salio, secundi Euryalo, tertii Halymo redduntur; aut Dioris ipsius cogitationem sic proferre: Diores proclamat, se frustra ad praemia venisse ultima, si primi Salio reddantur honores. Sed cum praecedant Indicativi Perfecti *subiit* et *venit*, cur confugiamus ad illas ambages inversae orationis? Quare prius edidi *redduntur* (quod Med. a m. sec., Bern. II. III. aliique libri exhibent), in quo me secuti sunt Peerlk., Gossr. et Bryce, nunc tamen cum Ribbeckio recepi Pal. et Gud. a m. pr. lectionem *reddentur*, ex qua quam facile et *redduntur* et *reddantur* fieri potuerit, non est quod doceam. Cf. etiam infra v. 391. Haupt., Ladew., Conington et Benoist. cum Wagnero faciunt. — *Redduntur* autem *honores*, quia *promissi* sunt. Cf. infra v. 386. ibique adnott. — **348** sqq. Heyn. et hic Homerum Il. XXIII, 558 sqq. praeivisse memorat. Cum verbis Aeneae *Vestra m. v. Certa manent* cf. I, 257. *manent inmota tuorum Fata tibi*. — **349**. Ladew., qui prius cum Nauckio sic distinxerat: *manent, pueri et palmam* etc., ac si *pueri* esset Genitivus, in recentiss. edit. recte ad vulgarem loci distinctionem rediit. — *palmam* iuveni debitam *nemo ordine*, quo praemia distribuuntur (cf. v. 308.), *movet*, eripit. Ut semel constitutum est, ita dabuntur palmae. — Cum v. **350**. cf. II, 93. Servavi quidem, ut omnes recentiores editores praeter Ladew., ob maiorem librorum auctoritatem lectionem *miserari* (quam exhibent Med., Gud., Pal. a m. sec. aliique Codd., Donatus ad Ter. Hec. Prol. II, 2. Asper. p. 112, 26. Keil. et Auct. de diff. serm. p. 316, 1. Roth.), non tamen nego aptiorem esse alteram (Rom., Pal. a m. pr., Bern. II. et III.) *misereri*, cui etiam Ribbeck. Proleg. p. 290. patrocinatur. *Misereri* enim, respondens nostro *sich erbarmen*, est eius, qui facto iuvat eum, cuius miseret (cf. Aen. II, 143. 645. IV, 318. 435. VI, 117. XII, 777.), *miserari* autem (nostrum *bemitleiden*) eius, qui tantum vel sentit (Geo. IV, 240. Aen. VI, 476. X, 758. XII, 243.), vel verbis prodit (Aen. I, 597. IV, 370. V, 452.) misericordiam; cui discrimini non obstat usus Participii *miseratus* (Geo. I, 41. Aen. I, 597. VI, 28. 56. 332. X, 686.), nam factum in illis locis adiectum antecedit misericordia; quod bene exposuerunt Ribbeck. l. l. et, qui eum sequitur, Ladew. — **351**. Heroes sibi placebant villosis ferocium bestiarum velleribus induti, quorum ungues inaurabant. Cf. VII, 666. VIII, 552. — *tergum*. Vid. ad I, 368. Pellis autem leonina Salio datur, qua utatur tegumento. Cf. VIII, 552. — *Gaetuli leonis*, i. e. Libyci, Africani. Vid. supra ad v. 192. et Hor. Od. I, 23, 10. *Gaetulusve leo*. — **352**. *aureis* *δισσυλλάβως*. Vid. ad I, 698. — **354**. Cf. Hom. Il. XXIII, 548. — *Niso* cum emphasi pro mihi. Vid. ad II, 79. Dativum enim esse a *dabis* pendentem, non Ablativum cum *digno* constructum, etiam Conington adnotat, comparans I, 603 sqq. et IX, 252. — **355**. *merui*. Codd. quidam

Ni me, quae et Salium, fortuna inimica tulisset."
Et simul his dictis faciem ostentabat et udo
Turpia membra fimo. Risit pater optumus olli
Et clipeum efferri iussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
Hoc iuvenem egregium praestanti munere donat.
    Post, ubi confecti cursus et dona peregit:

---

meruit; et sane negari nequit, personarum mutationem convenire îrato et vehementer indignanti (qua de re Peerlkamp. conferri iubet Dorvill. ad Chariton. p. 89.); contra meliorum tamen librorum auctoritatem nihil mutandum. — *laude*, virtute, cui laus debetur. Vid. ad I, 461. IX, 197. et 252. — *coronam*, proprio sensu. Cf. v. 309. — **356.** *Ni me - - fortuna inimica tulisset* Heyn. minus recte explicat: „ni me a primo praemio abstulisset, abduxisset, pro vulgari: ni fortuna mihi eripuisset praemium;" valet potius: ni inimice a fortuna acceptus essem. *Ferre* enim, ut Graecorum (*εὖ, κακῶς*) *φέρεσθαι*, a navigatione vel a ludribio ventorum huc translatum, omnino lusum fortunae denotare, Wagn. docet coll. Aesch. S. ad Th. 821. *πατρὸς κατ' εὐχὰς δυσπότμους φορούμενοι.* Conington comparat Ecl. V, 34. et Aen. II, 555., qui tamen loci, ubi *ferre* pro *auferre* positum, non prorsus eiusdem sunt generis. Henry (*Tw. years* V. p. 25. et Philol. XIII. p. 633.) paulo fortius explicat: perdidisset, afflixisset, pessum dedisset. — **357.** *simul his dictis*, i. q. X, 856. *simul hoc dicens. Simul* Graecorum more cum simplici Ablativo constructum, omissa Praep. *cum*, non invenitur, nisi apud poëtas et, qui hos saepe sequuntur, posteriores prosae orationis scriptores. Sic Hor. Sat. I, 10, 86. *simul his te - - Prudens praetereo.* Ovid. Trist. V, 10, 29. *simul nobis habitat.* Sil. III, 268. *His simul - - Exusti venere Nubae.* Tac. Ann. III, 64. *pontifices et augures Septemviris simul et sodalibus Augustalibus*, ibid. VI, 9. *App. Silanus Scauro Mamerco simul* cett. Cf. Ruddim. II. p. 333. Ramsh. §. 149. Boettich. Lex. Tac. p. 429. Neue *Formenlehre* II. p. 524. — De v. **357.** vid. ad v. 327. Similes loci leguntur ap. Hom. Il. XXIII, 551 sqq. et 784. — **358.** *risit olli*, ei adrisit. Vid. ad Ecl. IV, 62. et Aen. IV, 128. Alii minus recte sic distinguunt locum: *Risit pater optimus: olli Et clip. eff. iussit*, quamvis Servius utrumque fieri posse dicat. Si enim coniungimus *illi efferri iussit*, abundat vel languet certe v. 361. — **359.** *efferri*, e navibus. Videtur poëta imitari Homerum Il. XXIII, 563. *ἐκέλευσεν ἑταίρῳ οἰσέμεναι κλισίηθεν.* — *Didymaonis artes. Ars* pro ipso artificio, artis opere legitur etiam Hor. Od. IV, 8, 5. Epist. I, 6, 17. Cic. Legg. II, 2. al. Cf. Broukh. ad Prop. III, 7, 39. Mitscherl., Orell. et Obbar. ad Hor. ll. ll. De Plurali autem hic praestantiam indicante vocabulo Singularis numeri per appositionem addito vid. ad IV, 263. et VIII, 729. Wagn. conferri iubet Hes. Sc. 312. *τρίπος, κλυτὰ ἔργα Ἡφαίστοιο.* Ribbeck. (quem Benoist. sequitur) ex Pal., Rom., Gud. (et Minoraug., qui scribit *arte?*) recepit Singul. *artem.* (Med. a pr. m. *artes*, a sec. *artis* exhibet.) De *Didymaone* artifice nibil constat. Vergilium secutus Val. Fl. III, 707. canit *magnanimi spolium Didymaonis hastam*, ubi igitur miles huius nominis cogitandus. — **360.** „Clypeus ab artifice, qui fecit, commendatur (sic saepe, ut Ecl. III, 37.), et a loco, quo fuerat suspensus, in Neptuni templo pro donario e manubiis. Servius: *Danais: a Danais; et intelligimus hoc ad Aeneam transisse per Helenum* (supra III, 465 sqq.). Nil refert; sed etiam Aeneas ex templo aliquo Graecorum inter praedam auferre potuit, ut color sit similis ac l. III, 286 sqq." *Heyn.* Qua ratione hic clipeus Graecus in manus Aeneae venerit, hoc quaerere omnino non attinet. Conington *Danais* (qui tertius est Casus) *refixum* positum censet pro: refixum de poste et ademptum Danais. Alius clipeus Graecis ereptus iam supra III, 286. commemoratus est. Cu vv. *de poste refixum* cf. Hor. Od. I, 28, 11. *clipeo refixo*, sc de pariete. Sil. X, 601. *clipeos refigite.* Hor. Ep. I, 18, 56. qui temp *Parthorum signa refigit* cett. — **362.** Verba Post ubi confecti curs

„Nunc, si cui virtus animusque in pectore praesens,
Adsit et evinctis attollat bracchia palmis.“
Sic ait et geminum pugnae proponit honorem,
Victori velatum auro vittisque iuvencum,
Ensem atque insignem galeam solatia victo.
Nec mora; continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares magnoque virum se murmure tollit;
Solus qui Paridem solitus contendere contra,
Idemque ad tumulum, quo maxumus occubat Hector,
Victorem Buten inmani corpore, qui se

---

repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 23. — Sequitur tertium certaminis genus, *πυγμαχία* s. pugilatus, in quo et ipso Homerus praeivit Il. XXIIII, 651 sqq. Heyn. eundem locum etiam Apollonio II. in. et Theocrito Id. XXII. tractatum esse memorat, Vergilii autem vestigia pressisse Statium Theb. VI, 249 sqq., cui addi poterat Val. Fl. IV, 250 sqq. — *dona peragere* paulo insolentius dictum pro: distributionem munerum ad finem perducere. — **363**. *animus praesens*, i. e. fortis, audax, ut saepissime (nostrum *Geistesgegenwart*); eo autem opus erat in tam periculoso certaminis genere. *Animus praesens* etiam ap. Cic. de Or. II, 20, 84. Ter. Phorm. V, 8, 64. Hirt. B. Alex. 40. Liv. IV, 38. XXXI, 46. et alibi legitur. Cf. Garat. ad Cic. Mil. 10, 29. Seneca Ep. 92, 27. hunc locum sic imitatur: *Sed si cui virtus animusque in corpore praesens, hic deos aequat* etc. — **364**. *evinctis* (sc. cestu) *palmis*. Vid. ad IV, 474. De hoc genere certaminis cf. Val. Fl. IV, 112 sqq. — *attollere*, *ἀείρειν* (Apollon. II, 14 Theocr. XXII, 65., ut ap. Hom. l. l. v. 686. *ἀνέχεσθαι χερσί*), vox propria hac in re. Conington comparat Hom. Il. XXIIII, 660. *πὺξ μάλ' ἀνασχομένω πεπληγέμεν*. — **365**. *pugnae honorem*, *γέρας*, praemium. Cf. XII, 630. supra v. 249. 308. et adnott. ad I, 253. — **366**. Cf. Hom. Il. XXIIII, 750. — *velatum auro vittisque*, *ἓν διὰ δυοῖν*, intelligendae enim sunt vittae lamellis aureis ornatae, vel aureis filis intertextae. Alii (velut Thiel., Bach. ad Ovid. l. mox l., Ladew. et, ut videtur, Conington, non certum faciens iudicium) *aurum* capiunt de cornibus inauratis (de quo more vid. ad IX, 627.); tum vero, nisi zeugma statuere velis, minus quadrat *velandi* verbum. — **367**. Cf. Hom. l. l. v. 656. *solatia victo*. Vid. supra ad v. 305 sqq. — **368**. Cf. Hom. l. l. v. 664 sqq. *Nec mora; continuo - - effert* cett. Vid. ad III, 207. et 548. *Nec mora, continuo* legimus etiam in Anth. Lat. I, 147, 40. et 170, 113. — *vastis*, ingentibus, permagnis. Cf. supra v. 198. XII, 553. al. — *effert ora*, assurgit et capite cerviceque elata se paratum ostendit ad pugilatum ineundum. — **369**. *magno v. murmure*, cum suffragio, plausu omnium. Omnes probant consilium hominis eumque admirantur. Ceterum vid. supra ad v. 338. — **370**. „Paris vulgo pro imbelli et mulieroso homine haberi solitus, [vid. ad IV, 215.] nec apud Homerum omni virtute caret (Il. III, 340. sqq. XIII, 765 sqq. XI, 580. et al.); a poëtis tamen post Homerum multo maiore virtute insignitus. In proeliis enim post Hectoris fata factis frequens eius mentio. Certaminibus autem inclitus factus est vel eo, quod certamine a Priamo (in ludis funebribus) instituto *omnia vicit* (*κατὰ πάντα ἆθλα*), ut est ap. Hygin. f. 91. et 273. p. 322.; itaque etiam pugilatu excellere potuit.“ *Heyn*. Ab hac autem virtute Alexandri nomen ei inditum esse referunt Apollod. III, 12, 5. et Schol. Hom. Il. III, 325. — **371**. Cf. Hom. l. l. v. 679. „Ludi funebres in Hectoris honorem habiti, num ab iisdem poetis memorati fuerint, an Vergilii ingenio debeantur, dicere non possum. Probabile tamen fit, e cyclicis poetis et hos petitos esse: et legitur in personato Darete 25.: *Priamus Hectorem suo more ante portam sepelivit: cui ludos funebres facit.*“ *Heyn*. — *Idemque* pro: et qui; *quare* Wagn. Semicolon vulgo post *contra* positum recte in Comma mutavit. — *occubare*, ut *iacere*, praecipue dicitur de mortuis et sepultis. Cf. *Aen. I*, 547. ibique adnott. — **372**. *Victorem*, qui omnes devicerat. Co-

Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit et fulva moribundum extendit harena.
Talis prima Dares caput altum in proelia tollit
Ostenditque humeros latos alternaque iactat
Bracchia protendens et verberat ictibus auras.
Quaeritur huic alius; nec quisquam ex agmine tanto

---

nington comparat IX, 571 sqq. — *Butes*, qui alibi non commemoratur, *Bebrycius* vocatur. *Bebrycum* autem populus Thracius in Bithynia ad Pontum Euxinum habitaverat, postea vero prorsus evanuit. Cf. de eo Strab. XII. p. 541. Apoll. Rhod. I, 1279. Dion. Per. 805. alii et liber meus geogr. II. p. 374. Illius populi rex fuit *Amycus*, Neptuni et Meliae nymphae fil., pugil celeberrimus, qui omnes peregrinos ad certamen provocabat, sed a Polluce victus et interfectus est. (Orph. Arg. 662. Apoll. Rhod. II, 1 sqq. Apollod. I, 9, 20. Theocr. XXII, 27 sqq. Hyg. f. 17. Ammian. XXII, 8.) Buten igitur, ex populo pugilatu celeberrimo ortum, copias auxiliares Troianis adduxisse et in ludis funebribus in Hectoris honorem institutis a Darete caestu victum poëta fingit. — Equidem cum Wagn. et Iahnio (in altera edit.) locum sic intelligo, ut verba *qui se ferebat veniens* per attractionem illam Graecorum, de qua ad Aen. II, 377. diximus, posita sint pro: *qui se ferebat venientem*, hoc autem poëtice pro: qui venerat, adiuncta tamen superbiae cuiusdam notione in ipso incessu conspicuae, ut I, 503. IV, 11. et IX, 597., ubi vid. adnott., coll. iis, quae supra ad v. 68. adscripsimus; quamquam non nego, alteram quoque rationem (quam Iahn. in priore edit. secutus est) per se habere, quo commendetur, ut locum sic intelligamus: *qui*, *Bebrycia* (terra) *veniens*, *de Amyci gente se* (esse) *ferebat*, i. e. de Amyco illo se ortum dictitabat, gloriabatur; siquidem hic usus verbi *ferendi* alio Vergilii loco probari posset. Contra cf. VII, 750. *Murruvia venit de gente* et ibid. v. 803. *advenit Volsca de gente.* Si autem cum Wakef., Peerlk. et Coningtone locum sic distinguimus: *Buten, immani corpore qui se Bebr. veniens A. de gente ferebat* i. e. qui venerat ex gente Bebrycia et se immani corpore ferebat, sive: qui, Bebrycia Troiam profectus, ad certamen procedens immane corpus ostentabat, vehementer frigent verba illa interiecta: *Bebr. veniens Amyci de gente*; quamquam coniunctionem verborum *immani corpore se ferebat* aliis Vergilii locis (VIII, 198. IX, 597. coll. III, 656.) iuvari me non fugit. Si autem cum Heynio et Süpflio sic interpungimus: *Buten immani corpore, qui se, Bebr. veniens A. de gente, ferebat*, valde displicet *se ferebat* tam nude positum, licet cum Süpflio convertas: *der sich im stolzen Gange schwang.* Ceterum Heyn. cum h. l. conferri iubet Hom. Il. XXIII, 679 sq., ubi Euryali virtus simili modo commendetur, atque hic Daretis. — **374.** *moribundum*, morientem. Vid. ad Geo. III, 488. — *fulva extendit harena.* Cf. Aen. IX, 589. Ovid. Met. X, 716. *fulva moribundum stravit arena*, et Val. Fl. VI, 716. *nigraque evulsam tendit arena.* Cum verbo *extendit* Conington comparat ἐκτείνειν ap. Eurip. Med. 585.; *fulva* autem *harena* legitur etiam infra VI, 643. — **375.** *talis* non: „*so von Gestalt*," ut Voss. vertit, sed: tam fortis et celeber: (*als*) *ein solcher Mann.* — *prima - - in proelia* pro: Dares *primus* proelio se offerens. Vid. ad Ecl. IX, 46. Ceterum cf. XII, 193. *prima in proelia* et Geo. IV, 314. *prima proelia.* — Verba *caput altum in proelia tollit* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 292. — **376.** *humeros latos.* Cf. II, 721. — **377.** Cf. Hom. Od. XVIII, 67 sq. — *Bracchia protendens.* Wagn. memorat, fore fortasse, qui coll. Geo. III, 234 sq. et Aen. XII, 105 sq. scriptum malit *Br. proludens;* sed nihil esse mutandum. — *verberat ictibus auras*, proludit pugnae futurae ventilando. Cf. infra XII, 105. Val. Fl. I, 421. *in vacuos ut brachia ventos spargat*, et Senec. N. Qu. VII, 13. *Solvere ista, quid aliud est, quam manum exercere et in ventum iactare brachia.* Ceterum cf. similis locus X, 892. *calcibus auras verberat.* — **378.** *Quaeritur huic alius* cett. Frustra exspectant et circumspiciunt, qui cum eo certamen inire audeat. Melius utique se haberet *alius*, si iam antea aliquis prodiisset cum Darete

Audet adire virum manibusque inducere caestus.
Ergo alacris cunctosque putans excedere palma
Aeneae stetit ante pedes, nec plura moratus
Tum laeva taurum cornu tenet atque ita fatur:
„Nate dea, si nemo audet se credere pugnae,
Quae finis standi? quo me decet usque teneri?
Ducere dona iube.“ Cuncti simul ore fremebant
Dardanidae reddique viro promissa iubebant.
Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,
Proxumus ut viridante toro consederat herbae:

---

pugnaturus, sed ab eo vel ab Aenea repudiatus esset, quemadmodum apud Stat. Theb. VI, 747. *Illum indignatur Capaneus ridetque vocantem, Ut miserans, poscitque alium;* non tamen propterea omnium Codd. lectio sollicitanda videtur. *Alius* hic omnino significat *ein Gegner*. — *nec quisquam ex agmine tanto* cett. Imitatur hunc locum Sulpit. Sever. hist. I. p. 177. *nemo ex tanto agmine aggredi audebat Goliathum.* — **379.** „*Adire* interdum dicitur in re ardua et periculosa, unde *adire periculum;* cf. I, 10.“ *Wagn.* Cf. etiam XI, 636. *Quando ipsum horrebat adire.* — *manibus inducere caestus.* Cf. similis locus Theocr. XXII, 81 sq. De *caestu* cf. infra ad v. 405. adnott. — **380.** *alacris* mascul. genere, ut etiam infra VI, 685. ap. Ter. Eun. II, 3, 12. *quid tu es tristis? quidve es alacris?* et al. Cf. Neue *Formenl.* II. p. 5. — *excedere palma*, vitare certamen et desistere praemio non sperando. Haec autem est optimorum Codd. et Charisii I. p. 88. P. lectio; alii libri et Donat. et Ter. Eun. II, 3, 12. exhibent *pugna*, quod ex IX, 789. huc translatum videtur. Cf. etiam Markl. ad Stat. Silv. V, 3, 138. — **381.** *nec plura moratus.* Cf. III, 610. et Ovid. Met. XII, 322. — **382.** Cf. Hom. Il. XXIII, 666. Hic versus fere totus iteratur in Anth. Lat. I, 14, 29. — De Part. *tum* (ut alibi *deinde* et *sic*) post Particip. Perf. Pass. posita vid. ad II, 391. et I, 225. adnott. Sic XII, 6. *tum* et II, 391. VIII, 481. *deinde*. Iahn. hunc locum sic distinxit: *Aeneae stetit ante pedes, nec plura moratus; Tum* etc., quod tamen ipse vituperat in adnot. ad Ecl. III, 10. adscripta p. 373. ed. II. Peerlk. temere coni.: *Dum laeva taurum cornu tenet, haec ita fatur.* — **384.** *Quae finis.* Tres Codd. Burm. *Qui f.* et totidem alii *Quis f.* Sed vid. supra ad III, 145. — *teneri*, in exspectatione esse. Verba *quo me decet usque teneri* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 83. 178, 89. 372. et III, 81, 82. — **385** sqq. Ante oculos fuit poëtae Hom. Il. XXIII, 676 sqq. — **385.** *Ducere dona iube*, scil. me, i. e. mecum abducere, auferre. Cf. v. 386. Conington confert *δῶρον ἄγεσθαι* ap. Theocr. I, 11. et Hom. Il. XXIII, 263. Od. X, 35 sq. Redit verbum *ducere* sic usurpatum infra v. 534. — *cuncti simul ore fremebant*, gaudebant enim, victorem ex sua gente esse. Ceterum haec verba etiam Aen. I, 559. leguntur. — **386.** *reddi* non pro simplici *dari*, sed propterea esse positum, quia praemium promissione iam erat datum, recte adnotat Ladew. Cf. adnott. ad Geo. II, 194. Aen. (III, 717.) IV, 656. V, 347. VII, 167. — **387.** *gravis* Heyn. et Iacobs. Disquiss. Vergg. P. I. p. 10. recte pro *graviter* positum censent, a quibus vix dissentiunt Henry (*Tw. years* V. p. 26.) et Ladew. (qui prius de gravi viro cogitavit, cuius castigatio et ipsa gravis esse debeat) pro *gravibus dictis* positum putantes. Cf. etiam Drak. ad Liv. II, 35, 3. et adnott. ad I, 644. III, 70. IV, 303. 494. 574. al. et supra v. 274. Nonius tamen p. 251, 20. explicat per *grandaevus* (de qua signif. cf. Burm. ad Ovid. Met. VII, 299.). — *Entellus* ex hoc uno loco notus. Fuit igitur comes et socius Acestae, qui cum illo in Siciliam profectus Entellae oppido in occidentali huius insulae parte sito (de quo vide libr. meum geogr. III. p. 812.) nomen dedit. Cf. Heynii Exc. III. ad h. l. — **388.** *ut* (*wie gerade* i. e. *da gerade*) interdum rem fortuitam indicat (ut infra VII, 72.), idemque est, quod alibi *ut forte* (VII, 509.); hic igitur *ut consederat* i. q. sede, quam forte tenebat, non mutata, non surgens ex sede sibi com-

„Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? ubi nunc nobis deus ille magister
Nequiquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam et spolia illa tuis pendentia tectis?“
Ille sub haec: „Non laudis amor nec gloria cessit
Pulsa metu; sed enim gelidus tardante senecta

---

moda. Consentiunt mecum in hac loci explicatione Ladew., Conington, Benoist atque etiam Binder. in translatione germ., Steinmetz. vero in Progr. suo p. 8. hunc versum minus probabiliter non ad Acesten, sed ad Entellum refert, quem Acestes increpet, quod otiosus sedeat neque surgat ad pugnam cum Darete suscipiendam, cui tamen Wagn. in min. edit. adnotans: „ergo otiose sedentem Entellum,“ videtur adsentiri. — *viridante toro*. *Torus* de quovis loco molli et ad cubandum vel sedendum apto dicitur, ideoque etiam de caespite. Cf. III, 224. VI, 674. Ovid. Her. V, 14. *praebuit herba torum*, id. Met. X, 556. *Datque torum caespes*, id. Fast. I, 402. *gramine vestitis accubuere toris*. Prisc. Perieg. 921. *herbarumque toris et gramine laeta virescunt* cett. et Bach. *Geist d. Röm. Eleg.* p. 41. ad Tib. I, 1, 43. (a Thielio laud.) — **389** sqq. Heyn. comparat similes obiurgationes ap. Hom. Il. V, 171 sqq. XV, 440 sqq. Od. XXII, 224 sqq. — „*frustra fortissime* olim inter heroes, scil. quandoquidem nunc iners desides, ut II, 348. *fortissima frustra pectora* [cuius tamen loci non prorsus eadem est ratio]. Sic *nequiquam* supra V, 81. 256. 270. et statim v. 392.“ *Heyn.* Cf. Hand. Turs. II. p. 747. — **391** sqq. „*Dona sines?* Tres Codd. *sinis*, quod Heinsio videtur elegantius. Est certe acerbius. In Futuro magis cernitur dubitatio loquentis, an sineret.“ Haec *Peerlk.* Sed Futurum, quod optimi Codd. exhibent, bene se habet. Cf. adnott. ad Aen. II, 578. — „Gravissima obiurgatio: *magister Eryx*, h. e. gloria haec, quod Erycem heroem (sed maius, *deus ille*) magistrum pugilatus habuisti. Erycis autem nomen fuit magnum pugilatu, quippe quo Herculem adeo provocavit v. 412 sqq. Vid. Diod. IV, 83. Paus. IV, 36. p. 372. [quibus adde Apollod. II, 5, 10. et Serv. ad Aen. I, 570.] Cf. post alios Burm. in Dorvill. Siculis p. 399 sq.“ *Heyn.* Verba *ubi nunc nobis deus ille magister?* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 277. Cum voc. *deus* cf. Cic. Or. I, 23. in. *te in dicendo semper putavi deum*, ibid. II, 42, 179. *dispositio argumentorum, in qua tu mihi semper deus videri soles*. Ter. Adelph. III, 1, 19. *facio te apud illum deum: virtutes narro.* Vid. etiam adnott. ad Ecl. I, 6. Ceterum h. l. vulgo sic distinguitur: - - - *nobis deus ille, magister N. memoratus, Eryx?* apud Wagn. autem (et ceteros recentiores editores praeter Coningtonem, qui me secutus est) hoc modo: - - *nobis deus ille magister, N. memoratus Eryx?* Equidem omnem distinctionem sustuli; apertum est enim (id quod iam Serv. perspexit), verba sic coniungenda esse: *ubi nunc nobis* (scil. est, manet) *deus ille* (tamquam deus tibi celebratus) *Eryx, nequiquam mag. mem.*, i. e. quem nequiquam magistrum tibi fuisse gloriaris, cum eius institutio tibi non prosit. — *ubi fama* etc. Cf. Hom. Il. V, 171 sq. *nobis*. De hoc Dativo ethico, quem vocant, vid. ad Ecl. VIII, 6. et al. adnott. Redit infra v. 646. — **393**. *per omnem Trinacriam*, scil. divulgata. De *Trinacria* autem vid. ad I, 196. — *spolia tuis pendentia tectis*. Vid. ad VII, 183. Auxit haec Val. Fl. IV, 181 sq. — **394** sq. „Talis excusatio frequens ap. Homerum, imprimis Nestoris (vid. Il. VII, 132 sqq. XI, 669 sq. XXIII, 629 sq.) et Laertae (Od. XXIV, 375 sq.). Cf. etiam infra VIII, 560 sq.“ *Heyn.* — *Ille sub haec*. Vid. adnott. ad Geo. I, 340. — *nec gloria cessit*. Pauci quidam Codd. *non gloria* per anaphoram, quod Wakef. recepit. — **395**. *sed enim* etc., h. e. *sed* vires cesserunt, senectus *enim* me tardat et gelidus sanguis hebet. Cf. adnott. ad Aen. I, 19. — *gelidus sanguis*, cui opponitur *calidus* (e. g. ap. Hor. Ep. I, 3, 38.), qui infra v. 415. *melior* et II, 638. *integer* vocatur. Cf. Lucan. II, 129. *parvum sed fessa senectus Sanguinis effudit iugulo*. Thiel. conferri iubet Voss. ad Geo. II, 488. Iacobs. *Blumenl.*

Sanguis hebet frigentque effetae in corpore vires.
Si mihi, quae quondam fuerat quaque inprobus iste
Exsultat fidens, si nunc foret illa iuventas,
Haud equidem pretio inductus pulchroque iuvenco
Venissem, nec dona moror.“ Sic deinde locutus
In medium geminos inmani pondere caestus
Proiecit, quibus acer Eryx in proelia suetus
Ferre manum duroque intendere bracchia tergo.
Obstipuere animi: tantorum ingentia septem

II. p. 404. et Gierig. ad Ovid. Met. XIII, 409. — *hebet tardante senecta.* Cf. VI, 731 sq. — **396.** *effetae in corpore vires.* Vid. infra v. 475. coll. II, 638 sq., ubi contra legimus *suo stant robore vires. Effetus* (de qua scribendi ratione vid. ad Geo. I, 81.), quod proprie significat pariendo lassatus, exhaustus (quare l. l. legimus *effeti agri*, Colum. Praef. I. in. *solum effetum*, Plin. Ep. VI, 21. *natura effeta* cett.), deinde omnino est i. q. debilis, infirmus, viribus destitutus. Sic *effeta senectus* infra VII, 440. et VIII, 508., *corpus effetum* apud Cic. Sen. 9, 29. et Ovid. Met. VII, 252., *effeti senio tauri* ap. Colum. VI, 24. etc. — **397.** Cf. Hom. Il. XXIII, 629. *εἴϑ' ὡς ἡβώοιμι βίη τέ μοι ἔμπεδος εἴη.* Verba *qua improbus iste* (*der Unverschämte da*) *Exsultat* Wagn. Qu. Verg. XIX, 2. sic recte explicat: „qua videtis hunc impudentem exsultare,“ comparans inter alia IX, 136 sq. XI, 165. XII, 646. X, 504. De voc. *improbus* cf. Heind. ad Hor. Sat. II, 3, 200. — **398.** *iuventas.* Sic Med. cum aliis bonis Codd.; dum alii (Pal., Gud. a m. pr., Minoraug. etc.) *iuventus*, alii *iuventa* exhibent, sollemni permutatione. Cf. etiam Geo. III, 63. Aen. VIII, 160. Hor. Od. II, 11, 6. Lucr. V, 886. Servat vero etiam Vergilius discrimen illud satis notum, ut *iuventus* sit concretum et collectivum (i. q. iuvenum numerus et multitudo), *iuventas* autem et *iuventa* (cuius tamen vocis, qua Cicero plane abstinuit, historici autem cum poëtis haud raro utuntur, noster non nisi Casus obliquos usurpat: cf. Geo. III, 437. IV, 565. Aen. I, 590. II, 473. IV, 32. cett. et adnott. ad Aen. VIII, 160.) abstractum (i. q. vigor, aetas iuvenilis). Cf. Heins. ad Ovid. Met. IV, 17. Burm. ad Claud. Epith. Hon. 84. Kapp. ad Tac. Germ. 20. Reisig. Gramm. Lat. p. 116. Doederl. *Lat. Synon.* V. p. 47 sq. alios. Inde fit, ut alibi *Iuventas* haud raro sit dea iuventutis, quare etiam hic ab Heynio aliisque edit. perperam litera maiuscula scribitur. — **399.** *pretio*, praemio. Vid. ad v. 292. — **400.** *nec dona moror*, praemia non curo. Henry comparat Auson. Chilon. 16. *Plausum non moror.* Cf. etiam Hor. Epist. I, 15, 16. II, 1, 264. Plaut. Aul. II, 1, 47. etc. — *Sic deinde locutus.* Vid. supra ad v. 14. — **401.** Cf. Apoll. Rh. II, 52. Peerlk., oblitus haud dubie, se in poeta interpretando versari, quaerit: „Unde tam subito hos caestus? Nam spectatum venerat, non pugnatum.“ — **402.** *quibus*, scil. indutus, armatus. Cf. v. 414. et II, 409. — **403.** *ferre manum in proelia*, pro manus conserere ut XII, 631. *congressi in proelia.* Alii minus recte coniungunt vv. *acer in proelia;* quod post v. 391. frigere, vere memorat Wagn. — *intendere bracchia tergo* pro induere caestum: qui ex corio bovino factus est. De constructione cf. IV, 506. ibique adnott., et de *tergo* pro corio posito ad I, 368.; de omni autem loci iunctura *caestus, quibus - - duroque* cett. (i. e. et quorum duro corio intendere br. suetus erat, vel duro eorum corio - - intendens) cf. quae supra ad v. 288. ad Ecl. VIII, 3. Geo. III, 283. Aen. VI, 283. et alibi adnotavimus. Peerlk., qui verba *duro tergo* languere censet, cum sequantur illa: *taurorum ingentia septem terga* etc., de totius hemistichii *αὐϑεντίᾳ* videtur dubitare; nam sic pergit: „Scripsisset, credo, Vergilius: *durisque intendere brachia loris.*“ Etiam Ribbeck. totum hemistichium abesse malit. Cf. eius Proleg. p. 79 sq. — **404.** Verba *Obstipuere animi* etiam ap. Stat. Theb. VI, 718. inveniuntur, qui ibid. v. 732. etiam seqq. verba videtur respexisse. *Obstipuere animis* legimus supra II, 120. — *tantorum* etc. Is caestus ex coriis septem maximorum

Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
Ante omnis stupet ipse Dares longeque recusat;
Magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa
Huc illuc vinclorum inmensa volumina versat.
Tum senior talis referebat pectore voces:
„Quid, si quis caestus ipsius et Herculis arma

---

boum factus erat. „*Tantus et talis*, ut τοῖος vel τόσος [et *tot*], ita ponuntur, ut causalem Particulam intra se complectantur, reddendaque sint per: *nam magnus, nam multus*. Ita h. l. pro: *nam septem ingentia magnorum* [potius *maximorum*] *boum terga* (coria) *rigebant* (pro erant). Cf. ad Callim. in Del. 27. [et adnott. ad Ecl. I, 12. Aen. VII, 332. 447. et XII, 831.]. Res vero ad miraculum fere aucta in his Erycis caestibus." *Heyn*. Sic etiam Geo. I, 449. *tam multa* pro: nam plurima. Serv. male coniungit: *Obstupuere animi tantorum*, i. e. virorum fortium, adiungens verba: „nam stultum est dicere *tantorum boum*, cum dixerit *septem*," ac si supervacaneum esset iuxta numerum etiam magnitudinem praedicare. Peerlk. autem, provocans ad Statianam huius loci imitationem Theb. VI, 730 sqq. *Ac dum nigrantia plumbo Tegmina cruda boum induitur - - Obstupuere animi, fecitque silentia terror*, coniicit *tanto nigrantia*, ut sensus sit: tantum plumbi et ferri erat insutum in tergis nigrantibus septem boum; quod probat Gossr., recte autem vituperat Freudenberg. Vind. Verg. p. 25., cum coloris significatio nihil ad rem faciat, contra vero epitheton *ingentia* accommodatissimum sit ad *inmani pondere caestus* v. 401. depingendos. — **405**. Per caestum, intellige lorum satis longum e corio bubulo sectum, cui globuli plumbei et ferrei insuti erant, quodque articulis manus in volam flexae circumdatum et brachiis alligatum erat. Manicae illae ferreae, quibus veteres Germani in proeliis utebantur, aliquam caestuum referebant similitudinem. Cf. de eo imprimis Krause *Gymnast. u. Agonist. d. Hell.* I. p. 502 sqq., praeterea autem liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 305. adn. 90. — **406**. *longe* Heyn. cum Servio explicat per *valde*, cum in *recusandi* vocabulo lateat notio refugiendi; ideoque proprie spatii ratio habetur, quare Ladew. simul audit *recedens* et comparat dictiones *longe dissentire, longe abhorrere* etc., Conington autem confert Lucr. VI, 68. *Quae nisi respuis ex animo longeque remittis* et contra eiusd. I, 410. *Quod si pigraris paulumve recesseris ab re*, ut iam Taubmann. *procul* et *longe spernere* ap. Ennium Hect. Lust. fr. 17. (p. 117. Vahl.) et Prudent. Psychom. 149. (Equidem, cum *longius* haud raro pro *diutius* ponatur, prius etiam Positivum sic capi posse falso censui; nam etiam ap. Cic. Tusc. III, 14, 29. (*longe ante videre*) *longe* non pro *diu* positum. Cf. adnott. ad Aen. III, 556.) — **407**. *Anchisiades* redit VI, 126. 348. V, 521. X, 250. 822. — **408**. *Huc illuc - - versat.* Cf. Hom. Od. XXI, 400. — *vinclorum volumina* Heynio sunt „lora, quibus caestus circa brachium religaretur." Rectius autem Wagn. Qu. XVIII, 2, b. de loris cum caestu intelligit, cum totus caestus unum sit lorum satis longum, quo, tamquam vinculo ac volumine, manus et brachia religentur; ita ut h. l. non caestus et lora, sed pondus et libramen eorum distinguantur. Primum enim Aeneam tollendo pondus eorum examinasse, tum huc illuc versando sive librando expertum esse, quam habiles essent ad pugnandum, idque per zeugma dictum esse *pondera versat* pro: pondera explorat et - - versat. Verba *immensa volumina versat* iterantur in Anth. Lat. I, 171, 1. Ceterum cf. locus simillimus infra VIII, 619 sq. — **409**. *senior* (Acestes) non prorsus i. q. senex, sed tantum vir paulo provectior aetate, qui opponitur iunioribus, ita ut Comparativi vis hic vera obtineat. Vid. etiam ad VI, 304. — *referebat pectore voces*. Cf. III, 246. IV, 553. V, 482. cett. et adnott. ad Geo. II, 520. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 172, 38. Supra I, 94. legimus *Talia voce refert*. — **410**. *caestus et arma* non sunt res diversae, sed Copula h. l. explicative posita (pro: caestus, quo armatus erat, quo pugnare solebat Hercules), qua de re vid. ad Ecl. III, 35. et al. Cf. etiam infra v. 424. et 425. — *ipsius Herculis arma*

Vidisset tristemque hoc ipso in litore pugnam?
Haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat; —
Sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro; —
His magnum Alciden contra stetit; his ego suetus,
Dum melior viris sanguis dabat, aemula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed si nostra Dares haec Troïus arma recusat
Idque pio sedet Aeneae, probat auctor Acestes,
Aequemus pugnas. Erycis tibi terga remitto;

Wagn. Qu. Verg. XVIII, 2, b. recte reddit: *erst die Waffen des H.* Erycis enim caestus et ipsi satis magni vastioribus etiam Herculis opponuntur. Cf. adnott. ad Ecl. X, 63. — 411. *tristem - - pugnam*, quia Eryx in ea ab Hercule occisus est. — *hoc ipso in litore*, i. e. in eodem litore, quo nunc certamen nostrum instituitur. Vid. ad Geo. III, 168. — 412. *Eryx, germanus tuus*, nam Aeneam alloquitur Entellus. Vid. supra ad v. 24. Heyn. conferri iubet Wesseling. Obss. I, 13. — 413. Vulgo cum Servio de ipsius Erycis ab Hercule interfecti sanguine et cerebro hunc versum intelligunt, quem Punctis et ab antecedente et a sequente seiungunt. Sed acute perspexit Wagn., hoc ineptum esse, cum subiiciantur haec: *His magnum Alciden contra stetit;* ita ut aperte oratio sic procedat: Haec Eryx gerebat; his Alciden contra stetit; his ego suetus. Quare potius hunc versum, parenthetice interpositum, ad eos, quos ipse Eryx caestu vicerit, referendum censet, quod omnes probaturos puto, ut diserte probaverunt Steinmetz Progr. p. 9., Conington et Benoist. — *sparsoque* autem Med. et meliorum Codd. omnium est lectio, quam cum Brunck., Iahn. et Wagn. revocavimus, in quo recentiores omnes praeter Bryceum nos secuti sunt; vulgo (inde ab Heinsio) *fractoque*, quod originem debere videtur librariis, qui, cum offenderent in eodem vocabulo post breve intervallum repetito (v. 416.), hunc locum infra ex v. 480. emendandum censerent, non intelligentes, *effractum cerebrum* longe aliud quid esse, atque *fractum*, quod omnino nihil est. — 414. *His* pro vulg. *hic* iam Heins. ex optimis Codd. restituit. — *contra stetit*, ut XI, 282. *stetimus tela aspera contra.* Conington comparat Iuven. III, 290. *Stat contra starique iubet.* — 415. *melior sanguis*, velocior et fervidior, i. e. iuventas. Vid. ad v. 395. — *aemula senectus*, i. e. invida, quae, dum subtrahit robur, quasi invidet victrici iuventae, nam *aemulus* (*aemulari* haud dubie est Graec. ἁμιλλᾶσθαι) primum quidem de eo dicitur, qui alterum in aliqua re aequare studet, tum vero etiam de eo, qui alteri id, quod ipse assequi non potest, invidet. Cf. VI, 173. Hor. Od. III, 16, 14. Epod. 16, 5. Sall. Cat. 10, 1. Iustin. IX, 7, 3. Tac. Hist. II, 73 cett. Wagn. confert *invidiosam senecturam* Ovid. Met. XV, 234. et Conington *invidam aetatem* Hor. Od. I, 11, 7. Similis huic locus infra VIII, 508. legitur. — *nondum canebat sparsa temporibus*, nondum cani capilli sparsi erant per tempora. Conington confert Prop. IV (V), 5, 24. *Sparserit et nigras alba senecta comas.* — 417. *Troïus.* Vid. ad I, 119. Siculum magna sui aestimatione se Troiano opponere, memorat Ladew. — 418. *Idque pio sedet Aeneae* h. l. nihil aliud est, quam: si hoc (scil. his armis non esse utendum) placet Aeneae, et ita quidem, ut sententiam eius nihil mutare possit. Peerlk. tamen, haerens in hoc vocabulo, „parum inquit, abest, quin mutandum censeam: *Idque pio placet Aeneae.*“ Ceterum Henry prius hoc *id* non ad antecedentia, sed ad sequentia *Aequemus pugnas* referendum censebat, ut sensus esset: aequemus pugnas, si Dares - - recusat et Aeneas id probat; nunc de h. l. tacet. — *sedet.* Vid. ad II, 660. et cf. IV, 15. VII, 61. XI, 551. — *Auctor Acestes*, scil. huius certaminis, qui me ad hoc certamen excitavit. Cf. supra v. 387 sqq. Cf. autem XII, 159. *auctor ego audendi.* — 419. *Aequemus pugnas*, i. e. arma, caestus. — *tibi*, in tuum commodum, *terga* (vid. v. 405.) *remitto*, cedo et renuntio caestibus Erycis, sperno eorum usum. Cf. XI, 359. Liv. XI, 38, 12. *simultates patriae remittere.* id. XXXIX, 5, 5. *inimicitias suas reipubl. rem.* Tac. Ann. I, 10.

Solve metus; et tu Troianos exue caestus."
Haec fatus duplicem ex humeris reiecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque
Exuit atque ingens media consistit harena.
Tum satus Anchisa caestus pater extulit aequos
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Bracchiaque ad superas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu
Inmiscentque manus manibus pugnamque lacessunt,

---

privata odia publicis utilitatibus rem. (ubi vid. Gron.) et multa similia. — **420**. *Solve metus.* Vid. ad I, 463. — *Troianos exue caestus,* quos Troia tecum attulisti, i. e. simpliciter tuos. — **421** sqq. ex Hom. Od. XVIII, 65 sqq. petiti. Heyn. praeterea conferri iubet Apollon. I, 30 sqq., cui adde eiusd. II, 32 sqq. et Theocr. XXII, 80 sqq. a Wold. Ribbeckio collatos. — *duplicem amictum, διπλῆν,* abollam duplici (vel omnino crassiore) filo textam et, ut videtur, intonsam, qua senior Entellus utebatur. Cf. Hor. Ep. I, 17, 25. *Contra quem duplici panno patientia velat.* Nep. Dat. III, 2. *Agresti duplici amiculo circumdatus.* Ruhk. laudat Boettigeri *Vasengemälde* P. III. in. et Conington confert Apoll. Rhod. II, 32. *δίπτυχα λώπην.* — *ex humeris reiecit;* verbum propr. de iis, qui palaestrae se accingunt. Cf. Burm. ad Phaedr. V, 2, 5. idemque ad Ovid. Met. II, 582. et Bach. ad eiusd. IX, 32. — **422**. Cf. Hom. Od. XVIII, 67. De hoc versu hyperm. (de quo versuum genere diximus ad Geo. I, 295.) cf. Weichert. de versu hyperm. p. 21., qui putat, poëtam eo nervorum Erycis robur voluisse exprimere. Translatus autem est secundum Macrob. VI, 1, 43. ex vv. Ennianis (p. 116. Hessel.) vel potius Lucilianis (XVII, 7. Gerl.) *magna ossa lacertique Apparent homini.* (Vid. Ian. p. 503.) — **423**. *artus* (commissuras, ἄρθρα) - - *Exuit,* scil. vestibus i. e. denudavit, pro vulg. vestem exuit (de artibus). Sic Hor. Ep. I, 17, 15. *exuere membra pellibus,* Mart. XIV, 109. *exuere digitos,* scil. annulis, cett. Vid. etiam II, 153. IV, 518. VIII, 567. coll. adnot. ad VI, 229. Macrob. l. l. praebet *Extulit,* quod e versu sequ. errore illuc translatum videtur; *exuit* enim praeter omnes Codd. etiam Nonius p. 300, 8. agnoscit. Non opus igitur est Peerlkampii coniectura *Exserit,* quamquam non nego, Vergilium etiam hoc vocabulo uti potuisse. — **424**. Heyn. conferri iubet Apollon. II, 51 sqq. — *satus Anchisa,* ut supra v. 244. Vid. ad Geo. I, 278. — *pater,* utpote heros virilis s. paulo provectioris aetatis. Vid. supra ad v. 130. — *extulit,* e palatio suo, i. e. omnino protulit in medium. Cf. XI, 72. — **425**. *innexuit.* Med. a m. pr. *intexuit,* ex interpretamento, quod tamen Both. recepit; sed vid. Bentl. ad Hor. Epod. 17, 72. *Innexuit* etiam Prisc. p. 861. 902 sq. et Diomed. p. 366. testantur. Cf. Neue *Formenl.* II. p. 383. — **426** sqq. „Comparandi hic imprimis loci Homeri, Apollonii et Theocriti supra ad v. 362. memorati. Adde Val. Fl. IV, 261 sqq. et Silium XVI, 295 sqq. [et Epit. Iliad. 294 sqq.] — *arrectus in digitos, πόδεσσι ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθείς.* [Apoll. Rhod. II, 90.]" *Heyn.* Surgunt in digitos, ut ictus superne illatus eo fortior fiat. Cf. infra v. 480. VIII, 299. et XII, 789. Stat. Theb. VI, 750. *Fulmineas alte suspensi corpora plantis Erexere manus,* cum quo loco cf. eiusd. carm. I, 412. Claud. in Rufin. I, 297. hunc statum pugnantium breviter appellat *certamen sublime.* Ceterum, ut hic *arrigi in digitos,* ita apud Quinct. Inst. II, 3. *in digitos erigi.* Verba *Constitit in digitos* iterantur in Anth. Lat. III, 181, 95., sequentia autem *extemplo arrectus uterque* ibid. I, 170, 111. — Cum v. **427**. cf. Hom. Il. XXIII, 686. et Apoll. Rhod. II, 68. — **428**. *Abduxere.* Contra omnium Codd. nostrorum auctoritatem Marius Victor. p. 2481. P. exhibet *Redduxere,* quod iure displicuisse Muellero de re metr. p. 362. testatur Ribbeck. Proleg. p. 210. — **429**. *inmiscent manus manibus,* conserunt manus. Cf. Hom. l. l. v. 687. *ξὺν δέ σφι βαρεῖαι χεῖρες ἔμιχθεν.* et Apoll. l. l. v. 78. *χερσὶν ἐναντία χεῖρας ἔμιξεν.* — *pugnam laces-*

Ille pedum melior motu fretusque iuventa,
Hic membris et mole valens; sed tarda trementi
Genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus.
Multa viri nequiquam inter se volnera iactant,
Multa cavo lateri ingeminant et pectore vastos
Dant sonitus, erratque auris et tempora circum
Crebra manus, duro crepitant sub volnere malae.
Stat gravis Entellus nisuque inmotus eodem,
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.

---

sunt, i. e. ineunt, committere incipiunt; nam *lacessere* omnino est alicui rei motum dare. Cf. X, 10. (ibique adnott.) et XI, 254. Hic totus versus iteratur in Anth. Lat. VI, 84, 56. Punctum in eius fine vulgo positum cum Ribbeck. in Comma mutavi. — **430**. „*pedum melior motu*. Sunt enim haud dubie etiam pedum partes in pugilatu, evitandis ictibus. Vid. Stat. Theb. VI, 794 sq.“ *Heyn*. Cf. infra v. 445. Prius cum aliis perperam cogitavi de supplantando, quod in luctatione quidem erat permissum, in pugilatu vero vetitum. Cf. Krause *Gymn. u. Agon. d. Hell*. I. p. 518 sq. Ceterum Rottend. III. et Fronto p. 532. ed. Maii inverso ordine *Ille pedum motu melior*. — Verba *fretusque iuventa* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 13. — **431**. *membris et mole* iam Serv. per figuram *ἑνὸς διὰ δυοῖν* explicat, apte comparans I, 61. *molemque et montes insuper imposuit*. — **432**. *tarda genua* opponuntur verbis *pedum melior motu* v. 430. Cum verbis *genua labant*, quae repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 315., cf. Hom. Od. XIII, 34. Ceterum *Genua* duabus syllabis (*Genva*) pronuntiandum esse patet, ut alibi *tenuis* (vid. adnot. mea ad Lucr. I, 874.) et alia. Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 397. Aen. I, 2. II, 735. — *aeger anhelitus*, qui aegre trahitur. Cf. Apoll. Rhod. II, 85. *ἔς τέ περ οὐλοὸν ἄσθμα καὶ ἀμφοτέρους ἐδάμασσεν*. Probus Inst. I, 14, 4. hunc locum afferens temere haesit in epitheto *aeger*, cuius loco potius *acer* scribendum esse suspicatur. Sed vide Ribbeckii Proleg. p. 141. — **433**. Cf. idem Apoll. v. 84. *οὐ δ' ἔλληξαν ἐπισταδὸν οὐτάζοντες*. — *nequiquam*, non profutura victoriae. — *volnera*, ictus vulnera intendentes, quos deinde per partes enumerat. Vid. v. 436. Sic Sen. Herc. Oet. 160. *vulnera dirigere*. Cf. etiam adnott. ad II, 630. et 529. Wagn. confert Hom. Il. V, 795. *ἕλκος ἀναψύχοντα, τό μιν βάλε Πάνδαρος ἰῷ*. Hic versus totus iteratur in Anth. Lat. III, 81, 22. — **434** sqq. Heyn. confert Apollon. II, 82 sqq. — *ingeminant*. Vid. infra v. 457. et adnott. ad I, 747. Cf. etiam Stat. Theb. I, 418. hunc locum sic imitatus: *Iam crebros ictus ora et cava tempora circum Ingeminant*, ex quo loco collato cum v. 457. etiam apparet, *ingeminant* hic active intelligendum esse, non passive, ut Geo. I, 333. — *pectore* percusso *vastos dant sonitus*. Conington iure vituperat Taubmannum *vastos sonitus* de altis gemitibus accipientem coll. Cic. Tusc. II, 23, 56. — *erratque - - manus*, assidue huc et illuc missa modo aures, modo tempora petit. Cf. infra v. 441. Idem Conington comparat Aesch. Cho. 425. *πολυπλάνητα δ' ἦν ἰδεῖν Ἐπασσυτεροτριβῆ τὰ χερὸς ὀρέγματα*. De temporibus et auribus potissimum percussis cf. Krause *Gymn. u. Agon. d. Hell*. I. p. 515 sq. — **436**. Cf. Hom. Il. XXIII, 688. *δεινὸς δὲ χόμαδος γενύων γένετο*. — *crepitant*. Unde metaphora ducta sit, docent, quae infra leguntur v. 458 sq. — **437**. „*gravis* aetate et mole corporis. Cf. infra v. 447. [X, 207. XII, 458. cum X, 771. *mole sua stat*.] Nam alter contra, Dares, agilior corpore.“ *Heyn*. — *nisu inmotus eodem*, tam firmiter solo innitens, ut quasi affixus ei, ipsum statum numquam mutet, etsi corporis declinatione ictus evitat. Cf. III, 37. Iterantur haec verba in Anth. Lat. I, 45, 10. Peerlk., hunc loci sensum non perspiciens, parum considerate coni. *visuque*, cum, qui nitatur, non sit immotus, sed moveatur (?), ut vulg. lectio significaret i. q. *eodem motu immotus*, cum tamen Entellus vere moveatur (*exeat corpore tela*) etc.; quae omnia recta loci interpretatione satis refutantur. — **438**. *corpore*.

Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem
Aut montana sedet circum castella sub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus omnemque pererrat
Arte locum et variis adsultibus inritus urguet.
Ostendit dextram insurgens Entellus et alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Praevidit celerique elapsus corpore cessit;
Entellus vires in ventum effudit et ultro
Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto

Sic ap. Cic. Cat. I, 6, 15. *tuas petitiones - - parva quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi.* — „*tela* [i. e. caestus] *exit* pro vulgari: ictus cavet, declinat, evitat, eludit. Vocabulum in re gladiatoria proprium. Infra XI, 750. *vim viribus exit.* Stat. Theb. VI, 802. [*venientem eludit et exit Sponte ruens*].“ *Heyn.* Adde Lucr. V, 1330. *feros exibant dentis adactus.* Manil. V, 163. *Ille cito motu rigidos eludere caestus, Nunc exire levis missos,* et (quem Wold. Ribbeck. affert) Ambros. Hexaëm. VI, 8, 50. *athleta es, vulnus vigilanti adspectu exeas,* idemque Offic. I, 10, 32. *adversariorum declinet ictus et vigilanti exeat obtutu.* Macrob. Sat. VI, 6, 5. *exire* explicat per vitare, Lutat. ad Stat. Theb. IV, 601. per evadere. Ceterum cf. interpp. ad Cic. Cat. I, 6, 15. Verba *atque oculis vigilantibus exit* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 119. — **439.** „Entellus stat immotus, ille (Dares) ab omnibus partibus tentat et ictibus petit [adversarium].“ *Heyn.* — *molibus*, i. e. machinis; rectius enim coniunxeris hoc voc. cum *oppugnat*, quam cum *celsam* (ut *moles* sint turres, propugnacula). Cf. infra IX, 711. et Liv. II, 17. (a Gossr. laud.) *refectis vineis aliaque mole belli.* — **440.** *sedere* verbum proprium de iis, qui oppidum, castellum aliquod in obsidione tenent nihil molientes. Cf. Liv. II, 12. in. VII, 37, 10. XXII, 56, 3. XXIII, 19, 14. cett. et Val. Max. VII, 4, 5. (*cui apud moenia Trebiae armato sedendum foret*). Hac igitur altera comparationis parte significatur, etiam Dareta interdum quietiorem stare et observare, si adversarius aliqua parte plagae pateat (cf. Krause l. l. p. 514.); neque iusta causa subest, ut hunc versum, tamquam antecedenti contrarium, cum Peerlkampio spurium censeamus, quem tamen etiam Ribbeck. fortasse recte iudicasse censet. Cf. eius Proleg. p. 80. — *sub armis*, armatus. Cf. v. 585. Eodem sensu VII, 434. et XI, 464. *in armis.* — V. **441** sq. cum *Ille*, non cum *qui* coniungendos esse patet. — *aditus* ab urbe oppugnata ad petitum Entelli corpus translatum. Sic Stat. Theb. VI, 751. *aditusque ad vulnera clusi.* — *aditus atque locum pererrat* per zeugma dictum pro: aditus temptat, explorat, et locum pererrat. (Cf. supra v. 435.) Ceterum cf. locus simillimus XI, 766., quocum Prisc. p. 908. nostrum confudit. — Verba *omnemque pererrat* repetuntur in Anth. Lat. I, 14, 15. — **442.** *variis adsultibus urguet.* Cf. Ovid. Met. XI, 526. *Cum saepe assiluit defensae moenibus urbis.* — **443.** Cf. Apoll. Rh. II, 90 sqq. — *insurgens*, se attollens digitis. (Cf. supra v. 425. et infra XII, 728 sq.) Sic *insurgere* haud raro de pugnantibus et ad ictum brachium tollentibus. Cf. infra XI, 697. XII, 902. Sil. I, 400. V, 294. al. — **444.** *vertice*, desuper. Vid. ad Geo. II, 310. — *velox*, velociter et acute. — **446.** *vires in ventum effundere* proverbialis est locutio, cum qua cf. infra X, 652., Lucr. IV, 932. *verba profundere ventis*, Ovid. Am. I, 6, 42. *dare verba in ventum* et similia. Conington comparat Catull. LXII (LXIV), 111. *Nequiquam vanis iactantem cornua ventis.* — *ultro* Serv. non male explicat: „e contrario; ille enim cadere debuerat.“ Sensus enim aperte est hic: Adversarium frustra prosternere studens ipse potius procumbit; illum sibi elabi passus insuper (*obendrein*) ipse concidit; de qua Particulae signif. vid. ad Geo. IV, 204. (Consentiunt mecum Conington et Benoist.) Aliter Wagn., qui Qu. Verg. XXVII, 2. *ultro* interpretatur: „non prostratus ab adversario,“ ut igitur idem fere sit, quod sua sponte, vel hic quidem sua culpa. — *gravis graviter* Homeri (Il. XVI, 776.) *μέγας μεγαλωστί.* De

Concidit, ut quondam cava concidit aut Erymantho
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes;
It clamor caelo primusque accurrit Acestes
Aequaevumque ab humo miserans attollit amicum.
At non tardatus casu neque territus heros
Acrior ad pugnam redit ac vim suscitat ira.
Tum pudor incendit vires et conscia virtus
Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto

Copula adiecta, quae res natura sua non disiunctas inter se coniungit, vid. adnott. ad Geo. I, 142. et Aen. III, 329. omninoque cf. supra v. 118. ibique adnott. *Graviter concidere* legitur etiam ap. Lucr. VI, 759. — 448 sq. Eandem comparationem iam ap. Hom. Il. XIII, 178 sqq. XIV, 414 sqq. XIV, 482 sqq. alibi inveniri, memorat Heyn. Conington comparat Catull. LXII (LXIV), 105 sqq. — *ut quondam*. Vid. ad II, 367. — *cava pinus*, vetustate exesa. — *Erymanthus*, Arcadiae occidentalis mons (qui nunc vocatur *Olenos* s. *Olonos:* vid. librum meum geogr. III. p. 1002.), apro illo ab Hercule occiso satis notus, de quo cf. Paus. Arcad. 24. Apollod. II, 5, 4. Ovid. Trist. I, 4, 1. infra VI, 801. alii. De *Ida* vid. ad II, 696.; quae *pinifera* dicitur v. c. Statio Silv. III, 4, 12. Cf. Heins. ad Sabini Ep. 3, 41. et vid. infra IX, 80. Peerlk., qui haeret in iterato verbo *concidit*, malit: *ut quondam cava montibus aut Erymantho*. — 449. *radicibus*. Plures Codd. et Prisc. XV, 4, 23. p. 1015. *radicitus*, quod etiam apparet in aperta huius loci imitatione ap. Avienum fab. XVI, 1. *Montibus e summis radicitus eruta pinus Decidit*, ubi tamen quaeritur, an lectio sit vera. Cf. etiam infra VIII, 238. Burm. ad Phaedr. III, 10, 49. et Drak. ad Sil. VI, 196. (ubi legitur *Arboris abstraxit molem penitusque revulsam Evertit fundo et radicibus eruit imis*). Wagn. conferri iubet Wakef. ad Lucr. III, 462., ubi legimus *avolsus radicibus*. Contra apud Catull. l. l. v. 108. utique scriptum videmus *radicitus exturbata*. — 450 sqq. „Similiter Iliad. XXIII, 694 sq. Sed reliqua, quod Entellus novas vires sumit, de suo Vergilius addidisse videtur; ductus fortasse Theocr. Id. XXII, 107 sqq. — *studiis*, Serv.: in studia. Malim: prae studio, per studium ac favorem, qualis spectantium in ludis est.“ *Heyn*. Quam interpretationem firmari voc. *primus* v. 451. docet Wagn., qui in min. edit. explicat: „studium prae se ferentes, quo persequebantur Entellum.“ — 451. *It clamor caelo*. Vid. adnott. ad Ecl. II, 30. et Aen. II, 186. 688. Eadem verba redeunt XI, 192. et in Anth. Lat. VI, 84, 22. Cf. etiam IV, 665. *it clamor ad alta atria*. — 452. *ab humo*, ut ap. Ovid. Fast. II, 354. *de humo membra tollere*. Saepius sane in eiusmodi locis simplici Ablat. *humo* utuntur. Cf. Ruddim. II. p. 273. — 454. *vim suscitat ira*. Cf. XII, 108. *se suscitat ira*. Contra X, 263. *spes suscitat iras*. — 455. *Tum*, i. e. praeterea, porro; ut Ecl. VI, 61. Aen. I, 164. III, 141. 175. VI, 125. VI, 577. X, 445. alibi. Conington vero *tum* pro *tum demum* positum censet. Med. a m. pr. habet *Tunc*. Vid. adnott. ad IV, 408. — *pudor incendit vires*. Sic VII, 514. *vocem*, IX, 500. *luctum*, ap. Ter. Andr. II, 1, 8. *libidinem*, ap. Cic. ad Div. XV, 21, 1. *cupiditatem*, ad Att. IX, 1, 3. *odia incendere* legimus, pariterque ap. Livium II, 23. *invidiam*, ibid. 29. *discordiam*, ap. Curt. VIII, 6. *iram*, ap. Tac. Ann. XV, 1. *dolorem* et IV, 56. *pertinaciam accendere*. — *conscia virtus*, pro virtutis conscientia s. virtute, quae scit, se esse virtutem, positum (vid. Schol. Stat. Theb. I, 644.) iterum legitur XII, 668. et praeter Statii l. l. etiam ibid. VI, 826. Ceterum hunc versum, quem Bryantus et Peerlk. spurium et importune interiectum censuerunt, bene defendit Iahn. Pudor enim et conscia virtus ab ira valde differunt, ideoque novam continet hic versus causam, cur acrior ad pugnam redierit Entellus. In iterata autem voce *vim*, *vires* non haerendum. Vid. ad Geo. II, 125. et alibi. Ribbeck., qui huic versui *παρενθέσεως* signa adiecit, in fine eius Semicolo distinxit. — 456. Cf. Apollod. l. l. v. 74. et

Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
Nec mora nec requies: quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.
Tum pater Aeneas procedere longius iras
Et saevire animis Entellum haud passus acerbis;
Sed finem inposuit pugnae fessumque Dareta
Eripuit mulcens dictis ac talia fatur:
„Infelix, quae tanta animum dementia cepit?
Non vires alias conversaque numina sentis?
Cede deo!“ Dixitque et proelia voce diremit.

Val. Fl. IV, 261 sqq. — *praecipitem*, celerem. Vid. IV, 573. ibique adnott. — *Daren.* Infra ubique *Dareta* v. 460. 463. 476. Cf. Ruddim. I. p. 64. Schneider. II, 1. p. 41 sq. — *agit aequore toto*, ut II, 424. *totaque agitavimus urbe.* De aequore campi vid. adnott. ad Geo. I, 59. et II, 105. et de omissa Praepos. *in* ad IV, 502. et alibi. Verba *ardens agit aequore toto* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 296. — **457**. De adiecto Pronomine *ille* vid. ad I, 3. Med. quidem et Minoraug. exhibent *nunc deinde sinistra*, et unus Vindob. *nunc inde* (quod Hoffmann. in Ephem. gymn. Austr. 1865. p. 477. unice verum esse temere iudicavit: cf. Ribbeck. Proleg. p. 353.), sed *nunc ille* praeter ceteros Codd. testantur etiam Serv. ad h. l., ad Aen. I, 3. et VI, 186. atque Donatus ad Ter. Adelph. III, 2, 8. — **458**. *Nec mora, nec requies*, ut Geo. III, 110. Aen. XII, 553. ap. Lucr. IV, 227. et in Ausonii cent. nupt. 124. — *quam multa - - sic densis ictibus*. Cf. Geo. IV, 473. — **459**. *grandine nimbi - crepitant.* Cf. Geo. I, 419. *Tum multa in tectis crepitans salit horrida grando.* Verba *sic densis ictibus heros* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 118. — **460**. *versat* („*tummelt*“), quod v. 456. *agit aequore toto*. Wakef. ad Lucr. II, 3. coni. *vexat.* Sed vide Burm. ad Prop. III, 9, 1. — **461** sqq. „Aeneas idem facit, quod Achilles Il. XXIII, 734.“ *Heyn.* — **462**. Ribbeck. cum Pal. a m. pr. pro *haud* scripsit *hau.* Sic etiam IX, 804. et X, 737. Vid. eius Proleg. p. 425. — **464**. *mulcens dictis.* Cf. I, 197. VII, 755. (Geo. IV, 510. Aen. I, 66. cett.) — Cum v. **465**. Heyn. confert Iliad. XX, 332 sq. — *infelix.* Consolatur Aeneas Dareta, ideoque *infelicem*, non invalidum, vel tardum, inhabilem eum vocat, ut fortunae potius culpae et numinis interventui tribuendum videatur, quod victus sit. — *Quae animum dementia cepit?* Cf. Ecl. VI, 47. — **466**. „*vires alias* simpl. quam putaveras huius hominis esse, h. e. tuis maiores.“ *Heyn.* Accuratius *Wagn.:* „divinas, Eryce Entellum iuvante.“ Cf. v. 391 sq. et 483., cui etiam Bryce, Ladew., Henry in *Tw. years* V. p. 27. et Benoist. adsentiuntur. Cf. Hom. Il. XX, 334. et Val. Fl. IV, 126. hunc locum sic imitatus: *Iam iam aliae vires maioraque sanguine nostro Vincunt fata Iovis.* Perlectis tamen iis, quae mutata sententia Henry in Philol. XIII. p. 634. et Conington de h. l. disputarunt, imprimis verbis *conversa numina* moveor, ut nunc potius cum Peerlk. de Daretis ipsius viribus cogitem. Sic oritur haec sententia: Non sentis, vires tuas in hoc certamine non fuisse easdem, quas antea habere solebas? non sentis *conversa* (mutata, tibi non propitia) *numina*, fortunam certaminis esse mutatam et averso numine te certare? *Cede* igitur *deo* teque victum profitere. Cum verbis *alias vires* (*veränderte Kräfte*) Henry conferri iubet Geo. IV, 254. Ovid. Met. XIII, 958. XV, 335. nec minus Aen. X, 610. — Verba *conversaque numina sentis* in Anth. Lat. III, 81, 103. corrupta repetuntur. — **467**. *Cede deo.* Haec verba Conington non singillatim ad Erycem referenda, sed universe de voluntate divina intelligenda esse censet, ut I, 199. et IV, 651., quod probo. Vid. supra. — *Dixitque et p. v. diremit.* Heyn. temere suspicatur, Vergilium scripsisse *Dixit, et;* immo Particulas *que — et* rem statim consecutam significare, recte docet Wagn. Peerlk. Vergilium nil nisi *Cede deo!* scripsisse, cetera autem ad explendum versum imperfectum addita putat; quod probat Ribbeck. Proleg. p. 80. —

Ast illum fidi aequales genua aegra trahentem
Iactantemque utroque caput crassumque cruorem
Ore eiectantem mixtosque in sanguine dentes
Ducunt ad navis; galeamque ensemque vocati
Accipiunt, palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor superans animis tauroque superbus:
„Nate dea vosque haec, inquit, cognoscite, Teucri,
Et mihi quae fuerint iuvenali in corpore vires
Et qua servetis revocatum a morte Dareta."
Dixit et adversi contra stetit ora iuvenci,
Qui donum adstabat pugnae, durosque reducta

---

468. *fidi aequales*, *φίλοι ἑταῖροι*. Cf. Hom. Il. XXIII, 695 sqq. — *genua aegra trahentem*, i. e. genua fessa aegre trahentem: *ἐφελκομένοισι πόδεσσιν*, Hom. l. l. Ceterum *genua* etiam hic, ut supra v. 432., duabus syllabis pronuntiandum. — V. 469. ad verbum ex Hom. l. l. translatus: *Αἷμα παχὺ πτύοντα, κάρη βάλλονθ' ἑτέρωσε.* — *Iactantem.* Macrob. Sat. IV, 1, 2. *Quassantem,* quod tamen vocabulum (nostro *schütteln* respondens) alio sensu usurpari solet. Heins., cui displicent vv. coniuncta *Iactantem - - eiectantem,* coni. *Nutantem,* memor haud dubie loci Siliani VI, 233. *Nutat utroque caput.* — *utroque,* in utramque partem, ac si cervix iam fracta sit. Parrhas. *utraque,* quod tuetur Wakef. ad Lucr. II, 517. — *crassum cruorem, αἷμα παχύ,* Hom. Iliad. XXIII, 697. — 470. *Ore eiectantem.* Sic editt. inde ab Heinsio cum Med. et melioribus Codd. itemque Macrob. l. l. Vulgo *ore reiectantem.* Cum Parrhas. praebeat *ore reluctantem,* Ribbeck. quaerit: „an *ore eructantem?*" — *mixtos in sanguine dentes.* Sic etiam Ovid. Met. XII, 256. *Cumque atro mixtos spumantem sanguine dentes,* cum quo loco cf. ibid. III, 423. *in niveo mixtum candore ruborem;* quare non erat, cur Wakef. ad Lucr. III, 643. (coll. Aen. II, 609. III, 99. X, 871.) praeferret Medic. lectionem *mixtoque;* non enim, quod recte observat Wagn., sanguis dentibus, sed dentes sanguine sunt mixti; *in sanguine* autem scripsit Verg., quia profluentem sanguinem cogitat. — 471. *galeam ensemque accipiunt.* Cf. v. 367. — „*vocati,* h. e. iussi. Servius: „„Bene eorum ostendit pudorem:"" non sponte acres accurrere puta, sed verecunde ac timide, nec nisi hortatu facto, ut tollerent. Etsi proprium vocabulum est certaminum, pronuntiatur enim a praecone victor et ad tollendum praemium vocatur. Sic supra v. 244 sq." *Heyn.* — Hoc alterum est probabilius; de timiditate enim quadam sociorum Daretis accipere cunctantium, quae ille non meruerit, cogitari vix potest, cum sciant, Dareti haec dari, ut sint solatia victo, quod recte exposuit Steinmetz. Progr. p. 8. — 472. *palmam* (quam proprie intelligendam esse, docet v. 111.) - - *relinquunt* non sine magno dolore, quod iam Donatus observavit. Verba *taurumque relinquunt* iterantur in Anth. Lat. I, 14, 11. — 473. *superans animis,* animo quasi abundans, superfluens (de qua signif. vid. adnott. ad Geo. II, 331. et III, 63.), i. e. superbiens, elatus victoria. Verba *Hic victor superans* repetuntur in Anth. Lat. III, 81, 80. Schol. Veron. p. 95. Keil. haec comparant Ennii verba (Ann. VI. fr. 17. p. 33. Vahl.) *ast animo superant atque aspera prima Volnera belli despernunt.* — *tauro superbus.* Vid. supra ad v. 268. — 474. *cognoscite,* audite, ut Ecl. VI, 25. Iuven. III, 288. Cic. Agr. II, 10, 26. et alibi. — 475. *iuvenali.* Sic optimi Codd. et Charis. I. p. 108. P., quos Pier. et Heins. secuti sunt. Vulgo *iuvenili.* Vid. ad II, 518. — 476. *a qua morte,* a qua certa et miserabili morte. — *revocatum.* Conington confert Cic. post red. in Sen. 9. *revocare a morte ad vitam,* infra VII, 769. *Paeoniis revocatum herbis* et supra IV, 375. *socios a morte reduxi.* Similiter etiam Cic. Cluent. 5, 12. *revocare aliquem a cupiditate,* Ovid. Trist. II, 557. *animum ab ira revocare* cett. — 477. *contra,* ex adverso. Verba *contra stetit ore iuvenci* legimus etiam in Anth. Lat. I, 14, 12. Cf. autem supra v. 414. — 478. *donum pugnae,*

Libravit dextra media inter cornua caestus,
Arduus, effractoque inlisit in ossa cerebro.
Sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super talis effundit pectore voces:
„Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo; hic victor caestus artemque repono.“
Protinus Aeneas celeri certare sagitta
Invitat qui forte velint et praemia ponit

---

praemium victoriae. Cf. supra v. 365. — *reducta dextra*, alte post caput sublata, ut XII, 307. *reducta securi*. — **479.** *Libravit.* Duas res, librationem ante ictum (cf. X, 480. *diu librans iacit*) et ictum ipsum hic in unam contrahi memorat Conington. — **480.** *Arduus.* Vid. supra ad v. 426. et 443. Cum singulari autem vi hoc vocabulum in extremo enuntiati et primo versus loco ponitur. Vid. adnott. ad Ecl. V, 21. VII, 50. etc. — *in ossa.* Fleckeisen. in Iahnii Annal. LXI. p. 32. Praepos. *in*, quam omittit Rom., vult deletam, cum syllaba *sit* natura sit longa (vid. supra ad v. 167. et infra ad v. 521.), eumque prius secutus est Ladew., qui tamen postea Praepositionem restituit. Si omittenda est, *effracto cerebro* Dativum esse dixerim. — **481.** In promptu est, verba sic coniungenda esse: *bos sternitur et tremens procumbit exanimis.* Cf. adnott. ad Aen. II, 613. (et Geo. I, 449.) Wakef. ad Lucr. V, 1199. temere coni. *tremensque*. — *humi* pro in humum. Vid. ad I, 193. et X, 558. Sic Ovid. Met. V, 122. (haud dubie nostri loci non immemor) *Rapta - - repagula - Ossibus illidit mediae cervicis; at ille Procubuit terrae mactati more iuvenci* (coll. cum Met. II, 347. *cum vellet terrae procumbere*). De clausula versus monosyllaba vid. adnott. ad Geo. I, 181. Ceterum Conington hic locus ex Apoll. Rh. II, 426. videtur sumptus. — **482.** *super* pro insuper: facinori suo etiam haec verba addit. Cf. adnott. ad I, 29. II, 71. al. — *effundit voces*, ut infra v. 723. VIII, 70. et ap. Ped. Albinov. in Wernsd. P. L. min. IV, 233, 15., ubi verba *tales effudit* (Scalig. *effundit*) *pectore voces* repetuntur. Sic *effundere loquelas* V, 842., *dicta* VII, 292. et VIII, 582., *preces* VI, 55., *fletus* II, 271., *questus* V, 780. — **483.** *meliorem animam.* „Melius est hanc taurinam animam persolvere, quam Daretis; contrariam in partem idem dicitur XII, 296.“ *Wagn.* Humaniter Entellus loquitur. Peerlk. tamen, cum hominis anima melior et illustrior sit victima, quam bovis, et Eryci gratior esse debuerit victima Dares, homo tam gloriosus, coll. Ovid. Fast. VI, 162. *Hanc animam vobis pro meliore damus*, coni. *meliore animam pro morte*, ut haec sit sententia: Contentus esto victima bove. Dignus eras meliore; sed Aeneas prohibuit. Servius minus probabiliter taurum ut cruentam victimam *meliorem* dici putat cum sacrificio incruento comparatam, et Steinmetz Progr. p. 9. de his versibus sic iudicat: „Ambiguum est, misericordiane commotus haec dicat Entellus, an adversarii irrisione et contemptu.“ — **484.** *persolvo*, ut VIII, 62. — *caestus artemque repono*, cum caestibus depositis etiam artem ipsam depono, dimitto, noto more. Heyn. confert Hor. Od. III, 26. et Conington eiusd. Ep. I, 1, 4 sqq. De verbo *reponendi* huic rei proprio cf. Burm. ad Val. Fl. II, 286., de omni autem more instrumenta artis depositae diis dedicandi et in templis suspendendi vid. Iacobs. Anthol. Gr. I. p. 157. et 187. Turneb. Adverss. VI, 9. Wernsd. ad Calpurn. Ecl. 8, 14. Heind. ad Hor. Sat. I, 5, 65. et quos Obbar. laudat ad Hor. Ep. I, 1, 5. p. 10. Cf. etiam adnott. ad Ecl. VII, 24. et Aen. I, 248. — **485** sqq. Idem certamen ap. Hom. Il. XXIII, 850 sqq. — *certare sagitta Invitat*, pro: ad certandum invitat. Cf. Geo. IV, 23. cum adnott. ad Geo. III, 46. IV, 23. Aen. I, 527. etc. — **486.** *qui forte velint*, i. e. si qui forte velint, Graec. οἵ, οἵτινες ἄν. Vid. Hand. Turs. II. p. 739. Peerlk., quaerens: „Cur dubitaret, an futuri essent, qui sagitta vellent certare?“ totum versum, excepto primo vocabulo, spurium habet! Pro *ponit* Ribbeck. (quem Conington sequitur) recepit lectionem Pal. et Gud. *dicit*, cui iam Heins. patrocinatus erat, et *ponit* ex

Ingentique manu malum de nave Seresti
Erigit et volucrem traiecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Convenere viri deiectamque aerea sortem
Accepit galea; et primus clamore secundo
Hyrtacidae ante omnis exit locus Hippocoontis;
Quem modo navali Mnestheus certamine victor

---

simillimo loco supra v. 291 sq. huc translatum putat. — **487.** Cf. Hom. Il. XXIII, 852. Temere haeserunt Viri docti in *manu ingenti* (Homeri *χειρὶ παχείῃ* vel *στιβαρῇ*), ita ut Wakef. ederet *Ingentique* (de nave) *manus*, sc. Aeneae, i. e. Aeneas ipse, Both. autem coniiceret *Ingentem*, quod Peerlk. probat; sed recte Wagn. Codd. lectionem defendit, cum *ingens manus*, qua magna vis et robur corporis significetur in manuum operibus conspicuum, in heroe non possit offendere, quare etiam Herculi a Val. Fl. III, 609. *ingens manus* tribuatur. Ut enim heroes ipsi *ingentes* appellantur II, 557. VII, 167. IX, 735. X, 842., sic etiam singulas corporis partes *ingentes*. Vid. XI, 556. *ingens dextra*, X, 485. *ingens pectus*, XII, 300. *ingens barba* etc. Cf. etiam supra v. 241. Stat. Theb. VI, 701. *magna manus* et praeter Markl. ad Stat. Silv. III, 1, 36. (a Wagn. laud.) Burm. ad Albinov. Eleg. I, 224. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 3, 6. Voss. in *Anm. u. Randgl.* p. 213. et Freudenberg. Vind. Verg. p. 25 sq. Quominus enim coniungas *ingenti de nave*, impedit et collocatio verborum et voc. *manu* ita nude positum, quamquam hoc per se defendi potest. Vid. adnott. ad IV, 344. Nemo autem cum Servio et Heynio de magna multitudine cogitabit. — *de nave*, scil. sumptum. Vid. ad III, 288. — De *Seresto* vid. ad I, 611. et IV, 288. — **488.** „*traiecto in fune;* funis traiicitur, transverse circumplicatur, columbae; sollemnius absolute *fune traiecto*." *Heyn.* Infra v. 510. *nodus* dicitur. Ceterum etiam hoc ex Homero petitum Il. XXIII, 852., quocum Conington confert Soph. Ai. 140. — **489.** *Quo*, in quam, ut saepe. Cf. IX, 206. *honorem, quo tendis*. Kritz. ad Sall. Iug. 66, 2., Schmid. ad Hor. Ep. I, 6, 10. et quae de usu Adverbb. *ubi, unde* cett. ad Geo. III, 490. Aen. III, 663. VIII, 71. al. adnotavimus. — *malo suspendit ab alto.* Vid. ad XII, 511. — „**490.** ex Iliad. XXIII, 861. Cf. Il. III, 316 sq. [quibus locis Thiel. addit Soph. Elect. 609 sq.]" *Heyn.* — *deiectam sortem*, in galeam iniectam. Cf. Caes. B. C. I, 6. *eorum sortes deiiciuntur.* Epit. Iliad. 588. hunc locum sic imitatur: *deiectis auratam regis Atridae sortibus in galeam.* Cum *aerea galea* cf. Hom. Il. XXIII, 861. — **491.** „*primus* [*ante omnes*: vid. ad II, 40.] *locus* eleganter pro sorte [locum praescribente], qui *exit*, *ἐξέθορε*, *ἐξόρουσε*, ut notum ex Homero." *Heyn.* Conington confert Hom. Il. III, 325. *κλῆρος ὄρουσεν* et VII, 182. *ἔθορε κλῆρος*. Ceterum cf. Val. Max. VI, 3, 4 (9.) *coniectis in sortem omnibus tribubus Polliae, quae proxima exierat*, etc. — *clamor secundus* est acclamatio faventium. Sic supra v. 369. Dares ad pugilatum se accingit *magno murmure virûm*. Ceterum vid. adnott. ad IV, 45. et cf. supra v. 338. Wagn. confert Sil. XVI, 467. *vulgi clamore secundo.* — **492.** *Hippocoon* alibi nusquam commemoratur. Hyrtaci filius, ideoque Nisi frater (vid. supra ad v. 294.) a poëta fingitur; Hyrtacus autem inter principes fuit Troianorum. Vid. Hom. Il. II, 837. et Apollod. III, 12, 5. — Ribbeck. in fine huius versus Punctum posuit, minus recte. — **493.** *modo* cum Servio pro *nuper* (*nur eben, eben erst*) positum accipio, etsi hoc „inane" dicit Handius, Turs. III. p. 644 sqq. paulo subtilius et de hoc loco et de XI, 141. disputans, in quibus *modo victorem* victorem verum significare opinatur. Immo *Modo victor* est: qui modo vicerat, ut ap. Iuven. III, 73. *populus modo victor* et ap. Hor. Sat. I, 1, 16. *eris tu, qui modo miles, Mercator, tu, consultus modo, rusticus.* Urbanus *modo* temere per „propemodum, paene" explicat, addens: „nam secundus fuit." Cf. Ribbeck. Proleg. p. 167. — „*victor*, secundo loco, vid. supra v. 285. [ideoque unus ex nu-

Consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva.
Tertius Eurytion, tuus, o clarissime, frater,
Pandare, qui quondam iussus confundere foedus
In medios telum torsisti primus Achivos.
Extremus galeaque ima subsedit Acestes,
Ausus et ipse manu iuvenum temptare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri et depromunt tela pharetris.
Primaque per caelum nervo stridente sagitta
Hyrtacidae iuvenis volucris diverberat auras;
Et venit adversique infigitur arbore mali.

---

mero victorum]; simili modo *tertia palma* v. 339., unde hoc idem habet Silius XVI, 462. 503. Quod *evinctus* comas *oliva* est Mnestheus, ad eandem victoriam spectat; nec in eo haerendum, quod oleaginea corona supra v. 246. et 269. commemorata non est." *Heyn.* Cf. tamen v. 309. Conington Vergilium negligentiae accusat, qui non meminerit, Cloanthum, victorem in navali certamine, supra v. 246. lauro esse coronatum. — De *evinciendi* verbo vid. ad IV, 474., de nomine autem *Mnesthei* cum vi iterato ad Ecl. VI, 20. — **495.** Verba *tuus, o clarissime, frater* repetuntur in Anth. Lat. I, 14, 23. — *Eurytion* hoc uno loco commemoratur, *Pandarus* autem, cuius frater ille dicitur, fuit Lycaonis fil., Lycius, sagittarius celeberrimus inter copias auxiliares Troianorum (cf. Il. II, 827. IV, 88. V, 95.), a Diomede interfectus. (Il. V, 277 sqq. Dictys II, 41. Hygin. f. 112.) — **496.** „*iussus*, a Minerva. Vid. Hom. Il. IV, 68 sqq. — *confundere foedus*, turbare, *συγχέειν*, ut ipse Hom. Il. IV, 269. *ἐπεὶ σύν γ' ὅρκι' ἔχευσαν.*" *Heyn.* *Confundere foedus* redit infra XII, 290. — **497.** „*telum torsisti;* Pandarus enim emissa sagitta Menelaum vulneravit. Male veteres de hasta acceperunt *telum.*" *Heyn.* Cf. XI, 773. XII, 461. — **498.** *Extremus - - subsedit* explicatur qnodammodo verbis additis *galeaque ima*, de qua vi explicativa Copulae vid. adnott. ad Ecl. III, 34. VIII, 101. Aen. I, 111. II, 722. etc. — *Acestes* pro sorte Acestis, ut II, 201. *Laocoon ductus sacerdos.* — *subsedit*, delituit, remansit. Haec autem est Med. aliorumque bonorum librorum lectio, quam cum Wagn. restituimus. (Vid. ad Aen. III, 565.) Burm. enim et, qui eum sequitur, Heyn. ediderunt *subsidit*, quod qui libri exhibeant, prorsus ignoramus. — **499.** „*manu*, sagitta manu emissa: quandoquidem manus pro ipsa opera et opere manuum dicitur." *Heyn.* Adiungenda tamen erit roboris notio, quo arcus tenditur. — *temptare laborem*, i. e. experiri, tolerare, legitur etiam apud Tibull. III, 4, 65., ubi vid. Huschk. Cf. etiam infra XI, 505. *manu temptare pericula belli.* — *iuvenum.* Medic. a m. pr. *iuvenem*, quam lectionem Peerlk. tamquam exquisitiorem praeferendam, vel certe commendandam censet. Legitur hoc Adiectivum apud Ovid. Met. VII, 295. Calp. Ecl. VII, 6. Plin. Ep. IV, 8. et alibi, sed ab hoc loco est alienum. — **500.** *flexos incurvant arcus.* Vid. ad I, 659. Prisciani p. 996. Cod. *ω*, Alcuin. Gramm. p. 2140. et Beda de orth. p. 2342. P. exhibent *summis incurvant viribus*, fortasse hunc locum confundentes cum IX, 744. (vel etiam IX, 531.) — **501.** „*Pro se quisque*, *καθ' ἑαυτὸν ἕκαστος*, h. e. *εἰς δύναμιν.* Sic Iliad. I, 272. *καὶ μαχόμην κατ' ἔμ' αὐτόν.*" *Heyn.* Sic etiam Servius: „pro qualitate roboris sui." Verba *pro se quisque viri* iterantur XII, 552. et in Anth. Lat. I, 170, 122. — **502.** *Primaque.* Copulam in mediam rem ducere docet Wagn. Qu. Verg. XXXV, 10. — *nervo stridente sagitta.* Cf. Geo. IV, 313. — **503.** *sagitta diverberat auras.* Sic etiam VI, 294. *umbras ferro diverberare*, IX, 411. *noctis umbras diverberare* et Lucr. II, 151. *sol* (radiis) *aërias diverberat undas.* Cf. etiam eiusd. I, 223. et Burm. ad Nemes. Cyneg. 265. — **504.** *Et venit*, i. e. et statim advenit, scopum attingit. De hoc usu Copulae vid. ad I, 82. Wagn. praeterea hic conferri iubet Geo. III, 252. Aen. VI, 547. VIII, 124. IX, 22. 117. X, 495. 877. — *arbore*, trunco, ligno.

Intremuit malus timuitque exterrita pinnis
Ales et ingenti sonuerunt omnia plausu.
Post acer Mnestheus adducto constitit arcu
Alta petens pariterque oculos telumque tetendit.
Ast ipsam miserandus avem contingere ferro
Non valuit; nodos et vincula linea rupit,
Quis innexa pedem malo pendebat ab alto;
Illa Notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus iamdudum arcu contenta parato

Probus Art. Gramm. I. extr. legit *adversae - - mali.* Sed ubi de navis malo sermo est, semper masculinum genus obtinet, ubi de arbore, ex communi lege femininum. Errat enim Conington, X, 207. *arborem* (*centenam*) malum significare ratus, ubi potius de remis sermo est. — **505**. „*timuit pennis*, h. e. plausit alis, trepidavit prae metu; ut Servius: *terrorem suum pinnis significans.* - - Tenuius dictum fuisset *tremuit pennis.* At vero *timuit pennis*, tertio Casu, plane foret ieiunum.“ *Heyn.* Wagn. Ablativum utrique verbo *exterrita timuit*, non soli *timuit*, adiungendum putat. Ceterum cf. supra v. 215. — **506**. *omnia*, totus locus. — *plausu*, non spectatorum, sed alarum columbae, ut v. 215. Vid. v. 516. Consentiunt mecum (praeter Coningtonem et Benoistum cum Servio facientes, cum Verg. transtulerit Hom. Il. XXIII, 869. ἀτὰρ κελάδησαν Ἀχαιοί) ceteri recentiores editores et Steinmetz. in Progr. p. 10., quamquam Serv. haec adnotat: „*plausu*: alii pennarum dicunt, sed melius est spectantium favore: illud enim est incredibile,“ atque etiam imitator Vergilii in Anth. Lat. I, 171, 2. verbis ex eo repetitis *sonuerunt omnia plausu* de hominum plausu usus est. Ribbeck. verba *timuitque exterrita pennis* cum toto v. 506. tamquam spuria et ex imitatione v. 215 sq. orta uncis inclusit, poetam, quae de ave additurus esset, omisisse ratus; in Proleg. tamen p. 80. ipse de iudicii sui veritate dubitat. — **507**. *Post* (eum) *acer Mnestheus. Acer* Cerda ad oculorum aciem referre mavult. At est epitheton ornans, a virtute et alacritate omnino petitum. Cf. supra ad I, 14. et 99. — *adducto arcu*, quod Ovid. Met. I, 455. VIII, 357. Sil. I, 334. (ubi vid. Drak.) al. *adducto nervo,* et infra IX, 632. (ubi vid. adnott.) *adducta sagitta.* Conington comparat Hom. Il. IV, 123. νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον et eiusd. XXIII, 870 sq. — **508**. *pariterque* cett. Similiter Ovid. Met. II, 312. *pariterque animaque rotisque Expulit,* ad quem locum Ochsner. (p. 524. ed. Bach.) conferri iubet Dorvill. ad Char. IV, 4. p. 442. — *oculos telumque tetendit* per zeugma, quamquam *sagittas tendere arcu* pro *arcum tendere* legitur etiam apud Hor. Od. I, 29, 9.; neque aliter Himer. Or. XIV, 4. κυκλοῦσθαι βέλη pro τόξα. Vid. infra v. 513. *Tendere ferrum* modo legimus v. 489., *tendere lumina* autem II, 405. — **509** sqq. Cf. Hom. Il. XXIII, 865 sqq. — *miserandus*, σχέτλιος, dicitur, quia re longe difficiliore iam perfecta hac victoria caret. Eodem fere sensu supra v. 204. et 329. legimus *infelix.* — **510**. *nodos et vincula* (vid. supra v. 488.) *rupit.* Hom. l. l. v. 867. ἀντικρὺ δ' ἀπὸ μήρινθον τάμε πικρὸς ὀϊστός. *Nodos* et *vincula* eadem ratione coniunxit Lucr. VI, 356. — **511**. *innexa pedem.* Vid. ad Ecl. 1, 54. (III, 106. al.) — **512**. *Notos atque in nubila fugit*, in auras (ventos) et nubes, in caelum evolavit. Haud raro autem Praepositio ad duo nomina pertinens alteri demum adiungitur. Vid. II, 654. VI, 416. 692. VII, 296. 543. VIII, 143. Hor. Ep. II, 1, 31. Stat. Theb. VIII, 385. Burm. ad Ovid. A. A. I, 333. Bentl. ad Hor. Od. III, 25, 2. Schmid. ad Hor. Ep. II, 1, 25. Weichert. ad Val. Fl. VIII, 391. Bach. ad Ovid. Met. XI, 404. alii. Idem valet de Coniunctionibus *nec, si* etc. Vid. adnott. ad I, 544. et XI, 174. — *in nubila*, in auras, ut alibi *in ventos.* Cf. IV, 705. X, 527. etc. — Pro *atra* Ribbeck. ex Pal. et Gud. a m. pr. recepit *alta*, vulgarem lectionem ex v. 693. ortam ratus, ut videtur. — **513**. *rapidus*, rapide, celerrime. (Vid. supra ad v. 387.) Hom. l. l. v. 870. σπερχόμενος. — *contenta tela;* nam non solum

Tela tenens fratrem Eurytion in vota vocavit,
Iam vacuo laetam caelo speculatus et alis
Plaudentem nigra figit sub nube columbam.
Decidit exanimis vitamque reliquit in astris
Aetheriis fixamque refert delapsa sagittam.
Amissa solus palma superabat Acestes,
Qui tamen aërias telum contorsit in auras

---

arcus, verum etiam tela, sagittae, contendi dicuntur. Cf. infra v. 520. X, 531. Barth. ad Claud. in Eutrop. II, 168. et Burm. ad h. l. et ad Val. Fl. III, 136. — **514**. „*in vota vocavit*: vid. supra ad v. 234. Fratrem Pandarum *tamquam heroem* invocasse puta [ut v. 483. Entellus Erycem invocat]; quod gravius est, quam si eius recordatione animum confirmasset, aut eius Manes invocasset, ut sibi propitii essent. Quod Eurytion hic facit, Merionae ars est ap. Hom. l. c. v. 870 sqq." *Heyn*. Ceterum Wagn. malit Vergilium scripsisse *fratre in v. vocato;* quod poëtam, hunc versum in emendandis relinquentem, propter antecedens *arcu parato* non fecisse putat. Peerlk. autem videtur suspicari Vergilium scripsisse: *At rapidus - - - vocavit; Tum vacuo l. c. speculatus et alis Plaudentem* etc. Sed vid. Ribbeck. Proleg. p. 80. — **515**. Cf. Hom. Il. XXIII, 874. — *vacuo*, aperto, late patente, ut Geo. III, 109. *vacuus aër*, Aen. XII, 710. *vacuum aequor*, II, 528. *vacua atria*, ibid. v. 761. *vacuae porticus* cett. Conington comparat *campos patentes* Geo. IV, 77. — *laetam*, quia mortem evitasse, libera esse sibi videtur; quare etiam addit poëta *alis plaudentem*. — **516**. *nigra figit*. Pal. a m. pr. exhibet *nigram figit* et Gud. *figit nigra*. — **517**. *Decidit vitamque reliquit* (pro: decidit vita relicta) *in astris*: animam in aëre exspiravit. (Cf. Geo. III, 547. *vitam sub nube relinquunt*.) Nam *astra* aliquoties pro caelo s. regione, ubi nocte astra conspiciuntur, ponitur. Vid. adnott. ad III, 619. Serv. ad Aen. III, 567. et Barth. ad Stat. Theb. V, 24. Schrader. Obss. I, 3. coni. *in auris*, quod probat Peerlk., coll. Quinct. Decl. XIII. p. 278. *apis in altum tollitur, vitamque in aura relinquit*. (Quod Henry *Tw. years* V. p. 28. voc. *exanimis* adscripsit: „not *lifeless*, forthen *vitam reliquit* becomes tautologous; but without sense and volition" (cui Conington recte adversatur), id vir doctiss. nunc ipse retractat). — **518**. *Aetheriis*, ut infra v. 838. Med., Rom. aliique Codd. *Aëriis*, quod Wagn. ex v. 520. huc translatum putat, ubi eadem deprehenditur lectionis varietas. Cum autem astra in aethere sint (de quo vid. ad Geo. II, 325.) non in aëre, *Aetheriis* longe aptiorem esse scripturam, idem Wagn. docet collato loco Cic. N. D. II, 15, 42. *sidera aetherium locum obtinent*, ubi etiam commemoretur opinio illa, ex ipso aethere progigni sidera. — **519** sqq. „Acestes, cum iam non haberet, in quo cum ceteris sagitta contenderet, certamine iam absoluto, ne tamen omnino arcum semel intentum sine teli iactu laxaret, artem suam in eo declarat, quod longissime in altum emittit sagittam." *Heyn*. — *superabat*. Vid. adnott. ad Ecl. IX, 27. — **520**. Prius cum Heynio et Wagn. edidi *contendit*, quod Heins. ex bonis libris receperat, cum *sagittam torquere, contorquere* a quoquam dictum esse dubitarem; nunc vero postquam Ladew. hos contulit locos: Curt. VIII, 14, 36. *telum, quod unum forte non effluxerat, contorsit in eum* et Lucan. I, 575. *aut saevi contorsit tela Lycurgi Eumenis*, non amplius cessavi lectionem *contorsit* cum Hauptio, Ladew., Ribbeckio et Benoisto ex Med. a m. sec., Pal., Gud. et Bern. II. recipere, cum *telum torquere* de hasta, iaculo vel fulmine Vergilio satis usitatum sit. Cf. supra v. 497. VI, 596. XII, 266. 461. Negari tamen nequit *contenderat hastam* a Vergilio scribi Aen. X, 521. (ubi vero alii Codd. pariter *contorserat* exhibent), et Nonium p. 260. lectionem *contendit* agnoscere. Sed cf. Ribbeck. Proleg. p. 212. Wagn. etiamnum vulgarem lectionem, quam ceteri recentiores editores servarunt, defendit in Philol. Suppl. I. p. 520. — **521**. Librarii et antiquissimi editores, memores haud dubie v. 508., hunc versum varie vexarunt, ita ut Heyn. ob hanc ipsam lectionis varietatem (*artemque patris, artemque paternam, artemque parans, artem pariter*) et ob verborum

Ostentans artemque pater arcumque sonantem.
Hic oculis subitum obicitur magnoque futurum

---

structuram totum versum immerito in dubitationem vocaret. Quam exhibuimus lectionem, etiam a Mario Vict. de rat. metr. III, 2. testatam Heins. ex optimis libris restituit; et tale quid addendum fuisse, ne pueriliter lusisse Acestes videretur, vere contendit Wagn. De voc. *pater* hominis auctoritatem indicante, quod hic Pronomini eadem ratione adiunctum est, de qua ad v. 262. huius libri diximus, vid. supra ad v. 424. Cf. etiam infra v. 533. 867. VII, 274. XII, 401. cett. *Pater*, ultima syllaba arsis et caesurae vi producta, ut etiam XI, 469. et XII, 13. et in voce *puer* Ecl. IX, 66. Quamquam enim soli arsi haec vis, quam ei tribuerunt Hermann. *Handb. d. Metr.* p. 41 sq. et Elem. doctr. metr. p. 40 sq., Schneider. *Lat. Gramm.* I. p. 745 sq. 752 sq. 767. Ramsh. *Lat. Gramm.* p. 1067. aliique priores et nuper rursus Bouterwek. Lucr. Quaest. p. 20. et Mueller de re metr. p. 322 sqq., nunc abiudicatur, tamen si etiam caesura accedit, ne Lachmannus quidem, qui ad Lucr. III, 27. p. 76. primus litem de hac re excitavit, prorsus de ea dubitat. Et sane caesurae omninoque sententiarum intervallo et intercapedini haec vis est vindicanda, quod iam Voss. Aristarch. II. c. 24—33. p. 202—235. et Wase de sen. p. 54 sq. intellexerunt, atque adeo soli arsi in locis, ubi poetae Latini Graecorum rationem imitantur, ut in quē - - que (τē - - τε), non potest abiudicari. (Cf. adnott. ad Ecl. IV, 51.) Sed etiam de locis, qualis hic est, de quo agitur, nuper alia sententia prolata est. Postquam enim Lachm. ad Lucr. III, 1042. p. 206 sqq. et Ritschlius Proleg. Plaut. c. 13. p. 165 sqq. contenderunt, tertiam Personam Sing. Perf. *iīt* et *petīīt* et alias quasdam Verbi formas in *t* exeuntes (de qua cf. adnott. ad Geo. II, 81. cum addendis) ab initio longas fuisse et postea demum corripi coepisse, Fleckeisen. in Nov. Ann. phil. LXI. p. 17 sqq. longius progressus, hoc non solum ad omnes fere Verbi formas in *t* et *r* exeuntes (*it*, *et*, *or*, *ar*, *er*), sed etiam ad Substantiva in *or* (Gen. ōris) missa et Comparativos itemque p. 32. etiam ad formas *pater* et *puer* extendit, quo alios movit, ut latius etiam exspatiarentur. (Cf. W. Wagn. in Mus. Rhen. XXII. p. 111 sq. 422 sqq. et Buecheler. in Nov. Ann. phil. 1863. p. 325 sq. et *Grundr. d. Lat. Decl.* p. 9. 19. 47. 49. 50.) Si autem negari nequit, eiusmodi syllabas ab initio longas post Plauti tempora et in communi populi sermone et a poetis vulgo esse correptas, hoc certe concedendum videtur, in eiusmodi (epicorum maxime poetarum) locis, ubi producuntur, poetas arsi et caesura motos esse, ut priorem syllabarum mensuram revocarent, ideoque arsin, etiamsi non ipsa habuerit vim producendi, haud raro tamen producendi fuisse causam. Cf. potissimum, quae Corssen. de pron. I. p. 184 sq. 190. 439 sqq. et II. p. 232. contra Muellerum, ex parte vero etiam contra Lachmannum, sobrie disputavit. — *artemque arcumque*, arcus tractandi artem, peritiam, conspicuam illam in vi, qua sagitta fortiter et quam altissime emittebatur. — Adi. *sonantem* ipsius arcus praestantiam ostendit, quae cernitur in sonitu; nam alius alio melius et gravius sonat. — 522 sqq. Rem, quae vere evenerit aliquando, poëtam hic ante oculos habuisse et consilio suo accommodasse, vix potest dubitari; arundinem enim sagittae vi electrica ignem concipere potuisse, quis neget? Ipsum autem prodigium, quod Argum. Aeneid. in Anth. Lat. II, 192, 44. his verbis commemorant: *Prodigium est cunctis ardens delapsa sagitta*, quid sibi velit, admodum difficile est intellectu, quare Ladew., nihil omnino decernens, integrum relinquit, de quibus eventis poëta cogitare voluerit. Apertum est, Aeneam et *laetum* Acesten (v. 531.) hoc *monstrum*, cuius causa hic *magnis cumulatur muneribus*, pro bono omine habere, quod postea demum a *terrificis* vatibus *magnum augurium* rerum gravissimarum esse declaratur. Sed quarum? Vulgo interpretes (etiam Voss. in Progr. Crucen. p. 10. et Steinmetz. Progr. p. 7 sq., qui omnem difficultatem sublatam fore censet, si versum 524. eiicere vel *vera* pro *sera* scribere liceret) incensas mox Troianorum naves respici putant, quae tamen res minime erat tanti momenti, ut de *ingenti exitu* sermo esse posset, neque *sera omina* tum bene se haberent. Quare Heynius (cui etiam

Augurio monstrum; docuit post exitus ingens
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arsit harundo
Signavitque viam flammis tenuisque recessit
Consumpta in ventos: caelo ceu saepe refixa

Bryce, Conington et Benoist. adsentiuntur) rectius cogitat de bellis Romanorum cum Siculis et Carthaginiensibus in Sicilia gestis, quae interpretatio cum verbis *exitus ingens*, *sera omina* et *terrifici vates*, tum loco et homini, cui *monstrum obiicitur*, apte respondet. Minus hoc valere puto de novissima Wagneri sententia, qui prius parum probabiliter de bello post Aeneae adventum in Italia inter Troianos et Rutulos gesto cogitavit, in recentiss. vero edit. apotheosin C. Julii Caesaris, cuius animam in stellam crinitam conversam crediderint, eo augurio monstrari censet (coll. Suet. Jul. 88.). Neque ad stabiliendam hanc opinionem sufficere videntur, quae addit vir doctiss.: „utrobique ludi divo parenti consecrati, utrobique stella crinita. Ac prope manifestum est, ludis ab Augusto editis visaeque eo tempore stellae crinitae deberi haec scite inventa a Vergilio. Nec haerendum in eo (?), quod Acestae obtigit illud ostentum; nam et ipse Troianus fuit et, id quod maximum est, evenerunt haec in honore Anchisae, proavi Divi Julii." (Quae Henry in *Tw. years* V. p. 28 sqq. de toto hoc loco scripsit, ea vir doctiss. nunc omnia retractat.) Ceterum imitationes loci duae sunt, altera Statii Theb. VI, 938 sq., altera Silii XVI, 614 sqq. cett. — *subitum.* Med., Pal., Rom., Gud., Bern. II. III., alii minus recte *subito*, ut Med., Pal. et fragm. Ver. etiam II, 680. — *monstrum*, malum omen (vid. ad II, 171. III, 59. al.), futuri temporis ratione habita dicitur. Vid. supra. — *magno futurum augurio*, unde vates gravem divinationem possunt repetere. Cf. adnott. ad III, 89. et 376. Quare non opus est Peerlkampii coniectura *magnoque futuri Augurio monstrum*, i. e. monstrum, quod erat pro magno augurio rerum, quae acciderent; neque verum, quod Vir doct. ait, ad v. 530. provocans, monstrum iam nunc *esse* augurium, non *futurum esse*. — **523.** *exitus ingens* de eventu magno et mirabili. — **524.** *sera* Iahn. cum Broukh. ad Prop. III, 11, 55. et Burm. sic explicat: „quae sero intellecta et inventa sunt;" Serv. autem per *gravia*, haud dubie de cognatione aliqua vocc. *serus* et *serius* cogitans, in quam opinionem etiam inclinat Doederl. Syn. I. p. 78. Vide potius, quae supra adnotavimus. Peerlk. Vergilium de antiquis vatum Romanorum, imprimis Marcii, carminibus cogitasse putat, ut sensus sit: „Vates *diu post omina illa* in carminibus suis gloriam Romanorum, sed non sine multa caede ac sanguine parandam, praedixerunt." Wagn. comparat imitationem huius loci ap. Val. Fl. V, 260 sqq. *Interea auguriis monstrisque minacibus urbem Territat ante monens semper deus, et data seri Signa mali.* — *terrificus*, vox poëtica, legitur etiam ap. Val. Fl. I, 786. *terrificum sacrum.* Praeterea cf. Lucr. II, 632. Ovid. Met. I, 179. et adnott. ad IV, 210. Quod ad ipsam rem attinet, cf. supra IV, 464 sq. — **525.** *liquidis in nubibus* (ut VII, 699. *liquida nubila*), simpliciter pro in aëre puro, non ac si *liquidae* nubes aliis nubibus opponantur. Henry in Philol. XIII. p. 635 sq. interpretatur: „*die reinen Wolken, die Wolken ohne alle Beimischung, wo nichts als Wolken waren;*" nunc tamen hanc explicationem rursus reiicit, nescio quam aliam ei substituens. — **526.** *signavit viam flammis.* Sic Stat. Theb. XI, 4. *Signavit muros ultricis semita flammae;* cum quo loco cf. Sen. Troad. 356. *Et stella longa semitam trahens.* Vid. etiam supra II, 693 sqq. ibique adnott. imprimis ad v. 697. — *tenues recessit in ventos*, in auras (cf. v. 512.) evanuit, in auris igne consumpta interiit. Sic Aen. IV, 705. *in ventos vita recessit.* — **527.** *caelo ceu saepe refixa* cett. Sermo est de stellis cadentibus. Cf. adnott. ad Geo. I, 365. et Aen. II, 693. — *caelo refixa*, a coelo, cui astra affixa putantur (cf. supra IV, 482. et Plin. H. N. II, 8. in. *sidera, quae affixa diximus mundo*), quasi resoluta et decidua. Cf. Hor. Epod. XVII, 5. *Refixa caelo devocare sidera.* Wakef. ad Lucr. II, 162. et IV,

Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.
Attonitis haesere animis Superosque precati
Trinacrii Teucrique viri; nec maxumus omen
Abnuit Aeneas; sed laetum amplexus Acesten
Muneribus cumulat magnis ac talia fatur:
„Sume, pater; nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exsortem ducere honores.
Ipsius Anchisae longaevi hoc munus habebis,
Cratera inpressum signis, quem Thracius olim
Anchisae genitori in magno munere Cisseus

---

193. sine causa coni. *caelum*. — **528**. *crinem ducunt*, i. e. tractum scintillarum, quem, de stellis crinitis cogitans, crinem vocat. Lucr. II, 206 sq. *Nocturnasque faces, caeli sublime volantes, Nonne vides longos flammarum ducere tractus?* Cf. adnott. ad Aen. l. l. et Senec. N. Qu. I, 2., quem Burm. laudat. — **530**. „*nec omen abnuit Aeneas:* igitur accepit tamquam laetum? certe quod ille putabat; nam claritatem nominis, famam et laudem, omnino fortunam insignem augurabatur ignis in aëre exardescens. Cf. Serv. ad v. 524. 530.“ *Heyn*. „Romani omen quodcunque casu oblatum in bonam partem explicare studebant, quod si potuit fieri, omen bonum erat. Ita VI, 193. VII, 118. IX, 21. XII, 260. Solebant autem semper, quando omen aliquod allatum erat, precari deos, ut infaustum averterent. Cf. III, 178.“ *Gossr*. — **531**. *sed laetum* cett. Heyn. temere praeferendam censet unius Cod. Rom. lectionem *et laetum*, quam ortam esse ex *set*, una litera *s* duobus vocabulis inserviente, *Aeneaset*, iam Wagn. adnotavit. Vid. supra ad v. 163. Ceterum etiam h. l. poëta ante oculos habuit Homerum Il. XXIII, 615 sqq. — **532**. *Muneribus cumulat*. Cf. infra VI, 885. *animam - - His saltem accumulem donis*. — **533**. *voluit*, ostendit his auspiciis. Primi pedes huius versus iterantur in Anth. Lat. I, 170, 140., ceteri ibid. I, 14, 13. — **534**. Restitui nunc cum Ribbeckio, Bryceo, Ladew. et Benoisto Med. a m. pr., Pal., Rom. et Gud. a m. pr. lectionem *exsortem honores*, ut sententia haec sit: te exsortem (quamquam sorte ultimum constitutum victoria te non mansit) tamen exspectant honores tui. Singularis *honorem*, quam Wagn. et qui eum sequuntur, Haupt. et Conington, ex aliis libris receperunt (i. e. honorem extra sortem positum ideoque singularem), multo facilius accommodari potuit praecedenti voc. *exsortem*, quam contra Singularis in Pluralem mutari, etiamsi per se minime absona est sententia: quamquam tibi sorte non tributa erat victoria, tamen praeter ordinem accipies munus honorificum. Cf. etiam VIII, 551. — *ducere*. Vid. supra ad v. 385. — Versum **535**. Hecker. in Mnemos. I. p. 393. sine iusta causa deleri voluit. — **536**. *cratera* (vid. ad Ecl. V, 68.) *inpressum signis*, impressis, i. e. insculptis, signis ornatum, opus anaglyphum; impressis autem signis simul crater ipse imprimitur; quare eadem ratione Liv. XXXVII, 10, 7. *tabellas signo impressas* commemorat. Cf. adnott. ad IV, 500. *Impressus* de opere anaglypho legimus etiam X, 497. Heyn. conferri iubet craterem Sidonium ap. Hom. Od. XV, 115. et Stat. Theb. VI, 531 sqq. in eiusmodi crateris descriptione luxuriantem. Cf. etiam supra v. 267. — *quem Thracius olim* cett. Vid. supra ad v. 260. — **537**. „*Cisseus*, Thracum rex, cuius filia Hecuba. Cf. infra X, 706. Munker. ad Hygin. f. 91. notae ad Apollon. p. 759. De eodem Hom. Il. XI, 223.“ *Heyn*. Eleganter haec expressit Ovid. Met. XIII, 681 sqq. — „*in magno munere*, i. e. pro magno munere, proprie: loco s. in numero magnorum munerum. Cf. Aen XII, 854. [qui locus huc non quadrat; cf. potius VIII, 273.]. Sic *ἐν* pro *ἀντί*. Vid. Viger. p. 610. et Wuellner. *über die Casus u. Modi* p. 93. Sine causa igitur vir doctus in Seebodii Bibl. crit. 1821. Fasc. II. p. 140. voc. *in* deleri iussit.“ *Iahn*. Vid. etiam Hand. Turs. III. p. 256 sq. et quem Unger de Valg. Rufo p. 390. laudat, Schol. German. Arati Phaen. p. 76. *Eandem* (canem) postea ob medicinae causam *Procridi in munere*

Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris."
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro
Et primum ante omnis victorem adpellat Acesten.
Nec bonus Eurytion praelato invidit honori,
Quamvis solus avem caelo deiecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit,
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Aeneas nondum certamine misso

---

datam et (Liber Icario) *in munere utrem plenum vino tribuit.* Ipse etiam Hygin. Poet. Astr. II, 5. p. 432. *pro coronam ei muneri dedit* propter Codd. lectionem *munere* scribi iubet in *munere dedit.* Conington comparat Graec. ἐν χάριτι ποιῆσαί τινί τι. — **538.** *ferre dederat.* Vid. supra ad v. 247. et I, 319. — Repetitur hic versus, *Ferre* in *Esse* mutato, infra v. 572., verba autem *monumentum et pignus amoris* etiam in Anth. Lat. IV, 340, 3. et VI, 84, 46. Ceterum cf. Aen. III, 486. et XII, 945. Ribbeck. (quem sequentium editorum nemo secutus est) invitis libris scripsit *monimentum.* Vid. ad III, 486. — **539.** *cingit tempora lauro.* Vid. supra v. 246. Hor. Od. III, 25, 20. 30, 16. Ovid. Met. I, 451. eiusd. Fast. III, 254. cett. De exitu versus *tempora lauro* satis usitato Thiel. conferri iubet Markl. ad Stat. Silv. IV, 6, 98. — **540.** *primum ante omnes.* Vid. ad II, 40. et IV, 342. — *adpellat,* haud dubie *voce praeconis,* ut supra v. 245. — **541.** *bonus Eurytion.* Cf. infra v. 770. XI, 106 etc. — *nec invidit honori* Acestae *praelato* suo, i. e. non invidit Acestae, qui honore (praemio) ipsi praelatus erat, vel, ut Wagn. interpretatur: „Nec invidit Eurytion Acestae, quod ipsi praelatus, isque honor, quem ipse speraverat, ad illum translatus est." Sic alibi etiam epitheta poëtis ab hominibus ad res transferuntur; velut VI, 743. *infectum scelus* (quo quis infectus est). Quare Oberlin. ad Tac. Hist. V, 1. (quem Wagn. laudat) minus recte contendit, *praelatum* hic nihil aliud esse, quam *delatum.* Ribbeck. solus ex uno Pal. a m. pr. recepit *honore,* quod (non minus quam *honorem*) iam Peerlk. proposuerat, recte tamen *honori* praeferens. Cf. infra IX, 655. Markland. in Epist. crit. p. 116. praeter necessitatem coni. *praelato invidit honoris.* — **542.** *Quamvis deiecit.* Vid. ad Ecl. III, 84. *deiicere,* nostrum *herabschiessen.* Hoc *avem deiicere* redit XI, 580., *hominem* autem *deiicere* legimus ibid. v. 642. Caes. B. G. II, 27. B. C. I, 46. Nep. Thras. 3. alibi. Cf. etiam Geo. III, 422. et Drak. ad Sil. II, 96. — **543.** *Proximus ingreditur donis* Heyn. interpretatur: „proximo loco praemio donatur Mnestheus." Cerda autem: „incedit gloriabundus cum donis." Mihi utraque explicatio coniungenda videtur: proximo praemio ornatus M. eo glorians ingreditur (vid. supra ad v. 68.); eademque videtur esse Wagneri sententia, qui *donis* neque cum *proximus,* neque cum *ingreditur* coniungendum, sed ad ortam ex utroque notionem τοῦ δευτερεύειν referendum censet. Cf. etiam VI, 856. Serv. *donis* explicat *ad dona,* eademque ratione, quae mihi minus probabilis videtur, Conington (coll. Homeri ἐπιβαίνειν et Geo. I, 42.) *ingreditur donis* interpretatur „*enters on* s. *attains the prizes.*" — **544.** *Extremus,* Hippocoon, Hyrtaci filius. — **545** sq. „Nunc ludus Troiae instituitur a nobilibus pueris [in equis] actus, saepe ab Augusto exhibitus. Cf. Suet. Aug. 48. et interpp." *Heyn.* Addit autem Aeneas hunc Troiae ludum, cuius supra v. 66 sqq. in programmate quodam ludorum edendorum nulla omnino facta est mentio, quasi pro corollario, ut spectatoribus nec opinantibus hoc ultimo spectaculo novam quandam et inexspectatam laetitiam obiiciat; quod etiam Henry bene perspexit de toto, qui sequitur, loco accurate disputans in *Tw. years* V. p. 31 sqq. De ipso autem Troiae ludo vid. infra ad v. 602. — *nondum misso certamine,* i. e. hoc sagittandi certamine nondum finito: vid. supra ad v. 286. Heyn. minus apte confert Cic. ad Div. V, 12. *ante ludorum missionem,* atque etiam Wagn. explicat: „certantium ac spectantium turba dimissa," quod haec verba significare non posse,

Custodem ad sese comitemque inpubis Iuli
Epytiden vocat et fidam sic fatur ad aurem:
„Vade age et Ascanio, si iam puerile paratum
Agmen habet secum cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas et sese ostendat in armis,
Dic," ait. Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum et campos iubet esse patentis.
Incedunt pueri pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis, quos omnis euntes
Trinacriae mirata fremit Troiaeque iuventus.

---

bene docet Henry *Tw. years* V. p. 36 sq. — **546**. „*Custodem comitemque*, infra v. 562. et 669. *magistros*, ex suo aevo adscivit Vergilius, quo nobilibus iuvenibus addebantur tales magistri vel custodes (Horatio Od. I, 36, 8. *reges*). Cf. supra v. 257. et infra VIII, 515." *Heyn.* Vid. etiam Heind. ad Hor. Sat. I, 6, 81. *Comes* eodem sensu legitur XI, 33., alio autem X, 703. Verba *Custodem ad sese - - vocat* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 77. — **547**. *Epytiden*. Hoc nomen, quod infra redit v. 579., Vergilius ab Homero mutuatus est, apud quem Il. XVII, 323. commemoratur Periphas Epytides (Epyti filius), Anchisae praeco et familiaris Aeneae. *Epyti* nomen legimus II, 340. — *fidam sic fatur ad aurem*, insusurrat ei, rem necopinatam et improvisam spectatoribus obiecturus. — *ad aurem*. Codd. quidam *in aurem*, quod ap. Ovid. Her. III, 23. et saepe ap. comicos legitur. Handius Turs. I. p. 78. haec scribit: „Equidem differre haec puto: *in aurem dicere* usurpari de occulto et clandestino sermone, *ad aurem dicere* de verbis familiariter et curiose prolatis, tamquam in aure repositis, quod nos alia metaphora exprimere solemus, *an's Herz reden*;" Iahn. autem praeter diversum oris habitum collocationemque inter *ad aurem* et *in aurem fari* nullum discrimen intercedere putat; atque etiam mihi hoc tantum discriminis videtur esse, ut *in aurem* vocem magis suppressam et intentius studium rem alios celandi indicet, quam *ad aurem*; in quo mihi adsentitur Conington, praeterea comparans Cic. Fin. II, 21, 69. *eam tantum ad aurem admonerent - - ut caveret*. — **548**. *Vade age*. Vid. ad III, 462. — **550**. *avo*, in honorem avi, cui ludi habebantur. Sic infra v. 603. *patri*. — *ducat turmas*. Cf. Suet. Tib. 6. *Troianis Circensibus ductor turmae puerorum maiorum*. — **551**. De verbo *ait* post antecedens *sic fatur* vid. ad II, 78. (et infra XI, 41.) — Pro *decedere* Ribbeck. ex Pal. (quocum consentire videtur Gud., a pr. m. exhibens *discendere*) recepit lectionem *discedere*, quam in Proleg. p. 294. sic defendit: „*Discedere* de multitudine proprie dicitur, cf. II, 109. 644. XII, 184. 696.; *decedit*, qui relinquit locum: Aen. VI, 545. XI, 325., vel domum redit: Geo. II, 206. IV, 186." Sed etiam de multitudine dici *decedere* Ladew. in Append. p. 249. probat locis Geo. IV, 186. et Aen. XI, 325. — *circo*. Vid. supra v. 289. — **552**. *Infusus populus* Forcellino interprete est „magno numero circum ingressus ac totum occupans more aquarum inundantium." — *campos patentes*, vacuos, ut Geo. IV, 77. — **553**. *Incedunt*. Idem verbum de equitibus usurpatum legitur IV, 141. (ubi vid. adnott.) — *pariter*, omnes eodem modo ornati et armati, *Einer wie der Andere*. Iteratur hic versus in Ausonii cent. nupt. 57. — **554**. *lucent*, armis phalerisque fulgent, splendent. Cf. infra v. 562. — *in equis*. Vid. v. 578. VII, 285. XI, 190. — **555**. *quos mirata fremit*, cum fremitu, i. e. fremente applausu, prosequitur. Cf. I, 559. *cuncti simul ore fremebant Dardanidae*, ubi vid. adnott. *Fremere* Graecorum more cum Accus. quidem rei constructum, quae cum fremitu commemoratur, legitur etiam VII, 460. XI, 132. Liv. III, 38, 10. ibid. 62, 2. XXV, 28, 6. Tac. Ann. XIII, 13. alibi (cf. Boetticher. Lex. Tac. p. 18 sq.); nullum tamen mihi innotuit exemplum, ubi Accusativus personae addatur, cui cum fremitu applaudatur; quare nunc potius cum Henrico *Tw. years* V. p. 37 sq. et Coningtone coniungo verba *quos - - mirata*, non *quos - - fre-*

Omnibus in morem tonsa coma pressa corona;
Cornea bina ferunt praefixa hastilia ferro,
Pars levis humero pharetras; it pectore summo

---

mit. — Idem Conington nos iubet observare *iuventutem* a *pueris* distinctam. — **556.** *in morem*, ex more huius ludi (cf. Geo. I, 245. II, 250. Aen. VIII, 88. Hor. Sat. II, 1, 63. cett.), *tonsa corona* oleagina (cf. infra v. 774.), quae Heynio falso est arbori decerpta, quomodo intelligenda sit, docuimus ad Geo. III, 21. Verba *Omnibus in morem tonsa coma* iterantur in Ausonii cent. nupt. 65. — „*coma pressa corona*, coronati, et quidem, ut infra ex v. 673. intelligitur, ubi Ascanius *galeam ante pedes proiecit inanem*, corona super galeam imposita; qualis VII, 751. *Fronde super galeam et felici comtus oliva.* Coma tamen vel sic *a corona* (non a galea) *pressa* dici potuit, quatenus haec caput ambiebat.“ *Heyn.* Possumus quidem sumere, coronam ita circumdedisse galeae marginem, ut et ipsa inferiore parte sua comam attigerit; non tamen opus est his argutiis, cum vere Wagn. adnotet: „*coma* dicitur *premi*, ut omnis res subiecta alteri, etsi inter utramque aliquid (h. l. galea) intersit medium.“ Aliter tamen hunc locum interpretatur Peerlk., haec adnotans: *Premere comam* est fluentem coercere, colligare. Coma alioquin subter galeam per humeros fluitaret. Ramulus olivae impediebat,“ coll. Geo. I, 157. et Aen. IV, 147. Videtur igitur sumere, coronam sub galea cinxisse comas retortas et collectas, quod mihi minus probabile videtur; galea enim debebat capiti accurate apta esse, nec poterat coronae superimponi. Si autem putat, comas replicatas et colligatas fuisse corona super galeam imposita, non cogitat, ridiculum hoc exhibere spectaculum. Henry denique in *Tw. years* V. p. 38 sqq. aliam paulo subtiliorem proposuit explicationem: *coma pressa*, i. e. recisa (ut Geo. I, 157. *premere falce* pro amputare, coll. Hieron. Ezech. 44, 20. *comas ad pressum tondere*), *tonsa corona*, in formam coronae caput cingentis s. tonsurae, quam ecclesiastici vocant, detonsa, ut comae infra galeae marginem coronam quasi efficiant. Argumenta eius haec sunt: 1) si de vera corona sermo esset, poëta pro more suo addidisset epitheton quoddam (*oleaginea, laurea* etc.); 2) admodum mire corona galeae imposita diceretur premere comas; 3) verba *in morem* non quadrant ad hunc ludum, qui nunc primum instituitur, ex Suet. Aug. 45. autem locis aliisque constat pueros Romanos tonsas comas gessisse; 4) cum Stat. Silv. III, 4, 1. dicat *aurum coronatum* pro corona aurea, etiam Vergilio licuit *tonsam coronam* dicere pro capillis in formam coronae detonsis. Recte autem Conington observat, huic explicationi adversari locum X, 137., unde appareat, Ascanii comam non fuisse tonsam, sed fascia aurea circumdatam. (Nescio, num hac, an alia causa motus Henry interpretationem suam nunc reiiciat, quin autem recte reiiciatur, non dubito.) — **557.** *bina hastilia*, ex more heroum: cf. I, 313. VII, 687. XII, 165. 488. Ovid. Met. XIV, 344. et Drak. ad Sil. VIII, 550. „Baebius Macer dicit a Caesare Augusto pueris, qui luserunt Troiam, donatas esse galeas et bina hastilia, ad quod Vergilium constat alludere.“ *Serv.* — *cornea.* Cf. IX, 698. et XII, 267. itemque III, 22 sq. — *praefixa ferro.* Sic meliores libri omnes, quorum auctoritatem cum Iahnio (quem vid. ad VI, 310.) et Wagn. secuti sumus. Heins., Burm., Heyn. et ex recentioribus editoribus unus Bryce cum uno alterove Cod. et editt. vulg. scripserunt *praefixo*, quo auribus magis consuli opinatur Heyn. Cf. etiam XII, 489. *duo lenta praefixa hastilia ferro,* ubi pariter unus Cod. *praefixo* exhibet; Ovid. Met. VII, 112. *Praefixaque cornua ferro;* Val. Fl. I, 837. *galeis praefixa rotisque cui domus;* id. IV, 739. *Bebryciis praefixa tropaeis Tecta* cett., in quibus locis omnibus *praefixus* non significat *vorn angefügt*, sed *vorn versehen mit etwas.* Alterius constructionis exemplum habemus v. c. Aen. VII, 817. *praefixa cuspide myrtus.* — **558.** *Pars levis pharetras*, politas, levigatas, ut supra v. 306. *levato spicula ferro.* Aliquot tamen Codd. *Parsque lĕves,* quales pueris non male convenirent, quemadmodum e. g. Ovid. Met. X, 518. Amoribus *leves* dat *pharetras*, Alcidae vero IX, 113. *gravem;* sed plurimis libris obsequendum. —

Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmae ternique vagantur
Ductores; pueri bis seni quemque secuti
Agmine partito fulgent paribusque magistris.
Una acies iuvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus, tua clara, Polite,
Progenies, auctura Italos; quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi

„558. 59. ornate pro: torquem collo gestabant aureum. Cf. infra X, 137. sq. *auri obtorti*, torti, ut στρεπτός." *Heyn.* Torques enim ipse nomen habet ab auro in annulos inter se implicatos contorto. Henry conferri iubet Isidor. XIX, 31. — Pro *it* Med., Rom., Pal. (in quo legitur IET, litera I inducta), Gud., alii perperam exhibent *et;* sed recte iam Servius *it* legendum esse censet, „ne sit soloecismus." — V. 559. cum ultimis superioris verbis iteratur in Ausonii cent. nupt. 65 sq. — 560. *Tres* hic, ut supra v. 308., cum Wagn. scripsimus; *tris*, quod vulgo editur, non nisi quarto Casu videtur admittendum. „Ternarium numerum ad tres P. R. tribus a Romulo institutas refert Servius; saltem Centurias tres equitum respici dicere debebat. Cf. Liv. I, 13." *Heyn.* — *numero* eadem ratione adiectum, qua supra v. 62. — *terni*, i. e. tres (vid. supra ad v. 85., locum huic simillimum); noli enim de tribus uniuscuiusque turmae ducibus cogitare. — *vagantur*. Cf. VI, 886. — 561. *Ductores.* Vid. supra ad v. 133. — *bis senos* hic non pro duodenis s. duodecim esse positos (de quo usu diximus ad I, 71.), sed proprie intelligendum esse de duabus senorum turmis, ex iis, quae supra exposuimus, apparet. — 562. *agmine partito* (passive, ut apud alios haud raro: cf. Neue *Formenl.* II. p. 233.); duodecim cuiusque turmae pueri bini equitabant. — *fulgent*, ut supra v. 554. *lucent.* Cf. etiam VI, 826. *fulgere in armis.* — „*paribus magistris* (vid. v. 546. et 669., ut suum quaeque e trinis turma magistrum haberet. [Immo cum *pares* sint magistri, unaquaeque turma duos habeat necesse est.] Fortasse ad turmas *maiorum puerorum* respexit. Vid. Suet. Iul. 39. Octav. 33." *Heyn.* Sex autem *Magistri*, qui pueros docuerant et exercuerant, probe discernendi sunt a tribus *ductoribus*, qui ipsi erant pueri et magistris debebant obedire, ut ex v. 669. apparet. — 563. *Una acies.* Temere Peerlk.: „Mallem *prima.* Opponitur *cetera pubes.* Haec etiam erat *acies*, sed extrema." De omisso temporis verbo vid. adnott. ad Aen. I, 639. — *ovantem.* Vid. supra ad v. 331. — 564. „*Parvus* hic *Priamus* Politae filius, Priami regis nepos. De *Polite* cf. Iliad. II, 791. et supra II, 526 sq. [ibique adnott]." *Heyn* — *referens nomen* non i. q. ferens, sed nomine suo in avi memoriam homines reducens. Cf. etiam adnott. ad IV, 329. Ceterum apud veteres nepotes plerumque avi nomen gessisse, satis notum est. Cf. etiam XII, 348., ubi redeunt verba *Nomine avum referens.* — Pro *clara* Ribbeck. ex Pal. a m. pr. recepit *cara.* Sed vulgarem lectionem praeter ceteros Codd. etiam Prisc. p. 730. testatur. Pro *Polite* Med. et Pal. a m. pr. itemque Rom. *Polites* exhibent. (Vid. adnott. ad XI, 464.) — 565. *progenies, auctura Italos*, sedem et domicilium in Italia collocatura et novae urbis conditrix futura. Vergilius igitur Politae filium Politorii conditorem facit, quod Latii oppidum (de quo cf. liber meus geogr. III. p. 716.) alii cum Catone in Origg. a Polite ipso conditum referunt, quem Verg. II, 526 sqq. in Troiae excidio occisum refert. — 566. Verba *quem Thracius albis portat equus maculis* repetuntur IX, 49. Thracia autem iam Hesiodo Op. et D. 507. ἱπποτρόφος dicitur; poëtae tamen etiam Thessaliae equos praestantissimos cum Thraciis videntur confudisse. — „*albas maculas* in praecipua aliqua corporis parte declarari puta, in pedibus, quos poëtica ratione *primi vestigia pedis* dixit, et in fronte. Sunt, qui putent, Homerum Il. XXIII, 453. poëtae ante oculos fuisse." *Heyn.* — *Vestigia* poëtis haud raro dicuntur pro plantis pedum, quae imprimunt solo vestigia, signa pe-

Alba pedis frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini,
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus formaque ante omnis pulcher Iulus
Sidonio est invectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.
Cetera Trinacriis pubes senioris Acestae

---

dum, tum pro pedibus omnino. Sic Ovid. Met. VIII, 570. *nudae vestigia Nymphae Instruxere epulis mensas.* Catull. LXIV, 162. *Candida permulcens liquidis vestigia lymphis.* Sen. Thyest. 1039. *Abscissa cerno capita et avulsas manus Et rupta fractis cruribus vestigia* cett. — *primi pedis*, i. e. imi iuxta ungulam. Ladew. confert Propert. III, 26, (21,) 11. *At tu vix primas extollens gurgite palmas*, cui Henry addit Val. Fl. VIII, 44. *primis supplex dedit oscula palmis.* Verba *vestigia primi Alba pedis* iterantur in Ausonii cent. nupt. 39. — **567.** *frontem albam.* Cf. Hom. Il. XXIII, 454. De iterato epitheto *albus* vid. adnott. ad I, 449. — **568.** *Atys* a Vergilio fingitur, quamquam a Livio I, 3, 8. *Atys* quidam inter antiquos reges Albanos nominatur. Atiam autem gentem commemoravit propter Atiam, Augusti matrem (Suet. Octav. 4.), de qua vid. etiam Vell. Pat. II, 59. De orthographia nominis praeter Herod. I, 7, 94. et Inscriptiones antiquas cf. Salmas. in Solin. p. 1137 sq. Noris. Epist. Cons. p. 469. interpp. ad Livii l. l., Stat. Theb. VIII, 544. et Cic. Ligar. 1. Osann. Annall. critt. p. 60. Weichert. Comm. I. de L. Vario poëta p. 7. not. 7. et Schneider. Gramm. Lat. II, 1. p. 282. — *genus unde duxere.* Cf. VI, 834. et I, 19. — *Atii* Conington dubium videtur utrum sit Nom. Plur., ut v. 123. *Romanus Cluentius*, an Gen. Sing., ut v. 117. *Memmi;* recte tamen illud simplicius et probabilius esse censet. — „*Latini*, simpl. pro Romanis, ut saepe alibi. Heinsius eo refert, quod Atii Aricia erant oriundi. Neque temere illa adiecta: *pueroque puer dilectus Iulo*, ut iam tum coniunctionis inter Atiam et Iuliam gentem tamquam semina prima iacta essent. Cf. Eckhel. Doctr. numor. Vol. V. p. 145. de numis gentis Atiae.“ *Heyn.* De vv. *puero puer dilectus* cf. I, 684. V, 569. X, 600. et adnott. ad III, 159. et 329. Pro *dilectus* autem Med. (de quo tamen silet Ribbeck.) et Rottend. I. *delectus*, quod Iahn. (in contextu *dilectus* scribens) ad Geo. II, 8. p. 406. ed. II. praefert, ut valeat: „in Iuli sodalitium deductus;“ quod mihi argutius videtur. Ceterum quaeritur, cur ceterorum equis accuratius descriptis unius Atyos non commemoretur, praesertim cum v. 573. legatur: *Cetera Trinacriis pubes - - Fertur equis.* Fortasse aliquid excidit, aut potius totus locus a poëta non absolutus est, quod etiam versus imperfectus prodit. Etiam Ribbeck. „non dubitat, quin equum pueri descripturus esset poëta,“ ideoque lacunae signa post v. 569. adpinxit. Praetérea cf. Servius ad h. l. Provocat quidem Conington ad similem omissionem supra v. 118., quae tamen multo facilius excusari potest. — **570.** *ante omnis pulcher.* Animadverte hic Positivum, cum alias *ante omnes* et *ante alios* cum Compar. aut Superl. soleat coniungi. Cf. adnott. ad I, 347. — **571.** „*Sidonium equum* [a Didone datum] dicere potuit etiam, qui ex Africa esset; nam Phoenicios equos non memini narrari.“ *Heyn.* Quod tamen vix probari potest. Immo Conington conferri iubet Ezech. 27, 14. et hunc equum, quem haud dubie Dido secum adduxerit, fortasse eundem esse censet, quo vectus Ascanius IV, 157. prodeat. — *candida.* Vid. ad Ecl. II, 46. — **572.** *esse* ex Graecismo abundat: δῶκε ξεινήϊον εἶναι. Vid. ad I, 319. — Ribbeck., qui hunc versum ut meram v. 538. repetitionem hic tibicinis modo loco interim positum censet (cf. etiam eius Proleg. p. 80.), etiam hic *monimentum* scribit. — **573.** „*Cetera Trinacriis* cett. Provide haec adiecta sunt. Poterat enim quaeri, unde Troianis classe advectis, imprimis ea aetate, tot equi suppetierint.“ *Heyn.* Ribbeck. ex Pal. a m. pr., Rom., Bern. II., Menag. I. et Rottend. I. recepit *Trinacrii*, nesciens, ut profitetur, in quo libro *Trinacriis* legatur. Plurimi sane libri, Med., Pal. a m.

Fertur equis.
Excipiunt plausu pavidos gaudentque tuentes
Dardanidae veterumque adgnoscunt ora parentum.
Postquam omnem laeti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis, signum clamore paratis
Epytides longe dedit insonuitque flagello.
Olli discurrere pares atque agmina terni
Diductis solvere choris rursusque vocati

---

sec., Gud. Bern. I. a m. sec., Bern. III etc. exhibent *Trinacriae*, ut v. 555. — *senioris Acestae*, ut supra v. 301. — **574**. *Fertur equis* simpliciter i. q. equitat, non cum emphasi, ut I, 476. et Geo. I, 514., quod adnotat Conington. — **575**. Verba *Excipiunt plausu* leguntur etiam in Anth. Lat. I, 170, 148. — *pavidos* Serv. explicat: „gloriae cupiditate sollicitos," ut Geo. III, 106. *Corda pavor pulsans*, cum quo loco Heyn. conferri iubet Silium XVI, 431. 514. 579., rectius tamen ipse de puerilis aetatis verecundia et timiditate cogitans. Ceterum his verbis redit poëta ad narrationem descriptione v. 556. sqq. interruptam, quare quodammodo repetunt ea, quae supra legimus, *euntes mirata - - fremit iuventus*. — *gaudentque tuentes*, dum tuentur, non quod tuentur. Cf. adnott. ad II, 377. — **576**. *veterum*, i. e. seniorum; nam *vetus*, quod proprie de omnibus dicitur, quae per longum tempus durabant, interdum etiam de provectiore aetate usurpatur. Sic Liv. XLII, 47, 4. *veteres senatores*, Plaut. Merc. II, 2, 20. et Ter. Eun. IV, 4, 21. *vetus homo*, Tibull. I, 8, 42. *caput vetus*, id. IV, 1, 111. *aetas vetus*, et I, 8, 50. per pleonasmum *veteres senes*. Cf. etiam Doederl. Synon. IV. p. 89. Constat autem, veteres multum tribuisse corporis quoque et vultus similitudini inter patres et filios intercedenti, unde conclusionem fecerunt de eadem mentis animique similitudine. Vid. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 24, 21. et IV, 4, 29. Cf. etiam Aen. III, 432. IV, 329. Hor. Od. IV, 5, 23. Ovid. Trist. IV, 5, 31. etc. — **577**. *consessum*. Vid. supra v. 290. et 340. — **578**. *lustravere in equis*, scil. oculis; postquam omnem consessum oculis lustrantes praetervecti sunt. Iterantur haec verba XI, 190. — **579**. *Epitydes*. Vid. supra v. 547. — *longe*, clamore longe lateque audiendo. — *insonuit flagello; insonare* enim, quod active usurpatum significat strepitum aliquem facere, interdum iungitur Ablativo rei, qua fit strepitus. Sic Ovid. Met. XI, 161. *Calamis agrestibus insonat ille.* Construitur vero etiam eodem sensu cum Accus. eius vocis, quae ipsum strepitum indicat, ut infra VII, 451. *insonare verbera*, quod sensu non differt ab *insonare flagello*. — **580** sqq. In hoc loco pulcherrimo declarando occupatum fuisse Noehdenium in *Erklär. Anmerk. zur Aeneis*: Class. Encycl. P. V. Vol. I. p. 322 sqq., Heyn. memorat. Videtur eum respexisse Claud. IV. Cons. Honor. 539 sqq., quocum etiam cf. Apuleius Met. X, 29. pyrrhicham describens. — *discurrere pares*, discurrunt omnes bini et ad spectatores conversi, sed in tres turmas divisi; tum *terni* (tres turmae: vid. v. 560. et cf. adnott. ad Ecl. VIII, 73.) *agmina solvunt diductis choris*, i. e. quaeque trium turmarum agmen in duas aequales partes (*choros*) solvit, quarum una dextrorsum, altera sinistrorsum discedit. (Sic nunc etiam Wagn., qui prius locum aliter explicuerat. Nam si quaeque turma in tres partes divideretur, aut si terni aveherentur, ut duodecim essent catervae, trium unaquaeque puerorum (quae Heynii est sententia), confusum praeberetur spectaculum. Accurate et pictura lineari adiecta rem describit Ladew. — **581**. *diductis*. Plures Codd. et inter hos Med. et Rom. *deductis*, quod Iahn. et Ladew. (qui tamen in recentissima edit. recte ad vulgarem lectionem rediit) non debebant recipere. *Deductis* significaret: in alium, remotiorem vel abditum locum ductis; hoc autem loco agmina *solvuntur*, choris in varias partes diductis, discretis. Inde patet, vulgatam lectionem non esse sollicitandam; in verbis enim cum *de* et *dis* compositis, quae sexcenties confunduntur, Codd. auctoritas non multum valet. — *vocati*, a ducibus, iterum coëunt, se convertunt

Convertere vias infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversi spatiis alternosque orbibus orbes
Inpediunt pugnaeque cient simulacra sub armis;
Et nunc terga fuga nudant, nunc spicula vertunt
Infensi, facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta

---

et oppositi inter se tela conferunt. — **582**. *Convertere vias*, mutarunt cursum recurrentes et conversi inter se (*adversi spatiis*) velut pugnaturi denuo congressi sunt, donec in priorem locum redeuntes, binas partes in singulas turmas rursus coniunxerunt. Sic *gressus convertere* ap. Sil. XIII, 250., *fugam convertere* infra XII, 252. cett. — *infesta tela* (cf. II, 529.) *tulere*, i. e. intulere. Similiter ap. Silium IX, 519. *ferentes hostili iugulo ferrum*, ubi vid. Drak., et Ovid. Fast. V, 542. *spicula ferre deae*, ubi vid. Burm. Cf. etiam Geo. IV, 330. — **584**. Vulgo hic versus sic se habet parum numerose: *Adversis spatiis alternisque orbibus orbes*, et vv. *adversis spatiis* per inversionem poëticam pro: (ipsi) *adversi spatiis* posita accipiuntur. Sed non opus est hac inversione statuta, si cum Wagn. praeferimus paucorum sane Codd. (inter quos tamen Med. et Rom.) lectionem *adversi*, qua etiam sonus ingratus evitatur; *alternos* autem est plurimorum et optimorum Codd. (inter quos Med.) lectio ab eodem Wagn. restituta, quam etiam non mediocriter iuvari puto parallelo loco VIII, 448. *septenos orbibus orbes inpediunt*. Secuti sunt recentiores editores omnes praeter Bryceum. Sensum autem horum verborum varie intellectorum Wagn. in min. edit. recte sic constituere videtur: „Pars fugiens cum, quo eluderet, ut fit, sequentem, in orbes quosdam equitaret, necesse erat etiam insectationem suos habuisse anfractus, qui secarent illos orbes et quodammodo suis orbibus implicarent.“ Sic autem pueri equitandi artem optime poterant ostendere. Aliter tamen de h. l. iudicat Henry, qui retractans ea, quae cum Wagn. consentiens scripsit in Philol. XIII. p. 637., nunc redire videtur ad explicationem in *Tw. years* V. p. 45. propositam, ubi reiiciens implicandi notionem, *impedire* proprie dictum accipit („*impede, let, hinder*“) totumque locum sic fere interpretatur: Diducti chori in utroque circi fine se *convertentes* et *adversi spatiis* in orbem circumacti sibi obviam vehuntur, in medio circo sibi occurrunt et ita se invicem impediunt, quominus longius provehi orbemque conficere possint, unde oritur *pugnae simulacrum* et tunc demum fugiendi et persequendi spectaculum. Vide tamen, quae contra eum disputat Conington, singula verba non tam anxie explicanda esse ratus. Verba *orbibus orbes impediunt* iterum leguntur VIII, 448., quibus etiam poeta Anth. Lat. III, 81, 57. utitur sic mutatis: *adversosque orbibus orbes*. Ceterum cf. adnott. ad X, 361. — **585**. *pugnae simulacra ciere* (quod Verg. infra v. 674. repetit, ut etiam ap. Silium XVI, 529. legimus *bellique feri simulacra cientur*), ex Lucretio petitum, apud quem II, 41. et 324. *belli simulacra ciere* legitur. *Simulacrum* enim haud raro est imitatio alicuius rei spectaculi causa ficta et verae rei opposita; *pugnae* igitur *simulacrum* (quod etiam Liv. XXVI, 51, 6. Sil. VII, 119. alibi legitur), est quod nos dicimus *ein Scheingefecht, Scheintreffen*. — *sub armis*, in armis, armati. Vid. v. 440. — **586**. *fuga* Heins. ex Med., Rom. aliisque bonis Codd. restituit; vulgo *fugae*, quod temere defendit Wakef. ad Lucr. V, 969; „non enim, ut recte observat Heyn., *fugae* nudat quis tergum, sed dum fugit, fugiendo, *fuga*,“ quemadmodum hic Ablat. etiam I, 317. et IV, 155. usurpatus legitur. Wagn. comparat Lucan. IV, 713. *nudataque foeda Terga fuga*, infra v. 658. Geo. IV, 85. Aen. XII, 463. similesque locos. — *spicula vertunt*. Sic optimi Codd.; pauci quidam *verrunt*, vel *versant*, Rom. et Goth. II. *torquent*, „lapsu potius, etsi non infelici, quam consilio,“ ut censet Heyn. — **587**. *pariter*, in unum agmen coniuncti. — *feruntur*, equitant. — **588** sqq. „Non poterat Vergilius superare vel assequi locum Homeri, quem inter pulcherrimos primum excitandum credo, Il. XVIII, 590 sqq. de Dae-

Parietibus textum caecis iter ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus et inremeabilis error:
Haud alio Teucrum nati vestigia cursu
Inpediunt texuntque fugas et proelia ludo,
Delphinum similes, qui per maria humida nando

---

dali choro [ab Hephaesto in scuto Achillis effícto]. Rem igitur sapienter traduxit ad similem rem, Labyrinthum, quem ea cum arte effinxit, ut inter eius flexus legendos ipse quasi errore ferri videaris; ita implexa verba; quae Plinio obversata puto XXXVI, 12, 192., ut ipse Vergilius Catulli memor fuisse videtur LXI, 112 sqq." *Heyn.* Labyrinthi autem commemoratione cursus implicationem optime indicari, quisque videt. De ipso *Labyrintho* Cretensi cf. praeter Catulli et Plinii ll. ll. Apollod. III, 1, 4. Verg. ipse infra VI, 27 sqq. Ovid. Met. VIII, 159 sqq. alii, quos laudavi in Pauly *Realencycl.* IV. p. 706. — „*Creta in alta* (cf. mox VI, 23.) propter Idam et alios montes; quamquam et omnis insula *alta* est, quippe mari altior. [Vid. adnott. ad Aen. III, 76.] — *parietibus* [*parjetibus* vid. ad Geo. I, 397. et alibi adnott.] *caecis*, qui [ianuis et fenestris non instructi] visum ac prospectum intercipiunt [cf. adnott. ad II, 19.], ut totum iter, qua pateat, aestimare nequeas. Ovid. Met. VIII, 158 sqq. *caeca texta* dixit. Sunt viae utrinque pariete cinctae. Igitur *iter* dixit *textum*, fabricatum, *parietibus*, inter duo parietes." *Heyn.* — *ancipitem M. viis habuisse dolum*, i. e. mille viis fallacibus effecisse, ut semper anceps maneas, quo debeas procedere. Wold. Ribbeck. confert Pacati verba Paneg. Theod. 38. *incertum iter ancipiti ambage texebat.* — **590.** *qua* (vid. ad Geo. I, 90.) *falleret*, efficeret, ut laterent, ut non apparerent signa etc. Haec autem lectio est Med. et Bern. III. (qui tamen in marg. etiam alteram commemorat). Ribbeck. ex Pal., Rom., Gud., Bern. II. et Minoraug. recepit *Frangeret*, cum etiam Serv. scribat: „*frangeret*, deciperet, falleret." Recentiorum editorum nemo eum secutus est, quamquam Conington adnotat, Ribbeckii lectionem fortasse defendi posse loco Geo. IV, 400., duram tamen esse neque alteri praeferendam. — „*signa sequendi*, procedendi (ut poëtis ἕπεσθαι, *sequi* pro *ire*), h. e. notas viae et itineris, qua erat incedendum redituro. Cf. Ovid. l. l. v. 160 sq. et infra VI, 27 sq." *Heyn.* *Sequi* autem non solum apud poëtas (vid. supra IV, 361. 381. infra v. 620. VI, 361. VIII, 333. Ovid. Her. VII, 10. cett.), verum etiam apud solutae orationis scriptores ita usurpatum legitur, ut certum aliquem locum tamquam finem itineris petere significet, cum via ipsa quasi filum cogitetur, quo duce aliquis eo, quo velit, perveniat. Vid. Cic. ad Att. X, 18. *Formias sequor*, ib. III, 16. *Epirum sequor*, Flor. II, 11. *orientem sequi* al. — **591.** *indeprensus* (i. e. qui deprehendi non potest, quasi indeprensibilis) praeter h. l. legitur ap. Stat. Theb. VI, 563. *vestigia indeprensa.* Vid. etiam Bach. ad Ovid. Met. IX, 711. Wagn. vocem recte explicat: „carens certis notis, quibus animadversis ex eo te expedire possis." — *irremeabilis* (i. e. qui reditum non patitur, quia exitu destitutus est) redit infra VI, 425. Cf. etiam Sil. V, 41. et Sen. Herc. fur. 548. *Inextricabilis error* infra legitur VI, 27. Vergilius videtur memor fuisse Catulli LXIV, 114. *ne labyrintheis e flexibus egredientem Tecti frustaretur inobservabilis error.* — **592.** *Alio* iam Heins. ex Med. et Moret. I. restituit pro vulg. *aliter*, quod fortasse fluxit ex Rom., cuius librarius, deceptus, puto, sequente syllaba *Teu*, exhibet ALIOTER, litera O post erasa. — *nati* pro filii, ut Geo. II, 523. III, 128. et alibi haud raro, etiam apud pedestris orationis scriptores (e. g. Sen. Controv. I, 2. Val. Max. V, 8, 7.) — *vestigia cursu inpediunt*, cursus flexus implicant. Cf. v. 585. — **593.** *texunt f. et pr. ludo*, fingunt per ludum, ludendo (ut rursus infra v. 674.). Cf. supra v. 585. *pugnae cient simulacra.* — **594.** *Delphinum similes*, quos agilitate imprimis excellere constat (cf. Cic. N. D. II, 35, 89. a Wagn. laud. et Plin. IX, 8, 7.); quare etiam in Circo Romano delphinorum potissimum simulacra in columnis constituta videntur. Cf. Dio

Carpathium Libycumque secant [luduntque per undas].
Hunc morem cursus atque haec certamina primus
Ascanius, Longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit et Priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troïa pubes;

Cass. XLIX, 43. Iuven. VI, 590. Alciat. Parerg. Iur. IV, 27. (et Pauly *Realencycl.* II. p. 384.) Recte autem Henry (*Tw. years* V. p. 47.) non solam agilitatem, sed etiam pulchritudinem et nitorem delphinorum („*beauty, brilliancy and graceful agility*") respici censet. Conington conferri iubet similem locum Apoll. Rhod. IV, 933. *ὡς δ' ὁπότ' ἂν δελφῖνες* etc. — *maria humida.* Serv. comparat Homeri *ὑγρὰ κέλευθα θαλάσσης*. Sic infra XII, 476. legimus *humida stagna.* — **595.** *Carpathium Libycumque secant.* Heyn. pro Copula *que* malit *ve*, sine iusta causa. Verissime enim memorat Wagn., simplicem Copulam egregie indicare delphinorum velocitatem (de qua conferri iubet Cic. N. D. II, 35. ibique Creuzer.), qua modo e Carpathio mari in Libycum, modo e Libyco in Carpathium transeant. Vicina enim sunt maria, quare etiam ab Iuven. XIV, 278. coniunguntur. *Carpathium* nimirum (de quo vid. Mela II, 7, 13. Plin. IV, 12, 23. Hor. Od. IV, 5, 10. all.) est ea pars maris Aegaei, quae circa Carpathum insulam inter Cretam et Rhodum sita est; *Libycum* autem (cf. Mela I, 4, 2. II, 7, 17. Plin. V, 1, 1. Flor. III, 6, 10 etc.), quod Africae oram septentrionalem inter duas Syrtes alluit. Cf. liber meus geogr. II. p. 21. — Verba *luduntque per undas,* i. e. ludentes per undas (vid. infra ad v. 611.), cum in multis Codd. (inter quos Med. et Gud. a m. pr. Pal. et Minoraug., non vero Rom. et Bern. III.) desiderentur, Heynio et Weicherto (de verss. iniur. suspp. p. 76.) suadentibus, Wagn., Peerlk. et Ribbeck. prorsus deleverunt atque etiam Süpflius spuria habet. Per se tamen neque inepta sunt, neque otiosa, et vere Thielius memorat, in iis ipsis comparationis cardinem versari: „*in derselben Art, wie die Delphine spielen, d. h. sich mannigfach unter einander mischend, spielten die Jünglinge.*" Quare ea retinenda, sed ob Codd. auctoritatem uncis includenda putavi, quod etiam ceteri recentiores editores praeter Ribbeckium fecerunt, qui conf. in Proleg. p. 79. Iahnius fortasse ab Aproniano resecta censet. Ceterum cf. Ovid. Met. III, 685. — **596.** *Hunc morem cursus,* quod iam Iahn. recipiendum censuerat, ex plurimis Codd. cum Wagn. restitui, quem etiam ceteri recentiores editores excepto Bryceo vulgarem lectionem retinente secuti sunt. Vulgo enim legitur *hunc morem, hos cursus.* Sed vere Wagn. censere videtur, Vergilium vix idem Pronomen in uno versu ter ita positurum fuisse, ut ubique sub ictum caderet. Burmanno tamen, qui conferri iubet Heins. ad Claud. in Ruf. II, 401. et Drak. ad Sil. II, 25., repetitio Pronominis elegantior videtur. Ceterum cum *more cursus* cf. III, 408. *morem sacrorum.* — *primus,* tamquam auctor huius ludi in Italia concelebrandi. Cf. Ecl. VIII, 24. Aen. IV, 548. VIII, 134. 319., quos locos congessit Wagn. Qu. Verg. XXVIII, 3. g. — **597.** *Longam muris cum cingeret Albam.* Cf. Aen. I, 271. — **598.** *Rettulit,* repetiit, renovavit. Sic Claud. Laud. Stil. I, 777. *Neglectum Stilicho per tot iam saecula morem Retulit,* Ter. Hec. prol. v. 7. et alt. prol. v. 21. 30. *fabulam referre;* Cic. Or. III, 20. *nisi Atheniensibus, quod mysteria non referrent, succensuissem;* Ovid. Fast. IV, 144. *texit sua corpora myrto. Tuta fuit facto; vosque referre iubet* etc. Thiel. *referre* pro simplici *ferre* positum omnemque locum per attractionem aliquam sic capiendum censet: *Albam Longam retulit, quam m. cingeret;* quod probare non possum. Immo hoc ipsum *quam* in min. edit. Heyn., ap. Iahn. (in priore edit., nam in altera recte *cum* editur) et Thiel. pro *cum* apparens, quid sibi velit, omnino me nescire fateor. Ceterum hunc locum respexit Senec. Troad. 777. *nec stato lustri die Solemne referens Troici lusus sacrum Puer citatas nobilis turmas age.* — „*priscos Latinos* h. l. ut *antiqua Italia,* et sic *Latium antiquum* infra VII, 38. Aliter *prisci Latini* in historicis et geographicis, dum antiquum Latium et novum iuxta ponitur." Heyn. Beckerum tamen

Albani docuere suos; hinc maxuma porro
Accepit Roma et patrium servavit honorem;
Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.
Dum variis tumulo referunt sollemnia ludis,
Irim de caelo misit Saturnia Iuno

Handb. d. röm. Alterth. II, 1. p. 8. adn. 8. secuti cum Ribbeckio, Ladew., Wagn., aliis *Priscos* scripsimus, ut hic habeamus antiquam populi Latium ante Romam conditam in triginta oppidis foedere inter se iunctis incolentis appellationem. Cf. etiam VII, 710. — *celebrare*, scil. eo *modo*, *Quo puer ipse*, scil. celebraverat. — **600**. Cf. VII, 602. *porro* Wakef. ad Lucr. II, 271. coll. Graeco ἑξῆς non male explicat: „per successionem. Roma habuit post decursum temporis, per manus ab altero alteri traditum ex ordine;" quae tamen interpretatio non flagitat coniecturam ab eo propositam *Excepit*. — **601**. *patrium honorem*, ludum a maioribus institutum et posteris traditum. *Honos* simili significatione legitur etiam VIII, 268. et alibi. — **602**. *Troia nunc*, scil. is ludus, vel potius *is cursus*, quod ex v. 596. potest repeti, *dicitur*, et *pueri* eum ludentes (dicuntur) *Troianum agmen*, quamquam etiam verbo *Troia* non antecedente scribi poterat *pueri Tr. dicitur agmen*, cum vel apud prosae orationis scriptores numerus Verbi interdum Praedicato accommodetur. Wagn. confert Liv. I, 1. *Gens universa Veneti appellati*. Henry (*Tw. years* V. p. 47. et Philol. XIII. p. 637.) et Conington minus probabiliter sic distinguunt: *Troiaque nunc pueri, Troianum dicitur agmen*, ac si constructio esset: pueri nunc (dicuntur) Troia, agmen dicitur Troianum. Nam ludus ipse vocabatur *Troia*. Sic Suet. Caes. 39. *Troiam lusit*. Vocatur ei etiam *lusus Troicus* Claud. 21., et *Troiae decursio* Calig. 18., sicuti Tacito Ann. XI, 11. *ludicrum Troiae*. Serv. haec laudat Suetonii verba: *Lusus ipse, quem vulgo Pyrrhichum appellant, Troia vocatur*. Ceterum de toto ludo satis antiquo et a Sulla iam edito (Plut. Cat. Min. 3.), ab Iulio Caesare autem restituto et imperatorum temporibus saepe facto cf. Dionys. Hal. XLIII, 23. XLVIII, 20. XLIX, 43. Suet. Caes. 39. (Aug. 43. Tib. 6. etc.) Tac. Ann. XI, 11. Claud. VI. Cons. Hon. 622 sq. Klausen *Aeneas u. die Penaten* p. 821 sqq., imprimis autem Goebel in Progr. Durenensi a. 1852. Gossr. supra ad v. 545. et Heyn. Exc. V. ad h. l. ludum, qui a Troianis temporibus deductus dicatur, ab initio curulem fuisse (coll. Xen. Cyr. VI, 1, 27.) et ex antiquis decursibus armatorum circa tumulum in exsequiis institutis (coll. Hom. Il. XXIII, 13 sq. Od. XXIV, 68 sqq. infra XI, 188 sqq. all.) repetendum putant. — **603**. *hac tenus* per tmesin distractum, ut infra VI, 62. et alibi. Cf. Hand. Turs. III. p. 4. — *sancto patri*. Cf. supra v. 80. Ribbeck. Proleg. p. 80. huius versus exilitatem commentatorem magis quam poetam decere memorat. — **604**. *Hic*. Ribbeck. ex Pal., Rom., Gud. et Bern. II. recepit *Hinc*. — „*primum*, cum ante nihil turbarum ludis obiecisset." *Wagn*. — *Fortuna fidem mutata novavit*, i. e. fidem mutavit et veterem novavit perfidiam. Conington comparat Plaut. Mil. IV, 1, 36. *mutare fidem*. — **605**. De parte navium Aeneae a mulieribus Troianis incensis, quam rem non finxit poëta, sed ex historia traxit, vid. Heynii Exc. VI. ad h. l., qui praeter Dionys. Hal. I, 52., Conon. Narrat. 13., Steph. Byz. in Σκιώνη, Strab. VI. p. 262., Plutarch. Romul. 1. et de mulierum virt. non longe a pr., Lycophr. 919 sq. Aur. Vict. O. G. R. 10., alios, conferri iubet Rutgersii Varr. Lectt. I, 20. De loco, quo res facta sit, cum Vergilio consentit Dion. Hal. I. l. Alii Italiam inferiorem, alii Thessaliam memorant. — *tumulo referunt sollemnia*. Cf. VI, 380. *tumulo sollemnia mittent*. *Referunt* repetitionem indicat, ut Geo. I, 339., ubi vid. adnott. Respexit hunc locum Sen. Troa. 782. *sollemne referens Troici lusus sacrum*. — V. **606**. iteratur IX, 2. Cf. *adnott*. ad IV, 694. Hunc locum respicit Ovid. Met. XIV, 85. *Quasque*

Iliacam ad classem ventosque adspirat eunti
Multa movens necdum antiquum saturata dolorem.
Illa viam celerans per mille coloribus arcum
Nulli visa cito decurrit tramite virgo.
Conspicit ingentem concursum et litora lustrat
Desertosque videt portus classemque relictam.
At procul in sola secretae Troades acta
Amissum Anchisen flebant cunctaeque profundum
Pontum adspectabant flentes. Heu tot vada fessis
Et tantum superesse maris! vox omnibus una.

---

rates Iris Iunonia paene cremarat, Solvit (Aeneas). — **607**. „*ventos adspirat eunti*, volantem incitat, properare facit; quod optime fit vento secundis alis immisso. Cf. supra IV, 223. et 240 sq.“ *Heyn*. Quod attinet ad constructionem cf. VIII, 373. *dictis adspirat amorem* (et IX, 525. *adspirate canenti*). — **608**. *multa movens*, scil. animo, quod additur III, 34. et X, 890., i. q. alibi *animo volvere, agitare*. — *necdum antiquum sat. dolorem*. Cf. supra I, 4. et infra v. 781. Causae irae et doloris expositae sunt I, 25 sqq. De constructione vid. ad Ecl. I, 54. et Aen. I, 320. Ladew. ad h. l. adnotat, hunc Accus. plerumque cum Participio Perf. Pass. et Adiectivis, rarius cum aliis formis Passivi vel cum formis Activi coniungi. Ceterum cf. etiam infra v. 781. *nec exsaturabile pectus*. — **609**. *celerans*. Med. *celebrans*. Vid. adnott. ad IV, 641. — *per arcum* (cf. Ovid. Met. XI, 632. *et remeat per quos modo venerat arcus*) *mille coloribus*, i. e. ex mille coloribus compositum. Vid. ad I, 655. II, 765. al. — **610**. *Illa - - virgo*. Vid. adnott. ad Geo. IV, 457. et supra ad v. 262. et 521. — *cito tramite*, declivi, in quo cursus citus est, ideoque pro cito cursu, volatu ipso. Similiter Prop. IV, 15 (III, 16), 26. *facit assiduo tramite vulgus iter*. — **611**. *concursum*. Vid. supra v. 106 sq. Med. praebet *consessum*, quod ex v. 340. vel 577. petitum videtur. — *et litora lustrat Desertosque videt* cett. Wagn. Qu. Verg. XXXIV, 3. recte explicat: et litora lustrans videt. Cf. adnott. ad Ecl. VI, 20. VIII, 97. Geo. II, 55. al. Quare non opus est Heynii coni. *ut litora lustrat*. — **612**. *desertos portus*. Vid. supra v. 286 sq. Ceterum cf. locus simillimus II, 28. — **613**. „Quod ludis non intersunt mulieres, sed solitariae in *acta*, *ἀκτῇ*, litore desident, ex antiqua decori ratione et moris severitate fit, quam tamen inter Graecos quoque posterioris aetatis usus temperavit.“ *Heyn*. *Acta*, vox Graeca in Latinum sermonem translata, legitur etiam Cic. Verr. II, 5, 25. et 31. Nep. Ages. 8. Val. Fl. I, 742. V, 96. al. (cf. Barth. Adverss. XLIV, 11.) et significat plerumque litoris secessum amoenum vel etiam villam in ora maris sitam. Vid. Cic. Att. XIV, 8. ad Fam. IX, 6. (ibique Graev. et Cort.) pr. Coel. 15, 35. Mureti Varr. Lectt. I, 3. Turnebi Adverss. III, 1. et Burm. ad Quinct. Inst. VII, 3. p. 622. — *sola*, deserta, abdita. Vid. ad Ecl. X, 14. et Aen. XI, 569. — *secretae*. Cf. VIII, 670. (et ibidem 610. aliosque locos). — **614**. Conington conferri iubet Hom. Il. I, 349 sqq. — *Anchisen flebant*, ideoque in celebrandis inferiis adhuc occupatae erant. Cf. infra v. 652. — *profundum Pontum adsp. flentes*, „cui iterum se tradere cogantur. Facile ex Anchisae memoria ad hanc ducuntur cogitationem: scilicet ille et alii mortui sunt in longo itinere; iam quae nostrum certam sedem assequetur?“ *Gossr*. *Profundum* substantive pro mari positum legimus XII, 263., ubi vid. adnott. Quanta autem gravitate *flentes* adiiciatur post *flebant*, non est quod doceam. — **615**. *vada*, maria (vid. ad v. 158.), adiuncta tamen, ut videtur, periculorum notione, quae vada secum ferunt, cum sequantur v. *tantum maris*, i. e. tam longum per mare cursum. Ceterum cf. Geo. III, 343. *tantum campi*. — **616**. *superesse*. De hoc Infinitivi usu Conington conferri iubet Madvig. §. 399., qui afferat Cic. ad Fam. XIV, 1. *te - - in tantas aerumnas propter me incidisse!* Adde ibid. XIV, 2, 2. Cic. Verr. V, 38, 100. de Div. II, 13, 30. aliosque locos. De eodem

Urbem orant; taedet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias sese haud ignara nocendi
Conicit et faciemque deae vestemque reponit;
Fit Beroe, Tmarii coniunx longaeva Dorycli,
Cui genus et quondam nomen natique fuissent;
Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert:

Infin. cum Accus. coniuncti usu in quaestionibus diximus ad Aen. I, 37. — *vox omnibus una*, scil. tantum superesse maris. Peerlk. tamen putat, locum sic distinguendum esse: *vox omnibus una: Urbem orant;* ut una omnium vox sit *urbem orantium*. In Anth. Lat. III, 81, 45. legitur *vox omnibus una est*. Cf. etiam Geo. IV, 212. *Mens omnibus una*. — **617.** *Urbem*, sedem tutam et quietam, *orant; taedet* etc. Cf. locus similis IV, 451. — **618.** *haud ignara nocendi*, i. e. nocitura, ut iam prius nocuerat. Conington comparat Hom. Od. IV, 460. ὀλοφώϊα εἰδώς. — **619.** *Conicit*. Duo Codd. *coniecit*, quod non displicet Peerlkampio, ut sensus sit: Coniecit, et postquam coniecerat, statim reponit. — „*vestem*, versicolorem, qualis alibi Iridi tribuitur. Cum *vestem deae* dixit, insederit animo poëtae species pallae [ad imos pedes demissae], qua deae vestitae in signis artificum conspiciuntur.“ *Heyn*. Vid. adnott. ad I, 404. Ex hoc loco petitum in Anth. Lat. VI, 84, 15. legimus *faciemque deae vestemque reponunt*. — **620.** *Fit Beroë* cett. Heyn. confert Hom. Il. III, 121., cui loco Thiel. addit similes Callim. in Cer. 43. Ovid. Met. III, 273. et infra IX, 649. — *Tmarii* Heins. ex pluribus Codd. edidit. Cum vero Tmarus (s. Tomarus) sit Epiri mons apud Dodonam situs (de quo vid. adnott. ad Ecl. VIII, 44.), Beroë autem infra v. 646. *Rhoeteïa*, i. e. Troiana, vocetur, Ouwens. Noctt .Hagan. p. 624. et Voss. in *Anm. u. Randgl.* p. 214. praetulerunt Servii, Donati et multorum recentiorum Codd. lectionem *Ismarii* (ad Ismarum, Thraciae montem, referendam), quam etiam Iahn. praestare censet, Lachmann. vero ad Lucr. IV, 1169. p. 272. recte reiicit. Alii libri *Marii;* quod qui amplectuntur, vel de Maronia, Thraciae urbe, a Marone dicta (Hom. Od. IX, 198.), vel de Marone, eiusdem regionis monte cogitant, vel etiam *Marium Doryclum* eadem ratione dictum putant, qua Telamonium Aiacem, Hicetaonium Thymoeten etc., cum certe Hom. Il. XVII, 319. *Marin* inter principes Troianos numeret ideoque etiam de *Maro* cogitari liceat, quod nomen inveniatur ap. Silium VI, 74. 98. 136. et in inscriptionibus ap. Murat. p. 1767, 14. Gruter p. 334, 6. et Mommsen. I. R. Neap. 718. legi credatur, ut Vergilium ad C. Marium alludere voluisse non improbabile sit; quae est Wagneri sententia in Philol. Suppl. I. p. 337. proposita, quare etiam in eius edit. recentiss. *Marii* legimus. *Tmarii* tamen tamquam difficillima lectio praeferenda videtur; et possumus Beroën sumere cum Heleno in Epirum venisse ibique matrimonium iniisse, postea autem (interea fortasse viduam factam) hanc terram cum Aenea inde discedente reliquisse. Aliis tamen ad coniecturas confugiendum esse visum est. Et Hoffmann. quidem in *Zeitschr. f. d. Oest. G.* 1853. p. 419 sqq., etiam contra me disputans, cuius explicationem (fortasse non iniuria) argutam et infirmam censet, paulo audacius coni. *miseri*, vel etiam *magni*, ut ap. Val. Fl. II, 149. *nec proles magni praeclara Dorycli*, quamquam ibi de alio Dorycło sermo sit; auctor vero Progr. Leitm. a. 1868. p. 6. sq. *Martii*, quod duabus syllabis vult pronuntiatum, parum probabiliter. Ceterum hic *Doryclus* Epirota non confundendus cum Priami illo filio spurio, quem Aiax Telamonius occidit (Il. XI, 489.). Idem nomen etiam apud alios commemoratur. Cf. Interpp. ad Val. Fl. II, 149. — **621.** „*Cui* sive ad Doryclum, sive ad Beroën referas, perinde est. Hoc alterum melius; quatenus in feminae auctoritate res posita; *nomen* tamen melius ad maritum referas.“ *Heyn*. Ideoque etiam *cui* rectius ad Doryclum refertur. Consentit mecum Benoist., adversatur Henry (*Tw. years* V. p. 50 sq. et Philol. XIII. p. 638.), qui coll. loco Aen. VII, 581. *nomen* utique etiam in feminam cadere docet et praeterea etiam ad Aen. XI, 340. provocat. Ceteri editores tacent. — *genus* est nobilitas generis, ut Geo. II, 240., ubi pa-

„O miserae, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad letum patriae sub moenibus! o gens
Infelix, cui te exitio Fortuna reservat?
Septima post Troiae excidium iam vertitur aestas,
Cum freta, cum terras omnis, tot inhospita saxa
Sideraque emensae ferimur, dum per mare magnum

---

riter *nomen* adiungitur, et Aen. XI, 340.; quemadmodum etiam ap. Cic. Verr. II, 21, 51. IV, 36. in. Phil. X, 6. extr. in Pis. 38, 92. pr. Lig. 7, 20. aliisque locis a Burm. collatis. Coniunctivum (*fuisset*) posuit poëta, ut causam indicaret, cur dea Beroës formam sibi elegerit. Fore enim, ut talis viri vidua apud Troianas auctoritate sua plurimum valeret, facile poterat sperare. *Cui* igitur pro *quippe cui* vel *cum ei* dictum est; quod iam Iahn. intellexit, simul commemorans, contorte haec explicare Wachsmuthium in Athenaeo I. p. 627. (Consentiunt nobiscum Wagn. et Ladew., Hoffmann. vero l. l. etiam hic contra me disputans, sed Adverb. *quondam* non curans, potius simul audit: si diutius vixisset.) Alteram causam, quae Irim movisse videtur, ut Beroës potissimum formam indueret, indicat infra v. 561.; aegra illa erat et absens, neque poterat interventu suo deae consilium frustrare. — 622. *Sic*, hac specie, hoc habitu. Cf. VII, 668. Altera Servii explicatio: „ista dictura" minus probabilis. — *Dardanidum.* Vid. II, 242. et adnott. ad I, 565. et III, 21. *Dardanidum matres*, quae Ovidio Met. XIII, 412. *Dardanides matres* et nostro infra v. 793. *Troianae matres.* — 623 sqq. „Artem agnosce, quod miseratione animis se insinuat, antequam ad consilium suum proferendum descendit. In v. 623 sq. sententia fere, qualis supra I, 94 sq. et III, 321., petita e loco communi, quo vitae in miseria exigendae mors praefertur." *Heyn.* — *quas non manus Achaica* cett., i. e. cum vos - - non traxerit: quanto melius esset, vos morte ereptas esse omnibus miseriis, quas nunc patimini et quae in posterum vos manent, et in patria terra sepultas. Cf. etiam adnott. ad II, 346. *Manus* autem hic non est *die Hand*, sed *die Schaar*, ut XI, 597. Ceterum tres Codd. *Achaia;* sed vid. adnott. ad Aen. I, 119. — 624. *patriae sub moenibus.* Cf. I, 94 sqq. et III, 321 sqq. — Cum v. 625 sq. cf. I, 755 sq. — 626. *Septima - - aestas.* Vid. I, 755 sq., ubi iam vidimus, hos duo locos vix inter se posse conciliari, cum ex V, 46. appareat, inter ea, quae l. I. et quae l. V. narrantur, integrum annum esse exactum, et propterea libri I. clausulam spuriam haberi. Iam Servius adnotat: „*iam septima - - aestas*, unde apparet hanc octavam fuisse, quod et ab Anchisae morte indicat annus inpletus. Ergo constat, quaestionem hanc unam esse de insolubilibus, quas non dubium est emendaturum fuisse Vergilium." *Gossr.* quidem difficultatem studet removere, haec adnotans: „ita sibi videtur finxisse rem Vergilius. Ante hiemem pervenit in Siciliam ibique moritur Anchises; post exactam hiemem ex Sicilia facto discessu ad Carthaginis litus appelluntur (haec septima aestas erat) ibique usque in auctumnum commorantur; ita ut in Siciliam revertantur anno fere post Anchisae mortem, attamen septimo adhuc anno;" atque etiam Ribbeck. Proleg. p. 78 sq. censet, nostrum locum fortasse sic interpretandum esse, „ut aestatis notione totum annum complexa Iris significare statuatur, iam in eo esse ut septimam aestatem sequatur octavus;" quae omnia quam artificiosa sint, quisque videt. Cf. etiam, quae Conrads. p. XI sq. et Weidner. in Comm. suo p. 450. de hoc Vergilii errore verissime disputant. — Cum verbis *septima vertitur aestas, cum* etc. Conington comparat Cic. ad Fam. XV, 14. *Multi sunt anni, cum ille in aere meo est.* — 627. Verba sic construe: *freta, terras ferimur* (cf. adnott. ad I, 67. et 524.) *emensae saxa et sidera.* — *terras omnis*, litora multarum regionum, quae cursu maritimo tetigimus. — *inhospita saxa*, scopulos ipsius maris, *πόντου ἀξείνου*. Heyn. minus recte cogitat de litoribus saxosis. Cf. IV, 41. *inhospita Syrtis.* — 628. *Sidera* et ipsa pertinere ad navigationem, bene observat Wagn. (Cf. III, 517. et V, 25.) Posita nimirum sunt pro tempestatibus, in quibus magnam vim habent sidera. Cf. Burm. ad Ovid. Met.

Italiam sequimur fugientem et volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni atque hospes Acestes:
Quis prohibet muros iacere et dare civibus urbem?
O patria et rapti nequiquam ex hoste Penates,
Nullane iam Troiae dicentur moenia? nusquam
Hectoreos amnis, Xanthum et Simoenta, videbo?
Quin agite et mecum infaustas exurite puppis.
Nam mihi Cassandrae per somnum vatis imago
Ardentis dare visa faces. „Hic quaerite Troiam;
Hic domus est, inquit, vobis.“ Iam tempus agi res,

V, 281. Sic etiam Val. Fl. V, 197. *Tot freta, - - tot sidera passis - - fave.* Quare etiam h. l. Peerlk. videtur commendare coniecturam *patimur* pro *ferimur;* dicit enim, orationem sic ordinandam esse: cum emensae omnia freta et omnes terras patimur tot saxa inhospita et sidera. — *emensae* pro emetientes. Vid. adnott. ad Geo. I, 206. Ceterum cf. supra v. 25. Conington comparat Soph. Oed. T. 795. *ἄστροις τὸ λοιπὸν ἐκμετρούμενος χθόνα.* — *mare magnum*, vastum, immensum. Lucr. II, 1. *Suave mari magno turbantibus aequora ventis E terra magnum alterius spectare laborem* cett. — **629**. *Italiam sequimur fugientem*, recedentem, nunquam apparentem. Cf. VI, 61., qui totus locus cum hoc comparandus, et similem locum supra III, 496. De verbo *sequendi* vid. supra ad v. 590. — **630**. Vid. supra v. 24. et I, 570. — **631**. *Quis prohibet*, i. e. nemo prohibet. Recepi enim nunc cum Waguero (qui etiam cf. in Philol. Suppl. I. p. 343 sq.), Ribbeckio, Ladew. (in recentiss. edit.), Coningtone et Benoisto Medicei a m. sec. (nam a prima *qui* scriptum est), Goth. III., Dorph. II. V. aliorumque Codd. lectionem *Quis*, non tam, quod melius conveniat verbis antecedentibus *Hic Erycis fines* etc., quam potius, quod vulg. lectio *Quid*, i. e. nihil omnino, *prohibet* (quam a plurimis Codd., inter quos Rom. et Bern. III., exhibitam ut prius ego et Ladew., sic etiam Süpfl., Peerlk., Gossr., Haupt. et Bryce receperunt atque Iahn. ad Ecl. I, 19. p. 361. ed. II. defendit) provocare posset fati cogitationem (cf. v. 656.), quo Iris rei suae ipsa officeret, ut docent Wagn. et Ladew. Accedit quod etiam Donatus *quis* legisse videtur, cum adnotet: „non denegabunt cives necessariam civibus sedem.“ — *muros iacere*, ut saepe *fundamenta iacere*, i. e. ponere, exstruere. Sic etiam Prop. III, 32, (II, 34,) 64. *Iactaque Lavinis moenia litoribus*. Solin. c. 25. *iaciunt moenia*. Sen. Ep. 13. *iacere vallum*. — **632**. *nequiquam rapti*, erepti, quia non datur locus ipsos tanquam deos tutelares in foco collocandi. (Cf. I, 378. II, 293. 717.) Ceterum Copula *et* in nonnullis Codd. excidit, in aliis et ap. Macrob. VI, 6, 16. suppleta est repetita Interiectione *o*, quae Interiectionis anaphora Heinsio quidem longe elegantior, Wagnero autem iure nimis vehemens videtur. — **633**. Sententia haec est: non tandem aliquando de instauratis alio loco Troiae moenibus sermo erit? i. e. nullane erit unquam nova Troia, tam diu iam nobis desiderata, cuius fama hominibus innotescat? Paulo aliter Gossrau: „more colonorum, qui antiquae urbis nomina in nova referebant. Cf. III, 349.“ De Part. *iam* vocabulo negativo adiuncta vid. ad Geo. II, 252. Aen. IV, 431. et Hand. Turs. III. p. 130 sqq. — **634**. *Hectoreos*, Troianos. Vid. I, 276. et supra ad v. 190. Sensus aperte hic est: nusquam videbimus flumina, quae, condendae urbi vicina, Xanthi et Simoentis instar esse possint, in quae illorum nomina transferre possimus; i. e. omnino: numquam videbimus novam patriam, novam quasi Troiam. Cf. etiam v. 756. et supra III, 349 sqq. *Xanthus* et *Simois* simili ratione coniunguntur X, 60. — **636**. *Cassandrae* (vid. ad II, 246. 402.) *imago visa per somnum.* Cf. adnott. ad II, 271. et III, 150. Ceterum Goth. III. et Lutatius ad Stat. Theb. IV, 133. hunc versum exhibent mutato verborum ordine *N. m. per somnum Cass.* cett. — **637**. Verba *Ardentis dare visa faces* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 362. — **638**. *Hic domus est.* Peerlk., Cassandram dicere non potuisse ratus,

Nec tantis mora prodigiis. En quattuor arae
Neptuno; deus ipse faces animumque ministrat."
Haec memorans prima infensum vi corripit ignem
Sublataque procul dextra conixa coruscat
Et iacit. Arrectae mentes stupefactaque corda
Iliadum. Hic una e multis, quae maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
„Non Beroe vobis, non haec Rhoeteia, matres,
Est Dorycli coniunx; divini signa decoris

---

hanc *esse domum*, nisi mentiri vellet, coni. *esto*. Immo *Hic domus est vobis* valet: Hic vobis a fato, a diis domus est constituta. — Idem Peerlk. etiam verba *Iam tempus agi res*, i. e. iam opportuna adest occasio rei gerendae (de constructione vid. adnott. ad Geo. I, 305. coll. cum Claud. R. Pros. I, 218. *rem peragi tempus*), Cassandrae tribuenda censet, ex qua ratione post *res* Puncto distinguendum esset. Sed arcte cohaerent haec verba cum sequentibus *Nec tantis mora prodigiis*, i. e. rei per somnum tam clare monstratae; Cassandrae species, quam per somnum sibi oblatam fingit simulata Beroë, non sinit nos morari. Ceterum Rom. et alii quidam Codd. exhibent *agit*, quod etiam Statius (Conington laud.) videtur legisse, si respexit hunc locum scribens Theb. V, 143. *dum tempus agit rem, Consulite;* sed *agi* etiam Serv. et Consentius p. 2050. P. testantur. — Cum verbis *Nec tantis mora prodigiis* cf. infra v. 749. *Haud mora consiliis*. — **639**. *En quattuor arae*. Vid. ad I, 461. Cum Accus. constructum legimus Ecl. V, 65. *en quattuor aras*. — „*arae Neptuno*. Ante ludos funebres commissos sacra debent esse facta Neptuno, ut in certamine navali adesset, unde arae adhuc titiones ardentes suppetebant. Quorsum autem arae quatuor? Servius: *quatuor, quia singuli duces navium* (vid. supra v. 115.), *qui certaverant, singulas posuerant.*" *Heyn*. — **640**. *deus ipse* Wagn. Qu. Verg. XVIII, 2, b. recte explicat: „non humanum est, sed divinum consilium." — *faces animumque* (audaciam) *ministrat*. Vid. I, 150. ibique adnott. Ribbeck. recepit unius Cod. Rom. lectionem *animamque* coll. VIII, 403. — **641**. *infensum ignem*, ut *inimicum ignem* Geo. IV, 330. Eadem ratione IX, 793. *tela infensa* et X, 521. *hasta infensa* memorantur. — **642**. *conixa*. Cf. supra v. 264. ibique adnott. — *coruscare* transitiva vibrandi significatione legitur etiam VIII, 661., ap. Sil. I, 434. (*cor. telum*) Val. Fl. II, 228. (*cor. ferrum*) al. Ceterum Wagn. nos attentos facit ad numerorum praestantiam, cum spondeos, qui nisum egregie significent et exspectationem quam maxime augeant, sequatur unus dactylus, rem non sine horrore quodam iam exspectatam breviter declarantem, caesura autem faciat, ut spiritum paulisper contineamus, et spondei rursus sequentes animum repentino audaciae facinore percussum praeclare exprimant. Comparat etiam similes locos XII, 728 sqq. et X, 336. — **643**. *Arrectae mentes*. Vid. I, 579. II, 206. XI, 452. XII, 251. cett. Verba *arrectae mentes stupefactaque corda* repetuntur in Anth. Lat. III, 81, 15. — **644**. *Iliadum*. Vid. II, 580. III, 65. cett. — **645**. Haec *Pyrgo* alibi non commemoratur. — Verba *natorum regia nutrix* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 376. voc. *regia* in *maxima* mutato, quod e versu antecedente assumptum. — **646** sqq. „Cf. supra I, 402. Servius ad h. l. haec habet: *Non est dissuasio, ut quidam putant* (scil. ne feminae Troianae credant, hanc esse veram Beroën, neque ei fidem habeant); *sed magis hortatur persuadendo, numinis auctoritate.*" *Heyn*. — **646**. *vobis*, ut nos: *das ist euch nicht die Beroë*. Cf. de hoc Dativo ethico, quem vocant, adnott. ad Ecl. VIII, 6. Non opus est igitur, ut Peerlkampio suasore ex paucis quibusdam Codd. recipiamus *nobis*. — *Rhoeteïa*, Troiana, a Rhoeteo promontorio. Vid. ad III, 108. et infra VI, 505. Conington repetit Cerdae adnotationem: „Observabis, solere Vergilium complere notitiam rerum variis in locis. Supra (v. 620.) dedit patriam mariti, nunc dat uxoris. Inde emergit plena haec cognitio, videlicet mulier Troiana Beroe nupsit in via Epirensi homini Doryclo." — **647**. *divini*

Ardentisque notate oculos; qui spiritus illi,
Qui voltus vocisque sonus vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui
Aegram, indignantem, tali quod sola careret
Munere nec meritos Anchisae inferret honores."
Haec effata.
At matres primo ancipites oculisque malignis
Ambiguae spectare rates miserum inter amorem

---

signa decoris. Vid. similem locum I, 402., ubi pariter e decore externi habitus Venus ab Aenea agnoscitur. — 648. *Ardentes notate oculos.* Conington conferri iubet Hom. Il. I, 199. — *qui spiritus*, quam divinus spiritus. — „*Spiritum* Servius male de odore [scil. ambrosio, cf. I, 403.] accipit. Nam ad dignitatem spectat, h. e. spiritus altus, sensus, adeoque gestus et oris species maiestatem habens et numen." *Heyn.* Cf. Cic. ad Qu. fr. I, 2. (a Coningtone laud.) *L. Caecilium - - quem hominem! qua ira! quo spiritu!* Verba *qui spiritus illi* iterantur in Anth. l. l. v. 383. — 649. *Qui voltus*, i. e. quam augustus vultus. Sic autem praeter alios, ut videtur, Codd., Med., Gud. a m. sec., Bern. III. et tres Pariss., quos cum plurimis editoribus (quibus nunc etiam Süpfl., Gossr., Ladew., Bryce, Conington et Benoist. adiungendi) secutus sum. Wagn. (quem sequuntur Peerlk., Haupt. et Ribbeck.) contra optimorum Codd. auctoritatem edidit *qui spiritus, Quis vultus* (cf. eius Qu. Verg. XXII, 5. p. 607.), quod probare non possum, cum verba antecedentia *divini - - oculos* clare ostendant, etiam sequentia de qualitate vultus et vocis intelligenda esse (vid. ad Ecl. I, 19. et Aen. III, 608.) et iam per se vix probabile sit, Vergilium hic utramque Pronominis formam coniunxisse. (In min. tamen edit. etiam Wagnerum *Qui vultus* recepisse video.) — *vocisque* ex Med. aliisque libris pro vulg. *vocisve* cum Wakef. et Wagn. recepi, ne tot syllabis ab eadem litera *v* incipientibus aures laederentur. (Recentiores editores omnes praeter Bryceum et Benoistum nos secuti sunt.) Wakef. cum nonnullis Codd. etiam pro *vel gressus* edidit *et gressus;* sed haec alia res est; inter *gressus* enim et *vocis sonum* non tanta intercedit necessitudo, quanta inter vultum et vocem, quae haud raro coniunguntur, ubi de rebus sermo est, unde aliquis agnoscitur. Vid. I, 327. et Burm. ad Val. Fl. VII, 32. et ad Ovid. Met. XI, 637., ubi eadem ratione *incessus, vultus, sonusque loquendi* coniunguntur. Cf. etiam Ovid. Met. III, 609. — *gressus.* Cf. I, 405. ibique adnott. — 650. *Ipsa;* non audivi tantum ex aliis, eam aegrotare, sed ipsa aegram vidi. — 651. *tali munere* Heumann. ad Cic. Mil. 35. minus recte de ludis intelligit; ab his enim etiam reliquae mulieres remotae erant; immo poëta ipso interprete, qui addit: *nec meritos A. i. honores*, intelligendae sunt inferiarum caerimoniae, quibus peragendis etiamtum operabantur Troades. Cf. Geo. IV, 520. ibique adnott. — 652. *munere*, tam sollemnibus inferiarum caerimoniis, quae munus quasi habentur defuncto oblatum. Cf. Cic. in Vat. 12, 30. pro Sulla 19, 54. Plin. XXXIII, 3, 16. multique alii loci. — *inferret*, non interesset ferendis Anchisae inferiis. Vid. ad III, 66. — 653. *Haec effata.* Hoc hemistichion, quod plane desideratur in Goth. III., in aliis autem sic legitur: *Haec est fata*, a Grammatico aliquo adiectum censet Peerlk.; et sane facile eo caremus, quod iam Heyn. observavit. — 654. *primo.* Vid. ad Geo. IV, 310. — *ancipites* idem fere, quod sequens *ambiguae*, i. e. ambigentes, dubiae, incertae, quid faciant, utrum in Sicilia maneant, an navigent in Italiam; ita tamen haec coniuncta, ut illud, universe pronuntiatum, hoc altero accuratius explicetur. Cf. supra III, 47. Liv. I, 28, 9. et Lucan. IX, 46. *animus anceps* cett. Conington confert Tac. Ann. I, 7. *ambiguus imperandi.* Adde eiusd. Hist. II, 83. et III, 43. *ambiguus consilii, futuri.* — „*oculis malignis*, h. l. simpl. torvis, transversis, quales alibi maligni animi signum esse solent." *Heyn.* — 655. *miser amor* non solum est magnus, ut Heyn. interpretatur, sed potius, qui nimia

Praesentis terrae fatisque vocantia regna:
Cum dea se paribus per caelum sustulit alis
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero attonitae monstris actaeque furore
Conclamant rapiuntque focis penetralibus ignem;
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Coniciunt. Furit inmissis Volcanus habenis
Transtra per et remos et pictas abiete puppis.

---

magnitudine aliquem miserum reddit. Sic etiam *miserc amare* i. q. perdite amare. Ceterum cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. III, 2, 40. et Heind. ad Hor. Sat. I, 9, 8. Verba *miserum inter amorem* repetuntur in Anth. Lat. III, 81, 40. — **656**. *fatis vocantia regnis.* Ut *fata* (Geo. IV, 496. Aen. VI, 147. X, 472. ap. Silium IV, 510. al.) et *terrae* (supra I, 610.) *vocant,* ita nunc *regna vocant fatis,* quippe quae fatis Troianis destinata eos ut ad se veniant invitant. Vide Dietsch. Theol. Verg. p. 27.; *fatis* igitur i. q. secundum fata, ut Geo. I, 199. et Aen. X, 109. — **657**. *paribus alis,* pariter libratis, ut supra IV, 252. Cf. Hom. Il. V, 778. — **658**. *fuga,* i. e. fugiens, celeriter se abripiens. Vid. supra ad v. 586. De *fuga* pro celeri abitu posita vid. ad Geo. III, 142. — „*secuit arcum,* i. e. fecit arcum lucidum evolando; nam per arcum, tamquam tramitem, evolare debuit. Cf. supra v. 609 sq.“ *Heyn.* Etiam Serv. recte explicat: „arcum fecit, secto coelo duxit,“ neque aliter Wagn.: „secando aërem fecit arcum.“ Adversatur quidem Henry (*Tw. years* V. p. 52. et Philol. XIII. p. 639.), cui haec verba nihil aliud significare videntur, nisi: redit per eundem arcum, per quem venerat, quod probare studet loco Ovid. Met. XI, 632. *Remeat per quos modo venerat arcus* et verbis *Litus - - ventosque secabat* supra IV, 257.; sed recte observat Conington, sic perire totius loci vim et gravitatem. Iris enim, quae *nulli visa viam per arcum celeraverat* (v. 609 sq.), nunc debet omnibus aspectabilis *ingentem arcum* suum ducere, ut dea agnoscatur et mulieres, antea adhuc *ancipites* et *ambiguae,* nunc *attonitae monstris* vere ad facinus suum patrandum impellantur. Minus recte igitur comparantur loci supra ad IV, 257. collecti. Ceterum v. 657. et 658. repetuntur infra IX, 14. 15. — **659**. *Tum vero* (*da nun freilich, da nun allerdings*). Vid. ad Ecl. III, 10. adscripta et quae Henry (*Tw. years* V. p. 52. et Philol. XIII. p. 639.) de hoc loco disputavit. Cf. etiam locum nostro similem infra IX, 73 sq. — *actae furore,* ut X, 63. — **660**. „*focis penetralibus;* focos penetrales dixit, qui in penetralibus (locis s. sacrariis) sunt; recte Donatus: ex interioribus partibus (domorum proximarum) incendia rapiebant. Opp. *arae* quatuor v. 639.“ *Heyn. Foci penetrales* etiam ap. Catull. LXVIII (LXVI), 102. inveniuntur. — *ignem* hic de torribus, lignis ardentibus intelligendum puto; nam arae, *faces* praebentes (v. 640.), non satis lignorum videntur suppeditasse. Verba *Conclamant rapiuntque focis* iterantur in Anth. Lat. I, 171, 10. — **661**. *frondem,* serta, quae cingunt aras. Cf. II, 249. III, 25. etc. — **662**. *Volcanus* (vid. ad Geo. I, 295.) — *furit inmissis habenis.* Vid. ad Geo. II, 364. et infra ad VI, 1. Imitantur h. l. Silius duobus locis IV, 682 sq. et XVII, 96., et (perversa ratione) Sulp. Sever. hist. p. 563. *Totis habenis regnabat incendium.* Ceterum hic totus versus excepta prima voce iteratur in Anth. Lat. I, 178, 427. Gossr. non male comparat Schilleri nostri versus (de campana): „*Wehe, wenn sie losgelassen - - wälzt den ungeheuren Brand.*“ — **663**. *Transtra per et remos,* ut Geo. III, 276. *Saxa per et scopulos.* Cf. adnott. ad Geo. I, 161. — *puppes* (ex) *abiete,* *ἐξ ἐλάτης,* pro *νῆες ἐλάτιναι*: vid. adnott. ad I, 167., quamquam negari nequit, hunc Ablativum verbis *pictas puppes* paulo durius inseri. Ceterum cf. adnott. ad Geo. II, 68. et I, 397. — „*pictae,* vel colore inductae, ut ap. Homerum *μιλτοπάρῃοι,* vel propter pictam in puppi tutelam aut parasemon in prora pictum.“ *Heyn.* Hanc alteram explicationem qui cum Wagn. praeferunt, provocare possunt ad Hor. Od. I, 14, 14. Ovid. Trist.

Nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert navis Eumelus, et ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus et Ascanius, cursus ut laetus equestris
Ducebat, sic acer equo turbata petivit
Castra, nec exanimes possunt retinere magistri.
„Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miserae cives? non hostem inimicaque castra
Argivom, vestras spes uritis. En ego vester

I, 4, 8. et similes locos: equidem cum Peerlk. priorem amplector, cum Vergilius totam navem per partes indicare, et iuxta *transtra* et *remos* etiam *puppes* proprie intelligendae esse videantur. Meibom. de fabrica triremium p. 121. (quem Heins. iam taxat) sine causa coni. *factas*, Schrader. praeterea etiam *textas*. — **664**. *Anchisae ad tumulum* (vid. supra v. 76.) *cuneosque theatri*. In *tumulo* explicando verbis seqq. deceptus, sed negligens adiectum *Anchisae* prius erravi, quod recte notavit Conington. *Cunei* in theatris vocabantur ordines sedilium, qui gradibus utrimque adsurgentibus in cunei formam divisi erant. Cf. Vitruv. V, 6. Suet. Aug. 44. Dom. 4. Iuven. VI, 61. etc. Quid h. l. per *theatrum* intelligendum sit, iam supra vidimus v. 286 sqq. — **665**. *perfert*. Cf. XI, 825. ibique adnott. — *Eumeli* hoc uno loco fit mentio. — *incensas* Wagn. Qu. Verg. XXIX, 6. pro Participio habet Graeco more usurpato, qua de re vid. adnott. ad II, 377. — **666**. *Respiciunt* prima signif. positum pro: post se, a tergo conspiciunt. Vid. Cic. Tusc. V, 2, 6. Div. I, 24, 49. Ter. Phorm. V, 6, 23. Liv. XXI, 22, 7. XXX, 20, 7. cett. — *in nimbo*. Exspectaveris simplicem Ablativum; sed vide III, 587. — *atram favillam*, fumum cum cinere permixtum. Cf. III, 573. Auctor vero Progr. Leitmer. p. 7., qui quaerit: „*Oder traut Vergil den Troianern ein so scharfes Gesicht zu, dass sie aus der Ferne im schwarzen Rauche noch schwarze Aschenflocken unterscheiden sollen?*“ coni. *atro nimbo*, quod sane fortasse rectius scripsisset poeta, ut per *nimbum* fumi nubes, per *favillam* cinis adhuc gliscens intelligeretur. — **667**. *Primus et Ascanius*. Cf. de hoc usu Copulae adnott. ad Aen. I, 726. 803. et III, 263. — *cursus ut -- ducebat, sic* etc., ideoque sicut erat, statim ex ipso ludo, nec vestitu nec equo mutato. Cf. etiam supra v. 388. 622. VII, 72. 668. etc. — **668**. *equo* magis cum *acer* coniungendum videtur, ut Geo. III, 8., quam cum *petivit*. — **669**. *castra*, scil. nautica, classem. Vid. ad III, 519. — *magistri*, custodes. Vid. v. 546. et 562. et cf. Ter. Phorm. I, 11, 21. *Me filiis relinquunt quasi magistrum* iam a Servio comparatum. — *exanimes*, quamquam tam celeriter eum sequuntur, ut exanimentur, deficiant. — „Ascanio autem, *Heynio* iudice, egregie aliquae partes hac in re tribuuntur, cum ex personae dignitate, tum ex aetatis alacritate, tum sagaciter respectu Iuliae gentis.“ — **670**. *Quis furor*, vid. supra v. 659. Et sane tantus est mulierum furor, ut ne Ascanium quidem agnoscant, quamvis ipse clamet: *En ego vester Ascanius!* et galea deposita vultum apertum ostendat; nam infra demum v. 679. *mutatae suos agnoscunt*. (Adsentitur mihi Conington.) De Pron. *quis* vid. ad VI, 561. — *novus*, quem antea numquam in vobis animadvertimus, ideoque inopinatus et mirus. — *quo tenditis?* quid vultis? quo consilio hoc facitis? nostrum: *wo wollt ihr hinaus?* ut in Anth. Lat. I, 147, 4. *quo tenditis, inquit, Caelicolae magni?* Cf. etiam Calpurn. VI, 89., qui huius loci memor scripsit: *Quid furitis? quae vos insania tendere iussit?* — **671**. *miserae*, quia parum opportuna faciunt. Cf. locus simillimus II, 42. *O miseri, quae tanta insania, cives?* — *civis* gen. femin. legitur etiam Ter. Andr. I, 3, 16. Eun. IV, 7, 35. Cic. Balb. 24, 55. Nep. Them. 1. al. — **672**. *vestras spes uritis*, simul cum navibus; dum naves comburitis spes vestras praeciditis, nam sine illis Italiam, ubi fata sedes nobis destinaverunt, contingere non possumus. Vid. etiam Tibull. I, 2, 100. *Quid messes uris tuas?* et pro-

Ascanius!" galeam ante pedes proiecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Adcelerat simul Aeneas, simul agmina Teucrum.
Ast illae diversa metu per litora passim
Diffugiunt silvasque et sicubi concava furtim
Saxa petunt; piget incepti lucisque suosque
Mutatae agnoscunt excussaque pectore Iuno est.

---

verbium illud *vineta sua caedere* apud Hor. Ep. II, 1, 220. Ad sententiam cf. Ovid. Met. XIII, 94. *puppes, spem vestri reditus.* — *En ego.* De Interiectione *en* cum Pronomm. coniuncta vid. Hand. Turs. II. p. 368. Sic *en ego* etiam infra VII, 452., ap. Ovid. ex P. II, 3, 25. et Plin. XXI, 3, 9. — **673.** *galeam ante pedes proiecit*, ut a mulieribus agnosceretur. Cf. Hirt. B. Afr. 16. *Tum miles: Iam me, qui sim, intelliges. Simul cassidem de capite deiecit, ut cognosci ab eo posset.* — *inanem.* Prius putabam, non sine iusta causa Peerlk. haerere in hoc epitheto, quod ridiculum vocat, cum coniunctum sit cum cogitatione galeae plenae Ascaniusque galeam cum capite proiicere non posset, et cuius loco coniicit *aënam*, apud Ovid. Fast. IV, 209. (*galeas pars tulit inanes*) aliam rem esse existimans, ubi *galeae inanes* commemorentur ad maiorem vim sonitus indicandam (quod etiam valet de loco Geo. I, 496., quem Conington comparat contra Henr. et memet ipsum disputans nostramque explicationem verbis „*a forced sense*" obtrudere iudicans); quare ipse suspicabar, *inanem* (i. e. *inanē*) fortasse ortum esse ex *inani*, ut legamus *proiecit, inani Qua ludo*, et *inanem ludum* vero bello oppositum habeamus; nunc vero Henry mihi persuasit, eundem sensum, quem hac coniectura efficere vellem, inesse etiam Codd. lectioni, cum *inanis galea* nihil aliud sit, quam galea, quae ludo modo, non bello inservierit, quamque Ascanius proiiciat, ut se non hostem esse cognoscant. Comparat autem Vir doct. Stat. Theb. I, 482. et VI, 722., ubi *leo, tigris inanis* est mera pellis leonis, tigris, non leo, tigris ipsa, quae propterea metum incutere non possit. Sic etiam prius Wagn. in min. edit.: „tegumentum capitis in speciem galeae formatum ludo aptum, non veram galeam, qua ictus telorum sustineas," et Ladew.: „*ein Turnierhelm, ein Helm für Spiele.*" Paulo aliter autem, quamquam in summa rei sibi constans, Henry in Philol. XIII. p. 640. explicat: „*ein harmloser, nicht länger furchtbarer Helm,*" et provocat praeterea ad locos Geo. I, 496. IV, 400. Aen. IV, 210. 449. VI, 269. 886. Gossravio denique *inanis* galea nihil aliud est, quam capiti exuta, ut ap. Ovid. l. l., contra autem ap. Silium X, 146. *galea plena* i. q. capiti imposita et ap. Claud. R. Pros. III, 218. *galeam implere* i. q. capiti imponere, eamque explicationem etiam Wagn. in recentiss. edit. amplexus est. — **674.** *ludo*, ut supra v. 593. — *belli simulacra ciebat.* Vid. supra ad v. 585. — **675.** *adcelerare* intransitive dictum (*sich beeilen*) legitur etiam infra VI, 630. Cic. Cat. II, 4, 6. Liv. III, 27, 8. XXIII, 28, 3. XXVII, 28, 15. Nep. Att. 22, 1. alibi. — *simul - - simul.* Vid. adnott. ad Aen. I, 513. — **676.** *diversa per litora*, per diversas litoris partes. — **677.** *concava saxa*, antra, speluncas. Vid. etiam Geo. IV, 49. Commata post *silvasque* et *saxa* vulgo posita, Peerlkampio suasore, sustulimus, cum verba sic iungenda sint: furtim petunt saxa, sicubi sunt saxa concava. — **678.** *piget incepti* pro taedet, vel potius poenitet. Vid. infra VII, 233. Ter. Phorm. III, 3, 21. *Ne quid faxit, quod nos post pigeat.* Id. Heaut. Prol. 18. *factum esse id non negat, neque se id pigere.* Iustin. XII, 6, 5. *pigere eum facti coepit.* — *lucis*, vitae. Vid. ad IV, 31. et cf. supra IV, 451. *taedet caeli convexa tueri.* — **679.** *mutatae*, scil. mentem, ut apud Claud. in Eutrop. II, 518. *Mutati stupuere diu sensuque reducto Paulatim proprii mirantur monstra furoris*, qui haud dubie hunc locum ante oculos habuit. — „*excussa pectore Iuno*, furor a Iunone iniectus; ut deus pectore accipi dicitur." Heyn. Wagn. conferri iubet Silium VII, 496. *Fabium Exuerat mente* et VIII, 33. *Exoute sollicito Fabium*, Thielius autem Graec. ἐκπλήσ-

Sed non idcirco flammae atque incendia viris
Indomitas posuere; udo sub robore vivit
Stuppa vomens tardum fumum lentusque carinas
Est vapor et toto descendit corpore pestis,
Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.
Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem
Auxilioque vocare deos et tendere palmas:
„Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Troianos, si quid pietas antiqua labores

σειν φρένα (Il. XIII, 394.), Lucan. IV, 535. Plin. Ep. I, 18. Heins. et Drak. ad Sil. II, 295. (immo 592.) *Tum vero excussae mentes.* Adde ante omnes ipsum Vergilium infra VI, 79. Stat. Theb. III, 93. II, 250. et Interpp. ad Sil. III, 697. — **680**. *vires Indomitas posuere.* Vid. ad I, 302. — Ribbeck. recepit Pal. a m. pr. lectionem *flamma* (a m. sec. enim *flammas* exhibet, ut Med. et Gud. a m. pr.) — **681**. „*udo sub robore*, sub materia desuper aquis iniectis irrigata, *vivit*, durat, ignem alit, *stuppa*, στύππη, qua coassatorum tignorum iuncturae stipatae sunt.“ *Heyn.* Quod attinet ad voc. *vivit* Wagn. confert Ovid. Fast. III, 428. *ignes vivite exstincti*, et *stuppam* Serv. explicat collato Varronis loco apud Gellium XVII, 3. *Liburni plerasque naves loris suebant, Graeci magis cannabo et stuppa.* *Stuppam* autem rectius scribi, quam *stupam*, docet Schneid. Gr. Lat. I. p. 427. Cf. etiam Oudend. ad Suet. Ner. 38. et Baumg. Crus. Clav. Sueton. p. 740. Et sic Med. hic non minus, quam ubicunque Adiect. *stuppeus* legitur. (Geo. I, 309. Aen. II, 236. VIII, 694.) — **682**. „*tardum*, quod densior est aqua vicina.“ *Gossr.* — **683**. *Est*, comedit, consumit (vid. ad IV, 66.), *vapor*, i. e. incendium, effectu pro causa posito, ita tamen ut magis ignis gliscens, quam ardens flamma significetur, ut ap. Ovid. Met. II, 811. (herbae) *leni vapore cremantur* et alibi. (Cf. etiam Lucr. I, 492. *vapore ferventi saxa dissiliunt.* Ovid. Met. III, 152. [Phoebus] *findit vaporibus arva* et similes locos.) — *toto corpore*, sc. navium (nos: *der Rumpf des Schiffes*). — *pestis*, de incendio ut infra v. 699. et IX, 540. itemque ap. Silium XIV, 304. Ex hoc loco in Anth. Lat. I, 178, 421. petuntur verba *descendere corpore pestis Incipit.* — **684**. *heroum*, virorum robustorum. Peerlk., temere in hoc vocabulo haerens, vel *vires humanae* vel *vires Teucrorum* legendum esse putat, Gentius autem Annot. crit. p. 24. *Troum vires.* — *flumina*, ut II, 686. *fontes.* Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 178, 428. voce *heroum* in *herbarum* mutata. — **685** sqq. Non navium iacturam per se tam aegre fert Aeneas, sed spem navigationis sibi ereptam. Cf. supra v. 672. Ascanii verba: *Vestras spes uritis.* — *abscindere vestem* signum est desperationis. Cf. XII, 609. Med. *exscindere*, quod merito improbat Huschk. ad Tibull. I, 10, 61., Rom. autem *abscidere.* Ceterum cf. Geo. II, 23. (ibique adnott.) et Aen. IV, 590. — **686**. *Auxilio vocare* pro usitatiore *vocare in auxilium.* Sic *auxilio venire* ap. Nep. Thras. 3., *auxilio mittere* ap. eundem Timol. 1. etc. — **687**. *si nondum exosus* es, i. e. odisti. Nam antiquiores dixerunt et *odi* et *osus sum*, unde *exosus*, qui odit. Cf. Aen. XII, 517. 818. Silius VI, 102. *si culmina nondum Tarpeia exosus damnasti sceptra Quirini* etc. Rarius apud solutae orationis scriptores haec forma invenitur, velut ap. Curt. VIII, 7, 12. et Flor. IV, 11. Passive ea utuntur Eutrop. VII, 23. *Ob scelera universis exosus esse coepit*, et Gellius II, 18. *nos omnes diis exosos esse.* Cf. etiam Drak. ad Liv. III, 34, 8. De omisso Verbo subst. vid. adnott. ad Aen. I, 237. et II, 25. Et hic quidem recte omitti poterat, cum praecedat Vocativus. Ribbeck scribit *exosu's.* Cf. adnott. ad I, 237. — *ad unum Troianos* pro usitatiore *omnes ad unum*, i. e. nullo excepto. Alia exempla vocis *omnes* in hac formula omissae sunt Cic. ad Fam. X, 16. ad Qu. Fr. III, 5, 2. Liv. Epit. II. extr. Hirt. B. Afr. 70, 3. Ammian. Marc. XIV, 7. et Curt. VII, 5, 32 Cf. Meyer. de partt. Latt. p. 24. Ochsner. ad Ecl. Cic. p. 258. et Hand. Turs. I. p. 104. — **288**. *si quid*, εἴ τι, *wenn irgend noch.* Cf. Hor. Ep. I, 18, 67. — „*pietas* h. l.

Respicit humanos, da flammam evadere classi
Nunc, pater, et tenuis Teucrum res eripe leto;
Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte tuaque hic obrue dextra."
Vix haec ediderat, cum effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum et campi; ruit aethere toto
Turbidus imber aqua densisque nigerrimus austris;
Inplenturque super puppes; semiusta madescunt

---

miseratio, qua miserias humanas numen respicit." *Heyn.* Cf. supra locus simillimus II, 536. itemque IV, 382. — **689.** *antiqua* Thiel. recte interpretatur „spectata adhuc probataque semper." Verba *si quid pietas - - Respicit humanos* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 4. Verba *da flammam evadere classi* sic construe: da classi evadere flammam, et cf. I, 66. 79. 319. ibique adnott. *Evadere* autem cum quarto Casu constructum legitur etiam IX, 560. Phaedr. IV, 5, 4. Suet. Caes. 74. alibi. Vid. Drak. ad Sil. Ital. XVI, 522. — **690.** *res eripe leto*, interitu. Sic Liv. XII, 53. extr. *tum me Iupiter O. M., domum, familiam, remque meam pessimo leto afficiat.* — **691.** *quod superest.* Vid. infra. — *morti demitte.* Vid. ad Aen. II, 85. Iahn. tamen ad Geo. II, 8. p. 404. ed. II. etiam hic, ut Aen. II, 398., *dimitte*, quod Med. et alii Codd. exhibent, defendit. — **692.** Wakef. male recepit unius Cod. Vratisl. lectionem *tua meque obrue dextra*, ne obiectum deesset, et ipse eadem de causa coni. *me mitte tuaque.* — *quod superest.* Iahn. cumque eo Conington Aeneam his verbis non sibi soli, sed omnibus (omni, *quod superest*) exitum apprecari censet; similique ratione Thiel. et Süpfl. verba *quod superest* sic interpretantur: omnes nos, quidquid Troianorum hic superest, alii vero (ut Ladew. et nunc etiam Wagn.) ad verba *quod superest* supplent Gen. *classis*, eaque ratio nunc mihi simplicissima videtur. Prius cum Wagn. et Gossr. verba *quod superest* adverbialiter posita habui (*als Letztes noch, zuletzt noch*, cum nihil aliud restet optandum) et ad *demitte* intellexi *me*, quod ex antecedentibus verbis *Si mereor* facile possit repeti. (Vid. etiam infra ad v. 796.) — *dextra*, qua fulmen iacit: propterea *rubens* dicta ab Hor. Od. I, 2, 2. — **693.** Iupiter Aeneae preces statim exaudit et imbribus demissis exstinguit incendium. (Iupiter pluvius.) — *ediderat*, ut infra v. 799. *edidit* et plenius *placido edidit ore* VII, 194. — *effusis imbribus*, ut Geo. II, 352. et IV, 312. Unus Goth. *effusis nubibus*, quod Peerlkampio elegantius videtur, cum mox sequatur *turbidus imber.* — **694.** „*sine more*, immodice. Satis illustrant viri docti, v. c. Drak. ad Sil. XII, 449. Mihi videtur ita reddidisse poëta obvium illud ap. Homerum aliosque *οὐ κατὰ κόσμον*, h. e. *ἀμέτρως*. At Servius *sine exemplo* interpretatur, quem fere sequuntur alii." *Heyn.* Cf. etiam Bach. ad Ovid. Met. IX, 730. *Sine more*, quod oppositum est formulae *de more*, nihil aliud sibi vult, quam *praeter morem*, contra quam vulgo fieri solet, imprimis ita, ut modum vulgarem excedat. Cf. VII, 377. VIII, 635. Coningtoni est i. q. „sine lege" coll. VI, 852. VII, 204. VIII, 316. Verba *Tempestas sine more furit* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 318. — **695.** *ardua terrarum*, montes. Vid. infra VIII, 221. XI, 513. coll. cum Tac. Ann. II, 9., ubi *ardua castellorum.* Ceterum vid. adnott. ad Geo. I, 393. II, 284. Aen. I, 310. 422. al. Medic., Pal., Gud. a m. pr. et alii Codd. exhibent *trem. Ardua terrarum, et campis ruit* etc.; sed *ardua terrarum* (montes) et *campi* (plani loci) coniuncta totam terram significant. — **696.** *turbidus imber*, ut XII, 686. *Turbidus* autem est a vento ultra citraque coniectus; quo sensu saepe mare turbidum dicitur. Vid. Lucr. V, 998. Ovid. Her. XVIII, 7. Quinct. Inst. XII, 10, 19. cett. Conington potius cogitat de nigritudine imbris ventis effecta coll. VI, 296. et XI, 876. — *densis austris.* Vid. ad Geo. III, 196. et cf. Geo. I, 333. — *nigerrimus* autem, quod, quo densiores sunt pluviae, eo nigriores videntur. Cf. Geo. III, 278. — **697.** *Inplentur* hoc imbre *puppes* (na-

Robora; restinctus donec vapor omnis et omnes
Quattuor amissis servatae a peste carinae.
At pater Aeneas casu concussus acerbo
Nunc huc ingentis, nunc illuc pectore curas
Mutabat versans, Siculisne resideret arvis,
Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit multaque insignem reddidit arte —
Hac responsa dabat, vel quae portenderet ira
Magna deum, vel quae fatorum posceret ordo —

---

ves) *super*, i. e. desuper. Vid. ad Geo. II, 351. Wagn. in min. edit. *super* explicat: „ita ut superfluat aqua;“ quod verbo vix inesse potest. (In recentiss. tamen edit. haec iure omisit.) — **698.** *vapor - - pestis.* Vid. supra ad v. 683. adnott. — **700.** *casu concussus acerbo.* Cf. VI, 475. *casu concussus* (al. *percussus*) *iniquo* ibique adnott. — **701.** Homericum *διάνδιχα μερμήριξε.* — *ingentes curas*, ut Aen. I, 208. et alibi. Peerlk. temere coni. *ingenti - - pectore.* — *curas pectore versans mutabat*, i. e. per vices versabat, nunc hanc, nunc illam volvens animo. Aliter tamen Dietsch. Theol. Verg. p. 28., qui putat, cum Latini dixerint *mutare aliquid ex aliquo* (Plin. H. N. II, 48, 49.), Vergilium pro *ex curis* liberius substituisse *nunc huc nunc illuc versans.* Similes sunt loci I, 657. IV, 285. 630. Rom. et duo Burm. Codd. praebent *motabat*, quam lectionis varietatem iam deprehendimus III, 581. Peerlk., in hoc loco haerens, coniicit *Nutabat*, coll. Ovid. Met. X, 375. Val. Fl. VII, 153. et Stat. VIII, 614. Ceterum cf. adnott. ad locum modo laud. IV, 285 sq. — **702.** *Siculisne - - Italasne* pro *utrum Sic. an Ital.* Vid. ad Aen. I, 308. — **703.** *Oblitus fatorum* i. e. fati decretorum. Cf. v. 656. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 772, 145. — *capesseret* de consilio ac conatu capessendi, occupandi intelligendum. *Italiam capessere* iam legimus IV, 346., ubi vid. adnott. — **704** sqq. „*Nautae* nomen non obscurum inter eos Troianos fuit, a quibus Romanae gentes originem repetebant. Fuit enim Nautica gens, apud quam Palladii cura remanserat, ortum ducens a Naute vel Nautio, qui Minervae Poliadis sacerdos Palladium secum Troia absportasse narrabatur. Res nota ex Dion. Hal. VI, 69. et Servio ad h. l.“ [et ad III, 407.] *Heyn.* — *Pallas Tritonia* (vid. ad II. 171.) hunc *docuit* (scil. artem vaticinandi) *unum*, i. e. unum omnium maxime. Cf. I, 15. II, 426. XII, 143. Cic. Verr. IV, 1, 3. *quae tibi una in amore atque in deliciis fuit* etc. Heyn. conferri iubet Callim. in Lav. Pall. 123 sqq., ubi Pallas eadem ratione Tiresiam docuisse dicitur. — **706.** Vulgaris lectio est *Haec responsa dabat*, quam aut ita explicant, ut *Haec* sit Neutrum Plur. ad ea referendum, quae v. 709. sequantur, verba autem *vel quae - - ordo* quasi per *παρένθεσιν* interposita, post quae per Copulam oratio continuetur et Subiectum sententiae perspicuitatis causa per Pronomen *is* iteretur, quae prius etiam mea fuit sententia, dum Iahn. (coll. Kritz. ad Sall. Cat. 2, 4. et Iug. 14, 8., cui tamen hunc usum Pronominis arctioribus limitibus circumscribendum fuisse docet Dietsch. l. l. coll. Madvig. ad Cic. Fin. III, 4, 12. p. 364.) censebat, *haec* per emphasin dictum ad verba *vel quae* etc., i. e. talia quae, referendum esse, sed simul spectare ad ea, quae v. 709. sequantur; aut ita, ut *Haec* sit Nomin. Sing., scil. Pallas, et v. 706 sq. parenthesin efficiant, quae est Ruhkopfii, Henrici (*Tw. years* V. p. 53 sqq. et Philol. XIII. p. 641. atque nunc etiam Wagneri est opinio in Philol. Suppl. I. p. 406. eam defendentis. Sed haec omnia satis quaesita esse, quisque videt; quare Heynio magis placet unius Cod. Moret. IV. scriptura *Hic resp. d.*, Peerlk. autem coniicit *Et responsa dabat*, et Dietsch. l. l. *Hac* (i. e. ea arte, qua eum unum insignem reddidit Pallas) *responsa dabat*, quam coniecturam, vel potius variam lectionem (nam in Bern. III. a m. pr. re vera sic legitur scriptum) cum Ribbeckio, Ladew. et Benoisto nunc recepi ut simplicissimam difficultatis ex-

Isque his Aenean solatus vocibus infit:
„Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur;
Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.
Est tibi Dardanius divinae stirpis Acestes:
Hunc cape consiliis socium et coniunge volentem;
Huic trade, amissis superant qui navibus et quos
Pertaesum magni incepti rerumque tuarum est;
Longaevosque senes ac fessas aequore matres
Et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est,
Delige et his habeant terris sine moenia fessi;
Urbem appellabunt permisso nomine Acestam.“

---

pediendae rationem. Ceterum *responsum* dare iam legimus Ecl. I, 44. — *ira deum*, incendio classis significata. Sic etiam Aen. III, 215. *ira deum* pro re per iram deorum effecta legimus. „Nautes igitur (ut Dietschii verbis utar) consulentibus et signa, quibus dii iram suam ostendissent, explicabat et quid ad explenda fata faciendum esset, edocebat.“ Ceterum *iram deorum* et *fatum* eadem ratione distinxit Claud. Bell. Get. 171. *seu fata vocabant Seu gravis ira deum.* — **707**. *fatorum ordo.* Cf. III, 376. — *posceret.* Vid. ad IV, 614. — **708**. *Isque*, scil. Nautes. Dietsch. l. l. verissime addit: „Quod post interpositam longiorem parenthesin Subiectum *Nautes* per *isque* repetitur, anacoluthiae genus tale est, in quo nemo merito offendat. Wagn. Quaest. Verg. XXXV, 9.“ — *solatus* pro solans. Vid. ad Geo. I, 206. 293. et alibi adnott. — *his vocibus infit*, ut X, 860. *talibus infit* et ibid. v. 101. simpliciter *Tum pater omnipotens infit*, ut XI, 301. *rex infit ab alto*, XII, 10. *ita turbidus infit*, et Ovid. Met. IV, 476. *ita infit.* Alibi Infinitivus additur. Vid. etiam Aen. XI, 242. *ita farier infit*, Plaut. Marc. II, 1, 15. Asin. II, 2, 76. cett. Praeter poëtas unum Livium non nisi in primis libris (I, 23, 7. 28, 4. III, 71, 6.), quorum oratio ad poëticum dicendi genus accedat, hac voce uti (quae respondeat nostro *anheben*), vere observat Doederl. Synon. III. p. 160. — **709**. *quo fata* (quae nos Italiam petere iubent) *trahunt retrahuntque*, i. e. rursus trahunt, iterum iterumque nos trahunt. Cf. adnott. ad IV, 438. XII, 866. et Iahn. ad Ovid. Trist. I, 7, 6. Verba *quo fata trahunt retrahuntque sequamur* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 61. Ceterum cf. similes loci supra v. 22 sq. et II, 387. — **710**. *Quidquid erit*, quodcunque accidet, quemcunque eventum hoc portentum habebit, ut II, 77. *fuerit quodcumque.* — *omnis fortuna*, quaevis vitae conditio, in quam fata sequentes perveniemus. — *ferendo est.* Sic optimi libri, quos sequor cum Wagn. et Peerlk. Vind. n. 182., probante Dietschio Th. Verg. p. 28. et sequentibus editt. Aliquot Codd. deterioris notae omittunt verbum auxiliare, quod paulo subtilius defendit Wagn. — **711**. „*divinae stirpis*, nam mater eum ex Crimiso flumine susceperat: vid. supra v. 38 sqq.“ *Heyn.* — **712**. Pro *consiliis* multi Codd. *consilii*, quod non mirandum. Cf. autem infra IX, 199. — *volentem*, ἑκόντα, non invitum, primis precibus commotum. Vid. III, 457. — **713**. „*amissis superant qui navibus* sunt quatuor navium crematarum copiae.“ *Heyn.* *Superare* pro superesse. Vid. ad Ecl. IX, 27. Aen. II, 643. et supra v. 519. Aliter *Wagn.* (et Ladew.): „quibus recipiendis naves post quattuor amissas reliquae non sufficiunt.“ — **714**. *et quos pertaesum est* cett. Vid. ad IV, 18. — **715**. *Longaevos senes*, ut ap. Tibull. I, 8, 50. *veteres senes*, cum quo loco Wagn. etiam Homericum illud *γεραιὲ παλαιγενές* (Il. XVII, 561.) comparat. Non autem merus est pleonasmus, sed summam senectutem indicat. — **716**. *quidquid* de hominibus usurpatum, ut I, 601. *quidquid ubique est Gentis Dardaniae*, ubi vide adnott. — *metuens pericli* legimus etiam in Anth. Lat. I, 178, 370. — **717**. Peerlk., temere haerens in verbo *fessi* post *fessas matres* v. 715. (cf. adnott. ad Ecl. VI, 16. et al.), malit poëtam scripsisse *lassi*. Ceterum cf. supra v. 615. — **718**. Ad verba *permisso nomine* Serv. male intelligit *ab Acesta*, fortasse commotus verbo *volentem* v. 712.; subintelligendum

Talibus incensus dictis senioris amici
Tum vero in curas animo diducitur omnis.
Et Nox atra polum bigis subvecta tenebat:
Visa dehinc caelo facies delapsa parentis
Anchisae subito talis effundere voces:
„Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,

---

potius *ab Aenea;* Aeneas magnum illum, qui videbatur antiquitati, honorem κτίστου cessit Acestae, permisit, ut Acestes novam urbem de suo nomine appellaret. Cf. etiam Lactant. Inst. I, 22. Consentiunt mecum ceteri recentiores editores, dum Henry in Philol. XIII. p. 642. cum Servio facit. — *Acesta* autem, nota illa urbs Siciliae, quae a Diodoro XIII, 6. XIV, 49. et Strab. VI. in. *Aegesta,* a Thucyd. VI, 2. *Egesta,* a Ptol. III, 4, 15. et Romanis (velut a Cic. Verr. IV, 33. in.) *Segesta* vocatur, cuiusque reliquiae in arduo monte ad rivum, qui in flumen S. Bartholomaei effunditur, inveniuntur. (Cf. liber meus geogr. III. p. 802 sq.) — **719**. Vulgo post *amici* Punctum ponitur, quod cum Wagn. in Comma mutavi, Colo, quo vulgo post *omnis* distinguitur, Punctum substituens. [Nunc vero quam parcissime distinguens etiam Comma omisi.] *Incensus* enim est Participium ita cum Partt. *tum vero* coniunctum, ut eae sensum illius repetentes respondeant nostro *nun vollends;* et hic locus arcte cohaeret cum v. 701 sq. Cf. Liv. II, 29. *Quo repulso tum vero* etc. et Sall. Cat. 61, 1. *Confecto proelio tum vero cerneres* cum iis, quae ad Aen. II, 105. et supra ad v. 659., atque de Part. *deinde* ad Aen. II, 391. adnotavimus. Idem iam Gliemannum in Iahnii Novis Annal. phil. et paed. Vol. III. fasc. I. p. 87. suadere, Wagn. memorat. — Cum v. **720**. Heyn. conferri iubet supra v. 701 sq. — Pro vulg. *animum* (quod, ab Heinsio ex pluribus Codd., Probo Gramm. I, 11, 1. et Servio restitutum, defenditur Aen. I, 579. *animum arrecti,* IV, 395. *animum labefactus,* infra v. 869. *animum concussus* et similibus locis) Med., Pal., Rom. et a m. pr. Gud. atque Bern. II. III. praebent *animo,* quod coll. VIII, 370. *animo exterrita* (cui addi poterat X, 680.) Wagn. fortasse praeferendum censet et Iahn. in ipsum contextum recepit, laudata Kreyssigii Comment. de Sall. histor. l. III. fragm. 209., eumque nunc cum Ribbeckio et omnibus recentioribus editoribus praeter Hauptium et Bryceum, etiam Wagn. ipso in edit. min., secuti sumus. In Anth. Lat. III, 81, 64. legitur *animos.* Cum ipsa sententia cf. IV, 285. — „De v. **721**. cf. supra II, 8, 9. Poëtis Nox iter per coelum faciens inde ab Occidente media nocte culmen coeli tenet, ut Sol medio die: prona inde versus Orientem delata; ubi orto sole ipsa evanescit in Oceanum.“ *Heyn.* De Nocte bigis vecta locus imprimis memorabilis est in Orph. hymn. 2. Cf. etiam Theocr. II, 166. Eur. Ion. 1150. Orest. 177. Tibull. II, 1, 87. et Val. Fl. III, 211.; idem tamen Tibull. (vel potius Lygdamus) III, 4, 17. de quadrigis eius loquitur. Homerus et Hesiodus de curru Noctis nihil memoriae prodiderunt. — Ceterum de Part. *Et* hanc sententiam incipiente vid. ad II, 781. — *polus,* nisi omnino pro caelo positus est (vid. ad I, 90.), utique mediam noctem hic indicat. Thiel. laudat Bach. *Geist d. Röm. Eleg.* p. 87. — Punctum vulgo post *tenebat* positum cum Wagn. in Colon mutavimus, cum inter v. 721. et 722. protasis et apodoseos ratio intercedat. Vid. Wagn. Qu. Verg. XXXV, 8., qui cum h. l. comparat simillimum X, 256 sqq. — **722**. *dehinc.* Vid. ad I, 131. — *facies,* in quandam Anchisae similitudinem efficta, εἴδωλον, simulacrum. Cf. II, 622. — „*caelo delapsa,* dictum ad sensum nostrum de iis, quae subito apparent, nam ipse Anchises in Elysio agebat; ut ipse profitetur v. 733 sq. [Non male tamen Servius hunc locum fortasse ita capiendum esse ait, „ut intelligamus a Iove missam potestatem aliquam, quae se in Anchisae converteret vultum, cum ipse dicat: *Iovis imperio huc venio.*“ Eamque sententiam recte sequuntur Ladew., Conington et Benoist.] Quod autem non nisi Anchisae auctoritate inclinatur ad Nautae suasionem amplectendam Aeneas, id toti consilio condendae coloniae Troianae auctoritatem et dignitatem maximam conciliat.“ *Heyn.* — **723**. *effundere voces.* Vid. supra ad v. 482. — Versum **724**. e Catullo LXII (LXIV), 215. (*Nate, mihi longa*

Care magis, nate, Iliacis exercite fatis,
Imperio Iovis huc venio, qui classibus ignem
Depulit et caelo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quae nunc pulcherrima Nautes
Dat senior: lectos iuvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. Gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante
Infernas accede domos et Averna per alta
Congressus pete, nate, meos. Non me impia namque
Tartara habent tristes umbrae, sed amoena piorum

---

iucundior unice vita) petitum esse, memorat Conington. Verba *dum vita manebat* redeunt VI, 608. et 661. atque leguntur etiam in Anth. Lat. IV, 183, 7. et in Wernsd. P. Lat. min. VI, 531. — **725**. Vid. III, 182., ubi eadem Anchisae verba leguntur. — **726**. *Imperio Iovis huc venio.* Cf. IV, 268. Heyn. praeterea confert Hom. Il. II, 27. XXIV, 173. *Διὸς δέ τοι ἄγγελός εἰμι.* — *qui ignem depulit.* Ignem a Iove depulsum memorat, quo maior mandato auctoritas accedat, cum is deus praecipiat, qui modo tam luculentum benevolentiae in Troianos dederat documentum; quod recte observat Gossr. De verbo *depellendi* cum tertio Casu constructo cf. simillimos locos IX, 78. et 109., praeterque eos Ovid. Her. XIV, 130. Val. Fl. VI, 652. Ruddim. II. p. 150. et adnott. ad Ecl. VII, 47. et Geo. III, 155. — **728**. *pulcherrima*, sapientissima. Cf. Ter. Eun. II, 3, 84. et III, 1, 26., ubi *pulchre dicere* legimus. Conington comparat supra III, 546. *Praeceptis Heleni, dederat quae maxuma.* — **729**. *iuvenes, fortissima corda*, ut II, 348. *iuvenes, fortissima pectora*, ubi vid. adnott. Cf. etiam I, 303. V, 138. Geo. I, 123. 330. III, 106. cett. — **730**. „*gens dura.* Vid. infra IX, 603 sqq. — *aspera cultu*, quae cultu aspero, h. e. vita aspera, fera utitur. Sic ap. Hor. Od. I, 10, 2. *feri cultus hominum recentum* dicti sunt, ubi cf. Mitscherl.“ *Heyn.* A rebus, quarum superficies est iniqua, scabra, non levigata (vid. supra ad v. 267.), ad homines rudiores transfertur hoc epitheton. Cf. etiam adnott. ad I, 14. Ladew. comparat Liv. XLV, 30, 7. *frigida haec omnis duraque cultu et aspera plaga est.* Wagn. voc. *dura* naturae, *aspera* c. morum esse memorat. — **731** sqq. Huius ad inferos aditus prima semina iam III, 441 sqq. in Heleni vaticinio iacta esse, memorat Heyn.; causam autem huius rei per se non necessariae, cum pater etiam hoc ipso somnio filium omnia illa in Elysio exponenda docere et monere posset, Wagn. recte invenit in imitatione, cum *νεκυομαντεία*, quae in praestantissimis Odysseae partibus habeatur, poëtae ad ornandum carmen imprimis apta videri debuerit. — Pro *Latio est* unus Ribbeck. ex uno Pal. edidit *est Latio;* in Proleg. tamen p. 294. scribit: „Sed num *tibist* Vergilius hic scripserit, post ea, quae Lachm. ad Lucr. p. 198 sq. observavit, dubium est.“ — *Dis*, i. e. *dives*, vocatur *ὁ Πλούτων* (quod Graecum nomen et ipsum a *πλούτῳ* deducendum), quia ei *omnis terrena vis atque natura dedicata est omniaque et recidant in terras et oriantur e terris*, quae sunt verba Ciceronis de N. D. II, 26, 66. — **732**. *Averna per alta*, i. e. proprie per lacum Avernum (de quo vid. ad III, 386. et 442.); hic tamen antrum in valle ad Avernum sita intelligendum esse, per quod aditus ad inferos factus fuerit, memorat Heyn. — **733**. Quod attinet ad Part. *namque* postpositam cf. Ecl. I, 14. III, 33. Geo. IV, 221. 392. Aen. VI, 72. 117. 861. VIII, 497. X, 401. 614. 815. omninoque adnott. ad Ecl. IV, 63. — **734**. Cum omnes fere Codd. (Pal., Rom., Gud. etc., etiam Med. et Bern. a m. pr.) exhibeant *tristes umbrae*, hanc lectionem iam Heinsio et Heynio probatam nunc cum Bryceo, Ribbeckio et Benoisto restitui; ceterae enim scripturae *tristesve* (quam Haupt., Ladew. et Conington cum Wagn. receperunt) et *tristesque* (quam ego prius cum Iahnio et Bothio amplexus eram) ortae videntur a librariis, quibus, ut Wagnero Qu. Verg. XXXVI, 11., vulgaris appositio, *Tartara, tristes umbrae,* languida videbatur, imprimis cum sequantur verba *amoena*

Concilia Elysiumque colo. Huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum et, quae dentur moenia, disces.
Iamque vale; torquet medios Nox humida cursus
Et me saevus equis Oriens adflavit anhelis.“
Dixerat et tenuis fugit, ceu fumus, in auras.
Aeneas „Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te nostris conplexibus arcet?“
Haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignis
Pergameumque Larem et canae penetralia Vestae

---

piorum Concilia Elysiumque. Quamquam *tristia* vocantur omnia, quae ad inferos pertinent (vid. IV, 243. VI, 534. 695. cett.), hic tamen *tristes umbrae*, cum *amoenis piorum conciliis* opponantur, strictiore sensu de sceleratorum Manibus intelligendae, qui Tartarum incolunt. Wagn. tamen et Ladew. varios locos significari censent et verbis *tristesve umbrae* indicari locum heroibus bello occisorum assignatum, tristem ac sole carentem, ut appelletur Deiphobo VI, 534. et 545. De forma *Tartara* vid. ad Geo. I, 36. — Epitheton *amoenus*, de quo cf. Kritz. ad Sall. Cat. 11, 5. et Doederl. *Lat. Synon.* III. p. 35 sqq., magis ad locum, ubi sunt concilia, quam ad haec ipsa referendum. — **735.** De *Sibylla* vid. infra VI, 10. *casta* dicitur, quia omnino ab amore erat aliena, imprimis autem propter fabulam ab Ovidio Met. XIV, 130 sqq. narratam. — **736.** Cf. VI, 153. 243 sqq. — *sanguine* est Ablativus instrumenti: sanguine victimarum Orci aditum tibi aperiet. — *multo* autem *pecudum sanguine* pro multarum pecudum sanguine. Infra VI, 243. *quattuor iuvenci* mactantur. — *nigrarum pecudum.* Vid. adnott. ad v. 97. huius libri. - **737.** Vid. VI, 756 sqq. — *quae dentur moenia.* Cf. III, 85. et 255. — **738.** „Nox ad altissimum mediumque coeli culmen evecta iam declivi via fertur. Cf. v. 721.“ *Heyn.* Ceterum haec ita cohaerent: *iamque vale;* nam *torquet* cett., i. e. diutius hic manere mihi non licet; quare Wagn. recte post *vale* Colon posuit pro Puncto. Vid. Qu. Verg. XXIV, 1. — „De v. **739.** vid. ad Geo. I, 250. Sentit umbra primos Solis orientis accessus, diluculo adveniente. Umbras autem ac Manes lucem ac diem non ferre, omnium barbarorum superstitiosa opinione receptum est. Re itaque ad Solis cursum et equos revocata, sentit umbra Solis equos appropinquantes et iam sibi imminentes afflare se.“ *Heyn.* Gossr. comparat nostri poetae verba „*ich wittre Morgenluft.*“ — *Oriens* pro sole oriente. Vid. ad Geo. I, 250., ubi fere totum hunc versum iam legimus. — *saevus* ex causa modo indicata, quia Anchisae umbram ad inferos redire cogit et invitam a filio separat. — *equis adflavit anhelis.* Vid. Geo. I, 250. ibique adnott. — **740.** *tenuis* non est Nominativus, sed Accus. Plur. cum *auras* coniungendus. Cf. supra II, 791. et Geo. IV, 499. — *ceu fumus.* Vid. Aen. II, 794. ibique adnott. Iteratur hic versus prima voce excepta in Anth. Lat. I, 172, 33. — **741.** Cf. similis locus Hom. Od. XI, 210. — *deinde*, „post brevem hunc sermonem, antequam amplexum tuum petere potui.“ *Wagn.* Cf. adnott. ad III, 609. Serv. etiam hic verba male sic coniungit: *Aeneas deinde, Quo ruis? inquit.* — *quo proripis*, scil. te, quod alibi semper additur, hic autem ex analogia aliorum verborum, quae motum aliquem significant, omittitur. Cf. adnott. ad I, 234. et al. — **742.** *Quem fugis?* Vid. ad VI, 466. (et Ecl. II, 60.). Ceterum cum hoc loco cf. VI, 698. — **743.** *sopitos suscitat ignis.* Cf. VIII, 410. 541. Ovid. Met. VIII, 641. *Inde foco tepidum cinerem dimovit et ignes Suscitat hesternos*, et Stat. Theb. I, 512. *Sopitum cinerem - - Servabant* etc. Thiel. conferri iubet Phrynich. ap. Athen. XV. p. 700. et Polluc. Onom. VII, 178. — **744.** Per *Larem Pergameum* alii ipsam Anchisae umbram intelligunt, cum patrum animae pro Laribus habitae sint, alii Vestam; Heyn. autem, qui conferri iubet III, 148 sq. 176 sq. et II, 293 sq., de Penatibus accipit, quos saepe cum Laribus confundi constet. In simillimis tamen locis VIII, 542 sqq.

Farre pio et plena supplex veneratur acerra.
  Extemplo socios primumque arcessit Acesten
Et Iovis imperium et cari praecepta parentis
Edocet et quae nunc animo sententia constet.
Haud mora consiliis, nec iussa recusat Acestes.
Transcribunt urbi matres populumque volentem
Deponunt, animos nil magnae laudis egentis.

---

et IX, 258 sqq. Larem et Penates coniunctos videmus. — „*penetralia Vestae* pro Vesta dixit, quae intima aedium parte velata et ab hominum adspectu intacta servabatur. — *cana*, vel propter antiquam religionem, ut I, 292. [ubi vid. adnott.] *cana Fides*, vel quod e senioribus diis, qui iam ante Iovis pueri regnum coelum tenuerunt, una est.“ *Heyn*. Prior ratio praeferenda videtur. — **745**. *Farre pio*, mola salsa, de qua vid. ad Ecl. VIII, 82. Cf. Hor. Od. III, 23. extr. *Mollivit aversos Penates Farre pio et saliente mica*, Tibull. III, 4, 10. *Farre pio placant et saliente sale*, ibique Broukh. et Bach., Plaut. Amph. 740. (II, 2, 108.) *Aut mola salsa hodie aut ture conprecatam oportuit* etc. — *plena acerra*, i. e. ture; nam acerra est arca turalis, quae poëtis haud raro pro ipso ture ponitur. Cf. Hor. Od. III, 8, 2. Ovid. Met. VIII, 266. Fast. IV, 934. cett. et Brison. de form. I, 38. — **746** sqq. „Exsequitur meditata Aeneas, arcessito Acesta: conditur nova urbs in Sicilia et paratur discessus.“ *Heyn*. Cf. simillimus locus III, 58. — *primum*. Vid. III, 437. — *arcessit*. Plures Codd., inter quos etiam Med. (hic et VI, 119., alibi tamen, Geo. IV, 224. et Aen. X, 11., alteram formam exhibens) Rom., Gud. a m. sec. Bern. II. et III. et editt. ante Heins. in lucem emissae *accersit*, quam scripturam utpote labenti modo Latinitati condonandam Wagn. reiecit. Et haec sane vulgaris est opinio. Ex recentioribus cf. imprimis Herzog. ad Caes. B. G. I, 31. Fea ad Hor. Ep. I, 5, 7. et II, 1, 168. Bach. ad Tibull. I, 10, 33. Orell. ad Cic. Off. II, 15, 52. Obbar. in Seebodii Bibl. crit. 1828. ch. 15. p. 114. Steuber. ibid. 1830. I. p. 218. Ramsh. in Iahnii Annall. Indice lit. ad Vol. V. fasc. IV. p. 2. et Vol. IV. p. 39. alii. Nuper tamen forma *accersere* patronos nacta est Schneiderum Gr. Lat. I, 1. p. 257. Zumptium in Iahnii Annall. a. 1827. II, 3. Append. p. 3. Kritzium ad Sall. Cat. 40, 6. Doederl. Synon. III. p. 281 sq. Stürenburg. in Progr. anno 1839. edito (cf. *Zeitschr. f. d. Alterth.-Wiss.* 1840. fasc. 8. n. 97. p. 799.) alios, quibus ego adstipulatus sum in libello: *Aufg. z. Bild. d. lat. Stils* XLVII, 39. p. 145. ed. VI. Neutra enim scribendi ratio ab aurea aetate aliena et tota res a Codd. auctoritate pendere videtur, quae sane formae *arcessere* magis favet, quam alteri. De discrimine tamen significationis, quod Thielius (laudans etiam Wissovae Lectt. Tacitt. Spec. II. p. 11 sqq. et Struv. de decl. et coni. p. 215.) cum aliis suspicatur, non puto cogitandum esse. Ceterum cf. etiam Wagn. Orth. Verg. p. 417. et Ribbeck. Proleg. p. 388. — **748**. *constat sententia* pro vulg. *stat sententia, stat mihi*: vid. ad II, 750. Sic *mens constat* Liv. VIII, 19, 6., *mihi constat* Cic. Phil. XIII, 19, 42. et alibi. Mor. I. *surgat*, quod ex I, 582. vel IX, 191. huc translatum videtur. Vulgarem lectionem Wagn. iure aptissimam censet Particulae *nunc*, i. e. postquam diu dubius haeserat. — **748**. *Haud mora consiliis*; non diu deliberant, utrum consilia sequenda sint. Cf. supra v. 639. — **750**. „*Transcribunt urbi matres*. Qui deducendi, ex vetere in novam civitatem transscribuntur. Iidem *in coloniam adscribi* dicti sunt.“ *Heyn*. Cf. etiam Val. Max. II, 7, 9. *turmas equitum in funditorum alas transcripsit*. ib. II, 7, 15. *pedites in funditorum auxilia transcribere*. Quod ad Dativum adiectum attinet, cf. infra VII, 422. Tib. I, 1, 5. *me mea paupertas vitae traducat inerti*, Ter. Hec. I, 2, 94. *huic transtulit amorem*, Stat. Theb. V, 633. *onus illaetabile matris Transfundam gremio* et plures similes locos. Ceterum hic versus in Anth. Lat. II, 192, 49. sic mutatus legitur: *Transcribit matres urbi populumque volentem*. — **751**. „*Deponunt* [*sie setzen ab*], ut inutile onus [recte autem Servius: „quasi de navibus,“ quod etiam Conington probat

40*

Ipsi transtra novant flammisque ambesa reponunt
Robora navigiis, aptant remosque rudentisque,
Exigui numero, sed bello vivida virtus.
Interea Aeneas urbem designat aratro
Sortiturque domos; hoc Ilium et haec loca Troiam
Esse iubet. Gaudet regno Troianus Acestes
Indicitque forum et patribus dat iura vocatis.

---

coll. Hirt. B. Alex. I, 34.]. — *animos nil m. laudis egentes,* non desiderantes aut appetentes, non gloriae cupidos, sed ingloria et obscura vita, modo aerumnarum et laborum experte, contentos.“ *Heyn.* Cf. etiam infra XI, 27. Anth. Lat. I, 170, 36. et III, 81, 76. *nil magnae laudis egentes Deponunt animos* et Burmann. ad Val. Fl. I, 77. Contra *arrecta* et *immensa laudum cupido* commemoratur supra v. 138. et infra VI, 823. *Egendi* verbum Vergilius ubique cum Genitivo construit. Cf. Geo. II, 28. Aen. VII, 197. VIII, 299. IX, 88. XI, 343. Quod autem attinet ad voc. *animos* pro ipsis hominibus positum, ut supra v. 729. *corda,* vid. infra VI, 468. *torva tuens animus* et cf. V, 292. Nos eadem ratione utimur nostro *Seelen.* — **752.** *Ipsi,* qui abitum parant, reficiunt classem. — *reponunt,* renovant, reparant, cum integris permutant. Vid. Geo. II, 202. Sil. I, 558. *molem reponunt.* Tac. Ann. I, 63. *ruptos vetustate pontes reponeret,* id. Hist. III, 34. *reposita fora templaque munificentia municipum* cett. Sic etiam Ovid. Fast. II, 63. *templorum repostor.* Quare non opus est Peerlkampii coniectura *Ipsi transtra novant flammis ambesa, reponunt Robora navigiis.* — **753.** *Iahn.,* qui recte post *navigiis* Comma posuit, haec adnotat: „Heins. post *robora* incidit, quod placet Heynio. Sed voc. *navigiis* et ad *reponunt* et ad *aptant* pertinet, et nostram distinctionem Servio probatam praefert etiam Weichert. de vers. hyperm. p. 17.“ Peerlk., Bryce et Benoist. adeo Semicolo post *navigiis* distinguunt, sed minus apte. Ceteri recentiores editores nobiscum faciunt. — *aptant.* Vid. III, 472. et IV, 289. — **754.** *sed bello vivida virtus.* „Vim orationi addit inversio: sed tales, quibus sit ad bellum virtus vivida.“ *Heyn.* Cf. similis locus XI, 338 sq., ubi, ut hic, nihil interest, utrum *bello* Dativum, an Ablativum habeamus. — *Vivida virtus* redit infra XI, 386. Thiel. confert *vividum impetum* ap. Hor. Od. IV, 4, 10. — **755** sqq. Cf. I, 423 sqq. *urbem designat aratro.* De hoc ritu Servio teste, qui eum accurate describit, egit Cato in Originibus haud dubie eodem loco, quem nobis servavit Isidor. Origg. XV, 2, 3. Cf. etiam Varro L. L. IV, 40. (V, 143. Müll.) Plut. Rom. c. 10. id. Quaest. Rom. 24. et Drak. ad Sil. Ital. XIII, 117. Cf. etiam supra I, 425., infra VII, 157. et Ovid. Fast. IV, 819. Conditores autem novae urbis parte vestis caput velati et stivam incurvam tenentes ita aratrum regebant, ut omnes glebae intrinsecus caderent, et ita sulco ducto loca murorum designabant, aratrum suspendentes circa loca portarum. (*Ubi portam vult esse,* inquit Cato l. l., *aratrum sustollat et portet et portam vocet.*) — **756.** „Supra I, 423 sqq. Aeneas sortito distribuit locum aedibus futuris. — *Sortiturque domos.* Cf. supra III, 137. *Iura domosque dabam.* — *hoc Ilium et haec loca Troiam,* non ut hoc nomine appellaverit; sed - - hanc novam coloniam pro Troia et Ilio esse vult, atque ad formam eius describit et partitur. Similis facies urbis ab Heleno in Epiro conditae supra III, 300 sqq.“ *Heyn.* Bene tamen Wagn. observat, *hoc* et *haec* non posse eandem rem significare, ideoque *Ilium* de ipsa urbe, *Troiam* vero de omni regione esse intelligendam, quod firmetur locis III, 302. 350. V, 634. et Strab. XIII. p. 608. C. Idem pro vulg. *sortitus,* quod Burm. ex quinque Codd. Paris. in contextum recepit, recte restituit plurimorum et optimorum Codd. lectionem *sortitur,* quod etiam Peerlk. et posteriores editores omnes probant. — **757.** „*regno,* nova regni sui accessione, nova urbe.“ *Heyn.* — **758.** *indicit forum* non est: locum fori designat; hoc enim Aeneas iam fecerat; sed cum *indicere* verbum sit iuris, *forum* potius de iudiciis intelligendum, quorum exercendorum locus tempusque constituitur; quamquam etiam de concione populi intelligi potest. *Heyn.*

Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae tumuloque sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.
Iamque dies epulata novem gens omnis et aris
Factus honos; placidi straverunt aequora venti
Creber et adspirans rursus vocat Auster in altum.
Exoritur procurva ingens per litora fletus;
Conplexi inter se noctemque diemque morantur.
Ipsae iam matres, ipsi, quibus aspera quondam

---

haec adnotat: „*Forum* cum senatu iunctum haud dubie ad iudicia spectat. Acestes iudicia constituit, rem iudiciariam describit, tum *patribus vocatis*, senatu lecto et convocato, *dat iura*, ad Senatum fert de novis legibus scribendis. Vid. supra I, 426.“ Cf. adnott. ad I, 293. Peerlk. *forum* de concione accipit et seqq. sic interpretatur: „convocat senatum et in senatu ipse dat iura, ius exercet cum senatu.“ Wagn. tamen haec ultima verba rectius interpretatur: „describit muneris officiique senatorii rationem.“ Ceterum cf. Geo. IV, 562. Gossr. bene adnotat, Vergilium, qui senatum aliquoties commemoret, sed ita, ut modo consultandi potestatem ei vindicet (III, 58. VII, 246. XI, 234.), indicare voluisse formam Senatui ab Augusto datam nihil esse nisi renovatam antiquissimorum temporum institutionem. – **759** sqq. Veneris templum nobilissimum in Eryce monte Drepano vicino exstructum (vid. Polyb. I, 55. Dion. Hal. I, 53. Diod. XXIV, 1. Strab. VI. p. 272. Cic. Verr. II, 8. Tac. Ann. IV, 43.) poëta ad Troianos conditores refert. De ipso monte vid. ad Aen. I, 570. — **760**. *Veneri Idaliae*. Vid. ad I, 681. — „Anchisae, tamquam heroi, Flamen cum luco sacro constituitur, *tumulo Anchiseo*, qui consecratus pro fano est, τὸ Ἀγχίσειον; lucus est τὸ τέμενος.“ *Heyn.* — *lucus late sacer*, i. e. lucus amplus et totus sacer. Conington conferri iubet III, 302 sqq., ubi Hectori similis honos habetur. — **762**. *Iamque* etc. Exspectamus in sequentibus *cum placidi* etc. (vid. adnott. ad III, 135.); sed interdum hoc *cum* post *iam*, *iamque* omittitur, ut etiam IX, 459. — *dies novem*. Vid. supra ad v. 64. — **763**. *honos*, sacrificia. Vid. ad I, 49. et IV, 207. — *placidi st. ae. venti*. Vid. ad Ecl. II, 26. IX, 57. et Aen. III, 69. — *straverunt aequora venti*. Vid. adnott. ad Ecl. IX, 57. et Ecl. II, 26. et cf. Anth. Lat. I, 14, 24. *Subsidunt undae, straverunt aequora venti.* -- **764**. „*creber adspirans auster* primitiva vi, increscens. Vid. supra III, 530. Ad totum locum cf. Val. Fl. I, 312 sqq.“ *Heyn.* Wagnero *creber* est validior nec intermissus. De coniunctis vv. *creber adspirans* vid. ad Geo. I, 163. II, 377. Aen. III, 70. al. Ordinem enim verborum hunc esse patet: *Et creber adspirans vocat* etc. — *vocat in altum*. Cf. locus simillimus III, 70. *lenis crepitans vocat Auster in altum*. — **765**. *procurva litora*. Sic Geo. II, 421. *procurva falx*. — **766**. *Conplexi inter se*. Sic Liv. VII, 42, 6. *complecti inter se lacrimantes milites coepisse* et Cic. ad Att. VI, 1. *Cicerones pueri amant inter se*. Ceterum cf. adnott. ad Aen. I, 234. — *noctem diemque morantur*. Cf. adnott. ad Aen. II, 648. — **767** sqq. Animadverte animi humani levitatem et inconstantiam. — *Ipsae - - ipsi* Wagn. Qu. Verg. XVIII, o. recte explicat: „iidem, qui antea detrectaverant profectionem, iam cupiunt proficisci.“ Cf. adnott. ad Geo. III, 168. Quatuor tamen Codd. Burm. et Nonius p. 307, 28. *Ipsae iam matres, ipsae*, quod cum Heinsio probat Peerlk., cum quae sequantur verba, *quibus aspera quondam* etc., magis pertineant ad mulieres, quam ad viros senes, magnaque vis insit repetito *ipsae*, illa autem repetitio *ipsae* — *ipsi* minus grata accidat. Sed plurimorum et meliorum Codd. auctoritas eo minus vilipendenda, cum v. 770. sequatur *Quos bonus Aeneas - - solatur*. — *quibus aspera quondam maris facies*, qui horruerant, reformidarant v[illegible] adspectum maris. (Cf. etiam infra v. 848. *salis placidi voltus*.) I[illegible] optime convenire videtur vulgaris lectio vv. seqq. *et non tolerabile nom*[illegible]

Visa maris facies et non tolerabile numen,
Ire volunt omnemque fugae perferre laborem.
Quos bonus Aeneas dictis solatur amicis
Et consanguineo lacrimans commendat Acestae.
Tris Eryci vitulos et Tempestatibus agnam
Caedere deinde iubet solvique ex ordine funem.

---

i. e. secundum Heyn. „ut ne auditu quidem tolerabile esset;" quemadmodum nos dicimus: *die vom Meere nichts hatten sehen und hören wollen.* Hanc tamen lectionem, ab Heinsio restitutam, ab Heynio servatam et ab Iahnio ad Aen. I, 8. p. 435 sq. ed. II. multis verbis defensam, etiam Dietschio Theol. Verg. p. 11. et prius certe Ladewigio probatam (qui tamen in recentiss. ed. ad alteram lectionem rediit) non nisi Med. a m. pr., Pal. et Nonius p. 307, 30. iuvant. Reliqui libri tantum non omnes et Serv. ad Aen. VI, 560. *numen* exhibent, pauci *lumen* aut *caelum;* quarum lectionum altera ex prima corrupta, ultima autem alterius interpretamentum videtur. Quae Codd. auctoritas me movit, ut Burm., Wakef. et Wagnerum in lectione *numen,* tamquam difficiliore et magis poëtica, recipienda sequerer; neque erat, cur Wagn., vel Schillero nostro in auxilium vocato (*Schöner Gott, du solltest trügen?*), mare *numen* dici posse multis verbis demonstraret. (Cf. v. c. supra II, 154. et similes locos, quibus, fortasse quia Dietsch. l. l. negaverat, mare ipsum unquam pro deo habitum, vel numen s. divinam imperandi vim ei vindicatam esse, in Philol. Suppl. I. p. 344. praeter locum Aen. XII, 197., ubi Latinus per Mare iurat, addit Hygin. praef. *Ex Aethere et Die Terra, Caelum, Mare* et brevi post *ex Ponto et Mari Oceanitides,* simul paulo subtilius contendens nomen maris intolerabile esse, non videri; ibid. autem p. 426. etiam Plauti locum Trin. IV, I, 1—7. huc trahit, ubi Mari (*fluctibus salsis*) tamquam numini supplicetur et Neptunus *intolerandus,* i. e. immanis, vesanus, dicatur.) *Numen* autem hic idem fere esse memorat, quod violentiam. Et sane, si vera est lectio, nihil potest significare, nisi potestatem aliquam praepollentem ideoque formidabilem. Comma autem, quod Wagn. post *facies* servavit, utpote huic loci explicationi non conveniens, delevimus. Peerlk., Suepfl., Gossr., Ladew. in recentiss. ed., Henry in Philol. XIII. p. 642. (qui prius in *Tw. years* V. p. 58. lectionem *caelum* defenderat, nunc vero etiam ad Silium XVII, 50. provocat *numen pelagi* commemorantem) et Benoist nos secuti sunt, dum Bryce, Haupt., Ribbeck. et Conington *nomen* receperunt, quod Ameis. in Muetzellii Ephem. VII. p. 932. recte languidum censet et veritati repugnans. Ceterum de eadem lectionis varietate supra ad IV, 94. egimus. — *non tolerabile.* Cf. Plauti locus modo comm. — **769.** *fugae.* Vid. supra ad v. 658. Wagn. coll. I, 2. per iter profugientium explicat. Ceterum cf. III, 160. *fugae laborem* et supra v. 617. *pelagi perferre laborem.* — **771.** *consanguineo,* homini eiusdem gentis. — *lacrimans.* Pium Aeneam decent hae lacrimae. — **772.** *Eryci,* tamquam heroi et Siciliae, unde solvunt, deo tutelari, cuius auxilium videntur implorare, ne in scopuloso mari Siculo naufragium patiantur. Vid. supra v. 392. 402. 412 sqq. — „*Tempestatibus.* Nota res vel ex Hor. Epod. X. extr. Cf. supra III, 120." *Heyn.* Wagn. praeterea conferri iubet Cic. N. D. III, 20. *Tempestates populi Romani ritibus consecratae sunt.* — **773.** „*Caedere iubet solvique.* Vid. ad Ecl. VI, 85. et Aen. III, 61. — *solvi - - funem:* *λύσασθαι τὰ πείσματα,* v. c. Orph. 1239. et al. Supra III, 639. *funem,* quo naves ad litus religatae, ancorae loco, heroum tempore." *Heyn.* Vid. etiam Geo. I, 457. ibique adnott. et Aen. III, 266. — *ex ordine,* deinceps, aliam navem post aliam. Vid. ad Geo. III, 341. et IV, 507. Minus recte Heyn. ita capit, „ut priore re [sacrificiis] expedita continuo ad alteram [ad solvendas naves] progressi sint." Serv. autem et Conington *ex ordine* explicant per rite, ut supra v. 53. et VII, 139., et hic quidem nostra interpretatione probata (quam ceteri recentiores editores omnes non minus quam Henry in Philol. XIII. p. 643. sequuntur) potius Pluralem *funes* requiri, temere contendit. Peerlk., non perspiciens causam

Ipse caput tonsae foliis evinctus olivae
Stans procul in prora pateram tenet extaque salsos
Porricit in fluctus ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis:
Certatim socii feriunt mare et aequora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis
Adloquitur talisque effundit pectore questus:
„Iunonis gravis ira nec exsaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnis;

---

huius *ordinis*, „nisi portus fuisset adeo angustus, ut una modo navis intrare et exire potuerit," parum probabiliter coniicit *ex litore.* — 774. De hoc sollemni more pro secunda navigatione sacrificandi Heyn. conferri iubet Apollon. IV, 1595 sqq. — *tonsae olivae.* Vid. supra ad v. 556. et ad Geo. III, 21. Peerlk. ad h. l. *tonsas* et *intonsas coronas* eadem ratione differre censet, qua *arbores tonsas* (i. e. quae cura hominum in hortis colantur) *et intonsas* (quae sicut natae sint relinquantur neglectae), ut *intonsa corona* sit rudis, negligenter pexa, qualem rustici gerant, *tonsa* vero composita et eleganter pexa, qua urbani et elegantiores utantur. Oleagina autem corona non solum victores in certaminibus (vid. supra v. 309. et 493.), sed etiam sacerdotes et sacrificantes utebantur (cf. VI, 809. VII, 418. 750. Tibull. II, 1, 16.). — 775. 776. *stans procul in prora.* Aliquot Codd. deterioris notae exhibent *Stans celsa in puppi,* quod ex III, 527. huc translatum esse patet. — *in prora.* „Alias sacra fiunt in puppi, hic in *prora,* quia discedit e portu." *Wagn.* — *porricit.* Vid. supra ad v. 238., ubi eundem fere versum iam legimus. Wagn. comparat Cic. N. D. III, 20. *Nostri quidem duces mare ingredientes immolare hostiam fluctibus consueverunt.* Ribbeck. etiam hic edidit *proicit.* — *vina liquentia.* Vid. ibid. et cf. I, 432. Geo. IV, 442 cett. — Vs. 777 et 778. Pal., Gud. et Mentel. I. auctoritate cum Ribbeckio et Ladew. et Benoisto transposuimus, quo melior efficitur rerum ordo. — *aequora verrunt.* Vid. ad III, 208. Etiam hic pauci quidam Codd. *vertunt.* Cf. adnott. ad III, 668. Ceterum hunc totum versum iam legimus III, 290., ut antecedentem III, 130. — 779 sqq. „Quod in historica narratione simpliciter extuleris: secundo vento Cumas deferuntur Troiani, id poëta exornat deorum interventibus ac consiliis; quibus tempus hoc tanto magis indiget, quo minus alias intelligi potuisset, cur Iuno nullam novam nunc moram accessui in Italiam iniecerit." *Heyn.* — *exercita curis.* Vid. supra v. 725. et III, 182. — 780. *effudit pectore questus.* Vid. supra v. 482. 723. et IV, 553. — 781. *nec exsaturabile pectus,* i. e. *et inexsaturabile,* ut vulgo legitur (de qua verba coniungendi ratione Thiel. conferri iubet Cort. ad Luc. I, 85. et Stat. Silv. I, 2, 254., ubi *nec tristis Naso* pro *et non tristis N.*). Sed meliorem lectionem iam Heins. ex optimis Codd. (Med., Pal., Rom., Gud., aliis, qui modo in vocc. *nec* et *neque* inter se differunt) restituit, et librarios Adiectiva simplicia, quae negationem adiectam habeant, saepe in composita mutasse, docet Cort. ad Lucan. III, 156. a Wagn. laudatus. *Exsaturabilis* ἅπαξ λεγόμενον videtur: *exsaturatus* legitur infra VII, 269. Cic. Tusc. V, 35, 101. Stat. Theb. VI, 176 alibi; *inexsaturabilis* ap. Arnob. II, 40. p. 78. Orell., ut *inexsatiabilis* ap. Colum. VII, 10. (ubi vulgo *insatiabilis*). Ceterum Schrader. praeter necessitatem coni. *nec exsaturabile numen,* cum *pectore* v. 780. praecedat. — 782. *preces descendere in omnes,* se demittere ad preces omnis generis, vel ad humillimas; *descendimus* enim ad res, quas aegre, nolentes volentes facimus. Sic Caes. B. C. I, 9. *ad omnia,* id. B. G. VII, 78. *ad sententiam,* Cic. ad Fam. VIII, 8. *ad conditionem alicuius descendere.* Alia exempla suppeditant Ernest. in Clav. Cic. h. v. Herzog. ad Caes. B. G VII, 33. Beneck. ad Iustin. XV, 1. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 9, 10. Fa V. p. 38. Gossr. et Conington comparant IV, 413. *ire in lacrimas,* H Od. III, 29, 59. *ad preces decurrere* et Tac. Ann. I, 12. *ad obtestationes pr*

Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
Nec Iovis imperio fatisque infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Urbem odiis satis est nec poenam traxe per omnem:
Reliquias Troiae, cineres atque ossa peremptae

---

cumbere. Apte autem Ladew. adnotat, has preces Veneri imprimis molestas esse debere, cum Neptunus Troianis infestus ipsi in bello Troiano adversarius fuerit. — **783**. *Quam nec - - Nec quiescit.* De hac iunctura verborum paulo duriore, qua Pronomen relat. in altero enuntiato alio Casu, quam quo praecessit, intelligendum est, vid. Madvig. ad Cic. Fin. II, 21, 67. p. 259. et in Gramm. §. 326, a. p. 290 sq. Krueger. Gramm. §. 556. p. 747. Fabri ad Liv. XXI, 46, 10. Dietsch. ad Sall. Iug. 14, 16. p. 129. alii. Cf. etiam adnott. ad Aen. III, 10. — *longa dies* pro longo tempore, ut infra VI, 745. Cf. Lucr. I, 558. *longa diei infinita aetas*; Cic. Att. III, 15. *dies levat dolorem.* id. de Div. I, 57, 131. *multa adferre potuit dies.* Ter. Heaut. III, 1, 13. *dies adimit aegritudinem hominibus* cett. — *pietas*, scil. Aeneae in illa placanda. Cf. v. c. supra III, 547. Verba *pietas nec mitigat ulla* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 399. — **784**. *fatisque* ex Med., Rom., Pal., duobus Parr. aliisque bonis libris cum Iahn. et Wagn. restitui pro vulg. *fatisve*, quod sane etiam fragm. Vat. et Gud. exhibent. Vid. ad Geo. I, 442. Secuti sunt ceteri recentiores editores praeter Peerlk. et Bryceum, qui *ve* retinuerunt. — *infracta* autem non est Adiectivum, quod significat non fractam, sed Participium verbi *infringere*, i. e. plane fracta. Cf. infra VII, 332. IX, 499. X, 731. XII, 1. Flor. II, 2, 23. Senec. de brev. I, 5. Barth. ad Stat. Theb. X, 793. Bentl. ad Hor. Od. III, 2, 18. Ruddim. I. p. 303. et Doederl. *Lat. Syn. u. Etym.* Vol. III. p. 222 sq. Conington comparat Ovid. Met. VI, 626. *Infractaque constitit ira* et cum omni sententia conferri iubet infra VII, 297. Heyn. haec adnotat: „Infringitur, flectitur fatis, cum videat, fata a se inverti non posse. Cf. XII, 793 sqq., ubi v. 800. est *inflectere*.“ — **785**. *media de gente Phrygum*, media ex Troia. Miro modo Burm. *medius* capit pro mediocris positum, ut *media gens* sit vulgus, plebs, quae opponatur Aeneae et sociis eius. Locorum autem, quos confert, Ovid. Met. V, 205. XI, 283. VII, 432. et infra IX, 343., plane alia est ratio. — *exedisse*, confecisse, perdidisse. Cf. Lucr. V, 1251. *flammeus ardor - - silvas exederat.* Curt. III, 4, 10. *monumenta vetustas exederat* cett. et adnott. ad Aen. IV, 66. Henry (*Tw. years* V. p. 59.) praefert fragm. Vat. et aliorum quorundam (omnino octo) Codd. lectionem *excidisse*, quam sane defendere poterat locis Aen. II, 637. et XII, 762., ubi vid. adnott.; sed praestat difficilior plurimorum et optimorum librorum lectio. — **786**. „*Reliquias*, Troianos urbe capta superstites [vid. infra], *traxe per omnes poenas*, omnibus calamitatibus ac malis versasse, iactasse; ut duci, agi, trahi per ultima, per cuncta supplicia aliquis dicitur.“ *Heyn.* Vid. etiam supra III, 315. Ruhk. comparat Graecorum dicendi rationem, v. c. Eur. Iph. I. 988. (?) *διὰ πόνων τ' ἄγει.* — *traxe* pro traxisse, ut apud Lucr. III, 650. *abstraxe.* Cf. quae de hac syncope ad Aen. I, 201. adnotavimus, ubi addi potest VI, 57. *direxti* et Corssen. de pron. II. p. 26 sqq. Non mirum autem est, Med. a m. pr., fragm. Vat. et Bern. II. a m. sec., aliosque Codd. praebere *traxisse*, Pal. et fragm. Vat. a m. pr. *traxere.* Vulgo hic locus sic distinguitur: *nec poenam traxe per omnem Reliquias; Troiae cineres* cett.; sed nos cum Wagnero Codicis Med. rationem secuti sumus, cum reliquiae et *cineres* minus apte sibi opponantur, *Troiae* autem non tantam vim habeat, ut primum locum post graviorem distinctionem occupare possit, tota potius oppositio haec sit: non modo, dum stetit, Troiam quacunque ratione vexavit ira Iunonis, sed etiamnum reliquias eius et cineres insequitur. (Rationem nostram sequuntur ceteri recentiores editores praeter Bryceum.) Ceterum his verbis imprimis classis combustionem spectari in promptu est. *Cinis* autem et *ossa* haud raro coniunguntur. Vid. Claud. de laud. Stil. *II*, 415. Iuv. VIII, 146. Ovid. Met. VII, 521. cett. Peerlk., qui cum te-

Insequitur. Causas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis
Quam molem subito excierit: maria omnia caelo
Miscuit Aeoliis nequiquam freta procellis,
In regnis hoc ausa tuis.
Per scelus ecce etiam Troianis matribus actis
Exussit foede puppis et classe subegit
Amissa socios ignotae linquere terrae.
Quod superest, oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi, liceat Laurentem attingere Thybrim,

---

mere haeret in tot Substantivorum coacervatione, tum ex corruptis quibusdam lectionibus et Part. *nec* in pluribus libris omissa (quas mutationes omnes ab insolentiore illa forma *traxe* repetendas esse, nemo non videt) concludit, a Vergilio non *traxe*, sed *traxisse* scriptum esse (quod sane in aliquot Codd. legi supra vidimus), totum locum sic emendandum esse suspicatur: - - *Urbem odiis satis est: poenam traxisse per omnem Reliquias ardet: cineres* etc.; quam audaciam nemo, puto, probabit. — **788.** „*causas.* Vid. supra I, 8 sqq. X, 62 sqq. 89 sq. XII, 791 sqq.“ *Heyn.* — *sciat:* opus est, ut habeat eiusmodi causas, quae, ipsi modo cognitae, me latent. Callide autem Venus has causas, quae ipsam minime fugiebant, supprimit et dissimulat. — **789** sqq. Vid. supra I, 50 sqq., ubi haec res narratur. Totus versus 789. iteratur in Anth. Lat. I, 178, 215. Omisimus autem cum Wagnero, Hauptio et Coningtone Comma vulgo post *undis* positum, cum melius coniungantur verba *Libycis in undis* - - *excierit*, quam *tu mihi testis in Libycis undis.* — **790.** *molem*, fluctus ingentes a tempestate excitatos. Cf. I, 134. — *maria omnia caelo miscuit.* Vid. ibid. v. 133. Repetuntur haec verba in Anth. l. l. v. 318 sq. — V. **792.** continet causam, cur *nequiquam*, frustra, Aeoli auxilio freta sit Iuno. Cf. ibid. v. 132 sqq. Iteratur autem hic versus imperfectus in Anth. l. l. v. 254. — **793—795.** „*Per scelus - - actis*, in scelus actis, pro vulgari: ad scelus adactis.“ Sic *Heyn.* in min. edit.; nam in maiori temere dubitaverat, utrum coniungenda sint verba *per scelus exussit*, an *matribus per scelus actis*. Quid autem sibi vellet *matribus actis* simpliciter et nonne verbo *exussit* adiectum est Adverb. *foede?* *Per scelus* igitur non est circumscriptio Adverbii, cui alibi Praep. *per* inservire solet. Vid. ad Aen. IX, 31. Ruhk. comparat Graec. Tragicorum δι᾽ ὕβρεως μολοῦσαι, ἀγόμεναι. Heyn. vero Hor. Od. I, 3, 26. *Gens humana ruit per vetitum et nefas.* — **794.** *subegit*, filium meum. — „*ignotae* simpl. in aliena terra, respectu Italiae, quo tendebant.“ *Heyn.* Optimi quidem Codd., Med., Gud. a m. pr., Mentel. I., alii, praebent *ignota terra;* altera tamen lectio, quam praebent fragm. Vat., Gud. a m. sec. Bern. II. III. et Servius, videtur exquisitior et quomodo corrupta sit, apparet ex Rom. et Pal., in quibus legitur *ignotae terra* et *ignota terrae.* — **796.** *Quod superest* aut cum *oro* est coniungendum, ut sensus sit hic: hoc unum mihi superest, ut te orem, ut ad tuum auxilium confugiam (quomodo etiam Henry *Tw. years* V. p. 60. et Philol. XIII. p. 643. locum intelligit comparans supra v. 691. Aen. IX, 156. Stat. Achill. I, 48. et Silium XII, 258.); aut, quod videtur praestare, cum Wagn. de *reliqua* classe, de *reliquis* sociis capiendum, quae etiam Brycei, Ladew., Coningtonis et Benoisti est sententia. (Vid. supra ad v. 691. adnott.) Sic enim et Subiectum habemus verborum sequentium, et Neptuni responsum v. 813 sqq. his precibus optime convenit, quod bene perspexit Wagn. — Heyn. post *quod superest* male Colo distinxit. Paldamus in Caesaris *Zeitschr. f. d. Alt.-Wiss.* XII. (1854.) p. 242. pro *liceat* coniicit *libeat*, cum nemo Neptunum prohibere potuerit, aut si vis maior aliqua id potuerit, haec potius, quam Neptunus compellanda fuerit. Sed non consideravit vir doct., mire dictum esse *libeat* tibi, *liceat* nobi immo aptissimam esse anaphoram et locum sic explicandum: liceat (nobis) ti (i. e. mari: cf. adnott. ad Ecl. IV, 32.) tuta vela dare. (Vid. infra.) — **797.** „*til*

Si concessa peto, si dant ea moenia Parcae.“
  Tum Saturnius haec domitor maris edidit alti:
„Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis. Merui quoque; saepe furores
Compressi et rabiem tantam caelique marisque.
Nec minor in terris, Xanthum Simoentaque testor,
Aeneae mihi cura tui. Cum Troïa Achilles
Exanimata sequens inpingeret agmina muris,
Milia multa daret leto gemerentque repleti

Graeco more adiectum, per te, *σοί* pro *διὰ σέ*, tua opera, quantum per te licet.“ *Heyn*. Wagn. confert Geo. II, 5. et Lucr. I, 7 sq. *tibi* (Veneri) *suaves daedala tellus Submittit flores, tibi rident aequora ponti*. (Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 15.) Negari tamen nequit, locos illos a Wagn. allatos non prorsus eiusdem esse generis, et hoc *tibi* verbo *licet* adiunctum propter ambiguitatem minus placere; quare iam Heyn. maluit *tuas*, Peerlk. autem coniecit *mihi*, et Gentius Annal. crit. p. 26. *vela! illis;* quae tamen coniecturae cum audaciores videantur, nescio an Thiel., Ladew. et Conington rectius amplectantur alteram Heynii explicationem, ut coniungantur verba *tibi vela dare* et, quemadmodum alibi *ventis dare vela*, hic Neptuno (domitori maris) vela dari dicantur. Cf. Geo. II, 41. Aen. (III, 9.) et XII, 263. Henry (*Tw. years* V. p. 60. et Philol. XIII. p. 644. parum probabiliter *tibi* pro Dativo ethico habet, qui idem fere sit, quod nostrum *sei so gut!* — *Laurens Thybris*, quia Laurentinos agros attingit, Laurenti moenia praeterfluit. Cf. infra VIII, 537. et XI, 137. — **798**. Verba *Si concessa peto* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 394. — *ea moenia*, quae speramus ibi, ad Tiberim, ab Aenea conditum iri. Vid. III, 100. — *dant*. Vid. supra v. 737. III, 501. cett. — **800** sqq. Iure tuo potes confidere, mare fore placatum et tranquillum, cum et ipsa ex eo sis nata et satis me Aeneae tuo favere scias. — *Cytherea*. Vid. ad I, 257. — **801**. Verba *Unde genus ducis* repetuntur in Anth. l. l. v. 59., totus autem, qui sequitur, versus ibid. v. 219. Ceterum cf. VI, 834. *genus qui ducis Olympo*. De *Ἀφροδίτῃ Ποντίᾳ, ἀναδυομένῃ* praeter Hes. Theog. 168—198. cf. Serv. ad h. l. et Ovid. Met. IV, 535 sqq. — **802**. *tantam*. Vid. supra ad v. 404. — *saepe*. Vid. imprimis I, 125 sqq. Sed etiam aliae tempestates commemorantur, quas Aeneas perpessus sit, ubi pariter Neptunus maris furorem mitigasse et Aeneam servasse putandus est, etsi hoc non certis verbis narratur. Cf. III, 192 sqq. V, 10 sqq. cett.; ideoque iure Neptunus utitur voc. *saepe*. Ribbeck. Proleg. p. 80. verba *et rabiem t. c. marisque* ut satis otiosa inter tibicines ponit. — **803** sqq. „Respicit pugnam Achillis cum Aenea Iliad. XX, 79 sqq. 168 sqq., quem subducit victoris manibus Neptunus v. 290 sqq. Mox et Hectore ab Apolline e pugna evocato caedes et fuga Troianorum fit versus urbem, parte fugientium in Scamandrum s. Xanthum acta; unde pugna Achillis cum ipso Scamandro Il. XXI.“ *Heyn*. — De *Xantho*, qui idem est cum *Scamandro*, et de *Simoente* vid. adnott. ad Aen. I, 473. et I, 100. — **804**. *Aeneae tui;* nam Venus ipsa I, 231. *Quid meus Aeneas in te committere tantum, Quid Troes potuere?* — **805**. *inpingeret agmina muris*, usque ad muros reiiceret. Sic etiam Tac. Hist. II, 41. *hostes in vallum inpingere*, et haud raro metaphorice *libido aliquem in aliquid inpingit* et similia. (Sen. Ep. 95. de ira II, 8. Lucan. VI, 406. al.) Imitatur h. l. Stat. Theb. VII, 28. *Ocius inpingit Tyriis Danaa agmina muris*, ubi vid. Barth. Cf. etiam Hom. Il. XXI, 225. 295. et Gron. ad Sen. Herc. fur. 991. (Fragm. Vat. a pr. m. exhibet *inmitteret*.) De ipsa re vid. Hom. Il. XX. extr. — **806**. *daret leto*. Cf. Geo. III, 480. IV, 90. et formula in funeribus usitata *Ollus Quiris leto datus est* (Festus p. 254, 34. et Varro L. L. VII, 42. Muell. Cf. liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 170. nota 332.) Ceterum vid. adnott. ad Geo. III, 480. et Aen. II, 85. — „*gemerent repleti Amnes*. Vid. Il. XXI, 7 sqq. 218 sqq. *Amnes*, nam Xantho auxilia aquarum tulit Simois,

Amnes, nec reperire viam atque evolvere posset
In mare se Xanthus, Pelidae tunc ego forti
Congressum Aenean nec dis nec viribus aequis
Nube cava rapui, cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus periurae moenia Troiae.
Nunc quoque mens eadem perstat mihi; pelle timorem.
Tutus, quos optas, portus accedet Averni.
Unus erit tantum, amissum quem gurgite quaeres;

---

ibid. v. 307 sqq." *Heyn*. Cf. Hor. Od. II, 20, 14. *gementis litora Bospori* (ubi Orell. comparat Soph. Ant. 592. *στόνῳ βρέμουσι δ' ἀντιπλῆγες ἀκταί*) cum adnott. ad Geo. III, 133. et Aen. II, 631. — **807**. Cf. Il. XXI, 219. De dicendi formula *se evolvere*, scil. in mare, cf. Burm. ad Lucan. II, 409. — **808**. De *Xantho* vid. ad I, 473. — *Pelidae* etc. Cf. Hom. Il. XX, 156—350., imprimis v. 318—339. *Pelidae tunc ego* etc. Eo ipso tempore, quo Troiam evertere cupiebam, Aeneam cum Achille longe fortiore congressum eripui et servavi. — **809**. *nec dis - - aequis*, plures enim dii Graecis favebant, quam Troianis. — *viribus aequis*, ut X, 357. 431. XII, 218. Hunc locum bis exscripsit Ausonius, in Epitaph. Troili (XVIII.) *Hectore prostrato, nec dis nec viribus aequis, Congressus perii Troilus Aeacidas*, et in Periocha Iliad. 20. *Tum Aeneam dis et viribus iniquis cum Achille congressum eripuit.* Cf. etiam Epit. Iliad. 901. *occurritque viro, sed non cum viribus aequis.* — **810**. *Nube cava rapui.* Vid. Il. XX, 320 sqq. et cf. supra ad I, 516. et II, 360. adnott. Pro *rapui* Rom. (de quo tamen tacet Ribb.), Pal. (? cui Ribb. vindicat lectionem *rapui*) et fragm. Vat. a m. sec. exhibere feruntur *eripui*, quod Iahnio praeferendum videtur; sed vere adnotat Wagn.: „non *eripuit* tantum periculo et tutum praestitit; sed longe abstulit ab acie, i. e. *rapuit*; vid. Il. XX, 325 sqq." Cf. etiam Livius IV, 28. *An deum aliquem protecturum vos rapturumque hinc putatis?* — „*cuperem cum* cett., ut fuit Neptunus inter infesta Troiae numina. Vid. Hom. l. l. 34. et 313 sqq. (Cf. Aen. II, 610 sq.)" *Heyn*. — *vertere ab imo.* Cf. II, 625. *ex imo verti Neptunia Troia.* — **811**. *Structa meis manibus.* Vid. ad III, 3. „Causam irae enarrat idem Hom. XXI, 446 sqq., unde h. l. *periurae*, a periuro Laomedonte, mercedem propter muros exstructos ab eo ex condicto exactam negante." *Heyn*. Vid. ad Geo. I, 502. et cf. Aen. IV, 542. Reiicienda igitur Med. a m. pr., Vat. fragm. et Dorvill. lectio *periturae*, fortasse ex II, 660. huc translata. Cf. etiam Burm. ad Ovid. Met. XI, 215. Ceterum Both., temere offensus Particula *cum* post breve intervallum iterata, edidit *cuperem qui.* Vid. Iahn. ad I, 315. — **812**. *mens eadem perstat mihi.* Vid. supra ad v. 748. — *pelle timorem.* Sic Med. aliique Codd., quos post Heins. secuti sunt reliqui editores praeter Iahn., Ribbeck., Ladew. et Benoist. plurimorum Codd. (inter quos sane etiam Pal., Rom., Gud. et, ut videtur, fragm., Vat.) lectionem *timores* servantes. Wagn. quidem Qu. Verg. IX. p. 416. docet, Pluralem *timores*, qui alibi nusquam ap. Vergilium inveniatur, plures res timendas significare, hic autem sensum esse: „pelle istum timorem, ne eadem mens mihi non perstet," tamen, si ob Codicum auctoritatem Pluralem praeferendum censeas, aut cum Ladew., qui confert Lucr. II, 45. *mortis timores*, saepe recurrentem propter idem periculum timorem eo significari sumas, aut altiorem timoris gradum indicare voluisse poetam statuas (qua de re cf. adnott. ad Aen. IV, 28. et add. ad Ecl. X, 76.). Me, ut Singularem retinerem, etiam id movit, quod, cum v. 814. *quaeres* legendum videatur, minus verisimile est, poetam eodem versus exitu (- - *res*) bis usum esse, quamquam huic rei soli non multum tribuerem. — **813**. *portus Averni*, Cumas, ideoque Italiam. Cf. III, 441. sq. VI, 2. Ceterum vid. supra ad v. 732. et ad Geo. II, 164. — **814**. „*Unus*, Palinurus; cf. mox v. 833 sq et VI, 337 sq.; quod episodium nunc praestruit; idem *unum caput* versu sequ. Male Serv. hoc ad Misenum refert, qui nec in navigatione periit sed accessu iam ad Cumanum litus facto." *Heyn*. Etiam Wagn., Bryce et

Unum pro multis dabitur caput."
His ubi laeta deae permulsit pectora dictis,
Iungit equos auro genitor spumantiaque addit
Frena feris manibusque omnis effundit habenas.
Caeruleo per summa levis volat aequora curru;

Benoist. itemque, ut videtur, Ladew. et Conington, qui prorsus tacent, Palinurum intelligunt, et sane quisque hic primum cogitabit de re paulo post commemorata. Cum tamen Palinurus e fluctibus se servet (cf. VI, 355 sqq.), ut Neptunus de eo vix dicere possit *Unum pro multis dabitur caput*, quamvis ad eum quadrent verba *amissum quem gurgite quaeres*, contra vero Misenus vere in fluctibus pereat (cf. VI, 162 sqq.), nisi sumere volumus, Vergilium hic dormitasse sibique contradicere, *unus* ille, ad quem uterque versus 814. et 815. necessario est referendus, vix alius esse potest, atque Misenus. Servius quidem et Conrads. p. X. hic de duobus hominibus sermonem esse putant, et ita quidem, ut ille v. 814. ad Misenum, v. 815. vero ad Palinurum, hic contra, rectius certe, v. 814. ad Palinurum et v. 815. ad Misenum referat; sed quomodo Vergilius a lectore potest postulare, ut per repetitum *unum* alium, atque prius commemoratum intelligat? — *quaeres* lectio est fragm. Vat., Med., Pal., Rom., Bern. II. III., Minoraug. aliorumque (omnino 39 inter 41 ab Henr. collatos) Codd., quam nunc, etiam Henrico suasore, cum Ribbeckio, Coningtone et Benoisto pro vulg. *quaeret* recepi, cum minime absonum sit, haec ad Venerem referri, si cogitamus, quanto amore filii causa omnes Troianos Venus complectatur, quamquam, nisi tantus esset optimorum Codd. consensus, hanc curam magis ad Aeneam ipsum quam ad Venerem pertinere dixerim. Paulo subtilius tamen Conrads. l. l. adn. 1. lectionem *quaeret* sic defendit, ut dicat, Veneri, quae ut dea *scire* debeat, ubi Palinurus sit vel futurus sit, eum non *quaerendum* fuisse. Hanc enim opinionem de numinum scientia omnia complectente si Verg. curasset, maximam Aeneidos partem omnino scribere non potuisset. Conington conferri iubet I, 250 sqq. et 390 sqq. *Quaerere* autem i. q. desiderare, nostrum *vermissen*. Cf. Hor. Od. III, 24, 32. IV, 5, 16. Ovid. Met. II, 239. Prop. I, 9, 12. Tibull. II, 3, 26. Cic. Verr. III, 18, 46. etc. cum adnott. ad Aen. I, 217. — V. **815.** repetitur in Anth. Lat. I, 170, 95. et 178, 103. — **816** sqq. In priore huius loci ornatissimi parte poëtam ante oculos habuisse Hom. Il. XIII, 125 sq., iam Heyn. observat. — *laeta pectora permulsit*, i. q. permulcendo laeta reddit, quae antea fuerant moesta, sollicita (cf. supra v. 770 sq.); de quo proleptico Adiectivi usu vid. ad Geo. II, 353. Aen. II, 736. III, 237. al. Servii enim explicationem, ut *laeta pectora* exprimant perpetuum Veneris epitheton φιλομειδής, vix probaveris. — **817.** Cf. Hom. Il. XIII, 23. — *auro*, iugo aureo, i. e. inaurato. Cf. III, 517. IV, 134. 148. V, 366. VII. 245. 279. XII, 430. cett. et adnott. ad I, 739. Similiter Claud. Phoen. 86. *auro frenat equum*. Temere in h. l. haeserunt editores, ita ut Pierius (secundum Burm. ad Val. Fl. VI, 710.) coniiceret *pingit equos auro*, Heinsius *Fingit equos auro*, Wagn., coniecturae suae ipse non multum tribuens, *Iungit equos Aura genitos*, et Peerlk. satis audacter *Haud mora, iungit equos genitor*. Aliquot Codd. minoris pretii (et omnino quidem 12 inter 48 ab Henr. collatos) pro *auro* (quod etiam testatur Serv. ad Aen. XII, 737.) praebent *curru*, a Ladew., quod miror, in contextu exhibitum. — *genitor*. Vid. ad I, 155. — *spumantia frena* (vid. ad IV, 135.) *addit feris*. Vid. ad II, 51. — **818.** *omnis effundit habenas*. Sic etiam metaphorice XII, 499. *irarumque omnes effundit habenas*. Vid. ad Geo. II, 364. — Cum v. **819.** sq. Heyn. conferri iubet supra I. 147. et 154 sqq. — *levis* saepe de volantibus (et celeriter currentibus) dicitur. Cf. infra v. 838. VI, 17. (XI, 868.) Ecl. I, 59. etc. — *curru volat* (cf. I, 156.) scil. *genitor*, quod et in protasi et in apodosi Subiecti vices sustinet. Cf. Geo. III, 387. Aen. III, 616. et similes locos, in quibus Subiectum alteri demum verbo temporis adiicitur, ut Aen. I, 115. (ubi vid. adnott.) 161. 714. IV, 672. etc. — *caeruleo curru:* omnia enim, quae ad mare et deos

Subsidunt undae tumidumque sub axe tonanti
Sternitur aequor aquis, fugiunt vasto aethere nimbi.
Tum variae comitum facies, inmania cete,

---

marinos spectant, *caerulea* vocantur. Cf. adnott. ad Geo. IV, 388. et Aen. III, 208. — **820.** *Subsidunt undae* etc., quod Neptunus solo adventu suo efficit. Iterantur autem haec verba in Anth. Lat. I, 14, 24. Ladew. adnotat, videri Vergilium in hoc loco scribendo respexisse Scopae imaginem in Circo Flaminio apparentem et a Plinio XXXVI, 5. [§. 26.] descriptam. — *sub axe tonanti*, sub curru. Eadem synecdoche usi sunt Ovid. Her. IV, 160. Prop. IV, (III,) 3, 13. Sen. Herc. Oet. 1442. Val. Fl. V, 432. alii. — „Cf. VIII, 89.; sed nisi versus excidit, non *tumidum*, sed *placidum* videtur poeta scripsisse.“ *Wagn.* Equidem non video, quid hanc opinionem amplecti nos cogat. — **821.** *sternitur.* Vid. supra v. 763. — *aquis* Coningtoni dubium videtur, utrum hic et VIII, 89. sit Ablativus („*with its waters*“), an Dativus („*a smooth surface is laid for the waters*“). Mihi de Ablat. non videtur dubitandum. — Wagn. (quem Peerlk., Suepfl. et Gossr. secuti sunt) unius Cod. Med. a manu sec. lectionem *fugiuntque ex aethere nimbi* paulo cupidius in contextum recepit, cum *vastus aether* praeter h. l. apud Verg. non legatur, omninoque hoc Adiectivum, quo etiam poëta noster ita semper utatur, ut ultima syllaba sub ictum cadat, non elidatur, dicatur modo de rebus vi sua et magnitudine horrorem incutientibus, non de rebus admirandis, quibus causis in Philol. Suppl. I. p. 344. hanc addit, nusquam apud Vergilium talem elisionem ante quintum pedem reperiri. Sed unde tandem epitheton illud in omnes Codd. venit, nisi ab ipso Vergilio scriptum? Altera enim Med. lectio nihil videtur esse, nisi correctio librarii cuiusdam in ipso illo epitheto, imprimis cum elidatur, non minus quam Wagn. haerentis. Etsi enim in universum vera sunt, quae de significatione huius vocis disputat Vir doct. (cf. imprimis Doederl. Syn. III. p. 225 sq. et Boettich. Lex. Tac. p. 482 sq.), non ubique tamen foeditatis et horroris notio ei adiuncta est (cf. e. g. Claud. in Ruf. II, 134. *Quid nunc divitiae, quid fulvi vasta metalla Congeries - - iuvant?* Phaedr. I, 5, 5. *cervus vasti corporis.* Ovid. ex P. III, 2, 49. *templa vastis innixa columnis* etc.); et hic quidem fortasse defendi potest coll. Lucr. I, 925 sq. *Pervideamus, utrum finitum funditus omne Constet, an immensum pateat vasteque profundum.* Praeterea Iahn., in altera edit. et ipse Codd. lectionem recte defendens, quam mecum etiam Bryce, Haupt., Ladew., Ribbeck., Coningt. et Benoist. servarunt, verissime memorat, voc. *aetheris* h. l. apte eo epitheto ornatum esse, cum totus nubibus obductus nec ullis limitibus circumscriptus ideoque immensus esse videatur; elisionem autem voc. *vasto* non aliam esse, quam v. 831. *una ardua,* v. 843. *ipsa aequora* cett., et defectum Copulae neminem desideraturum, qui meminerit, poëtam captasse hanc sententiarum oppositionem: *subsidunt undae aequorque, fugiunt nimbi,* coll. Aen. V, 9. 150. 200. 216. et Ramsh. §. 190. — **822.** Cum loco, qui sequitur, cf. Plinii locus supra laud., quem iam prius ipse contuli. — *Tum* (scil. *sunt*, quod etiam supra v. 285. VI, 552. VII, 732. et alibi eadem ratione omittitur: vid. adnott. ad Ecl. III, 108. Geo. II, 180. IV, 8. Aen. I, 237. IV, 202. al.) *variae comitum facies* (i. e. formae, *Gestalten;* vid. ad Geo. I, 506. et Aen. VII, 18.) pro: comites varia facie et adspectu. Ceterum Bothius, cui abruptior videtur haec oratio, coni. *comitant,* quae tamen forma (Ovidio Met. XIV, 259. ex P. I, 9, 47. II, 3, 43. aliisque usitata) apud Vergilium nusquam invenitur. Nihilominus negari nequit, non iniuria in hoc loco haerere Ribbeckium Proleg. p. 80., „cum desit Verbum, quod ex vicinis suppleri nequeat, et dextri lateris significatio, cui laeva manus - - opponatur v. 825.“ — „*cete,* belluae marinae, in comitatu Neptuni aliorumque deorum marinorum; Proteo quidem pro armentis ea pascente Odyss. III, 448 sqq. Geo. IV, 430 sqq.“ *Heyn.* Graeca huius voc. forma (τὸ κῆτος) utuntur etiam Sil. VII, 476. Stat. Achill. I, 55. atque Plin. IX, 50, 74. et XXXVI, 4, 7. Saepius apud Romanos *cetus* est masculini generis. Aliae eiusmodi formae Graecae sunt *mele* ap. Lucr. II, 412. 504. *pelage* apud eund. V,

Et senior Glauci chorus Inousque Palaemon
Tritonesque citi Phorcique exercitus omnis;
Laeva tenet Thetis et Melite Panopeaque virgo,
Nesaee Spioque Thaliaque Cymodoceque.
Hic patris Aeneae suspensam blanda vicissim
Gaudia pertemptant mentem; iubet ocius omnis
Attolli malos, intendi bracchia velis.

---

36. VI, 619. aliae. Cf. Schneid. Gr. Lat. II, 1. p. 509. — **823**. *Glauci chorus* (i. e. Glaucus cum aliis diis marinis) ut supra v. 240. *Phorci chorus* (ubi vid. adnott.). De ipso *Glauco* non minus quam de *Palaemone* s. Melicerta vid. ad Geo. I, 437. — *senior*, ut omnes fere dii marini. Peerlk. praeter necessitatem coni. *Et sequitur Glauci chorus.* — **824**. *Tritones.* Vid. ad I, 144. — „*Phorci exercitus;* deos marinos intelligo, propter v. 240. huius libri. Alioqui ad phocas et belluas marinas referam. Vid. Val. Fl. III, 727.“ Haec *Heyn.*, qui etiam conferri iubet Plin. XXXVI, 4, 7. [? haud dubie indicans locum supra laudatum XXXVI, 5, 4. §. 26., ubi *chorus Phorci* commemoratur.] *Exercitus* pro multitudine, ut Geo. I, 382. *exercitus corvorum.* Eodem sensu *Phorci chorus* supra v. 240. Sic *cohors fratrum* X, 328. et similia. Versus in verba *exercitus omnis* exeuntes legimus Aen. II, 415. XI, 171. 598. — Cum v. **825** sq. cf. Hom. Il. XVIII, 39. 42. 45. et Geo. IV, 338 sq., in quem locum totus v. **826**. hinc translatus. — *tenet* Med., Gud. a m. sec. aliorumque Codd. (omnino 34 inter 46 ab Heur. collatos), haud dubie etiam Rom. (qui scribit TENT) est lectio, quam cum Wagn. revocavimus. Vulgo *tenent*, quod ex Pal., Gud. a m. pr., Bern. II. et Bern. III. a m. pr. recepit Ribbeck., quocum faciunt Bryce et Benoist, dum ceteri recentiores editores nobiscum Singularem praeferunt. Praeceptum est omnibus notum, in eiusmodi locis Plurali verbi opus esse, ubi plura Subiecta ita commemorentur, ut eam rem, quae verbo temporis significatur, coniuncta opera egisse putanda sint, Singulari autem, ubi plures eandem rem singuli et diversi, suo quisque loco et tempore suisque tantum viribus effecisse cogitentur. Cum tamen in multis locis a solo scriptoris iudicio pendeat, quomodo rem cogitari velit, poëtas vero interdum etiam metri ratio ad alterutrum numerum praeferendum commovere potuerit, haec res ad solam Codd. auctoritatem referenda videtur. Cf. Iahnii longa ad h. l. disputatio cum iis, quae nos ad Ecl. I, 58. et alibi adnotavimus. — *Thetis*, dea marina satis nota, Nerei et Doridis filia, quae Peleo nupta Achillem peperit, non confundenda cum Tethye. Cf. Hes. Theog. 244. Iliad. XXIV, 60. XVIII, 432. Apollod. III, 13, 5 sq. ibique Heyn. p. 313. Apollon. IV, 807. 866. Catull. LXIV. alii. — *Melite* ab Hesiodo Theog. 246. Hom. Il. XVIII, 42. et Apollon. IV, 515. inter Nereides commemoratur. De *Panopea* vid. supra ad v. 240. „Ipsum phantasma deorum marinorum et monstrorum circa navem ludentium petitum est ex Apollon. IV, 930 sq.“ *Heyn.* — Versum **826**. iam legimus Geo. IV, 338., ubi procul dubio spurius est. Quod attinet ad copulam iuxta voc. *Nesaee* omissam, cf. locum Ovid. Met. VII, 464. eadem ratione constructum *Florentemque Cythnon, Scyron planamque Seriphon Marmoreamque Paron.* — **827**. *Hic.* Vid. ad I, 728. — *vicissim.* Antea enim suspensus fuerat Aeneas et anxius, nunc in locum anxietatis gaudium succedit. Cf. adnott. ad Aen. IV, 80. — **828**. *Gaudia pertemptant mentem.* Vid. I, 502. *Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus.* Schol. Statii Theb. X, 227., utrumque locum commiscens, hunc affert Vergilii versum: *Aeneae tacitam pertentant gaudia mentem.* — *iubet - - attolli malos.* Mari tranquillo ventoque secundo spirante subito mali (quos appellentes deponunt) attolluntur et vela intenduntur. — **829**. „*intendi bracchia velis*, de antennis agi vel ex Val. Flacci imitatione I, 126. constat, ubi Iuno videt *Pallada velifero quaerentem bracchia malo;* et duplicem poëtarum in his esse constructionem: *vela intendere antennis*, et *antennas intendere velis*, satis notum est.“ *Heyn.* Vid. ad IV, 500. et 506. Sic v. c. Lucr. IV, 74. *vela intenta theatris.* Med. et Rom. praebent

Una omnes fecere pedem pariterque sinistros,
Nunc dextros solvere sinus; una ardua torquent
Cornua detorquentque; ferunt sua flamina classem.
Princeps ante omnis densum Palinurus agebat
Agmen; ad hunc alii cursum contendere iussi.
Iamque fere mediam caeli nox humida metam
Contigerat; placida laxabant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautae:

---

remis, quod ex v. 136. huc translatum. — **830**. *Una omnes fecere pedem.* „Satis constat, *pedes* nautis dictos fuisse funes, quibus inferiores veli anguli puppim versus adducuntur; et vento quidem secundo a puppi spirante, ad utrumque latus adducti vela ad ventum excipiendum expandunt, ut *utroque pede* currere diceretur navis (ut et ap. Apollon. II, 932. velum ἐς πόδας ἀμφοτέρους intenditur); sin ventus - - obliquus esset, vel modo a dextra, modo a sinistra spiraret [quod tunc accidisse patet], *uno pede* s. fune intento, angulum veli inferiorem modo ab hac, modo ab illa parte explicant. Vid. Catull. IV, 21. Plin. II, 47, 48. Fundus rei in Hom. Od. X, 32.“ *Heyn.* Cf. etiam Iliad. I, 433 sqq. Odyss. V, 260. Eur. Hec. 930. Orest. 704. Iph. T. 1380. Apollon. II, 932. Lucan. V, 427. Ovid. Fast. III, 565. Cic. Or. III, 40. in. ad Att. XVI, 6. cett. Burm. ad Ovid. l. l. Meurs. ad Lycophr. 1015. Schneider. in Lexico Gr. v. πούς et quos laudat Hand. ad Gron. Diatr. p. 90. — *facere pedem*, ut *facere vela*, expedire, parare. Vid. supra ad v. 281. — *pariter*, una, ut IX, 183. — **831**. *solvere* (vid. IV, 574.) *sinus* (vid. ad III, 455. et supra v. 16.) nunc *sinistros, nunc dextros* exprimit nostrum *laviren*. — *una* (quod aliter fieri non potest) *torquent detorquentque* (vid. ad IV, 438.), prouti opus est, huc et illuc torquent, *cornua* scil. antennarum, ideoque ipsas antennas. Vid. ad III, 549. — **832**. *ferunt.* Vid. adnott. ad Aen. III, 473. et IV, 430. — *sua flamina*, venti secundi. Vid. ad Geo. IV, 22. 190. Aen. II, 396. III, 493. V, 54. — **833**. *Princeps ante omnis.* Vid. ad Aen. II, 40. coll. adnot. ad Geo. II, 475. — De *Palinuro* vid. ad III, 202. — **834**. *ad hunc*, ad huius exemplum et imperium. Cf. Hand. Turs. I. p. 107 sq. — *alii* pro ceteri, ut ap. Liv. II, 23, 6. VII, 19, 2. 26, 9. XXIV, 1, 11. XL, 12, 19. alibi. Sic etiam Graeci interdum ἄλλοι pro οἱ ἄλλοι dicunt. Cf. Reiz. de acc. incl. p. 74 sq. ed. Wolf. et Matth. Gr. Gr. §. 266. — **835**. „Vid. ad II, 8. 9. Noctem deam in *meta*, summa parte, in vertice caeli, constitutam esse puta, quippe curru vectam: unde eius progressus est ad alteram caeli oram, ut in circo currus circa metam flexus tendit altera circi parte ad carceres.“ Sic *Heyn.* duas confundens explicationes. Prior est Servii, haec adnotantis: „Perite locutus est: nam medium caelum meta est ἀναβιβάζοντος circuli, qui medius est inter ortum et occasum,“ Cic. Div. II, 6, 17. *Quando illa e regione solis facta incurrat in umbram terrae, quae est meta noctis* et Plin. II, 10, 7. *Neque aliud esse noctem quam terrae umbram, figuram autem umbrae similem metae ac turbini inverso* (quos locos affert Conington). Altera vero, quam iuvat Ovid. Met. III, 145. *Et sol ex aequo meta distabat utraque*, est simplicior; alteram enim *metam* in circo qui attigit, medium cursum confecit (qui sane septies erat repetendus), ideoque media est nox; omnes circum dormiunt remiges, neque enim remis opus est. Solus Palinurus vigilat et gubernaculi clavum tenet (v. 852.); sed eum quoque in tanto silentio tandem somno opprimi (v. 854 sqq.), mirum videri non potest. — **836**. *laxabant.* Cum dubitarem, num verbis *membra laxare* rei durantis notio inesse possit, immo nautae eo ipso temporis momento laxare videantur corpora, quo remigandi finem faciant, imprimis cum de Codd. lectione non satis constaret, cum Wagn. edideram *laxarant*, nunc vero, cum sciam, Med., Pal., Rom., Gud., Bern. II. et Minoraug. Imperfectum exhibere, *laxarant* autem vel *laxarunt* deteriorum modo Codd. esse lectionem, illud cum Iahnio et omnibus recentioribus editoribus praeter Wagn. (qui etiam cf. in Philol. Suppl. I. p. 345.) et Bryceum recipiendum esse duxi. Cf. etiam IX, 225. — **837**. *sub remis*, ad remos sedentes otiosi, nam vento

Cum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris
Aëra dimovit tenebrosum et dispulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans
Insonti; puppique deus consedit in alta
Phorbanti similis funditque has ore loquellas:
„Iaside Palinure, ferunt ipsa aequora classem;
Aequatae spirant aurae; datur hora quieti.
Pone caput fessosque oculos furare labori.

---

secundo spirante non opus erat remigatione. — *per dura sedilia*, per transtra. — **838.** *Somnum*, Noctis filium Mortisque fratrem (Hes. Theog. 758.), quem Homerus Il. XIV, 230 sqq. in Lemno insula, Ovid. Met. XI, 592. in spelunca aliqua apud Cimmerios, Stat. Theb. X, 84. apud Aethiopas, Lucian. Var. Hist. II, 32 sqq. in singulari aliqua insula Somniorum habitare fingunt, Tibull. II, 1. extr. pariter atque Vergilius cum Nocte e caelo descendentem producit. Omnino de Somno alato praeter Broukh. et Heyn. ad Tibull. l. l. vid. Passerat. ad Prop. I, 3, 45. et cf. adnott. ad Aen. VI, 867. — *levis*. Cf. supra v. 819. — *ab astris*, ex caelo. Vid. infra v. 853. supra v. 517. II, 153. cett. — **840.** *Te, Palinure, petens*. Heyn. in Exc. VII. ad h. l. observat, Palinuri nomen in historiis harum rerum haud dubie non fuisse obscurum, et poëtam hac narratione nunc commode usum esse ad rerum varietatem, ne extrema navigationis pars et traiectus e Sicilia in Italiam omni casu vacaret. Accedit, quod Palinuri, Lucaniae promontorii, nomen huius rei famam servavit; de quo, etiamnum *Capo Palinuro* vocato, cf. liber meus geogr. III. p. 497. Ceterum poëta ante oculos habuit Hom. Od. III, 278 sqq., ubi Phrontis, Menelai gubernator, simili ratione in medio cursu occidit. — *somnia tristia* pro somno exitiali. Hunc autem ordinem verborum Heins. ex bonis Codd. restituit; quod Wagn. iure probat. Epitheta enim a poëtis non facile praeponuntur Substantivis, nisi ubi notioni accuratius describendae inserviunt ideoque pronuntiando premenda sunt. (Cf. Iahn. ad Verg. Moret. 29. Schmid. ad Hor. Ep. II, 1, 144. Obbar. ad eiusd. Ep. I, 2, 52. Vol. I. p. 122. alii.) Hic autem *somni* notio est premenda, qui modo rem tristem, Palinuri mortem, adducit, non ipse per se tristis est res. — **841.** *Insonti* cum singulari vi in fine enuntiati et in principio versus positum, cum sensus sit: et quidem insonti. Vid. adnott. ad Ecl. V, 21. VII, 50. al. — *consedit*. Perf. est verbi *considere*, ut III, 565., ubi vid. adnott., coll. Ecl. VII, 1. — **842.** *Phorbantem* fortasse ex Iliad. XIV, 490. petiit poëta, ubi Priami filius huius nominis, Ilionei pater, commemoratur. — *loquellas*, verba. Varro L. L. V, 4. *Hinc quidem loquellam dixerunt verbum, quod in loquendo efferimus*. Plerumque tamen adiuncta videtur notio vel incepti irriti, ut h. l., vel vanae garrulitatis, ut magis respondeat nostro *Geschwätz;* quamquam, hac voce omnino admodum raro usurpata, nihil certi hac de re proferri potest. Sic Lucr. V, 231. *nutricis blanda loquella*. Plaut. Cist. IV, 2, 76. *Commoda loquellam tuam* cett. Codd. quidam exhibent *querelas*. Verba *funditque has ore loquellas* repetuntur in Ausonii cent. nupt. 93. et in Anth. Lat. I, 170, 78. Ceterum nunc cum Hauptio et Ribbeckio scripsimus *loquellas*. Vid. ad Geo. I, 378. — **843.** *ipsa*, sua sponte. Vid. ad Ecl. IV, 21. Med. pro *ipsa aequora* exhibet *sua flamina*, quod ex v. 832. repetitum. — **844.** „*aequatae aurae* [opp. *vento obliquo*] mediae inter utramque obliquitatem, ergo a puppi non a dextro sinistrove latere spirantes.“ *Wagn*. Vid. supra ad v. 830. Sic IV, 587. *aequatis classem procedere velis*, ubi vid. adnott. Ladewigio *aequatae aurae* nil sunt, nisi aequales venti oppositi tempestati per intervalla saevienti. Comparat Val. Fl. IV, 615. *aequali transcurrat carbasus aura*. — Verba *datur hora quieti* iterantur in Anth. Lat. VI, 84, 57. — **845.** *Pone caput*. Cf. XI, 830. *leto posuit caput* et Hor. Sat. II, 8, 58. *Rufus posito capite - - flere*. — „*furari* exquisitius quam [furtim] subtrahere, subducere, *κλέπτειν*.“ *Heyn*. Simili ratione Apulei. Met. VII, 7. p. 191. Elm. (p. 459. Oud.) dixit *se furari* pro clam se abripere, et Nemes. Cy-

Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.“
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:
„Mene salis placidi voltum fluctusque quietos
Ignorare iubes? mene huic confidere monstro?
Aenean credam quid enim fallacibus auris
Et caeli totiens deceptus fraude sereni?“

---

neg. 45. Antigonam vocat *furantem busta sororem*, i. e. fratrem clam sepelientem. — **846.** *tua munera inibo*, ut *inire magistratum* (Cic. Phil. III, 1, 2. Verr. I, 10, 30. Liv. VIII, 20.), *consulatum* (Liv. II, 54. XXIV, 9.), *honorem* (Suet. Caes. 20. Calig. 1.), *imperium* (Suet. Tib. 67. Stat. Achill. I, 280.) etc. — **847.** *vix attollens lumina*, non, ut Heyn. et Ladew. cum Servio explicant „[iam sola] numinis praesentia praegravatus [fere consopitus];“ immo: eum vix curans, vix ad eius verba attendens, sed sine intermissione gubernaculum regens et sidera observans. Cf. v. 852 sq. (Adsentiuntur mihi Bryce, Conington et Benoist.) — „Cum v. **848** sqq. comparant Lucr. II, 556—559.“ *Heyn.* Adde eiusd. V, 1002 sq. — *salis placidi.* Vid. aduott. ad Aen. I, 35. — *fluctus quietos*, quia *aequatae spirant aurae* v. 844. — **849.** *huic monstro*, mari tranquillitatem simulanti, sed horroris plenissimo, quod, Servio teste, „decepit multos infido ingenio et repente mobili.“ Thiel. conferri iubet Cort. ad Lucan. V, 705. Ceterum vid. adnott. ad Geo. III, 152., ubi addi possunt loci Aen. II, 245. III, 658. VIII, 198. — **850.** Both., Iahn., Ribbeck., Ladew. et Benoist. *quid enim?* (*τί γάρ; πῶς γὰρ οὐ;* quidni? quid impedit?) per *παρένθεσιν* ironice adiectum putant, ut sensus sit hic: „Scilicet Aeneam huic monstro credam, qui fallacibus Austro et caelo sereno toties deceptus sum?“ aliter enim Copulam *et* omni sensu esse destitutam et vv. *quid enim* postposita maxime offendere; atque similia etiam Peerlk. in Bibl. crit. novae Vol. V. P. I. p. 131. disputare memorat Wagn. In edit. tamen sua Peerlk. locum sic scribendum esse censet: *Aeneam credam -- quid enim? — fallacibus auris Et caelo, toties deceptus fraude sereni!* ut seusus sit: Quid enim? Credamne Aeneam ventis infidelibus et caelo, cum sciam varietatem caeli, et ipsemet saepe deceptus sim a caelo sereno, ab ipsa serenitate. Sed *caelo* (quam Pal., Gud. et Bern. III. lectionem a m. pr. sane etiam Ribbeck. recepit comparans infra v. 870. et post *sereni* signo exclamandi distinguens), antecedenti voc. *auris* accommodatum esse patet, et *sereni* non nisi dura ratione a *caeli* potest revelli. Lectionem *caeli* autem praeter Med., Rom. et alios bonos libros testatur etiam Schol. Hor. Od. I, 5, 6. Voss. denique in *Anm. u. Randgl.* p. 215. locum ita vult constitui: *Aenean credam* (*quid enim fallacius?*) *auris et caelo, toties* etc., ex parte Donatum secutus, qui scripsit: *Aeneam credam* (scil. huic monstro) — *quid enim fallacius austris et caelo?* — *toties* etc. Sed recte Wagn. (quem mecum sequuntur Haupt., Bryce et Conington) vulgarem rationem tuetur. Iure enim duram et languidam orationem existere censet Vir doct., si ad vv. *Aeneam credere* repetere velimus *huic monstro*. Copulam autem *et* pro *et quidem* esse positam (vid. ad II, 86.), ut sensus sit: cum praesertim toties iam deceptus sim serenitate caeli, et explicet hic versus priora *Mene* etc. Neque aliter h. l. intellexit Hand. Turs. II. p. 398. (de quaestione *quid enim* docte disputans). Pro vulg. autem Codd., Donati et Prisciani VII, 4. p. 729. P. lectione *fallacibus austris* (quem tertium, non sextum Casum habendum esse, a *credam* pendentem, ex iis, quae modo disputata sunt, patet) Wagn. ex praestantissimis Codd. (inter quos Pal. et Bern. III. a m. pr.), Servio item et Pomp. Sabino restituit *fallacibus auris*, quem et ob hanc ipsam Codd. auctoritatem et ea de causa secutus sum, quod Austri non magis fallaces sunt, quam alii venti, ideoque generale aliquod ventorum nomen hic requiritur, *aurae* autem imprimis de vento secundo usurpantur. (Vid. ad III, 356.) Accedit, quod etiam supra I, 375. Med. pro *auris* (i. e. aures) exhibet *austris* (cf. etiam Burm. ad Ovid. Met. I, 107.) et quod *Auster* ex v. 764. in librariorum mente versari poterat. Quaı probare non possum, vulgarem lectionem a Gossravio esse restitutam, qua

Talia dicta dabat clavumque adfixus et haerens
Nusquam amittebat oculosque sub astra tenebat.
Ecce deus rarum Lethaeo rore madentem
Vique soporatum Stygia super utraque quassat
Tempora cunctantique natantia lumina solvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus:
Et super incumbens cum puppis parte revolsa
Cumque gubernaclo liquidas proiecit in undas
Praecipitem ac socios nequiquam saepe vocantem;

---

aptior sit tamquam „vocabulum generalius et felices maxime ventos (v. 844.) indicans.“ Ceteri recentiores editores omnes praeter Bryceum nobiscum *auris* receperunt. — V. 852. ex Hom. Od. III, 281. translatus est. Verbis *clavumque adfixus et haerens* cum toto versu sequente turpiter abutitur Auson. cent. nupt. 124 sq. — 853. *Nusquam.* Exspectaveris *numquam,* quod praebet Hamb. I. a m. sec. Sed cum id, quod nusquam fit, omnino non fiat, *nusquam* interdum etiam pro *numquam* ponitur, tempore cum loco commutato. Cf. Drak. ad Liv. III, 42, 4. et Hand. Turs. IV. p. 349 sq. Adsentiuntur mihi Bryce, Conington et Benoist. — *amittebat,* ultima syllaba arsis et caesurae vi producta. Vid. ad Ecl. I, 38. IV, 51. al., imprimis supra ad v. 521. — 854. „Somnus opprimit Palinurum obluctantem; ita ille obdormiscit. — *ramum* proprie accipio. Cf. Apollon. IV, 156. Ducta res ab aqua lustrali. Imitatus est locum Silius X, 355 sqq. - - Cf. supra I, 691 sq. III, 511.“ *Heyn.* Cf. imprimis IV, 244., ubi de virga Mercurii eadem vi soporifica praedita sermo est, Val. Fl. VIII, 83 sqq. *Cunctaque Lethaei quassare silentia rami Perstat, et adverso luctantia lumina cantu Obruit* et Silius X, 356. *oculisque quietem Irrorat, tangens Lethaea tempora virga.* Ceterum cf. quae ad VI, 348. adnotavimus. — 855. *soporare,* quod alibi est i. q. consopire, hic valet consopiendi vi instruere, qua tamen signif. non nisi Participium Perfecti usurpatur. Sic etiam infra VI, 420. et Claud. R. Pros. I, 284. — 856. Pro *cunctanti* Burm. coni. *luctanti.* Sed recte Heyn. vulgatam defendit, coll. Geo. II, 236. Aen. VI, 211. et XII, 940.; cum, qui resistat et reluctetur, bene *cunctari* dici possit. — *natantia lumina* (vid. ad Geo. IV, 496.) *solvit* (vid. X, 418.). Burm. et hic haerens coni. *condit* vel *claudit.* Sed vere *Heyn.:* „Vigilantis oculi sunt intenti, imprimis h. l. Palinuri, qui in caelum sublatos oculos habebat, v. 853. Igitur remissi illi et a somno illabente relaxati *solvi* dicuntur; ut de somno perpetuum hoc, *membra, corpus, lumina ab eo solvi.*“ Vid. etiam ad IV, 244. „*Solvuntur corpora, lumina,* cum remittitur illa vis, qua agitantur.“ *Wagn.* Peerlk., cum Med. a m. pr. exhibeat *quassant* et Dorvill. *lactantia,* coni. *super utraque quassans Tempora, cunctanti luctantia l. s.* — 857. „*Vix laxaverat - - et proiecit,* poëtica structura, ab Homero petita, pro *cum* proiecit (scil. Somnus Palinurum et mox v. 861. avolavit).“ Haec *Heyn.,* qui temere mavult Vergilium scripsisse *ut superincumbens* cett.; sententia enim haec est: Cum primum quies laxaverat artus, proiecit praecipitem in undas. Vid. ad Geo. II, 80. Aen. II, 692. 803. III, 8. et Iahn. ad X, 465. — *primos - - artus.* Cf. I, 723. III, 69. 537. et adnott. ad I, 442. — 858. „*cum puppis parte,* bene Servius: *pro oeconomia, ut triduo natare potuerit;* vid. VI, 349 sq.“ *Heyn.* Ceterum cf. huius loci imitatio apud Val. Fl. III, 37 sqq. Peerlk. verba *cum puppis p. r. Cumque gubernaclo* spuria censet, cum, si pars puppis esset revulsa, Aeneas et socii audivissent et mox Aeneas, videns magistrum esse amissum, ipse gubernaculo subeat; atque etiam Gossr. iisdem de causis in hoc loco haeret. — 859. Verba *liquidas proiecit in undas* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 160. — 860. *saepe vocantem.* Med. aliique Codd. *voce vocantem,* ut IV, 680. VI, 247. 506. X, 873. XII, 638. Wagn. tamen (quem recentiores omnes secuti sunt) recte vulgarem lectionem defendit coll. supra IV, 382 sqq. Socii igitur omnes arto et gravi sopiti erant somno. —

Ipse volans tenuis se sustulit ales ad auras.
Currit iter tutum non setius aequore classis
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Iamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat,
Difficilis quondam multorumque ossibus albos,
Tum rauca assiduo longe sale saxa sonabant:
Cum pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit et ipse ratem nocturnis rexit in undis
Multa gemens casuque animum concussus amici:
„O nimium caelo et pelago confise sereno,

---

861. *ales*, ceu ales, eadem celeritate, qua aves sursum feruntur. — Pro *ad auras* aliquot Codd., inter quos Pal. et Gud., exhibent *in auras*. Utrumque dici poterat (cf. Wagn. Qu. Verg. X, 1.); *ad auras* etiam Geo. I, 408. legitur. — **862**. *Currit iter*. Vid. supra ad v. 235. — **863**. *interrita*, sine offensione, nullo adverso casu exterriti navigant. Ceterum cf. XI, 837. — **864** sqq. „Notus Homeri locus Od. XII, 39 sqq. 166 sq., quem Verg. ante oculos habuit. Adde Apollon. IV, 891 sqq. et Orph. Arg. 1268 sqq. Teneant adolescentes, non longe a Capreis in Sinu Paestano tres esse Sirenum petras, *νήσους Σειρηνούσας*, adversus promontorium Surrentinum, fluctuum allisione olim et naufragiis infames; Sirenes autem, puellaris formae speciem referentes, esse cultas templo et sacro in ipso promontorio.“ *Heyn*. Vid. etiam Aristot. de mir. auscult. c. 110. T. II. p. 729. ed. du Val. Strab. I. p. 22. V. p. 247. VI. p. 258. Mela II, 4, 9. Ovid. Met. XIV, 88. Heyn. ad Apollod. p. 15. 47. 85. et liber meus geogr. III. p. 743. — *Iamque adeo*. Vid. ad II, 567. — **865**. *Difficilis*. Conington comparat Cic. Div. in Caec. 11, 36. *scopuloso difficilique in loco*. — *quondam*, interdum (vid. ad II, 367.); nisi de uno tantum et certo tempore cogitandum, nimirum quo Ulysses his scopulis adpropinquavit. — *multorum*, sc. naufragorum. — **866**. *rauca* cum *sonabant* coniungendum. Vid. adnott. ad II, 53. — *assiduo sale*, assiduo fluctuum allisu. Cf. Lucr. I, 326. *sale saxa peresa*. — *longe*. Vid. supra ad v. 579. — *sonabant*. Zulich. a m. pr. *tonabant*. Sed *sonare* verbum proprium de fluctibus, et litera sibila saepius repetita stridorem maris melius exprimi, non inepte censet Burm., coll. supra v. 169. II, 551. VII, 567. et Hor. Sat. II, 8, 78. Vid. etiam *Iahn*. ad Aen. VI, 310.; qui ad h. l. sic disputat: „Hunc versum in parenthesi posuit Bothius [et cum eo etiam Ribbeck.]. Sed ex hac ratione etiam v. 865. parenthesi includendus esset. Uterque enim versus descriptionem scopulorum continet, et nexus est: scopulos subibat, cum pater etc.“ Omnis nimirum difficultas in eo est posita, quod poëta constructione mutata pro: *tum - - sonantes* scripsit *tum saxa - - sonabant*. Recte igitur ceteri recentiores editores omnes *παρένθεσιν* respuerunt. Peerlk. (cui adsentitur Gossr.) pro more suo utrumque versum 865. et 866. tamquam inficetos Vergilio abiudicandos esse suspicatur. Ceterum v. 866. iteratur in Anth. Lat. I, 178, 216. eumque etiam respicere videtur Avien. descr. 106. *Illic instabili fama est sale saxa moveri*. — **867**. Undarum ad scopulos fractarum iam tantus est sonitus, ut Aeneas e somno excutiatur. — *fluitantem*. Dorvill. *fluctantem*, quod tuetur Wakef. ad Lucr. IV, 75. Conington confert Lucr. III, 1052. *Atque animi incerto fluitans errore vagaris*. — **868**. *ipse ratem rexit*. Cf. X, 218. Aeneas igitur in nave secum vehebat vicarium gubernaculum alterum, quo amissi loco uti poterat. — **869**. *animum concussus*. Cf. supra v. 700. et adnott. ad v. 720. — **870** sq. *O nimium* etc. Hos versus continere Aeneae insidiarum a Somno structarum ignari exclamationem, cum per se patet, tum ex sequentis libri principio intelligitur (ubi vid. adnott.). Quod si statuimus, tollitur repugnantia, quae intercedere videtr inter hunc locum et ea, quae v. 848 sqq. leguntur. De omissione ve ait vel *inquit*, quod in tali loco additum magnopere frigeret, vid. adnc ad Aen. III, 85. — „*serenum*, h. l. etiam de pelago: nisi ex nota forı

Nudus in ignota, Palinure, iacebis harena."

---

interpretari velis, ut sit: caelo sereno pelagoque placido." *Heyn.* Qua interpretatione non opus est; nam etiam mare tranquillum iure suo *serenum* dici potest. Simillimus est locus Statii Silv. III, 2, 10. *pontusque polusque serenus luceat,* ubi vid. Markl. — 871. *Nudus*, i. e. insepultus. Cf. etiam adnott. ad Ecl. I, 60. Conington conferri iubet Soph. Ant. 409. — *iacebis.* Cf. II, 557. VI, 149. IX, 486. XI, 102. et adnott. ad I, 99. — *in ignota harena*, quod antiquis hominibus, patriae amantissimis, omnium tristissimum videbatur. Cf. e. g. Tibull. I, 3, 3. *Me tenet ignotis aegrum Phaëacia terris;* id. III, 6, 40. *Flevisti ignota sola relicta mari,* imprimis vero Ovid. Trist. III, 3, 20. *Tam procul ignotis igitur moriemur in oris? Et fient ipso tristia fata loco?* Sic etiam in simili Catulli loco LXVI (LXVIII), 97. *terra aliena.* Heynius et Peerlk., cui adsentiri videtur Wilms. Progr. p. 19. locum sine dubio imperfectum a poeta relictum esse censens, vv. 870. et 871., quibus nihil dici potuerit frigidius et languidius, spurios censent, Gossrav. adeo haec adscribit: „Versibus 870. 871. et VI, 1. eiectis, versu VI, 2. melius claudes librum, et iterum expulsis v. 3–8., versu 9. novum incipies;" Wagn. vero horum versuum αὐθεντίαν recte defendit. Ceterum Servius et Probus apud Pomp. Sabinum memorant, in Tuccae et Varii Commentariis Vergilianis primos duos libri VI. versus finire hunc quintum librum, Aproníanum autem docere, principium libri VI. esse *Sic fatur lacrimans;* et hanc quidem rationem, quam Codd. nostri iuvant, illi praeferendam esse, quis Wagnero non concedet? Verba enim *Obvertunt pelago proras* a proxime antecedentibus *Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris* non nisi violenter possunt divelli et minus apte incipiunt novum librum, eiusmodi autem exordia, quale illud est: *Sic fatur lacrimans*, etiam apud Homerum deprehenduntur. Cf. Il. VII, 1. Od. IX, 1. et XIII, 1. Nihilominus unus Ribbeck. hos duo versus quinto libro adiunxit.

P. VERGILI MARONIS

A E N E I S.

LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

Ad litus Cumanum advectus Aeneas templum Apollinis antrumque Sibyllae petit, iussus ab ea sacrificium facit, vota nuncupat et a Sibylla oraculum petit viva voce sibi edendum (1—76.); quo accepto rogat Sibyllam, ut se de itinere ad inferos doceat, ubi patrem convenire possit. Haec autem primum ei praecipit, quae ante descensum ad inferos sint agenda (77—155.). Ab ea digressus Aeneas peremti Miseni corpus in litore inventum vult comburere, in silva autem propinqua, unde Troiani lignum rogi struendi petunt, columbarum ductu ad aureum ramum pervenit, quo qui potitus est, veniam nanciscitur inferna loca adeundi (156—211.). Eo decerpto iusta fiunt Miseno, qui sub monte proximo inde ab eo appellato sepelitur, Aeneas autem mactatis hostiis deos inferos veneratus Sibylla duce per Averni fauces ad inferos descendit (212—263.). Sequitur descriptio locorum infernorum cum sede Luctus, Curarum, Morborum, Leti similiumque malorum, item Somniorum, cum Acheronte, Cocyto, Charonte et animis ad Stygem errantibus (264—336.). Ibi Aeneas etiam Palinurum invenit circa Stygiam paludem oberrantem, quem una in ulteriorem ripam traiicere cupientem Sibylla prohibet cenotaphiique et exsequiarum spe consolatur (337—383.). Post haec Charonte a Sibylla placato Aeneas traiicit Stygem Cerberoque medicatis offis sopito intrat in ipsum Orcum (384—425.), ibique iter faciens per loca infantium, tum falso crimine capitis damnatorum, pervenit ad sedem eorum, qui mortem ipsi sibi attulerunt, etiam eorum, quibus infelix amor causa fuit pereundi (426—449.). Ibi Didonem conspicit, quae, cum ei se purgare velit, indignabunda conspectum eius effugit (450—476.). Inde progressus ad sedem eorum, qui bello gloriam adepti sunt, Deiphobum invenit multis vulneribus lacerum, necisque eius indignum modum ab ipso edocetur (477—547.). Deinde ad laevam conspicit Tartarum, quem adire ipsi homini casto non licet, sceleratorumque poenas a Sibylla edoctus (548—627.) ad Ditis ipsius moenia contendit, aureumque ramum Proserpinae consecratum in ipso regiae limine defigit (628—636.). Post haec ad Elysium s. fortunatorum sedes iter instituit et a Musaeo ad patrem suum perducitur (637—678.). Ibi Anchises Aeneam animarum originem, purgationem et reditum in nova corpora edocet (679—751.), Albanorum Romanorumque regum recensum facit, ostendit filio nobilissimas animas in corporibus posterorum eius aliquando habitaturas et sic ad Iulii Caesaris et Augusti laudes descendit (752—854.), Marcellumque, Octaviae filium, immatura morte ereptum miris in caelum laudibus effert (855—888.), postremo quae bella eum in Italia exspectent, edocet (889—893.). Inde per eburneam portam ad Superos regressus Aeneas socios revisit relictisque Cumis Caietam petit (894—901.).

Sic fatur lacrimans classique inmittit habenas
Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.
Obvertunt pelago proras; tum dente tenaci
Ancora fundabat navis, et litora curvae
Praetexunt puppes. Iuvenum manus emicat ardens

De vv. 1. et 2. ab aliis superiori libro adiectis vide, quae ad l. V. extr. adnotavimus. In Anth. Lat. II, 193, 29. et 194, 31. sic in unum versum contrahuntur: *Sic lacrimans tandem Cumarum adlabitur oris* et *Sic fatur lacrimans, Cumarum adlabitur oris*. Peerlk. omne huius libri exordium, v. 1—8., excepto uno v. 2., levibus de causis spurium censet. Cf. etiam Gossr. ad l. V. extrem., qui de huius libri v. 1. sic iudicat: „Quamquam lacrimare [heroibus] non habebatur indecorum (cf. I, 464.), tamen librum rerum dignitate gravissimum a lamentatione incipere non est decorum." *Sic fatur lacrimans*, Homeri ὣς φάτο δακρυχέων (Il. I, 357 etc.). Praesente utitur poëta (*fatur*) post praegressum Aeneae sermonem, quia properat ad sequentia. Cf. XI, 718. et Wagn. Qu. Verg. VII, 4. — „*classique inmittit habenas*, excepto velis expansis vento, cursum urgebat classis Aeneas. Nota metaphora ab aurigatione, ut supra V, 662. de flamma vidimus: *furit inmissis Vulcanus habenis*." *Heyn*. Cf. adnott. ad Geo. II, 364. (ubi pro 299. lege 499. et adde Aen. XI, 889.) Ovid. Met. I, 280. *Fluminibus vestris totas immittite habenas* et ibid. VI, 709., ubi adeo de volante: *Nec prius aërii cursus suppressit habenas, Quam* cett. Imprimis autem cf. Val. Fl. I, 687. *volat immissis cava pinus habenis*, et VIII, 139. *fugit immissis puppis habenis*. Noli autem putare *habenis* significari vela aut adeo rudentes (ut Henry *Tw. years* VI. p. 1. censet comparans Aen. X, 229. *velis immitte rudentes*), sed simpliciter est nota illa metaphora celeritatem modo cursus indicans, quae eodem iure etiam de navibus solis remis actis usurpari poterat. Cf. quae fuse de h. l. disputat Haeckerm. in Muetzell. *Zeitschr*. XII. p. 631 sq. — **2.** *tandem* ad Aeneae desiderium tandem aliquando in Italiam veniendi, ideoque ad omne illud tempus referendum videtur, ex quo ille Troia profectus per maria terrasque errabat. Per se enim navigatio e Siciliae portu usque ad Cumas, imprimis vento secundo facta, longa dici non potest. — „*Euboicis Cumarum oris*, ad litus Cumanum. Liv. VIII, 22. *Cumani ab Chalcide Euboïca originem trahunt*. Vid. Cluver. Ital. ant. IV. p. 1102. De conditoribus vid. Strab. V. p. 243. Urbis origines antecessisse videntur colonias Ionicas et Aeolicas. Vid. Vellei. Pat. I, 4. et cf. Wernsd. P. Lat. Min. T. IV. p. 393. A posteriore certe tempore Cumas, a Chalcidensibus conditas, ad Aeneae aetatem retraxit Vergilius. Cf. Gell. X, 16." *Heyn*. De *Cumis* autem, nobilissima Campaniae urbe (cuius reliquiae inter lacum *di Patria* et *Fusaro* inveniuntur), cf. liber meus geogr. III. p. 731 sq. Ceterum cf. loci huic simillimi Aen. III, 131. *Curetum adlabimur oris* et 569. *Cyclopum adlabimur oris*. Fortasse huius loci memor Ovid. Met. XIV, 155. scripsit *sedibus Euboicam Stygiis emergit in urbem*. — **3.** *Obvertunt pelago proras*. Solebant enim veteres conversis navibus puppi appellere, quam remiges post se habebant, ut, prora in mare spectante, facilior esset abitus. Vid. Ruhk., qui conferri iubet Gronov. Obss. IV, 26. et Hemst. ad Lucian. T. I. p. 239 sq. Cf. etiam adnott. ad III, 277. et 549. atque Wagn. ad X, 268. — *dente tenaci*. Vid. ad I, 169., ubi de *unco morsu ancorae* sermo est. — **4.** *fundabat*, i. e. fundo alligatas tenebat. Cf. Claud. de Mall. Cons. 113. *Iam tibi compositam fundaverat ancora puppim*. Alio sensu *naves fundare* (i. e. fundo, carina instruere) legitur ap. Plaut. Mil. III, 3, 43. Ovid. ex P. IV, 3, 5. et Her. XVI, 109. Ceterum cf. Aen. I, 168 sq. Ladew. comparat Lucr. IV, 808. *fastigia posse Surarum ac feminum pedibus fundata plicari* et adnotat, Imperf. *fundabat* sequentibus ita adiectum esse, ac si scriptum esset: tum navibus ancora fundatis puppes praetexunt litora. — **5.** *puppes praetexunt litora*, ut limbo vestis praetexitur. Sic Lucan. X, 537. *densae praetexunt litora classes*. Ovid. A. A. I, 255. *praetexta litora velis*. Cf. etiam Ecl. VII, 12., ubi comparare poteram Auson. Mos. 45. *Tu neque limigenis*

Litus in Hesperium; quaerit pars semina flammae
Abstrusa in venis silicis, pars densa ferarum
Tecta rapit silvas inventaque flumina monstrat.
At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Praesidet, horrendaeque procul secreta Sibyllae,

---

ripam praetexeris ulvis, et Dissen. ad Tibull. III, 1, 11. — *emicat.* Vid. ad V, 319. Ex locis ibi allatis huc imprimis quadrat Aen. XII, 327. *Emicat in currum.* — 6. *quaerit pars semina flammae* cett. ad torrendas fruges. Cf. Aen. I, 174 sqq. et Geo. I, 135. *semina flammae, σπέρμα φλογός, πυρός*, ap. Hom. Od. V, 490. et Pind. Pyth. III, 67. Olymp. VII, 87. Vid. etiam Lucr. IV, 331. V, 666. VI, 160. 200. al. — 7. *Abstrusa in venis silicis.* Vid. ad Geo. l. l. — *densa ferarum tecta.* Vid. infra v. 179., quem versum cum nostro confundens Lutat. ad Stat. Theb. I, 377. hunc sic laudat: *Pars densa ferarum Excutiens stabula.* Maronem secutus etiam Lucan. IV, 100. silvas vocat *tecta ferarum*, i. e. lustra. — 8. „Quid est *rapit?* Si corripit, colligit, comportat [scil. ligna et arida sarmenta ad alendum ignem, quae sane per *silvas*, magnae copiae causa Plur. numero commemoratas, apte exprimi poterant: cf. adnott. ad III, 23.], nihil potest ieiunius dici grandibus istis et turgidis verbis: *densa ferarum tecta.* Igitur poëta necessario ita accepit: *rapit* cursu, rapido cursu perlustrant silvas, ut vel fontem aquae investigent, vel ferarum praedam ad epulas exquirant, ut I, 192 sqq. Sic *campum rapere* dicitur equus [v. c. ap. Stat. Theb. V, 3. *acrior et campum sonipes rapit*] et *aequora rapere* navis.“ *Heyn.* Quam explicationem non improbatam Gossravio prius cum Iahnio et Thielio secutus sum (quod probant Bryce et Benoist.), nunc vero reiicio ab Haeckermanno edoctus verbum *rapere* hoc sensu dictum aperto quidem campo et mari accommodatum esse, non vero silvis et densis ferarum tectis, de venatione autem procul dubio poetam minus obscure scripturum fuisse. Quare nunc cum Schellero in Obss. in prisc. script. p. 315., Vossio in *Anm. u. Randgl.* p. 215., Wagnero, Ladew., Coningtone et Haeckerm. in *Zeitschr. f. d. Gymn.* XII. p. 632 sq. redeo ad antiquam Ruaei aliorumque explicationem de lignatione. Cf. etiam similis locus I, 174 sqq. — *inventa flumina*, non *reperta*, quia casu in ea incidunt, non quaerentes ea reperiunt, de quo discrimine utriusque verbi cf. Herzog. ad Caes. B. G. IV, 20. Doederl. *Lat. Synon.* II. p. 142 sqq. alii. Volebant autem Troiani in iis lavari, ut puri ad sacra instituenda accederent. — 9 sqq. „Ad templum Apollinis, quod antiquissimum fuit in monte ad Cumas [de quo Henry *Tw. years* VI. p. 3. conferri iubet Iorio *Guida di Puzzuoli* etc. Nap. 1830.] et inde ad subiacens Sibyllae antrum tendit Aeneas. Id autem facit ex Heleni (III, 441 sqq.) et umbrae Anchisae monitu (V, 731 sqq.).“ *Heyn.* Erant autem Sibyllae omnes vates Apollineae, habitantes iuxta templum huius dei celeberrimum. Ceterum de toto, qui sequitur, loco vid. Henry in *Tw. years* VI. p. 1 sqq. — *arces*, templum in summo monte situm, per quod aditus est ad Sibyllae antrum. Vid. ad Geo. I, 240. et II, 535. (Cf. etiam infra v. 41. et ibi adnott.) — *altus Apollo* plerumque refertur ad templum dei in alto situm; sed simplicius est sumere, omnino ad dei maiestatem pertinere epitheton (*der erhabene*), ut X, 875. Ovid. Met. III, 284. XII, 505. Fast. III, 333. ex P. II, 3, 63. etc. (quae etiam Henrici est sententia l. l. p. 5 sq. et in Philol. XVII. p. 627.). Servius parum probabiliter de ipsius simulacri altitudine cogitat, haec Coelii de Apolline Cumano verba laudans: *Et in fano signum Apollinis ligneum, altum non minus pedes XV.* — 10. „*Praesidet*, templum et urbem tuens, *πολιοῦχος*.“ *Heyn.* Similiter Ianus ap. Ovid. Fast. I, 125. *Praesideo*, inquit, *foribus coeli.* — *secreta horrendae Sibyllae* Heyn. et Wagn. per inversionem explicant: horrenda secreta Sibyllae. Sed quidni Sibylla ipsa *horrenda* dici poterat? Cf. infra v. 47 sqq. et 77 sqq. Nonne etiam Hor. Sat. I, 8, 25. de Canidia et Sagana: *pallor utrasque Fecerat horr[...] adspectu?* Adsentiuntur mihi Conington et Benoist., atque etiam [...] ipse mutata sententia in recentiss. edit. recte adnotat: „ipso ad[...]

Antrum inmane, petit, magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates aperitque futura.
Iam subeunt Triviae lucos atque aurea tecta.
Daedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna,
Praepetibus pinnis ausus se credere caelo,

---

qualis furore correptae vatis esse solet.“ Cf. etiam, quae Steinmetz. Progr. p. 17 sq. contra eos disputat, qui in eiusmodi locis epitheton a suo Substantivo divulsum ad aliud transferant. Forcell. *horrendam* hic per *venerandam* explicat: dubito, num recte, quamvis etiam Gossrau et Henry hanc explicationem amplectantur ll. ll., et ille quidem comparans infra VII, 172. (qui locus plane diversi est generis) et locos, ubi *metus* et *metuere* pro veneratione et venerando dicantur (Aen. VII, 60. Hor. Od. II, 19, 5. Ovid. Met. I, 323. Liv. XXII, 3.), hic vero aptius infra XI, 507. De Sibylla autem Cumana, quae modo Amalthea, modo Herophile, modo Demophile, a Vergilio autem infra v. 36. Deiphobe, Glauci filia, vocatur, et Tarquinio Prisco libros illos fatales vendidisse narratur, quorum fragmenta, postquam libri ipsi incendio Capitolii sub Sullae dominatione combusti vel perditi erant, Augustus colligi et in templo Apollinis Palatini asservari iussit, cf. Dion. Hal. IV, 62. Aur. Vict. de O. G. R. 10. Plin. XIII, 13, 27. Tac. Ann. VI, 12. Ovid. Met. XIV, 132 sqq. Lactant. Inst. I, 6. Gellius I, 19. Suidas s. v. alii et Heynii Exc. V. ad h. l. De Sibyllis omnino (quo nomine veteres celeberrimam quamque vatem appellare consueverant) vid. Klopferi Lex. myth. II. p. 537 sqq. Scheiffele in Pauly *Realencycl.* VI. p. 1447 sqq. Heidebreede de Sibyllis. Berol. 1835. Dissen. ad Tib. II, 5, 77. alii. — *procul - - petit.* Templum igitur antrumque Sibyllae, quod Aeneas cum paucis petit comitibus (v. 40. 41.), a portu erant remota, ubi ceteri Aeneae socii remanserant. Wagn. prius cum Heynio *procul* falso ita explicuerat, ac si antrum Sibyllae procul a templo Apollinis fuisset; sed in recentiss. edit. etiam hic mutata sententia recte adnotat: „Petit templum antrumque procul ab eo loco sita, ubi ceteri Troiani in alio negotio occupati erant.“ — **11.** „*mentem animumque* Homerico more *κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν* [quae verba coniuncta omnes omnino animi vires complectuntur: cf. adnott. ad Aen. I, 304.]. — *inspirat*, indit ei, *mentem magnam*, [ultra solitum] commotam et *ἐνθουσιῶσαν*, ut *inspirare amorem, ignem* Aen. I, 688., aut, quod malim, magnam eius mentem afflat, incitat, movet.“ *Heyn.* *Mentem* inspirat Apollo, ut Sibylla recondita perspiciat, *animum*, ut etiam fortiter pronuntiet. Cf. Olivet. ad Ecl. Cic. p. 114. ed. 3. et Thiel. in Addend. p. 858. — **12.** *Delius vates.* Vid. ad Ecl. VII, 29. Apollo autem Iovis est vates, ut Sibylla Apollinis. Cf. supra III, 251. — **13.** Ineunt lucum *Triviae* s. Hecates (vid. ad IV, 609.), cui omnis illa regio Averni sacra erat, et per eum veniunt ad templum (*aurea tecta*), quod ille cingebat. — **14** sqq. „Apparet fuisse famam antiquam, templum Apollinis Cumanum a Daedalo esse exstructum. Videntur Siculi et Itali, quidquid apud eos mirae vel praeclarae artis erat, ad Daedalum retulisse. Colligas hoc vel ex Diod. IV, 78. [Cf. adnott. ad Geo. IV, 179.] Horum igitur populorum ars aedificandi et sculpendi originem suam a Creta habuisse videtur. Communis saltem narratio est, Daedalum ex Creta profugum in Sicilia a Minoe fuisse oppressum. At poeta, etiam famam secutus, Daedalum ex Sicilia quoque fuga evasisse statuit. Praeclare Servius: *Daedalus vero primum Sardiniam* [rectius fortasse *Siciliam*], *ut dicit Sallust. Hist. II., post delatus est Cumas: et, templo Apollinis condito, sacratisque ei alis, in foribus haec universa depinxit.* Ceterum totum, qui sequitur, locum copiosius persecutus est Silius XII, 89 sqq.“ *Heyn.* De ipso *Daedalo* praeter Diodorum IV, 76—79. Paus. I, 4. Apollod. III, 15, 8. 9. ibique Heyn. p. 348. Schol. Eurip. Hec. 838. Ovid. Met. VIII, 183 sqq. et quos infra ad v. 20. laudatos videbis, cf. Sillig. Catal. artif. p. 169 sqq. et Walz. in Pauly *Realencycl.* II. p. 838 sqq. — *ut fama est.* Cf. III, 551. *si vera est fama.* — Respicitur hic locus in Anth. Lat. I, 178, 140. et III, 105, 11. *Daedalus arte sua fugit Minoia regna.* — **15.** Cf. Hor. Od. I, 3, 34. *Expertus vacuum Daedalus*

Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.
Redditus his primum terris, tibi, Phoebe, sacravit
Remigium alarum posuitque inmania templa.
In foribus letum Androgeo; tum pendere poenas

---

aëra Pennis non homini datis. — *praepetibus pinnis.* Vid. ad III, 361. et V, 254. et cf. Cic. Div. I, 47, 106. *Hanc ubi praepetibus pinnis lapsuque volantem Conspexit.* — *se credere caelo.* Cf. Ovid. Met. II, 377. *Fit nova Cycnus avis, nec se caeloque Iovique Credit* et Anth. Lat. 178, 141., ubi verba *ausus se credere caelo* repetuntur. De ipsa re Thiel. conferri iubet Ovid. Met. VIII, 183 sqq., ubi ipse Daedalus loquens inducitur. — **16.** Verba *Insuetum per iter* repetuntur in Anth. Lat. I, 14, 33. — „*enavit* (respexit ad Quinct. VIII, 6, 18.), usitata illa metaphora inter volatum et navigationem. Cf. Geo. IV, 59. [ibique adnott. imprimis Lucr. locus ibi laud. III, 590. *Quam prolapsa foras enaret in aëris auras,* quem Verg. hic videtur respicere, et Anth. Lat. III, 82, 47. *Spe duce per medias enavit Daedalus auras*]. Sic mox *remigium alarum,* ut supra I, 301.“ *Heyn.* — *gelidas ad Arctos,* in quibus verbis Heyn. et Peerlk. (qui adeo ad coniecturam confugit: *gelidas en. ad auras*) temere haeserunt, Wagn. recte interpretatur „versus Arctos,“ coll. Hand. Turs. I. p. 82. Cf. etiam Iahn. ad Ovid. Trist. p. 165. et Coningt. ad h. l. De *Arctis* ipsis vid. ad Geo. I, 138. — **17.** *Chalcidica super arce,* Cumarum. Vid. supra ad v. 2. Peerlk. haec adnotat: „Marius Plotius de Metris *Chalcidicas arces.* Hoc melius convenit cum v. 9. *arces, quibus Apollo praesidet.*“ Sed invitis Codd. nihil mutandum. — *levis,* tamquam volans; *levis* enim usitatum volantium celeriterque currentium epitheton. Cf. V, 819. (ibique adnott.) 838. XI, 868. — *adstitit.* Cf. I, 301. — **18.** *Redditus his primus terris.* Cf. Flor. III, 6. *Pompeius piratas, qui in aquas resiluerant, terrae reddidit,* et Claud. B. Get. 41. *Tua nos urgenti dextera leto Eripuit, tectisque suis redduntur et agris Damnati fato populi, virtute renati:* ubi non minus, quam hic, conservationis et salutis recuperatae adiuncta est notio. — *his terris* poëtice pro: hic, hoc loco terrae redditus (cf. adnott. ad I, 534.); quamquam etiam terra omnino spectari potest caelo opposita, ut etiam nos: *dieser Erde zurückgegeben.* Peerlk. tamen, cum *his terris* significaret, Daedalum Cumas post longam absentiam rediisse, ubi tamen nunquam fuerit, praefert unius Cod. Zulich. lectionem *hic,* quae etiam Heynio non displicet. Sed recte observat Wagn., Pronomen Adverbii *hic* notionem includens magis esse poeticum. — „*sacravit* tamquam donarium ex voto. Cogita notum morem eorum, qui ex mari erant servati. Etiam *templum* ex voto factum videri potest.“ *Heyn.* — **19.** *Remigium alarum.* Vid. ad I, 301. et cf. Apulei. Met. V. p. 169. Elm. (c. 25. p. 365. Oud.) *remigio plumae raptum maritum* (scil. Psyches, i. e. Amorem). — *posuit templa.* Cf. Geo. III, 13. aliosque locos. Pluralis autem *templa* inservit modo indicandae unius templi magnitudini. Cf. I, 726. II, 483. VIII, 137. etc. (Weidner. ad I, 427., ubi lectioni a nobis receptae praefert alteram *theatris,* de hoc usu Pluralis conferri iubet Spittae Quaest. Verg. 9.) — **20** sqq. Ianuae antiquorum templorum opere caelato ornatae fuerunt, ut etiam nostrorum maiorum mos ferebat; ideoque etiam templi Cumani valvis poëta eiusmodi ornamenta affingit. Non enim cum Gossravio has imagines Vergilii tempore vere in foribus illius templi fuisse crediderim. Ceterum *Heyn.* ad h. l. adnotat: „Observa, quam callide narrationem in sculpturae argumentum mutaverit, et ad hoc cognoscendum otium fecerit Aeneae, praemisso Achate ad arcessendam Sibyllam. Talia autem anaglypha in templorum foribus ex metallo pretiosiore, h. l. ex auro (vid. infra v. 32.), antiquitas probare solebat. Cf. Geo. III, 26 sqq. Imitationem loci vide apud Silium III, 32.“ Cf. etiam similem locum supra I, 453 sqq. In altera autem valvarum res Athenis, in altera res ir Creta factae, ibi caedes Androgei et sortitio puerorum puellarumque M notauro mittendorum, hic Pasiphaë cum tauro et Minotauro et Labyri

Cecropidae iussi — miserum! — septena quot annis
Corpora natorum; stat ductis sortibus urna.
Contra elata mari respondet Gnosia tellus:
Hic crudelis amor tauri suppostaque furto

---

thus cum Theseo, ideoque res arcte inter se cohaerentes servato temporis ordine erant effictae. Vide etiam infra ad v. 23. — De *Androgeo*, Minois et Pasiphaae filio, non confundendo cum eo viro, quem supra II, 370. commemoratum vidimus, et de variis mortis eius narrationibus vid. Apollod. III, 1, 2. et 15, 4 sqq. ibique Heyn. p. 344. Diod. IV, 60. Hygin. f. 41. Ovid. Met. VII, 456 sqq. VIII, 153 sqq. Catull. Epith. Pel. et Thet. 76 sqq. et Klopferi Lex. myth. I. p. 198 sqq. — Quamquam Med., Pal., Rom., Gud., Minoraug. aliique Codd. exhibent *Androgei*, tamen nunc cum omnibus recentioribus editoribus praeter Süpflium et Bryceum recepi Bern. II. III. aliorumque recentiorum Codd. itemque Servii, Prisciani p. 736. P. Charisii p. 71. P. Probi Inst. I, 4, 19. et Schol. Hor. Od. IV, 8, 8. lectionem *Androgeo*, i. e. Graecum Gen. *Ἀνδρόγεω*. a Nom. *Ἀνδρόγεως*, quam etiam fragm. Bob. de nom. et pron. 29. (Annal. Vind. p. 134.) testatur his verbis: „*Androgei* aut, ut aliis placet, *Androgeo*, ut *Penelei dextra* aut, ut alii tradiderunt, *Peneleo*.“ Vid. adnott. ad Aen. II, 371. et 392. Ribbeck. Proleg. p. 204. atque Neue *Formenl.* I. p. 132 sq. — *tum*, porro (vid. ad II, 697.); sequitur enim altera imago (haud dubie infra primam), poenam exhibens ob Androgei caedem Atheniensibus a Minoë irrogatam. — 21. *Cecropidae* Athenienses etiam Ovidio Met. VII, 502. Fast. III, 81. IV, 502. aliisque poëtis appellantur. — *miserum!* Vid. ad I, 251. — *septena corpora natorum* per appositionem additur voci *poenas*, ut II, 139. *Quos illi fors et poenas reposcent*, ubi cf. adnott. Ceterum vid. ad I, 193. II, 18. V, 318. „Argutantur in numero Interpretes. Cum pueri septem septemque puellae mitterentur, quidni alterutrum tantum poni potuit? *Heyn.* — *stat*, adstat, *urna*, unde ductae erant sortes, quibus destinabantur in Cretam mittendi et Minotauro obiiciendi pueri puellaeque. Verba *stat ductis sortibus urna* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 110. — 23. *Contra*, ex adverso, e regione, i. e. h. quidem l. in altera ianuae valva. Hand. Turs. II. p. 113. coniungit *contra respondet*, coll. loco Curtii VII, 9, 1. *Heyn.* inter alia haec adnotat: „Porro poëta servat morem veterem anaglyphorum, quae plura argumenta deinceps posita cumulabant; nam de unitate argumenti parum solliciti erant antiquiores. Sunt tamen h. l. res inter se cognatae et ad eundem historiarum ordinem spectantes.“ Quare etiam *respondet* („*bildet das Gegenstück, den Pendant*“) *Gnosia tellus* rebus Athenis gestis. — *Gnosia tellus.* Vid. ad Geo. I, 222. et Aen. III, 115. V, 306. Ribbeck. etiam hic scripsit *Cnosia.* — *elata mari*, alta, sollemni insularum epitheto. Vid. ad V, 588. — 24 sqq. Turpem de Pasiphaë fabulam, quae Solis filia ex tauri concubitu Minotaurum peperit, narrant Apollod. III, 1. 4. Hygin. f. 40. Diod. IV, 79. Ovid. Met. VIII, 136 sqq., sensum vero et notionem tam foeda allegoria involutam eruere conati sunt Heyn. ad Apollod. p. 217 sqq. et in *Antiquar. Aufs.* I. p. 20. Boettiger *Vasengem.* III. p. 25. Creuzer. *Symbolik* IV. p. 10 sqq. 83 sqq. Walz in Pauly *Realencycl.* voc. Minotaurus T. V. p. 72 sqq. alii. — „*crudelis amor*, violentus, ut alibi *saevus*, h. e. magnus, nimius.“ *Heyn.* Immo tanquam turpis bruti animalis amor *crudelis* vocari videtur; nisi malis cum Wagn. (quocum etiam ceteri recentiores interpretes consentiunt) explicare: „quia a Venere offensas suas crudeliter ulciscente Pasiphaae iniectus erat;“ nam Pasiphaë adulterium Martis et Veneris indicaverat Vulcano. Peerlk. (qui malit *taurus*, ut taurus ipse vocetur amor Pasiphaës, quemadmodum apud Ovid. Am. III, 9. *Delia, primus amor*, et similia) minus recte: „*crudelis*, quia taurus animal crudele et ferox.“ — „*supposta furto* pro supposita tauro adultero per furtum: *κρυφίοις γάμοις μιγεῖσα*, ex nota Musaei formula. Nolim tamen putare, ipsam vaccam ligneam ipsumque flagitium expressum fuisse, sed Pasiphaën v. c. demulcentem taurum: cf. anaglyphum ap.

Pasiphae mixtumque genus prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae;
Hic labor ille domus et inextricabilis error;
Magnum reginae sed enim miseratus amorem
Daedalus ipse dolos tecti ambagesque resolvit
Caeca regens filo vestigia. Tu quoque magnam

Winckelm. *Mon. ined. tab.* 94." *Heyn.* *Furto* pro *furtim* iam supra IV, 337. legimus. — *supposta.* Vid. VII, 283. et de contracta forma adnott. ad Geo. III, 527. etc. — **25.** *mixtum genus*, ex homine et tauro mixtum, explicatur verbis adiectis *proles biformis.* Sic Ovid. Met. VIII, 133. Minotaurum vocat *discordem fetum* et VIII, 169. commemorat *tauri geminam iuvenisque figuram.* Respicitur hic locus in Wernsd. P. Lat. min. IV, 345, 142. *Pasiphaae crimen mixtique Cupidinis iram*, ubi III, 79, 12. etiam verba *Veneris monumenta nefandae* repetuntur. — **26.** *inest*, in foribus, tamquam pars argumenti hic expressi. — *Veneris monumenta nefandae* (quae verba iterantur in Anth. Lat. III, 79, 12.) Heyn. interpretatur: „partus nefandi amoris." *Venus* pro amore. Vid. ad Ecl. IV, 32. V, 69. — **27** sqq. „Labyrinthus, Daedali opus, in Pasiphaës gratiam susceptum, ut Minotaurus in eo absconderetur. Sic Ovid. Met. VIII, 157. Hygin. f. 40. Apollod. III, 1, 4. 15, 8. Apud Homerum Daedalus in Ariadnae gratiam chorum s. saltationem Labyrintho similem effinxisse narratur Il. XVIII, 595 sqq., quem locum respicit Vergilius h. l. et supra V, 588 sqq. At nunc in *reginae*, regis Minois filiae, Ariadnae, gratiam Daedalus Theseo iter per Labyrinthum filo monstravit, quod inventum alii poëtae ad Ariadnae sollertiam referunt." *Heyn.* — *labor ille domus. Wagn.* qui prius haec adnotaverat: „*labor* magnitudinem et admirabilem speciem istius aedificii spectare mihi videtur, ut *operum labor* Geo. II, 155.," in min. edit. rectius explicat: „labor, quem ipse labyrinthus creat exitum quaerentibus." Verba *labor - domus* eadem ratione coniuncta, qua VII, 248. *Iliadum labor vestes.* Adsentitur mihi Benoist., adversatur Conington, qui *laborem* Daedali, non in labyrintho errantium intelligit et *domus* Genitivum habet, coll. *tecti inobservabili errore* ap. Catull. l. infra l. — *inextricabilis error*, unde nemo facile se extricare et expedire potest. Sic ap. Silium IV, 548. *inextricabile litus*, et similiter ap. Plin. XX, 21, 86. *inextricabilia stomachi vitia*, i. e. quae removeri, sanari non possunt. Ceterum cf. V, 591. *irremeabilis error* et ap. Catull. LXIV, 115. *tecti inobservabilis error* de Labyrintho. Vid. etiam Savar. ad Sidon. Apoll. Ep. II, 5. p. 129. Boethius et Augustin. ap. Meurs. Cret. II, 2. p. 67 sq. laudati ab Ungero de Valg. Rufo p. 483. — **28.** *regina*, regis filia, Ariadne. (Vid. supra.) Eadem ratione *regina* pro regia virgine legitur Aen. I, 273. ap. Stat. Achill. I, 295. Val. Fl. V, 374. 386. 442. VI, 657. alibi. Vid. etiam infra ad IX, 223. adnott. Peerlk., nomen Thesei a poëta reticeri non potuisse ratus, si ille *reginam* de Ariadne (de qua omnes recentiores editores mecum cogitant), non de Pasiphaë antea commemorata, intelligi vellet, nomen *tecti* autem, cum *domum* praecesserit, facile desiderari, parum probabiliter coni. *dolos Theséo ambagesque resolvit;* quamquam negari nequit, ambigue poëtam scripsisse. — *sed enim*, etc., h. e. *Sed* ipse Daedalus (miserabatur *enim* amorem reginae) tecti ambages resolvit. Cf. adnott. ad Aen. I, 19. — **29.** „Fallaciam viarum inter se implicatarum expedivit monstrato scilicet per filum, quod errantes gressus Thesei regeret, exitu." *Wagn.* — *ipse*, qui tamquam auctor Labyrinthi hoc optime posset. — *dolos tecti.* Cf. Catull. locus modo laud. — *doli et ambages* sunt flexus viae et errores Labyrinthi; Ovid. Met. VIII, 160. *flexus error variarum viarum.* Cf. etiam parallelus locus supra V, 589 sq. et Melae descriptio Labyrinthi Aegyptiaci I, 9, 5. — *resolvit*, explicat quasi et aperit, reditum et egressum monstrat. Cf. etiam Markl. ad Stat. Silv. V, 5, 82. Respicitur hic locus in Anth. Lat. III, 232, 22. *filo resolvens Gnosiae tristia tecta domus.* — **30.** *caeca vestigia* (Thesei) Wagn

Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro;
Bis patriae cecidere manus. Quin protinus omnia
Perlegerent oculis, ni iam praemissus Achates
Adforet atque una Phoebi Triviaeque sacerdos,
Deiphobe Glauci, fatur quae talia regi:
„Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit;
Nunc grege de intacto septem mactare iuvencos

---

recte interpretatur per gressum, pedem temere errantem; eadem ratione iam Schirach. p. 350.: „gressus, de quibus, quo ducant, nescimus." Cf. etiam supra IV, 209. *caeci in nubibus ignes* ibique adnott. — *regens.* Duo Codd. *legens*, ut X, 814. *Parcae fila legunt;* at non agitur de Theseo filum legente, sed de Daedalo Thesei iter filo regente; quamquam etiam de Theseo ipso ap. Catull. LXIV, 113. *errabunda regens tenui vestigia filo* et ap. Prop. III, 6, (II, 14,) 7. *Nec sic incolumem Minois Thesea vidit, Daedaleum lino cum duce rexit iter* legimus. Ceterum cf. etiam supra III, 659. Verba autem *legendi* et *regendi* haud raro a librariis confunduntur. Cf. Burm. ad Ovid. Her. X, 104. — „Versuum **30—33.** de Icaro suavitatem et vim facile sentis ex affectu et ex apostrophe ad Icarum proficisci. Verba Ausonius imitatus est in Mos. v. 300 sq. [*casus quem fingere in auro Conantem Icarios patrii pepulere dolores*]." *Heyn.* — *magnam partem - - haberes*, i. e. magna pars esses. Cf. II, 5 ibique adnott. — *opere in tanto.* Conington comparat Lucr. VI, 515. *opere in tali.* — *sineret dolor*, omissa Praepositione *si*, ut saepe. Vid. adnott. ad Geo. II, 519. — **32.** *bis.* Schol. Barthii ad Stat. Theb. II, 449. memorat, numerum binarium esse rei imperfectae, ternarium perfectae. Sed vid. adnott. ad II, 792. — *casus effingere in auro.* Cf. I, 640. *caelata in auro Fortia facta patrum* et Ausonii l. modo laud. — **33.** *patriae manus*, i. q. paternae, patris; ut I, 643. *patrius amor*, Ovid. in Ibin. 613. *nex patria*, Liv. VII, 5, 7. *acerbitas patria*, Cic. Am. 16, 46. *animus patrius* cett. Ceterum cum h. l. cf. Silius II, 139. *Ter cecidit dextra.* — „*Quin protinus*, *καὶ μὴν καί;* et vero sane reliqua quoque signa perlustrassent." *Heyn.* Cf adnott. ad Geo. IV, 1. — *omnia* per synizesin pronuntiandum *omnja*. Vid. ad Aen. I, 2. (288. VII, 237. al.) coll. adnott. ad Geo. I, 397. Temere enim hunc versum in hypermetrorum numero habent Macrobius Sat. V, 14, 4. et Heinsius, quos recte refutat Weichert. de versu hyperm. p. 23. Alii, velut Wakef. et Both., defendunt lectionem *omne*, quae apparet in Rom. et Paris. 2., ut in aliis *omnem*, vel *omnes*. Iahn. conferri iubet Bothium ad Sen. Herc. Oet. 48. p. 225. — **34.** *perlegerent;* nam praeter Achaten etiam alios socios secum duxit. Vid. v. 40 sq. Cf. autem infra v. 755., ubi simplex verbum *legere*. Ceterum Scaurus de orth. p. 2260. P. scribi vult *pellegeret*, cui tamen orthographiae Vergilii Codd. non favent. — *praemissus Achates.* Cf. I, 644. *praemittit Achaten.* — *iam* cum *Adforet*, non cum *praemissus* coniungendum. — **35.** *Phoebi Triviaeque sacerdos.* Vid. X, 537. — **36.** Sibyllam Cumanam s. *Deiphoben* non male *Glauci* filiam (vid. ad III, 319.) vocari, cum ille (de quo vid. ad Geo. I, 437. et III, 267.) inter deos fatidicos habeatur, iam Heyn. memoravit. Ceterum vid. supra ad v. 10. — Verba *fatur quae talia regi*, quae, Cerda teste, in nonnullis Codd. desiderantur, Peerlk. spuria censet. Sed recte iam Heyn. observavit, omissa videri a librariis in voc. *regis* haerentibus, quo tamen nomine Aeneas etiam infra v. 55., supra I. 88. 544. 553. 575. et alibi appelletur. — **37.** Cf. locus similis II, 521. — *ista spectacula*, spectationem istarum rerum. Vid. ad IV, 237. 387. VII, 595. etc. Respexit hunc locum Claud. in Eutrop. II, 365. *non haec spectacula tempus Poscere;* totus autem hic versus repetitur in Anth. Lat. I, 178, 160. Med. a m. pr. et Rom. praebent *poscunt;* sed *poscit* meliorem esse lectionem, iam Serv. recte iudicavit. — **38.** *grege de intacto*, scil. iugo. Vid. ad Geo. IV, 540. et Hom. Od. III, 382. *βοῦς ἀδμήτους.*

Praestiterit, totidem lectas de more bidentis."
Talibus adfata Aenean — nec sacra morantur
Iussa viri — Teucros vocat alta in templa sacerdos.
Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum;
Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllae.
Ventum erat ad limen, cum virgo „Poscere fata

— *septem.* Septenarius numerus erat sacer. Cf. V, 35. X, 329. — **39.** *de more.* Fragm. Vat. et Bern. III. *ex more,* quod Ribbeck. hic fortasse praestantius censet. — *bidentes.* Vid. ad IV, 57. Verba *lectas de more bidentes* redeunt infra VIII, 544. — **40.** *iussa sacra,* ut III, 547. *iussi honores.* Sic ap. Ovid. Met. IV, 32. *Iussaque sacra colunt.* — *nec sacra morantur,* scil. exsequi. In Anth. Lat. I, 170, 38. legimus *dum sacra morantur.* Conington confert Val. Fl. VII, 60. *Haud ipse morabor, Quae petitis.* — **41.** *alta in templa.* Cf. supra v. 9. — **42** sqq. *Heyn.* de h. l. sic iudicat: „Locorum situm et faciem plane legentis animo eripiunt interpretes, dum hic antrum in adyto templi in Cumani collis latere positum esse putant. Templum Apollinis erat monti impositum, qui mox urbi pro acropoli fuit. Quod nunc memoratur *antrum Sibyllae,* in latere eius montis excisum, non longe ab eo loco abesse poterat. Ad hoc iam ex Apollinis templo abducit Sibylla Aeneam. Fallunt viros doctos *alta templa,* quae nunc non sunt Apollinis aedes, sed antrum Sibyllae, μαντεῖον." Quare Wagn. prius suasit, ut post voc. *sacerdos* Commate tantum incidentes vv. *latus ingens* cett. *altis templis* per appositionem adiuncta haberemus. De voc. autem *templi* quemvis locum rebus sacris destinatum indicante Thiel. conferri iubet Ochsner. ad Ecl. Cic. p. 306. Süpflius tamen, Conington et Henry (*Tw. years* VI. p. 6. et Philol. XVII. p. 627.) rectius cum Vossio *alta templa* de templo Apollinis intelligunt, unde cryptoporticus in antrum Sibyllae duxerit; eademque ratione etiam Wagn. et Ladew. in recentiss. editt. recte censent, „templum Apollinis hic intelligendum ita fuisse praecisae rupi applicatum, ut ea pro postica templi pariete esset, ex qua plurima (*centum*) *ostia* foribus clausa (v. 47. et 52.) totidem *aditus* (v. 43.) ad antrum Sibyllae praebuerint." Si igitur antrum Sibyllae non nisi per templum Apollinis poterat adiri, cadit causa, qua commotus Steinmetz. Progr. p. 12. Heynio adsentiendum esse putat, nullam scilicet apparere causam, cur Sibylla Aeneam in templum Apollinis vocet, in quo sacra non instituantur. Non male autem et idem Steinmetz. l. l. p. 13. de ostiis illis sic iudicat: „Aditus illi et ostia non nisi expandendo et diffundendo sono inservire poterant. Vergilius, quo maiorem a Sibylla editis maiestatem adderet, miraculum soni ostiis illis multiplicari commentus esse videtur. Aliter enim non intelligitur, cur ea memoraverit, cum aditus illi foribus occlusis aditum non praeberent;" quod eo probabilius, quod ad limen modo antri stant, quibus vaticinia Sibyllae canuntur. — *Euboicae rupis,* montis Cumani, quem Euboici Chalcidenses incolebant. Vid. supra ad v. 2. — „Multi erant in montis istius latere excisi *aditus* subterranei, per quos veniebatur ad totidem ostia sive *ora* (v. 53.) sive *fores* (v. 47.), quibus clausum erat antrum in medio monte excavato patens." *Wagn.* Sic etiam Henry in *Tw. years* VI. p. 7. et Philol. XVII. p. 628., qui comparat Ammian. XVII, 4. *Urbem* (Thebas) *portarum centum quondam aditibus celebrem* et Aen. XI, 525. *Angustaeque ferunt fauces aditusque maligni.* — *excisum in antrum,* ita ut antrum efficeretur. Simili, quamquam non prorsus eadem, ratione supra III, 533. *Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum.* Cf. etiam adnott. ad Geo. II, 448. Aen. I, 587. VII, 13. XI, 771. Ceterum hunc versum laudat Schol. Iuven. VI, 649. — **43.** Vid. infra ad v. 81. *Centum* autem numerum rotundum esse pro *multis* positum, in promptu est. — **45.** *ad limen* ipsius ant[ri], ubi Troiani in templum vocati (v. 41.) resistunt. Cf. infra v. 124. [...] tamen erat, cur Heyn. adnotaret: „Quod sane non potuit esse cent[...]

Tempus, ait; deus, ecce, deus!“ Cui talia fanti
Ante fores subito non voltus, non color unus,
Non comptae mansere comae; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; maiorque videri
Nec mortale sonans, adflata est numine quando

---

ostiorum, sed tantum unius;“ nam etiam de domo, quae plures habet ianuas, in universum licet dicere: Ventum est ad limen, i. e. ad domum ipsam, oppositam plateae, unde venimus. Cf. etiam Henry in *Tw. years* VI. p. 9. et Philol. XVII. p. 628. Quare non opus est, ut cum Süpflio discrimen statuamus inter *limen* et *fores*, i. e. ianuam e templo in antrum ducentem, et alios praeterea *aditus* et *ostia* antri extra templum, cui rationi etiam adversatur infra v. 81. — *Poscere fata* eodem modo dici de eo, qui quod fatum sit quaerat, quo *dare fata* de eo, qui fata praedicat (cf. adnott. ad Aen. I, 382.), vere memorat Gossrau. Cf. etiam Dietsch. Theol. Verg. p. 28., qui docet, etiam ex Partic. *dicta* infra v. 73. adiecto apparere, *fata* hic non esse oracula (de quibus prius cum plerisque cogitavi), sed fati decreta per oracula enuntiata. Ceterum cf. infra v. 66 sqq. — **46**. *tempus est*, i. e. ad poscenda fata. Vid. ad Geo. I, 305. Eadem ratione infra IX, 12. legimus *nunc tempus equos, nunc - poscere currus.* — *deus, ecce deus!* „Statim in aditu antri Sibylla dei afflatum sentit [vel *recipit deum, incalescit deo*, ut cum Ovidio loquar Met. XIV, 107. et II, 641.].“ *Heyn*. Cf. Ovid. Met. XV, 667. *Deus en! deus en!* Avien. descr. orb. v. 6. *deus, en deus intrat Apollo!* et similes locos. Ipsa verba *deus, ecce deus!* hinc repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 161. — **47**. *Ante fores* ostiorum. Vid. supra ad v. 42. — *unus*, i. e. idem atque antea. Vid. supra V, 616. — **48**. „*Non comptae mansere comae:* atqui erant illae resolutae, ut in sacris mos erat [vid. ad II, 403.]; igitur nunc factae sunt horrentes (cf. Sen. Agam. 712.), seu iactatae (ut Tibull. II, 5, 66.), quod malim ex Val. Fl. I, 208 sq. imitatione.“ *Heyn*. De sparsis et horrentibus vaticinantium comis earumque furiosa iactatione vid. supra III, 370. et cf. praeter Sen. et Val. Fl. ll. ll. idem Sen. Oed. 230. Lucan. V, 155, 171. Catull. LXIII, 23. LXIV, 306. Quinct. Inst. XI, 3, 71. Eurip. Iph. Aul. 757 sqq. Huschkii Anal. crit. p. 81. et Dissen. ad Tibull. II, 5, 66.; de *comendi* autem vocabulo, proprio de capillis, Hor. Od. IV, 9, 13. Tibull. I, 8, 16. IV, 2, 10. Stat. Theb. VIII, 165. alios. — *pectus anhelum*. Cf. Lucan. V, 190. et Sen. Agam. 708. — **49**. *rabie fera*, divino furore, quem dei praesentia inspirat; nam *rabies* de quavis vehementiore animi affectione dicitur. Cf. Cic. Tusc. III, 26, 63. IV, 24, 53. Hor. A. P. 70. Ter. Eun. II, 3, 8. Petron. c. 94. cett. — „*maior videri*, ut solent maiora visu esse, quae sensus animumque miratione percellunt. Natum ex hoc ipso naturali sensu phantasma poëticum, ut dii, si hominibus appareant, maiores maioresque fieri dicantur.“ *Heyn*. Cf. adnott. ad II, 773. Ceterum Wagn. Qu. Verg. XXX. p. 521. *videri* non habet Infinitivum absolutum, sed a voc. *maior* pendere putat, ut *θαῦμα ἰδέσθαι*, *niveus videri* (ap. Hor. Od. IV, 2, 59.), *lubricus adspici* (ap. eund. Od. I, 19, 7.) et similia; quod recte probant Ladew., Conington et Benoist. — **50**. *Nec mortale* (i. e. divinum quid) *sonans*. Vid. I, 328. ibique adnott., quibus adde infra XII, 529. Gossrau confert Sen. Oed. 232. Pythiae *emicat vasto fragore maior humano sonus*. — *adflata numine*. Vid. ad I, 591. De ipsa re cf. V, 649. Dietsch. Theol. Verg. p. 5. verba *numine iam propiore dei* pro Ablat. absolutis habet, locum sic explicans: „quando afflata est, cum numen dei, i. e. ipse deus, ei iam appropinquaret.“ Sed, ne urgeam locum, quem vox *quando* obtinet, dubito, num simplex verbum *adflandi* probari possit. Heyn. aliam suadet huius loci distinctionem, ut post *sonans* Punctum, post *dei* Comma ponatur; eamque rationem secutus est Iahn. Sed vere memorat Wagn., hoc si poëta voluisset, non *quando*, sed *ut, ubi*, scripturum fuisse. *Quando* enim hic causalem, non temporalem habet significationem. Quod attinet ad locum, quem obtinet, cf. X, 366. et adnott. ad Ecl. IV, 63. Ceterum Peerlk. praeter necessitatem coni. *numine*

Iam propiore dei. „Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent
Attonitae magna ora domus.“ Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor funditque preces rex pectore ab imo:
„Phoebe, gravis Troiae semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidae, magnas obeuntia terras
Tot maria intravi duce te penitusque repostas

---

tanto. — **51.** *Cessas in vota precesque?* i. e. cur tardus es ad vota facienda? s. quid cessas vota facere? neque confundenda est haec constructio cum nota illa formula *cessare in aliqua re,* i. e. tardum esse in re facienda, quae iam coepta est. Thiel. et Gossrau supplent verbum *ire, descendere,* Gronov. autem ad Sen. Oed. 304. *deos vocare.* Cf. etiam similis locus II, 347., ubi *audere in proelia* legimus. Conington comparat Sen. Med. 406. *Nunquam meus cessabit in poenas furor. Vota* et *preces* autem saepissime coniunguntur (vid. infra XI, 157. Sil. XII, 325. Mart. X, 28. Stat. Theb. XI, 616. al. et Markl. ad Stat. Silv. I, 2, 195.) et vota quidem facit Aeneas v. 69 sqq., preces v. 56 sqq. Wagn. hic confert Tib. II, 2, 10. *En age, quid cessas? adnuet ille: roga.* — **52.** *enim,* nostrum *denn - - ja.* Cf. Hand. Turs. II. p. 390. — *ante,* scil. quam vota feceris. — *dehiscent.* „Antiqui sacerdotes, ut vulgus fraudarent, templa ita artificiose claudebant, ut fores nulla opera humana aperiri viderentur. Ita Castoris et Pollucis *aedes* (Romae) *nullius hominum manu reserata patuit,* Val. Max. I, 8, 1.“ *Gossr.* Ceterum vid. infra ad v. 81. — **53.** „*magna ora domus,* interioris maioris antri, tamquam adyti fores, *attonitae,* ut rei inanimatae tribuatur sensus idem, qui eorum est, qui repente revelli fores audiunt [potius: qui dei alicuius praesentiam sentiunt: vid. infra].“ *Heyn. Attonitus,* quod alibi dicitur de ipsis vatibus (Hor. Od. III, 19, 13.) et aliis, qui sunt divino spiritu et furore tacti (Aen. VII, 580. etc.), hic ad antrum refertur, in quo vates divino spiritu afflata versatur, quodque quasi stupens fores retinet clausas. (Cf. infra v. 81.) Süpflius *attonitam domum* reddit *das begeisterte, gotterfüllte Haus;* male Gossr.: „quae magno valvarum strepitu movetur.“ Rectius Henry (*Tw. years* VI. p. 10. et Philol. XVII. p. 628. *das betäubte,* comparans hominem, qui stupore os aperire non potest, locosque Aen. V, 529. VII, 580. 814. Apul. Met. IV, 22. [extr.] imprimisque Lucan. II, 21. *Attonitae tacuere domus* et provocans ad Hildebr. ad Apul. Met. XI, 14. [p. 1036.]. — Verba *Et talia fata* (pro quibus Heins. maluit: *Ut talia fata Conticuit, gelidus* etc.) Peerlk. spuria censet atque etiam Gossr. abesse malit. — **54.** *gelidus tremor.* Vid. ad II, 120. Non autem est, cur memorem, quanta vi sibi opponantur hic *gelidus tremor* et *dura pectora.* — *funditque* Heins. ex optimis Codd. (quibuscum conspirat Serv. ad Aen. V, 780.) restituit pro vulg. *fuditque,* quod accommodatum est antecedenti *cucurrit.* Sed vide adnott. ad Geo. III, 228. (De Cod. Pal., quem Wagn. *fuditque* exhibere refert, tacet Ribbeck.) — **56.** Apollinem apud Homerum semper a Troianorum partibus stare, observavit Heyn., qui ad v. 57. haec adnotat: „Fundus Iliad. XXII, 359.; verum copiosius haec executi erant poëtae cyclici, Arctinus in Aethiop. et Quintus l. III. pr. Veneris et Apollinis precibus id dedisse Iovem, praeclare exponit Hor. Od. IV, 6, 21.“ Vid. etiam Ovid. Met. XII, 606., ubi Bach. conferri iubet Mythographos I, 36. II, 205. ed. Bod. Ceterum cum hoc versu cf. I, 597. *O sola infandos Troiae miserata labores.* Etiam Silius XII, 331. commemorat *Troianos labores.* — **57.** *direxti.* Vid. ad I, 201. et V, 786. Ovidius Met. XII, 606. de eadem re scribit: *Certaque letifera direxit spicula dextra.* — *tela manusque.* Conington comparat Aesch. Agam. III. ξὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι. — **58.** *Aeacidae.* Vid. ad Aen. I, 99. — *obire* pro cingere, circumdare, legitur etiam Aen. X, 483. Ovid. Met. V, 51. (*indutus chlamydem, quam limbus obibat Aureus*) alibi. — **59.** *duce te,* monitis tuis, quod oraculum

Massylum gentis praetentaque Syrtibus arva,
Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras;
Hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta.
Vos quoque Pergameae iam fas est parcere genti,
Dique deaeque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens
Gloria Dardaniae. Tuque, o sanctissima vates,
Praescia venturi, da — non indebita posco

Apollinis secuti sunt. Cf. III, 154 sq. — *penitus repostas*, longe remotas et in intima Africae parte latitantes, ut *terrae repostae* III, 364. Cf. etiam infra v. 655. et *penitus reposta loca* in Wernsd. P. Lat. min. V. p. 1317, 6. Omnia autem, id quod vere adnotat Heyn., in maius aucta; quare etiam *Massyli* (de quibus vid. ad IV, 132.) et regio *Syrtica* (vid. ad IV, 41.) pro vicinis Carthaginiensibus eorumque agro commemorantur. De syncopata forma *repostus* vid. ad Aen. I, 26., ubi addi potest Corssen. de pron. II. p. 22. Sic etiam *compostus* I, 249., *expostus* X, 694., *inpostus* IX, 716. — **60.** *praetenta Syrtibus* (Ablat.) *arva*, i. e. arva, quibus Syrtes praetentae sunt; aliter supra III, 692. *Sicanio praetenta sinu* (Dativ.) *insula*. Schrader. sine causa coni. *praetextaque*. — **61.** Sententia haec est: Cum tandem in Italiam prius semper nos fugientem pervenerimus, nunc certe, Phoebe, efficias, ut adversa fortuna nos secuta fuerit, i. e. non amplius sequatur, sed tandem aliquando finem habeat. — *Iam tandem*. Vid. X, 890. XII, 497. Liv. XXII, 12, 10. et al. Sic etiam *iam denique* II, 70. — *Italiae fugientis oras*. Vid. ad V, 629. et III, 496.; *fugientis* autem Accusativus videtur esse cum voc. *oras* coniungendus, cum Verg. soleat epitheton a Substantivo suo separare, quare etiam in pluribus Codd. scribitur *fugientes*. Cf. etiam III, 496. *Arva - Ausoniae semper cedentia retro*. Quamquam qui *fugientis* Genitivum habent, provocare possunt ad V, 629. — *prendimus oras*, ut fugientem (cf. XII, 775.), i. e. orae appellimus. Cf. etiam IV, 346. *Italiam capessere*. Punctum vulgo post *oras* positum cum Wagn. in min. edit., Ladew., Conington e et Benoisto mutavimus in Semicolon, ut v. 62. quasi apodosin habeamus. — **62.** *Hac tenus*. Vid. ad V, 603. et Iahn. et Bach. ad Ovid. Met. V, 642. — *Troiana fortuna*, i. e. adversa, infesta. Cf. V, 604. et Hor. Od. III, 3, 61. *Troiae renascens alite lugubri Fortuna tristi clade iterabitur*. — *fuerit secuta*, optative, ut ap. Tibull. II, 5, 79. *Haec fuerint olim*, ubi vid. Huschk. et Dissen. Cf. etiam Kritz. ad Sall. Iug. 110, 3. et 4. Gernhard. de vi et usu Coniunct. ap. Latt. Opuscc. p. 90 sqq. Matth. Excurs. ad Cic. Cat. IV, 6, 11. p. 244. alii. Sensus igitur est: Desinat iam adversa fortuna nos persequi. — **63.** *Vos quoque, dii, deaeque*, qui inimici estis Troianorum, imprimis Iuno, Minerva et Neptunus. — *Pergameae*. Vid. adnott. ad III, 133. — *parcere*. Aliquot Codd. minoris pretii *parcite*, quod Heynio non displicet et a Wakef. receptum est. Sed verba *iam fas est parcere genti* sic etiam repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 33. — **64.** *Dique deaeque omnes*, ut Geo. I, 21. — „*obstitit*, invisa fuit; quae consiliis nostris obsistunt, repugnant, ea invisa sunt.“ *Heyn*. Cf. Silius XVII, 550. *tantumne obstat mea gloria divis?* Conington addit Pers. V, 163. *an siccis dedecus obstem Cognatis?* Ladew. coll. infra v. 870. sq. potius illam antiquitatis opinionem respici putat, ex qua nimia hominum fortuna movet deorum invidiam. — **65.** *Dardaniae*. Vid. ad III, 156. Ceterum cf. II, 325. *Ilium et ingens Gloria Teucrorum*. — **66.** *Praescius* cum Genitivo constructum etiam ap. Val. Fl. V, 529. (*vox praescia sortis*). Tac. Ann. VI, 21. XI, 29. alibi legitur. Vid. etiam infra XII, 452. — *da considere*, fac vaticinio tuo, ut considere possimus, doce nos, quomodo id efficiendum sit. *Dare* autem vaticinantes dicuntur, quae sciunt datum iri a diis. Cf. etiam adnott. ad Aen. III, 85. De constructione dictum est ad (I, 66.) I, 319. (V, 689.) al. *Heyn*. adnotat: „Tribuit autem superstitio hoc vatibus, ut, quae praedicunt, videantur ipsi quasi efficere et pro arbitrio constituere.“ *Heyn*. — *non indebita fatis regna*,

Regna meis fatis — Latio considere Teucros
Errantisque deos agitataque numina Troiae.
Tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum
Instituam festosque dies de nomine Phoebi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.
Hic ego namque tuas sortes arcanaque fata
Dicta meae genti ponam lectosque sacrabo,

---

quae mihi ex fatis debentur, quae iure meo postulare possum. Cf. adnott. ad Aen. III, 184. Alii minus recte distinguunt: *da, non indebita posco, Regna* etc. Tum enim in seqq. scribendum erat: *Latio et considere Teucros.* Burm. in omnibus eiusmodi locis *fatis* pro Dativo habet, equidem potius cum Peerlk. (quem vide ad h. l.) pro Ablativo (*a fatis, ex fatis*), quod probant Dietsch. Theol. Verg. p. 28 sq., Ladew., Conington et Benoist. Alia res est apud Val. Fl. V, 509., qui locum nostrum respiciens quidem, sed non plane imitatus, scripsit: *Non aliena peto terrisve indebita nostris,* et in Anth. Lat. III, 81, 81., ubi tantum verba *da, non indebita posco* repetuntur. — **67.** *Teucros* longe gravius, quam *nos;* et magis etiam rem auget Penatium commemoratio: *Errantisque deos.* Cf. similis locus infra VII, 229 sq. — **68.** *agitata.* Cf. XII, 803. — **69** sqq. „Ad templum in Palatio ab Augusto factum respici, ut Aeneas ex posterorum persona vota faciat, iam Serv. notavit. Cf. Suet. Octav. 29. Ex Vergilii verbis vix aliter iudices, quam cum Apolline Dianae quoque sorori fuisse id consecratum; ut in ludis saecularibus aliisque sacris consociatae fuere utriusque dei religiones. Ex Prop. II, 31, 15. [III, 29, 15.] apparet, Apollinis signum in eo templo medium inter Latonam et Dianam stetisse.“ *Heyn.* — *solido de marmore templum.* Vid. ad Ecl. VII, 31., ubi adde Aen. VII, 688. Pro *templum,* quod Heins. ex Med. et Rom. restituit, Pal., Gud., Bern. II. III. aliique Codd. praebent *templa,* quod praefert Henry (*Tw. years* VI. p. 11 sq. et in Philol. XVII. p. 629.), cum gravius et augustius sit, quam Singularis, atque Verg. etiam alibi, nec minus Ovid. Met. XIV, 128. in eadem re narranda Plurali huius vocis utantur et inter 47 Codd. a se collatos quinque modo lectionem *templum* praebeant. Nemo tamen recentiorum editorum eum secutus est; Codices enim non numerandos, sed ponderandos esse scimus et Pluralis ex v. 41. videri potest huc translatus. — *templum de marmore,* ut Geo. III, 13. et Aen. IV, 457. Cf. adnott. ad Ecl. VII, 31. — **70.** *festos dies,* ludos Apollinares ab Augusto institutos, qui quinto quoque die m. Iulii celebrabantur (cf. Liv. XXV, 12, 9.) et a Praetore urbano regebantur. (Liv. XXVII, 23, 5.) Cf. omnino Macrob. Sat. I, 17. et Krause in Pauly *Realencycl.* IV. p. 1203 sq. — *instituam,* quod proprie ad solos *dies festos* pertinet, per zeugma etiam ad *templum* refertur; quamquam etiam sine zeugmate Val. Fl. III, 426 dicit *aras instituere.* Wagn. praeter h. l. apte comparat eiusd. I, 15 sq. *Ille tibi cultusque deûm delubraque genti Instituet,* Conington vero simile zeugma Aen. I, 264. *moresque viris et moenia ponet.* — **71.** *manent* de re futura, ut III, 503. VI, 84. VII, 319. 596. et alibi. — *penetralia,* templa, ubi libri Sibyllini Romae asservabantur, qui, prius in Capitolio depositi, ab Augusto sub Apollinis Palatini basi reconditi sunt. Cf. Suet. Octav. 31. Tac. Ann. VI, 12. et Tibull. II, 5, 1. ibique interpp. Neque aliter intelligendum esse Ovidium, docet Heyn., etsi ille rem ita efferat, quasi templum et sacra Romae habuerit Sibylla, Met. XIV, 128. *Templa tibi statuam, tribuam tibi turis honorem.* Cf. omnino Scheiffele in Pauly *Realencycl.* VI. p. 1151 sqq. — **72.** *tuas sortes arcanaque fata,* quae ap. Tibull. II, 5, 16. *abdita fata.* Intellige autem fata oraculis enuntiata et cf. supra adnott. ad v. 45. — *sortes,* i. q. oracula. Vid. ad IV, 346. — **73.** *lectos viros,* librorum Sibyllinorum custodes et interpretes ex ordine patricio et plebeio pari numero electos, ab initio duo, tum decem, postea quindecim, ex quo tempore, vel aucto fortasse eorum numero, remansit tamen *Quindecimvirorum* appellatio. Cf. Cic. Div. I, 2,

Alma, viros. Foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis;
Ipsa canas, oro.“ Finem dedit ore loquendi.
At Phoebi nondum patiens inmanis in antro
Bacchatur vates, magnam si pectore possit
Excussisse deum: tanto magis ille fatigat

---

4. id. de har. resp. 13. Liv. V, 13, 6. X, 8, 2. Hor. Carm. saec. 70. Tac. Ann. VI, 12. XI, 11. XVI, 22. Dio Cass. XLIV, 15. LIII, 1. Gell. I, 12. alii et Ruhnk. Lect. in antiq. Rom. ed. Eichstad. Ien. 1822. VI. p. 11 sqq. — **74**. *Alma*. Vid. infra v. 117. et adnott. ad Ecl. VIII, 17. — *Foliis tantum* etc. Adv. *tantum* (ut nostro *nur*) utuntur optantes, qui eam rem unam, quam proferunt, maxime urgent. Cf. v. c. Aen. VIII, 78. Exsequitur autem Aeneas Heleni praeceptum supra III, 441 sqq. et 457., ubi eadem fere verba leguntur. — *carmina*, vaticinia, ut Ecl. IV, 4. Aen. III, 485. Liv. I, 45. et alibi saepe. — *foliis ne manda*. Cf. III, 444. — **75**. Cf. III, 448 sqq. — *ludibria ventis*. Sic Hor. Od. I, 14, 16. in comparatione rei publ. cum nave: *Tu, nisi ventis debes ludibrium, cave.* Similiter navis *pelagi ludibrium* dicitur Lucano VIII, 710. et Claud. IV. Cons. Hon. 139. — **76**. *Ipsa canas*, omissa Particula adversativa. Vid. ad IV, 433. De Pron. *ipsa* vid. supra ad III, 457. — Verba *finem dedit ore loquendi* Toll. ad Longin. 6. aliique ab alia manu assuta esse putant; temere. *Ore loqui* non solum Lucilius dixit ap. Nonium p. 158, 9. (*Haec ubi dicta dedit, pausam facit ore loquendi*), sed etiam Maro ipse I, 614. IX, 5. 319., ut *ore effari* II, 524. et III, 463. *ore referre* XI, 123. Sic etiam IV, 680. VI, 247. et al. *voce vocare, voce referre* I, 94. 208. infra v. 186. IX, 403. XI, 784. *voce precari* et similia. — **77** sqq. „Ornate omnia: a domandis equis translata verba (cf. 100. 101.) ad vatem, quae nollet deum recipere, *ἐνθουσιάζειν*, cum divina vis crederetur corpus mortale, tamquam sui non capax, graviter vexare. - - - Non autem nisi cum spasmis et convulsis inter dolores membris vates, quippe ecstatici, insaniebant.“ *Heyn*. — *Phoebi nondum patiens*. Sic Stat. Theb. X, 165. *impatiensque dei fragili quem mente receptum Non capit.* (Contrarium est ibid. v. 624. *vates plenus Phoebo*, vel apud Ovid. Met. XIV, 107 de eadem Sibylla: *tandemque deo furibunda recepto*.) Imitantur locum nostrum Sen. Oed. 230. *Incipit Lethaea* (potius *Letoa*: cf. Heins. Advers. I, 17.) *vates spargere horrentes comas, Et pati commota Phoebum*, et Lucan. V, 174. *bacchatur demens - per antrum - - Iratum te, Phoebe, ferens*. — *inmanis* (pro *inmaniter* s. *inmane*, quod legitur Geo. III, 239. Aen. VII, 510. X, 726.), cum Verbo *bacchatur* coniungendum esse patet. Cf. adnott. ad IV, 494. — *in antro*. Sibylla igitur interea antrum ingressa est eiusque vaticinium foras (*per auras* v. 82.) perfertur ad aures Aeneae comitumque eius, qui ante limen restiterunt. — **78**. *bacchatur*, furibunda discurrit. Vid. ad IV, 301. — *si possit*. Cf. adnott. ad (Ecl. VI, 57.), Aen. I, 181. al. — **79**. *excussisse*, *ἀοριστικῶς* pro: quam celerrime excutere. Cf. adnott. ad III, 606. *Excutere* autem *deum* eadem ratione dictum, qua V, 679. *excussa pectore Iuno*, et hic quidem eo aptius, cum metaphora ab equo ducta sit, qui invitus ab equite, quem studet deiicere, domatur. Cf. etiam Sen. Agam. 791. *dum excutiat deum* (Cassandra), *retinete, ne quid impotens peccet furor*. — „Quanto magis illa bacchatur, ideoque reluctatur, tanto magis ei deus instat, ut furorem concipiat et vaticinia effundat.“ *Heyn*. Solent autem feroces equi *fatigando* s. exercendo domari. — „*Fingitur* equus a magistro *premendo*, h. e. dum premitur frenis (cf. supra I, 63.); ergo Phoebus domans Sibyllam, vi divinatrice mentem versans, ut ea incalescat, *fingit premendo*, pro premit.“ *Heyn*. Immo utrumque verbum habet vim suam: equi *premendo* (dum frenis coercentur) *finguntur* (ad voluntatem equitis componuntur, *werden dressirt*). Cf. etiam Hor. Epist. I, 2, 64. *fingit equum - - magister* et Macrob. Sat. VI, 2. *fingitque* (equum) *morando*. Val. Fl. V, 534. hunc locum sic imitatur: *fingit placidis fera pectora dictis*. Ceterum cf. etiam Aen. I, 53. et XI, 600. Alii, ut Peerlk. (quem iure vituperat Henry in

Os rabidum fera corda domans fingitque premendo.
Ostia iamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua vatisque ferunt responsa per auras:
„O tandem magnis pelagi defuncte periclis —
Sed terrae graviora manent — in regna Lavini
Dardanidae venient — mitte hanc de pectore curam —,
Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella

Tw. years VI. p. 12. et Philol. XVII. p. 629.), minus apte metaphoram repetunt ab argilla vel cera, quae digitis premitur atque ita fingitur et ad certam formam componitur; et Gronov. ad Stat. Theb. VI, 742. hunc locum iam contulit cum Plat. de Rep. II. p. 377. C., qui volebat, nutrices et matres πλάττειν τὰς ψυχὰς τοῖς μύθοις πολὺ μᾶλλον, ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσίν. Cf. adnott. ad Aen. VIII, 365. — **80**. *Os rabidum.* Sic etiam infra v. 102. In utroque loco Codd. confundunt *rabidus* et *rapidus*. Vid. ad Ecl. II, 10. et Geo. II, 151. — **81**. Nunc demum antri ostia antea clausa (cf. v. 52 sq.) repente et sua sponte (vid. ad v. 52.) aperiuntur, ut vatis responsa inde erumpere (*ruere*, v. 43.) possint. Recte igitur *Heyn.*, coll. Callim. in Apoll. 3. 6 sq.: „Putanda autem est Sibylla adytum ingressa, deo plena, ex adyto haec vociferari, voce per cava antri resonante; Aeneam autem ante fores substitisse. Cf. v. 98. et 44.“ Cf. adnott. ad v. 42. Cum Part. *iamque* postposita cf. III, 588. — *patuere.* De hoc usu Perfecti vid. adnott. ad Geo. I, 49. — **83** sqq. „secundum Heleni praedictionem supra III, 458 sq. Cf. praeclarum locum Tib. II, 5, 39 sqq.“ *Heyn.* — **84**. *terrae.* Sic altera Codd. familia cum Med. et Pal., quam lectionem utpote difficiliorem cum Wagn. praetulimus vulgari *terra*, quam Rom. aliique Codd. exhibent. (Inter 43 Codd. ab Henr. collatos 30 *terra*, 13 *terrae* praebent.) Wagn. (quem in prima edit. temere secuti sumus), comparans III, 162. Geo. II, 290. Aen. XII, 130. et locos, ubi *terrae* idem est quod in *terram*, X, 555. XI, 87. Ovid. Met. II, 347. V, 122. etc., *terrae* pro *in terra* positum (vid. ad Geo. l. l. Aen. V, 481. et X, 555.) et *graviora* absolute capiendum putat. Sed cum loci a Viro doct. comparati non eiusdem sint generis, *terrae* autem, ut cognatum *humi*, alibi non nisi verbis *sternere*, *fundere*, *procumbere* et similibus sic adiungi soleat, nunc cum Heynio, Iahnio, Süpflio et Peerlk. ad *terrae* ex v. 83. *pericula* supplendum esse puto (coll. Aen. X, 57. et I, 598.), ut sensus sit: pelagi quidem periculis defunctus es, sed manent graviora terrae pericula (quam rationem etiam Gossr., Ladew., Coningt., Benoist. atque Wagn. ipse in edit. min. sequuntur). Quare etiam signum exclamandi, quod Wagn. prius post *periclis* posuit, sustulimus, et verba *Sed terrae graviora manent* παρένθετα habemus, in quo nos sequuntur ceteri recentiores editores praeter Bryceum et Coningtonem antiquam loci distinctionem - - *defuncte periclis! Sed terrae graviora manent. In regna* etc. servantes. Etiam Henry *Tw. years* VI. p. 13. et Philol. XVII. p. 629. nobiscum consentit. Süpflius praeterea tertiam proponit explicationem, ut *terrae* pro Dativo habeamus cum *maneat* coniungendo et locum sic capiamus: *aber dem Lande bleibt noch Schwereres, ist noch Schwereres vorbehalten*; quam probare non possum. — *in regna Lavini.* Nunc tandem manifestum de loco aditus ad Italiam vaticinium. Ante enim locus obscure tantum indicatus fuerat. Cf. II, 781. — *in regna* autem *Lavinii* est: in regionem illam, ubi Lavinium ab Aenea condetur et novum regnum fundabitur. Sibylla igitur anticipatione, quam vocant, utitur; quod non considerantes librarii quidam et antiquiores editores scripserunt *regna Latini*, quam lectionem Peerlk. alteri non debebat praeferre. Cf. I, 2. De contracta Genitivi forma vid. ad Ecl. I, 33. — **85**. *mitte curam.* Cf. supra I, 203. *maestumque timorem Mittite.* Hor. Od. III, 8, 17. *mitte civiles super Urbe curas.* Liv. XXX, 3. *curam ex animo miserat* etc. Verba *mitte hanc de pectore curam* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 27. et I, 178, 257. 356. — **86**. *Sed non et venisse volent*, per hyperbaton pro: sed etiam volent non venisse. Sequentia causam continent: nam *bella* - - *cerno.* Cf. infra VII, 736.

Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simois tibi nec Xanthus nec Dorica castra
Defuerint; alius Latio iam partus Achilles,
Natus et ipse dea; nec Teucris addita Iuno
Usquam aberit, cum tu supplex in rebus egenis

---

patriis sed non et filius arvis Contentus. Cf. Heins. ad Ovid. Met. IV, 273. — *Bella, horrida bella.* Vid. adnott. ad Ecl. VI, 20. et Aen. II, 318. *Horrida bella* etiam VII, 41. legimus. — **87.** Iam Heyn. comparat Hom. Il. VII, 329. Cf. etiam infra VIII, 539 sq. et X, 24. — *Thybrim.* Vid. ad II, 782. — **88.** Eadem calamitatum series renascetur. Cf. infra X, 60 sqq. Iam Servius adnotavit, per *Simoin* et *Xanthum* significari Tiberim et Numicum (de quo vid. adnott. ad VII, 150.). — *Dorica castra.* Vid. ad II, 27. — **89.** *Defuerint.* Vid. ad II, 77. — „*Alius Achilles*, Turnus, Veniliae Nymphae fil. Vid. infra X, 76. Nec hoc sine veterum exemplo; v. v. Eur. Troad. 614 sq. et supra Ecl. IV, 34. etiam in vaticinio.“ *Heyn.* De hoc usu Adi. *alius* vid. adnott. ad Ecl. II. 73. Wagn. Qu. Verg. XXV, 10. vv. *alius iam Achilles* reddit: *schon wieder ein Achill.* Sed quis tandem Achilles iam antea Latio erat partus? Quod si fuisset, hic non *alius*, sed *alter* Achilles erat commemorandus. Ego potius locum sic capio: Ut antea Troiae Achilles, sic etiam nunc Latio (i. e. novo regno a Troianis in Latio condendo) *iam* (*schon*) partus est Achilles suus, i. e. hostis infestissimus. (Video nunc, etiam Handium in Tursell. III. p. 125. miratum esse illam Wagneri explicationem [in recentiss. tamen edit. recte a viro doctiss. mecum consentiente retractatam] et hunc locum iis adnumerasse, ubi *iam* de re suo tempore certe futura ideoque confidenter exspectata vel exspectanda ponatur, ut in nostro: *er wird schon kommen*, ubi plerumque per *mox*, *statim* explicari soleat.) — Dubium tamen est, utrum *Latio* Dativus habendus sit, an Ablativus loci, quod Wakefieldo (qui vero male explicat *ex Latio*), Coningtoni et Benoisto videtur, ut suppleamus *tibi.* Alteri sane rationi favere videtur locus II, 783. *Illic -- Parta tibi*, quod tamen Pronomen cum hic omittatur, si auctor de Ablativo cogitari voluisset, satis ambigue scripsisset. Quod attinet ad voc. *partus* cf. adnott. ad locum modo laud. — **90.** *dea.* Venilia enim, quae Turnum peperit ex Dauno, antiquo Italiae heroë, dea marina fuisse perhibetur. Vid. ad X, 76. — *Nec Teucris addita Iuno* cett. Temere in h. l. turbas excitarunt interpretes. *Addita nusquam aberit* nihil aliud est, quam: numquam desinet addita esse, i. e. attento animo Troianos persequi, semper parata ad eos vexandos et violandos, Gr. *ξυνέσεται ἔφοδρος*; vid. Lobeck. ad Soph. Ai. 611. Cf. etiam supra IV, 386. Odii et inimicitiae notio per se quidem non inest vocabulo, neque hic aliter intelligendo, atque in iis locis, ubi *comitem*, *socium se addere* legimus, ut infra v. 528. et 777., a quovis vero lectore, qui iram Iunonis in Troianos cognitam habet, facile suppleri potest (ut hic quidem *additus* respondeat nostro *aufsässig*); idemque valet de omnibus illis locis, quos editores afferunt, inducti a Macrobio Sat. VI, 4., qui, quasi ex antiquo loquendi genere *additus* idem esset quod *infestus*, *inimicus*, laudat hoc Lucilii fragm. (XIV, 6.): *Si mihi non praetor siet additus atque agitet me* etc. (emendatum a Wagnero in Diar. schol. Darmst. 1830. ch. 24. p. 187.), cui Servius adiungit Plaut. Aul. III, 6, 20. *Argus, quem quondam Iovi Iuno custodem addidit.* Heyn. comparat infra Aen. IX, 629. et Hor. Od. III, 4, 78., putans scilicet, a *custodibus*, qai proprie *addi* dicantur custodiendis, sed his ipsis molesti, difficiles, odiosi esse soleant, hoc vocabulum communem illam significationem accepisse. Ceterum imitatur h. l. Silius II, 595. *agit addita Erinnys.* Cf. etiam Schilleri nostri Maria Stuart. Act. IV. Sc. 10. *Sie ist die Furie meines Lebens, mir ein Plagegeist vom Schicksal angeheftet.* — **91.** Wagn. in Philol.. Suppl. I. p. 417. adhuc defendit Punctum post *aberit* positum; in recentiss. tamen edit. cum Iahnio, Ladew. et Hauptio et ipse Commate distinguit. Ribbeck., Conington et Benoist., ut ego prius, Colon ponunt. — *cum tu.* Vid. ad III, 10. Ex narratione autem per *cum* instituta poëta transit in exclamationem. Peerlk.,

Quas gentis Italum aut quas non oraveris urbes!
Causa mali tanti coniunx iterum hospita Teucris
Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Qua tua te fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.“

---

cui Codd. lectio non satis sublimis videtur, malit *quam tu supplex - - Quas gentes - - oraveris*, omissa Copula, ut apud Sen. Oed. 7. *Quantum malorum fronte quam blanda tegis*, de qua re conferri iubet sua ad Hor. Od. III, 19. Gronov. ad Sen. Oed. 5. et Heumann. Poecil. T. II. p. 185. — *in rebus egenis*, i. e. angustis, periculosis, in summa difficultate et discrimine, omni ope destitutus. Cf. infra X, 367. Plaut. Capt. II, 3, 45. Poen. I, 1, 1. et Stat. Theb. XI, 550. ibique Barth. — **92**. *quas non oraveris urbes*. Cf. locos similes II, 745. III, 56. VI, 893. Eleg. ad Liv. Aug. 131 sq. Claud. in Mall. cons. 248. Stat. Silv. II, 1, 148. et Ruhnk. ad Rut. Lup. p. 122. Conington comparat Aesch. Agam. 556. *τί δ' οὐ στένοντες, οὐ λαχόντες ἤματος μέρος*. De ipsa re vid. infra VIII, 126 sqq., ubi Aeneas Evandrum et Agyllinos Etruscos auxilium vocat. — **93**. *coniunx*, Aeneae futura, *hospita*, non Troiana, Lavinia, Latini filia, quam etiam Turnus in matrimonium petebat, ita nt illa, tamquam altera Helena, belli causa fieret; unde *iterum*. Cf. etiam aduott. ad III, 377. Ceterum verba *Causa mali tanti coniunx* repetuntur in Anth. Lat. I, 168, 5., ut sequens versus imperfectus ibid. I, 178, 204. et v. 95. ibid. I, 178, 167. — **95**. *audentior*. Pauci quidam Codd. *audacior*, minus apte; nam *audax* cum vituperatione de eo dicitur, qui nimium audet, *audens* vero cum laude de eo, qui fortiter rem subit. Recte iam Nonius p. 442. *Audacia et audentia hoc differunt, quod audentia fortitudinis sit, audacia temeritatis*. Comparativus *audentior* legitur etiam ap. Val. Fl. IV, 284. Quinct. Inst. XII, 10. in Dial. de Or. 14. alibi, ut Superlativus Tac. Agr. 33. et Gell. VII, 2., *contra ire* autem apud Senec. Ep. 59. (*interritus contra illa ibit*). Ceterum cf. notissimus ille locus infra X, 284. *audentes fortuna iuvat*. — **96**. *Qua*. Prius cum plurimis editoribns retinui fere omnium Codd. lectionem *Quam*, quae tamen antecedenti Comparativo accommodata videtur et, ne inepta prodeat sententia, artificiosa modo ratione potest explicari. Quare, cum plurimi Senecae Codd. hunc locum afferentis Ep. 82, 18. *qua* exhibeant, hoc nunc cum Bryceo, Hauptio et Ribbeckio recepi, etiam Henrici iudicium secutus, qui, quamquam hanc lectionem in quatuor modo, vulgarem vero in septendecim Codd. invenit, tamen in Fleckeis. Novis Ann. phil. LXXIII. p. 457. coll. locis IX, 291. et XII, 147. (quibus adde I, 418. et II, 387.) eam praetulit, cum *quam* ineptam praebeat sententiam: „ito audentius, quam ire potes.“ Ribbeck. vero Proleg. p. 201 sq., ut inepta sententia evitetur, certe *quam tua te Fortuna iubet* legendum esse censet. Recepta autem lectio hanc probam continet sententiam: Quo plura et maiora mala tibi obstabunt, eo audentior progredere in via, qua te sors tua ire sinet. Nihilominus Steinmetz. Progr. p. 12., Wagn., Ladew. et Conington vulgarem lectionem (etiam a Schimmelpfeng. in Annal. modo laud. 1863. p. 69 sqq. et Zeyssio in Mus. Rhen. XIX. p. 633 sq. defensam, quos Ladew. laudat in Append. p. 249.) retinuerunt, quam paulo artificiosius cum *contra* coniungunt, ut sensus sit: eo audentior contra ito, quo minus ista te mala, s. fortuna tua (de qua Aeneas iam v. 62. conquestus sit), sinere videbuntur (?). Alii ad coniecturas confugerunt. Toup. enim coni. *Quo tua te F. feret*, quae coniectura, ut plane non necessaria, ita etiam minus apta est, cum Aeneas iam sciat, Italiam sibi esse petendam ibique sedes a fato constitutas. Neque magis probare possum Peerlkampii coniecturam - - *sed, contra audentior, ito, Qua tua te F. vocat*, quam ita explicat: Nec cede malis, sed contra mala audentior ito. qua via melior te vocat sors. — *Via prima salutis*, ut supra II, 38 *qua prima - fortuna salutis Monstrat iter*. Comparant Apollon. II, 3 — **97**. *Quod minime reris* ne quis humile putet, Peerlk. compa

Talibus ex adyto dictis Cymaea Sibylla
Horrendas canit ambages antroque remugit
Obscuris vera involvens: ea frena furenti
Concutit et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor et rabida ora quierunt,
Incipit Aeneas heros: „Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave surgit;

Claud. R. Pros. III, 198. *multoque minus, quod rere.* Verba *quod minime reris* repetuntur etiam in Anth. Lat. I, 178, 246. — *Graia ab urbe*, Pallanteo, quam Evander cum Arcadum colonia in Palatino monte condidit. Inde Aeneas auxilia accepit contra Rutulos et Turnum. Cf. VIII, 54. et 341. — *pandere viam* legitur etiam infra XII, 626. ap. Val. Fl. II, 613. et Liv. IV, 15, 5. X, 5, 11. Vulgare est *viam aperire* (Aen. X, 864. XI, 884.). — **98**. *ex adyto.* Vid. ad III, 92. — Recepimus nunc cum Ribbeckio, Hauptio, Coningtone et Wagn. in recentiss. edit. ex Med., Rom., Bern. II. III. aliisque Codd. lectionem *Cymaea.* Vid. adnott. ad Ecl. IV, 4. Ceteri recentiores editores vulgarem scripturam *Cumaea* retinuerunt. — **99**. *ambages* de verbis confusis, implexis, obscuris, quibus res non clare indicatur, sed involvitur et obscuratur, imprimis de oraculis. Cf. Tac. Ann. II, 54. XI, 34. XII, 63. Lucan. I, 637 sq. Sen. Oedip. 216. Mart. Cap. I, 1. Sic etiam Sphingis aenigmata ab Ovid. Met. VII, 760. *ambages* vocantur. — *remugit.* Ladew. confert Silium XII, 323. *cum mugiret Phoebo iam intrata sacerdos.* Cf. etiam supra III, 92. — **100**. „Eventa rerum obscuris verbis prodit. Imitatur locum Lucan. I, 637 sqq. [Verba *Obscuris vera involvens* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 333.] — *ea frena* cett. Adeo concitaverat eam Apollo. Cf. v. 79 sq. *ea frena* τοῖα, tam valida.“ *Heyn.* Wagn. vero *ea* refert ad antecedd. *Obscura veris involvens* et hanc profert explicationem: „ita temperat Apollo concitatum Sibyllae pectus, ut ei non liceat simplicem rerum veritatem promere, sed ut ambagum obscuritate involvat verbum,“ cui tamen non iniuria adversantur Ribbeck., qui opponit V, 147. cum VIII, 3. coll. et Conington, qui haec verba cum Heynio omnino refert „*to the whole description of the Sibyl's ecstasy;*“ et sane non video, quomodo Wagneri interpretatio sequentibus verbis conveniat. Supervacanea autem est Ribbeckii coni. *effrena,* i. e. effrenate. Ceterum verba *ea frena furenti* cum toto versu sequente iterantur in Anth. Lat. I, 172, 31. — **101**. „*stimulos* [i. e. eos stim., quamquam Conington Pronomen cogitatione iterandum esse negat] *sub pect. vertit,* h. e. in pectore figit, pectori subdit. Sed plus inest altero verbo, continuato scil. ictu.“ *Heyn.* Eadem verba repetuntur infra IX, 718. Stimulo autem semel adacto et fixo non possumus iterata vice stimulare, nisi eum moventes et vertentes. Quare non opus est, ut cum Burmanno ad Val. Fl. VI, 603. de diversis temporibus cogitantes locum nostrum sic explicemus: Non tunc primum furorem iniicit deus, sed stimulat iam ante ipsi iniectum. Peerlk. autem putat, magis Latinum fore *sub pectora,* cum, si stimuli *in* vel *sub pectore* vertantur, letale vulnus efficiatur necesse sit; quod probare non possum, quamquam infra IX, 718. aliquot Codd. Accus. Plur. exhibent. — **102**. *rabida ora.* Vid. supra ad v. 80. Silius VII, 253. locum nostrum sic imitatur: *fractus furor et rabida arma quierunt.* — **103**. Non ut novos labores, qui mihi impendant, cognoscam, te adii, nam ea omnia iam audivi (cf. III, 458. et V, 730.) et consideravi; sed unum est, quod peto, ut adire liceat inferos et Anchisen patrem. Comparant similes locos ap. Ter. Phorm. II, 1, 11 sqq. et Eurip. Thes. fragm. 392. Nauck. Latine redditum a Cicerone Tusc. III, 14, 29. — **104**. Verba *nova mihi facies inopinave surgit* iterantur in Anth. Lat. VI, 84, 35., ut priora *O virgo, nova mi facies* in Ausonii cent. nupt. 87. Contra Servium, *mihi* „numquam in synaeresin venire, ne incipiat esse blandientis adverbium“ contendentem Ribbeck. provocat ad Ritschel. Proleg. Trin. p. 291. 347. et Mus. Rhen. VII. p. 590 sqq. — *facies,* species,

Omnia praecepi atque animo mecum ante peregi.
Unum oro: quando hic inferni ianua regis
Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso,
Ire ad conspectum cari genitoris et ora
Contingat; doceas iter et sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas et mille sequentia tela
Eripui his humeris medioque ex hoste recepi;
Ille meum comitatus iter maria omnia mecum
Atque omnis pelagique minas caelique ferebat,
Invalidus, viris ultra sortemque senectae.
Quin, ut te supplex peterem et tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. Gnatique patrisque,

---

genus. Vid. V, 822. VI, 560. Geo. I, 506. cett. — „*surgit*, occurrit, est. Scilicet audierat Aeneas omnia a patre V, 730 sq. et Heleno III, 458.; itaque iam ante animo conceperat, προύλαβε. Cf. Aesch. Prom. 101 sqq.“ *Heyn.* — **105**. *Omnia praecepi.* Vid. ad XI, 491. — *peregi*, rem ab omnibus partibus consideravi, omni cogitatione pertractavi; *peragendi* enim vocabulo, latissimo sensu usurpato, semper perficiendi, absolvendi, ad finem perveniendi notio adiuncta est. Supra IV, 475. eadem signif. legimus *secum exigere.* Ceterum hic totus versus iteratur in Anth. Lat. VI, 84, 59. — **106**. *Quando* iterum pro quandoquidem, siquidem, ut supra v. 50. — *inferni ianua regis*, palatii, regni aditus, in quo habitat rex inferorum. — **107**. *palus Acheronte refuso.* „Servius et ex eo Pomp.: *Avernum significat, quem vult nasci de Acherontis aestuariis;* ut Avernus sit Acherontis (cui *aestus* tribuitur infra v. 296 sq.) ex inferis partibus exundantis et supra crateris sui labra exuberantis (*refusi*) aqua, emissarium; ductum id. ex Plat. Phaed. c. 62. v. 112. B. Steph. (Cf. etiam Val. Fl. IV, 594. Apollon. II, 745. Orph. h. XVII, 10.) - - Si quis tamen ipsis poëtae verbis insistat, ea vix aliter accipiet, quam *paludem Acheronte refuso* dictam esse pro *paludem Acherontis refusi*, h. e. aestuantis, ἀναχυθέντος. (Cf. Strab. V. p. 243. D.) Fuit scilicet in his ipsis locis ad Cumas *palus Acherusia* (Plin. III, 5. med. [§. 61.]), quam Maro memorare videri potest ad declaranda haec loca, in quibus aditus est ad loca infera; nec tamen per lacum, sed per antra vicina.“ Haec fere *Heyn.*, cui adsentior. De palude Acherusia, quae nunc *Lago di Fusaro* appellatur, cf. liber meus geogr. III. p. 526. — V. **108**. repetitur in Anth. Lat. I, 172, 71. et 178, 91. — **109**. *Contingat.* Pal., Rom. et Gud. a m. pr. *Contingam*, male. — *sacra ostia*, θεῖα, Heyn. interpretatur: „quae cum horrore adimus.“ Latiore sensu valet: quae violari nefas est. Cf. infra v. 573. II, 686. etc. — **110**. De ipsa re cf. II, 721 sqq. Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 178, 154. Similem locum supra II, 632. legimus. — **111**. *recepi*, servavi et in tuto collocavi. Similiter II, 525. Hecuba Priamum *recepit Ad sese et sacra in sede locavit.* Vid. etiam I, 178. *fruges receptas.* — **112**. Cf. supra II, 704. — *maria omnia* per zeugma cum *ferebat* coniungendum. Ceterum cf. I, 524. *maria omnia vecti.* — **113**. *Atque omnis* etc. Peerlk. malit *Mecum omnis.* — *pelagi minas.* Cf. Hor. Od. I, 12, 31. *minax ponto unda recumbit.* Tibull. II, 3, 46. *hibernae minae* etc. Med. et Wall. exhibent *caelique minas pelagique*, quod, cum praecedant verba *maria omnia*, reprobandum. — **114**. „*Invalidus* Io. Schrader. otiosum esse ratus, emend. *Impavidus.* Verum Anchises ferebat, etsi invalidus, fortius quam pro virium et aetatis modo et gradu.“ *Heyn.* Quare etiam post *ferebat* cum Wagn. Commate distinximus; in quo nos secuti sunt posteriores editores praeter Bryceum et Benoistum. — *sortem senectae;* sors i. q. alicui debetur. Süpfl. comparat Liv. XXXV, 6. *literae allatae Q. Minucii a Pisis, comitia suae sortis esse.* — **115** sq. Cf. quae supra V, [illegible] legimus. Pal. a m. pr., Rom. et Gud. Copulam *et* male omittunt. [illegible] *mandata dabat.* Vid. V, 731 sqq., de concursu autem syllabarum [illegible]

Alma, precor, miserere; — potes namque omnia, nec te
Nequiquam lucis Hecate praefecit Avernis; —
Si potuit Manis arcessere coniugis Orpheus
Threicia fretus cithara fidibusque canoris,
Si fratrem Pollux alterna morte redemit
Itque reditque viam totiens. Quid Thesea magnum,

---

da - - adnott. ad II, 27. IV, 421. et al. Ceterum si Vergilius librum V. post sextum scripsit, quod admodum probabile est, hunc locum postea demum ibi narratis videtur accommodasse, quod Conradsium p. XXIV. adnot. 1. negare non debuisse, iure memorat Ribbeck. Proleg. p. 62. — *gnati*. Vid. ad Ecl. V, 22. Verba *gnatique patrisque* eadem ratione coniunguntur, qua IV, 605. *natumque patremque*. — **117.** *Alma*, ut supra v. 74. Vid. ad Ecl. VIII, 17. — *potes namque omnia*. Peerlk., quamquam ipse afferens imitationem huius loci apud Sedulium [Carm. Pasch. IV, 194.] *Praeceptor miserere, potes namque omnia, Iesu,* tamen Vergilium aliter scripsisse censet, et memor formulae illius satis notae *δύνασαι γάρ* (apud Hom. Il. I, 393. Od. V, 27. Callim. in Apoll. 30. Lucian. Imag. T. III. p. 287. etc.) et *potes, namque potes* (infra v. 366., ap. Val. Fl. VIII, 145. Stat. Theb. X, 69. in Anth. Lat. I, 178, 353. etc., de qua cf. Burm. ad Val. Fl. I, 13. et Interpp. ad Hor. Epod. X, 69.) temere coniicit - - *miserere; potes namque: optima nec te - - Hecate* etc. Ceterum cf. quae Steinmetz. p. 15. de toto hoc loco parum probabiliter disputavit. — **118.** *Nec nequiquam*, ut Geo. I, 96. et IV, 38. — *Hecate*, cui hic lucus, per quem aditus est ad inferos (cf. infra v. 131. cum v. 139. 238.), sacratus. Vid. supra v. 35., ubi Sibylla *Trivia sacerdos* vocatur. Adiectivum *Avernus* iam legimus Geo. IV, 493. De ipso *Averno* vid. ad III, 386. Ceterum hic versus fere totus iteratur infra v. 564. — **119** sq. „Aut supplendum alterum membrum: quidni et mihi adire inferos liceat? aut iunge *miserere - - Si potuit.*" *Heyn.* Hoc verius, ut etiam Wagn. censet; quamquam etiam tertia explicatio locum habet. Iahn. enim, cui Thiel. et Conington adsentiuntur, verba *et mi genus ab Iove summo* v. 123. apodosin habet huius protasis: *Si potuit* cett., et vv. *quid Thesea - - Alciden?* parenthetice interposita accipit; quae tamen ipsa parenthesis habet, quod offendat. Ceterum imitationem huius loci vide ap. Stat. Silv. V, 3, 271 sqq. — **119.** Cf. de hac notissima Orphei et Eurydices fabula praeter Orph. l. l. Apollod. I, 3, 2. Hygin. f. 164. Ovid. Met. X, 1 sqq. Sen. Herc. Oet. 1032 sqq. et Geo. IV, 453 sqq. — *arcessere*. Med., Rom., Gud. et Bern. III. a m. pr., Macrobii Sat. IV, 5, 3. et Charisii p. 201. P. Codd. scribunt *accersere*. Vid. ad V, 746. — **120.** *cithara fidibusque*. Eadem lyrae periphrasi utitur Hor. Od. III, 4, 4. — „*fretus*, usus. Homericum *πεποιθώς* vel *πίσυνος*; et in hac ipsa re Orph. Arg. 42. *Ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ*: simpl. pro: ope citharae. Cf. Aen. IV, 245. — **121** sq. Ut cum Castore, qui mortali patre, Tyndareo, natus erat, immortalitatem communicaret Pollux, Iove patre natus, hoc a diis impetravit, ut quoties ipse ad inferos se contulisset, fratri interim apud deos versari liceret. Hinc alternis sedes mutatae. Fundus fabulae Hom. Od. XI, 302 sq.; at vid. Pind. Nem. X, 103. [ibique Schol. et Apollod. III, 11, 2. cum Heynii adnot. p. 291.]. Etiam Theseus et Hercules memorantur, quatenus inferos adiere, vid. infra v. 122 sq. [ibique adnott."]. *Heyn.* Iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 172, 109. — **122.** *Itque reditque viam*. Vid. ad IV, 468., Hor. I, 11, 65. (ibique Obbar. et Orell.) et Prop. V, (IV,) 1, 36. Similis dictio est *currere aequor* III, 191. (ubi vid. adnott.) et V, 235. Verbis *Itque reditque viam* turpiter abutitur Ausonius cent. nupt. 126. — *Quid Thesea - - Alciden*, „qui non, ut Orpheus et Pollux, aliqua deorum misericordia confisi, sed suis viribus freti descenderunt ad inferos." *Wagn.* Ceterum Comma, quod vulgo post *Thesea* ponitur, cum Wagn. post *magnum* collocavimus, ne versus ineleganter incideretur et anaphora Particulae *quid* obscuraretur. Praeterea etiam *Hercules*, quem *magnum* esse iam per se constat, nimis eveheretur ae Theseo, si ei hoc epitheton tribueretur; alia enim ratio est loci Aen.

Quid memorem Alciden? et mi genus ab Iove summo."
Talibus orabat dictis arasque tenebat,
Cum sic orsa loqui vates: „Sate sanguine divom,
Tros Anchisiade, facilis descensus Averno;
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis;
Sed revocare gradum superasque evadere ad auras,

V, 414., ubi *magnus Alcides* solus commemoratur. Iahn. quoque in altera edit., Süpfl., Ladew., Conington et Benoist. hanc rationem secuti sunt, Peerlk. autem, Gossr., Haupt. et Bryce vulgaris distinctionis patroni exstiterunt. — **123**. *Alciden*. Vid. ad Ecl. VII, 61. — *et mi genus ab Iove* (avo meo), ergo mihi idem licebit. Cf. I, 380. et Wernsd. P. Lat. min. III, 79, 16. *et quis genus ab Iove summo.* — **124**. *arasque tenebat.* Vid. ad IV, 219. *Arae* autem constitutae erant in ipso templo Apollinis ante fores antri Sibyllini. Vid. supra ad v. 42. — **125**. *Cum* Heins. ex Med. aliisque bonis libris pro vulg. *Tum* restituit, comparans I, 223. II, 679. VI, 190. 515.; eumque recte secuti sunt recentiores editores. Et vere Wagn. memorat, *cum* emphasin habere et munire transitum ad Sibyllae orationem gravitatis plenam; est enim idem fere, quod *et tum*, *καὶ τότε δή*. Vid. ad II, 679. III, 10. supra ad v. 91. alibi. — *orsa loqui*, ut in Anth. Lat. I, 147, 15. — *Sate sanguine divom*, ut VIII, 36. *O sate gente deum.* Cf. adnott. ad Geo. I, 278. Bene autem Serv.: „Unde Aeneas desiit, inde haec sumpsit exordium." — **126** sqq. Facilis est aditus ad inferos, sed admodum difficilis reditus. „Sententiam v. 126—128. interpretatur Seneca Herc. fur. 675 sqq." *Heyn.* — Heins. cum Med. (a m. sec.) aliisque Codd. recepit formam *Anchisiada*, cum poëtae Latini Vocativum eiusmodi nominum propriorum Romano more formare soleant *Aeacida*, *Oresta*, *Aeeta* cett. (vid. Nic. Heins. ad Ovid. Her. III, 87. IV, 9. Drak. ad Sil. It. XIII, 796. Ruddim. I. p. 48. Schneider. II, 1. p. 33.), et ipse Vergilius etiam supra III, 475. *Anchisa* scripserit (certe ex optimorum Codd., Gellii XV, 13, 10. et Nonii p. 281. et 286. auctoritate, quamquam Quinct. VIII, 6, 42. et Prisc. VII, 6. p. 730. formam *Anchise* tuentur). Plurimi tamen Codd. (et inter eos Med. a m. pr., Pal., Rom. et Gud.) praebent Graecam formam *Anchisiadē*, quam Iahn. (in edit. II. plura de hac re disputans) revocavit, quippe cui Vergilii Codd. in plerisque locis magis patrocinentur (ut Aen. I, 97. *Tydide*, IX, 653. *Aenide*, X, 161. *Alcide* etc.); eumque nunc ob Codd. auctoritatem cum Ribbeckio, Ladew., Coningtone et Benoisto secuti sumus, cum etiam infra v. 348. omnes Codd. *Anchisiade* exhibeant. Wagn. tamen (quocum faciunt ceteri editores praeter modo nominatos) servavit formam *Anchisiada*, utpote plenius quid sonantem, non curans, ut ait, Horatium, qui Sat. II, 3, 187. ultimam Vocativi *Atrida* corripuerit, sed laudans Sil. XIII, 796. *Aeacidā*, et eiusd. XVI, 192. *Dardanidā*. — *descensus Averno*, pro: ad, in Avernum: cf. adnott. ad Ecl. II, 30. (Geo. III, 480. Aen. II, 85. 276 etc.). *Avernus* enim hic non est lacus ille, de quo ad III, 386. et 442. diximus, sed pro ipsis inferis positus. Praebent autem hanc lectionem, ab Heins. restitutam, Med., Pal. a m. pr., Paris. III., alii. Iahn. etiam hic vulgatam servavit *Averni*, quam Wagn. ab iis profectam censet, qui Substantiva nescirent interdum eodem modo construi, quo Verba, unde sint facta, coll. Heusing. ad Vecheneri Hellenol. p. 264. Conington comparat Hirt. B. Gall. VIII, 40. *Erat oppidanis difficilis et praeruptus eo descensus.* — **127**. *Noctes atque dies.* Vid. infra ad v. 556. — *Ianuam Ditis* Peerlk. ipsum Averni introitum esse putat. — *atra* autem *ianua*, quia omnia apud inferos atra sunt. Cf. Ovid. Met. IV, 438. *nigri fera regia Ditis*, ei. Her. II, 72. *nigri regia caeca dei.* Hor. Od. I, 24, 18. *niger grex* Manium, ibid. II, 13, 21. *furva Proserpina.* Aen. VII, 329. *Allecto atra*, ap. Silium II, 529. *atra Tisiphone* etc. Quare etiam diis inferorum nigrae hostiae mactant. Cf. adnott. ad V, 97. 736. coll. iis, quae ad Geo. I, 129. et Aen. IX, adscripsimus. Verba *patet atri ianua Ditis* iterantur in Anth. Lat. I, 66. et 83. atque *ianua Ditis* legitur etiam in Gratii Cyn. 70. — 128.

Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos aequus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad aethera virtus,
Dis geniti potuere. Tenent media omnia silvae
Cocytosque sinu labens circumvenit atro.
Quod si tantus amor menti, si tanta cupido,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre

---

vocare gradum, ut IX, 125. *revocare pedem.* Cf. etiam Geo. IV, 485. — *evadere ad - - auras.* Cf. II, 458. *Evado ad summi fastigia culminis.* — *superas auras* hic, ubi de inferis agatur, terram significare in promptu est (τὰ ἄνω opposita τοῖς κάτω) ideoque i. q. infra v. 762. *aetheriae aurae.* Cf. Geo. IV, 486. ibique adnott. Alibi sane, ubi res ipsa in terra agitur, haec verba caelum et aethera indicare solent. Cf. Heins. et Burm. ad Ovid. Met. II, 437. — **129.** Verba *Hoc opus, hic labor est*, repetuntur in Anth. Lat. VI, 84, 34. Cf. etiam Quinct. Inst. VI, 2. *Hoc opus eius, hic labor est.* — *Pauci - - - potuere.* Cum igitur Aeneas vere remeaverit, inde apparet eum esse virum eximia virtute et diis carissimum. *Pauci* autem, de quibus cogitat, sunt Orpheus et Pollux, qui verbis *quos aequus a. Iupp.* indicantur, atque Theseus et Hercules, ad quos verba *aut ardens evexit* etc. referenda. — *aequus* i. q. propitius. Sic I, 479. *non aequa Pallas* i. q. I, 668. *Iuno iniqua;* eademque ratione *Iuppiter aequus* dicitur Horatio Ep. II, 1, 68., ubi vid. Schmid., et in fragm. Laevii poëtae in Weichertii Poëtt. latt. rell. p. 24., ubi vid. eius adnot. coll. cum Drak. ad Sil. III, 2. et Heind. ad Hor. Sat. I, 5, 97. II, 3, 8. Ceterum ad hunc locum alludit Plin. Epist. I, 2, 2. *Nam vim tantam virorum pauci, quos aequus amavit, adsequi possunt.* — **130.** *aut ardens* etc., scil. Theseus et Hercules. — *evexit ad aethera virtus.* Cf. III, 158. *tollemus in astra nepotes.* I, 259. *sublimemque feres ad sidera caeli Magnanimum Aenean.* Senec. Herc. Oet. 1941. *virtus mihi in astra et ipsos fecit ad superos iter.* Cic. Legg. II, 8, 19. Hor. Od. III, 2, 21. III, 3, 9 sq. cett. et adnott. ad VI, 322. — **131.** *Dis geniti*, ut rursus infra v. 394. — Wagnero displicent vv. *Tenent media - - atro*, cum hae res, quae reditum difficilem reddant, etiam ingredientibus obstent, neque clarum sit, quidni per eas ingresso eadem via reverti licuerit. Sed rectissime contra eum disputat *Peerlk.* his verbis: „- - Iam finge imaginem Labyrinthi subterranei. Aditus late patet, nullae initio tenebrae, nitor lucis a tergo relictae viatorem aliquamdiu comitatur. Altius atque altius penetrat, spatia fiunt ampliora, sensim silvae, tenebrae, et flexuosi amnium cursus ita impediunt, ut remeandi non amplius sit facultas. Ita fere descripsit Seneca Herc. Fur. 664 sqq.“ Conington Vergilium hic memorem fuisse putat Hom. Od. XI, 157 sqq. — „*silvae* memoratae tenebrarum et caliginis significandae causa; ducta imagine ab Averni lacus situ supra v. 118.“ *Heyn.* — **132.** De *Cocyto* vid. ad Geo. III, 38. Ceterum Medic., Paris. VI. et alii haud dubie Codd. praebent Graecam formam *Cocytos*, quam cum Wagn. revocavi. Vid. ad Ecl. VI, 13. Geo. II, 487. et al. (Nos secuti sunt Peerlk., Gossr., Ladew. et Haupt, dum Süpfl., Bryce, Ribbeck., Conington et Benoist. Latinam formam servarunt.) — *circumvenit* Heins. pro vulg. *circumfluit* ex melioribus Codd. omnibus restituit, magnam copiam exemplorum afferens verbi *circumveniendi* pro circumdandi positi. Cf. imprimis Tac. Ann. II, 6. *Rhenus - - modicas insulas circumveniens*, Sall. Iug. 76, 2. *Metellus valle fossaque moenia circumvenit*, et Ammian. XXII, 8. *multitudo circumvenientium fluviorum.* — *sinu* bene de cursu fluvii sinuoso. — V. **133.** Heins. coni. *Quin si.* Peerlk. autem malit: *Sed si tantus amor, menti si tanta cupido.* — *si tantus amor.* Cf II, 10. — *si tanta cupido.* Wagn. (quem plerique posteriores secuti sunt editt.) verbum substantivum, quod abest a Pal. et in Med. punctis notatur tamquam delendum, omisit, coll. 349. II. 10. et Qu. Verg. XV, 9. Bryce modo et Conington rursus adiecerunt. De constructione *cupido est innare* vid. ad Geo. I, 305. et al. Totus versus (*Quod* in *Sed* mutato et addito verbo *est*) repetitur in Anth. Lat. I, 178, 413. — **134.** Cf. Hom. Od. XII, 21 sq. Heyn. ad explicandum voc. *bis* con-

Tartara et insano iuvat indulgere labori,
Accipe, quae peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus,
Iunoni infernae dictus sacer; hunc tegit omnis
Lucus et obscuris claudunt convallibus umbrae.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam qui decerpserit arbore fetus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus

---

fert Hom. Od. XI, 601 sqq., haec adiiciens: „*bis*; quandoquidem et heroum inter deos receptorum umbrae in locis inferis habentur. Etsi nec hoc necesse. Nam Sibylla Aeneae, viventis tum, fata post mortem ignorare potuit." — *innare* cum quarto Casu constructum legitur etiam VIII, 651. Geo. II, 451. et III, 142.; alibi cum tertio. Cf. adnott. ad Geo. IV, 261. — **135**. *Tartara*. Vid. ad Geo. I, 36. — *insanus labor* pro vulgari: magnum ausum, conatus difficillimus. *Insanus* enim interdum i. q. immensus, ingens, nimis magnus; qua de re Thiel. conferri iubet Taubm. ad Plaut. Trin. III, 2, 47. Drak. ad Sil. I, 251. et Heind. ad Hor. Sat. II, 2, 5. Cf. autem supra II, 776. *Quid tantum insano iuvat indulgere dolori?* — **136** sqq. Hunc locum ante oculos habuerunt Ovid. Met. XIV, 113. et Claud. R. Pros. II, 290 sqq. Latet in densa silva ramus aureus cum foliis aureis, quem ut Aeneas ‚tamquam ramum *ἱκετείας* (vid. VII, 154.) praeferat, supplex ad Proserpinam accedens, Sibylla velle videtur; qua in re poëta fortasse alludit ad Mercurii *ψυχοπομποῦ* virgam auream (vid. ad IV, 242.). Haec enim simplicissima est locum expediendi ratio, quamquam Heynius etiam mysteriorum *κλαδοφόρους*, *θαλλοφόρους* et *περιῤῥαντήρια* s. lustrationes frondibus aqua pura humentibus factas commemorat, quo alludi possit. Cf. eius Excursus VI. ad h. libr., ubi Vergilius in hoc loco scribendo fortasse Apollonii IV, 122 sqq. memor fuisse dicitur. — *lentum vimen* est virga ipsius rami. Cf. Geo. IV, 34. et Aen. III, 31. — **138**. *Iunoni infernae*, Proserpinae. Ovidio in loco parallelo Met. XIV, 114. dicitur *Iuno Averna*, et Claudiano R. Pr. I, 3. *Iuno profunda*. Vid. ad IV, 638. Eadem ratione Pluto IV, 638. vocatur *Iuppiter Stygius*. — *sacer dictus*, dicatus; qua signif. etiam simplex *dicendi* verbum usurpatur. Cf. Bentl. ad Hor. Sat. II, 2, 134. et Markl. ad Stat. Silv. III, 1, 82. — *omnis Lucus*, longe lateque circumdatus. Infra v. 186. dicitur *silva immensa*. — **140**. *datur subire*. Vid. ad I, 319. al. — *telluris operta*, loca infera, sub terra latentia. *Opertum* substantive usurpatum, ut ap. Cic. Parad. 4. extr. *in opertum bonae deae accedere*. Sic etiam ap. eund. Div. I, 50. extr. et II, 55, 113. *operta Apollinis*, i. e. oracula. — **141**. *quam qui*. Sic Med. aliique Codd., quos cum Wagn. secutus sum, qui hanc lectionem, ob impeditiorem structuram in Pal., Rom., Gud., Bern. II. III. in vulg. *quam quis* mutatam, recte sic explicat: non datur, nisi ei, qui ante decerpserit; cui interpretationi sine iusta causa in min. edit. nimis artificiosam substituit. In recentiss. tamen edit. recte haec adnotat: „Quod dici poterat *quam decerpseris*, id ad omnes, qui vivi ad inferos ire vellent, relatum poëta sic extulit *quam qui decerpserit*." Cf. adnott. ad Ecl. II, 71. et Geo. I, 104. Ladew., *qui* per *ὅστις*, *si quis* explicans, hic comparat Cic. p. dom. 20, 51. *poena est, qui receperit*, p. Caec. 13, 39. *nullum ius constitutum, qui obstiterit armatis hominibus*, de Off. I, 11, 37. *negat enim ius esse, qui miles non sit, cum hoste pugnare*. (Ceterum in recipienda lectione *qui* omnes recentiores editores Wagnerum iure secuti sunt.) — *auricomos fetus*, ramum aureis foliis praeditum; *comam* enim poëtis de frondibus arborum dici, res in vulgus nota. *Auricomus* legitur etiam Sil. III, 608. et Val. Fl. IV, 92., *fetus* autem non de fructibus, sed de surculis cum foliis usurpatum invenitur etiam infra v. 207. et ap. Ovid. Met. VI, 81. *fetus olivae cum baccis*. — **142**. *Hoc*, hoc ipsum, non aliud. Vid. ad IV, 46. et alibi. — *suum*, sibi proprium. Vid. adnott. ad Geo. IV, 190. coll. cum iis, quae ad Ecl. I, 37. et Aen. III, 469. adscripta

Instituit. Primo avolso non deficit alter
Aureus et simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis et rite repertum
Carpe manu; namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant; aliter non viribus ullis
Vincere nec duro poteris convellere ferro.
Praeterea iacet exanimum tibi corpus amici —
Heu nescis — totamque incestat funere classem,
Dum consulta petis nostroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante suis et conde sepulchro.

---

sunt. Ex locis ibi collatis huc imprimis pertinet Ecl. III, 62. *Phoebo sua semper apud me Munera.* — *pulchra Proserpina*, utpote quae meruit, cur a Plutone raperetur. — *ferri instituit*, ut Ecl. V, 41. *mandat fieri sibi*, ubi vid. adnott. — **143**. In rami cuiusque avulsi locum alius succrescit. Verba *non deficit alter* leguntur etiam in Anth. Lat. III, 81, 48. — **144**. Pro *Aureus*, quod sane languere non nego, imprimis cum sequantur verba *et simili - - metallo*, Peerlk. coni. *Ramus* (*et e simili*), qua emendatione non multum lucramur. Conington tamen singularem vim invenit in addito voc. *Aureus*. — *simili metallo*, i. e. eodem; quo sensu hoc Adiectivum tum maxime est accipiendum, cum sequuntur Partt. *ac, atque, ut, tamquam*, velut Cic. Finn. IV, 12, 31. *similem habuit vultum, ac si* cett. Ter. Phorm. prol. 32. *ne simili utamur fortuna, atque usi sumus* cett. — *frondescit*. Cf. infra v. 208. *auri frondentis*. — **145**. *vestiga oculis*. Cf. XII, 467. *Turnum vestigat lustrans*. — *rite* non cum *repertum*, sed cum *carpe* coniungendum esse patet, nam oportebat hunc ramum manu avelli, non ferro abscidi; quare etiam *manu* non pleonastice adiectum, ut alibi (vid. adnott. ad Aen. IV, 344.), sed indicat, Aeneae, si forte ramus resistat, non gladio vel alio ferramento utendum esse, quod sequentia docent. (Conington tamen contra me disputat et *manu* pro more Verg. „*semipleonastic*" adiectum censet.) — **146**. Verba *ipse* (sua sponte: vid. ad Ecl. IV, 21.) *volens* (cf. Geo. II, 500.) *facilisque sequetur*, i. e. facile decerpetur, opponi seqq. *non viribus ullis - - ferro*, quisque videt. Negari tamen nequit, haec verba quodammodo adversari cum *lento vimini* v. 137. tum *ramo cunctanti* v. 211., ubi vid. adnott. Ceterum respiciuntur haec verba in Anth. Lat. II, 266, 1., ubi legitur *mollis cedensque sequatur*. Conington apte conferri iubet infra XII, 423. — **147**. *Si te fata vocant*, si tibi fatale est inferos adire. Cf. IX, 472. et adnott. ad V, 656. Haec verba repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 113. — *non viribus ullis*. Cf. XII, 782. — **148**. *vincere*. Vid. infra ad v. 688. — *convellere*. Cf. III, 24. 31. — **149** sq. Comparant Hom. Il. XXII, 386. „Errant Manes insepulti vel circa Stygem; impertitis autem iustis ad loca infera admissi quietem recipiunt. Vid. Obss. ad Tibull. III, 2, 15. Piaculare autem sacrum v. 153. non tam ad purgandam classem a contactu insepulti cadaveris valuisse videtur, quam ad placandos inferos, quos erat accessurus; omnino enim ad inferos non nisi expiati et placatis Manibus accedunt heroës." *Heyn.* — **149**. *iacet*. Vid. supra V, 871. ibique adnott. — **150**. *Heu nescis*. Cf. Hor. Od. III, 24, 30. *quatenus — heu nefas! — virtutem incolumem odimus*, ibid. I, 15, 19. *tamen — heu serus — adulteros crines pulvere collines* et similes locos, ubi *heu* eiusmodi breves parentheses inchoat. — *incestat funere classem*, quia insepultus iacet. Cf. adnott. ad II, 539. *Funus* pro ipso corpore mortuo, ut etiam infra VI, 510. IX, 491. et ap. Hor. Od. I, 28, 19. Prop. I, 17, 8. Lucan. VII, 820. alibi; cf. Barth. ad Stat. Theb. I, 36; *incestare* autem eodem sensu legitur ap. Stat. Theb. XI, 120. et Claud. de Cons. Mall. Theod. 267. Conington conferri iubet Soph. Antig. 1016 sqq. — **151**. *consulta*, i. e. consilia. — *pendes*, haeres. Cf. Flor. I, 13, 15. *sex mensibus barbari circa montem unum pependerunt.* — **152**. „*Sedes* de sepulcro. Alii admodum dure de terra accipiunt. Cur non comparant infra v. 371. et 328?" *Heyn.* Addi

Duc nigras pecudes; ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygis et regna invia vivis
Aspicies." Dixit pressoque obmutuit ore.
Aeneas maesto defixus lumina voltu
Ingreditur linquens antrum caecosque volutat
Eventus animo secum. Cui fidus Achates
It comes et paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone serebant,

---

poterat infra VII, 3. Cf. etiam Schirach. p. 580 sq. Negari tamen nequit, tum idem bis dici: *sedibus suis refer et conde sepulchro;* quare nescio an praestet altera Servii explicatio: „refer hunc naturalibus sedibus, i. e. terrae: nam in aqua perierat." Terra autem mater omnium rerum et propria hominum sedes habetur. Cf. etiam infra v. 508. et quae Burm. et ad h. l. et ad Ovid. Am. II, 11, 30. disputat. — *conde sepulchro,* ut supra III, 68. et in Anth. Lat. I, 178, 438. Ceterum cur hoc faciendum sit, apparet infra ex v. 328. — **153**. Hoc sacrificium, quod fit infra v. 243. sqq., non spectare ad Misenum, sed ad potestatem inferos adeundi, per se patet. — *Duc nigras pecudes,* scil. ad aram. Vid. ad V, 736. et III, 119. et de verbo *ducere* ad IV, 636., ubi locum nostri simillimum legimus. — *prima piacula,* i. e. prius, ante diis offerenda; nam antequam descensus ad inferos licebat, sacro piaculari placandi erant Manes. De hoc usu voc. *primus* vid. ad I, 24. et cf. Wagn. Qu. Verg. XXVIII, 3, d. p. 632. Süpflius tamen *prima* propria significatione accipiendum putat, ut quatuor agnae nigrae sint prima sacra, quae deinde alia sequantur, coll. v. 243. et 249—254. Sed si Sibylla ipsa inter prima et altera sacra piacularia distingueret, nonne etiam horum diserte mentionem facere debebat? Ceterum respexit hunc locum Silius XIII, 405. *mactare repostis Mos umbris — consueta piacula nigras Sub lucem pecudes.* — **154**. *lucos Stygis et regna* cett. ob meliorum Codd. auctoritatem cum Wagn. (quem etiam Peerlk., Gossr. et omnes fere recentiores editores sequuntur) restitui. Vulgaris enim lectio, ab Heinsio invecta et a Süpflio et Bryceo servata *lucos Stygios, regna* (quam exhibent Minoraug., Bern. II. III. atque a m. sec. Pal. et Gud.), quomodo orta sit, id docet corrupta Med. a m. pr. et Romani lectio *Stygiis et regna,* unde in aliis *Stygios et regna,* in aliis denique, cum metrum claudicaret, *Stygios, regna* factum est. Quae autem Wagn. Qu. Verg. XXXIII, 8. praeterea vulgatae lectioni adversari censet, non magni sunt ponderis. — **155**. Verba *pressoque obmutuit ore,* de quibus cf. adnott. ad VII, 103., repetuntur in Anth. Lat. III, 181, 101. — **156**. *defixus lumina.* Cf. VIII, 520. *defixi ora tenebant,* I, 495. *defixus haeret in obtutu,* VII, 249. *defixa obtutu tenet ora,* Wernsd. P. Lat. min. IV, 593, 4. *defixo lumine terrae* et similes loci. De constructione vid. adnott. ad Ecl. I, 54. III, 106. al. — **157**. *Ingreditur,* incedit. Vid. IV, 177. VIII, 309. et al. — *caecos eventus,* obscuros, non perspicuos; Aeneas enim Miseni sortem ignorans non perspicit, quo verba Sibyllae (v. 149 sqq.) pertineant. Vid. ad Geo. I, 89. 464. Aen. I, 356. al. — *volutat animo secum.* Vid. infra ad v. 185. — **159**. *Achates it comes.* Vid. supra v. 34. — *vestigia figere* non idem videtur esse cum *vestigia ponere* (Geo. III, 195. et al.), sed idem fere, quod infra v. 197. et 331. *vestigia premere,* h. e. tarde, pedetentim incedere et subinde subsistere, quod bene dicitur de hominibus sollicitis et multa secum volventibus. Conington, ceterum mihi adsentiens, tamen opinionem meam non iuvari memorat loco Lucr. III, 3. *inque tuis nunc Fixa* [potius *Ficta:* vid. adnott. meam] *pedum pono pressis vestigia signis.* — **160**. Verissime *Heyn.:* „Ceterum mireris, cur non in Palinuri insepultum corpus incidat Aeneae cogitatio, qua tamen nulla prior esse debebat: nisi quod Miseni cadaver in proximo litore iacet, eiusque celebritas fuit magna propter promontorium ab eo appellatum;" neque video, quomodo Wagn. contendere possit, nihil hic mirandum esse apparere, si v. 160. secum explicemus: „multa varie coniectabant, quem

Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret. Atque illi Misenum in litore sicco,
Ut venere, vident indigna morte peremptum,
Misenum Aeoliden, quo non praestantior alter
Aere ciere viros Martemque accendere cantu.

---

diceret Sibylla;" nam hoc ipsum est mirum, quod omnino de hac re coniectare et incerti esse potuerint, cum quisque statim de Palinuro paucis horis ante amisso cogitare deberet. Neque video, quo iure Ladew. contendat, de Palinuro cogitari propter Sibyllae verba v. 149 sqq. nullo modo licuisse; nam si forte urget verba *heu nescis*, quaero, quid prohibeat, quominus de corpore Palinuri Aenea cum comitibus absente fluctibus eiecto cogitari potuerit? Quare non sine ulla causa Peerlk. de interpolatione cogitat et vss. 161. et 162. sic contrahendos censet: - - *sermone serebant: Quum socium exanimem Misenum in litore sicco* etc. Equidem tamen hunc locum potius inter eos retulerim, in quibus bonus Vergilius aliquando dormitasse censendus sit, mirorque neque Süpflium neque Gossravium in eo haesisse. Adsentitur mihi Conington, dum Benoist. Ladewigium sequitur. — *vario sermone.* Cf. I, 748. et VIII, 309. Varias autem coniecturas de sensu verborum Sibyllinorum intelligendas esse patet. — *serebant.* Cf. Liv. XXIV, 31. et 32. *colloquia serere cum aliquo*, id. VII, 39. *aliquid occultis sermonibus serere,* Sen. Med. 26. *querelas et verba incassum serere,* Stat. Achill. II, 37. *campum - - Alterno sermone serunt* (ubi tamen Queck. edit. *terunt*) etc. Idem Stat. Theb. VI, 942. locum nostrum sic imitatur: *Multa duces errore serunt.* — **161.** *exanimem.* Sic Med., dum Pal., Rom., Gud., Bern. II. III. *exanimum* scribunt, quod hic iuxta *socium* minus gratum est et ex v. 149. facile repeti potuit. Ceterum vid. add. ad I, 484. — *humandum.* Cf. X, 493. et XI, 2. — **162.** *Atque.* Vid. ad Ecl. VII, 7. et Aen. IV, 261. — **163.** *indigna morte* Serv. recte explicat „miserabili, non congrua eius meritis." — **164.** *Misenum Aeolidem* dicit, i. e. haud dubie eiusdem Aeoli Troiani filium, quem XII. 542. in pugna cum Latinis occubuisse narrat. — *quo non praestantior alter* cett.; erat enim tubicen classis (vid. III, 239.), quare ab Ovid. Met. IX, 102. *canorus Aeolides* vocatur. Cf. etiam Prop. et Statii ll. infra laudd. et Heynii Exc. VII. ad h. l.; quod autem attinet ad dictionem, cf. Hom. Il. II, 553. — De constructione *praestantior ciere* vid. ad Ecl. IV, 54. V, 1. 53. Geo. I, 284. Ceterum cf. etiam locus similis I, 544 sq. — **165.** *Aere,* vel tuba, quam Iuven. II, 118. *aes rectum* vocat, ipse autem Verg. supra III, 240. *aes cavum,* vel lituo (v. 167.), qui, leniter inflexus, a tuba recta non multum differebat. (Cf. liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 172. adnot. 342.) Recte enim *Heyn.:* „In *litui* proprietate non est haerendum. Sic *lituum* et *tubam* paucos intra versus memorat Stat. Theb. VI, 228. 230. *Tubicinem* Misenum vocat Prop. IV, 17, (III, 18,) 3., *tibicinem* Stat. Silv. IV, 7, 19." Ladew. vero recte adnotat, veteres lituo equitibus, tuba autem peditibus signa dare consuevisse, quare, cum Hector de curru pugnare solitus fuerit, Miseno, qui propterea etiam Statio Silv. IV, 7, 19. *liticen Hectoris* dicatur, apte lituum tribui. Ceterum hunc versum bis respexit Silius VII, 605. et VIII, 488. Servius autem, quocum ex parte consentit Donat. vit. Verg. §. 49. (Sueton. Reiffersch. p. 62, 6 sqq.) idem de antecedente quoque versu referens, adnotat, Vergilium ab initio tantum prius scripsisse hemistichium *Aere ciere viros,* alterum vero subito addidisse, cum librum VI. Augusto recitaret; quae si vera essent, inde appareret, Vergilium etiam ceteros versus imperfectos expleturum fuisse, nisi praematura mors hoc inpediisset, et falsa esse a Zillio in Progr. suo (*Bemerk. über d. unvollend. Verse der Aeneide.* Lips. 1865.) de his versibus disputata. (Cf. adnott. ad Aen. I, 534.) Vide tamen quae Conrads Quaest. Verg. p. XXVI. sq. et Ribbeck. Proleg. p. 63 sq. (etiam contra hunc disputans) de fabella illa (cui Gruppium in Minoe p. 183 sqq. suam quandam admiscuisse memorat Ribbeck.) ut non probabili disseruerunt. In verbis *Martem accendere cantu* Cerda invenit imitationem Aristoph.

Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hasta.
Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Aeneae sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus.
Sed tum, forte cava dum personat aequora concha,
Demens, et cantu vocat in certamina divos,
Aemulus exceptum Triton, si credere dignum est,
Inter saxa virum spumosa inmerserat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant,
Praecipue pius Aeneas. Tum iussa Sibyllae,
Haud mora, festinant flentes aramque sepulchri

Pac. 310. *τὸν πόλεμον ἐκζωπυρήσετ' ἔνδοθεν κεκραμόες.* — **166**. *Hectora circum.* Cf. Hand. Turs. I. p. 59 sq. et adnott. ad Ecl. IX, 40. — **167**. *pugnas obibat*, ut *proelia obire* ap. Lucr. IV, 968. — V. **168**. ultimo voc. excepto iteratur in Anth. Lat. III, 181, 104. — *vita spoliavit.* Cf. XII, 935. *corpus spoliatum lumine.* — **169**. *Dardanio Aeneae*, ut I, 494. — **170**. *sese Addiderat socium.* Vid. Ecl. VI, 20. et Aen. II, 339. — „*inferiora* docte et Graeco more pro: inferiorem, *τὰ ἥττω* pro *τὸν ἥττονα*. Aeneam Hectori aequiparat, ut infra XI, 289. et al.“ *Heyn.* — **171**. *dum personat - - et vocat - -, immerserat.* Vid. ad Geo. IV, 560. et Aen. III, 616. — *forte* haud raro ad rerum, quae casu in unum idemque tempus cadunt, cohaerentium refertur: *er blies eben, gerade — da.* Sic paulo post v. 190. *vix ea fatus erat - - cum forte* cett. Cf. Hand. Turs. II. p. 734. — *personare* cum Accus. loci constructum, quem penetrat sonitus, legitur etiam infra v. 417. Hor. Ep. I, 1, 7. Cic. ad Div. VI, 18, 4. Claud. in Eutrop. II, 303. Petron. c. 121. Solin. 24. Sidon. Apoll. carm. 9. alibi. (sine eo supra I, 741., ubi vid. adnott.). Vid. etiam quae ad VII, 12. et 451. adnotavimus. — *concha* Heynio paulo durius pro tuba vel lituo posita videtur; equidem potius cum Peerlk. de vera coneha cogitandum puto. Si Misenus volebat Tritonem aemulari, qui concha marina pro tuba utitur (cf. X, 209.), ei eodem instrumento utendum erat, quod facile in litore poterat invenire. Cf. etiam Ovid. Met. I, 333 sqq., ubi Triton, *conchae inspirare* iussus, *cavam* sumit *buccinam*, i. e. concham ipsam, quae ei erat pro buccina, ut e seqq. verbis apparet. Consentiunt mecum Süpfl., Wagn., Ladew. et Conington, qui etiam affert Hesychii locum v. *κόχλος*: *κόχλοις τοῖς θαλασσίοις ἐχρῶντο πρὸ τῆς τῶν σαλπίγγων εὑρέσεως.* — **172**. „*Demens*, Homericum *νήπιος* Iliad. II, 38. et saepe al.; qui enim sana est mente, non cum diis se comparabit.“ *Heyn.* Cf. etiam infra v. 590. IV, 562. et IX, 728. — Verba *vocat in certamina divos* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 133. Conington comparat *provocare in aleam* ap. Plaut. Curc. II, 3, 76. — **173**. „*exceptum*, cf. supra III, 332. [et Ecl. III, 18.], ut *ὑποδέχεσθαι*, insidiis. Ductum autem hoc ex mythica ratione praestantiae designandae, ex qua provocare deum is, qui aliqua arte excellit, eiusque iram lacessere narratur.“ *Heyn.* Sic Thamyris et Sirenes cum Musis, Marsyas cum Apolline, Arachne cum Minerva certarunt cett.; de qua re Thiel. conferri iubet Wessel. ad Herod. I, 32. Valcken. ad eiusd. III, 40. et Iacobs. *Verm. Schriften.* T. III. p. 354. — De *Tritone* vid. ad I, 144. De formula *si credere dignum* cf. adnott. ad Geo. III, 391., ubi comparare debebam *si credere fas est* apud Silium III, 425. Hic autem adiecta videtur a poëta, ut indicaret, se causam mortis Miseni inter fabulas referre; in quo mihi adsentitur Conington. Peerlk. tamen in ea haeret et hoc hemistichium pro Grammatici alicuius additamento habet. Sed nusquam apud Vergilium in media sententia versus imperfecti inveniuntur. — **175**. *fremebant.* Vid. ad IV, 668. — **176**. Verba *Praecipue pius Aeneas* iam legimus I, 220. — **177**. *Haud mora*, sine mora. Vid. ad

Congerere arboribus caeloque educere certant.
Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum,
Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex
Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur, advolvunt ingentis montibus ornos.
Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur socios paribusque accingitur armis.
Atque haec ipse suo tristi cum corde volutat

III, 207. — *festinant iussa Sibyllae.* Cf. adnott. ad IV, 575. — „*ara sepulchri*, quod v. 215. *ingens pyra*, a formae similitudine, cum in arae modum exstructa esset, alta et quatuor lateribus. *Ara* enim est omnis basis, aut quod eius formam habet usumque, ut aliquid imponatur, ut h. l. rogus, cui corpus exanime comburendum imponitur.“ *Heyn.* Ex hoc loco fluxit Silianus XV, 387. *Alta sepulchri Protinus exstruitur caeloque educitur ara.* Quare etiam dubitandum de lectione *sepulchro*, quam Ribbeck. ex Pal. et Gud. recepit et Proleg. p. 141 sq. defendere studuit, ab omnibus recentioribus editoribus spreta. Vid. etiam Ovid. Met. VIII, 479. *Ante sepulchrales infelix adstitit aras*, ubi *aras* nihil aliud esse quam rogum, v. 459 sq. docent, et Ovid. Trist. III, 3, 21. Cf. Drak. ad Silii l. l. Burm. ad Val. Fl. V, 10. Oudend. ad Lucan. VIII, 736. alii. Thiel. tamen ad v. 215. *aram* et *pyram* differre, et illud vocabulum proprie intelligendum putat. — *aram congerere* eadem ratione dictum, qua Ecl. I, 67. *culmen tugurii cespite congestum*, ubi vid. adnott. — **178.** *caelo* (vid. ad II, 688. et Ecl. II, 30.) *educere.* Cf. Silius XV, 389. *caeloque educitur ara.* Ceterum Heyn. cum h. l. conferri iubet Hom. Od. XII, 11 sqq. et Il. XXIII, 114 sqq., quos poëta ante oculos habuerit, praeterea autem Il. VII, 417. 428 sq. XIV, 662 sq. 787 sq. et infra Aen. XI, 182 sqq. — *certant educere.* Vid. adnott. ad II, 33. et IV, 443. — **179.** Qui hic sequitur locus, fluxit ex Hom. Il. XXIII, 114 sqq. et Ennii loco a Macrobio VI, 2. p. 513. Ian. nobis servato (Ann. VI. fr. 11. p. 32. Vahl.). Cf. etiam Silius X, 530 sqq. et similis locus infra XI, 135 sqq. Pro *Itur* Ter. Maur. p. 461. ad arbitrium scripsit *Eitur*, qua de re cf. Corssen. de pron. I. p. 208 sqq. et Ribbeck. Proleg. p. 207. et 418. — *in antiquam silvam.* Cf. adnott. ad Geo. III, 219. Aen. I, 569. al. — *stabula alta ferarum*, lustra sub alto fruticeto. Cf. Hor. Od. III, 12, 11. *alto latitantem Fruticeto excipere caprum* ibique Orell. Sic *stabula ferarum* etiam ap. Stat. Theb. I, 377., *nemora cum stabulis* ap. Val. Fl. II, 477.; *alta* autem *stabula* infra IX, 388. X, 723. Ovid. Met. V, 627. VI, 521. et alibi. (Cf. etiam VII, 95. *alto luco*, Geo. II, 390. *saltus profundi*, Lucr. V, 42. *silvae profundae* etc.) Idem fere significant supra v. 7. *densa ferarum tecta.* Iteratur totus versus in Anth. Lat. I, 172, 15. — Cum v. **180.** cf. Hom. Il. XXIII, 118 sq. — *piceas* proprie in rogis locum habere memorat Heyn. coll. Plin. XVI, 10, 18. — *cuneis fissile robur Scinditur.* Cf. Geo. I, 144. — **182.** *advolvunt*, scil. pyrae, ut Geo. III, 378. *advolvere focis ulmos.* — *montibus*, i. e. de montibus. Wagn. ad IV, 26. (ubi vid. adnott.) omissionem Praepositionis eo excusat, quod *advolvunt montibus ornos* positum sit pro: advolvunt *ornos*, montibus devolventes. Vid. paulo post ad v. 187. — **183.** *inter talia.* Cf. IV, 663. *media inter talia* (ibique adnott.). — *primus*, ante ceteros, i. q. supra v. 176. *praecipue.* Vid. ad III, 437. — *accingitur*, se accingit, instruit (cf. IX, 74.), *armis*, i. e. securibus. Cf. v. 180. — **185.** *ipse* (i. e. secum solus) — *volutat.* Cf. XII, 843. *His actis aliud genitor secum ipse volutat* et adnott. ad IV, 475. Praeterea cf. supra v. 157. I, 50. IV, 533. etc. — Verba *suo tristi cum corde* (i. e. ipse tristis) redeunt VIII, 522. *multa s. tr. c. c. putabant.* Sic alibi *cum animo suo volvere* (Sall. Iug. 6.), *cum animo suo considerare* (Cic. Verr. III, 12, 20.), *cum animo cogitare* (Cic. Agr. II. 24, 64.) et similia haud raro. *Secum corde volutare* legimus I, 50. IV. 533., *animo secum volutare* VI, 157, et simpliciter *secum volutare* supra

Adspectans silvam inmensam et sic forte precatur:
„Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.“
Vix ea fatus erat, geminae cum forte columbae
Ipsa sub ora viri caelo venere volantes
Et viridi sedere solo. Tum maxumus heros
Maternas adgnoscit avis laetusque precatur:
„Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat

---

v. 157. Ecl. IX, 37. Aen. X, 159. XII, 843. — **186.** Vulgo *voce precatur* (quod exhibet Rom., dum in Longob. *ore precatur* legitur, quae vox etiam I, 614. II, 524. pleonastice adiicitur), ut IX, 403. et XI, 784. Vid. ad IV, 680. et infra v. 247. Wagn. vero, qui coll. Becker. Eleg. Rom. p. 229. *voce vocare, voce precari* et similia ubique claram magnamque vocem indicare contendit, quod ab h. l. alienum sit, recepit Med., Pal., Gud. aliorumque Codd. et Servii lectionem *forte*, his verbis adiectis: „Optime autem Aeneam poëta *forte* precatum dicit, quo ad insperati eventus exspectationem lectoris animus excitetur.“ (Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 57. adnot.*). Et sane cum *forte* vel ob repetitionem eiusdem verbi v. 190. (in qua non haerendum esse ad I, 315. II, 207. 633. alibi vidimus), vel ob Servii scholion, qui illud prorsus otiosum et ad solam metri sustentationem adiectum esse censet, facile in illas lectiones mutari potuerit, Wagnerum secutus sum, idemque post me fecerunt Iahn. in altera edit. et ceteri recentiores editores praeter Bryceum et Coningtonem. Vid. etiam Wilms. Progr. laud. p. 12., qui mecum Wagnero adsentiens ad comprobandam eius sententiam de significatione dictionis *voce vocare* Aen. IV, 681. VI, 247. 506. X, 873. XII, 483. atque Burm. et Bach. ad Ovid. Met. X, 3. et 507. conferri iubet. Nihilominus Henry in Philol. XVII. p. 630. (retractans ex parte quae scripsit in *Tw. years* VI. p. 15.) defendit lectionem *voce precatur*, quam in tribus modo Codd. invenit, dum 42 Codd. ab eo collati *forte* exhibent, quod ex v. 190. huc translatum censet. Peerlk. denique, quem Gossr. et Haupt. sequuntur, verba *et sic forte precatur* spuria et versum ab aliis aliter expletum censet. — **187.** *Si*, i. e. o si, utinam. Vid. ad VIII, 560. — *arbore*, in aliqua arborum (ut Geo. III, 353.) Wagn. ad IV, 26. *in arbore* scribendum fuisse contendit, nisi sequeretur *nemore in tanto*. Sed vide, quae ipse ad Geo. I, 430. adnotavit. — **188.** *quando omnia vere locuta est* (Hom. πάντα θεὰ νημερτέα εἶπεν); unde exspectandum erat, etiam alteram partem vaticinii arbore illa inventa exitum esse habituram Conington comparat Aesch. Agam. 1241. ἄγαν γ' ἀληθόμαντιν οἰκτείρας ἐρεῖς. — **190** sq. „Ostento vel augurio aliquo res profecto nunc cum maxime erat expedienda. Quale autem aliud accommodatius Veneris matris avibus? etsi omnino faustum et laetum hoc auspicium. Sed poëta haud dubie in animo habuit Apollonium III, 540 sqq. Cf. v. 926 sqq.“ *Heyn.* Cf. quae hac de re ad Aen. I, 393. disputavimus. — *Vix ea fatus erat:* nescio, quo iure Peerlk. adnotaverit: „tacitus, secum, πρὸς ὃν θυμόν;“ cum omnia potius de precibus verbis expressis et pronuntiatis cogitare nos iubeant. — **191.** *ipsa sub ora*, *gerade, unmittelbar vor sein Gesicht*, i. e. sub adspectum. Vid. ad Geo. IV, 75. — **192.** *sedere*, Perf. verbi *sidere*. Cf. infra v. 203. et adnott. ad III, 565. — **193.** *maternas avis*. De columbis Veneri sacris cf. Hygin. f. 197. et Ovid. Met. XV, 386., ubi propterea *Cythereïades* vocantur. Pro *adgnoscit* Med. teste Vogginio exhibet *agnovit*. — **194.** Verba *Este duces, o, si qua via est* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 2. — *cursus* pro volatu, ut Ecl. VI, 80. Cf. Heins. ad Ovid. Am. II, 6, 11., qui confert eiusd. A. A. II, 73. Stat. Theb. III, 563. alios. Similiter etiam de *glandis plumbeae cursu* per auram loquitur Lucr. VI, 179. et 307. — **195.** *Dirigite*. Ribbeck. pro more suo *Derigite* cum Pal., Rom. et Gud. a m.

Ramus humum. Tuque, o, dubiis ne defice rebus,
Diva parens!“ Sic effatus vestigia pressit
Observans, quae signa ferant, quo tendere pergant.
Pascentes illae tantum prodire volando,
Quantum acie possent oculi servare sequentum.
Inde ubi venere ad fauces grave olentis Averni,

---

pr. Cf. eius Proleg. p. 402. — *in lucos, ubi*, i. e. in eam partem *lucorum* (s. luci), ubi etc. — *opacat*. Peerlk., cum unus ramus et admodum parvus (*virga* v. 144.) exigua umbra sua humum minime possit *opacare*, coni. *dives opacat Arbor humum*. Sed recte *Heyn.*: „Cogitandus est ramus cum frondibus et foliis; huic, etsi ex auro, poëta tribuit, quod commune est omni frondi, ut umbra obducat eam terrae partem, cui respondet suo ad solem positu. Et hoc est *opacat humum*.“ — **196**. *defice*. Cf. Tibull. III, 4, 20. *Somnus sollicitas deficit ante domus*. Deficimus eum (vel, quod idem est, desumus ei), cui exspectatum auxilium non ferimus. — **197**. *Diva parens*. Antiquae editt. praebent *Alma parens*, quod Pierius in Rom. (?) et aliis Codd. se invenisse testatur. Ribbeck. de hac lectione prorsus tacet, quae ex II, 591. 664. aliisque locis facile oriri potuit. — *vestigia pressit*, substitit, incessum inhibuit. Vid. infra v. 331. et supra ad v. 159. Sic etiam Val. Fl. II, 424. *Attoniti pressere gradum*. Noli igitur hanc dicendi formulam confundere cum illa: *premere alicuius vestigia*, i. e. eadem calcare vestigia, quae alius praecedens humo impressit. — **198**. *quae signa*. Servius de augurio intelligit; sed rectius fortasse Peerlk., negans hic de augurio proprie dicto cogitari posse, haec adnotat: „Aeneas, puto, observat, *quae signa columbae ferrent*, h. e. quo pergerent et ita viam monstrarent, quam viam pergendo signarent.“ Etiam Conington *quae signa ferant* simpliciter per „quid significent“ interpretatur coll. II, 171. *ea signa dedit*, i. e. significavit. Hunc locum sic reddit imitator Verg. in Anth. Lat. I, 178, 337. *Exspectans, quae signa ferant*. — **199**. Loci, qui sequitur, memor fuit Silius XVII, 55 sqq. Servius multos distinguere ait post *pascentes*, et sic etiam Med. (vid. infra ad v. 200.). Sed vere observat Wagn., hoc vocabulum superioribus additum esse otiosum, cum *prodire* vero coniunctum significare „interquiescentem interdum cibi quaerendi causa volatum.“ Solent enim aves, et maxime columbae, pascendi causa modo humi residentes, modo rursus subvolantes loca proxima pererrare „*antecedentium et iter monstrantium ritu*,“ ut Curtii verbis utar, qui IV, 7, 15. de corvis simillima refert. Ceterum cf. etiam quae Henry in Philol. XVII. p. 630. contra alteram distinctionem voci *pascentes* vim ab h. l. alienam tribuentem recte disputat. — **200**. *tantum, quantum possent*. Nescio, quid sibi velit Wagn., iudicans, Coniunctivum modum indicare rem saepius factam: *ὅσον ἀεὶ δύναιντο*. Coniunctivus enim per se nihil aliud significat, quam consilium columbarum (vel potius Veneris eas mittentis) non longius volandi, quam quo oculi Teucrorum prospicerent, ne ex eorum conspectu abscederent; et repetitae rei notio potius voc. *pascentes* et toti sententiae inest. (Adsentitur mihi Conington.) — *servare*. Vid. ad Ecl. III, 75. Geo. I, 335. et al. — Pro *sequentum* Moret. IV. *sequendo*, quam lectionem, a Wakef. ad Lucr. I, 961. vulgari praelatam, Wagn. iure ingratam censet „ob praegressum modo eadem in sede *volando*.“ Peerlk., cum Aeneas solus esset, nec columbas sequeretur, sed staret columbas oculis observans, coni. *oculi servare sequentes*. Sed ubi poëta Aeneam, cuius *socii* supra v. 184. commemorati sunt, hic solum fuisse narrat? atque etiamsi de uno Aenea cogitasset, tamen in eiusmodi communi sententia Plurali uti ei licuisset. Paldamus in Caesaris *Zeitschr. f. d. Alt.-Wiss.* XII. (1854.) p. 242. Puncto non post *pergant*, sed post *Pascentes* posito (ut Med. distinguit), pro *sequentum* coniicit *sequentem*, ut de oculis columbarum sermo sit, et haec adiicit: „Imago columbarum dum pascunt pergentium verior est, quam volando pascentium et abundantia ingrata est *pascentes* — *volando*. Sequitur autem Aeneas necessario, dum observat volantes porro.“ — **201**. De *Averno* vid. ad III, 386. — *grave olentis*. Cf. infra v. 240 sqq.

Tollunt se celeres liquidumque per aera lapsae
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt,
Discolor unde auri per ramos aura refulsit,
Quale solet silvis brumali frigore viscum

---

grave olens (quod Ladew., Coningt. et Benoist. in unum voc. contrahunt) iam legimus Geo. IV, 270. — **202.** „*Tollunt se celeres.* Dicit eos alte volasse ad vitandum Averni odorem." *Serv.* Cf. infra v. 420. — **203.** *Optatis* Wagn. recte refert ad votum et desiderium Aeneae sperantis columbas sibi monstraturas esse arborem illam aureum ramum ferentem, ut *sedibus optatis* sit i. q. „eo loco, quo eas considere optaverat Aeneas." Consentiunt nobiscum Ladew., Bryce et Benoist., dum Conington cum Heynio faciens, cui *sedes optatae* simpliciter sunt „arbor, quam volatu petierant," explicat: „*having chosen their place to settle.*" — *gemina super arbore.* Sic optimi Codd. cum Prisc. XIV, 51. p. 1001., Arusiano p. 261. et Donato II, 16, 5., quorum lectionem, tamquam difficiliorem, cum Iahn. et Wagn. recentiores editores omnes iure receperunt. Vulgo (ut in Rom. et Longob.) satis frigide *geminae* (columbae), quod librariis debetur nescientibus, quid sit *gemina arbor*, quare Henrico (*Tw. years* VI. p. 16. et Philol. XVII. p. 630.) hanc lectionem defendenti, quamvis eam in decem modo Codd. inter 49 ab eo collatos invenerit, adsentiri non possum. Heyn. (cui adsentiuntur Iahn. et Wagn.) ea significari putat arborem duplicis trunci in commune fastigium coeuntis; mihi tamen cum res ipsa, tum sequens *discolor aura* flagitare videtur Donati explicationem: „quae frondem duplicem materiamque portabat," quamvis Wagn., ob unum dumtaxat ramulum aureum totam arborem geminam dici posse, neget. (In recentiss. tamen edit. mutata sententia mecum videtur consentire.) Etenim si Heynii rationem amplectimur, *gemina* prorsus otiosum est epitheton, quod in eiusmodi loco, ubi singula omnia sunt gravia et significantia, eo magis offendat necesse est. *Geminus* autem sensu Graeci διφυής legitur etiam Ovid. Met. II, 555. (*geminus Cecrops*), II, 630. (*geminus Chiron*), XII, 459. (*geminus Pyretus*), Stat. Silv. III, 2, 35. (*gemino corpore Triton*) et alibi. Peerlk., et in *optatis sedibus* et in *gemina arbore* temere haerens, audaci conamine coni. *Eminus optata Aeneae super arbore sidunt.* — *super arbore* pro: in arbore, ut Ecl. I, 80. *requiescere fronde super viridi,* Stat. Theb. V, 589. *modico super aggere* et multa similia. Cf. Aen. I, 680. 700. VI, 203. 515. VII, 557. Ovid. Met. XV, 875. etc. Per se tamen patet, *super* pro *in* tum tantum poni posse, si de superficie vel summa alicuius rei suppositae parte agitur. Burm. male coni. *sub arbore,* quod raro columbas videamus arboribus insidentes; sed non cogitavit, de palumbibus sermonem esse. — *sidunt.* Respexit hunc locum Silius III, 255. *optato vertice sidunt.* — **204.** *Discolor,* „nam per arborem viridem fulsit color aureus": Donatus. — „*auri aura,* splendor. *Aura* de luminis reverberatione. Vid. ad Geo. II, 47., ubi *luminis aurae.* Cf. Serv. h. l. et Mitscherl. ad Hor. II, 8, 21. Sic ignis fulminei aura, φάεος ἀϋτμή Callim. in Dian. 117. de vapore ignis, qui etiam longius dissita adurit." *Heyn.* Quamquam locus Georg. ab Heynio collatus huc non pertinet, tamen non haerendum puto in voc. *aurae* pro splendore, quem aurum effulget, repercutit, posito, cum etiam Macrob. Sat. VI, 6. et Priscian. Perieg. 1020. (*aura viridi quae splendet iaspis,* ex Dionys. 1120. Χλωρὰ διαυγάζουσαν ἴασπις) locum nostrum sic intellexerint, in quo etiam Serv., Nonius p. 245, 22. et Isidor. Orig. XVI, 8, 1. *auri* — *auram* testantur. Etiam Wagn. ad Aen. I, 546. adnotat: „Voc. *aura* apud Verg. significat interdum radios quosdam a re lucente vel splendente (*auri aura* VI, 204.) exeuntes sensumque videndi ferientes." Peerlk. vero, *auram auri* nihil aliud significare posse contendens, quam auri odorem, legi vult. *D. unde auro* (quod in Rom. legitur) *per ramos virga refulsit,* quod etiam Gossravio praeferendum videtur. — **205.** De visco, frutice illo glutinoso, ex arborum, quercuum maxime, cortice enascente, unde glutinum paratur eiusdem nominis (*Vogelleim:* cf. Geo. I, 139.), cf. Plin. XVI, 44, 93. et XXIV, 4, 6.

Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fetu teretis circumdare truncos:
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice, sic leni crepitabat brattea vento.
Corripit Aeneas extemplo avidusque refringit
Cunctantem et vatis portat sub tecta Sibyllae.
Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant et cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem taedis et robore secto
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris

---

et Scrib. Larg. 82. et 214. — *brumali frigore*; tunc enim maturum est viscum. — **206**. „*quod non sua* [vid. ad Ecl. I, 37.] *seminat* [suo semine producit] *arbos* [ideoque in aliena arbore natum]: ex vetere opinione, falsa tamen. Satis nunc constat, plantam esse parasiticam, cuius semina aves appetunt et rostro absportata in ramis arborum et cortice deponunt. — **207**. *croceo fetu*, ex natura visci. Plin. XXIV, 4, 6. *Optimum est - - extra fulvum, intus porraceum.*“ *Heyn.* — *truncos*, i. e. ramos, ut Geo. II, 63. Cf. etiam Ovid. Met. XIV, 115. — **208**. Verba *Talis erat species* hinc repetuntur in Ausonii cent. nupt. 44. — *auri frondentis*. Vid. supra v. 144. — **209**. *brattea* Med., Rom., Pal. (qui *brattia* praebet, quam formam vituperat Gramm. Eichenfeldii p. 444.) Bern. II. et III. secuti cum Ribbeckio, Hauptio et Wagn. edidimus Lachmanno suasore ad Lucr. IV, 727. p. 253. Ceterum vid. Isidor. Orig. XVI, 18, 2.: *Bractea dicitur tenuissima lamina ἀπὸ τοῦ βραχεῖν, quod est ἠχεῖν, i. e. a crepitando* (quam tamen vulgarem lectionem Lindem. e Codd. vestigiis mutavit). Differt autem a lamina, quae crassior est et durior. Praeter Lucr. l. l. cf. Martial. VIII, 33, 6. IX, 61, 4. Ovid. A. A. III, 232. cett. et de ligneis bracteis (*Fournire*) Plin. XVI, 43, 84. — *Crepitare* de stridore et strepitu rerum metallicarum etiam Tib. II, 5, 73. Prop. IV, 10, (III, 11,) 43. alibi legitur. Imprimis autem cf. Ovid. Met. X, 648. *Medio nitet arbor in arvo, Fulva comam, fulvo ramis crepitantibus auro.* — **211**. „*cunctantem*, ut tenax, lentus; et v. 137. *lento vimine ramus*, quippe ex auro. Sic Geo. II, 236. *glebas cunctantes* dixerat.“ *Heyn.* Negari tamen nequit, hanc vocem adversari versui 146. (quod recte a me observari ait Süpflius), neque sufficit Wagneri explicatio: „quippe inhaerentem arbori.“ In recentiss. vero edit. vir doct. Servium secutus acute haec adnotat: „Nimirum tanta est aviditas Aeneae, ut non decerpere, sed vi refringere eum ramum, tamquam cunctantem, fingatur,“ idemque recte censet Ladew.; Peerlk. vero et ipse haerens in illa, quae videtur, contradictione duas profert coniecturas, *Adductam* et *Cedentem*, meliorem tamen medicinam ab aliis exspectat, et Burm. commemorat Waddelii (Animadv. crit. p. 22.) coniecturam *Sectantem*, quae minus etiam placet. — **212**. *Nec minus* (vid. Geo. I, 393. Aen. III, 482. VI, 475. VIII, 465. X, 812. XI, 203. XII, 746.) et *nec minus interea* (vid. Geo. II, 429. III, 311. Aen. I, 633. VII, 572. XII, 107.) frequens ap. Vergilium transeundi formula ad rem novam, quae eodem fit tempore, quo antea commemorata. — **213**. *cineri ingrato* Heyn. recte interpretatur „gratiam nec sentienti nec referenti;“ neque aliter Sidon. Apoll. Ep. IV, 2. Cf. etiam Cop. v. 35. *Quid cineri ingrato servas bene olentia serta?* (ibique Ilgen.) et Prop. I, 3, 25. *omniaque ingrato largibar munera somno* (quod puella dormiens nescit munera sibi apponi). — *suprema ferebant*, i. e. feralia dona (Ovid. Met. IX, 213.), feralia munera (id. Trist. III, 3, 81.) s. inferias. Cf. XI, 25. *suprema munera* et ibid. v. 61. *supremum honorem.* Sic v. c. Tac. Ann. I, 61. *solvere suprema militibus.* — *ferebant*, ut III, 19. et alibi. — **215**. „Rogum struxerunt taedis pinguibus ac lignis fissis: cf. Iliad. XXIII, 164 sqq.“ *Heyn.* — *ingentem*, quo magis honoraretur defunctus; nam altitudo rogi accommodata esse solebat maiori vel minori mortuorum dignitati. Cf. Kirchmann. de funer. III, 1. p. 208. Ceterum patet, verba *robore secto* arcte cohaerere cum *ingentem*, ut *pinguem* cum *taedis*. Cf. locus simillimus IV, 505. — „*fron-*

Intexunt latera et feralis ante cupressos
Constituunt decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices et aëna undantia flammis
Expediunt corpusque lavant frigentis et unguunt.
Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt
Purpureasque super vestes, velamina nota,
Coniciunt. Pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium, et subiectam more parentum

---

dibus atris Intexunt latera, faciunt latera ex ramis et lignis arborum nigricantium [taxorum, cupressorum et similium], ut tristis adspectus esset." *Heyn.* Cf. II, 16. *sectaque intexunt abiete costas.* — 216. *feralis cupressos. Feralis*, a *ferendo* deductum (cf. Varr. L. L. V, 3. et Boetticb. Lex. Tacit. p. 195.), significat omnia, quae ad funera pertinent. Sic *ferales cupressi* etiam Ovid. Trist. III, 13, 21. leguntur, idemque sibi vult Silius X, 535. (*ferale decus, maestas ad busta cupressos*). Cf. etiam supra III, 64. ibique adnott. Imitatus est h. l. Stat. Theb. IV, 460. *ara Erigitur - - frondes atque omne cupressus Intexit plorata latus* cett., qui tamen pyram ipsam e cupressis constructam producit. — 217. *decorantque s. f. armis* (scil. ipsius Miseni). Heyn. putat rogum ita fuisse exstructum, ut trunci cupressini in tropaeorum vel ferculorum morem prominerent, quibus arma affigerentur; cui tamen explicationi adversari videtur locus XI, 193 sqq., ubi arma *igni coniiciuntur*, quare neque hunc locum aliter intelligendum censeo. Adsentiuntur mihi Ladew. et Conington, qui conferri iubet Hom. Il. VI, 418. et Od. XII, 13. Ceterum de hoc usu arma aliasque res defuncto, dum vivebat, caras simul cum corpore eius comburendi cf. liber meus *Hellas u. Rom.* I, 1. p. 120. cum adn. 373. (ubi omnino de funere eiusque ritibus agitur). — 218. Ad corpus mortui lavandum se accingunt. Heyn. comparat Hom. Il. XVIII, 349 sqq. et Od. XXIV, 44 sqq. — *aëna undantia* ad aquam in aënis bullientem spectant. Cf. etiam locus similis infra VII, 463. Verba et *aëna undantia flammis* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 252. — 219. *Expediunt.* Vid. ad I, 177. 702. V, 209. — Ad v. 219. Servius hunc laudat Ennii versum (Ann. III. fr. 8. p. 25. Vahl.): *Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit* (in quo tamen potius *Tarcuini* scribendum esse docent Pinzger. in Ephem. lit. Ien. 1823. p. 126. et Ritschl. in Mus. phil. Rhen. VII. p. 598., quos sequitur Vahlen.). De hoc unguendi more vid. Plin. H. N. XIII, 1, 1. Plin. Epist. V, 16. Persius III, 103. Lucian. de luctu 11. Kirchmann. de funer. I, 7. p. 33 sqq. et liber meus modo comm. p. 169. adn. 332. — 220. *Fit gemitus*, lamentatio exoritur. Cf. Ter. Andr. I, 1, 101. *ad sepulcrum venimus; in ignem imposita est; fletur*, et similes locos. Ceterum cf. I, 725. *fit strepitus*, II, 209. *fit sonitus* et similes loci. — *defleta*, fortius, quam simplex *fleta*. Cf. XI, 59. — 220 sq. Cf. Hom. Il. XXIV, 795 sqq. — *toro*, i. q. v. 222. *feretrum*. — 221. „*Velamina nota* ex loquendi usu (cf. XI, 195. 196.) aliter vix accipias, quam, quibus ipse, dum vivebat, usus est. Etsi poëta ad suorum popularium morem respicere potuit, cum purpura cremandi mortuos (de quo laudant Cic. Legg. II, 23. Liv. XXXIV, 7.); tamen magis probabile fit, Homerum ante oculos fuisse poëtae Od. XXIV, 59." *Heyn.* Adde Hom. Il. XXIV, 795. Heynii explicationem veram neque interpretandum esse: vestes, quibus mortui velari solent, videtur etiam apparere ex XI, 195. *munera nota, Ipsorum clipeos* etc. — 222. *subiere feretro*, constructio verborum minus usitata pro: subire feretrum. Sic etiam Prop. IV, 18, (III, 19), 14. *subire deo* et Stat. Theb. I, 406. *subire uno tegmine.* Alia ratio est eorum locorum, ubi *subire* accedendi significatione cum tertio Casu construitur. Vid. ad III, 292. VII, 161. IX, 371. Ceterum ipsi subeunt feretrum, ut honorem, quo mortuum colant, significent. Cf. Suet. Iul. 84. Tac. Ann. I, 8. etc. — 223. Verba *triste ministerium*, quae etiam legimus in Anth. Lat. IV, 361, 3. et 370, 2., Heyn. pro exclamatione habet parenthetice interiecta, rectius vero

Aversi tenuere facem. Congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam conlapsi cineres et flamma quievit,
Reliquias vino et bibulam lavere favillam,
Ossaque lecta cado texit Corynaeus aëno.
Idem ter socios pura circumtulit unda

Wagn. pro appositione ad vv. *subiere feretro*, scil. quod est triste ministerium. Cf. VIII, 487. IX, 53. X, 311. (XI, 383.) et similes locos. — *subiectam facem*. Cf. Lucr. VI, 1285. *subdebantque faces* et de subiiciendi verbo Aen. II, 37. et XI, 186. — *more parentum*, i. q. XI, 186. *more patrum*, i. e. maiorum. — *aversi*, propter dolorem (ut ap. Ovid. Met. VII, 342. *oculosque reflectunt Caecaque dant saevis aversae vulnera dextris*). Cf. de hoc more Lersch. Ant. Verg. p. 86. — **224**. „*Congesta*; nam singuli ex omni populo munera ferebant. Cf. V, 101. Suet. Iul. 84. Stat. Theb. VI, 126. Sil. XVI, 308.“ *Gossr.* — **225**. „In ignem coniici puta tus, oleum; sed quid *dapes?* Verbo, puto, sacrificiali corpora boum, suum, ovium (vid. infra XI, 197 sq.) victimarum caesa et in ignem iniecta significat poëta. Cf. Iliad. XXIII, 166 sq. Odyss. XXIV, 65.“ *Heyn.* Tria igitur commemorantur, tus, victimae, oleum. Etiam Arnob. VII, 51. commemorat *tus cum carnibus* tamquam *alimenta ignium parentalibus coniunctissina mortuorum*. Cf. Lersch. Ant. Verg. l. I. Nam Becheri rationem, qui in Obss. critt. Spec. I. p. 72. *tus* et *oleum* appositionis loco voc. *dapes* addita esse putat, ut *dapes* sint alimenta ignis, ipse verborum ordo dissuadet, quod rectissime sensit Iahn. Peerlk. tamen, tus et oleum aeque esse dapes atque victimas contendens, coll. Aen. III, 301. et Senec. Oed. 307., hanc profert coniecturam satis audacem: *congesta cremantur Ultima dona super fuso crateres olivo*. Sed etiam Silius XV, 390. (haud dubie locum nostrum respiciens) distinguit inter *tura dapesque*, et vox *dapes* etiam apud Senec. Oed. 557. et alibi praecipue de victimis dicitur. — *fuso crateres olivo*. Crateres ipsos in ignem misisse veteres diis inferis sacrificantes, testatur Servius, laudans Stat. Theb. VI, 211., quem tamen locum non recte intellexit. — *fuso* prius explicui per effuso; rectius tamen Wagn. pro *infuso* positum accipit. *Crateres* igitur *fuso olivo* sunt i. q. *crateres olivi* Ecl. V, 68. De *olivo* pro oleo posito vid. ad Ecl. V, 68., de oleo autem sacris inferorum adhibito infra v. 254. et Ecl. V, 66. — Cum v. **226** sq. Heyn. conferri iubet Iliad. XXIII, 250 sqq. XXIV, 791 sq. Odysss. XII, 13 sq. et XXIV, 71 sq., ipsa autem verba v. 226. ex Iliad. IX, 212. translata esse memorat. — **227**. *Reliquias et bibulam favillam* pro: favillam ex ossibus crematis reliquam: cf. adnott. ad Ecl. II, 8. *Bibulus* de omnibus rebus dicitur, quae humores facile insugunt. Cf. Geo. I, 114. (ibique adnott.) II, 348. Ovid. Met. VI, 9. *bib. lana*, Plin. Ep. VIII, 15. *bib. charta* etc. — *vino lavere*. Cf. Plin. XIV, 12, 14. Stat. Silv. II, 6, 90. et liber meus modo comm. p. 120. cum adn. 376. Dubium tamen esse, utrum rogus, an ossa modo collecta vino conspersa fuerint, Becker in Gallo III. p. 293. memorat. — **228**. *Ossaque lecta*. De hac ὀστρολογίᾳ cf. Homerus ll. ll. et Tibull. III, 2, 9—27. — „*cadum* dixit pro urna: φιάλην memoraverat Hom. Il. XXIII, 253. et λάρνακα XXIV, 795. de Achillis cineribus χρύσεον ἀμφιφορῆα Od. XXIV, 74. Nota urnam ex aere: cuius generis non pauca, imprimis per Italiam inferiorem, reperta sunt in sepulcris, olim falso Etrusca dicta.“ *Heyn.* — *Corynaeus* etiam infra IX, 571. et XII, 298. commemoratur. Codd., ut solent in nominibus propriis scribendis, variant; sed *Κορυναῖος* (a *κορύνη*) haud dubie vera est forma nominis. — **229**. Sequitur facto funere sollemnis lustratio. — *ter*. Vid. infra v. 506. et adnott. ad Ecl. VIII, 73. — *socios circumtulit unda*, ad analogiam constructionis verborum *circumdare, circumfundere* et similium paulo insolentius dictum pro: aquam circum socios tulit. (Wagn. confert infra X, 243. *oras ambiit auro* et Moret. 121. *ambit crura ocreis*. Praeterea cf. adnott. ad IV, 500. et Gossr. ad h. l.) Quare neque opus est, ut cum Heins. et Both.

Spargens rore levi et ramo felicis olivae
Lustravitque viros dixitque novissima verba.
At pius Aeneas ingenti mole sepulchrum
Inponit suaque arma viro remumque tubamque
Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur aeternumque tenet per saecula nomen.
His actis propere exsequitur praecepta Sibyllae.
Spelunca alta fuit vastoque inmanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris,

---

unius Cod. Zulich. lectionem *puram - undam* praeferamus, aut cum Maserio ad Val. Fl. III, 433. legamus *circumluit;* neque ut cum Servio (qui provocat ad Plaut. fragm. *pro larvato te circumferam,* quocum cf. Amph. II, 2, 143.), Fabrettio ad Col. Trai. p. 143. Casaub. ad Theophr. Char. p. 293. et Fabro ad Aristoph. Eccles. 126. *circumferre* a veteribus pro *lustrare* dictum esse statuamus. Aliter h. l. expedire studet Bach. ad Ovid. Met. V, 384. Cf. etiam similis locus Tib. I, 5, 11. *Ipseque ter circum lustravi sulfure puro.* Ceterum hunc locum afferunt Macrob. Sat. III, 1, 8. et Nonius p. 261, 29. — **230**. *spargens* pro conspergens. Vid. ad Ecl. V, 7. - *rore.* Vid. ad Geo. IV, 431. — Pro Ablat. instrumenti, quem vocant, *et ramo* Both. praeter necessitatem coni. *e ramo.* — *felix oliva* (ut VII, 751.), utpote arbor fructifera et propterea etiam usum habens in sacris, quae superis diis fiunt; contra *infelix oleaster* Geo. II, 314., i. q. sterilis et infaustus. Vid. adnott. ad Ecl. V, 37. Vulgo in lustrationibus non olivae, sed lauri ramo utebantur. (Cf. praeter alios Iuven. II, 158.) Tamen hariolatus videtur Donatus, qui Servio teste poëtam hoc Augusti causa mutavisse dixit, cum eo die, quo Augustus natus sit, in palatio laurus nata esset, quare ille dicere noluerit laurum ad officium lugubre pertinere. (Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 182.) Sed etiam oleae usum fuisse in funebribus, discimus ex Plin. XXXV, 12, 46. — **231**. *novissima verba,* non *vale* illud ter repetitum, de quo ad II, 644. et XI, 97. dictum, sed Servio auctore verbum *Ilicet!* quo dimittebantur, qui exsequias ierant. Ceterum cf. adnott. ad IV, 650. — **232**. Aeneas haud dubie in eo ipso loco, ubi rogus fuerat, terra aggesta altum facit tumulum. Heyn. conferri iubet Hom. Il. XXIII, 255 sqq. et VII, 434. Adde Odyss. XII, 14. — „Huic tumulo imponit *sua arma* cett. sollemni more a multis illustrato, etiam ex sepulcris. Cf. Fabrett. ad Col. Trai. p. 374. Postea pro instrumentis his facile putrescentibus cippi ex saxo istis instrumentis insculpti positi.“ *Heyn.* Pronomen autem *sua* cum aliqua vi adiectum; quibus in vita usus erat, quae cara ei fuerant. Vid. infra IX, 273. et cf. Sanctii Min. II, 12. Eichstad. et Dissen. ad Tibull. III, 4, 59. Per *arma* autem, quo vocabulo quam lato sensu Romani usi fuerint, ad Geo. I, 160. vidimus, hic *remum* et *tubam* intelligenda esse, cum arma proprie dicta cum corpore combusta fuerint (v. 217.), probabiliter suspicatur Conington. — **233**. Cf. Hom. Od. XII, 15. Videtur hunc locum respexisse auctor Epit. Iliad. 1054. *Quadrupedesque adduntur equi currusque tubaeque.* — **234**. *Monte sub aërio.* Vid. ad Ecl. I, 59. et Aen. III, 680. De *Miseno,* Campaniae promontorio, quod etiamnum *Punta di Miseno* dicitur, vid. Strab. V. p. 234. 242 sq. Mela II, 4, 9. Plin. III, 5, 9. Liv. XXIV, 13, 6. Tac. Ann. XIV, 4. alii et liber meus geogr. III. p. 496 sq. Heyn. cum h. l. comparat Hom. Od. XII, 14 sq. et Stat. Silv. III, 5, 98., quibus adde Prop. IV, 17, (III, 18,) 3. *Qua iacet Troiae tibicen Misenus arena.* — V. **235**. iteratur in Anth. Lat. I, 170, 162. Cf. autem infra v. 381. et VII, 412. — **236** sqq. Nunc ad sacrum Manibus faciendum se accingit Aeneas ex praecepto Sibyllae v. 153. — „*His actis* [quod redit XII, 843.] fuere qui nimis historicum putarent. Silius et alii imitando probarunt. Sil. VII, 730. *quis actis.* XVI, 275. *his actis.*“ *Peerlk.* — **237**. „*spelunca,* Averno imminens (hinc *tuta lacu*) et alia, quam quae supra v. 42. memorata est.“ *Heyn.* — *vastoque inmanis hiatu.* Cf. Lucr. V, 376. *patet inmani et vasto - hiatu.* — **238**. *Scrupea.* Vid.

Quam super haud ullae poterant inpune volantes
Tendere iter pinnis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:
[Unde locum Graii dixerunt nomine Aornon.]
Quattuor hic primum nigrantis terga iuvencos
Constituit frontique invergit vina sacerdos
Et summas carpens media inter cornua saetas

Heins. ad Val. Fl. II, 518. — *tuta*, ad quam difficilis accessus. — **239**. Cf. quae ad III, 442. de Averno adnotavimus. Conington cum hoc versu conferri iubet Apoll. Rh. IV, 601. et cum toto loco Lucr. VI, 740 sqq. — *volantes*. Vid. ad Geo. III, 147. et IV, 16. — **240**. *Tendere iter pinnis*. Vid. ad VII, 7. Verbis *talis sese halitus - - effundens* foede abusus est Auson. cent. nupt. 113 sq. — **241**. *supera ad convexa*, ad caelum. Cf. infra v. 750. et adnott. ad IV, 451. Ribbeck. recepit lectionem *super*, quam Rom. et a m. pr. Med. et Pal. exhibent, ut Adverb. *super* cum Particip. *convexa* coniungendum sit, vulgaris autem lectio ex v. 750. vel 788. VII, 562. X, 251. orta videatur. Posteriorum editorum nemo secutus est. — V. **242**., qui non solum abest a libris melioribus, ut videtur, omnibus, in aliis autem a recentiore manu in margine adscriptus est (inter 46 Codd. ab Henr. collatos 33 eum a prima, sex a sec. manu exhibent, septem prorsus omittunt), sed etiam Servio et Nonio p. 14, 14. (qui hunc versum, si in Cod. suo legisset, ante omnia proferre et tribus antecedentibus a se laudatis adiungere debebat) prorsus ignoratur, haud dubie est spurius et, quod iam Heyn. vidit, ex Dionys. Perieg. 1151. *τούνεκά μιν καὶ φῶτες ἐπικλείουσιν Ἄορνον* huc translatus; quare eum (licet a Wakef. ad Lucr. VI, 740., Ruhk., Iahnio, Thielio et Henr. *Tw. years* VI. p. 17. defensum) uncis inclusimus (in quo nos secuti sunt Süpfl., Gossr., Wagn. in edit. recentiss., Bryce, Conington et Benoist.); quamvis hoc Iahnio facile largiamur, nominis etymologiam per se nihil offensionis habere, nec epici carminis rationi oppugnare. (Cf. adnott. ad I, 109. et 268.) Wagn., qui eum prius prorsus e contextu exterminavit (quod etiam Ribbeck. fecit), non temere suspicatur, Vergilium, si huius versus auctor esset, haud dubie scripturum fuisse: *Unde loco Graii dixerunt nomen Aornon* vel *Aorno*, quod comprobare studet collatis locis Geo. I, 137. IV, 271. Aen. III, 18, 693. (idemque repetit Peerlk.); quamquam, qui Vergilium Lucretii imitatorem esse meminerit, opponere possit, hunc poëtam l. modo l. scripsisse: *Nunc age, Averna tibi quae sint loca - - Expediam - -. Principio, quod Averna vocantur nomine* cett. et Vergilium ipsum infra v. 441. *sic illos nomine dicunt*. (Quae Henry in *Tw. years* VI. p. 17. sq. disputavit, nunc retractat vir doct., versum tamen a Verg. scriptum esse, neque in Philol. XVII. p. 631. videtur dubitare.) — **243** sqq. „Totus hic sacrificii diis inferis facti apparatus apud plures poëtas exponitur, ductus ex Homeri pluribus locis, imprimis Od. X, 317. XI, 25.“ *Heyn.* — *nigrantis terga iuvencos* (quae verba iterantur ex V, 97., ubi vid. adnott.) i. e. omnino nigros (cf. adnott. ad Aen. I, 635.), diis inferis immolat ex praecepto Sibyllae v. 38. et 153. — **244**. *Constituit*. Cf. V, 237. — *invergit* i. q. infundit. Servius autem inter *fundere* et *vergere* hoc statuit discrimen, ut illud sit „supina manu libare, quod fiat in sacris supernis“ (ut supra IV, 61.), hoc vero „conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in infernis sacris fiat.“ Sic Val. Fl. II, 611. *vina invergere pelago*. Plaut. Curc. I, 2, 12. *liquores in aliquem invergere*. Cf. etiam Ovid. Met. VII, 246. ibique Bach. Quod ad ipsam rem attinet, cf. IV, 61. ibique adnott. - **245**. „*Et summas carpens* pertinet ad Homericum: *Ἀλλ' ὅ, τ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλε*. Iam inter victimae consecrationem, quae fit vino in caput libato et pilo tamquam pro *ἀπαρχαῖς* evulso et cremato, concipiuntur preces, v. c. Odyss. III, 445 sq. Itaque h. l. subiicitur: *voce vocans Hecaten*.“ *Heyn*. *Setae* de omnium animalium pilis densioribus dicitur, non

Ignibus inponit sacris, libamina prima,
Voce vocans Hecaten Caeloque Ereboque potentem.
Supponunt alii cultros tepidumque cruorem
Succipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori
Ense ferit sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas incohat aras
Et solida inponit taurorum viscera flammis

---

solum de suillis. Sic boum setae etiam Aen. VII, 790, leonum ibid. v. 667., equorum Cic. Tusc. V, 21, 62., cervorum Val. Fl. VI, 711. commemorantur cett. — **246**. *inponit.* Cf. I, 49. IV, 453 etc. — *libamina prima* (ἀπαρχάς). Vid. adnott. ad v. 153. Peerlk. praeter necessitatem coni. *imponit sacris libamina, primam Voce vocans Hecaten.* — **247**. Conington conferri iubet Apoll. Rh. III, 1209. — *voce vocans.* Vid. adnott. ad I, 614. IV, 680. et supra v. 186. Sic *voce vocare* etiam ap. Ovid. Her. X, 34., *voce precari* infra IX, 403. X, 785., *voce referre* I, 94. 208. II, 524. etc. Verba *Voce vocans Hecaten* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 334. — *Caelo potentem*, utpote Lunam s. Dianam. Vid. ad III, 681. et IV, 511. Ceterum cf. VII, 140. *duplices Caeloque Ereboque parentes.* — **248**. „*supponunt cultros*, subiectis, admotis infra sub iugulo, ut Geo. III, 492. *suppositi cultri*, ex religione in sacris inferis notissima, ut prona et cernua mactaretur victima diis inferis.“ *Heyn.* Victimis contra superis diis immolandis culter *imponebatur* s. superne admovebatur. Cf. Voss. ad Geo. l. l. et Adam. *Röm. Alterth.* I. p. 576. Cerda conferri iubet Myrsili de reb. Lesb. 2. verba *εἰώθασιν οἱ ἱερεῖς τὰ ἔντομα τοῖς κάτω θεοῖς ἐναγιζόμενα ἐν τῇ γῇ ἀποτέμνεσθαι τὰς κεφαλάς. οὕτω γὰρ θύουσι τοῖς ὑποχθονίοις, τοῖς δὲ οὐρανίοις ἄνω ἀναστρέφουσι τῶν ἱερείων τὸν τράχηλον σφάζοντες*, quae tamen inter Myrsili fragm. in Muelleri Fragm. histor. Graec. desiderari memorat Conington. — **249**. *tepidum cruorem* (ut VIII, 106.) *succipiunt* (pro vulgari excipiunt: vid. I, 175.) *pateris*, „ne iam sacratus in terram cadat“ (ut Donatus adnotat), vel potius, ut inde libari possit. Cf. III, 67. et V, 78. *Succipiunt* autem cum Hauptio, Ribbeckio, Wagn. in recentiss. edit. et Coningtone scripsimus fragm. Vat., Pal., Gud. a m. sec. aliosque libros secuti. Cf. adnott. ad l. modo l. — *atri velleris agnam.* Conington confert Stat. Theb. IV, 445. *Velleris obscuri pecudes.* — **250**. *matri Eumenidum*, Nocti (vid. ad VII, 331. et cf. XII, 846. cum Aesch. Eumen. 322. ab Heyn. laud.), *magnaeque* (eius) *sorori*, Terrae; utraque enim ex Chao procreata. Cf. Hesiod. Theog. 123 sq. et Hyg. fab. praef. in. Heyn. cum h. l. conferri iubet Silii locum hinc expressum X, 429 sqq. — **251**. *sterilem vaccam*, quae deae numquam enitenti bene convenit. Sic etiam ap. Hom. Od. XI, 30. *στεῖραν βοῦν* mactant. — **252**. *Stygio regi*, Plutoni. Vid. ad IV, 638. — *nocturnas aras*, quia diis inferis sacra fiunt noctu. Cf. adnott. ad V, 162. „*aram* puta in scrobe excisam, ut in sacris inferis; hinc *humiles aras* dixit Val. Fl. III, 426.“ *Heyn.* — *incohat.* Sic scripsimus cum Hauptio et Ribbeckio Codd. Pal., Rom., Gud. et Bern. II. secuti. Vid. adnott. ad Geo. III, 42. *Inchoare* (vel potius *incohare*), ut omnino significat fundamentum iacere alicuius rei, ita etiam de aedificiis quibuscunque condendis usurpatum esse videtur. Servius tamen verbum sacrorum esse tradit. Sic etiam Cic. pr. dom. 51, 132. *delubrum inchoare.* Verba *nocturnas inchoat aras* leguntur etiam in Anth. Lat. I, 178, 323. — **253**. „*solida viscera*, totam victimam. *Viscera* pro carnibus et crudis partibus etiam alibi leguntur [vid. adnott. ad I, 211.]; diis enim inferis fiunt *holocausta.* Itaque ad flammam alendam oleum infunditur. Cf. Apollon. III, 1030 sq. 1190 sq.“ *Heyn.* Sic *solidus* de tota aliqua re, nulla parte exempta, etiam alibi legitur, ut ap. Ovid. Met. XII, 356. *solidoque avellere trunco Annosam pinum magno molimine tentat.* Iustin. XXX, 4, 3. *Terrae motus solidas civitates absorbuit.* Hor. Od. I, 1, 20. *partem solido demere de die.*

Pingue super oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem, primi sub lumina solis et ortus
Sub pedibus mugire solum et iuga coepta moveri
Silvarum visaeque canes ululare per umbram

Varro ap. Nonium p. 405, 20. *decem annos solidos errare.* — Cum v. 254. Conington conferri iubet Hom. Il. XI, 775. -- *supĕr oleum.* Sic *insupĕr* apud Plaut. Merc. IV, 2, 2., *sempĕr* apud Lucr. III, 2., *inter* apud Prop. III, 24 (II, 28.), 29. etc. Omnino cf. quae supra ad V, 521. adnotavimus. Ribbeck. ex plurimis sane Codd. (fragm. Vat., Med., Pal., Rom., Gud., Bern. II. III., Minoraug. etc.) et Schol. Veron. (cf. Proleg. p. 198.) recepit *superque,* quem tamen posteriores editores non secuti sunt, cum vana de metro sollicitudo illam lectionem provocasse videatur (cf. adnott. ad I, 668.), quae adversetur usui Vergilii, copulam *que* nusquam alteri sententiae vocabulo adiungentis. Wagn. ad Qu. Verg. XII, 13. p. 533. in Codd. lectione scripturam *superne* latere suspicatur. — *super-infundens.* Wagn. confert Soph. Antig. 426. *ἔκ τ' εὐκροτήτου χαλκέας ἄρδην πρόχου χοαῖσι τρισπόνδοισι τὸν νέκυν στέφει.* — *infundens* est Med. lectio ab Heins. revocata. Vulgo *fundens,* quod (a ceteris Codd. tantum non omnibus, etiam fragm. Vat., Pal., Rom., Gud., Bern. II. III. et Minoraug. exhibitum) Jahn. restituit, iure propterea reprehensus a Wagn., qui provocat ad consuetudinem Vergilianam coniungendi vv. *super iniicere, super incumbere* cett. et ad similem locum Suet. Aug. 94. *infuso super altaria mero. Superfundere* autem, quod significet „ita fundere, ut tota res madeat," hic minus aptum esse censet. Cf. etiam supra IV, 120. (In altera edit. Iahn. Cod. Med. lectionem tacite revocavit, quam tamen Ribbeck et Conington rursus deseruerunt.) Ceterum Ribbeck. poëtam post hunc versum unum vel plures versus additurum fuisse censet. — 255. „Tempus a nocte media usque ad noctem extremam intelligendum esse, et res et sacri huius mos docet. Vid. Silius XIII, 405. 413. 419. Apollon. III, 1028. 1190 sq. Cf. infra ad v. 535." *Heyn.* Quae sequuntur, nihil aliud videntur significare, quam sacro placatam esse Hecaten, et Aeneam ad loca infera admitti. — *primi sub lumina solis et ortus,* ἓν διὰ δυοῖν. Med. cum paucis aliis *sub limina,* quod placuit Heinsio. Sed recte Burm.: „*Limen solis* bene dicitur, cum agitur de loco ac regione, unde sol oritur; de tempore vero ortus rectius *lumen.*" Non tamen reticendum, ap. Catull. LXIV, 271. legi *Aurora exoriente vagi sub limina Solis.* -- *Lumina solis* legimus etiam VII, 130. VIII, 68. ap. Lucr. I, 5. et alibi. — *primi solis,* i. e. orientis. Cf. e. g. Ovid. Met. IV, 93. *primo feriente cacumina sole,* ubi Bach. confert Lucan. IV, 65. *quidquid concrescere primus sol patitur* et oppos. *supremo sole* ap. Hor. Ep. I, 5, 3. Peerlk. tamen, cui non ferenda videtur tautologia illa *primi lumina solis et ortus,* coni. *primi subito sub luminis ortus,* atque etiam Senecam Adv. *subito* hic legisse suspicatur, qui locum nostrum imitatus Troad. 169. scripserit: *summa iam Titan iuga stringebat: ortus vicerat noctem dies: Cum subito caeco terra mugitu fremens Concussa* etc. Sed, si vere hunc locum ante oculos habuit Seneca, tantopere ab exemplo suo recessit, ut etiam illud *subito* de suo addidisse videri possit. Gentius Ann. crit. p. 28. coni. *solis et orsum.* — Cum v. 256. cf. supra IV, 490. Conington comparat Apoll. Rh. III, 1217. — *mugire solum.* Ovid. Met. XIV, 406. in loco huic simillimo scripsit *Ingemuitque solum* et paulo post v. 409. *et lapides visi mugitus edere raucos,* Silius autem VI, 179. *resonare solum tellusque moveri* etc. — *iuga silvarum* Heyn. recte interpretatur per iuga montium silvis consita, coll. *dorso nemorum* ap. Hor. Sat. II, 6, 91. et *silvis iugosis* ap. Ovid. Am. I, 1, 9. *Iuga nemorum* redit infra XI, 545., et Peerlk. non inepte comparat Callim. in Cer. 386. *ὄρος κάτα δάσκιον ὕλης,* ubi hic ipse Vergilii locus nihil mutandum esse doceat. Verba *iuga coepta moveri* repetuntur in Anth. Lat. II, 192, 21. — 257. *canes* Stygias intellige Hecaten comitantes, de quibus vid. Apollon. III, 1216. (*χθόνιοι κύνες ἐφθέγγοντο*) Taubmann. ad h. l. Burm. ad Val. Fl. III, 228. Heind. et Orell. ad Hor. Sat. I, 8, 35. (ubi *infernae canes* dicuntur). Cf. etiam Ovid. l. l. v. 409. *Et*

Adventantĕ dea. „Procul o, procul este, profani,“
Conclamat vates, „totoque absistite luco;
Tuque invade viam vaginaque eripe ferrum;
Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.“
Tantum effata furens antro se inmisit aperto;
Ille ducem haud timidis vadentem passibus aequat.
Di, quibus imperium est animarum, umbraeque silentes

---

latrare canes. Pro *visae* haud pauci Codd. *visi;* sed *visae* meliores libri et Schol. Horat. ad Epod. II. tuentur. Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 470. — *visae ululare.* Cf. Aen. III, 90 sqq. IV, 490. Propert. III, 8 (II, 16), 49. *Vidistis toto sonitus percurrere caelo* aliosque locos iam ad Ecl. IX, 58. allatos cum Donati scholio ad Ter. Eun. III, 2, 1. Aliter hunc locum intellexit *Gossr.*, haec adnotans: „*Visae* recte dictum, nam cum, quae v. 256. narrantur, videat oculis, ululatum modo audit, concludit eum a canibus Hecates fieri, neque tamen certo scit.“ Peerlk. praeter ullam necessitatem coni. *saevaeque canes.* De verbo *ululandi* (Graec. ὠρύεσθαι), quod de lupis legimus Geo. I, 486. et Aen. VII, 18., Wagn. conferri iubet Sturz. de vocibus animalium in eius Opusc. p. 146 sq. Ceterum vid. adnott. ad Aen. IV, 609. Locus in Anth. Lat. I, 178, 342. sic iteratur: *visaeque canes ululare per urbes.* — **258.** „*Adventante dea* de Hecate esse intelligendum, nihil est quod dubites; si modo ceteros de his sacris locos poëtarum consulas, v. c. Apollon. III, 1211 sqq. Theocr. II, 35 sq. 10 sqq.“ *Heyn.* — *Procul - - profani!* Temere in hoc loco haesit Heynius, cum nulli commemorentur socii, qui Aeneam in hac via comitati sint. Recte enim Ruhk. et Thiel. in his verbis nil nisi vulgare illud exordium formulae receptionis inveniunt, quo Sibylla pro more suo utatur, ut audientiam sibi faciat, licet vere non adsint profani ab antro arcendi, et quo demum seqq. verba *Tuque invade viam* plenam vim suam accipiant. Wagn. autem omnes Aeneae socios hic per *profanos* significari censet, oppositos nimirum Aeneae, qui ramo aureo ex Hecates luco decerpto profanus esse desierit et ipsius numinis praesentiam iam ferre possit; et sic sane locus intelligendus erit, si priorem illam explicandi rationem probare dubitaveris. Ceterum de ipsa formula ἑκὰς, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός (Callim. in Apoll. 2.), ἑκὰς, ἑκὰς, βέβηλοι (idem ap. Serv. ad h. l.), s. θύρας ἐπιθέσθε βέβηλοι (Orph. ap. Iustin. Coh. ad Graec. 15. coll. Callim. in Cer. 3.) vid. Interpp. ad Callim. h. in Apoll. l. l. et ad Hor. Od. III, 1, 1. Cf. etiam Calpurn. Ecl. II, 55. *Ite procul, sacer est locus, ite profani!* et Claud. R. Pros. I, 4. *gressus removete, profani!* — **259.** *totoque absistite luco.* Cf. Silius II, 371. *toto absistite ponto,* Senec. Herc. fur. 804. *antroque toto cessit* et similia. — **260.** *invade viam.* Contrarium *evadere viam* legimus II, 731. — *vagina eripe ferrum,* scil. ad deterrenda monstra, quae ei obvia futura erant, ex Hom. Od. X, 535. et XI, 48. Cf. etiam IV, 579. *vaginaque eripit ensem.* Verba *vaginaque eripe ferrum* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 50. — **261.** Si *animus* et *pectus* ita coniunguntur (ut etiam VIII, 151. IX, 249., ap. Val. Fl. VI, 288. al.), illud voc. animum fortem, audaciam, hoc mentem, ingenium significat. (Vid. Ladew. ad IX, 249.) Cf. quae de coniunctione vocum *animus* et *mens* ad I, 304. (et I, 26.) exposuimus. — *nunc pectore firmo.* Cf. Anth. Lat. I, 170, 1. *nunc pectore firmo Este, duces.* — **263.** *vadentem passibus aequat.* Cf. III, 671. *fluctus aequare sequendo.* — **264** sqq. Homerum aliosque poëtas secutus poëta, ad rem tam gravem atque difficilem se accingens, qualis est inferorum descriptio, ante omnia deorum inferorum auxilium implorat; quam subitam horum numinum et Manium appellationem „insignem habere vim ad animos excitandos et horrore quodam sacro imbuendos,“ vere observat Heyn., simul comparans Sen. Herc. fur. 658 sqq. Cf. V, 235. *Di, quibus imperium pelagi est.* — *umbraeque silentes.* Cf. infra v. 432. Ovid. Met. XV, 772. *sedes intrare silentum.* Anth. Lat. IV, 13, 27. *sedes non nosse silentum.* Matius in Iliad. XIII. ap. Gellium IX, 14, 15. *An maneat specii simulacrum in morte silentum.* Quare apud Senec. Hippol. 221. The-

Et Chaos et Phlegethon, loca nocte tacentia late,
Sit mihi fas audita loqui; sit numine vestro
Pandere res alta terra et caligine mersas.
Ibant obscuri sola sub nocte per umbram
Perque domos Ditis vacuas et inania regna:
Quale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in silvis, ubi caelum condidit umbra

---

seus *Adiit silentem nocte perpetua domum* et Hor. Od. II, 13, 29. sedes ipsas, quas umbrae silentes incolunt, vocat *sacrum silentium*. — 265. *Chaos*. Vid. adnott. ad IV, 510. — *Phlegethon* instar omnium fluminum infernorum atque omnino pro locis inferis nominatur. Vid. etiam infra ad v. 550 sq. — *loca nocte tacentia late*. Sic Heins. ex Med. a m. pr., Rom. et aliis Codd. (quibus accedit fragm. Vat.) restituit; vulgo *silentia*, quod ob repetitionem admodum ingratam aut ex ipso versu antecedente ortum, aut ex IX, 190. adscitum censet Wagn. (Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 307.) Ceterum etiam Ovid. Met. X, 30. haec coniungit: *Per Chaos hoc ingens vastique silentia regni*. — 266. *Sit numine vestro*, i. e. per numen vestrum, s. per potentiam et voluntatem vestram mihi liceat, nolite me potentia vestra vetare. Cf. adnott. ad Aen. I, 8. et II, 623. cum iis, quae Dietsch. Theol. Verg. p. 5. disputavit. Sic *esse* pro *licere* haud raro dici constat. Cf. adnott. ad Ecl. X, 46. et Geo. IV, 447. atque Gossr. ad h. l. Quare Peerlk. coll. Senec. Herc. fur. 658. suspicatur, etiam antecedentia verba fortasse sic scribenda esse: *Sit mihi, Fas, audita loqui*, ut *Fas* sit dea, eadem fere, quam Graeci Δίκην vel Νέμεσιν vocent; quod nemo facile probabit. — 267. *Pandere*. Vid. ad III, 179. et VII, 641. — *caligine mersas*. Cf. Stat. Theb. VI, 510. *tandem caligine mersum Erigit - - caput*. Fortasse hunc locum respexit Sen. Herc. fur. 660. *ut iura abdita Et operta terris liceat impune eloqui*. — 268. *obscuri*, epitheto ab umbra vel nocte poëtice ad ipsos homines tenebris circumfusos translato, ut alibi *caecus* (vid. ad Aen. I, 356. et al.). Cf. etiam Geo. IV, 424. Aen. II, 135. infra v. 453. Mart. I, 50 (49), 16. *obscurus umbra arborum* cett. cum adnott. ad Aen. III, 632. et VIII, 298. — *sola* Heyn. per inversionem dictum putat pro soli. Immo *solus* hic i. q. solitarius, vacuus; *die einsame, öde Nacht*, per quam nemo obviam fit euntibus. Vid. adnott. ad Aen. V, 613. et XI, 569. Ceterum pauci quidam Codd. (inter quos Gud. a m. pr.) exhibent *obscura soli*. — *per umbram* Heins. restituit ex melioribus libris. Vulgo *per umbras*. Sed vid. ad Ecl. VIII, 14. Verba *sola sub nocte per umbram* repetuntur in Ausonii cent. nupt. 101. — 269. *domos*, locos simpliciter, *vacuas*, amplas, spatiosas. Vid. ad VII, 379. — *inania regna*, quia umbris modo *inanibus* (Ovid. Fast. V, 463. Trist. III, 11, 25. Stat. Theb. I, 93. cett.), corpore vacantibus incoluntur. Cf. Ovid. Met. IV, 510. *ad inania magni Regna redit Ditis*. id. XI, 670. *Indeploratum sub inania Tartara mitte*. Hinc ap. Hor. Od. I, 4, 17. *domus exilis Plutonia*, ubi vid. Mitscherl. — 270. *per incertam lunam*, cuius lux nubibus incerta et dubia redditur, quae modo splendet, modo nubibus obductis obscuratur. Vid. ad III, 203. (Quae Henry in *Tw. years* VI. p. 19 sq. etiam contra me disputavit, ea nunc vir doct. retractat. Ceterum idem lectionem *incertam* in 40, alteram *inceptam* (s. *incoeptam*) in novem modo Codd. invenit. Cf. Philol. XVII. p. 631.) Schol. Lucani IX, 73. exhibet *per incertum lunae*, quo etiam spectare videtur fr. Vat. a m. pr. lectio *incertum lunam*. Cf. Ribbeck. Proleg. p. 217. Heyn. confert ἀΐδνην σκοτίην Apollonii IV, 1697. Quod autem ad Praep. *per* attinet, cf. II, 255. *per amica silentia lunae* et ibid. v. 340. *oblati per lunam*. — *lux maligna*, i. e. parca ideoque parva, infirma, tenuis. Verba *sub luce maligna* hinc repetit Auson. Cup. cruc. 5. Similiter ap. Mart. X, 96, 7. *malignus ignis* et ap. Lucan. IX, 500. *parva unda maligna vena* legitur. Contra ap. Hor. Od. II, 18, 10. *ingeni benigna vena*, i. e. larga, ut etiam ap. Plaut. Bacch. III, 2, 17. *malignus* et *largus* sibi opponuntur. — 271. *in silvis*, „quae etiam exiguum illud lucis sua densitate possunt eripere:“

Iuppiter et rebus nox abstulit atra colorem.
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae;
Pallentesque habitant Morbi tristisque Senectus
Et Metus et malesuada Fames ac turpis Egestas,
Terribiles visu formae, Letumque Labosque;
Tum consanguineus Leti Sopor et mala mentis

Donatus. Conington conferri iubet infra IX, 381. et Hor. Sat. II, 3, 48. *velut silvis, ubi passim Palantis error certo de tramite pellit.* — 272. Cf. Rutil. Itin. I, 218. — 273 sq. „Ingeniose in faucibus et aditu locorum inferorum constituta ea, quae vel morti sunt vicina vel in morte sunt. Cf. Serv. Imitatores loci iam excitavit Cerda Silium XIII, 579 sqq. Senecam Herc. fur. 680 sqq. Claud. in Ruf. I, 29.“ *Heyn.* Adde Petron. de mut. reip. 255 sqq. Ut enim veteres vestibula et atria domorum variis simulacris et imaginibus ornare solebant (cf. Aen. VII, 177 sqq.), sic poëta Orci vestibulum variis numinibus incultum fingit, quae repraesentant res hominibus perniciosas et mortem accelerantes. *Vestibulum* autem, quod proprie erat locus vacuus ante domum (cf. Varro L. L. VII, 81. Gellius XVI, 5. Macrob. Sat. VI, 8. Isidor. XV, 7, 9. Beckeri Gallus II. p. 148 sqq. ed. 2. et liber meus *Hellas u. Rom.* I, 1. p. 194. cum adn. 9.), a Vergilio hic et Aen. II, 469. VI, 273. 555. 573. (et Cir. 216.) licentia poëtica pro parte domus ipsius, imprimis cubiculo illo usurpatur, ubi portae custos moratur. Cf. Lersch. Ant. Verg. p. 223. — *primisque.* Sic Med., Rom., Bern. II. aliique Codd., Macrob. Sat. VI, 8, 14. et Gellius XVI, 5, 11. Ribbeck. (quem tamen nullus posteriorum editorum secutus est) ex Pal., Gud., Bern. III. et Prisciani p. 1000. Codd. edidit *primis* omissa Copula. — *Fauces* autem Gellio XVI, 5. auctore Vergilius hic „*vocat iter angustum, per quod ad vestibulum adiretur.*“ Quid proprie fuerint *fauces* in domo Romanorum, apparet ex libro meo modo comm. I, 1. p. 197. Vid. etiam Becker. l. l. p. 180. Ceterum cf. Geo. IV, 467. *Taenarias fauces, alta ostia Ditis.* — 274. In Orci introitu habitant dii quidam auctores malorum, quae mortem arcessunt ideoque inferis semper recentes umbras adducunt. — „*Curae,* angores conscientiae, ut bene Serv., laudato Iuven. XIII, 193 sq. *quos diri conscia facti Mens habet attonitos et surdo verbere caedit;* itaque *ultrices.*“ *Heyn.* Claud. in Ruf. I, 38. simili sensu *insomnes curas* commemorat. Peerlk. igitur sine iusta causa coni. *altrices* - - *Curae,* ad *altrices* satis audacter mente repetens Gen. *luctus.* Ceterum tamquam personae apparent *Curae* etiam ap. Horatium Od. II, 16, 12. 22. et III, 1, 40. — *posuere cubilia.* Poëtae fortasse obversabatur versus Hesiodi Theog. 64. *Παρ' δ' αὐτῆς Χάριτές τε καὶ Ἵμερος οἰκί' ἔθεντο.* Vergilium imitatus est Stat. Theb. II, 37. *Illic exhausti posuere cubilia venti.* — 275. *tristis Senectus* propter molestias cum ea coniunctas. Vid. simillimus locus Geo. III, 67. — 276. *malesuada Fames,* quae suadet rapinas, caedes et alia scelera. Heyn. confert Eurip. Electr. 375. *ἀλλ' ἔχει νόσον πενία, διδάσκει δ' ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακόν* et Sil. XIII, 585. *Et deforme malum ac sceleri proclivis Egestas.* Adde Hom. Od. XVII, 286 sqq. Hor. Od. III, 24, 42. Claud. in Eutrop. II, 180. Martial. XI, 88 (87), 3. et similes locos. Admodum raro autem illud Adiectivum invenitur in libris veterum. Plaut. Most. I, 3, 56. *malesuadam vitilenam* et Sidon. Apoll. Ep. VII, 5. *malesuadam interpretem* commemorat. — *turpis Egestas,* deformis, sordida; quare additur *terribiles visu formae.* Cf. etiam Lucr. III, 65. sqq. (cuius loci hic fortasse memor fuit Verg.). Silius XIII, 585. *Et deforme malum ac sceleri proclivis Egestas,* et Oros. II, 4. *Egestas turpis atque obscoena Fames.* — 277. *Terribiles visu formae.* Cf. XI, 271. *Horribili visu portenta.* — *Letum.* Vid. Geo. IV, 481. — *Labosque* pro vulg. *Laborque* Heins. e Codd. recte restituit; in nominibus propriis enim, si Codd. addicunt, antiquior et numerosior forma ubique praeferenda. Cf. adnott. ad Ecl. III, 56. Aen. III, 27. al. Ceterum hunc versum profert Seneca Ep. 104. — 278. „*consanguineus*

Gaudia mortiferumque averso in limine Bellum
Ferreique Eumenidum thalami et Discordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque bracchia pandit
Ulmus opaca, ingens, quam sedem Somnia volgo

Leti Sopor ex Hom. Il. XIV, 231. *Ὕπνος κασίγνητος Θανάτοιο* [cf. etiam ibid. XVI, 682.]. Etiam Hesiodo Theog. 756 sqq. *Somnus* et *Mors* Nocte matre editi. De eius sede cf. etiam Ovid. Met. XI, 592 sqq. et Stat. Theb. X, 84. [Ipsa autem similitudo, quae inter eum et mortem intercedit, causa est, cur ei hic iuxta mala illa sedes assignatur.] — *mala mentis gaudia*, ideoque talis mentis, quae et ipsa mala et scelesta est, quae gaudet sceleribus. Argutatur in epitheto Sen. Ep. 59, 2. [qui haec ad stoicam significationem revocat]." *Heyn.* Imprimis de invidia videtur cogitandum, quam nemo imitatorum omisit. Thiel. *mala* interpretatur per falsa, fallacia, ut opponantur veris gaudiis. Ceterum cf. Val. Fl. VI, 178. *mala Leti gaudia* et Stat. Theb. I, 229. *mala gaudia matrum.* — 279. *averso in limine.* Quae antea commemoravit poëta, in vestibulo conspiciebantur; nunc pergit ad ea, quae in ipso limine Orci apparent huic vestibulo opposito, adverso; *in limine* igitur respondet verbis v. 273. *primis in faucibus Orci.* — *Bellum* ut persona inducitur etiam Aen. I, 294. VII, 607. Hor. Sat. I, 4, 61. et alibi. — 280. *Ferrei, δισυλλάβως.* Vid. ad Ecl. III, 96. VII, 6. Aen. I, 131. 698. etc. — „*ferrei thalami*, ut ap. Homerum *θάλαμοι*, cubicula, ferreis claustris s. foribus. Ita *Νυκτὸς παῖδες ἐρεμνῆς οἰκί' ἔχουσιν* in foribus Tartari ap. Hesiod. Theog. v. 758. Cogitandum autem de servorum ianitorum *cellis* [de quibus cf. liber meus supra comm. I, 1. p. 195.]. Nunc pro ianitoribus in aditu locorum inferorum cum Bello et Discordia *Eumenides.* Eaedem tamen, nempe *Tisiphone cum Sororibus,* infra v. 570 sqq. in aditu Tartari collocatae memorantur. Non habeo, quod satis commode ad hanc difficultatem respondeam. Dicere enim, eas hic habere suas sedes et per alia loca discursitare, fortasse ieiunum sit. [Wagn. fortasse pro ratione muneris earum distinctas sedes iis a poëta attribui suspicatur.] — Expeditior ratio ap. Ovid. Met. IV, 452 sq., ubi illae etiam *ante fores,* sed Tartari, sedent. Tertia earum sedes commemoratur infra XII, 849 sq., ubi *in limine regiae Iovis* eaedem satellitum loco excubare dicuntur, aliorum poëtarum more. Sed poëtae licet diversis in locis diversos sequi mythos." *Heyn.* Eadem ratione etiam Cerberum modo ad limina Orci, modo in ipso Tartaro habitantem fingi memorat Thiel., coll. Heynii Exc. VII. ad h. l. et Bacchio ad Tib. I, 3, 71. 281. *Discordiae* crines anguinei, ut Furiis, tribuuntur, quia ipsa Furiarum similis est agendi ratione. Constructio *crinem vittis innexa* (pro habens crinem vittis innexum) iam adfuit V, 511. Cf. omnino adnott. ad Ecl. I, 54. III, 106 etc. Verba *crinem vittis innexa cruentis* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 325. — 282 sqq. „Mirum phantasma, quod Somniis sedem assignat in ulmo. Sed diis alatis, levibus, vagis bene ea convenit. et commentum subnatum poëtae suspicor ex Hom. Il. XIV, 286 sqq., ubi Somnus a Iunone adductus in arbore considet, donec Iovem possit opprimere. Alibi in aditu Orci Somnia collocare sollemne est poëtis. Odyss. XXIV, 12. *παρ' Ἠελίοιο πύλας* (occidentis Solis) habitat *δῆμος Ὀνείρων.*" Haec *Heyn.,* qui praeterea comparat similes locos Silii XIII, 595 sqq. et Sen. Herc. fur. 690., quibus adde Ovid. Met. XI, 613 sqq. et Claud. in Ruf. I, 29. Quamquam autem somnia alata sunt cogitanda, tamen non adsentior Henrico (*Tw. years* VI. p. 21. et Philol. XVII. p. 630.) avium speciem et figuram iis tribuenti. Servius duo Somniorum genera distinguit, vera, quae Superi de caelo demittant, et vana, quae ex inferis veniant. — *In medio,* scil. vestibulo; nisi comparans locum II, 512. cum Donato de atrio cogitare malis. Vid. adnott. ad locum modo coll. — *bracchia pandit Ulmus.* Cf. Silius XIII, 595. *bracchia fundit Taxus,* et Geo. II, 296. (aesculus) *late ramos et bracchia tendens.* — 283. Epitheta *opaca, ingens* iam III, 619. coniuncta vidimus. — *volgo* Heyn. vere explicat per passim, catervatim; cf. adnott. ad III, 643. Ruhk. hoc Adverbium cum

Vana tenere ferunt foliisque sub omnibus haerent.
Multaque praeterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant Scyllaeque biformes
Et centumgeminus Briareus ac belua Lernae
Horrendum stridens flammisque armata Chimaera,

---

ferunt coniungendum esse censet. — **284**. *Vana*. Cf. VIII, 42. *Ne vana putes haec fingere somnum*. — *foliisque - - haerent*, i. e. haerentia. Cf. infra v. 550. cum adnott. ad Ecl. VIII, 3. (ubi addi possunt Aen. IV, 264. V, 402. X, 243. XII, 944.) et Geo. III, 283. — **285**. Ut terrores inferorum augeat, varia monstra, vel potius simulacra s. *εἴδωλα* eorum (vid. infra v. 292 sqq.), tamquam ibi degentia, poëta addit; eaque omnino ab antiquiore Graeca et Etrusca religione in illis locis collocata esse, Heyn. docet ex Aristoph. Ran. 143. 280 sqq. 475 sq. et magna sarcophagorum et vasorum copia recentioribus temporibus inventa, coll. Gorii Mus. Etr. T. II. p. 148. 182. et Boettigeri *Vasengem*. I, 3. p. 89. — *praeterea*, praeter mala supra v. 274 sqq. commemorata, ad quae nunc redit poëtae cogitatio; nam quae sequuntur, *in foribus stabulant*, somnia autem ulmo *in medio* posita insident. — *monstra ferarum* i. q. monstruosae ferae, ut VIII, 698. *monstra deorum* i. q. monstruosi dii. — **286**. De *Centauris*, Ixionis et Nepheles (Diod. Sic. IV, 72.) filiis, h. e. ex nube procreatis, cf. Schol. ad Hom. Il. I, 268. Hyg. f. 62. Serv. ad Aen. VIII, 293. Ovid. Met. XII, 210 sqq. multique alii, imprimis vero quae Boettiger disputavit in *Vasengemälde* I, 3. p. 87 sqq. — *in foribus stabulant*, sunt in primo aditu Orci, tamquam in stabulo, quod monstris equinae formae optime convenit. *Stabulare* legitur etiam Geo. III, 224. Stat. Theb. I, 275. 457. al.; ante omnia autem conferendus est Silius XIII, 579., qui, memor huius loci, sic canit: *Quanta cohors, omni stabulante per atria monstro, Excubat et manes permixto murmure terret!* Saepius tamen verbi deponentis formam habet. — „*Scyllae biformes*, superne specie puellari, quae in belluam marinam desinit. Vid. ad Ecl. VI, 74. Hoc loco plura *monstra Scyllaea* ponuntur, ut Statius eloquitur Silv. V, 3, 280. [i. e. eiusmodi monstra, qualis fuit Scylla]. Nec assumenda est altera, Nisi f. Praeivit Lucr. V, 890 sq. IV, 734.“ *Heyn*. In utroque loco pariter *Centauri* et *Scyllae* coniunguntur. Cf. etiam Stat. Theb. IV, 533. *Quid tibi monstra Erebi, Scyllas et inane furentes Centauros?* et Orell. ad Lucr. V, 876. in Ecl. poët. Lat. p. 52. — **287**. „*centumgeminus Briareus*, ut *trigemini* pro trinis, centumplex, i. e. centum capitibus instructus, seu centum manuum respectu, quia *ἑκατόγχειρος* ap. Hom. Il. I, 402 sq. [quod praefero]. Cf. etiam infra X, 565 sq.“ *Heyn*. Praeter h. l. non inveniri videtur hoc Adiectivum, nisi ap. Val. Fl. VI, 118., ubi Thebae, urbs Aegypti, centum portis instructae, *centumgeminae* vocantur. *Geminus* enim, sic cum numeralibus compositum, propriam vim suam plane amittit et tantum coniunctionis notionem servat. Cf. IV, 511. VI, 800. VIII, 202. Lucr. V, 28. *tergemini vis Geryonaï*. Stat. Silv. I, 2, 181. *septemgemina Roma*. Tibull. III, 4, 8. *tergeminum Cerberi caput*. Hor. Od. I, 1, 8. (ubi vid. Orell.) Liv. VI, 7. Mart. III, 46, 8. etc. *Briareus*, qui etiam Aegaeon (et illo quidem nomine secundum Hom. l. l. a diis, hoc ab hominibus) appellabatur, ad centimanos pertinens, gigas erat L capitibus et C manibus praeditus, Coeli et Terrae filius, Gygis et Cotti frater, quo Iupiter utebatur ad Titanes in Orco custodiendos. Cf. Hom. Il. I, 402. Hes. Theog. 147 sqq. Apollod. I, 1, 1. Ovid. Fast. III, 805. alii. Omnes autem eiusmodi Gigantes sub terram depulsos significare ingentes naturae vires in terra latentes, non est quod memorem. — *belua Lernae*, hydra Lernaea pluribus capitibus instructa et ab Hercule occisa, quae nomen habet a palude Argolidis. Cf. Apollod. II, 5, 2. Diod. IV, 11. Hygin. f. 30. infra VIII, 300. (*Lernaeus anguis*), Lucr. V, 26. (*Lernaea pestis, Hydra*), Ovid. Fast. V, 405. et Met. IX, 69. (*Lernaea echidna*) etc. Etiam bestiarum animas in Orcum descendere Wagn. docet coll. Theocr. Id. XXV, 271. eiusd. Epigr. VI, 3. et Catullo III, 11 sq. De voce *belua* per unam *l* scribenda cf. Wagn. Orth. Verg. p. 418. et Ribbeck. Proleg. p. 391. — **288**. *Horren-*

Gorgones Harpyiaeque et forma tricorporis umbrae.
Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
Aeneas strictamque aciem venientibus offert
Et, ni docta comes tenuis sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formae,

---

dum stridens (quae verba repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 355.) cum *belua Lernae* coniungendum, cum *Chimaera* suum iam habeat epitheton; et *stridere* proprie serpentes dici, Heyn. docet coll. Claud. R. Pros. I, 12. (*angues Triptolemi stridunt*) et Drak. ad Sil. II, 537. Etiam in Med. post *stridens*, non post *Lernae* distinguitur. — *Chimaera*, monstrum a Typhone et Echidna procreatum, quod, ex leonis, caprae et draconis corporibus compositum, Lyciae agros vastabat, donec a Bellerophonte occisum est. Cf. Hom. Il. VI, 180. XVI, 328. Hes. Theog. 304. 323 sq. Apollod. I, 9, 3. II, 3, 1. ibique Heyn. Hygin. fab. 57. Ovid. Met. IX, 646. Hor. Od. I, 27, 24. II, 17, 13 etc. Eius effigie ornata Turni galea apparet VII. 785. — Pro *flammis armata* (i. e. flammas exspirans) Wakef. mavult *flammis animata*, quae coniectura Viro ingenioso adeo placuisse videtur, ut ter eam proponeret, ad Eurip. Ion. p. 27., ad Lucr. II, 704. et ad eiusd. V, 904. Conington comparat *sagittam, armatam felle veneni* XII, 857. — 289. „*Gorgonĕs* [ultima syllaba ex more poëtarum Rom. correpta] in Hade iam Odyss. XI, 632., ubi Ulysses metuit, ne Gorgo sibi occurrat. Fugat Gorgonem Hercules ap. Apollod. II, 5, 12. p. 121.“ *Heyn.* Hesiod. Theog. 277. potius in Oceano occidentali apud Hesperides, alii (velut Plin. VI, 31, 36. et Solin. c. 36.) in Libya sedem iis assignant. Erant autem Euryale et Medusa appellatae, quae serpentes pro crinibus habentes iisdemque cinctae omnia adspectu suo in saxa mutarunt. Medusam, quae una sororum mortalis erat, a Perseo interfectam esse constat. Cf. praeter Il. ll. Hes. Scut. Herc. 123 sqq. 216 sqq. Apollod. II, 4, 2. Ovid. Met. IV, 769 sqq. alii. De *Harpyiis* vid. ad III, 211., ubi eas in Strophadibus habitantes offendimus. Quod ad eas hic in Orcum translatas attinet, cf. Servii scholion: „Aut iam mortuas intellige, aut [quod mihi probabilius videtur] secundum Platonem et alios simulacra licet vivarum illuc fuisse. Nam dicunt esse omnium rerum ideas quasdam, i. e. imagines, ad quarum similitudinem procreantur universa.“ — „*forma tricorporis umbrae*, pro tricorpore Geryone: τρισώματος ap. Aesch. Agam. 819. Imitatorem etiam hoc in loco habuit Vergilius Silium XIII, 587 sq.“ *Heyn. Geryon*, Chrysaoris ex Calirrhoë fil., rex Erythiae insulae in sinu Gaditano sitae, cui ob mirum corporis robur veteres poëtae tria corpora, sex manus et pedes attribuunt; alii vero, quod tribus insulis Hispaniae vicinis, Balearibus et Ebusae, imperaverit, tricorporem fictum esse suspicantur. Celeberrimus autem est ob boum praestantissimorum greges, quos, ipso interfecto, Hercules abduxit. Cf. Hes. Theog. 287. 978. Apollod. II, 5, 10. Diod. IV, 17. Hyg. f. 30. infra VII, 662. VIII, 202. Lucr. V, 28. Hor. Od. II, 14, 8. Prop. III, 21. 9. Silius XIII, 587 sqq. alii et Iacobs. *Verm. Schriften* VI. p. 147 sqq. cum ipso Verg. infra VIII, 202. Ceterum ap. Servium Paris. alii quatuor versus leguntur (vid. Ribbeckii edit.), quos quidam dicunt a poeta hoc loco relictos, sed ab eius emendatoribus sublatos. — 290 sq. Heyn. confert Hom. Od. X, 535 sq. XI, 48 sq. 218 sqq. et Apollon. I, 1259., Wagn. autem Apollod. II, 5, 12. — *hic* de tempore. Vid. ad I, 728. — *trepidus formidine* redit IX, 169. — 291. *stricta acies*, ut II, 333. — *offert*, intentat. Vid. Burm. ad Lucan. IX, 64. Ceterum cum vv. *corripit ferrum - - strictamque ensem offert* cf. simillimum locum supra IV, 580. — 292. *docta*, omnino i. q. perita, harum rerum gnara; quamquam Conington adnotat, fortasse etiam ab Hecate institutam (v. 565.) cogitari posse. — „*tenues vitas*, εἴδωλα vita utentia, animas. Non admodum diverse *tenues vitas* dixit Geo. IX, 224. — *sine corpore;* habent tamen corporum speciem, corpora tenuia, umbratica, εἴδωλα: hinc mox v. 303. *corpora;* sed non *corpora viva* v. 391. [Cf. Hom. Od. X, 521. νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα]. — 293. *cava sub imagine formae*, sub cava

Inruat et frustra ferro diverberet umbras.
Hinc via, Tartarei quae fert Acherontis ad undas.
Turbidus hic caeno vastaque voragine gurges
Aestuat atque omnem Cocyto eructat harenam.
Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon, cui plurima mento
Canities inculta iacet, stant lumina flamma,

---

forma corporis, h. e. inani, non solida. Sic II, 360. *cava umbra.*" *Heyn.* De voc. *imaginis* vid. ad I, 353. Peerlk., cum *imago* et *forma* idem significent, coni. *sine corpore formas Adm. vol. cava sub imagine vitae,* i. e. vivi hominis. — *volitare* (ἀΐσσειν, Hom. Od. X, 495.) vox propria de umbris, simulacris levibus et incorporeis. Cf. v. c. simillimus Ovidii locus Met. XIV, 411. Claud. in Ruf. I, 126. Petron. c. 104. etc. Pro Praesentibus *admoneat* — *inruat* — *diverberet* exspectaveris Imperfecta. Hoc autem tempore poëta uti videtur, ut rem vividius depingat et oculis quasi legentium tamquam praesentem proponat. Praeter alios locos similes vid. imprimis supra I, 58. V, 325 sq. et XI, 912 sqq., coll. cum Kruegeri *Untersuch.* Fasc. II. p. 256. et Ramsh. Gr. Lat. §. 193. Not. **). — **294**. *diverberet.* Cf. V, 503. — **295**. *Hinc*, sc. incipit, a foribus, limine totius Orci. In inferorum fluminibus nominandis et collocandis veteres scriptores mire variant. Ex Vergilii narratione primus est Acheron, qui in Cocytum influit, medium ceterorum; tertius demum et intimus est Styx, quem alii primum ponere solent. Phlegethon s. Periphlegethon infra v. 551. commemoratur, Tartarum modo circumfluens. Illi autem tres fluvii omnem Orcum, etiam Elysium, cingentes finguntur, ut omnes traiiciendi sint iis, qui ipsum Orcum adire velint. Cf. Hom. Od. X, 513 sqq. et Plat. Phaed. c. 61. p. 112 sq., quos potissimum secutus videtur Maro, et Heynii Exc. IX. ad h. l. de fluminibus inferorum agentem. — **296**. *caenum* non differre videtur a sequente *harena.* Wakef. ad Lucr. I, 116. (ubi *vastae lacunae* Orci commemorantur) coni. *huic* pro *hic.* — *vasta voragine*, cuius vasta est profunditas. Cf. Tibull. III, 3. extr. *Me vocat in vastos amnes nigramque paludem Dives in ignava luridus Orcus aqua.* Albinov. II, 6. *It, redit in vastos semper onusta lacus* etc. De *voragine* Acherontis et Stygis etiam VII, 569. IX, 105. et X, 114. sermo est. — *Gurges* non solum de mari, sed etiam de fluminibus dicitur. Vid. adnott. ad Aen. I, 118. — **297**. *Aestuat*, quia vorticosus est amnis (vid. supra v. 107.); *aestuare* autem verbum propr. de mari turbido. — *Cocyto*, in Cocytum (vid. ad Ecl. II, 30. Aen. II, 36. et al.), *eructat*, eiectat; quod verbum substituit Statius h. l. imitatus Theb. IV, 522. *liventes Acheron eiectat arenas* (quocum cf. Ovid. Met. V, 353. *sub qua resupinus arenas Eiectat, flammasque fero vomit ore Typhoeus* ibique Heins.). Cf. Lucr. III, 1025. (1012.) *Tartarus horriferos eructans faucibus aestus*, Silius X, 425. *specus - - eructat acerbam Cocyti laxo suspirans ore paludem*, et supra ad III, 576. — *harenam*, scil. fundi. Vid. ad I, 107. — **298** sqq. Memorabilis de Charonte locus, ex quo posteriores (velut Senec. Herc. fur. 764 sqq.) sua hauserunt. Homerus eiusque aetas Charontem non novit, cuius fabula, postea demum inventa, haud dubie ex Aegyptiorum mythologia in Graecam translata est. Cf. Heynii Exc. IX. ad h. l. — De Charonte *portitore* (quam appellationem non tam τῷ πορθμεῖ Graecorum, quam potius τῷ τελώνῃ respondere, neque a *portando*, sed a *portorio*, quod exigat a mortuis, deducendam putant) cf. Gronov. Obss. III, 20. p. 301. ed. Frotsch. Broukh. ad Prop. IV, 11, 7. et Gierig. ad Ovid. Met. X, 73. De Charonte, quem constat prodire in Aristoph. Ran. 180 sqq. et in Luciani dial. mort. XXII., haec vox etiam Geo. IV, 502. usurpata legitur, ubi vid. adnott. — **299**. *terribili squalore*, habitu inculto et sordido, quare Tibull. I, 10, 36. eum vocat *turpem navitam Stygiae aquae*, Iuven. autem III, 265. *tetrum porthmea.* Alibi *trux* vel *torvus* appellari solet (cf. Prop. IV, 17, (III, 18,) 24. Stat. Silv. II, 1, 186.), infra autem v. 315. *tristis.* — **300**. *canities inculta iacet*, barba cana non ficta est beneque pexa, sed

Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit velisque ministrat
Et ferruginea subvectat corpora cymba,
Iam senior, sed cruda deo viridisque senectus.

---

neglecta et horrida in pectus dependet. Cf. Ovid. Met. II, 673. *vagi crines per colla iacebant,* id. A. A. III, 236. *capilli ut iaceant fusi per tua terga,* Calpurn. Ecl. VII, 62. *quibus aspera mento Barba iacet* cett. — *stant lumina flamma* Heynio nihil aliud videtur esse quam: flamma stat in oculis s. sunt lumina flammea. Rectius *Wagn.*: „*stare* saepe valet i. q. horrere, rigere; significantur igitur oculi duri, s. rigentes [immoti], et flammei.“ Vide infra ad v. 471., XII, 408. Ecl. II, 26. et alibi. Ceterum plurimi et optimi Codd. (Medic. a m. pr., Pal. a m. sec., Rom., Gud., Bern. II., alii, omnino 38 inter 47 ab Henrico collatos) praebent *flammae*, ut *lumina flammae* pro luminibus flammeis dictum sit, minus bene, quamquam Henry, retractans ea, quae scripsit in *Tw. years* VI. p. 22 sq., in Philol. XVII. p. 632. hanc lectionem ab omnibus recentioribus spretam defendere studet. Aliquot Codd. minoris pretii ex librariorum correctura *flammea*, ut VII, 448., quae scriptura arrisit Heinsio et Heynio. — **301**. „Vestitum naucleri, lacernam, pallii genus, illustrat Plaut. Mil. IV, 4, 41 sqq., ubi palliolum ferrugineum, connexum in humero laevo, expapillato bracchio. — *nodus* est seu proprie, seu fibulae. Cf. ad Aen. I, 320. IX, 776.“ *Heyn.* Illud probabilius; nam fibula cum sordida veste et omni Charontis squalore vix conciliari possit. Vestem nodo in laevo humero facto adstrictam intellige. Pro *Sordidus* Schol. Stat. Theb. I, 110. *Horridus;* sed Codd. omnes in vulg. lectione conspirant, eamque etiam tuetur Claudiani auctoritas, qui hoc versu exorsus est Epigr. XXXVIII. et Senecae imitatio Herc. fur. 766. *Impexa pendet barba; deformem sinum Nodo coercet.* — **302** sqq. Cf. similis locus Sen. Oed. 165 sqq. — *Ipse*, non alius ministerio utens. Vid. ad Ecl. III, 69. Aen. III, 457. al. — *conto*. Vid. ad V, 208. — *subigit*. Vid. ad Geo. I, 201. — *velis ministrat* (quod etiam X, 218. legitur), h. e. ministerium praestat velis (tertio Casu), vela curat, ut ap. Stat. Theb. VII, 752. *telis pariterque ministrat habenis*. *Ministerium* omnino voc. servile et nauticum. Cf. Gierig. ad Ovid. Met. VIII, 645. Heins. mavult iungere: *ministrat ratem velis* (sexto Casu), ut ap. Tac. Germ. 44. *naves velis ministrantur* et ap. Val. Fl. III, 38. hunc locum imitatum *ipse ratem vento stellisque ministrat,* eandemque rationem cum Peerlk., qui conferri iubet Interpp. ad Val. Fl. l. l. Silium II, 674. et Gratii Cyneg. 315., etiam Gossr. et Benoist. amplectuntur, dum Bryce et Conington ambigunt, utrum *velis* pro tertio, an pro sexto Casu habendum sit. Weidner. vero ad I, 213. *velis* recte Dat. habens supplet *rudentes* coll. X, 227. *velis inmitte rudentes*. — **303**. „*ferruginea cymba* est *κυανέη*, colore nigricante ex imbribus aquisque contracto.“ *Heyn.* Ruhk. conferri iubet Soph. Antig. 954. *κελαιναὶ νᾶες*. Cf. etiam Plaut. Mil. IV, 4, 3. *palliolum ferrugineum, nam is est color thalassicus* et adnott. ad Geo. I, 467. Idem sibi vult infra v. 410. *caerulea puppis*. — *subvectat*. Cf. VIII, 58. *cymba*. Cf. Geo. IV, 506. — *corpora*. Vid. infra v. 391. et Geo. IV, 475. — **304**. *Iam senior*. Secundum Gell. N. A. X, 28. et Censor. de die nat. c. 14. Romani *seniores* vocabant, qui annum aetatis XLV. excesserant, nondum vero attigerant LX., ideoque senescere incipiebant; quo sensu etiam Vergilius hoc vocabulo semper utitur. Cf. II, 509. 544. 692. V, 179. 409. 704. 823. etc. — „*cruda* (vigens) *senectus* frequentatum iam Graecis: *ὠμὸν γῆρας, ὠμογέρων*.“ *Heyn.* Cf. v. c. Hom. Il. XXIII, 791. et Od. XV, 357. Sic *cruda* et *viridis senectus* etiam ap. Tac. Agr. 29. invenitur; qui loci conferendi sunt cum iis, ubi *crudus cortex* (Aen. IX, 743.), *crudus palmes* (Lucan. IV, 317.) et similia leguntur. Imprimis autem cf. Senec. Oed. 167. *Quique capaci turbida cymba Flumina servat durus senio Navita crudo,* cui, ut Tacito l. l., hunc ipsum versum obversatum esse patet, et Cort. ad Lucan. III, 357. Non multum differt alterum epith. *viridis*, i. e. vegeta. Sic *viridis iuventa* supra V, 295., *viridis iuventus* ap. Ovid. A. A. III, 557., *virides anni* ap. Sil. I, 187. (ubi vid. Drak.),

Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
Inpositique rogis iuvenes ante ora parentum:
Quam multa in silvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus

---

viride aevum ap. Ovid. Trist. IV, 10, 17., *virentes anni* ap. Sil. V, 413., *senex viridis animo ac vigens* ap. Sen. Ep. 66. in., *viridis immunisque senectae* ap. Val. Fl. I, 77. et similia alibi haud raro inveniuntur. Cf. Heins. ad Silii I, 185. — **305.** *Huc - - ad ripas.* Cf. adnott. ad Ecl. I, 53. (III, 12. Aen. II, 18. III, 616. al.). — Vss. **306—308.** leguntur etiam Geo. IV, 475 sqq., ubi vid. adnott.; et vv. 309. 310. admodum similes sunt iis, qui ibi antecedunt, v. 473. et 474. Cf. de eiusmodi versibus repetitis adnott. ad Ecl. V, 37. — *Matres atque viri* pro: mulieres virique legitur etiam in Auson. cent. nupt. 13. et Anth. Lat. I, 170, 135. — **307.** *Magnanimum.* Hoc unum est Adiectivum, cuius Genitivum Plur. Vergilius hoc modo contrahere solet (Geo. IV, 476. et Aen. III, 704.). Cf. adnott. ad Aen. V, 174. — *pueri innuptaeque puellae* coniunguntur etiam in Auson. cent. nupt. 68. et Anth. Lat. I, 171, 11. — **308.** Verba *iuvenes ante ora parentum* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 24. — **309** sqq. „Comparatio duplex, multis post Vergilium frequentata, fluxit ex Homero, altera Od. IX, 51. 52. Il. II, 491. 492. et 800. (cf. Apollon. IV, 216 sq.); altera ex Il. III, 3 sqq. et II, 459 sqq. Ad *quam multa* supple animo *tanta turba* ex v. 305." *Heyn.* Cf. Geo. IV, 473. Respicitur hic locus in Wernsd. P. Lat. min. II, 225, 85. *Quam multis foliis cadentibus Nudatur gelidis tacta aquilonibus.* — *autumni frigore primo.* Cf. Geo. II, 321. — **310.** *Lapsa cadunt.* Haeserunt in hoc pleonasmo, qui videtur, et librarii et recentiores quidam editores; nam in Cod. Montalb. scriptum est *Ipsa cadunt,* et Wakef. in Silva crit. I, 8. p. 16. coniecit *Laesa cadunt.* (Cf. etiam Gronov. ad Senec. Herc. Oet. 1163.) Sed *labi* non prorsus idem est, quod *cadere;* illud enim, quod, inchoativi verbi potestate praeditum, initium tantum declinationis et motus in inferiorem locum significat, respondet nostro *sinken, sich senken,* cum *cadere* sit nostrum *fallen.* Quare factum est, ut non modo Prop. V, (IV,) 4, 64. scripserit *Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt,* sed etiam Cic. Off. I, 22, 77. *de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt.* Haec autem est verissima Doederleinii sententia, *Synon.* I. p. 128. prolata. Ceterum cf. quae Iahn. ad h. l. de abundantia verborum docte disputavit, coll. locis IX, 89. 436. II, 169. VI, 339. similibusque et vid. quae nos ad Geo. I, 500. adnotavimus. — „*ad terram* de calidiore plaga accipe, quam volatu trans mare petierant; ut v. c. de Aegypto narratur, quo sub hiemis initium ingentia agmina avium e nostris terris advolant." *Heyn.* Rectius cum Süpflio *ad terram* reddideris *landeinwärts.* Aves migraturae ex mari se colligunt in mediterraneis, ut deinde uno agmine calidiores regiones petant. — *gurgite ab alto.* Cf. infra VII, 704., ubi eadem verba redeunt, Lucr. V, 388. *et alto gurgite ponti* et adnott. ad Aen. I, 118. et V, 33. — **311.** Cf. Hom. Il. III, 3 sq. et Apoll. Rh. IV, 238 sqq. — *frigidus annus,* hiems, χειμών. (Cf. Hom. Il. III, 4.) Schrader., cum *frigore* v. 309. praecedat, coni. *Threicius annus,* Burm. autem e paucis iisque recentioribus Codd. edidit *frigidus amnis,* ut *Strymon* intelligatur, quem poëtae saepe commemorent de gruum migrationibus canentes (vid. infra ad X, 264 sqq.). Sed recte Heyn., qui dubitat, num *amnis* simpliciter positus dici possit *aves trans pontum fugare,* plurimorum Codd. scripturam restituit, quam etiam Wakef. ad Lucr. I. 1. Markl. ad Stat. Silv. I, 3, 8. et Guenther. in Athenaeo I, 2. p. 269. iure defendunt. Prorsus eadem varietas est apud Tib. IV, 8, 4., ubi Huschk. *frigidus annus* edidit, Lachm., Dissen. et Rossbach. *frigidus amnis,* Bach. *frigidus Arnus.* Ceterum cum h. l. cf. Stat. Theb. IV, 1., ubi hiems *horrens annus* dicitur,

Trans pontum fugat et terris inmittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere cursum
Tendebantque manus ripae ulterioris amore.
Navita sed tristis nunc hos nunc accipit illos,
Ast alios longe submotos arcet harena.
Aeneas miratus enim motusque tumultu
„Dic, ait, o virgo, quid volt concursus ad amnem?
Quidve petunt animae? vel quo discrimine ripas
Hae linquunt, illae remis vada livida verrunt?“
Olli sic breviter fata est longaeva sacerdos:
„Anchisa generate, deum certissima proles,
Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem,

---

i. e. ea pars anni, ubi omnia horrent, rigent, et Hor. Od. III, 23, 8., qui autumnum vocat *pomiferum annum*, Epod. II, 29. de *hiberno anno* loquens. Vid. etiam adnott. ad Ecl. III, 57. — **312**. *terris apricis*. Vid. ad V, 128. Pro *et terris* Cod. Leid. *et campis*, quod placet Heynio; Wakef. autem ex uno Cod. Barth. *atque oris* temere in contextum recepit, quod iam v. 310. praecedat *ad terram*. Sed hanc vanam esse sollicitudinem, iam ad Ecl. VI, 16. vidimus, ubi addi possunt Geo. II, 125 sq. Aen. I, 504 sq. 553 sq. II, 204. et 208. VIII, 653. et 657. X, 772. et 776. XI, 173. et 175. atque Obbar. ad Hor. Ep. I, 1, 21. Vol. I. p. 46. — **313**. De constructione *orantes transmittere* vid. ad Ecl. II, 34. — „*transmittere cursum*, h. e. transire. Figura Graeca est, ait Servius. Scil. vulgari more *transmittimus* (nos trans) *amnem cursu*, h. e. navigatione [vid. ad IV, 154.], tum vero doctius: ipse *cursus transmittitur*. Ita πορθμεύειν τὸν πλοῦν.“ *Heyn*. — Similiter *cursum transcurrere* ap. Cic. Brut. 81, 282. (a Wagn. laud.) et supra V, 131. *circumflectere cursum*. — Cf. omnino adnott. ad I, 67. Ceterum Scaliger. Poet. IV, 48. (a Conington laud.) de hoc versu sic iudicat: „Ecce cum tractu morae videtur ipse versus stare.“ — **314**. *amore* (desiderio, vid. ad Ecl. IX, 56. Aen. I, 171. II, 10.) *ulterioris ripae*. Hunc locum respicientes Quinct. Decl. VI, 11. vitam post mortem futuram vocat *ulterioris ripae stationem*, et Apulei. Met. VI, 18. p. 416. Oud. scripsit: *ad ulteriorem ripam sutili cymba ducit commeantes*. — **315**. *Navita tristis*. Vid. supra ad v. 299. — *accipit*. Cf. infra v. 412. — **316**. *submotos arcet*. Cf. adnott. ad Geo. I, 320. II, 353. Aen. I, 63. 659. etc. Codd. quidam male *semotos*, quae verba etiam ap. Ovid. Trist. II, 4, 41. IV, 9, 17. alibi confunduntur. *Submovere* et *recipere* (ut hic *accipere*) sibi opponuntur ap. Ovid. Fast. III, 140., ubi vid. Heins. — **317**. *enim* (*natürlich*). Vid. Geo. II, 509. (ibique adnott.) Aen. VIII, 84. X, 874. et Hand. Turs. II. p. 387. sqq. — **318**. *Dic*. Cf. adnott. ad I, 753. — **320**. *ripas linquunt*, non receptae in cymbam. — *vada livida verrunt*, i. e. fluvium transeunt, dum Charon remis vada verrit. De ipso *verrendi* voc. vid. ad III, 208. 668. et al. — *lividus* autem sic usurpatum legitur etiam ap. Catull. XVII, 11. (a Conington laud.) *putidaeque paludis Lividissima - - vorago*. — **321**. *Olli*. Vid. ad I, 254. — „*longaeva*. Nota est fabula de Sibylla ab Apolline amata, dei munere tot annos, quot arenulas manu hauserat, nacta. Vid. Serv. [Ovid. Met. XIV, 147 sqq. et Salmas. Exerc. Plin. 52.] — **322**. *certissima*: quod concesso aditu ad inferos cognitum; supra v. 130. 131. Nam *pauci dis geniti* ex inferis redire potuere.“ *Heyn*. Ceterum cf. VIII, 301., ubi Hercules *vera Iovis proles* dicitur. — De Plurali *deum* pro Singulari (Veneris scil.) vid. adnott. ad Ecl. IV, 49. (ubi *cara deum suboles* legimus) Aen. I, 4. et IV, 282., quamquam haec etiam latiore sensu dicta possunt accipi, ut de certo aliquo numine, vel patre vel matre, non cogitandum sit. (Cf. Wagn., qui comparat II, 236. IV, 282. VII, 98. X, 97. XI, 784. XII, 60., et Conington ad h. l.) — **323**. „*Cocytum* et *Stygem* appositione sermonis usus dixit, etsi vere diversi

Di cuius iurare timent et fallere numen.
Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est;
Portitor ille Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos volitantque haec litora circum;
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt."
Constitit Anchisa satus et vestigia pressit
Multa putans sortemque animi miseratus iniquam.
Cernit ibi maestos et mortis honore carentis

---

amnes." *Heyn.* Vid. supra ad v. 295. *Stagna* et *paludem* commemorat propter tardum Stygis limosi cursum. Cf. infra v. 369. et 416. et Geo. IV, 478 sqq. — V. **324.** ex Hom. Il. XV, 37. et Od. V, 185. sumptus (cum quibus locis cf. Il. II, 755. XIV, 271. et Hesiod. Theog. 400. 792 sqq.). Cf. etiam infra IX, 104. X, 113. et XII, 816. Sil. XIII, 568. Ovid. Met. III, 290. Stat. Theb. VIII, 30. et plures loci similes. — *iurare et fallere*, ἓν διὰ δυοῖν, pro peierare. *Iurare* cum Accus. personae, per quam iuratur, satis frequentatum. Vid. infra v. 351. XII, 197. Tibull. IV, 13, 15. Prop. I, 15, 35. Ovid. Her. XVI, 319. XXI, 2. Sil. VIII, 102. et ex pedestribus unus instar omnium Cic. ad Fam. VII, 12. Pro *numen* Peerlk. sine iusta causa malit *nomen*. Nam Stygi, per quem dii iurant (cf. locos supra laud.), iure *numen* tribui potest. Cf. etiam Dietsch. Theol. Verg. p. 11. — **325.** Cf. Hom. Il. XXIII, 71 sqq. — „*inops*, cui nemo opem tulit, iusta persolvit. [Cf. v. 333. *mortis honore carentes.*] Nam videtur argutari [immo vere argutatur] Servius, qui ab Ops, terra, ductum, insepultum apud veteres significasse narrat." *Heyn.* Neque minus argutatur Schol. Iuven. III, 267. (a Peerlk. allatus): *Et nunc apud Athenienses* [Peerlk. coni. *ethnicos*] *mortuis solent in ore nummum immittere, ut apud inferos non tamquam inopes errent; unde naulum Charon accipere solebat, ut Vergilius.* Imitatur h. l. Auson. Mos. 4. *Infletaeque iacent inopes super arva catervae.* — *inhumataque turba.* Cf. infra XI, 372. — **326.** *Portitor.* Vid. supra v. 298. — *quos vehit unda.* Schrader. praeter necessitatem coni. *quos vehit ille.* — **327.** *ripas horrendas.* Conington conferri iubet Soph. (Polyx.) fr. 478. — *et rauca fluenta.* Aliquot Codd. (omnino decem inter 43 ab Henrico collatos: cf. Philol. XVII. p. 633.) exhibent *nec rauca fl.*, quod ferri non posse manifestum est. — *datur* (scil. Charonti - - *fluenta* (vid. IV, 143.) *Transportare* (mortuos). Vid. ad I, 66. 79. 319. al. *Transportare*, ut alibi traiicere, transmittere amnem, cum simplici Accus. constructum. Sic Caes. B. G. IV, 16. *exercitum Rhenum*, id. B. C. I, 54. *milites flumen transportare* etc. Cod. autem Leid. *Transportare, suis quam sedibus* etc., quod, cum *prius* saepe omittatur, Peerlkampio elegantius videtur. — **328.** *sedibus*, sepulcro. Cf. supra v. 152. infra v. 371. VII, 3. Hor. Od. II, 13. 23. etc. — *quierunt*, coeperunt quiescere. Cf. IV, 523. et VII, 6. — **329.** *Centum errant annos*, scil. qui sepulcro carent. Hoc unde Vergilius sumpserit, non constat; fortasse ipse finxit. — **330.** *stagna revisunt*, tunc tandem reversi vere in cymbam recipiuntur et traiiciuntur. — **331.** *Anchisa satus.* Cf. V, 244. 424. et vid. adnott. ad Geo. I, 278. — *vestigia pressit.* Vid. supra ad v. 159. et 197. — **332.** *Multa putans.* Cf. infra VIII, 522. Silius VII, 519. *Multa putans secum* et Ruhnk. ad Ter. Eun. IV, 2, 4. — Ad v. **332.** Servius paulo subtilius: „Bene *animo* quasi rei praesago; ipse enim Aeneas insepultus iacebit, ut IV, 620. *mediaque inhumatus arena.*" Medic. vero exhibet *animi*, quod nunc cum Ladew., Wagn. in recentiss. edit. (qui prius *animi* ex prima syllaba proximi vocabuli ortum esse censuerat) et Conington recepimus quia X, 686. omnes meliores libri, Arusianus p. 246. L. et Serv. in lectionem *animi miserata* testantur, ut sit Casus locativus, quem vocat Ceteri recentiores editores Ablativum retinuerunt. — **333.** Revisit Aene

Leucaspim et Lyciae ductorem classis Oronten,
Quos simul a Troia ventosa per aequora vectos
Obruit Auster aqua involvens navemque virosque.
Ecce gubernator sese Palinurus agebat,
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multa maestum cognovit in umbra,

---

socios naufragio absumptos. Vid. I, 113 sqq., ubi tamen *Leucaspis* non commemoratus est. — *mortis honore.* Cf. *tumuli honos* X, 493. et γέρας θανόντων ap. Hom. Il. XVI, 457. (a Coningt. laud.). — De forma *Leucaspim* vid. ad Ecl. IV, 32. V, 50. et Huschk. ad Tib. I, 7, 27. — *Oronten* cum Wagn. scripsimus (quem etiam ceteri recentiores editores praeter Bryceum secuti sunt), quamquam omnes Codd. (praeter Pal.) et Prisc. VII, 50. p. 757. *Orontem* exhibent. Vid. adnott. ad Aen. I, 458., de ipso autem Oronte vid. ad I, 113. — **335.** *Quos - - Obruit Auster.* Conington conferri iubet Hor. Od. I, 28, 21. *Me quoque - - Notus obruit undis.* — *vectos* cum Wagn. interpretamur: dum vehuntur, πορευομένους. Cf. adnott. ad Geo. I, 206. Aen. II, 514. et al. Ribbeck. ex Pal. a m. pr. recepit *ab Troia.* Vid. adnott. ad III, 149. — **337** sqq. Peerlk., mira levitate ductus, omnem, qui sequitur, locum usque ad v. 383. (quem tamen a Statio Silv. V, 3, 127. hic lectum esse bene novit) spurium censet, his paucis verbis eum reiiciens: „Omne hoc de Palinuro episodium Vergilio vix dignum esse mihi videtur. Praeterea longius est, et tota res levior pro cetera rerum gravitate, nec cum argumento satis coniuncta;“ quamquam etiam in singulis locis multa invenit vituperanda. Manifestum autem est, Palinurum ex Homerico Elpenore (Od. XI, 51 sqq.) esse adumbratum. Ceterum vide, quae Steinmetz. Progr. p. 13 sqq. de hoc episodio indicavit, et quomodo Conrads. p. X. imprimis ex v. 355—361. comprobare studet hunc locum integrum Vergilio servandum esse, quod sine versibus illis Neptunus mentiretur, V, 814. Veneri pro Aenea supplicanti promittens, *unus erit tantum* etc.; nam nisi Palinurus e fluctibus se servasset, duo potius, Palinurus et Misenus, essent submersi. — *se agebat,* incedebat, ut VIII, 465. et IX, 696. — „*Libyco cursu*, navigatione de Carthagine, post discessum tamen e Sicilia, haud longe a Sirenusis insulis. Vid. supra V. sub f.“ *Heyn. Cursu* igitur, quod noli coniungere cum *effusus*, est i. q. in cursu; neque video, quo iure Peerlk. contendat, *cursum Libycum* nihil aliud significare posse, quam cursum versus Libyam s. Carthaginem. Quamvis autem Servius adnotet: „Bene *Libyco*, navigatio enim non a diverticulo, sed ab intentione accipit nomen,“ non tamen sine aliqua veritatis specie Conrads. p. XXIII. contendit, cursum a Sicilia per Tyrrhenum mare in Italiam directum nullo modo *Libycum cursum* appellari potuisse, quare in auxilium vocata admodum probabili opinione sua, Vergilium sextum librum statim post quartum scripsisse, quintum vero postea demum addidisse (vid. infra ad v. 356.), hic de recto cursu Carthagine Cumas versum directo poëtam cogitasse suspicatur. (Sic autem non mirum, alios etiam l. V. et VI. locos inter se discrepare, quos auctor nova carminis recensione haud dubie concordantes fecisset.) — *Dum sidera servat, Exciderat.* Cf. adnott. ad Ecl. VII, 6. Geo. I, 335. IV, 560. Aen. III, 616. De *servandi* verbo vid. supra V, 25. et adnott. ad Ecl. III, 75. et Geo. I, 335. De ipsa autem re adversante quodammodo narrationi V, 854 sqq. vide infra ad v. 348. — **339.** *in mediis undis.* Vid. ad XII, 255. Arusianus Mess. p. 240. ed. Lindem.: „Diligentiores quidam grammatici hoc ita dividi volunt: *Cum in mediis undis esset, puppi effusus exciderat.*“ (Cf. etiam Hand. Turs. III. p. 296.) Wagn. tamen verba potius sic intelligenda esse docet: in medio per mare Lib. cursu effusus, atque etiam Conington, „nimiam diligentiam“ Grammaticorum illorum notans, explicat: effusus in undas in medio cursu. — **340.** *in umbra.* Vid. infra v. 452. Respexit autem hunc locum Silius XIII, 705. *Iamque aderat*

Sic prior adloquitur: „Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis medioque sub aequore mersit?
Dic age. Namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo,
Qui fore te ponto incolumem finisque canebat
Venturum Ausonios. En haec promissa fides est?“
Ille autem: „Neque te Phoebi cortina fefellit,
Dux Anchisiade, nec me deus aequore mersit.
Namque gubernaclum multa vi forte revolsum,
Cui datus haerebam custos cursusque regebam,

---

multa vix agnoscendus in umbra Paullus. — **341**. *Quis te, Palinure,* etc. Aeneam enim causa mortis latebat. — **342**. *Eripuit nobis.* Cf. Silius XIII, 450. *qui casus, ait, dux maxime, fessae Eripuit patriae.* — *sub aequore mersit.* Cf. Tibull. II, 5, 80. *Prodigia merge sub aequoribus* etc. — **343**. Verba *mihi fallax haud ante repertus* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 410. Cf. Aesch. Cho. 552. Ἄπολλον, μάντις ἀψευδὴς τὸ πρίν. — *haud* etiam hic longe fortius quam *non;* nostrum *in der That, wirklich nicht.* Cf. Hand. Turs. III. p. 29. — **344**. *Hoc uno responso,* de quo tamen nihil usquam legitur apud Vergilium. Veneri quidem hic casus a Neptuno praedictus est V, 814., non vero Aeneae ab Apolline. Ceterum iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 172, 81. — **345**. *finis Venturum Ausonios.* Vid. ad I, 307. — *canebat.* Vid. ad II, 124. — **346**. „Cf. Iliad. XII, 164 *promissa fides,* eventus. *Fides* apud poëtas de certo eventu oraculorum, quibus deus fidem suam obstrinxit; quae praestita in veritatem et eventum certum abit.“ *Heyn. Promissam fidem* iam IV, 552. legimus. Cf. etiam Ovid. Fast. VI, 549. et Anth. Lat. I, 170, 156., ubi verba *En haec promissa fides est* repetuntur. Sic etiam Ovid. Fast. III, 366. *pollicita fides.* Scilicet cum fides ipsa in persolvendis promissis cernatur, poëtae etiam licet dicere *fides est promissa, pollicita.* De Part. *en* in interrogationibus cum indignatione vel ironia prolatis, quae exclamationis formam induunt, cf. Ecl. I, 67 sqq. VIII, 7. Aen. IV, 534. et Hand. Turs. II. p. 360. — **347**. *Ille autem,* omisso verbo dicendi, ut infra v. 695. Cf. adnott. ad I, 42. et III, 85. — *cortina.* Vid. ad III, 92. — **348**. *Anchisiade.* Sic etiam hic cum Iahnio, Ribbeckio, Ladew., Coningt. et Benoisto pro *Anchisiada* edidimus. Vid. supra ad v. 126. — „*deus* sive idem Apollo, sive omnino numen, deus aliquis.“ *Heyn.* Hoc verius, nam respondet Palinurus ad Aeneae quaestionem v. 341. *Quis te deorum Eripuit nobis?* Recte autem hoc dicit Palinurus, nam dormiens non sensit Somni insidias ideoque sibi soli adscribit casum suum. Negari tamen nequit, primo obtutu non minus v. 338. quam v. 350. videri narrationi illi de dormiente Palinuro V, 854 sqq. adversari; quare Conrads. p. XI. haec scribit: „An mentientem dicemus a Vergilio esse inductum Palinurum? qui cum V, 856 sqq. somno oppressus in mare decidisset, VI, 349 sqq. ait *Namque gubernaclum - - cursusque regebam - - traxi mecum.* Neque enim *regebam* pro *regere solebam* dictum esse, neque excusandi sui causa Palinurum paululum a vero deflexisse statuendum est. Nam ipse poeta narrat VI, 338. *Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat, Exciderat* etc. Itaque et res et tempora (vid. infra ad v. 356.) inter se discrepant.“ Sed recte Ribbeck. Proleg. p. 61. adnot. memorat, etiam ibi v. 852 sq. legi *clavom adfixus et haerens Nusquam amittebat oculosque sub astra tenebat* et v. 857. *Vix primos inopina quies laxaverat artus* et adiicit: „Ergo tenebat etiam tum gubernaculum necdum omnem curam navis regendae nisi in exiguum temporis momentum amiserat.“ Sic igitur hic locus non contradicit V, 859., ubi Somnus Palinurum in mare *deiecit,* neque opus est, ut cum Heynio *mersit* pronuntiatione premamus et pro submersit, mersum tenuit, positum sumamus coll. iis, quae v. 356. narrantur. Ceterum Conington comparat Ilioneum, qui I, 535. ... riter ignoret Aeolum tempestatis auctorem. — Cum v. **349** sqq. cf. si... verba supra V, 858 sqq. — **350**. *cui haerebam* (non *cui custos d*...

Praecipitans traxi mecum. Maria aspera iuro
Non ullum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne spoliata armis excussa magistro
Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Tris Notus hibernas inmensa per aequora noctes
Vexit me violentus aqua; vix lumine quarto
Prospexi Italiam summa sublimis ab unda.

---

adhaerebam, quod manibus elabi non passus sum. (Cf. V, 852.) — *datus custos*, ut XI, 33. *comes datus*. De coniunctione verborum *cui haerebam cursusque regebam*, pro: et quo cursus (navis) regebam, cf. adnott. ad Ecl. VIII, 3. Geo. III, 282. IV, 8. al. Ceterum *custos gubernaculi* nove dictum nec alibi inveniri videtur. — **351**. *Praecipitans*. Vid. ad Aen. II, 9. coll. adnot. ad I, 234. — „Cogitandum, Palinurum gubernaculo secum avulso insidentem natasse. Suavis autem fidei et amoris affectus in seqq. *Maria aspera iuro* cett.“ *Heyn*. — **352**. *Non ullum - - timorem*. Med. a m. pr. *illum*, quod praeferendum videtur Peerlkampio, haec adiicienti: „*Illum* timorem, quem capiebam in mare decidens. Si quis subito in mare cadit, unus modo est metus, ne pereat. *Ille* metus, non erat hic tantus Palinuri, quantus erat pro Aenea;“ quam explicationem nimis artificiosam esse, quisque videt. Quaeritur autem, utrum construendum sit: (me) *cepisse* (concepisse) *timorem*, an *timorem cepisse* (me). Illi rationi, quam ego propter addita verba *pro me* praefero, opitulantur loci, quales Liv. XXXIII, 27. *capere metum* et Ter. Heaut. II, 3, 96. *accipere metum*, huic, quam probare videtur Conington, ipsius Vergilii Geo. IV, 332. Aen. II, 384. V, 465. ab hoc editore collati. De omisso autem Accus. Subiecti *me* vid. adnott. ad II, 25. 432. al. — *pro me*, *ὑπὲρ ἐμοῦ*, quod vulgo *de me*. Cf. XII, 48. *pro me curam geris* et Tac. Hist. IV, 58. *Numquam apud vos verba feci, aut pro vobis sollicitior, aut pro me securior*. — Cum verbis *tantum - - quam* Conington confert Cic. Mil. 22, 58. *Id quidem non tanti est, quam quod non inimici mentem satiavit*. — **353**. Ribbeck. cum Rufiniano de schem. lex. p. 251. R. *ni* scripsit pro *ne*, adversantibus omnibus Vergilii Codd. Cf. eius Proleg. p. 207. — *armis*, gubernaculo. Vid. supra ad v. 233. et V, 15. Peerlk. temere haeret in hoc voc., quod de gubernaculo solo alibi nusquam legatur. — „*excussa magistro*, exquisitior ratio pro vulg. *magistro excusso*, translato verbo ad locum, unde motio fit.“ *Heyn*. Insolentiorem constructionem (de qua cf. adnott. ad IV, 172. et 500.) accommodatam esse antecedd. verbis *spoliata armis*, quisque videt. Ceterum cf. I, 115. — **354**. *tantis surgentibus undis* (quae verba repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 217.) Ablat. absol. esse, non Dativum a *deficeret* pendentem, ut supra v. 196., non est quod doceam. Med. exhibet *urgentibus*, quod non mirum, cum praecedat vox in sibilam exiens. Vid. ad V, 531. et al. Ceterum haec verba omnemque Palinuri metum adversari iis, quae V, 862. legerimus, Peerlk. adnotavit. Sed dandum aliquid Palinuri ambitioni, qui, artis suae sibi conscius, navem se privatam summis periculis expositam esse putabat. Gossrau censet, haec excusari aliquo modo loco V, 866 sq. et Palinurum ea, quae statim possent fieri, iure suo timuisse. Ceterum vide, quae ad v. 256. sq. adnotavimus. — **355**. Comparant Hom. Od. V, 388 sqq. — **356**. *Vexit me*, haud dubie gubernaculo avulso insidentem. — *violentus aqua*, violentos excitans fluctus. Orta videtur tempestas classe iam in portum invecta, nam prius tranquillo mari et sereno caelo gavisa erat. Cf. V, 821. 844. 851. 862 sq. Vide tamen, quae Conrads. p. IX. huic opinioni opponit, ex temporis computatione petita. (Vid. infra.) — „*aqua* abundat post *aequora:* at in epico poëta ea copia ferenda.“ *Heyn*. Vid. ad Ecl. VIII, 87. Geo. II, 247. etc. — *vix lumine quarto* etc. Peerlk., in omnibus fere huius loci semel damnati verbis haerens, hic quidem non sine iusta causa demonstrare studet, inter tempus, quo Palinurus in mare deciderit, et tempus, quo Aeneas eum con-

Paulatim adnabam terrae; iam tuta tenebam,
Ni gens crudelis madida cum veste gravatum
Prensantemque uncis manibus capita aspera montis
Ferro invasisset praedamque ignara putasset.

---

venerit, summum horas circiter viginti octo intercedere potuisse. Quam difficultatem ita expediendam censet Conrads. p. XXIII., ut sumamus, quintum librum post sextum esse scriptum (quae etiam Ribbeckii Proleg. p. 61. admodum probabilis est opinio); si enim liber VI libri IV argumentum excepisse credatur, continuo omnia facillime se ipsa expedire, quae antea perplexa videri debuerint. — Ceterum *lumen* pro die legitur etiam ap. Ennium Med. fr. 8. p. 128. Vahl. (*secundo lumine*), Lucr. VI, 1196. (*octavo lumine solis*) al. Sic etiam infra v. 735. *supremo lumine*, i. e. mortis die. Eadem ratione *lux* ponitur supra III, 117. (*tertia lux*). — **357.** *summa sublimis ab unda*, mari alto in gubernaculo sedens. Vid. ad v. 351. Hom. Od. V, 393. μεγάλου ὑπὸ κύματος ἀρθείς. Iterantur haec verba in Anth. Lat. I, 14, 27. Ceterum cf. infra v. 385. *prosperit ab unda*, III, 647. *ab rupe Cyclopas Prospicio*, Lucan. II, 207. *securus ab alto spectator*, Prop. V, (IV,) 4, 29. *et sua Tarpeia residens ita flevit ab arce*, et Hand. Turs. I. p. 15. Ut hic *prospicere* (*nach einem Orte vor sich hin blicken*) cum Praep. *ab* coniungitur, sic alibi (VII, 288. XII, 134.) cum Praep. *ex*. — **358.** Ladew. et Haupt. Servium secuti (et fortasse respicientes Aen. III, 387. et XI, 882.) sic distinguunt: *adnabam; terrae iam tuta t.* (ut sane in Med. interpungitur); sed verissime Wagn. Philol. Suppl. I. p. 418. censet, sic voc. *terrae* pondus accipere a sententia alienum, cum nil novi adiiciat, superflua autem non soleant in principio enuntiati poni; neque magni sunt ponderis, quae Ladew. in Append. p. 249. ei opponit. — *tuta* absolute, ut IX, 366. et XI, 871. — *tenebam, Ni - - invasisset* etc., i. e. tenebam et diutius tenuissem, ni etc., ut VIII, 522. *cum corde putabant, Ni signum Cytherea dedisset.* Vid. adnott. ad Geo. III, 562. coll. iis, quae ad Aen. I, 374. II, 54. IV, 19. adnotavimus et Iahn. ad Ovid. Trist. II, 97. — **359** sq. „Palinurus navi excussus ad litus Lucaniae enataverat; sed a barbaris occisus promontorio nomen Palinurum dedit. — *cum veste*: aut ut ea et ipsa undis haustis gravaretur, aut ut *cum* abundet, ut interdum in poëtis solet.“ *Heyn.* Wagn. conferri iubet Soph. Oed. R. 17. οἱ δὲ σὺν γήρᾳ βαρεῖς ἱερῆς, et adnott. ad IV, 588. V, 37. et IX, 816., quibus in min. edit. addit Cic. pro Sext. 38, 82. *paenulam arripuit, cum qua* (i. e. qua indutus) *primum Romam ad comitia venerat* et Plin. H. N. VII, 20, 19. *vehicula cum culleis onusta.* Cf. etiam Cat. R. R. 10, 2. *iuga cum loris ornata*, eiusd. 77. *cum melle oblinere*, Colum. de arbor. IV, 5. *sulcum cum terra complere* et Hand. Tursell. II. p. 145. Cf. etiam infra VI, 645., ubi *cum veste* i. q. *in veste* XII, 169. De ipsa re cf similis locus supra V, 179. — **360.** Heyn. conferri iubet Odyss. V, 428. 434., et, quod hic Lucani faciant, idem Laestrygonibus circa Formias tribui ab Homero Od. X, 118. adnotat. — *uncis* (*manibus*) Peerlkampio ridiculum videtur epitheton, cum tamen admodum bene exprimat studium hominis ungulas quasi terrae iniiciendi (*sich ankrallen*). Cf. etiam Geo. II, 365. — *capita montis*, ramosos rupium radices; nam *caput* non minus imam, quam summam alicuius rei partem significat. Cf. adnott. ad Geo. II, 355. cum iis, quae de *capite* fluminum ad Geo. IV, 319. adscripsimus. Conington tamen Donati scholion „Aspera saxorum, quae ex montis radicibus, veluti capita, in mari exstant,“ vocat „*curious*,“ ipse (ut ego quondam) explicans: „*he had crawled up the cliff and was clinging to the top.*“ — Verba *ignara putasset*, pro quibus Wakef. e paucis Codd. deterioris notae recepit *ignava petisset*, bene defendit Wagn. Videntur enim litoris incolae spe praedae Palinurum, quem naufragium passum quidquid ex opibus servare potuisset secum gestare putarent, interfecisse, et se deceptos videntes corpus occisi in fluctus reiecisse. Ribbeck. haec adnot „Post hunc versum exspectes poetam quaedam additurum fuisse: aut c cum esse Palinurum corpusque eius in mare coniectum, aut ipsum se n

Nunc me fluctus habet versantque in litore venti.
Quod te per caeli iucundum lumen et auras,
Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli,
Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
Inice, namque potes, portusque require Velinos;
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diva creatrix

---

in fluctus praecipitasse eisque haustum esse.“ — **362**. „*me* corpus esse facile vides. Notissimum Homeri (Il. I, 3.) *αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσι.*“ *Heyn.* — *Nunc me* (sc. ab istis praedonibus interfectum) *fluctus habet.* Cf. I, 555. *si te - - Pontus habet Libyae* ibique adnott. et Ovid. Met. I, 361. *si te modo pontus haberet* cum Gierigii adnot. Pro *habet* Med., Goth. 1., Bern. II. a m. sec. et alii fortasse libri *habent*, quod sequenti *versant* originem debet. — *versantque in litore venti;* corpus modo fluctibus appellitur litori, modo ventis in mare rursus provolvitur. Heyn. non inepte confert Eurip. Hec. 28. *κεῖμαι δ' ἐπ' ἀκταῖς, ἄλλο τ' ἐν πόντου σάλῳ.* Neutiquam igitur praeferenda paucorum quorundam Codd. lectio *in litora*. Ceterum cf. cum hoc loco Aeneae verba V, 871. — **363** sq. ex Hom. Il. XI, 66 sqq. fluxerunt. Similes loci apud veteres haud rari. — *Quod.* Vid. ad II, 141. — Verba *per caeli iucundum lumen et auras* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 143. *Caeli aurae* etiam infra VII, 543. et 786. commemorantur. — **364**. *per spes surgentis Iuli* (quae verba repetuntur X, 524.), i. e. quas concipis ex Iulo adolescente. — *surgentis*, crescentis, ut legitur in Anth. Lat. I, 173, 88. Vid. adnott. ad IV, 274., ad cuius loci exemplum hunc ab interpolatore formatum censet Peerlk. De Plurali voc. *spei* hic ex optimis Codd. et Macrob. Sat. V, 7, 12. ab Heinsio restituto (cui plus dignitatis et gravitatis inest, quam Singulari) Peerlk. conferri iubet Schulting. ad Senec. Contr. I. p. 104. — **365**. „*Eripe me his malis*, huic calamitati, quod insepultum corpus iacet. Colorem sermonis mutuatus est Val. Fl. II, 490.“ *Heyn.* Ceterum hunc versum, quem etiam Eutrop. X, 13. et Oros. VII, 23. laudant, et cuius prius hemistichium repetitur in Anth. Lat. I, 172, 59., Trebell. Pollio in Vita Tetrici (Trig. tyr. 23.) huic imperatori adscribit, ignorans scilicet eum Vergilii esse, quo Tetricus tantum usus fuerit. — *tu* cum emphasi adiectum. Vid. adnott. ad Geo. II, 241. — *terram mihi inice*, tumulum mihi exstrue, me sepeliendum cura. Non enim cogitaverim modo de humano illo antiquitatis more cuique corpori insepulto, in quod inciderunt, humum vel lapides iniiciendi. (Cf. Senec. Declam. 5. *Hinc et ille venit affectus, quod ignotis cadaveribus humum congerimus* cett., et Interpp. ad Hor. Od. I, 28, 3. et Petron. c. 114.) Nam Aeneas, corpore Palinuri invento, facile potuit iustum ei tumulum exaggerare. De scribendi autem ratione *inice* pro *iniice* cf. adnott. ad Ecl. VI, 19., ubi addi potest Corssen. de pron. I. p. 309. — **366**. *namque potes.* Vid. supra v. 117. — *portus Velinos* per prolepsin. *Velia* enim, eadem Lucaniae urbs, quae Graecis Elea (*Ἐλέα*, cum digammate *Fελέα*) appellabatur, inter Paestum et Palinurum promont. sita perque philosophos Eleaticos celebrata, Cyri demum temporibus a Phocaeensibus, quos ille patria depulerat, est condita. Vid. Herod. I, 167. (Omnino autem de hac urbe, cuius reliquiae ad montem *Stella* prope *Castell' a Mare della Brucca* inveniuntur, eiusque nomine cf. liber meus geogr. III. p. 762 sq. et quae exposui in Pauly *Realencycl.* VI. p. 2428 sq.) Similis prolepsis locum habet VIII, 361. XI, 262. al. Cf. Wagn. Qu. Verg. XXXIX. Quare paulo cupidius *Peerlk.*: „Inepta prolepsis. Quomodo enim Aeneas locum inveniret, qui vel nullo vel longe alio nomine appellaretur?“ Gellius X, 16. iam Iulium Hyginum in hac prolepsi offendisse memorat. Cf. autem Iacobi Qu. ep. p. 186 sq., qui Freudenbergio p. 30. iudice Vergilium ab omni reprehensione defendit. — **367**. *si qua via est* ex his locis in ipsum Elysium. Servius *viam* hic metaphorice pro ratione positam censet, ut supra v. 96. et alibi; Conington vero mihi adsentitur. Ceterum cf. supra v. 194. — „*diva creatrix* etiam VIII, 634. mater Aeneae, Venus; ut *creare* pro parere.“ *Heyn.* Adde Catull. LXIII, 50. et Aur. Vict. Epit. 40. Sic

Ostendit, — neque enim, credo, sine numine divom
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem —
Da dextram misero et tecum me tolle per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam."
Talia fatus erat, coepit cum talia vates:
„Unde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum
Eumenidum aspicies ripamve iniussus adibis?
Desine fata deum flecti sperare precando.
Sed cape dicta memor, duri solatia casus.
Nam tua finitimi longe lateque per urbes

---

creator pro patre Ovid. Met. VIII, 309. et Sen. Hippol. 888., et *creare* pro gignere, parere, infra X, 704. Hor. Od. IV, 4, 29. Ovid. Met. X, 18. alibi. — **368.** *sine numine divom.* Vid. II, 777. — **369.** *innare flumina* pro navigare per flumen. De constructione autem vid. supra v. 134. et adnott. ad Geo. II, 451. et IV, 261. — V. **370.** ex Hom. Il. XXIII, 75. ortus, ubi Patrocli umbra Achillem orat: *καί μοι δὸς τὴν χεῖρ', ὀλοφύρομαι.* — *me tolle.* Cf. III, 601. *Tollite me, Teucri.* — **371.** *Sedibus placidis*, in sepulchro. Cf. supra v. 152. 328. — „*saltem*, quia nautae semper vagantur, ut Serv. bene observavit." *Heyn.* Wagn. autem explicat: „quod unum est mortuo solatium" et Conington recte utramque interpretationem coniungendam censet. Desiderat Palinurus post longos errores maritimos sepulchri quietem in urbe a Troianis condita. — *in morte*, i. e. mortuus, redit infra v. 444. Cf. Hand. Turs. III. p. 265. — V. **372.** affertur a Prisc. p. 1186. voc. *vates* in *virgo* mutato. — **373.** *dira cupido*, insana et inexplebilis; optat enim Palinurus aliquid, quod contra fata est. Vid. infra v. 721. IX, 185. et Geo. I, 37. *Dirus* enim dicitur de omnibus rebus praeter modum gravibus, atrocibus, horrendis, imprimis etiam de male ominatis. Vid. ad II, 519. — **374.** „*amnem severum* (h. e. tristem, horrendum) *Eumenidum* dixit eodem modo, ac si deorum inferorum, Proserpinae vel Hecatae, appellares." *Heyn.* Epitheton autem ab Eumenidum ipsarum severitate ad amnem translatum. Vid. adnott. ad (Ecl. IX, 46. et) Aen. VIII, 526. Ceterum cf. Geo. III, 37. *Furias amnemque severum Cocyti.* Cerda etiam ap. Stat. Theb. I, 89. et Claud. Ruf. I, 119 sq. Furias cum fluviis Orci coniungi memorat; unde tamen non sequitur, Heynii de h. l. sententiam esse falsam. — **375.** *adibis* meliorum Codd. (Med., Rom. etc.) est lectio, quam cum Brunck., Heyn. et Wagn. (quem etiam posteriores editores omnes secuti sunt) recepimus, cum optime quadret ad Palinurum in alteram Stygis ripam transire cupientem. Vulgo *abibis* (ut in Mentel. II., Bern. III. a m. sec. et al.), quod Iahn. in priore edit. servavit (nam in altera et ipse *adibis* recepit) et Voss. p. 217. defendit. Servius utramque lectionem novit, sed vulgarem praefert. Ceterum de hoc Futuri usu in quaestionibus indignabundis vid. ad II, 578. — **376.** *Desine fata deum* etc.; nam *fata et fixa sunt atque magna et aeterna necessitate ducuntur* secundum Senec. Ep. 77., qui versum nostrum laudat. *Fata deum* autem quo sensu dicantur, vidimus ad Aen. II, 54. — *flecti precando*, ut II, 689. *precibus flecti.* — **377.** *cape dicta memor*, accipe, recipe quasi mente et cogitatione, audi et tene memoria. Cf. Hor. A. P. 368. *hoc tibi dictum tolle memor* ibique Orell. et Wolf. *Analecten* I. p. 191. Ceterum v. 376. et 377. iterantur in Anth. Lat. I, 172, 62 sq., ut 377. etiam ibid. I, 178, 161. — **378** sq. „Cum a barbaris, Lucanos edunt, qui posterius ea loca incoluerunt, occisus esset Palinurus, postea ii pestilentia laborantes a deo consulto responsum acceperunt, placandos esse Palinuri Manes." *Heyn.* Cf. Servius ad h. l. Temere autem interpp. (imprimis Markl. ad Stat. Silv. V, 3, 127. et Peerlk.) in h. l. haeserunt, cum absurdum esset, *finitimos longe lateque actos* dici, i. e. longe lateque bitantes seu, quod eodem rediret, finitimos longinquos. Sed nonne et

Prodigiis acti caelestibus ossa piabunt
Et statuent tumulum et tumulo sollemnia mittent,
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit."
His dictis curae emotae pulsusque parumper
Corde dolor tristi; gaudet cognomine terra.
    Ergo iter inceptum peragunt fluvioque propinquant.

---

gens magna, latam regionem incolens, alicui loco **finitima** dici potest, etsi pars tantum civium sedes ei vere **vicinas** vel **propinquas** tenet? Verba autem *longe lateque - - acti* non significare, **multis locis** illos finitimos ossa Palinuri piaturos esse, sed peste tantum per omnem gentem longe lateque habitantem serpente illud futurum esse in vicinia eius ipsius loci, ubi occisus ille fuerit, bene perspexit Wagn. Idem Vir doctus Semicolon vulgo post *piabunt* v. 379. positum recte in Comma mutavit, ut verba seqq. epexegesin continerent antecedentium: *ossa piabunt, statuentes - -, mittentes.* (Nos simplicissimae distinctionis studiosi nunc vel Comma omisimus.) Thiel. paulo contortius hunc locum sic explicat: Diversis locis sollemnia instituentur, ut ossa tua expientur; homines enim peste vexati oraculis, ut id faciant, excitabuntur. Iahn. de eo conferri iubet Miscell. Obs. V, 2. p. 64. — ***piabunt***, placabunt. Conington confert Hor. Ep. II, 1, 143. *Tellurem porco, Silvanum lacte piabant.* Adde Ovid. Fast. I, 318. Met. XIII, 513. Prop. IV, 18, (III, 19,) 18. etc. — Cum v. **380**. cf. III, 63 sqq. ***tumulo*** repetitum loco Pronominis *ei.* Vid. ad I, 554. Cf. etiam similem Participii usum infra ad v. 422. commemoratum. — ***sollemnia mittent***, inferias ferent, quod V, 605. *tumulo sollemnia referre.* Ceterum cf. etiam III, 63 sqq. — ***mittere*** de muneribus mortuis oblatis legimus etiam Geo. IV, 545. et Aen. IV, 624. — **381**. De ***Palinuro***, Lucaniae promontorio, quod etiamnum *Punta di Palinuro* vocatur, vid. Strab. VI. p. 252. Plin. III, 5, 10. Mela II, 4, 9. Liv. XXXVII, 11, 6. alii et liber meus geogr. III. p. 497. — Vss. **382**. et **383**. Peerlkampio tam humiles et inficeti videntur, ut eum, qui Vergilio dignos esse contendat, vel omni elegantiae sensu destitutum, vel contra animi sententiam disputare arbitretur. – ***emotae***. Similiter Hor. Od. IV, 15, 11. *emovitque culpas*, et h. l. imitatus Prudent. Psychom. 629. *His dictis curae emotae, metus et labor et vis.* — ***parumper***, in aliquod tempus (*eine Weile, eine Zeitlang*), ***dolor pulsus***, sed mox rediturus. Cf. Doederl. Synon. I. p. 145 sqq. et Hand. Tursell. IV. p. 405. Errant igitur etiam Serv. ad h. l., qui explicat per *paulatim*, et Nonius p. 378., cui idem est quod *cito et velociter.* — **383**. Adiect. ***cognominis*** legitur Plaut. Bacch. I, 1, 5. Plin. VI, 2, 2. Suet. Oth. 1. Vellei. I, 1. alibi. Cum forma Ablativi in *e* exeunte cf. Ovid. Met. I, 330. *tricuspide telo Mulcet aquas;* ibid. XV, 743. *specie caeleste resumpta;* id. Fast. III, 654. *Amne perenne latens* (ubi alii minus recte coniungunt *perenne latens*). Her. XVI, 277. *a caeleste sagitta Figar* cett. Ramsh. §. 28. not. 5. Schneider. II, 1. p. 221 sqq. alii. — ***terra*** Ribbeck. (quem inter posteriores editores Ladew. modo et Benoist. secuti sunt) recepit Med., Pal., Rom., Gud., Bern. II. III., Minoraug., Nonii p. 378, 14. et Servii Reg. lectionem *terrae*. Henry, quamquam hanc lectionem in 40, alteram in quinque modo Codd. invenit, tamen *terra* ut elegantius recte praetulit. (Vid. Philol. XVII. p. 633.) — **384**. ***ergo***, nostrum *so nun*: haec erat causa, ut etc. Poëtae enim, ut Hand. docet Tursell. II. p. 463 sq., in narrandis rebus Adv. *ergo* exprimunt eventum, qui ex antecedentibus vel ex causa antea dicta pendet. Cf. v. c. Sil. Ital. IV, 718. et 778. Ceterum vid. locus simillimus VIII, 90. *Ergo iter inceptum celerant.* — Peerlk. pro ***peragunt*** malit *pergunt*, coll. Cort. ad Sall. Iug. 75. et Ter. Hec. I, 2, 119., sed contra Codd. auctoritatem nihil mutandum, imprimis cum etiam ap. Paullin. vit. Mart. I, 212. legamus *ergo iter inceptum peragit*, haud dubie ex hoc loco petitum. (Ceterum vehementer errat Vir doct., si *pergere* ex *peragere* contractum censet, cum potius, quod Perfecti forma clare demonstrat, ex *perregere* ortum esse constet.) Conington comparat Ovid. Fast. I, 188. *peragat coeptum dulcis ut annus*

Navita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda
Per tacitum nemus ire pedemque advertere ripae,
Hic prior adgreditur dictis atque increpat ultro:
„Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias; iam instinc; et comprime gressum.
Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporae;
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
Accepisse lacu nec Thesea Pirithoumque,

---

iter. — **385** sqq. „Charon umbras, non corpora, vehere solitus, aegre, ut Aeneam transvehat, adducitur. — *ab unda,* medio amne. [Vid. supra ad v. 357.] Io. Schrader. ingenioso lusu coni. *ab ulva.*“ *Heyn.* — **387**. *adgreditur dictis.* Vid. ad III, 358. et IV, 92. — *atque increpat ultro,* ut IX, 127. et X, 278. Verbum frequentativum *increpitat* legitur X, 810. Ceterum totus hic versus voce *Hic* in *Rex* mutata repetitur in Anth. Lat. I, 170, 46. -- **389**. Cf. Hom. Il. X, 85. — Verba *Fare, age, quid venias* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 88. et 178, 193. In seqq. vulgo *iam istinc et comprime gressum,* uno tenore. Quod ferri non posse bene perspiciens, cum lectio *istic* non nisi deteriorum Codd. auctoritate nitatur, Wagn. mutata interpunctione loco succurrit, quem secuti sumus. Charon enim de Herculis et Thesei (v. 392 sq.) descensu ad inferos cogitans iam e longinquo Aeneam cum armis accedentem fari iubet, quid petiturus veniat; eique, cum non statim gressum inhibeat, indignatus acclamat: *iam istinc,* scil. fare, i. e. ex eo ipso loco, quo nunc es, responde neque antea ulterius progredere (cf. etiam eius Lect. Verg. in Philol. Suppl. I. p. 418 sq.). Vividior autem sic prodit oratio, quam si cum Lachmanno ad Lucr. III, 880. p. 189. (qui provocat ad Statium Theb. III, 347. hunc locum sic imitatum: *iam illinc a postibus aulae Vociferans,* Dantem in Purgatorio IX, 85. *Ditel costinci*) et Ennii fragm. ap. Cic. Tusc. III, 12, 26. (et de Or. III, 41, 164.) *Nolite, hospites ad me adire; ilico istic - - Stetis,* quod verbum Lachm. addit, arcte cohaerere putamus verba *fare - - iam istinc.* Loci vero illi nihil contra nos probant, cum *fare* etiam ad *iam istinc* necessario cogitatione repetendum sit. (Ceteri tamen recentiores editores Commatis ante et post *iam istinc* positis distinguunt.) Sic si locum cum Wagn. intelligimus, facile supersedemus Burmanni coni. ad Anth. Lat. p. 162. prolata: *iam stringe et comprime gr.* Peerlk. tamen minus probabiliter locum sic distingui suadet: *iam, istinc, et compr. gressum,* i. e. heus tu, age, istinc facesse, et *comprime gressum,* qua turbata constructionis ratione Vergilium iratum senis animum pulchre imitatum esse censet, comparans Aen. IX, 247. et similes locos. — *comprime gressum.* Cf. supra v. 197. *vestigia pressit.* — **390**. Verba *Umbrarum hic locus est* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 83. — *soporae,* soporis plenae. Idem *noctis* epitheton legitur etiam Lucan. II, 236. Stat. Theb. I, 403. alibi. — **391**. *nefas vectare,* scil. me; mihi non licitum est vehere. — **392** sq. „Lectum est et in Orpheo, quod, quando Hercules ad inferos descendit, Charon territus eum statim suscepit. Ob quam rem anno integro in compedibus fuit. Inde ergo *non laetatus,* scilicet propter supplicium suum.“ Haec *Serv.* Heyn. praeterea comparat Hom. Od. XII, 88. de Scylla: *Οὐδέ κέ τίς μιν Γηθήσειεν ἰδών, οὐδ' εἰ θεὸς ἀντιάσειε* et Il. XIV, 249 sqq. Conington hunc versum ad Apoll. Rh. III, 584. (*οὐδὲ γὰρ Αἰολίδην Φρίξον μάλα περ χατέοντα Δέχναι ἐνὶ μεγάροισιν*) exemplum formatum esse putat. — Verba sic coniunge: *me accepisse,* scil. in cymbam, *Alciden* (vid. ad Ecl. VII, 61.) *euntem,* i. e. iturum, navigaturum (vid. adnott. ad II, 111.), *lacu,* per Stygem (vid. supra v. 323.). Cf. Wagn. Qu. Verg. XXIX, 2, a. Süpfiius tamen, Ladew. et Conington *lacu* cum *accepisse,* non cum *euntem* coniungendum putant, ut hic eandem constructionem habeamus atque Aen. I, 185. et VIII, 178. Sic autem *euntem* tam nude positum quam maxime offendit. Schrader. pro *lacu* temere coni. *alveo* vel *alno.* — **393**. *The-*

Dis quamquam geniti atque invicti viribus essent.
Tartareum ille manu custodem in vincla petivit,
Ipsius a solio regis, traxitque trementem;
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti."
Quae contra breviter fata est Amphrysia vates:
„Nullae hic insidiae tales; absiste moveri;
Nec vim tela ferunt; licet ingens ianitor antro
Aeternum latrans exsanguis terreat umbras,

---

seu Pirithoumque. Vid. infra ad v. 617 sq. — **394.** „*Dis geniti* [ut supra v. 131.], Theseus a Neptuno, Pirithous ab Iove. Vid. v. c. Iliad. XIV, 317 sq. et al. — *essent* post *quamquam* positum, quia haec verba a cogitatione Charontis suspensa proferuntur; sensus est enim: quamquam sciebam et considerabam, eos dis genitos - - - esse. — **395** sq. „Fundus fabulae Il. VIII, 367 sqq. [et Od. XI, 623 sqq.]. Varie autem a poëtis tractatus fuit Herculis ad inferos descensus. Cf. v. c. Il. V, 395 sqq. Apollod. II, 5, 12. et ibi not." *Heyn.* — *Tartareum custodem,* Cerberum. — *manu.* Vid. ad IV, 544. — *in vincla petivit,* vinctum abducere cupivit. Eadem dicendi formula usus est Quinctil. Inst. VII, 1, 54. *in iis controversiis, in quibus petuntur in vincula, qui parentes suos non alunt.* — **396.** Verba *Ipsius a solio regis* non possunt cum sequentibus coniungi (ut a Bryceo factum), cum Copula *que* quinto demum sententiae verbo adiuncta quam maxime offendat (cf. adnott. ad Geo. I, 142. et imprimis ad IV, 22., ubi addi poterat Lachm. ad Lucr. II, 679. p. 113.), sed magna cum emphasi quasi per parenthesin sunt interposita et non minus ad *in vincla petivit,* quam ad *traxit* pertinent, quare ea cum Wagn. Commatis inclusimus, in quo nos secuti sunt Haupt. et Conington. Wakef. vero, Iahn., Süpfl., Ribbeck., Ladew., Benoist. et Henry in Philol. XVII. p. 633 sq. unum Comma post *regis* ponentes coniungunt verba *in vincla petivit a solio regis.* Ceterum Cerberus, conspecto Hercule, catenas ruperat et tremens ad Plutonis solium confugerat. Vid. Senec. Herc. Oet. 1600. coll. cum eiusd. Herc. fur. 804. — **397.** *dominam,* δέσποιναν, Heyn. proprie de Proserpina tamquam regina inferorum dictum putat, quam sane Charon dominam suam potest dicere; quamquam *domina* etiam communis est omnium dearum appellatio. Vid. ad III, 438. Cave autem, ne cum Schellero in Lexico coniungas *domina Ditis,* i. e. uxor (ἄλοχος δέσποινα) Ditis (de quo usu voc. *domina* cf. quos Obbar. laudat ad Hor. Ep. I, 2, 25. Vol. I. p. 152.); cum aperte vv. *Ditis thalamo* cohaereant. Verba *thalamo deducere adorti* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 105. et 129. — **398.** *Amphrysia vates* est sacerdos ab Apolline artem vaticinandi edocta, qui ipse *Amphrysius* dicitur ab Amphryso flumine, de quo vid. ad Geo. III, 2. Heyn. hoc epitheton, quod Servius iure „longe petitum" esse iudicat, minus recte deducit ab Amphryso s. Ambryso, Phocidis oppido in Delphorum vicinia sito, ut *Amphrysia* sit i. q. Delphica; sed Stephani Byz. auctoritas, qua sola niti videtur opinio, Ambryso s. Ambroso etiam Amphrysi nomen fuisse, non tanta est, ut illam explicationem extra dubitationem ponat. — **399.** *hic.* Fragm. Vat. a m. pr. *hinc;* „non male" Ribbeckio iudice. Verba *Nullae hic insidiae* ex h. l. repetuntur in Anth. l. l. v. 56., ut seqq. *Nec vim tela ferunt* ibid. v. 257. — *absiste moveri,* noli moveri, pelle iram et timorem. Eadem constructio minus usitata invenitur infra VIII, 403. XI, 408. et ap. Liv. XXXVI, 35, 4. — **400** sqq. „Nec, ne Cerberus abducatur, aut Proserpina rapiatur, verendum tibi est." *Heyn.* — *licet,* scil. per nos, per Aeneam. — Pro *ianitor antro* Prisc. VII, 10, 52. p. 757. P. exhibet *ianitor orci,* quod ex VIII, 296. huc translatum. Etiam Seneca Ep. 85. hos duos locos confudit et in unum contraxit. *Stygius ianitor* Cerberus etiam Silio III, 25. dicitur, ut Horatio Od. III, 11, 16. *ianitor aulae.* — *vim ferunt* pro inferunt, ut X, 77. — **401.** *Aeternum* pro: in aeternum. Vid. ad Geo. II, 400. Silius l. l. inde fecit *antrum aeternum,* in quo Stygius ianitor latratibus umbras

Casta licet patrui servet Proserpina limen.
Troius Aeneas, pietate insignis et armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.
Si te nulla movet tantae pietatis imago,
At ramum hunc — aperit ramum, qui veste latebat —
Adgnoscas." Tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum

---

terret. — *terreat umbras.* Peerlk. adnotavit, Senecam, Herc. fur. 783. sic scribentem: *Hic saevus umbras territat Stygius canis*, apud Vergilium fortasse legisse *territet umbras;* quod non statim crediderim. — **402.** *patrui.* Fuit enim Proserpina Iovis et Cereris filia, ideoque Pluto eius patruus. — „*servet limen.* Servat domum, limen, thalamum, ex veteri (imprimis Graecorum, apud quos, Ruhkopfio adnotante, mulieres κατάκλειστοι et θαλαμευόμεναι laudantur) vivendi ratione, mulier casta, frugi, intra domum se continet, in publicum non prodit. Cf. infra VII, 52. 53." *Heyn.* Adde Geo. IV, 383. Peerlk. tamen, cui *patrui limen servare* ambiguum videtur, cum etiam significare possit: „custodit Plutonem, ne adulterium commissurus egrediatur, aut amicas domum accipiat" (!), temere coni. *patruo,* quod cum *casta* vult coniungi, satis mire. Ceterum *limen servare* legimus etiam II, 567. et VI, 575. Cf. adnott. ad VI, 556. — **404.** *imas - - ad umbras.* Epitheton *imas* exemplis illustravit Burm. ad Ovid. Met. IV, 444. — *Ad genitorem - - ad umbras.* Repetitio Praepositionis non potest offendere, cum *ad umbras* nihil aliud significet, quam *in Orcum.* Cf. VII, 508. *in medio - - in armis* ibique adnott. — *descendit.* Cf. XII, 649. *ad vos* (Manes) *descendam.* — *Erebi ad umbras.* Cf. IV, 26. *Pallentes umbras Erebi.* — **405.** Cf. simillimus locus IV, 272. — *nulla,* fortius quam *non.* Vid. ad Geo. I, 102. Aen. II, 583. IV, 232. al. Conington explicat per: nullo modo, coll. Ecl. X, 12. — *pietatis imago,* scil. animo obversans, cogitatio. Cf. IX, 294. X, 824., praeterea autem Ovid. Met. VI, 586. et XIII, 546. *poenae in imagine tota est,* ibid. XI, 472. al. — **406.** *At.* Vid. de hoc usu Particulae post enuntiationes conditionales adnott. ad Geo. IV, 241. — *aperit ramum,* nudat, ut III, 206. Verbis *ramum, qui veste latebat* foede abutuntur Auson. cent. nupt. 105. et auctor alius Centonis in Anth. Lat. VI, 84, 64. et imitatur hunc locum auctor Ciris 279. *aut ferro hoc - - aperit ferrum, quod veste latebat.* — **407.** Viso ramo aureo Proserpinae destinato Charon statim placatur; quare Sibylla nihil praeterea addit. — *Tumida ex ira corda residunt. Residere* a fluctibus maris et ventis ad animi affectus et cupiditates remittentes et defervescentes transfertur. Cf. Geo. II, 480. Cic. Tusc. III, 12, 26. *cum tumor animi resedisset.* Liv. II, 29, 6. *cum irae resedissent.* Ovid. Met. VII, 76. *pulsus resederat ardor* cett. Ceterum haec poetae narrantis, non Sibyllae loquentis esse verba, pro quibus a quibusdam editoribus habentur, quisque videt. — *ex ira,* cum antea ira tumescerent. Quod attinet ad Praep. *ex* pro *post* positam, tenendum est, eam etiam in eiusmodi locis primam vim suam retinere, cum non tantum id, quod tempore posterius sit, sed quod ex aliqua conditione prodierit, significet et finitum tempus respiciat, ex quo aliud quid esse inceperit. Cf. Oudend. ad Lucan. IV, 719. Davis. ad Caes. B. C. I, 46, 4. 70, 3. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 1, 10., imprimis vero Bremi ad Nep. Timol. 3, 2. Kritz. ad Sall. Cat. 41. ad Iug. 36, 3. et Hand. Turs. II. p. 646. §. 5. (qui etiam Graecorum usum dicendi comparat, velut Xen. Cyr. I, 4, 28. γελᾶν ἐκ τῶν πρόσθεν δακρύων). Ceterum ut hic *tumida ex ira corda,* sic VIII, 40. *tumor et irae* coniunguntur. — **408.** *Nec plura his,* scil. Sibylla addit; quod Subiectum sententiae tam facile intelligi potest, ut omissio offendere non queat. *Iahn.* in priore edit.: „Fortasse totus locus sic rectius legatur: - - *residunt, Nec plura his ille* (scil. regerit): *admirans* cett.;" quod recte improbat Wagn., simul reiiciens Censoris Ienensis sententiam, qui Diar. Lit. 1827. Suppl. 94. p. 366., coniungens quidem *ille admirans,* nihilominus etiam vv. *Nec plura his* ad Charontem spectare

Fatalis virgae longo post tempore visum
Caeruleam advertit puppim ripaeque propinquat.
Inde alias animas, quae per iuga longa sedebant,
Deturbat laxatque foros; simul accipit alveo

---

statuerit. Iahnii autem ratio mihi displicet primum ob Pronomen *ille* magna tum vi in fine sententiae positum, cum tamen nulla adsit oppositio; deinde ob voc. *his*, ad quod quisque suppleat necesse est *addit*, non illud *regerit*, quod Iahn. vult intelligi. Quod intelligens Iahn. in altera edit. ad *Nec plura his* cum Servio supplet: „dicta sunt vel a Charonte vel a Sibylla," atque etiam Wagn. in ed. min. simul audit: „acta inter eos;" uterque igitur *his* pro Ablativo habet, quod probare non possum, quamquam non adversabor, si quis haec verba etiam ad Charontem referri ideoque *addunt* s. *adduntur* intelligi malit. (Consentiunt mecum Bryce, Coningt. et Benoist. Quid Ladew. statuat, ex eius scholio „*Weiter verlieren sie beide kein Wort*" non liquet.) Peerlk. hos duos versus sic contrahendos censet: *Agnoscas: ille admirans venerabile donum*, cetera ab interpolatore aliquo adiecta statuens. — 409. „*fatalis virgae*, quam nemo decerpere poterat, nisi cui fato concessum erat [in Orcum descendere]; vid. supra v. 146 sq. — *longo post tempore:* igitur etiam Hercules et Theseus cum ramo aureo venerant." *Heyn*. Ribbeck. etiam hic Codd. quosdam secutus edidit *pos tempore*. — 410. *caerulea puppis*, eadem quae v. 303. *ferruginea cymba*. Sic in Wernsd. P. Lat. m. III, 200, 21. *caerulea carina*. Cf. etiam adnott. ad V, 819. — 411. *alias animas*. Cum antea *animae* (umbrae) nondum sint commemoratae, sed umbrae, quae iam cymbam occupaverant, opponantur tantum Aeneae adhuc vivo, *aliae* hoc loco ex notissimo illo Graecorum usu explicandum, ex quo v. c. dixerunt *οὐ χόρτος οὐδὲ ἄλλο δένδρον, βοῦς καὶ ἄλλα πρόβατα* et similia. (Cf. Heindorf. ad Plat. Phaed. §. 137. p. 234. Bornem. ad Xen. Anab. I, 5, 5. Poppo ad eiusd. Cyr. III, 2, 18. Boeckh. ad Plat. Min. p. 146. Erfurdt. ad Soph. Oed. R. 5. Passow. ad Parthen. p. 50. Mueller. de var. rebus Gramm. I. p. 38. alii.) Locus igitur sic explicandus: Ut Aeneam recipere possit, alios (ceteros: vid. ad V, 834.) omnes, scil. animas, quae iam - - sedebant, deturbat. Ex Latinis illum Graecorum usum imprimis imitatur Livius; ut IV, 41. *eo missa plaustra iumentaque alia*, i. e. praeter ea, quae iam plaustris iuncta erant; V, 39. *circa moenia aliasque portas*, i. e. circa moenia et alia opportuna loca, veluti portas, etc. Cf. Walchii Emendd. Liv. p. 58 sqq. Invenitur vero etiam ap. Ciceronem ipsum Verr. V, 10, 27. *Veris initium non iste a Favonio neque ab alio astro notabat*. — *iuga longa*, transtra, sedilia cymbae, vectorum iam plenae. Novam huius loci interpretationem proposuit Tittler. in Fleckeis. Novis Annal. phil. LXXXI. p. 287., cum vulgaris adversetur v. 313 sqq. Non enim posse cogitari de cymba iam animarum plena, cum Charon demum aureo ramo conspecto cymbam ripae advertat eique propinquet (v. 410.) ideoque animae eam nondum conscendere potuerint; quare *iuga* capit de elato ripae margine, in quo sedeant animae orantes, ut transmittantur, quique a flumine conspectus apte *iugum* dici possit. Sed verissime Ladew. in Append. p. 250. opponit, huic explicationi imprimis adversari verbum *sedebant*, cum animas traiectionem cupide exspectantes quietas sedisse vix credibile sit [cf. etiam v. 313. *Stabant orantes primi transm. cursum*]; contra autem non absonum esse sumere, Charontem iam plenam cymbam remo propulisse, sed ramo conspecto revertisse, ut etiam Aeneam reciperet. — 412. *Deturbat*. „Egregie Charontis ferox ac durum ingenium declaratum. [Cf. etiam adnott. ad V, 175.] — *laxatque foros*, tabulata vacuat." *Heyn*. Vid. ad IV, 605. Tittler. illa *iugorum* explicatione coactus est etiam hanc vocem alio sensu positam capere, quam satis artificiose intelligit de transitu ad cymbam, quem Charon Aeneae aperiat turbam animarum ad latera propellens (*Gassen der Schatten bildend*). — *alveus* de fundo navis excavato legitur etiam Ovid. Fast. II, 407. III, 592. Sall. Iug. 18, 5. Liv. XXIII, 37, 17. Vellei. II, 107. alibi, omninoque pro parvo navigio ex uno

Ingentem Aenean. Gemuit sub pondere cymba
Sutilis et multam accepit rimosa paludem.
Tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque
Informi limo glaucaque exponit in ulva.
Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
Personat adverso recubans inmanis in antro.
Cui vates horrere videns iam colla colubris

---

trunco in alvei formam cavato ponitur. Cf. Scheffer. de mil. nav. I, 3. De synizesi eiusdem vocis vid. e. g. Ovid. Met. I, 423. XV, 624. al., omnino autem vid. ad I, 698. et alibi adnott. — **413**. *Ingentem Aenean* ad corporis magnitudinem in heroë conspicuam referendum esse, nemo non videt. Levibus autem umbris destinata cymba Aeneae ponderi vix suffecit, ideoque *gemuit sub pondere*. Cf. v. c. Ovid. Met. IV, 449. *sacroque a corpore pressum Ingemuit limen* et vid. adnott. ad Geo. III, 133. et Aen. II, 631. Probus de nom. 53. p. 223. Endl. exhibet *tremuit*, vel memoriae lapsu, vel ex interpolato Cod., ut censet Ribbeck. Proleg. p. 205. — **414**. „*cymba sutilis* sive ex coriis, sive vitilis et iuncea. Si Charontem Aegyptiorum in animo habuit, de papyracea cymba, *barin* Aegypti vocant, cogitare potuit.“ *Heyn.* Hoc parum probabile; illa autem duplex explicatio ita potest coniungi, ut cymbam ex iuncis nexam et coriis obductam sumamus. Wagn. conferri iubet Oudend. ad Apulei. Met. p. 416. et de epitheto *rimosa* Lucian. Dial. Mort. 22. *τὸ δὲ σκαφίδιον καὶ ὑποσαθρόν ἐστι καὶ διαῤῥεῖ τὰ πολλά.* *Rimosam carinam* commemorat etiam Paullin. vit. Mart. II, 2. a Wold. Ribbeck. laud. — *multam paludem.* Sic *fons* pro aqua fontis Geo. IV, 376., ubi vid. adnott. — *accepit.* Cf. I, 222. *Accipiunt inimicum imbrem.* Ceterum hunc totum versum reprehendit Gruppe. in Minoe p. 209. — **415**. *incolumis*, i. e. *incolumes* (ut in Med. et Benoisti edit. scriptum est) - - *exponit.* *Iahn.* tamen: „Vide an rectius ipsa cymba *incolumis* appelletur, quae pondere viri modo ita pressa est et laxata, ut disrumperetur;“ quae mihi paulo artificiosior videtur explicatio, neque cum verbo *exponit* bene concilianda. (Adsentitur mihi Conington, neque dissentiunt Wagn. et Ladew.) — **416**. Cf. similis locus Geo. IV, 478. — *Informi limo.* Cf. Geo. IV, 478. *Limus niger et deformis arundo.* — *exponit.* Cf. X, 305. (navis) *Solvitur atque viros mediis exponit in undis.* — *glauca in ulva.* Cf. X, 205. *arundine glauca.* De Praepositione in altero demum membro posita vid. infra v. 692. et cf. adnott. ad I, 544. et V, 512. — **417** sqq. „Orci et Proserpinae palatio, priscae vitae more, canis additus est custos iam ap. Hom. Il. VIII, 366., ubi ille ex Erebo ab Hercule adductus; et ap. Hes. Theog. 769 sq. Apud eundem nomen ipsum Cerberi invenitur v. 311., non apud Homerum. Commenta de eo pleraque Heracliis deberi videntur. Vid. Apollod. II, 5, 12. et not. p. 428 sqq. Schol. Iliad. VIII, 368.“ *Heyn.* — *trifaux* alibi non legitur. Heyn. confert voces similiter compositas *trifax*, *trilix*, *triceps*. Ceterum *trifaux latratus*, i. e. ex tribus capitibus editus, ut apud Ovid. Met. IV, 451. *tres latratus*, ibid. X, 22. *terna guttura*, ap. Hor. Od. II, 19, 31. et III, 11, 20. *os trilingue*, ap. Tibull. III, 4, 88. *tres linguae* et similia de Cerbero tricipite haud rara. Apud Ovid. Trist. IV, 7, 16. eodem sensu *trigeminus* vocatur. Conington comparat Lucr. V, 28. *tripectora vis Geryonai.* — **418**. *Personat.* Vid. supra ad v. 171. — *inmanis* fortasse etiam ap. Hor. Od. III, 11, 15. dicitur Cerberus, quamquam Orell. hoc epitheton rectius cum *aula* videtur coniungere. Hic comparanda sunt verba *totoque ingens extenditur antro* infra v. 423. et III, 631. *iacuitque per antrum Inmensus.* — **419**. Cerberus, insurgens in Aeneam, qui vivus loca infera adire conetur, offa soporata placatur, qua in re Vergilio Argonauticos scriptores ante oculos fuisse observavit Heyn., apud quos draco, velleris aurei custos, simili offa obiecta dometur. (Cf. etiam supra IV, 486.) Apud Statium autem, Theb. II, 26 sqq., qui sequatur Hesiodum Theog. 769 sqq., Cerberum Mercurii virga contactum sopiri. — *horrere - - colubris.* Cerberus enim pro iubis colli villisque

Melle soporatam et medicatis frugibus offam
Obicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit obiectam atque inmania terga resolvit
Fusus humi totoque ingens extenditur antro.
Occupat Aeneas aditum custode sepulto
Evaditque celer ripam inremeabilis undae.

---

capitis centum gestabat angues. Cf. Apollod. II, 5, 12. Hor. Od. III, 11, 17. *Cerberus, quamvis furiale centum Muniunt angues caput* et Tibull. I, 3, 71. *serpentum Cerberus ore Stridet* ibique Bach. et Dissen. — **420**. „*Offam* intellige μελιττοῦταν, globulum ex pulte factum, sed admixto melle et papavere aliisque seminibus et succis ita temperatum, ut vim soporificam haberet.“ *Heyn*. Cf. etiam Suidas s. v. μελιττοῦτα et Dissen. ad Tib. I, 2, 54. — Pro *soporatam* (cf. supra V, 855.) unus et item alter Cod. *saporatam*, quod cum Turnebo (Adv. XXVIII, 45.) defendit Schirach. p. 593., cum etiam pervetustus Prisciani (p. 705. P. s. VI, 11, 59.) Codex hanc lectionem praebeat, melli autem vim soporandi inesse nemo demonstraverit. Et hoc quidem verissimum (cf. etiam quae ad IV, 486. adnotavimus); sed *soporatam* (i. e. factam ex seminibus et frugibus, quae soporem afferrent) hic per zeugma quoddam magis ad *fruges medicatas*, quam ad mel referendum, et hoc tantum offae conglutinandae et dulciori reddendae adhibitum esse puto; in consopiendi autem facultate omnem rei cardinem versari, ideoque vulgatam unice veram esse patet, quam unus ille Cod. Bamb. Prisciani infringere non potest; praesertim cum vox *saporatus* non nisi infimae Latinitatis esse videatur. (Consentiunt mecum posteriores editores.) Peerlk. sine iusta causa coni. *Mella, soporatam* etc., ut sensus sit: Obiicit offam melle conspersam et soporatam frugibus. — *medicatis frugibus*. Vid. ad Geo. I, 193. et Aen. XII, 418. Non de solo papavere, sed omnino de granis et seminibus succo herbarum, quae vim aliquam in magicis rebus habeant, perfusis agi, vere docet Heyn. — **421**. *fame rabida*, quae II, 356. *improba ventri rabies*. Sic ap. Sen. Herc. Oet. 1077. *rabida sitis*. Ceterum etiam hic plures Codd. *rapida*, de qua confusione vid. ad Ecl. II, 10. et Geo. II, 151. De producta Ablativi forma vid. Prisc. VII, 14. extr. p. 768. P. (qui praeter h. l. profert Lucr. I, 806. Lucan. X, 58. et Iuv. XV, 102.) Schneid. Gr. Lat. II. p. 238. mea ad Lucr. l. l. et Bach. ad Ovid. Met. VIII, 845. Alia exempla sunt Lucr. III, 732. VI, 695. Ovid. Met. V, 165. XI, 369. Trist. I, 6, 9. cett. — **422**. *obiectam*. Poëtae, imprimis Ovidius, ut vividiorem reddant orationem, saepe verbum antecedentis enuntiationis loco simplicis Pronominis demonstrativi iterant Participio Perfecti Pass. positum, quod solvendum est per *simulatque, statim cum* (velut Ovid. Fast. III, 21. *Mars videt hanc visamque cupit*; id. Met. IX, 195. *praesepia vidi Visaque deieci* cett.); idemque dicendi genus ne pedestres quidem scriptores aspernantur (vid. Liv. I, 5. 10. II, 25. 28. XXII, 20. etc.). Vid. Heind. ad Hor. Sat. II, 3, 104. Iahn. ad Ovid. Trist. III, 5, 11. Gierig. ad Ovid. Met. I, 33. Bach. ad Ovid. Met. I, 141. Orell. ad Hor. Sat. II, 3, 104. Zumpt. §. 718. Ramsh. §. 171. III, 4. et Thiel. ad h. l. Cf. etiam supra v. 380. et adnott. ad I, 554. — *inmania terga resolvit* (quae verba repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 235.): somno corpus resolvitur, ἀναλύεται. Heyn. confert Apollon. IV, 150, quem in toto h. l. poëta ante oculos habuerit: δολιχὴν ἀνελύετ' ἄκανθαν. Ceterum de voc. *terga* vid. ad I, 635., de *solvendi* autem verbo ad IX, 189. et 236. — **423**. *Fusus humi*. Cf. Geo. II, 527. *fusus per herbam* et Aen. I, 193. *Corpora fundat humi*. — *totoque extenditur antro*. Cf. supra III, 631. Similiter ap. Sen. Herc. Oet. 209. *tota iacuit sparsus in aula*. — **424**. Verba *Occupat Aeneas aditum* redeunt infra v. 635. — *custode sepulto*, sc. somno. Vid. ad II, 265. — **425**. *Evadit*, transit, percurrit, *ripam*. Cf. adnott. ad II, 731., ubi adde Tac. Ann. XII, 35. *evadere amnem*. — „*inremeabilem undam* eo referunt interpp., quod non eadem via erat rediturus Aeneas. Cf. infra v. 899. Argutius hoc quam necesse. Naturam Stygis communem exprimit

Continuo auditae voces vagitus et ingens
Infantumque animae flentes in limine primo,
Quos dulcis vitae exsortis et ab ubere raptos
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo.
Hos iuxta falso damnati crimine mortis.
Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes:
Quaesitor Minos urnam movet; ille silentum

---

epitheton." *Heyn.* Transire enim, non redire hac unda animae possunt. De ipso Adiectivo minus usitato vid. ad V, 591. — „V. **426—540.** de prima locorum inferorum regione agitur. Sedem in ea habent umbrae, quae maturiore, quam natura ferebat, morte inferos adierant." *Heyn.* — **426.** Verba *voces, vagitus Infantumque an. flentes* Wagn. Qu. Verg. XXXIII, 4. recte interpretatur: „flebiles voces et ingens vagitus infantum." Causam vero eius Henry l. l. non in more recens natorum, sed in verbis adiectis *in limine primo dulcis vitae - - acerbo* invenit. — **427.** Prius tantum vestibulum Orci (cf. v. 273.) Aeneas attigerat; nunc ipsum quasi *limen* eius ingreditur, qui cum domo comparatur. — Verba *in limine primo* Wakef. cum seqq. coniungit, Commate post *primo* deleto, ut de limine vitae sermo sit; quomodo etiam Lucan. II, 106. hunc locum intellexit, sic eum imitatus: *Nec primo in limine vitae Infantes miseri nascentia rumpere fata.* Tum vero abundant verba *vitae exsortes;* et vulgaris distinctio, quae iam in Medic. apparet, atque etiam Macrobio Sat. IV, 3, 2. et Donato probatur, propterea praeferenda, quia haec *auditae voces in limine primo* Orci opposita sunt verbis v. 434. *Proxima deinde tenent moesti loca.* Nihilominus etiam Henry in Philol. XVII. p. 634., provocans ad Silium XIII, 547., qui hunc locum imitatus scripserit *turbaeque in limine lucis Est iter exstinctae,* cum Aeneas Orci limen iam supra v. 273. et 279. transgressus sit, ad *primo limine* supplet *lucis,* quod lateat in verbis *vitae exsortes* atque eo facilius omitti potuerit, cum etiam infra XI, 423. et ap. Stat. Theb. II, 314. *primo limine* ita dicatur, ut tantum e connexu pateat, de quo limine sermo sit. — **428.** *exsortes*, ἀκλήρους, expertes; ut ap. Liv. XXII, 44, 7. *culpae,* XXIII, 10, 3. *amicitiae et foederis,* Tac. Ann. VI, 6. *periculi exsors* cett. — *ab ubere raptos.* Vid. VII, 484. — V. **429.** *atra dies* pro morte etiam ap. Prop. II, 11, (III, 2,) 4. Silium V, 591. Val. Fl. V, 41. et alibi legitur. Ceterum satis miram de hoc loco sententiam protulit Muretus Var. Lect. XIII, 2. — *mersit.* Thiel. conferri iubet Weichert. ad Val. Fl. VIII, 66., qui doceat, *mergendi* verbum habere notionem obtegendi, obruendi et claudendi. Imprimis autem usurpatur, si de malis agitur. Cf. infra v. 512. 615. VI, 429. XI, 28. Sic ap. Plin. VII, 40, 41. *ultimis suppliciis mergere.* — *funere acerbo,* ut ap. Cic. pr. domo 16. Sic Ecl. V, 20. *funus crudele.* Ceterum hic totus versus iteratur infra XI, 28. et in Anth. Lat. III, 240, 7. atque legitur etiam in inscr. Neap. 423. (6063. Orell.) Marini *Atti Arv.* 827. et Gruteri Thes. 1052, 10. v. 7. (qui loci Wold. Ribbeckio debentur), verba autem *Abstulit atra dies* repetuntur in Anth. Lat. IV, 20, 22. 118, 6., et quod seqq. verba attinet cf. ibid. IV, 119, 2. *quos uno Lachesis mersit acerba die* et 127, 2. *ante diem mors illum mersit acerbo Funere.* — **430.** *mortis* non a *crimine*, sed a *damnati* pendere, vix est quod memorem. — Vss. **431—433.**, parenthetice interpositos, ad totum hunc locum, etiam ad seqq., spectare, iam Heyn. vidit; idque luculenter comprobare vv. *Proxima deinde tenent loca,* Wagn. docet. Verba *sine sorte, sine iudice,* Heyn. recte coniungit, ut sensus sit: non sine iudicibus sortito datis; omnia enim hic ad Romanorum leges iudiciarias de causis capitalibus accommodata. (Vid. infra.) Noli igitur *sortem* de ipsa sententia iudicis intelligere. *Heyn.* sic pergit: „Sedet *quaesitor*, s. iudex quaestionis, ut Romae in causa capitali praetor, cui ea quaestio obtigit, vel is, cui ille delegavit quaestionem; adsident ei *iudices selecti,* qui, *sortitione nominum* e decuriis a iudice quaestionis facta, causae cuique contigerunt. Hinc h. l. *quaesitor urnam movet,* sortitur

Conciliumque vocat vitasque et crimina discit.
Proxuma deinde tenent maesti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu lucemque perosi
Proiecere animas. Quam vellent aethere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!
Fas obstat tristique palus inamabilis unda

---

iudices; tum citat reos ad iudicium (*silentum concilium vocat*), ut de iis cognoscatur; *vitasque et crimina discit*, audita utriusque partis oratione et testibus interrogatis.“ Imitati sunt h. l. Sen. Herc. fur. 731 sqq. (*Non unus alta sede quaesitor sedens Iudicia trepidis sera sortitur reis.*) Stat. Theb. VIII, 21 sqq. et Claud. R. Pros. II, 332. De *urna* iudicis inferorum cf. etiam Prop. V, (IV,) 11, 19. et 49. Hor. Od. II, 3, 26. III, 1, 15. (ubi *urna* ipsa *movet nomen*). Sen. Agam. 24. Stat. Silv. II, 1, 218. all. De *Minoë*, Iovis et Europae filio, Rhadamanthi et Sarpedonis fratre, qui ob summam iustitiam, qua Cretenses rexerat, et ob leges optimas a se latas iudex inferorum constitutus est, vide Il. XIV, 321. Od. XI, 567. XIX, 178. Apollod. III, 1, 2. alios et Walz. in Pauly *Realencycl.* V. p. 67 sqq.; de omni autem hoc loco Heynii Exc. ad h. l. de iudicibus inferorum agentem. — **433.** *silentum* (umbrarum: vid. ad v. 264.) *concilium vocat*, non ut cum iis deliberet, sed ut eorum vitas discat et de iis iudicet; ideoque *concilium* nihil aliud est, quam conventus, et *vocare* ad se, in iudicium vocare. Ascon. Pedianus ad Cic. Verr. Act. I, 10. male legit *consilium* et intelligit iudices ex umbris lectos, eademque lectio etiam invenitur in Pal. et Gud. a m. pr.; sed vere censet Wagn., tum in seqq. *et vitas et crimina discit* Vergilium oportuisse scribere. Sic igitur Minos praeiudicium quoddam habet, ut sontes ad Rhadamanthum mittat, qui cuique pro merito suo poenae genus modumque constituat. (Cf. infra v. 566 sqq.) Recedit igitur poëta a Graecorum mythis, qui Minoem, Rhadamanthum et Aeacum simul iudicium de Manibus facientes fingunt. Cf. Heynii Exc. XI. ad h. l. — **434** sqq. *Proxima loca tenent*, ut infra v. 746. „Magnam ad miserationem extulit sortem miserorum, qui sibi ipsi violentas manus intulere, et quidem *insontes*, nullo crimine polluti, sed vitae taedio, propter aerumnarum molem, qua oppressos se videbant.“ *Heyn.* Cf. Prop. V, (IV,) 11, 17. *Immatura licet, tamen huc non noxia veni.* Schrader., cui *insontes* alienum videtur, praeter necessitatem coni. *infanda* vel *intenta*. Ceterum Conington Vergilium hic fortasse Lucretii III, 79 sqq. memorem fuisse suspicatur. — **435.** Pro *peperere* duo Codd. (Moret. I. et Zulich.) *reperere*, cum qua scriptura Heyn. confert supra II, 645. *ipse manum ortem inveniam* (ubi tamen vid. adnott.); sed Perfectum *reperi* primam syllabam habet longam. — *lucem perosi*. Cf. IV, 451. *Mortem orat; taedet caeli convexa tueri.* — **436.** *Proiecere animas*, vitam, tamquam rem vilem et despiciendam. Sic etiam Graeci ψυχὴν προβάλλεσθαι. Cf. Oudend. ad Lucan. IV, 16. et Graev. ad Auson. p. 276. Videtur autem poëta ante oculos habuisse Catull. LXIV, 81. *Theseus pro caris corpus Athenis Proiicere optavit.* Heyn. confert Ovid. Am. III, 9, 64. *Sanguinis atque animae prodige Galle tuae*, cui addi potest Hor. Od. I, 12, 37. — Verba *Quam vellent* cett. ex Hom. Od. XI, 489 sqq. adumbrata esse, interpp. adnotant. Cf. etiam Silius XIII, 605. — *aethere in alto*. Vid. supra ad v. 128. — **438.** „*Fas* h. l. iura inferorum; cum alibi omnino ad iura divina et naturae spectet.“ *Heyn.* — *Fas obstat*. Vid. ad II, 779. Bern. III. Minoraug., porro Med., Gud. et Bern. II. a m. sec. (ita tamen ut in Med. superscripta correctio rursus erasa sit) omninoque 44 inter 47 ab Henr. collatos Codd. et Serv. Dresd. praebent lectionem *Fata obstant*, quae fluxit ex IV, 440., neque debuit ab Henrico (*Tw. years* VI. p. 24. et Philol. XVII. p. 635.) praeferri. Cf. etiam Ovid. Trist. II, 205. *Fas prohibet*. Ribbeck. etiam hic cum Pal. et Rom. scribit *opstat*. — *palus*. Vid. supra v. 323. et 369. — Pro *tristique* multi Codd. (inter quos Pal., Rom. et Gud., fortasse etiam Med., in quo extremae vocis literae erasae sunt) *tristisque*, qua lectione recepta, ne duo epitheta uni vocabulo adiungerentur, aut loco sic distincto: *tristisque palus, inamabilis unda*, haec illis per appositionem addita acci-

Alligat et noviens Styx interfusa coercet.
Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi; sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles et myrtea circum
Silva tegit; curae non ipsa in morte relinquunt.

---

pienda essent, aut (ut Ribbeck. et Benoist. fecerunt) etiam ex Med. a m. pr., Pal. et Gud. a m. pr. recipienda lectio *undae*. Sed praestat vulgaris lectio, quam etiam tuetur locus parallelus Geo. IV, 479 sqq., ubi vv. 438. et 439., paucis verbis mutatis, iam legimus. Vid. igitur ibi adnott. Aliquot Codd. et Serv. Dresd. exhibent lectionem *innabilis*, quam cum omnibus recentioribus editoribus etiam Henry ll. ll. recte respuit. Receptam scripturam testantur etiam Gellius II, 6, 14. et Macrob. Sat. VI, 7, 15. — **439**. Cum voc. *Alligat* cf. Lucan. II, 50. *Massageten Scythicus non alliget Ister*, ibique Cort. — **440** sqq. De toto, qui sequitur, loco, in quo temere haeserunt interpretes, imprimis ob Eriphyles et Caenei commemorationem inter misere amantes (vid. infra), recte *Ruhk.*: „Dicere sufficit, miseras et miseros amore et misere vita defunctos ideoque lugentes h. l. produxisse poëtam: qui elegit, quae ipsi et suo saeculo placuerint, ut poëta, non ut historicus." — *partem fusi in omnem*: „Late patentes campos facit, non multitudinis causa, quam excepturi sunt, sed ut solitudinem in iis, quam quaerunt, habeant amantes." *Heyn.* Quod attinet ad voc. *fusi* cf. Lucan. IV, 670. *non fusior ulli Terra fuit domino.* — *monstrantur*. Cf. VII, 568. — **441**. *Campi lugentes*: vid. infra ad v. 543. — *nomine dicunt*, ut supra v. 242. Sic infra VIII, 338. *nomine memorare*. Cf. etiam *voce vocare* (IV, 680. V, 860.) et similia. — **442** sqq. Fluxit hic locus ex Hom. Od. XI, 224 sq. 320 sq., cum quo Heyn. conferri iubet tabulam Polygnoti a Pausania X, 28. 29. descriptam (in qua etiam Phaedra, Procris, Eriphyle) et Ausonium in Cupid. crucif. locum nostrum disertius exornantem. — *quos*. Codd. quidem *quas*, quod praefert Peerlk., cum statim sequatur *inter quas*, et non nisi feminae in seqq. commemorentur, Vergilius autem, si hos campos lugentes etiam a viris habitatos voluisset, sine dubio nonnullos commemorasset. Sed per se consentaneum est, etiam viros infelici amore perditos in illis campis versantes cogitasse poëtam, et unus certe Sychaeus infra v. 474. commemoratur; neque verum est, quod Peerlk. adiungit: „Sychaeus habitare videtur in loco vicino, non in ipsis campis lugentibus. Ideo Dido refugit ex campis lugentibus in *nemus umbriferum*, ubi erat Sychaeus;" nam per *nemus* illud *umbriferum* nihil aliud significari videtur, quam *myrtea silva* campos circumdans (v. 443.), quae et ipsa has umbras *tegere* dicitur. Ceterum non solos miseros amantes ibi versari, docet qui sequitur nominum index, quod iam Wagn. adnotavit. — *peredit*. Med. a m. pr. et nonnulli alii Codd. *peremit*, quod tuentur Wakef. ad Lucr. VI, 1199. (coll. Tac. Ann. I, 53. *Tiberius omnis spei egenam inopia ac tabe longa peremit*), Peerlk., Haupt. et Ladew. (qui tamen in recentissima edit. ad nostram lectionem recte rediit). Sed Wagn. opponit Aen. IV, 66. *est mollis flamma medullas* (in Philol. Suppl. I. p. 345. addens XII, 801. *Nec te tantus edat tacitam dolor* et Hom. Il. VI, 202. ὃν θυμὸν κατέδων, quod Cic. Tusc. III, 26. interpretetur *Ipse suum cor edens*), et verbum rarius lectum facilius cum vulgari permutari potuisse censet, quam contra. *Peredere* legitur etiam Hor. Od. III, 4, 75. Tib. I, 4, 18. Cic. Tusc. III, 12, 26. (ex poëta) al. et Particip. *peresus* Lucr. I, 327. III, 414. Catull. LV, 31. al. — **443**. *Secreti calles*. Schrader. temere coni. *secretae valles*; valles enim non possunt cogitari sine montibus; montes autem in Orco nemo umquam commemoravit. *Calles* contra bene conveniunt *myrteae silvae*, et *secreti* dicuntur, quia amantes solitudinem quaerere solent. — *myrtea silva*, quia sedes est misere amantium, myrtus autem Veneri est sacra. Vid. ad Ecl. VII, 62. Ceterum cf. Auson. Cup. crucif. 2. *Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes.* — **444**. *curae*, quales sunt amantium. Cf. IV, 1. — *in mort*

His Phaedram Procrimque locis maestamque Eriphylen
Crudelis nati monstrantem volnera cernit
Euadnenque et Pasiphaën; his Laodamia
It comes et iuvenis quondam, nunc femina, Caeneus,
Rursus et in veterem fato revoluta figuram.

Vide supra v. 371. — **445**. Cf. Hom. Od. XI, 321 sqq., unde hic locus fluxit. De *Phaedra*, Minois et Pasiphaës filia Theseique uxore, quae ob amorem Hippolyti privigni se ipsa interemit, cf. Apollod. III, 1, 2., Paus. II, 32., Euripidis et Senecae Hippol., Ovid. Her. IV. — *Procris*, Erechthei, regis Atheniensis, filia, a Cephalo, Phocidis rege, cui nupta erat, invito interfecta est in venatione, cum eum zelotypia commota clam secuta esset et inter frutices latens ab eo pro fera haberetur. Cf. imprimis Ovid. Met. VII, 672 sqq. et A. A. III, 695 sqq., praeterea autem Apollod. III, 15, 1. Hyg. f. 189. 241. Anton. Lib. 21. *Procris* autem Wagn., quem secuti sunt ceteri recentiores editores praeter Bryceum, ex Med. et Serv. Dresd. restituit pro vulg. *Procrin*. — *Eriphyle*, Talai filia, Adrasti soror, quae aureo monili, Polynicis dono, capta Amphiarao, coniugi suo, persuasit, ut ad bellum Thebanum, in quo vates se periturum sciebat, proficisceretur, ob quam perfidiam ab Alcmaeone filio occisa est. Vid. Hom. Od. XV, 244 sqq. Apollod. III, 6, 2. 7, 2. et 5. Diod. Sic. IV, 67. Stat. Theb. II, 299 sqq. IV, 187 sqq. alios. — **446**. *nati volnera*, a filio sibi illata. Cf. adnott. ad II, 436. — **447** *Euadne* (de qua scribendi ratione, pro *Evadne*, vid. adnott. ad VII, 389.) Capanei Argivi uxor, quae, coniuge in bello Thebano interfecto, in rogi flammam se coniecit, ut simul cum eo combureretur. Vid. Eur. Suppl. 990 sqq. Apollod. III, 7, 2. Hyg. f. 243. et 256. Prop. I, 15, 21 sq. — De *Pasiphaë* vid. supra ad v. 24. — *Laodamia*, Acasti filia, Protesilai illius Thessali uxor, qui primus omnium Graecorum cecidit in bello Troiano, ab Hectore interfectus, a diis impetraverat, ut umbra interfecti coniugis sibi in conspectum veniret, in cuius amplexu exspiravit quemque in Orcum secuta est. Cf. Luciani Dial. Mort. XXIII. Ovid. Her. XIII. id. ex P. III, 1, 110. et Catull. LXVIII, 74 sqq. alii. — **448**. *Caenis*, Elati Lapithae filia, cum a Neptuno compressa esset, ab eo impetravit, ut in virum mutaretur essetque inviolabilis; postea vero hic *Caeneus* in pugna Lapitharum cum Centauris, cum aliter vulnerari non posset, congestis in eum arboribus suffocatus et Neptuni beneficio in avem conversus est. Apud inferos autem rursus in feminam mutatus esse dicitur. Cf. Ovid. Met. XII, 171—209. et 470—532. Hyg. f. 14. et 242. (Heyn. ad Apollod. p. 73. Verheyk. ad Anton. Lib. p. 115 sq.) Quid autem hic sibi velit inter infelici amore perditas, minus clarum est. Revocavimus autem cum Wagn. (quem praeter unum Bryceum editores me posteriores omnes secuti sunt) omnium Codd. lectionem *Caeneus*, quam Heinsius ex coni., sequentibus editoribus ante Wagn. omnibus probata, mutavit in *Caenis*, quod etiam Peerlkampio et Dietschio Theol. Verg. p. 29. not. 223. necessarium videtur, cum quae femina feminarum comes eat, *Caenis* appelletur necesse sit. Sed verba sic construe: *et Caeneus quondam* (in vivis) *iuvenis, nunc* (apud inferos) *femina et fato rursus revoluta in veterem figuram;* nam *Caeneus*, cum per appositionem adiectum sit, nihil referebat, utrum post *iuvenis*, an post *femina* poneretur, genus autem Participii, ad *feminam* relatum, propterea offendere non potest, quod in hoc vocabulo, non in *Caeneus* praecipua vis inest, ut vere adnotat Wagn., qui de Participio vel Adiectivo ad remotioris Substantivi genus relato conferri iubet Burm. ad Lucan. I, 176. et ad Suet. Aug. c. 66. extr. Cort. ad Plin. Ep. V, 19. ad Cic. Epp. ad Fam. V, 21, 14. et ad Lucani l. l. Oudend. ad Suet. Iul. c. 56. Mich. Heusing. ad Cic. Off. I, 23. Conr. Heusing. Praef. ad Cic. Off. p. XLVI. Alteram autem difficultatem, quod *femina* dicitur *in veterem figuram revoluta*, non *iuvenis revolutus*, idem Vir doct. ita studet expedire, ut dicat, Participium non semper ad ipsam actionem referri (quae hic est Caenei, viri facti, reversio ad priorem feminae naturam), sed saepe etiam

Inter quas Phoenissa recens a volnere Dido
Errabat silva in magna; quam Troius heros
Ut primum iuxta stetit adgnovitque per umbras
Obscuram, qualem primo qui surgere mense
Aut videt aut vidisse putat per nubila lunam,

---

ad conditionem, quae ex actione aliqua oriatur (hic ad recuperatam feminae formam et naturam); provocans ad Ruddim. II. p. 5. et Matth. Gramm. Gr. §. 440., qui Participium interdum non Subiecti, sed Praedicati genus sequi doceant, et comparans Sil. XI, 25. *Iam vero Eridani tumidissimus accola, Celtae, Incubuere,* ubi *Celtae,* non *accola* pro apposito habendum sit. Denique acute perspexit Wagn. (qui etiam cf. in Philol. Suppl. I. p. 345.), non iustam inter *iuvenem,* quae vox alterum sexum non excludat, et *feminam* intercedere oppositionem, ideoque, iam ut oppositionis ratio constaret, ad *iuvenem* addendum fuisse virile nomen *Caenei;* errat enim Gossr., *iuvenem* non nisi mascul. genere dici, nec unquam puellam s. virginem significare ratus; nam ut omittam eiusmodi locos, quales sunt Plin. VII, 36, 36. *Cornelia enim iuvenis est,* Claud. Praef. l. II. in Eutr. 23. *amica iuvenis* etc., sufficit tamen ad eum refutandum vel unus locus Phaedri II, 2, 5. *animosque eiusdem pulchra iuvenis ceperat.* Quae omnia una Ausoniana huius loci imitatione in Cupid. crucif. 20. *Irrita dona quaerens, sexu gavisa virili, Maeret in antiquam Caenis revocata figuram* revelli non possunt. Ceterum vide locum similem Ovid. Met. XII, 531. *Maxime, vir quondam, sed nunc avis unica, Caeneu,* cum quo de collocatione Adverbiorum cf. Tib. III, 1, 23. *vir quondam, nunc frater* et alii. De pleonasmo *rursus revoluta,* Vergilio satis usitato, vid. ad Geo. I, 200. (*Rursus* et *rursum* sic adduntur Caes. B. G. IV, 4. VII, 9. Nep. Alc. 6, 5. Iustin. V, 4, 12. XLII, 2, 12. Curt. III, 11, 14. al.) Wakef. coniungit verba *nunc femina Caeneus rursus* atque etiam Ribbeck. Comma post *Caeneus* omisit. — *in veterem figuram,* i. e. in priorem, pristinam, ut I, 23. (ubi vid. adnott.) IV, 23. VIII, 332. XI, 280. al. et cf. Tibull. IV, 1, 63. *veteres mutare figuras.* — **450** sqq. „Episodium de Didone, merito suo laudatissimum, ad Homeri ductum de Aiace Iliad. [immo Odyss.] XI, 542 sqq. effinxit.“ *Heyn.* Respexit hunc locum Macrob. Sat. V, 2, 14. — *recens a volnere,* cum recente vulnere, vel potius statim post vulnus sibi illatum. Sic Varr. R. R. II, 8, 2. *pullus asininus recens a partu.* Cic. N. D. III, 5, 11. *Homerus, qui recens ab illorum aetate fuit* cett. Cf. Hand. Turs. I. p. 46. Manes autem in Orco eodem apparent corporis, quod videtur iis esse, habitu, quo e vita excesserunt. Cf. etiam infra v. 495 sqq. — **451**. *Errabat silva in magna.* Cf. Auson. Cup. cruc. 5. *errantes silva in magna.* Comma vulgo post *heros* positum delevimus, cum coniungenda esse videantur *quam iuxta* (in quo omnes posteriores editores mecum consentire video). Wagn. tamen, cum sic Praepositio longius remota sit a Casu suo, anacoluthon potius statuit, suspicatus, Vergilium sic scribere voluisse: *quam Troius heros adfatus est,* sed post plura interposita, oblitum coeptae orationis, inseruisse illa *Demisit lacrimas.* Sed illud *quam* a *iuxta stetit* paulo longius remotum minus offendit, cum etiam pertineat ad sequens verbum *agnovitque.* (Nescio an nunc etiam Wagn., qui in min. edit. Comma illud et ipse omiserit, mecum consentiat.) — **452**. „Suavis comparatio Didonis aegre per umbram visae cum nova luna petita ab Apollonio IV, 1479 sq.“ *Heyn.* — *per umbras* (ut infra v. 490.), Wagn. (quem Süpfl., Peerlk., Gossr., Haupt. et Bryce secuti sunt) restituit *per umbram,* quae sane antiquiorum Codd., Servii et Donati est lectio, et *obscuram umbram* explicat per multam umbram, quod legitur supra v. 340. Sed vulgatam, praeterquam quod difficilior est, ipsa rei natura et comparatio, qua poëta usus est, flagitare videtur. Non enim clare et evidenter Didonem conspicit Aeneas, sed *qualem qui surgere Aut videt, aut vidisse putat per nubila lunam;* quare poëtae non licuit simpliciter scribere *agnovit eam,* sed *agnovit obscuram,* quam antea utrum vere videret incertus fuerat. Accedit etiam maior concinnitas oppositionis *per umbras, per nubila;* cui tamen non nimium tribuerim. Facile autem

Demisit lacrimas dulcique adfatus amore est:
„Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat exstinctam ferroque extrema secutam?
Funeris heu tibi causa fui? Per sidera iuro,
Per superos et si qua fides tellure sub ima est,

Pluralis in Singularem mutari poterat ob sequens *Obscuram* a librariis non intellectum; quod enim Wagn. opponit, hos potius sequens *Obscuram* in *obscuras*, quam antecedens *umbras* in *umbram* mutaturos fuisse, id mihi quidem subtilius dictum videtur, praesertim cum etiam supra v. 268., in loco huic simillimo, lectiones *umbras* et *umbram* aut solo casu, aut ob *sequentia* nomina pluralia confusae sint. Iahn., et ipse lectionem *umbram* in altera edit. defendens, *qualem* non recte refert ad *obscuram umbram*, hac explicatione addita: „Agnovit Didonem per umbram ita obscuram, qualis obscuritas esse solet, quo tempore luna nubibus tecta surgit.“ (Ribbeck., Ladew., Coningt. et Benoist. nobiscum faciunt, atque etiam Henry in *Tw. years* VI. p. 26. et Phil. XVII. p. 635., quamquam praeferre videtur lectionem *umbram*, tamen *obscuram* ad Didonem refert.) — *qualem - - videt* autem breviter pro: qualem *videt* lunam, qui eam *primo mense*, i. e. tempore intermenstruo, primam s. novam per nubila surgere *videt*. Cf. adnott. ad Ecl. II, 71. Geo. I, 104. et supra v. 141. — Cum v. 454. cf. Ovid. Her. XVIII, 32. *Aut videt aut acies nostra vidisse putat;* eiusd. Met. II, 322. *stella, Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri* et similes locos. Verba *Aut videt aut vidisse putat* repetuntur in Anth. Lat. I, 147, 4. et I, 178, 370. -- 455. *Demisit lacrimas*, ita ut delaberentur in terram. Cf. Hom. Od. XVI, 191. *δάκρυον ἧκε χαμᾶζε* et Geo. IV, 542. *demitte cruorem*. Medic. et alii quidam Codd. *Dimisit*, quod Iahn. ad Geo. II, 8. p. 405. ed. II. defendit, quamquam in contextu recte retinuit *Demisit*. Nemo enim facile dixerit *dimittere lacrimas*, i. e. abire facere. Praeterea etiam verba *Demisit lacrimas* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 91. — *dulcique adfatus amore est*. Cf. Hom. Od. XI, 552. *τὸν μὲν ἐγὼ ἐπέεσσι προσηύδων μειλιχίοισιν.* — 456. *verus nuntius* (ut III, 310.), scil. ex flammis lucentibus supra l. V. in. Sic recentiores interpretes omnes locum intelligunt. Antiquiores quidam Servio teste hoc referunt ad verba Mercurii ab Iove ad Aeneam missi supra IV, 563 sq. „sed hoc ipsum unde audivisset Aeneas, debebat aliquo modo poeta praeparare,“ ut vere memorat Ribbeck. Conington apte confert Aesch. Suppl. 180. *ὁρῶ κόνιν, ἄναυδον ἄγγελον στρατοῦ.* Peerlk. tamen in h. l. haerens, cum nemo mortem Didonis Aeneae vere nuntiaverit, parum feliciter coni. *verus mihi tunc metus ergo Venerat.* — *ergo.* Ex eo, quod videt mortuam, concludit etiam ea, quae de morte eius accepit, esse vera. Particula autem *ergo* (*also wirklich?*) etiam alibi interdum admirationem aliquam cum moerore coniunctam exprimit. Cf. Hor. Od. I, 24, 5. *Ergo Quintilium perpetuus sopor urguet?* id. Sat. II, 5, 101. *Ergo nunc Dama sodalis Numquam est?* Ovid. Am. II, 7, 1. *ergo ego sufficiam reus in nova crimina semper?* etc. -- 457. *extrema secutam.* Cf. Iliad. VI, 412. XV, 495. (*πότμον ἐπισπεῖν*) et Apollon. II, 18. *εἴ τις κρατερῇ ἐπιέψετ' ἀνάγκῃ.* Cf. adnott. ad Aen. I, 219. Utrum de voluntaria morte agatur, ut hoc loco, an de caede ab alio effecta, ut in illis locis, perinde est. Verba *Funeris tibi causa fui* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 152. et I, 178, 437., ut sequentia *Per sidera iuro, Per superos* ibid. I, 172, 141. Cf. etiam supra III, 599. *per sidera testor, Per superos.* — 459. „*si qua fides:* si quid apud inferos aliud, quod fidem facere potest: id enim et ipsum *fides* dici solet, ut supra II, 142.“ *Heyn.* Rectius *Wagn.*: „Si quod numen est apud inferos, per quod iurari s. fides orationis confirmari possit. Cf. II, 142.;“ quare etiam suspicatur fore, qui malit repetita Particula scriptum esse *per si qua.* Idem igitur est, ac si Verg. scripsisset: per deos inferos: apte autem Aeneam et per superos et per inferos deos iurare, cum ipse adhuc in vivis versetur, Dido autem, cui persuaderi velit, apud inferos, iam Wagn. memorat. Ceterum pro *et si qua* cett. scribi etiam poterat *per*

Invitus, regina, tuo de litore cessi.
Sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
Imperiis egere suis; nec credere quivi
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum teque aspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis? extremum fato, quod te adloquor, hoc est.“
Talibus Aeneas ardentem et torva tuentem

---

si qua, et ita vere a Vergilio scriptum esse putat Peerlk. Cf. adnott. ad II, 142. — *tellure sub ima.* Sic etiam in Anth. Lat. I, 103, 1. — **460**. Cf. Catull. LXVI, 39. *Invita, o regina, tuo de vertice cessi.* Vere autem Aeneam dicere, Conington comprobat locis IV, 281. 332. 395. 448. — **462**. *senta*, quae opponuntur lēvibus, sunt aspera, salebrosa; Orci igitur *loca senta* hic et ap. Ovid. Met. IV, 436. sunt vepribus et spinis obsita. Cf. etiam Westerh. ad Ter. Eun. II, 2, 5., ubi *homo sentus, squalidus, pannis annisque obsitus* commemoratur. *Situs* autem est squalor horrorque terrae incultae, sentibus, dumis, herbis noxiis obductae (vid. ad Geo. I, 72.); deinde pro rubigine, mucore omnibusque omnino sordibus ponitur. (Cf. etiam Schmid. ad Hor. Ep. II, 2, 118.) Exprimit igitur poëta Homeri (Il. XX, 65. Od. X, 512. XXIII, 65.) *Ἀΐδεω δόμον εὐρώεντα.* Wagn. comparat Liv. XXII, 16. *stagna perhorrida situ.* — *noctemque profundam*, ut IV, 26. Conington confert Aesch. Eum. 387. *ἀνηλίῳ λάπᾳ δυσοδοπαίπαλα δερκομένοισι καὶ δυσομμάτοις ὁμῶς.* — **463**. *Imperiis egere suis.* Cf. Aen. VII, 240. ibique adnott. — *nec credere quivi.* Repetit haec verba Val. Fl. I, 84. — **464**. *Hunc*, qualem te incessisse nunc video; ideoque *hunc tantum* idem fere est, quod *talem tantumque*. Cf. supra IV, 419. et Cic. Cat. III, 9, 22. *Diis ducibus ad haec tanta iudicia perveni.* — *ferre dolorem.* Conington comparat Ecl. IV, 61. *ferre fastidia.* — **465**. „*Siste gradum* praeclare ex Odyss. XI, 560.: et omni oratione disertius mox silentium ex v. 562., quem iam Longini §. 9. iudicium nobilitavit. Ad v. 466. facile in mentem veniat Soph. Aiac. 871 sq.“ *Heyn.* — *teque - - ne*, pro *neve*, ut III, 160. Tibull. I, 6, 20. (ubi vid. Bach.) et al. — *aspectu* tertius est Casus. Vid. adnott. ad Ecl. V, 29. et Aen. III, 541. Hac voce in *amplexu* mutata verba *teque aspectu ne subtrahe nostro* redeunt infra v. 698. — **466**. *Quem fugis* Wagn. ad I, 8. (ubi vid. adnott.) interpretatur: „qui fit, ut me fugias? cur me fugis?“ recte, si summam rei spectamus. Proprie tamen sic interpretandum videtur: Quem fugis? m e enim, tui amantissimum, non est cur fugias. Nos prorsus eadem ratione: *Vor wem fliehst du?* pro *du brauchst nicht vor mir zu fliehen*, vel: *entfliehe mir nicht.* Vid. adnott. ad IV, 429. Sic etiam Ecl. II, 60. et V, 742. *Quem fugis?* et Val. Fl. III, 270. *Quos fugitis?* ubi vid. Burm. Sententiae autem sic cohaerent: Cur me fugis, qui tibi quondam tam carus fui? Quodsi tibi nunc invisus sum, maneas modo per breve tempus, nam extremum est nunc, quod te adloquor. — *extremum quod te adloquor, hoc est* pro simplici: extremum te nunc adloquor; et quidem *fato*, voluntate fati, i. e. fata mihi numquam postea hoc concedent, ut te adloquar, nam etiam post mortem in aliis, atque tu, versabor locis; Peerlk. igitur sine iusta causa coni. *Extremum, Dido, quod te adloquor*, et Gentius p. 30. *extremum, scito, quod* etc. Cf. etiam Dietsch. Th. Verg. p. 29. adn. 424. et Wagn. ad II, 690. hunc locum sic explicans: „extremam fatum mihi concessit hanc, q u a m te adloquor a d l o c u t i o n e m.“ Potest etiam conferri dictio *extrema gemere* XI, 865. Ceterum verbis *quod te adloquor, hoc est* usus est auctor Medeae in Anth. Lat. I, 178, 272. — **467** sqq. Cf. Hom. Od. XI, 563 sq. — *ardentem*, scil. ira. — „*torva tuentem, ὑπόδρα ἰδοῦντα, lenibat animum*, lenire studebat eam iratam et torvis obliquisque oculis adspicientem; iam pro *lenire eius animum* dici poterat *lenire eam animo* et (qua) *animum, κατὰ θυμόν.*“ Haec *Heyn.*, cui adsentitur Thiel.; sed

Lenibat dictis animum lacrimasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat,
Nec magis incepto voltum sermone movetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.

---

rectius Wagn. coniungit *ardentem et torva tuentem animum* tamquam Accus. Obiecti ad verbum *lenibat* pertinentem; *animum* autem pro iracundia positum censet, quae per torvum adspectum declarari soleat, ut poëta de industria haec composuerit: *torva tuens animus*, cum omni difficultate facile remota scribere liceret: *ardentem torva tuentis* - - *animum*. Et sane *animus torva tuens* non audacius est dictum, quam IX, 637. *animosque ad sidera tollunt*, vel X, 259. *animosque aptent armis*, quos locos apte confert Süpflius, eoque minus potest offendere, cum iam supra V, 751. (ubi vid. adnott.) *animos* pro ipsis hominibus usurpatum legerimus. Cf. etiam V, 292. Peerlk. tamen, coniectura huic loco medendum esse ratus, legi vult *ardenti et torva tuenti*, quod sane cuique in mentem venire poterat, si omnino mutatione opus esset. Heyn. verba *animum lacrimasque ciebat* ab alia manu ad explendum versum imperfectum adiecta censet. Ceterum de Neutro Pluralis Adiectivi adverbialiter usurpato vid. ad Ecl. III, 8. IV, 43. Geo. III, 149. et de voc. *torvus* ad Ecl. II, 62. *Torva tueri* legitur etiam Val. Fl. II, 555. (ut ap. Lucr. V, 34. *acerba tueri*). Idem est *torvis oculis spectare* ap. Ovid. Met. VI, 34. A. A. III, 453. al. De Imperfecto rem cogitatam quidem et inceptam, sed nondum perfectam, vel conatum modo rei perficiendae indicante cf. X, 801. XII, 152. 394. et praeter Viros doctos a Kritzio ad Sall. Iug. 27, 1. (ubi prorsus, ut h. l.: *atrocitatem facti leniebant*) et Obbario ad Hor. Ep. I, 7, 82. (Vol. I. p. 393.) laudatos vid. Matth. ad Cic. Mil. IV, 9. et ad eiusd. Sull. 17, 49. Rupert. ad Liv. III, 21, 3. Beneck. ad Iustin. XXXV, 1, 3. Obbar. in Seebodii *Archiv.* crit. 1826. fasc. VII. p. 140. et in Ephem. schol. Darmst. 1833. p. 1231. Sillig. in Iahnii Annall. 1819. I, 1. p. 28. alios. De forma *lenibat* vid. ad IV, 528. — *lacrimas*, non Didonis, sed suas, ideoque *ciebat* i. q. ipse fundebat. Cf. supra v. 455. et infra v. 476. A Didonis affectu, qualis in seqq. describitur, lacrimae prorsus abhorrent; idque comprobant Henry in *Tw. years* VI. p. 27. et Philol. XVII. p. 636. et Conington, qui comparat III, 344. *Talia fundebat lacrimans longosque ciebat Incassum fletus.* Si quis autem contendat, *ciebat* hic esse i. q. ciere studebat ideoque nihil impedire, quominus cum Peerlk., Ladew., Wagn. et Benoisto de Didonis lacrimis cogitemus, quaero: quid Aeneae interesse poterat, ut Dido lacrimaret? Placare eam studet, non lacrimas ei elicere. Ut hic *ciere lacrimas*, sic etiam *ciere fletus* loco modo laud., *gemitus* Geo. III, 717., *murmur* Aen. I, 110., *mugitus* XII, 104. — „In v. **469**. Eurip. Medea 27. Οὔτ' ὄμμ' ἐπαίρουσ' οὔτ' ἀπαλλάσσουσα γῆς πρόσωπον obversata Vergilii animo videbatur Valckenario ad Hippol. p. 197.“ *Heyn.* idemque censet Conington. Ceterum idem versus legitur I, 482. — **470**. Cf. simillimi loci Ovid. Met. XI, 330. *Quae pater haud aliter, quam cautes murmura ponti, Accipit;* et III, 418. *vultuque immotus eodem Haeret, ut e Pario formatum marmore signum.* — *incepto sermone.* „Plura addere parabat Aeneas; sed hoc exordio, quo se purgare volebat Aeneas, non movetur Dido, ut reliqua audiret; sic *inceptus clamor* mox v. 493.“ *Burm.* Cf. etiam IV, 277. Peerlk., temere haerens in verbis *voltum movetur* et in vultus constantia cum rupe comparata, coni. *mentem movetur.* Quod attinet ad constructionem cf. adnott. ad Ecl. I, 54. Aen. I, 320. V, 608. alibi. — **471**. *dura silex.* Cf. infra v. 602. et VIII, 233. cum iis, quae ad Ecl. I, 15. et ad Lucr. I, 572. adnotavimus. — *Marpesia cautes.* Marpessa secundum Steph. Byzant. p. 445. mons erat Pari insulae, ubi marmor illud celeberrimum inveniebatur, cuiusque alia pars vocabatur Lygdus. (Cf. Plin. XXXVI, 8, 13. Oberl. ad Vib. Sequ. p. 336. et librum meum geogr. III. p. 1028 sq.) Etiam Arnob. II. p. 76. Herald. de Marpesia rupe loquitur. — *stare* autem i. q. immobilem esse. Cf. Santen. ad Prop. IV, (V,) 11, 4. (*stant adamante viae*) et interpp ad Tib. I, 1, 64. (nec in tenero stat

Tandem corripuit sese atque inimica refugit
In nemus umbriferum, coniunx ubi pristinus illi
Respondet curis aequatque Sychaeus amorem.
Nec minus Aeneas casu concussus iniquo
Prosequitur lacrimis longe et miseratur euntem.
  Inde datum molitur iter. Iamque arva tenebant

---

tibi corde silex), imprimis Dissen., qui multos laudat etiam de similibus formulis (velut: in corde silex et scopuli insunt, cor, pectus aere, ferro obductum, e ferro saxeve conflatum est cett.) disserentes, Bach. in *Geist d. R. Eleg.* p. 43. et Orell. ad Hor. Od. I, 9, 1. (*Vides, ut alta stet nive candidum Soracte*). Cf. etiam ad Ecl. II, 26. VII, 53. Aen. II, 774. VI, 300. et alibi adnott. — 472. *corripuit sese.* Cf. XI, 462. Ter. Hec. IV, 1, 3. III, 3, 5. alios. Similiter IV, 572. *corripit e somno corpus,* Lucr. IV, 998. *corpus de terra corripere instant* etc. — 473. *nemus umbriferum* haud dubie est *myrtea silva* supra v. 443. commemorata. — *coniunx pristinus,* Sychaeus (de quo vid. ad I, 343.), eadem ratione explicandum, qua supra IV, 458. *coniunx antiquus,* i. e. aut omnino: qui quondam ei fuit coniux, aut prior maritus, ut Aeneas pro altero marito habeatur (de quo vocis usu Davis. ad Caes. B. G. IV, 14, 3. Duk. ad Liv. IV, 32, 10. Snakenb. ad Curt. VIII, 4, 2. Burm. ad h. l. et XII, 424.); quod enim alteri explicationi opponitur, Aeneam Didonis coniugem vere non fuisse, id nihil probat, cum Dido ipsa Aeneam in coniugis loco habuerit, ut ex IV, 431. apparet, quamvis ipse IV, 238. neget, se *coniugis umquam praetendisse faces.* (Ribbeck. Proleg. p. 144. priorem amplecti videtur rationem.) — 474. *illi respondet curis,* i. e. eius curis, quae verba sequentibus *aequat amorem,* i. e. illius amori suo amore respondet, accuratius explicantur. De duplici autem Dativo cf. adnott. ad V, 172. Gossr. *curis* pro Ablativo habet, hac explicatione adiecta: „satisfacit illi curis, quas de ea habet;“ sed cf. Silium VIII, 148., hunc ipsum locum exprimentem verbis *curas cupiens aequare priores,* et Stat. Theb. II, 364. *pectore fido Aequantem curas,* qui loci priorem interpretationem iuvant. — 475. *casu iniquo* Wagn. interpretatur de contemptu, quo Aeneas se affectum videt a Didone implacabiliter irascente; sed huic explicationi adversari versum 476., Süpflius et Peerlk. verissime censent. Casu igitur non suo, sed Didonis, concussus est; ex implacabili enim ira et odio Didonis coniecturam facit de ingenti dolore, quem ipse ei attulerit, et quo eam ad voluntariam mortem adduxerit, ideoque cum quadam poenitentiae affectione eam lacrimans prosequitur. (Consentiunt mecum ceteri recentiores interpretes.) Pro *percussus* autem, Cod. Rom. lectione, quam prius defenderat, nunc vero et ipse deseruit Wagn., cum Ribbeckio, Hauptio, Ladew., Coningt. et Benoisto recepi Med., Pal., Gud., Bern. II. aliorumque Codd. lectionem *concussus,* i. e. vehementer commotus, perturbatus. Cf. supra V, 700. Etiam IV, 444. Codd. quidam deterioris notae *percusso* male exhibent pro *concusso.* — 476. Pro vulgari lectione *lacrimans,* quam Wagn., Bryce et Haupt. servarunt, cum Ribbeckio, Ladew., Coningt. et Benoisto nunc recepi meliorum Codd. Pal., Rom., Gud., Bern. II. et Servii lectionem *lacrimis,* quam etiam Med. iuvare videtur a pr. m. *lacrimas,* ab altera demum *lacrimans* exhibens et sic fortasse docens, quomodo vulgaris lectio ex solo scripturae mendo orta sit, nisi malis cum Coningtone suspicari, auctorem mutatae lectionis memorem fuisse loci II, 107. *Prosequitur pavitans.* Cf. autem XII, 72. *ne me lacrimis - - Prosequere* cum VI, 898. IX, 310. XI, 107. — 477 sqq. Aeneas nunc peragrat campum priscorum heroum. — *datum iter molitur* Heynio nihil aliud videtur significare, quam viam peragit, cum poëtis *moliri* non solum de rebus magnae molis, sed etiam de quacunque re dicatur. Rectius tamen et hic *moliri* de re ardua et difficili necdum tentata intellexeris. Progreditur enim Aeneas caligine involutus per silvam magnam (v. 451.) et loca sibi prorsus incognita. *Iter moliri* dixit etiam Stat. Silv. V, 2, 61., *viam moliri* infra

Ultima, quae bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis
Parthenopaeus et Adrasti pallentis imago;
Hic multum fleti ad superos belloque caduci
Dardanidae, quos ille omnis longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque Medontaque Thersilochumque,

---

legitur X, 477., *viam* et *gressus moliri* Claud. R. Pros. I, 278. et III, 438. Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 271. et 329. — *datum*, quod Heyn. capere videtur pro: fortuito oblatum, *τυχόν*, Wagn. autem (quocum consentit Benoist) explicat per „viam patentem ac se quasi offerentem progredienti,“ possumus etiam ad fata referre: a fatis datum, concessum (cf. v. 537., ut etiam Ladew. et Henry in Philol. XVII. p. 636. explicant), aut cum Coningt. (qui comparat III, 460. *cursusque dabit venerata secundos*) ad Sibyllam, ut sit i. q. dictum, monstratum, de qua signif. egimus ad Ecl. I, 18. Peerlk. tamen, in hoc voc. haerens, coni. aut *Inde suum m. iter* (coll. verbis Graeci poëtae *αὐτὰρ ἐγὼ βασεῦμαι ἐμὰν ὁδὸν*) aut *Inde adeo m. iter* (coll. Stat. Silv. V, 2, 61. *Iamque adeo moliris iter*). — „*arva ultima*, in his locis, quae circa Plutonis regiam, Elysium et Tartarum sunt. (Cf. v. 540.)“ *Heyn*. Servius commemorat aliam distinctionem minus probabilem: *arva tenebant, Ultima quae* etc. — *secreta frequentant*. Cf. VIII, 670. *secretosque pios*. — *tenebant*. Pal. et aliquot Heinsii Codd. *tenebat*, quod defendit Markl. ad Statii l. modo l. atque etiam Ribbeck. Proleg. p. 294 fortasse melius esse censet; et sane Singularis magis convenire videtur antecedenti *molitur* et sequenti *illi* v. 479. Contra meliorum tamen Codd. auctoritatem vulgatam deserere nolui; praesertim cum supra (v. 384. 415 cett.) ubique Aeneas et Sibylla coniuncti commemorentur. Etiam Peerlk. et Gossr. Pluralem recte defendunt. — **479. 80.** Primum Aeneae occurrunt tres heroes bello contra Thebas gesto nobilitati: *Tydeus*, Oenei, Calydonis regis et Periboeae filius, Diomedis pater, de quo cf. Hom. Il. IV, 372. V, 800. Apollod. I, 8, 6. III, 6, 1. 5. Diod. IV, 38. 65. alii. — 480. *Parthenopaeus*, Arcas, ex vulgari narratione Atalantes vel ex Meleagro (Hyg. f. 70. et 99.) vel ex Milanione (Apollod. III, 6, 3.) filius (quamquam alii alios eius parentes nominant). Vid. etiam Apollod. I, 9, 13. III, 9, 1. 6, 3. Paus. II, 12, 7. III, 12. IX, 18. Eur. Suppl. 893. Hygin. f. 70. 71. 99. alios. — *Adrasti pallentis imago*. „*Pallentis*, tamquam umbrae: ideoque pro: et Adrastus. Male etiam cum hoc Adrasto confundunt interfectum illum Troianum Il. VI, 37 sqq.“ *Heyn*. *Adrasti* autem *imago* dictum ut VII, 575. (ubi vid. adnott.) *ora Galaesi* et XII, 335. *Formidinis ora*. De *Adrasto*, celeberrimo Argorum rege, Talai et Lysimachae filio et Polynicis socero, qui unus e septem heroibus Thebas aggressis incolumis evasit, cf. Hom. Il. II, 572. XXIII, 346. Pind. Ol. VI, 19. Nem. IX, 19. Pyth. VIII, 68. Apollod. I, 9, 13. III, 6. 7. Hyg. f. 69. 70. al. Ceteri enim sex duces Polynices, Tydeus, Parthenopaeus, Capaneus (vid. supra ad v. 447.), Hippomedon et Amphiaraus (vid. ad v. 446.) in hoc bello occiderunt. — **481.** *multum fleti* (*πολύκλαυστοι*) *ad superos* pro: *apud superos*, i. e. apud homines in terra viventes (*in der Oberwelt*). Cf. infra v. 568. (6... II, 91. etc.) et Silius XIII, 607. *non digna nec aequa Ad superos pass...* (Cf. etiam supra ad v. 128. adnott.) Ladew. eadem ratione ap. Cic. Phil. XIV, 12, 32. *ad inferos* legi memorat. Conington tamen negat hanc explicationem (in qua ceteri interpretes omnes mecum consentiunt) et coll. v. 591. *quis tantus plangor ad auras?* intelligit questus in terra viventium ad caelum, ad deos missos. — „*caduci* pro *πεσόντες*, nescio, an primus novaverit Vergilius; eius exemplo certe multi. — *longo ordine* pro vulgari: ingenti multitudine, ut II, 766.“ *Heyn*. Cf. etiam I, 701. et VI, 754. — **483.** *Glaucus* (Antenoris filius, quem ab Aiace Telamonio interfectum refert Dictys IV, 7.) et qui sequuntur duo Troiani ab Homero nominantur ... XVII, 216., *tres* autem *Antenoris filii*, Polybus, Agenor et Acamas Il. ...59., et *Polyphoetes* quidam, quem Verg. facit *Cereri sacrum*,

Tris Antenoridas Cererique sacrum Polyphoeten
Idaeumque etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animae dextra laevaque frequentes.
Nec vidisse semel satis est; iuvat usque morari
Et conferre gradum et veniendi discere causas.
At Danaum proceres Agamemnoniaeque phalanges
Ut videre virum fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu; pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates; pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantis.
 Atque hic Priamiden laniatum corpore toto

---

i. e. Cereris sacerdotem, inter Troianos milites memoratur Il. XIII, 791., ubi vel Πολυφήτην, vel Πολυφοίτην scribitur. Quare probare non possum, quod Ribbeck. ex uno Cod. Pal. a m. pr. recepit scripturam *Polyboten*, quamvis etiam Med., Rom., Gud., Bern. II. III. et Servii ad Aen. II, 714. Codd. quidam exhibeant *Polyboeten*, quod recepit Benoist. Omnino in scribendo hoc nomine Codd. mire fluctuant. Ceteri recentiores editores nobiscum *Polyphoeten* servarunt. Conington observat, infra XI, 768. distingui inter *Cybelae sacrum* et *sacerdotem;* ibi enim Chloreus nunc militans manet quidem Cybelae sacer, sed sacerdos esse desiit. — **485.** „*Idaeus.* Priami auriga, Il. XXIV, 325., nisi de Daretis filio accipere malis Il. V, 11. 20.“ *Heyn.* Illud propter addita verba *etiam currum* cett. probabilius. De hoc autem Priami auriga et praecone cf. etiam Il. III, 247. VII, 276. 381. et Dictys II, 27. — *etiam* pro etiamnum, adhuc; quemadmodum Geo. III, 189., ubi vid. adnott. — **486.** *Circumstant*, scil. Aenean. — Pro *frequentes* Pal. exhibet *trementes*, „haud male ut τρίζουσαι (Hom. Od. ω, 5 sqq.): cf. Aen. IV, 146. V, 555.“ adnotat *Ribbeck.* — **487.** *Nec vidisse semel* Aeneam *satis est* Manibus. — *iuvat usque morari*, semper cum eo esse cupiunt. — **488.** *conferre gradum.* Sic Plaut. Merc. V, 2, 21. *Contra pariter fer gradum et confer pedem.* — *veniendi discere causas.* Supra I, 414. legimus *veniendi poscere causas.* In utroque loco Codd. inter utrumque verbum fluctuant. — **489** sqq. Hunc locum, qui summam faciat de Aeneae virtute opinionem, ex Odyss. XI, 604. fluxisse, adnotat Heyn. Conferas autem cum eo simillimum Statii locum Theb. VIII, 1. — **490.** *per umbras* rectius cum *fulgentia,* quam cum *videre* coniunxeris. Cf. supra v. 452. — **491.** Cf. Hom. Od. XI, 605 sq., ubi Manes eadem ratione metu trepidant Hercule adveniente. — *trepidare.* Infinitivum histor. in apodosi post Verbum finitum invenimus etiam VIII, 215. X, 299. 458. Ladew. etiam confert Liv. VIII, 28, 3. *postquam aspernabantur flagitium aures, minis territare.* — **492.** *Ceu quondam* cett. Heyn. conferri iubet Iliad. VIII, 75. et XV, 320 sqq. Vid. autem supra II, 399. De Part. *ceu* in rerum similium comparatione pro *quemadmodum, ut* posita cf. Hand. Turs. II. p. 46., praeter hunc locum laudans Plin. IX, 6, 7. 37, 61. XIX, 12, 62. XXXVII, 9, 48. et Suet. Vitell. 17. Peerlk. sine ulla causa idonea verba *pars vertere terga, Ceu quondam petiere rates* a Grammatico adiecta censet, qui putaverit, *pars tollere vocem* non solum posse stare, sed requiri hic alterum *pars.* — **493.** „*vocem exiguam*, τρισμόν intellige, vid. Odyss. XXIV, 5 sqq.“ *Heyn.* Adde Iliad. XXIII, 101. et cf. Ovid. Fast. V, 458., ubi *umbra Remi visa est - - exiguo murmure verba loqui.* Ceterum recte Peerlk. observat, non intelligendam esse vocem metuentium, sed eorum, qui animos sumerent et clamorem quendam bellicum inciperent. — *inceptus clamor frustratur hiantis*, conantur clamare, sed voce destituti hiant tantum. — **494** sqq. Episodium de Deiphobo, in quo Heyn. desiderat argumenti defectum, cum nihil suavitatis habeat videre hominem mutilatis membris nec virtute aut alia re miserationem moventem, bene defendit Ruhk., Deiphobum docens post Hectorem praestantissimum fuisse Troianorum et Aeneae amicum, fatum autem ho-

Deiphobum videt et lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis

---

minis (quo optime notatur Graecorum perfidia et crudelitas) egregiam ad describendum poëtae obtulisse occasionem, qui haec Romanis suis placitura facile praevidere potuerit. Narrationem vero de Helenae perfidia Aeneae personae quam maximae convenire et poëticae expositioni aptissimam esse, Heyn. ipse perspexit. Ante oculos autem habuit poëta Hom. Od. XI, 396 sqq. Peerlk. hoc quoque episodium (v. 494—547.), in quo multa invenit vituperanda, totum censet spurium: „est enim, inquit, longius pro vero huius libri argumento, et ipsum levius: et in multis versibus tanta apparet negligentia, ut Vergilium eos conscripsisse non credam.“ Quamvis autem concedendum sit, in singulis quibusdam huius episodii versibus, ut in aliis pluribus Aeneidis locis, ultimam limam desiderari, inde tamen non sequitur, totum episodium, quod non solum omnes Codd. exhibent, sed etiam posteriorum auctoritas, qui singulos eius locos vel imitati sunt vel respexerunt (cf. adnott. ad v. 502. 511. 512. 513. 542. etc.), tuetur, Vergilio esse abiudicandum. — **494.** *Atque.* Vid. ad IV, **261.** — *laniatum* Peerlk., cum statim sequatur *lacerum*, quod non valde differat a *laniatum*, coni. *violatum*, quod satis languidum esset. Neque verum est, utramque vocem non valde differre, quod statim videbimus. — *Deiphobum* iam II, 310. commemoratum vidimus, ubi vid. adnott. „Deiphobum in Helenae thalamo a Menelao oppressum etiam vide ap. Quintum XIII, 354 sq. Adde Dictyn V. p. 116.“ *Heyn.* Vid. etiam Tryphiod. 602 sqq. Paulo aliter rem narrat Eurip. Troad. 860 sqq.; et secundum Daretem Phryg. 28. Deiphobus adeo in pugna a Palamede occisus est. — **495.** *lacerum ora* (labia, nasum, aures). Putabant enim veteres, umbras eadem specie in Orcum descendere, qua fuerint ex vita discedentes, Cf. Plat. Gorg. p. 524. C. D. Ovid. Met. XI, 655 sq. Prop. V, (IV,) 7; 7 sqq. Mitscherl. ad Hor. Od. I, 24, 15. et quos laudat Dissen. ad Tib. I, 10, 37. De constructione autem cf. adnott. ad Ecl. I, 54. Ceterum pro vulg. *vidit lacerum* Wagn., quem secuti sumus, edidit *videt et lacerum*. Praesens enim, quod praebent fragm. Vat., Pal., Rom., Gud. aliique Codd., vividiorem reddit rei inopinatae et horribilis narrationem; Copulam autem, a tribus Codd., inter quos Med. (cui Foggin. Perfectum, alii autem Praesens vindicant), exhibitam, in aliis vero spatio relicto indicatam, quam facillime absorbere potuit antecedens syllaba verbi *videt* (cf. Drakenb. ad Liv. XXXVI, 41. a Wagn. laud.), eidem viro docto flagitare videtur usus Vergilianus, in eiusmodi epexegesi, ubi genere in universum posito singulae partes accuratius indicentur, Copulam non facile omittens (vid. adnott. ad Geo. I, 498. et alibi); cui tamen causae in Philol. Suppl. I. p. 346. potius hanc rectiorem substituit: cum *laniatus* (*zerfetzt, mit klaffenden Wunden*) et *lacer* (*verstümmelt*) aperte differant neque verba *lacerum ora* etc. epexegesis modo praegressorum sint, immo poëta dicat, ad laniationem accessisse etiam lacerationem, quae sit exquisitioris crudelitatis, Copula carere orationem non posse. Quibus omnibus perpensis Wagnerum deserere nolui, quamvis ceteri recentiores editores omnes praeter Süpflium lectionem *vidit lacerum* receperint. Verba *Ora manusque ambas* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 85. — **496.** Peerlk. in hoc versu multa vituperat. „Vergilius, inquit, alio modo vocabula repetit, quam hic repetitur *ora* (ut Ecl. IX, 47. et Aen. II, 405.). *Lacer ora* recte dicitur, truncatus auribus et naso, sed quid *lacer manus?* Nihil aliud puto, nisi cui digiti sunt erepti. Sententia tamen poscit manus abscissas, truncatas, ut Serv. interpretatur ad v. 498. Ita *lacer* duplicem accipit significationem, ora laceratus, manus truncatus. Quis autem hunc ordinem probet, ut prius memorentur *ora*, tum *manus* in medio ponantur, deinde iterum ad ora veniatur? Nam in ore sunt *nares*.“ Sed quid impedit, quominus verba *lacerum manus* de solis digitis abscissis intelligamus? His enim praecisis manus non minus est deformata et inutilis, quam si tota esset amputata. (Vid. etiam ad v. 498.) Quod autem ad collocationem verborum attinet, poëta primum in universum dicit

Auribus et truncas inhonesto volnere naris.
Vix adeo adgnovit pavitantem et dira tegentem
Supplicia et notis compellat vocibus ultro:
„Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri,
Quis tam crudelis optavit sumere poenas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama suprema
Nocte tulit fessum vasta te caede Pelasgum
Procubuisse super confusae stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhoeteo litore inanem

---

ora manusque, deinde demum accuratius exponit, quae partes oris mutilatae fuerint, de manibus autem non opus erat ut plura diceret, cum hic non nisi de digitis cogitari posset. De ἀναδιπλώσει denique cf. simillimus locus X, 821. quaeque ad Ecl. VI, 20. et alibi adnotavimus. [Eiusdem generis fere omnes sunt dubitationes et reprehensiones huius loci a Peerlk. prolatae; quare plurimas earum silentio praeterire nobis liceat.] — **497.** *inhonesto*, foedo, deformante. Cf. Ter. Eun. II, 3, 65. V, 4, 16. cett. Peerlk. tamen (coll. Ovid. Fast. II, 211. *inhonestaque vulnera tergo accipiunt*) *inhonestum vulnus* non nisi sensu morali dici putat de vulnere in tergo accepto. — **498.** *Vix adeo*, *kaum noch.* Cf. Wagn. Qu. Verg. XXVI. et Hand. Turs. I. p. 146. — *vix* eum *agnovit* ob foedam debilitatem: ita mutilatus erat D., ut Aeneas eum vix agnosceret. Heyn. *vix* perperam ad tempus refert, haec adnotans: „*vix agnovit et compellat*, noto narrandi more Homerico, qui ex prisci aevi neglectu orationis ducendus est; pro: cum compellaret.“ (Cf. adnott. ad II, 692. 802. et alibi.) — *pavitantem*. *Serv.* minus recte: „Ne agnosceretur timentem;“ neque verius *Peerlk.*: „Aenea conspecto *laetari*, non *pavitare* debebat. Si timebat, ne agnosceretur, conspectum Aeneae aufugere poterat.“ Flagrabat quidem desiderio Aeneam alloquendi, sed tamen prae pudore timebat ad eum accedere tantopere deformatus. Cf. etiam II, 107. et XI, 813. — *tegentem*, studentem magis tegere, quam vere tegentem, brachiis haud dubie et manuum truncis. Cf. supra ad v. 468. adnott. — **499.** *Supplicia*, membra supplicii sumendi causa detruncata. — *notis*, quales notorum, familiarium esse solent. Cf. infra v. 689. Val. Fl. I, 257. *Et puer* (Achilles) *ad notas erectum Pelea voces Vidit* etc. Schrader. temere coni. *placidis*. — Verba *compellat vocibus ultro* repetuntur ex IV, 304. — **500.** *armipotens.* Vid. ad II, 425. — Verba *genus alto a sanguine Teucri* legimus iam IV, 230. Cf. etiam V, 45. De voc. *generis* pro uno ex posteris alicuius posito cf. adnott. ad IV, 12. Non enim adsentior Coningtoni, qui censet, *genus* pro Accus. haberi posse, ut VIII, 114. *qui genus?* et XII, 25. *nec genus indecores.* — **501.** *crudelis poenas*, ut infra v. 585. — *optavit sumere*, elegit, quas sumeret. Nam *opto* interdum i. q. placet, libet mihi, ubi optio datur inter plures res, et sic respondet Graec. προελέσθαι. Cf. Ter. Andr. IV, 5, 2. cum adnott. ad I, 425. et Drak. ad Sil. XIII, 689. Iteratur autem hic versus in Anth. Lat. I, 170, 11. — **502.** Prius hemistichion, quod repetitur in Anth. Lat. I, 172, 150., sic imitatus est Lucan. X, 1025.: *Cui tantum fata licere In generum voluere tuum*, unde apparet *de te* hic esse i. q. *in te*. Ceterum cf. etiam Silius XIV, 670. *tantumque licere Horruit.* — *suprema nocte*, scil. Troiae, fatali illa excidii nocte. Redit infra v. 513. — **503.** *Pelasgum*, Graecorum. Vid. II, 83. — **504.** *procubuisse*, haud dubie non tantum „lassatum,“ ut Donatus explicat, sed graviter vulneratum, postquam multos occiderat Graecos, quae etiam Coningtonis est sententia. — *confusae stragis*, quia Graeci cum Troianis commixti iacent; quamquam Coningtoni concedo, hanc interpretationem non omnino necessariam esse. Ceterum cf. XI, 207. *confusae caedis acervum.* — **505.** Respexit hunc locum Auson. Epitaph. 13., ubi Deiphobus: *Non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantes Et pius Aeneas et Maro composuit.* — *Rhoeteo litore.* Vid. ad III, 108. Vulgo *Rhoeteo in litore;* sed

Constitui et magna Manis ter voce vocavi.
Nomen et arma locum servant; te, amice, nequivi
Conspicere et patria decedens ponere terra."
Ad quae Priamides: „Nihil o tibi amice relictum;
Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris.
Sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae

Praepositionem omittunt fragm. Vat. et Rom. itemque a m. pr. Pal. et Gud., quare eam (a Wagn. etiamnum defensam: vid. Philol. Suppl. I. p. 346.) Iahnio et Lachmanno ad Lucr. III, 374. p. 160. suasoribus cum Hauptio, Ladew., Ribbeckio et Coningt. nunc reiecimus, quamvis praeter ceteros Codd. etiam Schol. Stat. Theb. VIII, 341. eam exhibeat. — *tumulum inanem*. Vid. ad III, 304. — **506.** *ter*. Vid. ad Ecl. VIII, 73. Respicitur extremum illud *Vale* ter repetitum. Sic etiam Hom. Od. IX, 65. *πρίν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι.* Cf. liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 176. adn. 377. et vid. supra II, 644. III, 68. V, 80. VI, 231. et infra XI, 97. — *voce vocavi*. Vid. supra ad v. 427. — **507.** „*Nomen* loco inditum et *arma* in tumulo constituta et fixa ex more (vid. supra v. 233.) *locum servant*, insigniunt, ita ut ille pro monumento tibi sit. Fuit igitur in Rhoeteo locus *Δηιφόβου σῆμα*, aut fingit poëta illud fuisse." *Heyn. Arma locum servant* paulo insolentius dictum esse concedo; non tamen erat, cur Peerlk. inepte dictum censeret, qui praeterea non debebat de ipsius Deiphobi armis in sepulcro fixis cogitare, quae sane habebant hostes, neque satis subtiliter quaerere: „Et unde Aeneas scire poterat sepulcrum Deiphobi mansisse intactum?" Poterat enim Aeneas etiam alia arma in tumulo figere, ac si Deiphobi fuissent, neque ulla erat causa dubitandi, quin titulus et arma fixa etiamnum illum locum eo consecratum insignirent. Ceterum cf. VII, 3. *honos servat sedem*. — *te*, h. e. corpus tuum, ut supra v. 362. De hiatu et correptione vid. ad Ecl. II, 53. — **508.** *ponere*, i. q. humare. *Positus* pro sepultus iam II, 644. et IV, 681. legimus, ubi vid. adnott.; quare errat *Peerlk*. haec adnotans: „*Ponere* pro *sepelire* vix ita solum dicitur. Si iungis *ponere terra*, habes solum *decedens*, quod significationem moriendi affert;" quod et ipsum non est verum. Cf. v. c. Plaut. Bacch. I, 1, 73., ubi simplex *Decedamus* legitur. Iunge igitur: *patria ponere terra*, i. e. humare in patria. *Ponere* cum simplici Ablat. legitur etiam Geo. III, 195. Aen. II, 182. VIII, 335. XI, 67. Consentiunt mecum ceteri recentiores editores praeter Gossravium, qui censet, iam collocationem verborum docere coniungenda esse *patria decedens* et *ponere terra*. — **509.** *Ad quae*. Falsae lectiones *atque hic* vel *atque haec* ortae sunt ex Med. et Pal. scriptura *At quae*. Commata, quibus vulgo Vocat. *amice* includitur, cum Wagn. sustulimus, quia Interiectio ab eo disiuncta est. — *nihil tibi relictum*, nihil a te omissum, neglectum est, quod mihi gratificari posses, ita ut alii faciendum relinqueres. Verbum substantivum, quod in antiquioribus editt. additur, nullius Cod. melioris auctoritate nititur. — **510.** *Deiphobo* cum emphasi pro *mihi*. Cf. adnott. ad I, 48., ubi praeter hunc locum addi possunt III, 380. et X, 374. — *funeris*, corporis mortui, ut supra v. 150. et infra IX, 491. et ap. Propert. I, 17, 8. *Haeccine parva meum funus arena leget?* Quia ipsum mortui corpus non invenerat Aeneas, *umbrae* tantum *funeris* commemorantur. — *umbris* autem Plurali numero, ut IV, 571. V, 81. alibi. Peerlk. etiam hoc genus dicendi Vergilio indignum censet. — **511.** Dietsch. Theol. Verg. p. 29. coll. Aldenh. p. 18., qui doceat, hic discerni fata ab Helenae scelere, cum dicatur fatale fuisse Deiphobo, ut per Helenae scelus tam misere periret, recte quaerit: „Nonne inde perspicitur, sic censuisse Vergilium: etiamsi, ut facinus aliquod fieret, fatis decretum esset, tamen eum, qui perpetraret, culpa non liberari?" *Sed*, ut saepe sit redeuntis ad superiorem orationem, sic hic esse respondentis ad ea, quae Aeneas v. 501. interrogaverit, et explicari posse per: Sed, quoniam istud quaeris, observat Wagn. Cf. etiam adnott. ad Ecl. I, 19. —

His mersere malis; illa haec monumenta reliquit.
Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti; et nimium meminisse necesse est.
Cum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama et armatum peditem gravis attulit alvo,
Illa chorum simulans euantis orgia circum
Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat

---

scelus exitiale, ut II, 31. *donum exitiale*. — *Lacaenae* nomine Helenam iam II, 601. appellatam vidimus. Sic etiam ap. Auson. in epitaphio Deiphobi ex hoc Vergilii loco adumbrato ante versus supra comm. legimus *Proditus ad poenam sceleratae fraude Lacaenae*, et *scelus exitiale Lacaenae* hinc repetitur in Anth. Lat. I, 170, 4. Conington comparat Eur. Tro. 861., ubi Helena item simpliciter ἡ Λάκαινα dicatur. Bene autem Donatus observat, cum opprobrio eam dici *Lacaenam*, „quasi omnes, quae inde oriantur, tales sint, ut decipiant maritos et fallant.“ Similiter *Ithaci* appellationem supra III, 629. usurpatam vidimus. De Helenae fatis post Troiae eversionem vid. omnino II, 567 sqq. — **512**. Verba *His mersere malis* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 404. — *mersere malis*. Vid. supra ad v. 429. — *haec monumenta*, indicia sceleris sui in corpore meo deformato et mutilato. — **513**. Cum hac narratione cf. II, 25. et 248 sqq. Wagn. conferri iubet Eurip. Hec. 898 sqq. Matth. Respexisse videtur hunc locum Seneca Agam. 748. sic scribens: *incertos geris, Deiphobe, vultus, coniugis munus novae*. — Verba *Namque - - nosti* Seneca affert Ep. 59. — *falsa gaudia*, quod re gaudebant, quae non erat, cum Graecos vere abiisse opinarentur. — **514**. *Egerĭmus*. De duplici quantitate syllabarum *rimus* et *ritis* in Coni. Perf. cf. Neue *Formenl*. II. p. 396. — *nimium meminisse necesse est*, tam alte inustus est dolor illius noctis, ut numquam eius oblivisci possimus. Verba *meminisse necesse est* repetuntur Anth. l. l. v. 359. — **515**. „*saltu venit super*, h. e. supergressus est, parte murorum deiecta, ὑπερέθορεν, ὑπερέβαινε.“ *Heyn*. Wagn. adnot. suam ad I, 680. conferri iubet. — **516**. „*gravis*, ut feta armis. Vid. supra II, 234 sqq. (Cf. adnott. ad Aen. I, 274.) In h. l. ante oculos poëtae fuit locus ex Ennio [Alex. fr. II. p. 101. Vahl.] a Macrob. VI, 2. [p. 513. Ian.] servatus: *Nam maximo saltu superavit gravidus armatis equus, Qui suo partu ardua perdat Pergama* [quem locum Wagn. coll. Delrii Synt. p. 163. et Vossii Castigg. et Nott. in Fragmm. vet. trag. p. 14. sic refingendum censet: *Nam maximo Saltu - - equus, Partu suo qui* cett., Vahlen autem, etiam *superabit* cum Vossio edens, sic: *Suo qui partu* [*prodigioso*] *perdat Pergama ardua*]. Cf. Lucretii locum ex eodem adumbratum I, 478 sq.“ *Heyn*. — Pro *alvo* Med., Rom. et Macrob. Sat. VI, 2. *alveo*, quod non displicet Iahnio ad v. 509. — **517**. *chorum simulans*, non enim vere Bacchum venerari, sed Graecis signum dare voluit Helena, quando omnibus arto somno oppressis urbem possent aggredi. Eadem ratione VII, 385 sqq. Amata *simulato numine Bacchi* adoritur nefas. — *euantis* Prisc. VI, 29. p. 690. male habet pro Genitivo; immo iunge *circumducebat Phrygias evantes orgia*, εὐαζούσας τὰ ὄργια. Wagn. conferri iubet Soph. Antig. 148 sqq. — *Evare* autem, i. e. Evoe clamare, s. Bacchanalia concelebrare, vox est rarior, quae, Participio tantum usurpata, praeter h. l. non nisi ap. Catull. LXIII, 392. Sil. I, 101. Apul. Met. VIII, 27. p. 214. Elm. et in carm. Syrinx inscr. 6. (Wernsd. Poët. L. min. II. p. 388.) inveniri videtur. In omnibus vero his locis est verbum intransitivum; hic more Graecorum cum Accus. Obiecti *orgia* constructum legitur, ut sit i. q. evando s. laeto clamore celebrare. Ceterum Ribbeck. edidit *euhantis* et de aspiratione secundae syllabae Lachmannum ad Lucr. p. 309. vult conferri. — **518**. *flammam*, facem, taedam ardentem. Cf. Val. Fl. VIII, 302. *armant picis unguine flammas*, ubi vid. Burm. *Heyn*. haec adnotat: „Flamma s. face ab Helena sublata Achivis signum datum esse, narraverant etiam alii; at h. l. quomodo fraus ea fieri potuerit, probabilitas affertur maior, institutis in publica laetitia sacris Bacchicis,

Ingentem et summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me confectum curis somnoque gravatum
Infelix habuit thalamus pressitque iacentem
Dulcis et alta quies placidaeque simillima morti.
Egregia interea coniunx arma omnia tectis
Amovet et fidum capiti subduxerat ensem;

---

thiaso bacchantium ducto. Cf. supra IV, 302 sqq. infra VII, 376. 385. 580. Etsi ad chori phantasma facile deduci potuit Euripideo loco Troad. 542 sq.“ Helena igitur sublata face, quam tenebat ut ὀργιάζουσα (cf. VII. 397., Eur. Bacch. 145. Soph. Oed. T. 313.), Graecis dat signum veniendi, quo conspecto Agamemnon contra in regia nave flammam effert, quae Sinoni daret signum aperiendi equi. (Cf. Aen. II, 256. ibique Serv.) — 519. *summa ex arce*, i. e. stans in summa arce, non: Danaos ex arce advocat. Scimus autem ex II, 245., equum in arcem fuisse tractum. — 520. Pro *Tum*, quod tuentur Med., fragm. Vat., Rom., Bern. III., alii, Ribbeck., quem nemo recentiorum editorum secutus est, ex Pal., Gud. et Bern. II a m. pr. recepit *Tunc*. — *curis* priorum dierum, quos Troiani inter sollicitudines et labores belli exegerant; quare haec verba non contradicunt versui 513. Schrader. tamen ingenii lusui indulgens coni. *confectum choreis* vel *thiasis*, coll. Stat. Silv. III, 1, 41., ubi sane eadem verba leguntur; eaque coniectura admodum placet Gossravio, a Ribbeckio vero adeo in contextum recepta est, qui parum apte confert infra v. 644. — *somno gravatum*. Sic ap. Ovid. Met. I, 224. *gravis somno* et ap. Prop. II, 29, 16. *oculi* (somno) *graves*. Ceterum cf. locus parallelus II, 265. Conington recte putat, Vergilium exprimere voluisse Homeri (Il. X, 98. Od. VI, 2.) καμάτῳ καὶ ὕπνῳ ἀρημένον, ἀδηκότα. — 521. *habuit*, ut infra v. 670. (Anchisen) *quis habet locus?* Ecl. X, 9. *aut qui vos saltus habuere?* Aen. V, 733. *non me - Tartara habent*. Cf. etiam adnott. ad Ecl. VII, 40. (Aen. III, 147. IV, 581.) — Verba *Infelix habuit thalamus* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 18. — 522. Cf. Hom. Od. XIII, 80. ὕπνος νήγρετος, ἥδιστος, θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς et Aen. IX, 445. Ceterum hunc locum pugnare cum II, 567 sq., dudum intellexerunt interpretes; neque sufficit ad poëtam defendendum, quod Heyn. et Ladew. dicunt, Helenam scelere in maritum commisso tamen conscientia culpae suae latebras quaerere potuisse; nam vere observat Wagn. Qu. Verg. XL, 2., non esse verisimile, Helenam semel a Graecis receptam rursus ab iis discessuram fuisse. Quare non est, cur Vergilio, immemori eorum, quae supra narravit, hic aliquid humani accidisse infitiemur. Peerlk., qui et illud libri II. episodium spurium habet, huius auctorem antiquiorem esse, illius autem scriptorem recentiorem antiquioris versus non vidisse putat, unde factum sit, ut multa (?) in utroque loco sibi adversentur. — 523. *Coniunx*, non Paridis, qui iam occisus erat, sed Deiphobi, cui post illius obitum nupserat. Cf. Hom. Od. IV, 276 sqq. Dictys IV, 22. Conon 34. Tzetz. ad Lycophr. 168. Quomodo hunc alterum coniugem Graecis prodiderit, narrant idem Dictys V, 12. et Quint. Smyrn. XIII, 354. — *egregia* autem eadem ironia, qua IV, 93. *egregia laus*. Verba *Egregia interea coniunx* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 85. et 178, 242. — 524. *Amovet* ex Med. aliisque bonis libris (quibuscum conspirat Val. Prob. Gramm. I. p. 88. Lindem.) cum Iahn. et Wagn. (quos etiam ceteri recentiores editores praeter Bryceum et Coningtonem sequuntur) restituimus. Vulgo *Emovet*, quod, quamvis legatur in fragm. Vat. a m. pr., Rom. et Gud., tamen pro glossemate habendum. nisi forte ortum est ex falsa Pal. a m. pr. lectione *Et movet*, quam altera manus non in *Emovet*, sed in *Amovet* mutavit. *Amovere* cum simplici Ablativo constructum legitur etiam in Plaut. Truc. I, 1, 64. — *subduxerat ensem*, iam prius, quam cetera arma amovit; ante omnia enim ensis erat removendus, qui proximus erat. Quamquam Plusquampf. etiam alia ratione potest explicari, de qua diximus ad Aen. II, 258., quare non opus est, ut verba *et fidum capiti subduxerat ensem* cum Ribbeckio parenthesin habeamus, aut amplectamur Schraderi coniecturam *Emovet: ut fidum* etc.

Intra tecta vocat Menelaum et limina pandit,
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? inrumpunt thalamo; comes additur una
Hortator scelerum Aeolides. Di, talia Grais
Instaurate, pio si poenas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Attulerint. Pelagine venis erroribus actus

Ceterum Wagn. conferri iubet Theocr. XXIV, 43. et Eur. Hec. 839. — **525.** Verba *Intra tecta vocat* iterantur in Anth. Lat. I, 170, 78. — Pro *tecta* Schrader., ne idem vocabulum statim recurreret, coniecit *septa*, parum feliciter. Peerlk. etiam in hoc loco haeret, quem censet contradicere versui 437. libri II. Deiphobum enim, Priami filium, haud dubie in regia habitasse, ad regiam autem secundum illum locum fuisse ingentem pugnam, ideoque Deiphobum in tanto tumultu tam alte dormire non potuisse. Sed si sumimus, Deiphobum statim a primis Graecis regiam satis amplam et plura aedificia complectentem per Helenae fraudem ingressis occisum et tum demum expergefactis vigilibus circa ipsius Priami sedem atrox certamen exortum esse, hunc locum cum illo apte conciliari posse apparet. — V. **526.** totus iteratur in Anth. Lat. I, 170, 97. et verba *id sperans fore munus amanti* ibid. 178, 221. — **527.** *famam exstingui.* Cf. IV, 322 sq. Quod attinet ad cogitationem Helenae adscriptam Coniugton conferri iubet Hom. Il. VI, 358. — *malorum*, sceleris sui, utpote quae a Paride se abduci passa fuerit. Etiam hic versus totus iteratur in Anth. Lat. I, 178, 454. — **528.** Menelaus eiusque comites *inrumpunt thalamo.* Hanc lectionem praebet Med. cum praestantioribus Codd., quos iure secuti sunt recentiores editores; quamquam Heyn. alteram scripturam *irr. thalamos* veram esse censet, coll. IV, 645. et XI, 879. Receptam tamen lectionem magis poëticam et tamquam difficiliorem mutationi magis obnoxiam fuisse, quisque videt. Etiam Silius *irrumpere* aliquoties cum tertio Casu construit: II, 378. (ubi vid. Drak.) IX, 365. X, 368. XII, 490. XIII, 176. — *comes additur una* cett. Cf. Ecl. VI, 20. supra v. 90. infra v. 777. VIII, 466. IX, 765. XI, 33. Stat. Theb. VIII, 184. *et miseris comes additus armis* etc. *Additur* autem est lectio fragm. Ver., Med., Gud. a m. sec. aliorumque Codd., quam cum recentioribus editoribus omnibus praeter Bryceum et Ribbeck., qui servarunt Pal., Rom., Gud. a m. pr., Bern. II. aliorumque lectionem *additus*, nunc recepimus, quia melius respondet antecedenti *irrumpunt.* Ceterum *comes additur* i. q. comitem se addit. „Suave hoc et Homericum, vel in hac ipsa re (vid. Od. VIII, 517 sq.), quod nec ab hoc facinore Ulysses abest. *Aeolides* ille, quatenus eius genus a Sisypho ductum, Aeoli f., a quo Anticlia mater ante nuptias cum Laërte factas fuerat compressa.“ *Heyn.* Cf. Soph. Ai. 190. et Phil. 417. a Coningt. laud., Hyg. f. 189. 201. et Tzetz. ad Lycophr. 344. Vides igitur, cum acerba irrisione Ulyssem hic *Aeoliden* vocari, qua et pater scelere deorumque contemptu infamis ei affingatur et mater impudicitiae coarguatur. Idem Ulyssi obiicit Aiax ap. Ovid. Met. XIII, 32. Cf. etiam Soph. Phil. 416. et Eur. Iph. Aul. 524. — **529.** *hortator scelerum* Ulysses etiam Ovidio vocatur Met. XIII, 45. huius loci memori. Cf. supra II, 164., ubi *scelerum inventor*, et ibid. v. 125., ubi *artifex sceleris* vocatur. *Hortator scelerum* hinc etiam illatus in Anth. Lat. I, 178, 448. — *Di, talia Grais* etc. Cf. similes locos I, 603. II, 536. etc. et de Part. *si* in obtestationibus usurpata adnott. ad Aen. IV, 419. Coningt. confert Soph. Phil. 315. οἷς Ὀλύμπιοι θεοὶ δοῖεν ποτ' αὐτοῖς ἀντίποιν' ἐμοῦ παθεῖν. — **530.** *instaurate*, rependite, qua significatione hoc verbum (de quo diximus ad II, 451. et VI, 63.) ἅπαξ λεγόμενον videtur. Proprie tamen sic intelligendum videtur: facite, ut haec iterum accidant, sed Graecis. — *pio s. p. ore rep.:* si poenas iustas pe-. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 178, 394. — **531** sqq. Hom. Od. XI, 155 sqq. — **532.** Verba *Pelagine venis errori*

An monitu divom? an quae te fortuna fatigat,
Ut tristis sine sole domos, loca turbida, adires?"
Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Iam medium aetherio cursu traiecerat axem;

---

actus (quae iterantur in Anth. Lat. I, 178, 259.) non aliter possunt intelligi, nisi: pelagine erroribus ductus es ad illum locum, ubi aditus patet in Orcum, et ita casu tantum ad nos devenisti, an monitu divum? Descensum autem ad inferos patere ad Oceani fines antiquissimi putabant. Cf. Hom. Od. X, 509. et XI, 13. Peerlk. tamen haec verba, quae spuria et ex VII, 199. orta suspicatur, nihil aliud significare posse censet, nisi: num tempestate de cursu deiectus et in Orcum delatus es? — **533.** „*an quae te fortuna f.* paulo durius dictum pro: *an fortuna* (sexto Casu) *venis, quae te fatigat,* h. e. casu adverso, fortuna infesta huc adductus." *Heyn.* Rectius tamen Wagn. duas interrogationes in unam conflatas esse censet: an alia te fortuna fatigat? et quae est ea? coll. Aesch. Prom. 118. *ἵκετο πόνων ἐμῶν θεωρὸς, ἢ τί δὴ θέλων,* quod sit i. q. *ἢ ἄλλο τι θέλων; τί δή;* Adversatur tamen Conington, qui coll. Ter. Adelph. III, 4, 22. *an quid est amplius?* et Plaut. Asin. III, 3, 127. *an quid est melius?* hic Pron. indefinitum agnoscit, ut in *num quae* etc. Peerlk. praefert Codd. quorundam lectionem *aut quae.* — *fatigat* i. q. vexat. Cf. v. c. Tibull. IV, 1, 182. *Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatigat.* Verba *quae te fortuna fatigat?* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 89. — **534.** *sine sole domos.* Vid. ad X, 636. Conington comparat *ἀνηλίους δόμους. ἀνηλίους μυχοὺς* ap. Eur. Alc. 852. et Herc. fur. 607. et cum seqq. verbis *ἀτερπέα χῶρον* ap. Hom. Od. XI, 94. — *loca turbida,* obscura, tenebricosa (*trübe*); quia aëre nubibus turbato oriuntur tenebrae. Cf. supra v. 296. coll. cum v. 462. Minus recte Heyn. haec ad solum Chaos referre videtur. — **535** sqq. Cf. Hom. Od. XI, 81. et 465 sqq. Magnas hic in temporibus definiendis difficultates invenit Heyn. (et post eum Peerlk.), quas iam Ruhk. tollere studuit; uterque tamen erravit in eo, quod Aeneam sacro magico instituto eadem nocte iam exeunte orcum et adiisse et rursus reliquisse statuit, ut iam ante solis ortum ad superas auras redierit. Rectius de h. l. iudicavit Vossius in Epistt. mytholl. T. II. ep. 8 sq., cui etiam Wagn. adsentitur. Is enim censet, sacrum quidem magicum pro more noctu esse institutum, Aeneam vero, cum, quae de commoratione eius apud inferos referantur, neutiquam tam brevi temporis spatio, quantum inter diluculum et ortum solis intercedat, transigi potuerint, per totum insequentem diem apud inferos commoratum esse. Ex hac igitur ratione Aeneas *primi sub limina solis et ortus* (v. 255.) in Orcum descendit, et omne antemeridianum et meridianum tempus in Orco pedetentim perlustrando iisque omnibus, quae supra narrantur, non festinanter agendis, quaerendis, cognoscendis consumit; quod etiam v. 537. verba *trahere tempus* et v. 539. *ducere horas* indicare videntur. Iam vespera adpropinquat: *Aurora* enim, quam veteres una cum Sole totum iter per caelum emetiri statuebant, ideoque Sol ipse (vid. ad V, 105.), *iam medium axem* (caelum: vid. ad Geo. II, 271. et Aen. II, 512.) *traiecerat* (non nunc demum traiicit), ergo tempus iam ad vesperam vergebat, et Sibylla propterea Aeneam instigat verbis: *Nox ruit,* i. e. ingruit (ut II, 250. VIII, 369. X, 256.), vel omnino adpropinquat; in quibus latet haec sententia: multa supersunt nobis visenda et audienda; ideoque properandum est, cum ante solis ortum in terram nobis sit redeundum. Nam etiam noctem insequentem Aeneam cum Sibylla Orco perlustrando impendisse et sub ortum demum solis in terram rediisse, cum eadem illa causa, qua Vossiana huius loci interpretatio nititur, tum ea, quae in fine huius libri narrantur, videntur flagitare. Non enim bene quadrarent verba v. 900 sqq. *Ille viam secat ad naves* cett., si Aeneas nocte terram reviseret. (Eadem est Conington is de hoc loco sententia.) Ceterum Aurorae in re ad inferos spectante mentionem non posse miram videri, adnotat Wagn., cum ea sint poëtae, non Sibyllae verba. Ceterum cf. etiam, quae Ribbeck. Proleg. p. 182. nobiscum consentiens de hoc loco contra Caecinae Albini rationem ap. Macrob. Sat.

Et fors omne datum traherent per talia tempus;
Sed comes admonuit breviterque adfata Sibylla est
„Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas:
Dextera quae Ditis magni sub moenia tendit,
Hac iter Elysium nobis; at laeva malorum
Exercet poenas et ad impia Tartara mittit."

I, 3, 11. recte disputat. — *Hac vice sermonum,* cum haec inter se colloquerentur. Vid. Ovid. Trist. IV, 4, 79. *Cum vice sermonis fratrem cognovit,* id. ex P. II, 10, 35. *Saepe brevis nobis vicibus via visa loquendi* et Val. Fl. II, 664. *Hasque inter variis nox plurima dictis Rapta vices,* et cf. Homericum ἐπέεσσιν ἀμείβεσθαι (Od. XI, 81. 465. al.). — *Aurorae* hic *quadrigae* tribuuntur, infra autem VII, 26. bigae, ut ap. Hom. Od. XXIII, 247. Cf. supra ad V, 721. adnotata. Sic ap. Tibull. (vel potius Lygdamum) III, 4, 17. etiam Nocti quadrigae assignantur. — **536.** *axem* caeli. Vid. ad Geo. II, 271. Cf. etiam similis locus Geo. IV, 426. *medium sol igneus orbem Hauserat.* — Cum v. **537**. Heyn. conferri iubet Hom. Od. XVI, 220. et XXI, 226. De Adverbio *fors* vid. ad II, 139. — *datum.* Vid. supra ad v. 477. — *traherent.* Vid. ad Aen. I, 748. et paulo post v. 539. *horas ducere.* Peerlk. hunc versum „indignum censet persona Aeneae, quem poëta faciat garrulum hominem, qui talia, digna indigna, nugans consilium patris conveniendi obliviscatur." — **538**. *comes admonuit.* Cf. supra v. 292. Nescio, cur Conington interpretetur: „*admonished him as a companion,*" ut positum sit pro: comitem admonuit. – *adfata est,* ut iam supra v. 321. et 398. — **539**. *Nox ruit.* Vide supra. — Verba *nos flendo ducimus horas* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 158. — **540**. „Inter haec ad bivium erant constituti; altera via praeter Ditis regiam ad Elysium, altera ad Tartarum ducente. [Conington conferri iubet Plat. Gorg. p. 524. A.] — *ambas* simpl. pro duas; bivium facit. [Rectius *Wagn.*: „*in ambas,* non *duas,* quia notum erat non esse plures; nam deerat tertius locus, quo tertia duceret."] Plutonis regiam intellige per *Ditis moenia.* Cf. infra v. 630 sq." *Heyn.* — Versum **540**. haud dubie respexit poëta Anth. Lat. III, 81, 53. *Hic locus est partis semper sublimis ab illo.* — **541**. Iahn. Comma vulgo post *Dextera* positum delevit, cum *Dextera quae* idem sit quod *quarum dextera;* eumque cum Wagn. secutus sum, idemque fecerunt plerique editores. Süpfl. locum sic distingui suadet: *Dextera quae* (scil. *est*), *Ditis - - tendit,* quae ratio paulo durior videtur. — *Ditis moenia.* Vid. infra v. 630 sq. — *tendit* i. q. ducit. Ceterum cf. Sedul. carm. Pasch. II, 294. *dextra bonorum Semita - - at laeva malorum Exercet poenas et ad impia Tartara mittit.* — **542**. *Elysium* pro: in Elysium. Vid. III, 507. *iter Italiam* et adnott. ad I, 2. — Voc. *nobis* (scil. Elysium adituris), quod Heyn. et Peerlk. frigidum esse censent, Iahn. cum vi quadam *malis,* qui laevam viam ingrediantur, oppositum esse docet. — „*at laeva* (via) *malorum exercet poenas,* h. e. ducit ad eum locum, in quo sunt, qui constituunt poenas; ideoque bene dicitur *et ad impia Tartara mittit.*" *Heyn.* Poëtice igitur *via* ipsa, in qua scelerati ad poenas subeundas proficiscuntur, has *poenas exercere* dicitur. Verissime autem Wagn. docet, etiam h. l., ut alios plurimos, ita esse capiendum, ut unam enuntiationem in duas per Copulam nexas distractam esse cogitemus, et hic quidem sensus sit: laeva via ad Tartarum *mittens* s. *mittendo* poenas exercet, i. e. laeva via ad Tartara mittit, ubi mali puniuntur. Similes loci sunt Ecl. VI, 20. VIII, 97. Geo. II. 55. III, 417. Aen. III, 574. V, 611. VII, 658. VIII, 618. IX, 488. X, 883. 907. al., de quibus egit Wagn. Qu. Verg. XXXIV, 3. Videmus igitur vv. *et ad imp. T. mittit,* quae Heynio adeo spuria videntur, sed a Sedulio l. l. hic lecta sunt, ad sensum esse necessaria. — *Poenas exercere* legitur etiam ap. Tac. Ann. I, 44., contra autem *poenis exerceri* infra v. 739. Similiter *iras exercere* Geo. III, 152. Ceterum etiam hic Sedul. l. l. — *ad Tartara.* Hac Praepos. Romanos fere semper uti,

Deiphobus contra: „Ne saevi, magna sacerdos;
Discedam, explebo numerum reddarque tenebris.
I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis.“
Tantum effatus et in verbo vestigia torsit.
Respicit Aeneas, subito et sub rupe sinistra

---

de descensu ad inferos sermo sit, docet Thiel., coll. Gierig. ad Ovid. Met. III, 272. Voss. ad Tibull. III, 3, 37. et Bach. ad eiusd. I, 3, 58. — *impia*, quia impii in iis versantur. Sic v. 441. *lugentes campi.* Cf. adnott. ad I, 355. — **544.** *Ne saevi* paulo fortius pro vulg. ne irascere. Cf. v. c. Ter. Andr. V, 2, 27. *ah! ne saevi tantopere.* Sic autem apud poëtas ne haud raro cum secunda Persona Imperativi coniungitur (cf. supra v. 95. XII, 564. Ecl. II, 17. Ovid. Met. III, 117. Fast. IV, 931. Plaut. Merc. III, 4, 29. etc.), neque aliter in legum formulis (cf. Cic. Legg. II, 8. 9. III, 4. etc.). — *magna sacerdos.* Epitheton ad auctoritatem Sibyllae referendum esse patet. Sic ap. Tibull. I, 6, 43. *sic magna sacerdos Est mihi divino vaticinata sono.* Peerlk. temere quaerit: „Unde Deiphobus Sibyllam noverat? Aeneas primum de ea audivit ex Heleno III, 441.“ Nam nonne satis multa confabulati erant Aeneas et Deiphobus, ut hic ex illo audire posset, qua duce in Orcum pervenerit? — **545.** „*explebo numerum* haud dubie de reditu ad umbras, a quibus [parumper] discesserat, quarumque discessu suo numerum diminuerat, est intelligendum.“ *Heyn.* Cogitare autem debemus, a Plutone avaro numerum umbrarum accurate observari, ita ut nemini eum deserere liceat, nam *constat inferno numerus tyranno* secundum Senec. Hippol. 1153. Adsentitur nobis Conington, de usu verbi *explere* conferens Sen. Herc. Oet. 949. *Vacat una Danais: has ego explebo vices* et Herc. Fur. 502. *Deest una numero Danais: explebo nefas,* qui tamen loci non prorsus eiusdem sunt generis. Etiam Ribbeck. Proleg. p. 166. recte sequitur simplicissimam huius loci explicationem. (Quae Henry in Philol. XVII. p. 636. de his verbis adnotavit, ea nunc recte retractat.) — „*reddar tenebris*: puta eos confabulando processisse via versus Elysium. Caliginosa autem haec citeriora loca esse satis vidimus.“ *Heyn.* Accuratius *Wagn.*: „Ventum erat ad bivium v. 541., ubi ob propinquitatem Elysii suo sole collustrati (v. 640 sq.) iam aliqua species diei apparebat.“ Iahn. conferri iubet Macrob. Somn. Scip. I, 13. et Ovid. Am. II, 6, 40. Peerlk. etiam hunc locum temere reprehendit. — **546.** *melioribus utere fatis,* non: quam qui in Orco sunt (ut Serv. explicat), sed: quam ego ipse usus sum, in quibus Deiphobus imprimis tristem exitum suum respicit. Cf. Aldenh. l. l. p. 21. et Dietsch. l. l. p. 29. Ceterum iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 172, 132. et verba *I decus, i, nostrum* ibid. 178, 241., ut *I decus* etiam ap. Val. Fl. I, 56. — **547.** *Tantum effatus* (est) *et* cett. Prorsus eadem ratione X, 877. *Tantum effatus et infesta subit obvius hasta.* Wagn. comparat Hom. Il. XXII, 247. *Ὣς φαμένη καὶ κερδοσύνῃ ἡγήσατ' Ἀθήνη,* unde appareat, ad *effatus* non supplendum esse Verbum auxiliare. Cf. tamen adnott. ad IX, 403. Copula *et* hic habet vim Adv. *statim,* de qua vid. adnott. ad Aen. I, 82. et V, 504. Praeterea cf. quae ad Geo. II, 80. et Aen. II, 692. adscripta sunt. — *in verbo* i. q. cum hoc verbo, i. e. dum ultima verba dicebat, ideoque continuo. Sic etiam Graeci *ἐν ἔπει* pro *σὺν ἔπει.* Cf. Hand. Turs. III. p. 284 sqq. et quae de simili usu Praep. *in* disputarunt Heusing. ad Cic. Off. I, 22, 2. Matth. ad Cic. Rosc. Am. 8, 22. Kritz. ad Sall. Cat. 2, 10. alii, praeterea autem adnott. ad X, 856. — *vestigia torsit*, alio convertit. Cf. III, 669. *ad sonitum vocis vestigia torsit.* Aliquot Codd., inter quos ipse Med. et Rom., *vestigia pressit,* i. q. substitit, Aenea ulterius pergente; quod Iahnio restituendum videtur, Gossr. recepit atque etiam Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XII. p. 633 sq. multis defendit. Sed recte Wagn. vulgarem lectionem tuetur; cum enim se discessurum significet Deiphobus v. 545., per se aptius esse *vestigia torsit*, et cum addatur *in verbo*, melius dici continuo *abiit*, quam continuo *substitit*; *vestigia pressit* autem [illegible] 197. et 331. facile repeti potuisse. Recentiores editores, ut etiam Süpfl., [illegible], omnes *torsit* retinuerunt. — **548** sq. Dum ad Elysium pergunt, a

Moenia lata videt triplici circumdata muro,
Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis,
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa ingens solidoque adamante columnae,
Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere bello
Caelicolae valeant: stat ferrea turris ad auras,

---

sinistra conspiciunt moenia, quae Tartarum cingunt, eiusque strepitum audiunt; quare Sibylla Aeneam docet, qui insint, ipsi enim adire eum non licet. „De Tartaro: qui omnino carceris faciem habet. Cura eius mandata Rhadamantho v. 566., pro carnifice est Tisiphone v. 571., pro ianitore Hydra v. 576.“ *Heyn.* Cf. loci paralleli Tib. I, 3, 67 sqq. Sil. XIII, 516 sqq. Stat. Theb. VIII, 1 sqq. Claud. in Rufin. II, 466 sqq. — *Respicit.* Wagn. ad Aen. II, 615. adnotat, hoc verbum saepe usurpari de eo, qui in aliam partem vel ad aliam rem convertat oculos, praeter hunc illumque locum comparans III, 593. et VII, 454. In uno tamen et altero horum locorum etiam prima et propria signif. potest intelligi. — Prius Comma non post *Aeneas*, sed post *subito* posui; nunc cum Peerlk., Ladew. et Haeckerm. l. l. p. 634. distinctionem mutavi, cum sane *subito* maiore emphasi cum *videt*, quam cum *respicit* coniungatur. De copula postposita vid. ad Ecl. I, 34. IV, 63. Aen. I, 35. al. — „*sub rupe*, ex Homero, ubi inter Stygem et Cocytum *Πέτρη τε ξύνεσίς τε δύω ποταμῶν ἐριδούπων*, Od. X, 515.“ *Heyn.* — *sub rupe sinistra*, i. e. sub sinistra parte rupis, ad quam viae discedunt in diversas partes. — **549**. *Moenia* non tam domum, aedificium (vid. ad II, 234.) significare videntur triplici muro septum, quam potius illud ipsum spatium non tectum, quod triplici muro circumdatum et munitum est. — *lata*, unde intelligitur sceleratorum multitudo. — „*triplicem murum* suppeditavit Hesiod. Theog. 726., sed ibi sublimior rei species.“ *Heyn.* — **550**. *Quae ambit - - Phlegethon.* Cf. v. c. Tibull. I, 3, 67. *scelerata sedes - - quam circum flumina nigra sonant.* De *Phlegethonte*, qui etiam *Pyriphlegethon* dicitur et rarius, quam cetera inferorum flumina, commemoratur, vid. Odyss. X, 513. Plat. Phaed. c. 61. Culicis v. 271. 373. alii. — *Tartareus* autem vocatur, ut supra v. 295. etiam Acheron. — *flammis torrentibus.* Conington comparat *pice torrentes ripas* IX, 105. et X, 114. — *torquetque*, pro torquens. Vid. ad Ecl. VIII, 3. Geo. III, 283. Aen. V, 611. VI, 283. et alibi. *Torquere* autem i. q. secum volvere. Cf. Geo. III, 254. Conington confert Lucr. I, 288. *volvitque sub undis grandia saxa.* — **552**. *Porta adversa*, scil. venientibus. — *columnas* Heyn. recte de postibus accipit, coll. Hom. Il. VIII, 15. *Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός*, quem poëta imitetur. — *solido adamante.* Vid. ad v. 69. De *adamante* durissimam omnino materiam significante ideoque poëtis haud raro pro ferro, aere posito cf. Mitscherl. et Orell. ad Hor. Od. I, 6, 13. et Lamb. ad eiusd. III, 24, 5.; Prop. V (IV), 11, 4. *non exorato stant adamante viae* (inferorum), id. IV, 10, (III, 11,) 9. *Colchis flagrantes adamantina sub iuga tauros Egit.* Ovid. Met. IV, 453. *Carceris* (Tartari) *ante fores clausas adamante sedebant* (Furiae), ibique Bach. Claud. Cons. Prob. et Olybr. 99. *Mavors adamante coruscat.* Ceterum de crebris huius versus elisionibus vid. adnott. ad Aen. II, 84. — **553**. *bello* cum recentissimis editoribus (etiam Wagnero in recentiss. edit.) et Haeckerm. in *Zeitschr.* etc. XII. p. 635. ex fragm. Vat., Pal., Rom. et Gud. a m. pr. pro vulgari *ferro* nunc restitui, quod statim sequente voc. *ferrea* minus placet et ex IX, 137. huc transferri potuit, quamquam non reticendum, etiam imitatorem Vergilii in Anth. Lat. Burm. I, 178, 74. scribere *non ipsi exscindere ferro Caelicolae valeant.* Si autem Ladew. censet, sic perdi gradationem (*viri - - Coelicolae, vis - - bellum*), nescio, quidni eadem gradatio etiam in verbis *vis - - ferrum* inveniri possit. (Ceterum cf. etiam Wagn. in Phil. Suppl. I. p. 385.) — **554**. *Stat* et firmitatis et altitudinis notionem in se complecti videtur, in quo mihi adsentitur Conington. — *turris*, ut in palatio Priami II, 460., ubi *stantem sub astra* i. q. hic *stat ad auras*

Tisiphoneque sedens palla succincta cruenta
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus et saeva sonare
Verbera; tum stridor ferri tractaeque catenae.
Constitit Aeneas strepitumque exterritus hausit.

---

de quibus verbis cf. adnott. ad Ecl. I, 56. Ceterum Heyn. vere adnotat, verba *in auras*, *in caelum* tam propria esse poëtico sermoni ad altitudinem exprimendam, ut plane locum non habeat illa subtilitas quaerentium, an *aura* sit in locis inferis; quamquam Serv. adnotat: „auras inferis congruas intelligamus;" Ribbeck. autem Proleg. p. 116. observut: „nescio an hyperbole usus sit poeta, ut altitudinem quasi usque ad superos extenderet." Per *turrim* autem idem Heyn. intelligit aedificium ingens, in altum eductum, et pro carcere vel ergastulo habendum, δεσμωτήριον. — **555.** De *Tisiphone* vid. ad Geo. III, 552. — *sedens - - succincta.* In duobus Participiis Copula non coniunctis nemo haerebit, cum alterum ad corporis habitum, alterum ad vestitum sit referendum. Cf. omnino adnott. ad Geo. I, 449. — *palla* eius *cruenta* ex Homero Il. XVIII, 538. petita. De *palla* vid. adnott. ad Aen. I, 648., ubi nunc addi potest liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 109. Heyn. etiam comparat Stat. Theb. I, 109 sq. Verba *palla succincta cruenta* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 301. et 322. — **556.** *Vestibulum* simpl. pro aditu. Sic Liv. XXXVI, 22, 11. *urbis*, XXV, 17, 4. *castrorum*, Cic. Legg. II, 24, 61. *sepulcri vestibulum;* id. Verr. V, 6. extr. *in conspectu Italiae vestibuloque Siciliae.* Infra v. 575. iterum commemoratur. Quid proprie sit vestibulum, docet liber meus modo comm. I, 1. p. 194. coll. cum adn. 12. p. 216. — *servat*, custodiam exercens, ut infra v. 575. Ovid. Met. X, 382. etc. Cf. adnott. ad Geo. IV, 383. et 459. Alibi omnino est i. q. locum aliquem per aliquod tempus tenere, nolle eum relinquere. Cf. supra v. 298. 402. VII, 62 etc. — *exsomnis* pro insomnis usurparunt etiam Sil. IX, 4. XVII, 109. (certe ex Heinsii coni. pro vulg. *Ex somno*) Vellei. II, 88. 127. alii. Prima signif. pro: ex somno excitatus, legitur ap. Hor. Od. III, 25, 9. — *noctes diesque.* Sic etiam supra v. 127. VIII, 94. IX, 488. (in Anth. Lat. I, 170. 30. III, 81, 31.). Saepius ex natura rei *dies noctesque.* Cf. Heind. ad Hor. Sat. I, 1, 76. et Herz. ad Caes. B. G. VI, 18. extr. Videntur autem Romani in hac dicendi formula id nomen praemittere, quod prius vel magis spectatur, quam alterum, ideoque hic, ubi de Orco sermo est, *noctem.* Cf. Ter. Andr. IV, 1, 53. Eun. V, 9, 49. Cic. Finn. I, 16, 51. Or. I, 61, 260. Ovid. Met. II, 343. IV, 260. XII, 46. cett. — **557.** *Hinc exaudiri gemitus*, ut IV, 460. *Hinc exaudiri voces.* Verba *et saeva sonare Verbera* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 341. — **558.** *stridor ferri tractaeque catenae* in unam notionem coniungenda videntur: stridor catenarum ferrearum, quae trahuntur. Ad hos Nominativos autem aut ex antecedentibus supplendum est *exaudiri*, aut, quod verius videtur, simplex Verbum substantivum, ut *stridor* (*est*) *ferri* positum sit pro: stridet ferrum. Cf. adnott. ad I, 639. Coningtoni dubium videtur, utrum *tractae catenae* Nomin. sit, an Genitiv. — **559.** Redii nunc cum Henr. (in *Tw. years* VI. p. 29. et Philol. XVII. p. 636 sq.), Ladew. et Ribbeckio ad vulg. lectionem *strepitumque exterritus hausit*, quae, a fragm. Vat. a m. sec., Pal. a m. pr., Gud., Bern. II. III. exhibita et ab Henrico in omnibus (39) Codd. ab eo collatis inventa, et difficilior et significantior est altera *strepituque ext. haesit*, quam prius cum Wagn. et ceteris recentioribus editoribus ex Cod. Med. auctoritate receperam. Si enim ex *strepitū* semel factum erat *strepitu*, facillime etiam *hausit* ex Aen. III, 597. et XI, 699. in *haesit* mutari potuit, quare in Pal. a m. pr. *strepitumque hausit*, a m. sec. *strepituque haesit*, in fragm. Vat. autem a m. pr. *strepitumque haesit*, a m. sec. *strepitumque hausit* legitur. Temere autem Hoffmann. in *Zeitschr. f. d. Oest. Gymn.* 1865. p. 508. defendit fragm. Vat. et Cod. Rom. lectionem *strepitumque exterritus haesit*, iure reprehensus a Ribbeckio Proleg. p. 283., qui vere adnotat: „Praeterea languidum *constitit* et *haesit*, quod debebat dici *haesit* et *con-*

„Quae scelerum facies? o virgo, effare; quibusve
Urguentur poenis? quis tantus clangor ad auras?“
Tum vates sic orsa loqui: „Dux inclute Teucrum,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen;

---

stitit, ut III, 597., contra quod strepitum procul exauditum territus *haurire*, h. e. arrigere aures, dicitur, pulchrum eique aptissimum est, qui statim v. 561. quaerit: *qui tantus clangor ad auris?*“ Cf. etiam quae Haeckerm. in Muetzell. *Zeitschr.* XII. p. 635. vere disputat lectionem *hausit* defendens. Quae enim Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 347. opponit, ὕστερον πρότερον esse negans: „Primum enim Aeneas cohibuit gradum, sive *constitit*, et postquam hoc fecit, aliquantisper substitit eodem loco, sive *haesit*, et additur causa, quare substiterit: strepitu exterritus; quae causa quia potissimum explicat, cur haeserit, propterea huic verbo adiuncta est, non superiori,“ ea subtilius quam verius disputata videntur. Ceterum cf. IV, 359. ibique adnott. — **560**. *Quae scelerum facies?* ut Geo. I, 506. Vid. supra ad v. 104. et cf. Val. Fl. II, 216. *Unde ego tot scelerum facies, tot fata iacentum Exsequar.* Eodem sensu infra v. 626. *scelerum formae.* — **561**. *Urguentur.* Sic Cod. Med. aliosque Codd. (ut Bern. II. III.) secuti nobiscum scribunt omnes recentiores editores praeter Bryceum, Ribbeck. et Benoistum, quorum alter adnotat, non solum Pal. et Rom., sed etiam Vel. Longum de orth. p. 2804. P., Cassiod. p. 2295. et Bedam p. 2348 sq. testari a Vergilio scriptum esse *urgentur*. Sed vide Wagn. Orth. Verg. p. 478. quique ibi laudantur. — *quis tantus clangor.* Sic nunc edidi pro vulg. *qui plangor; quis* enim tum solet adhiberi, ubi tanta est alicuius rei insolentia, ut dubitationem moveat, num quod eius nuncupandae nomen a quoquam inveniatur (cf. Iahn. p. 359. ed. II., qui etiam hic formam *quis* a se in contextum receptam malit); quod ad h. l. bene quadrat; quare dudum a memet ipso et omnibus recentioribus editoribus praeter Ribbeckium ad vulg. lectionem reversum, quam ex melioribus Codd. non nisi Rom. et a m. pr. Pal. exhibent, receptum est. (Video tamen, etiam Ribbeck. mutata sententia in Proleg. p. 283. praeferre lectionem *quis*.) (Vid. etiam Aen. II, 594. IV, 408. V, 670. VI, 866. IX, 36. X, 9. XI, 832. XII, 621. et similes locos et cf. omnino adnott. ad Ecl. I, 19.) *Clangor* autem est lectio Pal., Gud. et Servii Codd. ad v. 554., quam nunc demum cum Ribbeckio et Ladew. recepi, cum *plangor* (quod praebent Med., Rom., Bern. II. III. alii) cum verbis *quibusve urguentur poenis?* conciliari nequeat, *clangor* autem ad ferri stridorem (v. 558.) commode referri possit. Ceteri recentiores editores servant lectionem *quis plangor*. — *ad auras*, in altum, scil. surgit. Vid. supra v. 554. Peerlk. tamen, hoc verbum omitti non potuisse ratus, coni. *qui tantus plangor? Ad aures Tum vates* etc., ut vates haec submissa voce loqui dicatur, atque etiam Ribbeck. (cf. eius Proleg. p. 115.) et Ladew., servata tamen vulgari loci distinctione, receperunt unius Cod. Pal. lectionem *ad auris.* Sed in scriptura *auras*, quae est poëta dignior, cum ceteris libris melioribus etiam Serv. ad v. 554. consentit. — **562**. Cf. supra v. 125., ubi mutato verborum ordine legimus *Cum sic orsa loqui vates.* — **563**. *casto.* Vid. ad III, 409. coll. iis, quae infra ad v. 661. adnotavimus. — „*insistere* pro ingredi, et *limen* pro limini vel in limine.“ *Heyn.* Vid. ad Geo. III, 164. Ceterum non *insistere* per se spectatum esse i. q. ingredi, sed verba *insistere limen* coniuncta id significare, facile vides. *Insistere* cum Accus. constructum legitur etiam Geo. III, 164. Aen. XI, 573. et alibi. — „*sceleratum*, vid. Ovid. Met. IV, 455. et ad Tib. I, 3, 67. [ubi *scelerata sedes*]. *Sceleratum* est sceleribus [vel potius sceleratorum contactu] contaminatum, ideoque impurum, incestum; itaque pii, puri, *casti*, arceantur ab hoc loco.“ *Heyn.* Cf. supra v. 441. 543. et adnott. ad I, 355. Henry (*Two years* VI. p. 30.) limen *sceleratum* dici putat, quod Furiae in eo sedeant; Haeckerm. vero l. l. p. 636. comparans *vicum sceleratum* et *viam sceleratam* reddi vult *Verbrecher-Schwelle* vel *Schwelle des Verbrechens.* Ceterum hoc versu turpiter abutitur Auson. cent. nupt. 112. —

Sed me cum lucis Hecate praefecit Avernis,
Ipsa deum poenas docuit perque omnia duxit.
Gnosius haec Rhadamanthus habet, durissima regna,
Castigatque auditque dolos subigitque fateri,
Quae quis apud superos furto laetatus inani
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo sontis ultrix accincta flagello

---

564. *me lucis praefecit*, tamquam sacerdotem; nam sacerdotes praefici, praeesse templis sacrisque dicuntur. Totum fere hunc versum iam supra legimus v. 118. — **565.** *Ipsa*. Vid. ad III, 457. et Ecl. VIII, 96. — „*deum poenas*, quas dii nocentibus statuerunt, ut ap. Auson. in Cupid. crucif. 56. myrtus *invidiosa deum poenis*." *Heyn*. De quo usu Genitivi cf. Beier. ad Cic. Off. III, 8, 36. Matth. ad Cic. Manil. 15, 43. alii. Vid. etiam supra ad v. 446. Gentius p. 32. pro *deum* male coniecit *adeo*. — Verba *perque omnia duxit* proprie esse intelligenda, neque tantum significare: narrando omnia percensuit, docent v. 582 sqq. (Adsentitur mihi Conington.) Ceterum cf. infra v. 888. — **566.** De *Gnosio* (i. e. Cretensi: vid. ad Geo. I, 222. et Aen. V, 306.) *Rhadamantho*, Iovis et Europae filio, qui ob iustum imperium, quo plures insulas maris interni rexerat (cf. Apollod. II, 3, 11. III, 1, 2. et Diod. V, 80.), una cum Minoe fratre iudex inferorum constitutus putabatur, vid. Hom. Il. XIV, 321. Od. IV, 564. VII, 323. Plat. Gorg. p. 524. D. Axioch. p. 371. B. Ovid. Met. IX, 440. alios, et supra ad v. 432. *Heyn*. haec adnotat: „Quod Rhadamanthum in Tartaro constituit, suo iudicio facit poëta. Est autem is non tam iudex aut magistratus, qui causas capitales persequitur, ut supra Minos v. 432., sed qui, Triumvirorum capitalium more, iudicum sententias exsequitur, supplicium sumit, et de inferioris ordinis hominibus furti, grassationis, sacrilegii cett. reis ipse cognoscit." — Comma, quod cum Wagn. post *habet* posuimus, vulgo deest. *Süpflius* quidem haec adnotat: „*Dass ich Wagner's Komma nach* **habet** *getilgt habe, wird keiner weitern Rechtfertigung bedürfen;*" mihi tamen illa ratio, ex qua *durissima regna* per appositionem adiunguntur Pronomini *haec* (scil. loca), poëta dignior et Vergiliano loquendi mori (cf. III, 106. 272. XI, 252.) accommodatior videtur. Etiam Iahn. in altera edit., Peerlk. et Conington Comma adiecerunt. Gossr. et ceteri recentiores editores cum Süpflio omiserunt. Ceterum Henry l. l. et Philol. XVII. p. 637. adnotat, hic non agi de domicilio et sede Rhadamanthi, qui potius, ut Aeolus I, 56., in vicina arce sedem suam habere videatur. — **567.** In verbis *Castigatque auditque dolos* prius hysteron proteron (de quo vid. adnott. ad Geo. I, 179. Aen. II, 353. III, 602. al.) inveni, ut post me etiam Bryce, Conington et Benoist.; nunc vero propter *que* ter repetitum adsentior Wagnero et Ladewigio locum sic intelligentibus: alios dolum iam confessos castigat, alios audit confitentes, alios tormentis adhibitis cogit fateri. *Castigare* autem Henrico in Philol. l. l. hic (ut IV, 407.) non est i. q. punire, sed ante quaestionem obiurgare, acerbe increpare, cum punitio sontium infra demum v. 570. sequatur. *Doli* vero mihi aliisque sunt scelera dolo malo commissa, ut alibi *fraudes*, non latebrae et deverticula a maleficis quaesita, ut Ladewigio videtur. — *subigit fateri*, tormentis adhibitis, more triumviri capitalis quaestionem habentis. Respexit hunc locum Stat. Theb. IV, 531 sq. — **568** sq. *commissa apud superos piacula*, scelera, quibus expiandis opus est piaculo, i. e. expiationem scelerum. Sic *piacula committere* etiam ap. Liv. V, 32, 13. legitur. — „*quae quis distulit*, sc. fateri, ideoque occultavit et effecit, ne in iudicium adducerentur et punirentur, *in seram mortem*, h. e. non reus factus, neque ideo poenam eorum persolvit, dum viveret, *furto laetatus inani*, quod latere deos et impune sibi abire putabat commissa, sed temere." Haec *Heyn*., qui etiam confert Sen. Herc. fur. 729. et Stat. Theb. IV, 531. Ceterum de *furto* vid. ad Geo. IV, 346. et Aen. IV, 337. atque de collocatione verborum cf. adnott. ad Geo. IV, 25. — **570.** Ut Romae capitis

Tisiphone quatit insultans torvosque sinistra
Intentans anguis vocat agmina saeva sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacrae
Panduntur portae. Cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quae limina servet?

---

damnati ante supplicium virgis caedebantur, sic hic Tisiphone, quae carnificis personam agit, *continuo*, statim post factum iudicium, *quatit sontes flagello*, pro vulg. verberat sontes flagellum quatiens, castigat damnatos flagello (cf. v. 557. cum VII, 451.), quae tamen vox non minus ad *accincta*, quam ad *quatit* referenda videtur. Apud Stat. Theb. I, 112 sq. Tisiphonen altera manu hydram, altera titionem quatere, memorat Heyn. Cf. etiam Tib. I, 3, 69. Ovid. Met. IV, 448. et Culicis v. 216 sq. Süpflius *quatere* hic interpretatur *fortstossen, forttreiben*, coll. Ter. Eun. II, 3, 66. *homo quatietur certe cum dono foras*, atque etiam Wagn. interpretatur per *ἐλαύνει*, coll. Cic. N. D. II, 42, 109. *Arctophylax prae se quatit Arctum;* neque aliter prius Ladew., qui tamen nunc, ut Haeckerm. in *Zeitschr*. etc. XII. p. 636., mecum consentit. Cf. etiam XII, 337. *equos - - Turnus Fumantes sudore quatit* et Val. Fl. VII, 149. hunc locum sic imitatus: *Ipsum angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli*. — Pro *torvos* aliquot Pierii Codd. exhibent *tortos*, ut Pal. a m. pr. *turtos*, quacum lectione Ribbeck. conferri iubet Geo. III, 38, 106. et Aen. VII, 378. Henry *torvos* in 36, *tortos* in tribus modo Codd. invenit. Negari tamen nequit, quae hic de Tisiphone narrentur, vix conciliari posse cum v. 555 sq., ubi ea *sedens vestibulum servare noctesque diesque* dicitur; neque magis clarum est, quid hic iterum sibi velit *vestibulum* cum *custodia* eius *sedente*, quam nisi eandem Tisiphonem esse voluit poëta, necessario debebat nominare. Ultima igitur lima in hoc loco desideratur, cui fortasse poëta post quaedam additurus erat. Cf. etiam quae Ladew. in Append. p. 250 sq. hac de re disputavit. — **572.** *Intentans anguis*. Cf. VII, 346. ibique adnott. — *agmina saeva sororum*, Furiarum. Vid. supra IV, 469. Verba *vocat agmina saeva sororum* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 146. et 302. — **573**. *Tum demum*, damnatis ad Tartari portam abreptis vocatisque Furiis porta illa semper clausa aperitur. Sic Heyn. verissime. Nam hic quoque narrari, quae fieri soleant, in promptu est. Vulgo male interpretantur: Dum loquitur Sibylla, porta Tartari aperitur, mirorque etiam Ribbeckium hanc sequi rationem sane iam a Servio commemoratam et verbis *Tum demum - - portae* signa *παρενθέσεως* adpingere. — **574.** *sacrae portae*. Cf. adnott. ad III, 57. — „*Cernis*, pergit Sibylla, *custodia qualis*, quae custos [ut IX, 166.] (scil. Tisiphone, non Megaera [ut Wagn. cum Servio putat], nec Hydra) *vestibulo*, ad aditum [quod Wagnero ante portas illas situm, diversum tamen videtur a vestibulo v. 556. commemorato], *sedeat*.“ *Heyn*. Süpflius tamen (cui Gossr. adsentitur), post *Hydra* Colo distinguens, haec verba ad Hydram refert, ut v. 576. quasi respondeatur ad antecedentia verba *Cernis, custodia qualis* etc., neque Tisiphone, sed Hydra custos vestibuli sit, et duplex Hydra distinguatur, altera vestibulum custodiens, altera saevior in interiore Tartaro degens. Sed primum illa ipsa respondendi ratio languidior et poëta minus digna videtur, deinde etiam sequentia verba *Saevior intus habet sedem* nimis nude et abrupte posita. Et cur omnino duae Hydrae? Contra vulgaris ratio: *Cernis, qualis* (iam) *in vestibulo sedeat custos?* etc. *Intus* (autem) *saevior* (etiam) *Hydra habet sedem* etc., optime se habet, neque haerendum in duplici epitheto *inmanis - - saevior*, cum *inmanis* arcte cohaereat cum *L atris hiatibus*, *saevior* autem inserviat comparationi cum Tisiphone. Cf. etiam quae Henry *Tw. years* VI. p. 31. et Philol. XVII. p. 638. contra Süpflianam rationem recte disputat. Nihilominus etiam Haeckerm. l. l. docere studet, verba *Cernis, custodia qualis* etc. non ad Tisiphonem v. 555—72. iam satis descriptam pertinere, sed ad Hydram, quae hic dicatur *vestibulo sedere* et *limen servare* (cum Tisiphone v. 556. *vestibulum servet*) et demum portis apertis *intus sedens* conspiciatur. —

Quinquaginta atris inmanis hiatibus Hydra
Saevior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse
Bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras,
Quantus ad aetherium caeli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum Terrae, Titania pubes,
Fulmine deiecti fundo volvuntur in imo.
Hic et Aloidas geminos inmania vidi
Corpora, qui manibus magnum rescindere caelum

---

facies (vid. ad II, 622.) *quae limina servet?* ut supra v. 402. et II. 567. (vid. supra ad v. 556.) Idem bis dicitur ex magno terrore. Cf. omnino adnott. ad I, 547. — **576**. *atris hiatibus Hydra intus*, intra portam, *habet sedem*. „At *Hydra*, inquis, in vestibulo orci v. 287. inter cetera monstra fuit recensita. Equidem Hydram non de una illa ab Hercule domita, sed simpliciter pro serpente monstroso dictam accipio." *Heyn*. Recte. Pertinet hoc monstrum Lernaeae hydrae simile omnino ad terrores Tartari augendos. — *atris hiatibus*. Cf. Geo. I, 129. ibique adnott. Conington suspicatur, Vergilium ad hoc verbum scribendum motum esse Lucretii loco, quem hic imitatus sit (vid. infra), ubi v. 418. *caeli hiatus* commemoretur. — **577** sq. Ingressis per illas portas ipse aperitur Tartarus. *Tartarus tantum tendit sub umbras*, deorsum (ut *ad auras* v. 561. erat i. q. sursum), quantus prospectus est a terra ad caelum, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης, Iliad. VIII, 16. et Hesiod. Theog. 720 sqq. — **579**. „*caeli suspectus*, h. e. prospectus per aërem, a terra *ad Olympum*, ad caelum [vid. ad Ecl. V, 56.; inde *aetherium*: vid. VIII, 319. X, 621. XI, 867.]; nam ex Tartaro prospectus ad caelum esse nequit, cum infera loca sint sub terra, et subter iis demum Tartarus depressus iaceat. Talis enim Tartarus sub Hade ap. Hom. Il. VIII, 13 sqq," *Heyn*. Petitus in Obss. Miscell. III, 2. aliique sine causa pro *caeli* coniecerunt *terra*. Ladew. coniungit verba *caeli Olympus* putatque *caeli* adiici, ne quis de monte Olympo cogitet; sed *caeli Olympus* mihi poeta indignum videtur; immo verba *ad aetherium Olympum* ad *caeli suspectum* propterea tantum addita puto, ut oratio poetice exornetur. Henry autem locum sic capit: Quantum tendit Tartarus sub Hadem, tantus est suspectus a caelo ad Olympum supra caelum positum, quam explicationem probare studet coll. loco Aen. I, 225. ubi Olympus *vertex caeli* dicatur. Iahn. de h. l. conferri iubet Dorvill. ad Char. p. 665. ed. Lips. Voc. *suspectus* pro altitudine usurpatum redit IX, 530. Ceterum cf. locus similis Lucr. IV, 418 sq. *Despectum praebet sub terras impete tanto, A terris quantum caeli patet altus hiatus*, quem poëta videtur ante oculos habuisse, Geo. II, 291 sq. et Aen. IV, 445 sq. Peerlk., in verbis *caeli suspectus* haerens, locum corruptum censet, cui tamen nullam in promptu se habere medicinam confitetur. Gentius autem p. 34. hanc profert audacem coniecturam *ad aetherium est oculis s. O.* — Cum v. **580** sq. Heyn. comparat Hes. Theog. 129 sqq. Quod autem ad verba attinet, cf. parallelus locus infra v. 648. *Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles*, et quoad synesin generis et numeri *genus Terrae, T. pubes, - - deiecti - - volvuntur*, infra v. 660., V, 122. XI, 887 sqq. XII, 568. Ovid. Met. I, 160 sqq. *illa propago - - scires e sanguine natos*. XIII, 821 sq. *Hoc pecus - - multae* cett. Prop. IV, 12, (III, 13,) 25. *pacata iuventus - - quorum* cett. et multos similes locos ap. Rudd. II. p. 4. et 398. et Ramsh. §. 158, b. De *Titanibus*, Caeli et Terrae filiis (quare hic *genus Terrae*, γηγενεῖς: cf. etiam Geo. I, 278.), vid. Hes. Theog. l. l. et 616. Apollod. I, 1. 3. Diod. III, 57. Heyn. ad Apollod. p. 9 sqq. et Klopferi Lex. myth. II. p. 595 sq. — **581**. *fundo volvuntur in imo*, in imum Tartarum detrusi. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. III, 81, 7. et 55. Conington adnotat, exprimi τοὺς Ὑποταρταρίους Homeri Il. XIV, 279. — **582**. De *Aloidis*, Oto et Ephialte, Aloei vel potius Neptuni ex Iphimedia filiis, vid. adnott. ad Geo. I, 280. — **583**. *inmania corpora*. Eandem appo-

Adgressi superisque Iovem detrudere regnis.
Vidi et crudelis dantem Salmonea poenas.
Dum flammas Iovis et sonitus imitatur Olympi,
Quattuor hic invectus equis et lampada quassans
Per Graium populos mediaeque per Elidis urbem
Ibat ovans divomque sibi poscebat honorem,

---

sitionem vide X, 430. *imperdita corpora, Teucri,* et cf. adnott. ad I, 193. — *rescindere caelum,* ut alibi *rescindere vallum, turres* etc. Cf. Claud. Gigantom. 31. *rescindite turres sidereas.* Sil. Ital. X, 367. *neque enim sacris irrumpere muris, Poene, magis dabitur, nostrum quam scindere caelum* et imprimis adnott. ad Geo. I. 1. — **584**. Conington comparat Aesch. Prom. 357. *ὡς τὴν Διὸς τυραννίς, ἐκπέρσων βίᾳ* (Typhoeus) et quod attinet ad voc. *detrudere* infra IX, 496. *detrude caput sub Tartara.* — **585**. *Salmoneus,* Aeoli et Euaretes fil. fraterque Sisyphi, rex Elidis, qui eo usque superbiae processit, ut, cum deum se haberi vellet, Iovis tonitrua et fulmina imitari conaretur, sed ab Iove irato fulmine ictus et in Tartarum detrusus est. Cf. Hom. Od. XI, 236. Hesiodi fragm. ap. Schol. Pind. Pyth. IV, 252. (fr. 32. Göttl.). Apollod. I, 7, 2. I, 9, 7. Diod. IV, 70. Lucian. Tim. c. 2. Manil. V, 91 sqq. Hygin. fab. 60. 61. 250. alii et Heynii Exc. XII. ad h. l. — *crudelis poenas,* ut supra v. 501. — Versum **586**. Ribbeck. et cum eo Ladew. (qui in altera edit. eum inter v. 588. et 589. positum voluit, quod recte vituperat Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 347.) in recentissima edit. spurium et versus 590 sq. dittographiam esse censent; qua opinione sane omnis loci difficultas simpliciter tollitur. Omnium tamen Codd. et Prisciani p. 930. auctoritas versum tuetur, qui quomodo commode explicari possit, statim videbimus. — *Dum imitatur* Heyn. minus recte interpretatur: „cum imitatus esset;" Wagn. autem haec breviter dicta putat pro: „poenas, *quas meruit,* dum imitatur." (In min. tamen edit. mutavit sententiam suam, ut ex mutata distinctione apparet; quae autem de usu Part. *dum* adiecit, ea recte retractat in Praef. p. VIII.) Rectissime, puto, A. Iacob. in Handii Turs. II. p. 310.: „*Dum* conditionem Salmonei istamque simulationem hominis indicat, quae poenis crudelibus erat interrupta atque finita." (Adsentitur mihi Conington, dum Benoist. cum Wagn. facit.) Aliter tamen Gossr., qui putat, in eo ipso constitisse eius poenam, quod etiam in Tartaro Iovem imitari iubeatur. „Quod, inquit, quam vanum sit cum cognoverit, in aeternum tamen facere cogatur, quae potest acerbior poena excogitari? Simili modo ponitur Ixion v. 603." De coniunctione huius versus cum sequente Wagn. in min. edit. haec observat: „Nervosior hic verborum ordo, quam vulgaris ille: *Hic,* dum imitatur etc. Ovid. Met. VII, 131 sqq. *Quos ubi viderunt hastas torquere - - Demisere metu voltumque animumque Pelasgi;"* quod probans cum eo et Ladew. mutavi vulgarem loci distinctionem a ceteris recentioribus editoribus servatam. Vulgo enim post *poenas* Commate, post *Olympi* vero Puncto distinguitur. — *sonitus Olympi,* tonitru. Wagn. conferri iubet Cort. ad Lucan. V, 633. — **587**. *lampada,* faces, ut IX, 535., ap. Ter. Ad. V, 7, 9. Ovid. Her. XII, 137. Stat. Silv. I, 2, 4. et IV, 8, 59. de facibus nuptialibus. — *quassans.* Cf. IX, 521. *quassabat Etruscam Pinum et fumiferos infert Mezentius ignes.* — **588**. „*per Elidis urbem;* novam urbem a Salmoneo conditam Salmoniam, ad Alpheum in media Elide sitam, intellige. Vid. Strab. VIII. p. 856. D. Apollod. I, 9, 7. Diod. IV, 68. [Serv. et cum eo Wagn. potius de Olympia et ipsa in media Elide sita cogitant; et ille quidem addit: „Hinc est indignatio, quod in ea civitate Iovem imitabatur, in qua specialiter Iuppiter colitur."] *Pisae nemora et Elidis agros* suo more memorat imitator loci Val. Fl. I, 662 sq. — *per Hellados urbes* coni. Io. Schrader." *Heyn.* Conington *mediae per Elidis urbem* videtur „*a variety for mediam per Elidis urbem.*" Peerlk. sine iusta causa malit *mediasque per Elidis urbes.* — **589**. *Ibat ovans* legimus etiam ap. Stat. Theb. II, 621., Silium III, 409. et in Anth. Lat. I, 170, 150. —

Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit, non ille faces nec fumea taedis
Lumina, praecipitemque inmani turbine adegit.
Nec non et Tityon, Terrae omniparentis alumnum,

---

590. *Demens*, σχέτλιος, νήπιος, cum singulari vi versum exorditur. Cf. adnott. ad Geo. I, 477. et Aen. III, 635. — *nimbos* i. e. tonitrua, ut etiam ap. Liv. XXXVII, 3. (*nimbum ortum, ibi homines exanimatos*) *nimbus* significat tempestatem cum fulminibus et tonitribus coortam. Cf. etiam Geo. I, 328. — **591.** „*aere et pulsu equorum*, curru aereo, aerato, et fortasse, quod additum ab aliis [cf. Manil. V, 92.], invectum eum esse laminis aereis in solo substratis, quas equorum ungulae pulsarent.“ *Heyn.* Apud Apollod. l. l. Salm. pelles induratas et cum lebetibus ex curru suspensas per solum trahit. — *cornipedes* (κερατόποδες) absol. pro equis usurpatur a Silio VII, 684., apud quem XIII, 338. etiam Panis, ut ap. Ovid. Fast. II, 361. Fauni est epitheton. – *pulsu* ex optimis Codd. (Med., Pal., fragm. Vat. et Gud. a m. pr.) restituit Heins.; pauci alii (ut Rom., Bern. II. III. et a m. sec. Gud.) *cursu* vel *curru*, haud dubie ex interpretamento. Cf. XII, 533. et Lucan. IV, 750. *Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum Saxa quatit pulsu.* — *simularet* lectio est Med., Rom., Pal., Gud. aliorumque Codd., quam Heyn. (in min. certe edit.) et Wagn. recte receperunt, et Wakef. quoque ad Lucr. V, 744. praetulit. Vulgo *simularat*, quod Iahn. in priore edit. servavit, alteram lectionem ex II, 345. et IX, 728. factam esse suspicatus. Sed apertum est, Vergilium post v. 586. eandem rem non iterum narrare potuisse per Indicativum, sed potius hic causam adiungere voluisse, cur *dementem* se gesserit Salmoneus, utpote qui crediderit, fulmen et tonitru se simulare posse; *Demens, qui simularet* igitur i. q. adeo demens, ut simularet; quae res tam clara est, ut non videam, cur tam longam adnotationem adscripserit Wagn., qui tamen vere adnotat, Imperfectum rem saepius factam indicare. Quod intelligens etiam Iahn. in altera edit. (ut recentiores omnes, praeter Bryceum) *simularet* recepit, coll. Cic. N. D. I, 10. *deum dixit eam mentem esse, quae ex aqua cuncta fingeret.* Ceterum cf. adnott. ad Aen. II, 346. — **592.** Verba *At pater - - Contorsit* Wagn. Qu. Verg. XXXVII, 5. sic explicat: „non tulit hoc Iupiter, sed contorsit telum.“ Sed cur opus est sententia illa, quam Wagn. suppressam censet: non tulit hoc Iupiter? Nonne aptissime sibi opponuntur: Salmoneus Iovem tonantem imitari ausus est; at Iupiter vero fulmine superbiam eius castigavit? — *densa inter nubila*, nam quo densiores nubes, eo vehementiora esse solent fulmina. Eadem verba legimus Geo. I, 445. — **593.** *telum Contorsit.* Cf. II, 52. *hastam - - Contorsit.* — *non ille* (vid. ad Aen. I, 3.) *faces nec fumea taedis Lumina*, quibus demens Salmoneus fulmen imitari conatus erat; *fumea* autem *taedis lumina* Wagn. recte interpretatur per lumina fumo a taedis proficiscente involuta, i. e. lumina taedarum fumidarum s. taedas fumantes. Cf. VII, 457. (*atrum lumen*), IX, 75. (*piceum lumen*) et adnott. ad Geo. II, 309. Conington comparat Lucr. III, 304. *irai fax fumida* et Aesch. Agam. 496. — **594.** „*turbine*, pro fulmine, ut solent nimbi, turbines, procellae cum eo esse coniunctae.“ *Heyn.* Intellige vim, impetum fulminis instar turbinis ruentis, et cf. I, 45. XI, 284. Val. Fl. III, 78. 243. Lucan. III, 465. et similes locos, ubi de hastarum aliorumque telorum cum vi missorum turbine sermo est. — *adegit*, scil. in Tartari profunditatem. Cf. IV, 25. *adigat me fulmine ad umbras.* — Cum v. 595 sqq. Heyn. conferri iubet Hom. Od. XI, 575 sqq. Lucr. III, 997 sqq. et Accii Prometh. ap. Cic. Tusc. II, 10. De *Tityo*, Terrae filio, qui Latonae vim afferre voluerat, et vel Apollinis vel Dianae vel utriusque telis transfixus huius libidinis poenam dabat in Tartaro, cf. etiam Hom. Od. VII, 324. XI, 576 sqq. Pind. Pyth. IV, 160. Apollod. I, 4, 1. ibique Heyn. p. 91. Apollon. I, 761. cum Schol. Hyg. f. 55. alii, et ex poëtis Latinis Lucr.

Cernere erat, per tota novem cui iugera corpus
Porrigitur, rostroque inmanis voltur obunco
Inmortale iecur tondens fecundaque poenis
Viscera rimaturque epulis habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque?

III, 997 sqq. (s. 984 sqq. Lachm.) Hor. Od. II, 14, 8. III, 4, 77. Ovid. Met. IV, 456. Am. III, 12, 25. Tib. I, 3, 73 sqq. Sen. Agam. 15 sqq. — „*alumnum* accipiam pro filio, ut Homer. *γαίης ἐρικύδεος υἱόν*. Volunt tamen Interpp., poëtam alteram narrationem sequi, qua ex Elara susceptus, a Tellure utero fuit gestatus." *Heyn.* Potius e terra, sub qua Iupiter gravidam Elaram irae Iunonis subtrahens occuluerat, in lucem editum. Cf. praeter Apollod. et Apollon. ll. ll. Pherecyd. Fragm. p. 163 sq. ed. Sturz. — *omniparentis.* Hanc quorundam Codd. scripturam tuetur Lucretii exemplum, qui terram bis *omniparentem* dixit II, 706. et V, 260. (259.); alii Codd. (Med. a m. pr., fragm. Vat., Rom. etc.) cum Arusiano (p. 229. Lindem.) et Nonio (v. *alumnus* p. 243. Merc.) *omnipotentis*, quod legitur etiam in Anth. Lat. I, 45, 2., ubi verba *terrae omnipotentis alumnum* repetuntur; sed ex v. 592. repetitum videtur. Iahn. vero ob plurimorum Codd. consensum lectionem minus poëticam restituit, comparans *Olympum omnipotentem* X, 1. et XII, 792., cuius tamen, cum sedes sit deorum omnipotentium prorsus aliam esse, atque terrae, rationem, quae, tamquam tot monstrorum parens, rectius *omniparens*, *παμμήτειρα*, appellatur, quisque videt. Quare laudo Iahnium, qui in altera edit., mutata sententia sua, lectionem *omniparentis* cum recentioribus editt. omnibus receperit. — **596.** *Cernere erat.* Vid. ad Ecl. X, 46. et Geo. IV, 447. — *per tota novem* cett. Homer. l. l. *ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα*. Cf. Ovid. l. l. v. 457. *novemque Iugeribus distentus erat.* Tib. l. l. *Porrectus novem per iugera terrae* cett. — *voltur.* Homerus l. l. duo vultures commemorat. Uterque poëta habet sectatores suos. Cf. Broukh. ad Tibull. l. l. — **597.** *obuncus* pro aduncus legitur etiam infra XI, 755. Ovid. Met. VI, 516. ap. eund. de nuce 115. ap. Claud. B. Gild. 470. al. et hic quidem a Med. et Macrobii V, 7, 14., Charisii p. 120. Probique art. min. 510. Codd. exhibetur; *adunco* legitur in Pal., Gud., Bern. II. ap. Macrob. IV, 4, 15. et Schol. Hor. Od. III, 4, 75. Quid velint fragm. Vat., Rom., Minor., Bern. III. et Cod. Med. Macrobii V, 7, 14. *abunco* scribentes, non liquet. — V. **598** sq. exprimi Homericum *Δέρτρον ἔσω δύνοντες*, *immortale* autem *iecur* esse Promethei *ἧπαρ ἀθάνατον* ap. Hesiod. Theog. 523., Heyn. memorat. *Inmortale* dicitur, quia adesum semper renascitur. — *tondens*, depascens, devorans, ut III, 537. Geo. I, 15. Lucr. II, 659. al. et ap. Hom. Od. XI, 577. *γῦπε - - ἧπαρ ἔκειρον*; imprimis cf. Silius XIII, 839. *quae tondentur praecordia rostro alitis* et Sen. Agam. 18. *ubi tondet ales avida fecundum iecur.* Pauci quidam Codd. minus recte *tundens*. Peerlk. malit *tondet*, simulque commemorat, hunc locum exprimi ab Ambrosio in Tobia XII, 41. sic scribente: *Echidna, foecunda poenis viscera trahens.* — „*fecunda poenis viscera* [quae verba praeter Ambros. l. l. etiam auctor Medeae in Anth. Lat. I, 178, 61. repetit], iecur, quod renascitur ad novum supplicium, ut iterum erui possit." *Heyn.* Sic etiam Servius: „fecundas in poenam," ut igitur viscera largam continuandae poenae materiam praebere dicantur. Nescio tamen, an Conington, comparans *viminibus salices fecundas* Geo. II, 446., *poenis* rectius Ablativum habeat, ut significetur „*the punishment being conceived of as growing along with the materials of punishment.*" — *epulis*, ad epulas. Vid. adnott. ad Ecl. II, 30. Aen. II, 315. al. — *rimatur:* vid. ad Geo. I, 384. et Aen. XI, 748. Verbis autem *rimantur epulis* etiam Maecenas usus erat Seneca teste Epist. 114, 5. — Cum v. **600.** cf. Lucr. I, 992. *At nunc nimirum requies data principiorum Corporibus nulla est.* — **601** sqq. „Duos Homeri locos ante oculos habuit, Od. XI, 581. de Tantalo et v. 592. de Sisypho, fabulam tamen affert a vulgari ratione diversam: Ixionem et

Quos super atra silex iam iam lapsura cadentique
Inminet adsimilis; lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris epulaeque ante ora paratae

Pirithoum, ex Lapitharum genere oriundos, assidere epulis, saxo super caput minante ruinam. Ad Phlegyam Stat. Theb. I, 713., et ad Thesea Val. Fl. II, 192. 195. hoc idem supplicium transtulere. Tantali capiti imminere saxum, alii commenti erant, interque eos Pind. Ol. I, 88 sq. et Eurip. Or. 6. et 980 sq., ubi cf. Schol., iisque antiquiores Alcaeus et Alcman. Vid. Schol. ad Pind. l. l.; adde Cic. Tusc. IV, 16. et Lucr. III, 935 sqq." *Heyn.* Ex vulgari fabula (quam poëta alibi sequitur: vid. infra ad v. 616. et Geo. III, 38. IV, 484.) *Ixion*, Phlegyae illius fil. et Pirithoi ex Dia pater, qui a Iove in caelum receptus Iunonis adeo amplexus petierat, huius facinoris causa in Orco anguibus ad rotam alligatus perpetuo cum ea circumagi fingitur. Cf. Pind. Pyth. II, 39 sqq. Schol. Eur. Phoen. 1192. et adnott. ad Geo. l. l. Secundum hunc autem Vergilii locum simili ac Sisyphus et Tantalus poena affectus est, cum qua etiam Damoclis historia ap. Cic. Tusc. V, 21, 61. conferri potest. (Vide tamen infra.) De *Pirithoo*, quem eandem cum patre poenam dedisse nemo alius narrat, vid. infra ad v. 618. — Cum vv. *Quid memorem* cf. supra v. 123. infra VIII, 483. et adnott. ad II, 101. — **602**. *iam iam*. Cf. adnott. ad II, 701. — *cadentique*. Copulam multi Codd. cum Rom. omittunt; sed recte versum hypermetrum, quo bene pingitur saxum superimpendens, defendit Weichert. de vers. hyperm. I. p. 22. Peerlk. haec de solo Tantalo dici potuisse ratus, locum corruptum et sic emendandum censet: *Quid, quibus atra silex* etc., ut sententia haec sit: „Quid memorem Lapithas, Ixionem et Pirithoum? Quid illos, quibus silex imminet?" Et hanc audacem coniecturam Vir doct. adeo Macrobii auctoritate confirmare studet, quem, cum hunc locum respiciens Sat. I, 10. scripserit: *atram silicem lapsurum semper et cadenti similem illorum capitibus imminere*, haud dubie ea apud Vergilium legisse contendit, quae ipse proponat; alioquin enim scripturum fuisse: *super illorum capita imminere.* (!) Negari tamen nequit, non temere iam veteres Grammaticos in hoc loco offendisse. Et Servius quidem certe seqq. verba *lucent genialibus altis* etc. de Tantalo dicta, Pomp. vero Sabinus neque antecedentia ad Lapithas referenda, sed cum seqq. coniungenda esse putat; Donatus contra haec omnia v. 602—607. ad Ixionem et Pirithoum spectare docet. Et sane, si locus sanus est, Donato adsentiri cogimur. Verba enim *Quos super* cett., sine Copula antecedentibus adiecta, non nisi de Lapithis antea commemoratis intelligi posse, quisque videt; sequentia autem cum his tam arcte cohaerent, ut vix ab iis divelli et ad aliud Subiectum referri queant. Quod vero Vergilius diversis locis diverse narrat Ixionis fabulam (id quod mirari Schraderum ad Musaeum p. 285. et Ouwens. N. H. p. 23. 35 sq., memorat Heyn.), id sane poëtae facile condonandum. Quare Punctum vulgo post *adsimilis* positum cum Wagn. in Semicolon mutavimus, quod etiam fecerunt omnes nobis posteriores editores praeter Bryceum. Ribbeck. tamen (qui etiam vid. in Proleg. p. 62 sq.) post v. 601., quem ut a Vario et Tucca falso vel relictum vel illatum uncis inclusit, non sine veritatis specie lacunam statuit, quam Vergilius Tantalo commemorato explere voluerit, ideoque v. 602. pro *Quos super* potius cum Cod. Rom. *Quo super* scribendum esse suspicatur. — **603**. *adsimilis* etiam ap. Cic. N. D. II, 55. in Ovid. Trist. I, 5, 27. ex P. II, 2, 85. al. legitur. — „*genialibus toris*, positis ad epulas geniales [quibus diem festum agentes Genio indulgere volebant], opiparas, lautas habendas. quae ad hilaritatem invitant. Sic *genialis hiems* Geo. I, 302., ubi vid. not." *Heyn.* De lecto geniali cf. quos laudant Schmid. et Obbar. ad Hor. Ep. I, 1, 87., imprimis Paul. Diac. p. 94, 11. M. Graev. ad Cic. pr. Cluent. 5, 14. Boettiger. in: *Die Aldobrand. Hochzeit* p. 124 sq. et Wüstem. ad *Palast des Scaurus* p. 58. Ceterum cum Adi. *genialis* cum Substantivo *torus* in unam notionem coalescat, non potest offendere alterum Adiectivum sine Copula adiectum. Cf. adnott. ad V, 24. coll. iis, quae ad Geo. I, 449. et alibi docuimus, et Dissen. ad Tibull. III, 5, 22. *Altum* au-

Regifico luxu; Furiarum maxuma iuxta
Accubat et manibus prohibet contingere mensas
Exsurgitque facem attollens atque intonat ore.
Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens et fraus innexa clienti,

---

tem *torum* iam II, 2. commemoratum vidimus. — *fulcra* sunt pedes vel alia basis lecti, et *fulcra lucent toris* pro: fulcra tororum lucent, positum videtur; quamquam etiam, si toros purpureos esse cum Süpflio sumimus, fulcra toris ipsis (per toros), qui purpurae splendorem cum iis communicant, lucere possunt; quae etiam Haeckermanni est sententia in *Zeitschr.* l. l. p. 637., per *fulcra* totum lectum intelligentis, ut ap. Iuven. VI, 22. et Prop. IV, (V,) 7, 3. et comparantis VIII, 660. *virgatis lucent sagulis.* — *epulae paratae.* Cf. I, 638. *parant convivia.* — **605.** *Regifico luxu*, ut I, 637. *regali luxu.* Adiectivum autem *regificus* pro regius, magnificus praeter h. l. non videtur legi, nisi ap. Val. Fl. haec imitatum II, 652. *Stant gemmis auroque tori mensaeque paratu Regifico.* Adverbium *regifice* invenitur in loco Enniano ap. Cic. Tusc. III, 19, 44. (Androm. fr. 9. p. 104. Vahl.) et ap. Silium XI, 273. Ceterum in Adiectivis cum *faciendi* verbo compositis illud - - *ficus* interdum vim suam plane amittit. Sic ap. Cic. pro Sext. 57, 122. *ingratifici Argivi*, ap. Plaut. Mil. II, 2, 36. *falsificus animus*, ap. Catull. LXIV, 407. *iustifica mens*, ap. Silium XII, 474. *mitifica mens.* — „Assidet *Furiarum maxima* (quae etiam ap. Val. Fl. I, 817. commemoratur [cf. etiam supra III, 252.], dicta ut *maxima natarum* supra ad I, 521.; apud Eurip. Iph. T. 963. *πρέσβειρα Ἐρινύων*. Stat. Theb. VII, 477. *Eumenidum antiquissima*) seu Megaera seu Alecto (nam Famem vix bene huc advocat Servius, laudato loco III, 252.), et vetat epulis frui; hoc plus dignitatis habet, quam fuga pomorum et aquae in Tantalo. Atrocius rem extulit Aeschyl. Eumen. 264 sqq.“ *Heyn.* Cf. etiam Barth. ad Stat. l. l. et adnott. ad Aen. I, 521. Supra III, 252. Celaeno Harpyia se ipsa vocat Furiarum maximam. — **606.** *manibus* iuxta *contingere* non abundare in promptu est. Cf. II, 167. Conington comparat Hom. Il. IX, 221. *οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον.* Pro *mensas* octo Cod. *mensam*, sed Pluralem praeter optimos Codd. tuentur Schol. Hor. Od. I, 28. et Stat. Theb. I, 715. — **607.** *facem attollens.* Cf. VII, 456. — *intonat ore* legitur etiam in Culice 177. et in Anth. Lat. I, 178, 346., ut Verbo simplici *ore tonare* supra IV, 510., ap. Claud. rapt. Pros. I, 83. et in Lucil. Aetna 56. (Wernsd. P. L. min. IV, 99.) — Cum v. **608** sqq. cf. Gratii Cyneg. 451 sqq. et Aristoph. Ran. 147 sqq., cuius loci hic memorem fuisse Vergilium putat Conington. Heynius, qui etiam cf. in Exc. VIII. ad h. l., docet, Vergilium in Tartaro suo constituendo philosophorum (imprimis Platonis Phaed. p. 83.) scripta respexisse et cum Homerus Tantali quidem, Tityi et Sisyphi poenas, quas in locis inferis luant, commemoret, sed non accuratius de hac re exponat, ipsum paulo ampliorem fecisse recensum scelerum, quibus supplicia illa in Tartaro constituta sint. -- *invisi fratres.* Cogita de Atreo et Thyeste, de Eteocle et Polynice aliisque exemplis clarissimis. — Verba *dum vita manebat* redeunt infra v. 661. — **609.** *pulsatus*, i. e. mulcatus vel omnino male habitus. Cf. Sen. Contr. IX, 4. (ex leg. XII Tabb.) *qui patrem pulsaverit, manus ei praecidatur* et Stat. Silv. III, 3, 15. *si quis pulsatae conscius umquam* [Markl. *umbram*] *Matris, et inferna rigidum timet Aeacum urna.* Conington affert fragm. legis, quae dicitur, Serv. Tullii, *Si parentem puer verberit, ast olle plorassit, puer divis parentum sacer esto.* Constat autem, quanti habita sit a veteribus pietas in parentes quantumque scelus contrarium. Poëtae ante oculos fuisse Plat. de Leg. IX. p. 881. D. Steph., iam Heyn. adnotavit. Cf. etiam Paus. X, 28. et Cic. pr. Rosc. Am. 25, 70. de singulari parricidarum supplicio agens. Peerlk. Graec. *αἰκίαν* et Burm. ad Ovid. Am. I, 7, 29. conferri iubet. — *et fraus*. Pauci Codd. et Nonius v. *pulsare* p. 372, 15. praebent *aut fraus*, quod etiam Markl. ad Stat. Silv. III, 3, 15. ex coni. restitutum voluit, cu

Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, quae maxuma turba est,
Quique ob adulterium caesi quique arma secuti
Impia nec veriti dominorum fallere dextras,

Particulam *ve* excipere non possit simplex Copula; verum etiam alibi Copulam usurpari pro Particula disiunctiva, iam ad Geo. I, 442. Aen. II, 36. alibi vidimus, et in Qu. Verg. XXXVI, 12. Wagn. cum h. l. comparat simillimum infra v. 842 sqq., ubi geminatum *aut* in tertio membro sequitur simplex Copula *que*, non temere suspicatus, Vergilium, inter omnes poëtas studiosissime auribus consulentem, fortasse vitare voluisse duriorem sonum verborum *aut fraus*. — „*fraus innexa clienti*, pro vulg. illata, uti *fraude* aliquis *illaqueari* dicitur. [*Innectere* iam supra IV, 51. metaphorice usurpatum legimus.] Comparata iam ab Interpp. Lex XII Tabb. *Patronus si clienti fraudem faxit, sacer esto*, et Hor. Od. II, 28, 23 sqq.“ *Heyn.* Cf. etiam Plut. Rom. c. 12. et Dion. Hal. Ant. II, 10. Ab Urbano hic intelligi praevaricatores, qui sint patroni clientium, memorat Ribbeck. Proleg. p. 167. in adn. — V. **610**. iteratur in Anth. Lat. III, 81, 36. — *incubuere*, ut Geo. II, 507., ubi vid. adnott. et adde Quinct. Inst. X, 1. *velut clausis thesauris incubabit;* Senec. de ira I. p. 39. *Acervis auri argentique incubat;* Sulpit. Sever. Hist. I. p. 128. *auro incubant;* et Elmenh. ad Appul. Met. IV. p. 257. — *repertis*, i. e. partis, quo sensu et *reperire* et *invenire* usurpantur. Cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 1, 39. Westerh. ad eiusd. Heaut. I, 1, 60. Beier. ad Cic. Off. III, 31, 112. Orell. ad Cic. Div. I, 10. in. Goerenz. ad Cic. Finn. I, 7, 23. Kritz. ad Sall. Iug. 70, 3. et de eodem usu v. εὑρίσκειν apud Graecos Valcken. ad Herod. IX, 6. — *soli;* cum neminem divitiarum suarum participem fecerint, sed solitarii cum iis vitam egerint. Peerlk. tamen, in hoc voc. haerens, „cum nemo, ne liberalissimus quidem, nisi mente captus, alteri concedat suis divitiis incubare,“ satis audacter coni. *ori*, h. e. *auri* (auri divitiis), Gentius autem p. 35. non magis feliciter *olim*. — **611**. „*nec suis*, cognatis et affinibus, *posuere partem*, ἔθεντο, statuerunt, tribuerunt [cf. Iuven. V, 135. *Da Trebio; pone ad Trebium*, a Coningt. laud.], ut solent homines ex vita humili magnas opes consecuti erga cognatos pauperes esse duri et avari. Ad sententiam Servius laudat Hor. Serm. II, 2, 103.: adde eundem Serm. I, 1, 75 sqq. 84 sq.“ *Heyn.* Cf. praeterea similes locos Geo. II, 507. Hor. Epod. I, 33. Martial. XII, 53, 3. cett. Peerlk. praeter necessitatem coni. *promsere*. — *quae maxima turba est*, quorum magnus est numerus. Peerlk. confert Quinct. Decl. XII. p. 254. *At vero universas familias fames exstinxit, quae pars maxima est;* Senec. de brev. vitae 13. *qui in literarum inutilium studiis detinentur, quae iam apud Romanos quoque magna manus est;* Sidon. Apoll. Pan. Maior. [515.] *Coeperat ad rupis medium, quae maxima turba est, Interno squalere gelu;* et Paullin. Carm. VII. [25.] *Peccator autem, non et impius tamen. Quae magna turba est, non resurget gloriae.* — **612**. *Qui ob adulterium caesi*, qui in flagranti delicto occisi sunt; quamquam apud inferos etiam reliqui adulteri omnes puniuntur. Wagn. poëtam ad certos quosdam notosque homines, ut ad Sallustium a Milone loris caesum [cf. Varr. ap. Gell. XVII, 18. et Schol. Hor. Sat. I, 2, 42.], spectasse non temere suspicatur. — „*arma impia* [ut XII, 31.], haud dubie bellorum civilium; sed de iis accipiendum, qui patriae bellum inferunt, non qui propulsant. Itaque concidunt Servii aliorumque metus, ne in Augustum peccet poëta.“ *Heyn.* Cf. etiam adnott. ad Ecl. 1, 70. et Geo. I, 511. Rectius tamen Wagn. non de bello civili cogitandum putat, quo commemorato non fieri potuerit, quin Augustum pungeret poëta; sed haec verba cum seqq. coniuncta ad bellum servile annis 681—683. gestum refert. (Consentiunt nobiscum Ladew. et Benoist., dum Conington haec verba a sequentibus seiungit et duo genera maleficorum distingui censet, et qui in patriam, et qui in dominos peccarint, Bryce autem rem in dubio relinquit.) Quod autem attinet ad verba *arma secuti* cf. III, 54. 156. et XI, 161. — **613**. *Fallere dextras dominorum* paulo insolentius positum videtur pro

Inclusi poenam exspectant. Ne quaere doceri,
Quam poenam aut quae forma viros fortunave mersit.
Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
Districti pendent; sedet aeternumque sedebit

---

fallere fidem dominis debitam et data dextra (sua dextra cum domini dextra coniuncta) sponsam. Heyn. per *dominos* intelligit patronos, ut hic de libertorum impietate et fraude in patronos agatur, cum servorum poenas commemorari indignum esset epici carminis gravitate. Sed iure Ruhk. dubitat, num patroni libertorum *domini* appellari possint, ipse potius cum Servio de servis cogitans, quos tempore bellorum civilium saepe in dominos infidissimos fuisse ex Appiano B. C. I, 72. IV, 22. 29. 39. 51. et aliunde constet. Peerlk. (et cum eo Ladew.) v. 612. et 613., in quibus sane iam antiquiores haeserunt interpretes, spurios censet, cum adulterium veteribus non tam horribile scelus et bella civilia tangere periculosum fuerit neque Augusto gratum, verba autem *nec veriti - - dextras* iustum sensum non praebeant. Sed num avaritia maius est scelus adulterio? *impia* autem *arma* non opus esse ut de bello civili intelligantur, et ultimis verbis non tantam inesse difficultatem, modo vidimus. — **614.** *poenam exspectant*, Aeaci iudicium metuentes. Vir doctus in Miscell. Obss. IV. p. 378. et Io. Schrader., haerentes in verbo *exspectant*, cum sceleratos istos non exspectare modo, sed re vera pendere poenas ex seqq. intelligatur, coniecerunt *expendunt*, quod probat Both., addita etiam altera coniectura *exceptant*. Sed verissime docet Wagn., *exspectant* pertinere ad totum genus eorum, qui tales vel similes *sint*, quales modo dicti, sequens autem *mersit* ad eos, qui tales *fuerint* quique iam luant poenas. — **615.** *quae forma*, quae suppliciorum species; singulis enim sceleribus sua statuta sunt supplicia ex more Romano, quem poëta sequitur. Minus probabiliter *Hoegg.* de diffic. quibusd. Verg. locis p. 15.: „Verba *quae forma* non pro *quae forma poenae* accipienda esse censeo, quippe quod idem fere significaret, quod verba proxime antecedentia *quam poenam*, sed pro *forma scelerum;* et *fortunave mersit* pro *quae fortuna* (*Geschick*) *illos in perniciem ruit.*" Heyn. *mersit* minus recte explicat per excipit, manet, cum potius sit i. q. obruit. Totum autem locum sic intellige: *Ne quaere doceri, Quam poenam*, scil. exspectent, *aut* (neve quaere doceri) formam (poenae) et fortunam, *quae mersit*, de quo verbo cf. supra v. 429. et 512. De Indicativo, cuius loco Coniunctivum exspectaveris, cf. adnott. ad Geo. IV, 150. Peerlk. verba *aut quae forma v. f. mersit*, quae ipsi non satis clara et Latina videntur, spuria omnemque locum, ut infra videbimus, mira ratione turbatum censet. — **616.** „Iterum poëta ad veteres mythos redit. Non necesse est, ut solum Sisyphum [de cuius saxo vid. adnott. ad Geo. III, 39.] et Ixionem respexerit; ideoque enallage numeri, quam inferunt viri docti, carere possumus." *Heyn.* — *radiisque* omnium Codd. est lectio, quam cum Wagn. revocavimus. Heyn. ex coni. edidit *radiisve*. Sed vid. Wagn. Qu. Verg. XXXIV, 1., qui docet, Copulas interdum pro iterato Adiectivo *alius* positas inveniri, et cf. adnott. ad Ecl. I, 64. Aen. I, 701. et quae supra ad v. 609. adscripsimus. Ex recentioribus editoribus unus Bryce ad scripturam *radiisve* rediit. — „*radiis rotarum* [cf. Geo. II, 444.] *districti* [quod plurimi Codd., Med., fragm. Vat., Pal. a m. sec., Rom., Gud., alii corrumpunt in *destricti*, quamquam de membris in diversas partes compulsis sermonem esse patet] *pendent*, rotae illigatis membris distinentur, ἐπὶ τροχοῦ κατατείνονται, petitum ab equuleo, tormenti genere. - - - At Ixionis rota [de qua vid. ad Geo. IV, 484.] a poëtis ita describitur, ut ille modo exteriori orbi alligatus, modo ipsis radiis illigatus, perpetuo rotae vertice circumageretur, ita ut poena in motu numquam intermisso spectanda esset. Contra Theseus sine ullo motu sedet saxo affixus." *Heyn.* De Theseo, qui cum Pirithoo Proserpinam ex Orco rapere molitus erat (vid. supra v. 397.), in aeternum sedente apud inferos, quae fabula multis modis a veteribus tractata est, Heyn. conferri iubet Hom. Od. X, 630 sq. Pausan. X, 28, 29. Ovid. Met. VII, 433 sqq. et

Infelix Theseus, Phlegyasque miserrimus omnis
Admonet et magna testatur voce per umbras:
„Discite iustitiam moniti et non temnere divos.“
Vendidit hic auro patriam dominumque potentem

Winckelm. *Monum. ined.* n. 101., quibus adde Apollod. II, 5, 12. Schol. Apollon. I, 101. et Hellanici fragm. ed. Sturz. p. 115. Imaginem Thesei apud inferos sedentis praebet Inghirami *Gall. Om.* III. Tab. 94. Ex aliorum narratione uterque perpetuo in inferis sedebat (cf. Diod. Sic. IV, 63.), cum alii contra Theseum ab Hercule liberatum esse, Pirithoum autem a saxo avelli non potuisse narrent. (Cf. Paus. I, 17. Diod. IV, 64. Apollod. II, 5, 12. Hor. Od. IV, 7, 27. alii.) — Cum vv. *sedet aeternumque sedebit*, continuum et immutatum rei statum fortius indicantibus, cf. Hor. Od. II, 13, 20. *rapuit rapietque;* eiusd. Ep. I, 7, 21. *tulit et feret;* I, 2, 44. *labitur et labetur;* Cic. Fam. V, 17. *pendimus semperque pendemus;* Ovid. Met. VIII, 350. *colui coloque;* IX, 624. *ussit et urit,* Grat. Cyneg. 66. *flet adhuc et porro flebit* similesque locos et de Graecis imprimis Schaefer. ad Soph. Antig. 181. et Stallbaum. ad Plat. Phileb. p. 6. — 618. „*Phlegyas* de Phlegyarum gente alii acceperant, quae Minyadem Boeotiae inhabitavit et propter impietatem a deo abolita fuit. (Vid. Paus. IX, 36. et Hymn. in Apoll. 278 sq.) Verum non de Phlegyis Maro, sed de *Phlegya*, Ixionis et Coronidis, e qua Aesculapium Apollo suscepit, patre, qui Apollinis templum Delphis incendit (vid. Serv.), accipiendus est. Idem iam docuerunt Interpp. ex Statii imitatione Theb. I, 712 sqq. et Val. Fl. II, 193 sqq.“ *Heyn.* Cf. etiam Lutat. ad Stat. l. l. et Muncker. ad Hygin. f. 79., quos Burm. laudat. — 619. *magna voce* pro umbris scil., quibus tantum *τρισμός* s. exigua vox. Vid. supra v. 493. — *testatur*, scil. verum esse, quod statim sequitur, monitum; testimonio miseriae suae comprobat, deos non esse contemnendos. — 620. Hic versus celeberrimus fluxisse videtur ex loco illustri Pindari Pyth. II, 39 sqq. *Θεῶν δ' ἐφετμαῖσιν Ἰξίονά φαντι ταῦτα βροτοῖς λέγειν, ἐν πτερόεντι τροχῷ Παντᾶ κυλινδόμενον· Τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς Ἐποιχομένους τίνεσθαι.* Vergilium ante oculos habuerunt Val. Fl. V, 128. *et monitus non temnere Phinei* et Claud. B. Get. 647. *Discite vesanae Romam non temnere gentes.* Cf. etiam Valcken. ad locos quosdam N. T. p. 327. et Gesner. ad Claud. Praef. Eutrop. II, 75. a Peerlk. laudati. „*moniti*, h. e. exemplo meo, quod pro monitu est. Nec importunum et inutile hoc monitum putandum, cum in Tartaro inclusis poenitentiae locus nullus sit; poenae enim loco haberi potest haec ipsa admonitio, et vere ita exclamasse putandus est Phlegyas.“ *Heyn.* — Simplex verbum *temnere* pro contemnere legitur etiam VII, 226. ap. Val. Fl. V, 128. Hor. Sat. I, 1, 116. II, 2, 38. Ovid. A. A. III, 299. Tac. Hist. III, 47. et alibi. Recte autem Henry in *Tw. years* VI. p. 32 sq. et Philol. XVII. p. 638 sq. (comparans Aen. I, 542 sq. Apoll. Rhod. IV, 1098. Iulian. Epist. 63. ed. Spanh., Claud. IV. Cons. Hon. 98. aliosque locos) *divos* interpretatur: „*the divine commandment to be just, das göttliche Gebot, gerecht zu sein.*“ — V. 621. Sibylla post commemorata pauca suppliciorum exempla redit eo, unde v. 616. digressa erat, ad varia scelerum genera. Verba *Vendidit hic auro patriam* hinc etiam repetuntur in Anth. Lat. I, 147, 39. *Auro vendere* iam legimus I, 484. Hunc autem versum cum sequente ex L. Vario paene integros traductos esse Macrob. VI, 1, 39. testatur, qui hos servavit illius poëtae versus: *Vendidit hic Latium populis, agrosque Quiritum Eripuit, fixit leges pretio atque refixit.* Cf. Weichert. de L. Vario Comm. III. p. 22., qui putat, M. Antonium hic significari, quem poëta scelerum poenas in Orco luentem introduxerit; eamque opinionem probare studet testimoniis Lucani IV, 820 sqq. Cic. Phil. II, 20. 21. 37. III, 4. V, 4. XII, 5. Dionis Cass. XLI, 3. all. Wagn. autem (quem tamen video in edit. min. mutata sententia mecum facere), cum duo crimina ponantur, proditionis alterum, alterum calumniae iuris, haec ad duo homines referenda esse censet, quare etiam Comma,

Inposuit, fixit leges pretio atque refixit;
Hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos:
Ausi omnes inmane nefas ausoque potiti.
Non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
Ferrea vox, omnis scelerum conprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina possim."
Haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos:
„Sed iam age, carpe viam et susceptum perfice munus;

---

quod vulgo post *Inposuit* apparet, in Semicolon mutavit (quod etiam ceteri recentiores editores praeter Süpflium, Hauptium et Ribbeckium fecerunt), cui tamen rationi non favere videtur duplex *hic* v. 621. et 623. positum. De Curione haec intelligere Muenscherum Obss. in Verg. Aen. p. 19 sq., idem Wagn. memorat. Equidem hos duo versus ad Antonium spectare, qui tribunatum suum Caesari et in consulatu multa decreta falsa vendebat, cum Weicherto suspicor, neque adsentior Heynio, qui haec omnia ad certos antiquitatis homines referre velle, inanem censet operam. — *dominum potentem* (ut III, 438.) *Inposuit.* Cf. Sall. Cat. 51, 28. *Lacedaemonii devictis Atheniensibus triginta tyrannos imposuere* (ubi vid. Kritz.). Lucan. III, 393. *virum toti imponere mundo* etc. — **622**. *pretio*, corruptus. — *leges fixit atque refixit*, quia leges aereis tabulis incisae affigebantur parietibus Capitolii. Cf. lex Venuleii l. VIII. Dig. ad L. Iuliam peculatus: *qui tabulam aeream legis - - refixerit, vel quid inde immutaverit, Lege Iulia peculatus tenetur.* Cic. Phil. XIII, 3, 5. *acta Antonii rescidistis, leges refixistis,* id. ad Fam. XII, 1. *cuius aera refigere debeamus.* Tac. Hist. IV, 40. *quique aera legum, vetustate delapsa, noscerent figerentque.* Ovid. Met. I, 91. *nec verba minacia fixo Aere legebantur* cett. — V. **623**. fortasse Thyestes, Pelopis et Hippodamiae fil., Atrei frater, spectatur, qui Pelopiam, quam filiam suam esse nesciebat, stupravit et ex ea Aegisthum genuit. Cf. Paus. II, 18. Hygin. f. 88. et Serv. ad Aen. XI, 262. — *Vetitos hymenaeos* invenimus etiam in Anth. Lat. I, 170, 139. Ceterum cf. adnott. ad I, 651., ubi *inconcessos hymenaeos* legimus. — V. **624**. clausulae loco adiungi superioribus, bene intellexit Wagn., qui propterea Puncta vulgo in fine vss. 622. et 623. posita in Semicola mutavit, quam distinctionem plerique recentiores editores amplexi sunt; ego post *refixit* Semicolon, post *hymenaeos* Colon posui, quam rationem secuti sunt Süpfl. et Gossr. Unus Benoist. Punctum post *refixit* male restituit. — Verba *Ausi omnes inmane nefas* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 10. — *ausoque potiti*, quemadmodum ap. Ovid. Met. XI, 242. *auso foret ille potitus,* ubi vid. Burm. De voc. *ausum* vid. ad II, 535. Ceterum cf. adnott. ad II, 532. Conington comparat *victorem propositi* ap. Hor. Ep. I, 13, 11. — V. **625**. cum initio sequentis legimus etiam Geo. II, 43., ubi vid. adnott. et adde Ovid. Met. VIII, 532. Fast. II, 119. Pers. V, 1 sq. Val. Fl. VII, 36. (ibique Wagn.) Silium IV, 527. et Claud. in Cons. Prob. 55. — **626**. *omnis scelerum conprendere formas.* Cf. Senec. Ep. 122. *Varia sunt et innumerabiles habent facies. Comprehendi eorum genera non possunt.* Respexit hunc locum Cassiodor. Var. V, 42. p. 88. *Sed apte iungendum est, quod ait de inferis Mantuanus: Quis scelerum comprehendere formas? quis omnia poenarum percurrere nomina possit?* Ceterum cf. supra v. 560. Peerlkamp. totum, quem modo explicuimus, locum a librariis mire turbatum et ordinem versuum ab initio hunc fuisse suspicatur: 608—611. (Puncto post *turba est* posito; nam v. 612. et 613. spurios habet) 621—624. (Commate post *potiti* posito) 614. 615. (*Quam poenam.* Nam cetera huius versus non agnoscit: vid. supra.) 625—627. 616—620. 628 sqq. — **629**. *Sed iam age.* Vid. ad Aen. III, 41. Med. praebet *Et iam,* quod haud dubie ortum ex *Set iam.* Heins. male coni. *Eia age.* — *perfice munus* pro: perfice muneris (i. e. rami aurei) oblationem, ut hoc utar labentis Latinitatis vocabulo. Sic etiam infra v. 637. *munus perfectum.* Sermonem autem esse de ramo aureo Proserpinae do-

Adceleremus! ait. Cyclopum educta caminis
Moenia conspicio atque adverso fornice portas,
Haec ubi nos praecepta iubent deponere dona."
Dixerat et pariter gressi per opaca viarum
Corripiunt spatium medium foribusque propinquant.
Occupat Aeneas aditum corpusque recenti
Spargit aqua ramumque adverso in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere divae,
Devenere locos laetos et amoena virecta

---

nando, per se patet. Cf. v. 632. et 636 sq. Ceterum verba ***susceptum perfice munus*** iterantur in Anth. Lat. I, 178, 271. — **630.** Plutonis regia ferreos habet muros a Vulcano et Cyclopibus confectos. Heyn. conferri iubet Argorum moenia aerea ap. Stat. Theb. I, 630. et Mycenarum ap. Sen. Thyest. 406. cum Wassii adnot. ad Thuc. VIII, 26. et Schol. Eurip. Orest. 964. — *Adceleremus*, intransitive, ut V, 675., ubi vid. adnott. Verba *Adceleremus, ait* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 158. — „*Cyclopum educta caminis*, h. e. ferro cuso et ferruminato in Cyclopum fabricis." *Heyn*. Wagn. conferri iubet Lachmann. ad Prop. V (IV), 9, 3., qui ibi pro vulg. *invictos montes* coni. *eductos montes*, coll. praeter h. l. Aen. II, 460. XII, 674. et Lucan. II, 428. Adde Aen. II, 186. Lectionem autem *educta* praeter Med. aliosque Codd. testatur etiam Serv. et ad h. l. et ad XII, 674. Fragm. tamen Vat., Pal., Rom., Minor. atque a m. pr. Gud. et Bern. II. praebent *ducta*, ut, alio tamen sensu, *ducere muros* Aen. I, 423. legitur. Hic, ubi adduntur verba *Cyclopum caminis*, minus quadrat. Ceterum cf. similis Claudiani locus R. Pros. III, 117. *Non mihi, Cyclopum quamvis exstructa caminis, Culmina fida satis.* — **631.** „*adverso fornice portas:* porta proprie ipsis erat adversa, et ea quidem in fornicem ducta, arcuata." *Heyn*. — **632.** *haec dona*, ipsum ramum aureum Proserpinae dicandum. Cf. infra v. 636. — *praecepta* deorum et nominatim Proserpinae. Cf. v. 142 sqq. — Peerlk. hunc versum tamquam „ingratum et nullius sententiae" exsulare iubet, cum Sibylla dicere non possit, *sua ipsius* praecepta (coll. v. 136. et 236.) se aliquid facere iubere. At vero cogitandum, Sibyllam haec praecepta (v. 142 sq.) non dedisse tamquam sua, sed vatem numine divino afflatam deorum modo praecepta proferre et sequi. — **633.** *gressi*. Hoc Particip. verbi *gradior* non nisi hoc uno loco reperitur. — *per opaca viarum*. Vid. Geo. I, 393. II, 284. Aen. I, 310. 422. 725. II, 332. Sic etiam *per opaca locorum* II, 725. legimus. — **634.** *Corripiunt spatium medium*. Vid. I, 418. — **635.** „Videri potest Aeneas hoc ipso ramo aureo se adspersisse. Adumbratum haud dubie ex eo ritu, quo, qui templa intrant, se lustrant, *περιῤῥαίνονται*, quod purgationis symbolum fuisse, facile intelligitur. Adeundum autem Aeneae et nunc erat Elysium, locus si quis alius, sanctus et castus: non igitur aliena res lustratio." *Heyn*. — Verba *Occupat Aeneas aditum* iterantur ex v. 424. — **636.** *recenti Spargit aqua* etc. Sumptum hoc esse ab aqua lustrali cum ramis lustralibus in templorum aditu posita, iam Wagn. adnotat. Cf. etiam IV, 635. ibique adnott. *Recens* autem *aqua* (ut Geo. III, 301. *fluvii recentes*) i. q. II, 719. *flumen vivum* et loco modo laud. *fluvialis lympha*. — *adverso in limine*, ut supra v. 279. — **637.** *His exactis*, ut supra v. 236. *His actis*. — *perfecto munere*, ramo deae dedicato. Peerlk. sine ulla iusta causa coni. *perlato munere;* cum tamen apertum sit, haec verba respondere iis, quae supra v. 629. legimus, *susceptum perfice munus*, atque etiam Silius II, 693., hunc locum imitatus, scripserit: *Tum demum ad manes, perfecto munere, Erinnys, Iunone laudata, redit.* — **638.** „Traducta sunt ad Elysium sive sub terra, ut hic, sive in Insulis Fortunatis (ut ab Homero et Hesiodo cum Pindaro factum) collocatum omnia, quae sub mitiore caelo amoenitatem loci facere possunt, iam ab Hom. Od. IV, 563 sqq. et ab Hes. *Ἔργ.* 170

Fortunatorum nemorum sedesque beatas.
Largior hic campos aether et lumine vestit
Purpureo solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palaestris,
Contendunt ludo et fulva luctantur harena;
Pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veste sacerdos

---

sqq." Haec *Heyn.*, qui praeterea conferri iubet Pind. Ol. II, 109—194. eiusque Fragmm. a Schneidero collecta p. 21. [fr. 95. Bergk.] et fragm. Threnorum ap. Plutarch. Cons. ad Apollon. p. 120. C. et de occulte vivendo p. 1130. F. Ceterum cum h. l. cf. Elysii descriptiones ap. Tib. I, 3, 59 sqq. Val. Fl. I, 831 sqq. et Claud. de R. Pros. II, 277 sqq. — *Devenere locos laetos.* Vid. ad I, 307. Respexit hunc locum Val. Fl. I, 843. *donec silvas et amoena piorum Deveniant.* — *amoena virecta. Amoeni* vocabulum proprie de iucunditate locorum dici constat. Cf. Cort. et Kritz. ad Sall. Cat. 11, 5. Weberi *Uebungsschule* p. 75. alii. — *virecta* autem pro vulg. *vireta* cum Hauptio, Ribbeckio, Wagn. et Coningtone scripsimus omnium fere Codd. auctoritate. Vid. Wagn. Orth. Verg. p. 481. Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 391. — **640**. Cf. Hom. Od. VI, 44. et Lucr. III, 18 sqq. — „*Largior aether* (αἰθὴρ, purior aër) patentior, liberior. Hinc Silius XIII, 550. de Elysio dixit: *laxata lucida nocte Claustra nitent*, et Aristoph. Ran. 155. *Ὄψει τε φῶς κάλλιστον ὥσπερ ἐνθάδε.*" *Heyn.* — *et* (cf. adnott. II, 86.) *lumine vestit.* Sic iam Cic. in Phaenom. v. 60. *Quem* (Capricornum) *cum perpetuo vestivit lumine Titan.* Cf. etiam Lucr. II, 146. *Quam - - soleat sol ortus - - Convestire sua perfundens omnia luce.* — **641**. *purpureo*, pulchro. Vid. adnott. ad Ecl. IX, 40. Aen. I, 591. V, 79. Iahn., cum optimi libri (fragm. Vat. a m. pr., Rom. et Gud. a m. pr., non tamen Med.) praebeant *campus*, coni. *Largior hic campus* (scil. est), *aether et l. v.;* quod mihi nimis languidum videtur. Peerlk. malit: *Largior hic aether, et campos lumine vestit Purpureo.* — *solemque suum.* „In Pindari loco altero est Sol, qui, in nostro orbe occidens, ad infera loca progreditur, in altero Sol perpetuus noctu aeque ac die (fere ut ap. Val. I, 844. *ubi Sol totumque per annum durat aprica dies*). Sed poëta suavius Solem Elysio suum, praestantiorem puta nostro Sole, ut cetera assignat. - - Imitatur Claud. de R. P. II, 282 sqq." *Heyn.* Cf. adnott. ad Geo. I, 242 sq. Wakef. Comma post *suum* sustulit, ut *sua sidera* sint Nominativus, coll. Manil. II, 775.; quod nemo facile probabit. — *norunt*, nota habent, ut Geo. IV, 155. *certos novere Penates.* — **642** sqq. „Haec rursus ad Pindari ductum l. l. *καί τοι μὲν ἱππείοις γυμνασίοις, τοὶ δὲ φορμίγγεσι τέρπονται.* Expressa scilicet vita antiqua heroum Graeciae; ut una quaeque gens - - Elysii beatam sortem ad suos mores descripsit, eaque, quae beatam vitam suo sensu constituebant, eo transtulit." *Heyn.* — *gramineis palaestris.* Hic igitur palaestra prima signif. de loco usurpata; aliter Geo. II, 531. et Aen. III, 281. — **643**. *Contendunt ludo*, ut IV, 108. *contendere bello.* Cum voc. *ludus* cf. V, 593. et 674. — *fulva harena*, ut V, 374. Ceterum animadverte copiam dictionis poëticae; nam vv. 642. et 643. nihil continent, nisi simplicissimam sententiam: Pars luctando exercetur. — **644**. „*pedibus plaudunt choreas*, ut *χορεύειν χορὸν, χορείαν*, elegantius quam ducunt, sc. cum pedum plausu. Odyss. VIII, 264. *Πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν.*" *Heyn.* Conington confert *κρότον πεδῶν* ap. Eur. Heracl. 583. Tro. 746. al. et Cirin v. 179. *plauduntur pectine telae.* — *carmina dicunt*, ut Geo. I, 350. De ipsa re cf. Val. Fl. l. supra l., ubi sic pergitur: *thiasique chorique virorum carminaque.* Tib. I, 3, 59. Prop. V, (IV,) 7, 61 sqq. Verba *plaudunt choreas et carmina dicunt* cum seqq. duobus verss. repetuntur in Auson. cent. nupt. 24 sqq. — **645**. „Dandus choreis saltantium et cantantium suus *ἀοιδός*, lyricen, qui seu accineret, seu more veteris chori praeiret cantu et saltatione, ut choragus. Quis vero magis conveniens, quam Orpheus? qui de locis inferis plurima erat fabulatus, h. e. vetere philosopho-

Obloquitur numeris septem discrimina vocum
Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis,

---

rum more ac sermone poëtice exposuerat." *Heyn.* — ***longa cum veste***, palla, citharoedarum veste. Vid. supra ad v. 555. Vestem demissam ac fluentem ad dignitatem et religionum maiestatem facere, non inepte adnotavit Heyn. — *Cum veste.* Vide supra ad v. 359. — ***sacerdos*** vocatur Orpheus vates propter orgia instituta et mysteria. Horatio A. P. 391. propterea appellatur *sacer interpresque deorum*, et Aristoteli *θεόλογος*. — V. **646**. varie interpretantur. Heyn. (cui ego cum Thielio, qui conferri iubet Ochsner. ad Cic. Ecl. p. 323., et Iahnio nunc adsentior) ***obloqui*** transitive positum accipit pro: sonare facere, *φθέγγεσθαι*, et *numeris* sextum Casum habet, ut sensus sit: Orpheus ad illa carmina fides numerose, *εὐρύθμως*, loqui, sonare facit. Gossravio *obloqui* est i. q. *accinere* (*accompagniren*) coll. Ovid. ex P. III, 1, 17. *non avis obloquitur*, et Wagn. (qui in maiore edit. assensus erat Muenschero Obss. in Verg. Aen. p. 21. locum sic explicanti; „per verba numerosa obloquitur chordis, h. e. ore canit ad septem chordarum sonos") in min. edit. vocem sic explicat: „Ad numeros modosque saltantium illorum et canentium accommodat (*ἀντιφωνεῖ*) cantum lyrae *ἑπταχόρδου*," ut ***numeris*** sit Dativus, eandemque explicationem repetunt Ladew., Conington et Benoist. Peerlk. autem „Orpheus, inquit, discrimina septem vocum obloquitur numeris eorum, qui carmina dicunt. Sonos septem citharae accommodat ad sonos canentium, ita ut diversum semper sonum, modo altum, modo gravem, ex cithara eliciat." Qui cur discrimen faciant inter canentes alios et Orpheum citharizantem, non video; cum haud dubie etiam Orpheus ipse ad citharam canat. Süpfl. etiam hunc locum silentio praeterit et Bryce rem in dubio relinquit. Henry autem in Philol. XVII. p. 639. *obloqui* explicat per *loqui ob* (*vor*) audientes, coram audientibus, coll. Plin. XXXVI, 16, [25.] de echo: *dederat vocem saxis, respondentem homini, immo vero et obloquentem*, Ovid. ex P. III, 1, 21. *Non avis obloquitur* et Ambrosii locis statim laudandis; quod si voluisset poeta, haud dubie Dativum Obiecti addidisset, imprimis cum *numeris* (quod Henry reddit per *in Rhythmen*) et pro Dativo et pro Ablativo haberi possit. De voc. *numeri* vid. adnott. ad Ecl. IX, 45. — ***septem discrimina vocum*** igitur sunt septem diversi soni, quos edit lyra septem chordis instructa (de qua cf. liber meus *Hellas u. Rom.* I, 1. p. 298.). Ceterum Peerlk. commemorat, Ambrosium hunc locum bis imitatum esse, Hexaem. V, 14. *Quaedam aves ex institutione diversarum vocum obloquuntur discrimina*, et de Iacobo II, 9. *Quis tam suavibus numeris septem vocum differentias oblocutus?* Etiam Cassiodor. Var. II, 40. p. 36. (ab Ungero de Valg. Rufo p. 391. laud.) hunc locum respexit. Praeterea v. 646. et 647. repetuntur in Anth. Lat. VI, 84, 23 sq. — **647**. Markland. ad Stat. Silv. III, 5, 64. coni. *Iamque fidem*, quod impense placet Heynio, Schradero Emend. p. 114. et Peerlkampio. Sed iure vulgatam lectionem defendit Wagn., ut ***eadem*** sint septem illa discrimina vocum s. eaedem chordae, quae modo molliorem ediderint sonum, nunc autem fortius quid sonent. Imitatur hunc versum Sal. Bassus in Wernsd. P. Lat. min. IV, 263, 154. *Sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas*, fortasse etiam Maximian. Eleg. IV, 11. *nunc niveis digitis, nunc pulsans pectine chordas* et verbis *pectine pulsat eburno* abutitur Auson. in cent. nupt. 127. — Cum v. **648** sqq. Heyn. conferri iubet Hesiod. Ἔργ. 159. et 167 sqq. — De ***Teucro*** vid. adnott. ad III, 108. Ceterum coniungenda esse verba *genus Teucri*, non *Teucri proles*, nisi per se iam clarum esset, luce clarius probaret parallelus locus v. 580. *Hic genus antiquum Terrae, Titania proles*, quod etiam Henry in *Tw. years* VI. p. 34. et Philol. XVII. p. 640. adnotat. — ***pulcherrima proles.*** Hoc epitheton, quod ad corporis dignitatem referendum esse patet, idem Heyn. ex Hom. Il. XX, 231 sqq. fluxisse putat: *Ἶλος τ' Ἀσσάρακός τε καὶ ἀντίθεος Γανυμήδης. Ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων.* — **649**. ***nati melioribus***

Ilusque Assaracusque et Troiae Dardanus auctor.
Arma procul currusque virum miratur inanis.
Stant terra defixae hastae passimque soluti
Per campum pascuntur equi. Quae gratia currum
Armorumque fuit vivis, quae cura nitentis
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit, ecce, alios dextra laevaque per herbam
Vescentis laetumque choro Paeana canentis

---

annis. Cf. Hesiod. l. l. et Catull. LXIV, (LXI,) 22. *O nimis optato saeclorum tempore nati, Heroes, salvete, deum genus.* Nostro tamen loco non in universum de feliciore priorum saeculorum conditione, sed de Troiae maxime antiqua fortuna cogitandum videtur, quae magno cum affectu praesenti rerum statui opponitur. Conington vero contra me disputans, priorem rationem praefert. — **650**. De *Ilo*, Trois et Calirrhoes fil., Ilii conditore, cf. Apollod. III, 12, 3. ibique Heyn. p. 299. et Lycophr. 29. 355. — *Assaracum*, Ili fratrem, qui simul cum patre Dardaniam rexit, Apollod. ibid. commemorat. Cf. etiam Hom. Il. XX, 332. Conon. Narrat. 12. et Verg. Geo. III, 35. — De *Dardano* vid. ad Aen. III, 167. — **651** sqq. „Rursus ad Pindari ductum l. c. Paulo aliter haec tractata a Platone Rep. X. sub f. Retinent animae studia et artes prioris vitae: unde nata sunt tam diversa felicitatis in vita futura commenta per omnes populos ac doctrinas religiosas. Ad sui temporis negotia haec revocavit Ovid. Met. IV, 444 sqq. Melius Maro heroicam vitam expressit. Describit autem otia castrensia, v. c. Iliad. III, 135." *Heyn.* — *arma currusque*, ut supra v. 485. et I, 16 sq. — *miratur* currus, non quia *inanes* sunt, sed quod etiam in inferis eos conspicit, quibus heroes in terra gavisi fuerant. Haud pauci autem Codd. (etiam Med. et fragm. Vat. et a m. sec. Gud. et Bern. III.) *mirantur;* sed verissime Wagn. Qu. Verg. VIII, 2, a. hanc mirationem soli Aeneae convenire docet, qui haec nunc primum videat, non Sibyllae, cui haec omnia dudum sint nota. — *currus inanes* Heyn. et Süpfl. satis languide explicant per vacuos dominis; rectius Ruhk. et Wagn. (quibus etiam Gossr., Ladew., Bryce, Coningt. et Benoist. adsentiuntur): tenues, speciem magis curruum prae se ferentes, quam veros currus repraesentantes; quemadmodum omnia apud inferos εἴδωλα modo sunt ipsorum corporum. Sic etiam umbrae ipsae Ovid. Fast. II, 554. *vulgus inane* dicuntur et ibid. V, 463. *regna inania Ditis* commemorantur. — **652**. *Stant terra defixae hastae*. Cf. Hom. Il. III, 135.; *terra* autem Heins. restituit ex bonis Codd. Vulgo *terrae*, quod exhibent fragm. Vat., Bern. II. et III. De constructione *defigere terra* cf. Burm. ad XII, 130. ad Ovid. Am. III, 2, 25. et eiusd. Met. VIII, 413. — **653**. *Per campum*. Sic optimi Codd., Medic., fragm. Vat., Pal., alii, quorum auctoritatem cum Wagn. secuti sumus (cf. eius Qu. Verg. IX, 11. p. 529.) idemque fecerunt omnes editores me posteriores praeter Bryceum. Vulgo *per campos*, quod exhibet Rom. cum aliis. — *gratia currûm*, delectatio et studium curruum s. militiae curulis. (Cf. etiam VII, 402. *Amatae gratia.*) Ceterum *currûm* duabus syllabis non modo pronuntiandum, sed etiam optimorum Codd. praeter Pal. omnium, Servii, Prisciani VII, 18, 90. p. 779. et Anon. de nom. 39. p. 137. Endl. auctoritate scribendum, ut VII, 490. *manûm*, ap. Martial. II, 5, 3. *passûm* et similia, neque hunc versum hypermetrum esse, quod Prisciano l. l. non prorsus improbabile videtur, cum sequens versus a vocali incipiat, vix est quod doceam. — **654**. *cura equos pascere*. Vid. ad I, 704. — *nitentis*. Cf. VII, 275. *nitidi equi* cum adnott. ad III, 20. et Ecl. VI, 4. *pingues Pascere oportet oves.* — **655**. *tellure repostos*, conditos, mortuos, *sequitur* ad inferos. — **656**. *per herbam*. Vid. adnott. ad Geo. II, 527., ubi addi poterat Aen. I, 214. — **657**. *Vescentes*, epulas celebrantes; ut etiam infra VIII, 182 sq. Liv. XXXVII, 20. *pars vescentes sub umbra* et alibi. Wakef. ex coni. prorsus supervacanea edidit *vertentes.* De coenis autem genialibus (θαλίαις) in Elysio celebratis Peerlkamp. con-

Inter odoratum lauri nemus, unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.
Hic manus ob patriam pugnando volnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates et Phoebo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artis,
Quique sui memores alios fecere merendo;

---

ferri iubet Plat. Rep. II. p. 423. et Gesner. ad Claud. Rapt. Pros. II, 327. — „*choro*, in choro, chorum ducendo, *ἀείδοντες Παιῆονα*, ut Iliad. XXII, 391. Achivi, et quidem in grato nemore, per quod, ut amoenitas loci maior esset, descendit amnis. Amnes sub terra ferri, vidimus iam Geo. IV, 366 sq." *Heyn.* — **658.** *odoratum lauri nemus.* Cf. Ecl. II, 54 sq. — „*Eridanum* quod potissimum appellat, suspicor fabulis poëtarum, qui Argonautica scripserunt, deberi, a quibus plura videntur fabulose de Eridano tradita esse, fortasse etiam hoc, quod ad loca ille infera defertur. Cf. Apollon. IV, 627 sq. Nam hoc, quod [Padus, quem pro Eridano habere Romanos, iam ad Geo. I, 482. vidimus] non longe a fontibus suis cuniculum subter terram per duo milia subit, poëtam adducere vix potuit, ut ad inferos eum relegaret." *Heyn.* Mihi tamen hoc ipsum imprimis veteres poëtas movisse videtur, ut Eridanum ad inferna loca referrent. Quare non adsentior Heynio, Eridanum hic nil esse nisi fabulosum illum antiquorum poetarum amnem, quem ad geographicas rationes referre velle non minus vanum sit, quam Hyperboreos, Nysam et similia geographice velle constituere. Ceterum de ipso Eridano Wagn. conferri iubet Voss. ad Geo. p. 195 sqq. et Wernsdorf. ad Poët. Lat. Min. T. V. P. III. p. 1440 sqq. — *superne*, „ad superos," ut recte Serv. in terra, nam etiam Eridanus s. Padus (de quo vid. adnott. ad Geo. l. l.), ut multi alii fluvii (cf. Geo. IV, 366 sqq. et Lucr. VI, 540 sq.) fontes suos sub terra habere putabatur. Sic autem nunc cum Wagn. et Ladew. explico Henricum secutus in *Tw. years* VI. p. 34 sq. et Philol. XVII. p. 640. verissime de h. l. disputantem. — **659.** Epitheton *plurimus* magnam aquae copiam et rapidum fluvii cursum significat. Cf. e. g. Ovid. Met. VIIII, 582. et vid. adnott. ad Ecl. I, 33. VII, 60. (et Geo. III, 28.) — *Eridani amnis*, ut I, 247. *urbs Patavi*, VII, 714. *flumen Himellae* et multa similia. Cf. adnott. ad v. 270. et praeter alios Schultz. de linguae Lat. appositione. (Prenzl. 1843.) p. 18. — **660** sqq. Hunc locum pulcherrimum imitatione expressum esse a Silio XIII, 533 sqq. et Val. Flacco I, 836 sqq., iam Heyn. memorat. — *Manus - - passi.* Vid. supra ad v. 580. — **661.** Wagn. et Ladew. apte adnotant, Vergilium Augusto blandientem sacerdotibus proximum post eos, qui pro patria occubuerint, locum assignavisse, quia ille sacerdotibus despectis pristinum splendorem restituere summopere studuerit. — *dum vita manebat*, ut supra v. 608. — „*Sacerdotes casti*, qui sacra caste, pure ac pie curaverant, dum vivebant." *Heyn.* Cf. V, 735. *casta Sibylla.* Ovid. Met. XV, 675. *cognovit numina castus - - sacerdos.* id. Fast. I, 587. *Idibus in magni castus Iovis aede sacerdos.* ibid. II, 26. (ramus) *qui - - Casta sacerdotum tempora fronde tegit* cett. Sic etiam *pius Aeneas* Horatio Carm. Saec. 42. vocatur *castus*, ut contra apud eundem Od. III, 2, 30. *incestus* est i. q. impius. Omnino *casti* vocantur omnes, qui abstinent a quovis piaculo. Cf. adnott. ad III, 409. cum Cic. Legg. II, 10, 24. — **662.** „*pii*, qui *Phoebo digna* loquuntur, grandia, sublimia, praeclara canunt. Silius XIII, 538. *Vates, qui - - nec dedignanda parenti Carmina fuderunt Phoebo.*" *Heyn.* Cf. idem Silius XIV, 28. *Phoebo digna et Musis venerabere vatum Ora* et praeterea Ecl. VII, 22. — **663.** *vitam*, mores hominum, ideoque homines ipsos. Sic etiam Senec. Epist. 14. *colere vitam* et Consol. ad Marc. 18. *artes, quae vitam instruant.* Cf. Burm. ad Phaedr. I. Prol. 4. et Davis. ad Max. Tyr. XII, 8. a Peerlk. laud. Conington comparat Lucr. VI, 3. *Et recrearunt vitam* (Athenae). Respexit hunc locum Silius XIII, 537. *qui laetas artes vitaeque colendae Invenere viam.* — **664.** „*Quique sui memores* cett.: magnae

Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfusos sic est adfata Sibylla,
Musaeum ante omnis; medium nam plurima turba
Hunc habet atque humeris exstantem suspicit altis:
„Dicite, felices animae, tuque, optume vates,
Quae regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
Venimus et magnos Erebi tranavimus amnis.“

---

illae et divinae animae, quae de genere humano bene meritae sunt; quibus vel una haec meritorum conscientia in altera vita perennem voluptatem allatura est. [Verba *sui memores* exprimunt gratam beneficiorum memoriam. Cf. IV, 539.] — *merendo* i. q. in vulgari sermone: demerendo, promerendo, bene merendo de aliis.“ *Heyn.* Cf. Plaut. Amph. V, 1, 49. Ter. Hec. V, 1, 34. Cic. ap. Nonium p. 344, 22. (*Quem periisse ita de republ. merentem doleo.*) Hor. Od. III, 3, 13. id. Ep. I, 7, 24. Prop. V, (IV,) 11, 101. et multos alios locos. Gossrav. comparat Strab. X. p. 467. *εὖ εἴρηται τοῦτο, ἀνθρώπους τότε μάλιστα μιμεῖσθαι τοὺς θεούς, ὅταν εὐεργετῶσιν* et Plin. II, 7, 5. *Deus est mortali mortalem iuvare et haec ad aeternam gloriam via.* — „Pro *alios* optimi libri omnes [fragm. Vat. a m. pr., Med., Pal., Rom., Gud., Bern. II. III. a m. pr. atque Servii Codd. et hic et ad IX, 256.] exhibent *aliquos,* quod si verum est, ex oppositione praecedentis vs. sic interpretandum est: Hic versantur, qui artibus inventis de omnibus, quique factis suis certe de nonnullis (aliquibus) bene meruerunt. Cf. v. 719. et Weberi *Uebungsschule* etc. p. 220. ed. II“ *Iahn.* Receperunt hanc Codd. lectionem satis languidam Ribbeck. et Benoist. Wagn. vero sonum ter praegressi *quique* librariorum auribus obversatum corrumpendae lectioni locum fecisse suspicatur; quare ceteri recentiores editores praeter duos illos vulgarem lectionem retinuerunt, quam etiam Donatus ad Ter. Andr. II, 1, 31. Eun. III, 2, 5. Adelph. II, 1, 47. et Macrob. I, 8, 6. tuentur. Peerlk. tamen, temere haerens in hoc vocabulo, coniecit *populos,* et Hoffmann. in *Zeitschr. f. d. Oest. G.* 1853. p. 512. *Salios,* ut *S.* exciderit post *memores* et intelligendi sint, qui ob merita sua Saliorum carminibus celebrentur, quo poëta Augusto blandiri voluerit in Mon. Ancyr. tab. II, 18. de se dicenti: *nomenque meum inclusum est in Saliare carmen*; quam miram coniecturam recte refutat Dietsch. in Iahnii Annal. LXVIII. p. 533. — **665.** *Nivea vitta* Servius putat poëtam ostendere, eos divinos honores meruisse, cum etiam dii fuerint vittati; certe viros sanctos hoc insigne, sacerdotibus et vatibus proprium, significat; qua de re Heyn. conferri iubet Val. Fl. I, 836, 840. Vid. etiam Geo. III, 487. — **667.** „Quod *Musaeum* potissimum nominat poëta, mirantur Intpp. Homerus sane Aeneae in inferis occurrere non potuit; turbatae fuissent temporum rationes. Cum autem de antiquioribus aliquis esset laudandus, Orpheus autem iam supra v. 119. memoratus esset, vix alius praeter Linum vel Musaeum surrogari potuit. Magna autem Musaei auctoritas propter religiones et teletas institutas. Ceterum ad Homerum in simili loco rem transtulit praeclare Silius XIII, 780 sqq.“ *Heyn.* Cum verbis *medium nam plurima turba* cett. cf. Hom. Il. III, 226 sq. — **668.** *humeris exstantem:* vates enim non minus quam heroes omninoque homines excellentes etiam procera corporis statura ceteros superare finguntur; *humerorum* autem latorum et exstantium in virili formositate celebranda primae fere sunt partes. Vid. Hom. Il. III, 227. *ἔξοχος Ἀργείων κεφαλὴν ἠδ' εὐρέας ὤμους.* Thiel. confert supra I, 589. V, 375. Ovid. Met. XII, 516. A. A. II, 504. Claud. VI. Cons. Hon. 166. alios. — **669.** *optume vates.* Wagn. comparat Homericum *ὦ λῷστε* in blanda allocutione usurpatum. Cf. infra XI, 294. XII, 48. — **670.** *quis habet locus?* Cf. supra v 521. — *illius ergo Venimus.* Cf. Lucr. III, 78. *nominis ergo.* V, 1245. *formidinis ergo.* Cic. Legg. II, 23, 59. *funeris ergo,* ad Att. III, 23. in. *legis ergo.* Nep. Paus. 1. et Liv. XXXVII, 47. *victoriae ergo* al. et Hand. Turs. II. p. 441 sqq. — **671.** *Erebi amnis.* Vid. ad IV, 510. — *tranav*

Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
„Nulli certa domus; lucis habitamus opacis
Riparumque toros et prata recentia rivis
Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas,
Hoc superate iugum, et facili iam tramite sistam.“
Dixit et ante tulit gressum camposque nitentis
Desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.
　At pater Anchises penitus convalle virenti
Inclusas animas superumque ad lumen ituras
Lustrabat studio recolens omnemque suorum

---

mus, traiecimus in Charontis cymba. Ribbeck. cum Med. a m. pr., Gud. a m. sec., Bern. II. III., Nonio p. 107, 13. et Paulo Diac. p. 83, 4. M. scripsit *transnavimus*. — **672**. Verba *paucis ita reddidit heros* repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 55. — **673**. *certa domus* (ut VIII, 39.), sua et propria, ab aliorum sedibus seiuncta. Sensus igitur: vagamur liberi per hos locos. Sic Hor. Ep. I, 15, 28. *certum praesepe*, et ibid. 7, 58. (ubi vid. Schmid.) *certus lar*, quos locos Thiel. comparat. Conington confert Geo. IV, 155. et Aen. VIII, 39. *certos Penates*. — *lucis opacis*, umbrosis. Cf. III, 508. *montes umbrantur opaci*. Hor. Epist. I, 6, 5. *vallis opaca*. Colum. VI, 22. *opacissima nemorum ac montium pascua* etc. item Aen. VII, 84. *Albunea opaca*. Saepius sane *opacus* i. q. umbrifer (Aen. VI, 136. 208. 283. XI, 851. etc.) — **674**. *riparum toros*, ripas altas et molli gramine vestitas, quae pro toro esse possunt. Vid. ad V, 388. — *recentia rivis*, h. e. virentia propter vicinas aquas. — **675**. *si fert ita corde voluntas:* si Anchisen convenire vultis. Thiel. conferri iubet Lucr. VIII, 46. *si fert ita forte voluntas* et Drak. ad Sil. XVI, 294. — **676**. *superate - - et sistam*, i. e. et statim sistam, s. superato hoc iugo statim vos sistam. Vid. Ecl. III, 106. cum adnott. ad Geo. II, 80. et Aen. II, 692. — *superate*, ascendite. Cf. Claud. III. Cons. Hon. 46. *adscensu vincere montes* et Aen. II, 303. *fastigia tecti Adscensu supero*. — *facili tramite*, facile iter praebente. — De Part. *iam* vid. adnott. ad IV, 566. — „*sistam*, vos ad eum deducam facili et expedita via, quales in Elysio omnino esse vias credere fas est. Anteit tum Musaeus ipse, ubi e summo collis vertice locum ostenderat; tum Aeneas et Sibylla altera parte collis descendunt, discessu scilicet a Musaeo facto.“ *Heyn*. — **677**. *ante tulit gressum*. Cf. infra XI, 99. *gressumque in castra ferebat* et Geo. IV, 360. *qua iuvenis gressus inferret*, ubi vid. adnott. — *campos nitentes* pingui gramine et floribus, ideoque omnino laetos, amoenos. Vid. Geo. I, 153., adnott. ad Aen. III, 20. et Gierig. ad Ovid. Fast. IV, 126. Ceterum cf. supra v. 640. — **678**. *linquunt*, Aeneas et Sibylla. Ceterum cf. adnott. ad III, 140. — Cum v. 679 sqq. Heyn. confert Hom. Od. XI, 151 sqq., qui simul adnotavit, egregio artificio poëtam rem ita instituere, ut Anchises in ipso animarum, quae in hanc vitam transiturae sint, recensu ab Aenea deprehendatur, quo nactus sit occasionem placitum illud philosophorum huc traducendi, quod animas iam ante huius vitae ingressum alicubi fuisse et humana corpora animasse doceat. Respicitur autem hic locus in Anth. Lat. II, 192, 58. *penitusque in valle virenti Agnoscitque suam prolem monstrante parente*. — **680**. *superum ad lumen*. Cf. Ennius Ann. I. fr. 64. p. 17. Vahl. *Cum superum lumen nox intempesta teneret*. Lucr. VI, 857. *Quom superum lumen tanto fervore fruatur*. Sic supra II, 91. *superae orae*. — *ituras*, fato volente, iubente. Cf. infra v. 758. et adnott. ad II, 111. Sic v. c. Sall. Iug. 14, 1. *quoniam eo miseriarum venturus eram* pro: quoniam fato mihi destinatum est eo miseriarum venire. — **681**. *studio*, studiose. Vid. ad IV, 641. — „*Recolimus* animo proprie praeterita; h. l. simpl. recensere, exquirere et addiscere futura facta et res fortiter gestas.“ *Heyn*. Cf. Cic. Phil. XIII, 20, 45. *quae si tecum ipse recolis*, i. e. reputas. Considerat autem Anchises, qualis quisque eorum futurus sit apud superos. Id autem fecisse

Forte recensebat numerum carosque nepotes
Fataque fortunasque virum moresque manusque.
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Aenean, alacris palmas utrasque tetendit
Effusaeque genis lacrimae et vox excidit ore:
„Venisti tandem tuaque exspectata parenti

Anchisen, quod iam praeceperit instantem Aeneae adventum (v. 690 sq.), vere adnotat Wagn. — 682. *Forte*, non casu, sed, ut supra v. 171., nostrum *eben, gerade*. — *recensebat numerum*. Cf. Geo. IV, 436. *numerumque recenset*. — 683. *fata* et *fortunas* Dietsch. Theol. Verg. p. 29. recte sic distinguit, ut *fata* significent, quae immutabili necessitatis lege Aeneae posteris constituta, *fortunae* autem, quae illis, dum illa fata exsequantur, eventura sint. Similiter *Wagn.*: „*Fata*, quibus summa totius vitae regitur: *fortunas*, casus intervenientes vel secundos vel adversos.“ — *manus*, vix aliud quid significare possunt, quam fortia facinora, de qua tamen signif. dubitant Peerlk. et Dietsch. l. l., ita ut ille coni. *animosque*, hic autem vocabulum ab ipso Vergilio positum, quod facinora significaret, hac glossa eiectum esse suspicetur. Quodammodo tamen comparari potest similis certe locus Lucani I, 388. (a Dietschio ipso laud.) *Cohortes - - promisere manus*, itemque Stat. Theb. VIII, 305. (a Ladew. laud.) *Quae* (Tellus) - - *Prometheasque manus Pyrrhaeaque saxa Gignis*. — 685. *alacris* Nominativum esse, non Accusativum cum *palmas* coniungendum, quod Substant. iam habet epitheton suum *utrasque*, iam Serv. observavit. Wagn. comparat supra V, 380. Ut enim apud antiquiores forma Adiect. in *er* etiam feminino genere usurpatur (velut ap. Lucr. IV, 161. *celer origo* etc.), sic contra forma in *is* interdum masculino. — *utrasque palmas* pro: utramque palmam; nam etiam de duabus rebus arcte inter se coniunctis et simul agentibus (imprimis ubi nos dicimus *ein Paar*, v. c. de manibus, pedibus, auribus) Romani interdum plurali huius vocabuli numero utuntur. Vid. ad V, 233. Oudend. ad Caes. B. G. I, 53, 4. Drakenb. ad Liv. XXXVI, 16, 5. Kritz. ad Sall. Cat. 30, 4. Guenther. et Daehn. ad Nep. Dat. 11, 2. Beneck. ad Iustin. I, 10, 17. et IX, 7, 8. Ramsh. Gramm. §. 156. 7. idemque in Iahnii Annall. phil. et paedd. 1826. I, 2. p. 369. alii. — Peerlk. existimat, repetitum *tetendit* non esse castigati scriptoris, Vergiliumque scribere potuisse aut *palmas et brachia pandit*, aut *Isque ubi nitentem* etc. Sed vide Geo. II, 292 sqq. multosque similes locos et cf. adnott. ad Ecl. VI, 16. et al. — 686. *genis*, „palpebris: Ennius de dormiente: *Imprimitque genae genam*.“ Serv. Vid. Ennii trag. fr. inc. 18. p. 148. Vahl., cum quo loco cf. eiusd. fragm. ap. Festum p. 343. M. (Trag. fr. inc. 61. p. 76. Vahl.) *Pandite sulti* (i. e. si vultis) *genas et corde relinquite somnum*. Praeterea vid. Ovid. Met. XIII, 562. *expilatque genis oculos*, id. ex P. II, 8, 66. *Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae*. Prop. V, (IV,) 5, 16. *Cornicum immeritas eruit ungue genas*, et Val. Fl. VII, 257. *audi atque attolle genas*, nam etiam de toto oculo usurpatur, de palpebris etiam ap. Plin. XI, 37, 56. 57. XXIII, 1, 24. XXXII, 9, 31. — *vox excidit ore*. Vid. II, 658. (IX, 113.) Cic. Sull. 26, 72. pr. dom. 39, 104, al. — 687. *exspectata* omnium fere Codd. est lectio, etiam Schol. Crucq. ad Hor. Od. I, 23. auctoritate comprobata, quam cum Wagn. revocavimus, ut sensus sit: tua pietas, quod dudum speraveram (*venisti tandem*), vicit iter durum; neque verum esse dixerim, quod Heyn. opponit, ipsum quidem Aeneam *exspectatum* fuisse (coll. II, 282. et VIII, 37.), *pietatem* autem paulo durius *exspectatam* dici. Cf. autem Anchisae ipsius praeceptum supra V, 731 sq. Vulgarem lectionem *spectata*, in qua etiam offendit insolita productio brevis syllabae ante literas *sp* (cf. adnott. ad XI, 309.), Henry in uno modo Cod. Monac. invenit, dum in 44 Codd. ab eo collatis *exspectata*, in uno Dresd. *exoptata* legitur. Cf. Philol. XVII. p. 640. — *parenti* cum vi pro mihi. Cf. Tib. I, 7, 55. *At tibi succrescat proles, quae facta parentis* (tua) *augeat*, et Prop. V (IV,) 6, 10. *Pura novum vati* (mihi) *laurea mollit iter* cum adnott. ad I

Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua et notas audire et reddere voces?
Sic equidem ducebam animo rebarque futurum
Tempora dinumerans, nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras et quanta per aequora vectum
Accipio! quantis iactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyae tibi regna nocerent!"
Ille autem: „Tu me, genitor, tua tristis imago
Saepius occurrens haec limina tendere adegit.
Stant sale Tyrrheno classes. Da iungere dextram,
Da, genitor, teque amplexu ne subtrahe nostro."
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare bracchia circum,
Ter frustra conprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis volucrique simillima somno.
Interea videt Aeneas in valle reducta

---

79. et IV, 31. — **688.** *Vicit iter*, effecit, ut nullis periculis, nullis difficultatibus deterritus, iter conficeres. Cf. Catal. XI, 48. *Saepe mare audendo vincere.* Alibi *vincere viam, iter* dicitur de eo, cui ardui montes sunt superandi. Cf. Mart. V, 23, 5. Claud. III. Cons. Hon. 46. cett. Conington conferri iubet supra v. 148. Geo. I, 145. et III, 289., ubi *vincere* de difficultatibus dicatur. — **689.** *audire et reddere voces*, ut I, 409. — *notas.* Cf. supra v. 499. — **690.** „Aeneam vivum ad loca infera descensurum esse, Anchises iam ante praevidisse putandus; nam idem nocturnis monitis filii pietatem permoverat, ut ad se videndum descenderet. Cf. VI, 115." *Heyn.* — **691.** *Tempora dinumerans*, cum desiderio et sollicita cura diligenter numerans (*sorglich nachzählend*). Sic etiam Ovid. Met. XI, 573. *Aeolis interea tantorum ignara malorum Dinumerat noctes;* et *dinumerare horas* ap. Plin. II, 73, 75. — *cura*, spes cum aliqua sollicitudine coniuncta. Servius minus probabiliter: „nec decepit me dulcissimus filius. Nam Vocativus (?) est *mea cura*, i. e. tu: et dictum est sicut [X, 132.] *Veneris iustissima cura,*" cui loco addere poterat Ecl. X, 22. et Aen. I, 678. — **692.** Cf. V, 627 etc. Ad *terras* ex seqq. *per aequora* Praepositionem supplendam esse patet. Vid. adnott. ad V, 512. — **693.** *Accipio.* Conington comparat VIII, 155. et cum seqq. verbis IV, 14. — **694.** „*Libyae regna:* iustus de Didonis amoribus metus, ne iis ab Italia retineretur filius." *Heyn.* — **695.** *tua tristis imago.* Cf. IV, 353. *turbida imago.* — **696.** „*saepius occurrens*, v. c. supra V, 722 sqq. Nam semel memorari satis erat. Cf. IV, 351. et VI, 115." *Heyn.* — *adegit tendere.* Sic etiam infra VII, 113. ap. Tac. Ann. XI, 10. XII, 22. XIV, 4. XV, 35. al. *adigere* cum Infin. construitur. — *tendere* autem *limina*, ut I, 554. *tendere Italiam.* — **697.** *stant classes.* Vid. ad III, 277., de Plur. autem *classes* cf. III, 403., ubi etiam legimus *steterint classes.* — *sale Tyrrheno.* Cf. III, 385. *salis Ausonii aequor* ibique adnott. — *da iungere dextram.* Vid. ad I, 66. et 408. Conington conferri iubet Hom. Od. XI, 210 sqq. — **698.** *amplexu.* Vid. adnott. ad Ecl. V, 29. Voce *amplexu* in *aspectu* mutata haec verba iam legimus supra v. 465. — **699.** *memorans* pro simplici *dicens.* Cf. I, 327. II, 75. 650. etc. — *fletu ora rigabat.* Cf. Ovid. Met. XI, 419. *ter fletibus ora rigavit.* — V. **700—702.** iam legimus Aen. II, 792—794., ubi vid. adnott. Gossravio hic minus apti et ex illo loco ab alio quodam huc translati videntur, atque etiam Ribbeck. versum 702. spurium censet, qui omittitur in Pal. et Bern. II. neque a Servio respicitur. — V. **700.** Macrob. Sat. V, 7, 8. pro *ibi* exhibet *erat,* „fortasse recte" censet Ribbeck., cum supra v. 32. legamus *Bis conatus erat.* — V. **703.** sqq. petitos esse ex Platonicis mythis, quorum fundus in Pythagoreorum opinionibus substructus esset, Heyn. obser-

Seclusum nemus et virgulta sonantia silvae
Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem.
Hunc circum innumerae gentes populique volabant;
Ac velut in pratis ubi apes aestate serena
Floribus insidunt variis et candida circum
Lilia funduntur; strepit omnis murmure campus.

---

vavit; etsi enim opinio de reditu animarum in vitam communis fuerit antiquitati, doctrinam tamen de bibenda ante reditum Lethe Platoni (de Rep. X. p. 621. A. Steph.) peculiarem videri. — *reducta vallis*, i. e. sinum, anfractum efficiens, legitur etiam infra VIII, 609. Sic *sinus reductus* I, 161. — **704**. *nemus* et *virgulta* etiam infra VII, 674. coniunguntur, eademque ratione ap. Ovid. Met. VIII, 339 sq. *nemus* et *silva*. — *virgulta* autem *sonantia silvae*, quae voci *nemus* per epexegesin adiiciuntur, est Med. a m. pr., Pal., Rom., Gud. a m. pr., sched. Sangall., Bern. II. et aliquot Servii Codd. lectio, quam ob tantum optimorum librorum consensum nunc cum Gossr., Ribbeckio, Ladew. et Benoisto restitui, cum vulg. lectio (per se fortasse poeta dignior) *virg. sonantia silvis* (quam Heyn. explicat per „[densa] virgulta silvarum [ut Geo. II, 2. *virgulta silvestria*] sonantia adeoque omnino silvae sonantes, vento motae," comparans XII, 522. *virgulta sonantia lauro* et III, 442. *Averna sonantia silvis*) facile ex ipso loco modo comm. oriri potuerit. Ceteri recentiores editores praeter illos *silvis* retinuerunt, quod etiam Haeckerm. in *Zeitschr*. etc. XII. p. 637 sq. defendit. Wagn. pro *silvis*, quod et ipse ex III, 442. adscitum putat, coni. *silva*, quod de ipsorum fruticum densitate interpretatur, conferens III, 22 sqq. et virgulta vento mota, quo densiora sint, eo magis strepere memorans. Quam tamen explicationem satis probabilem magis etiam Plurali numero iuvari dixerim. Ceterum Heyn. etiam Elysium suos Zephyros habere verissime memorat (coll. Hom. Od. IV, 567. et Pind. Ol. II, 129 sq.) — **705**. Lethe in finibus Elysii *praenatat*, praeterfluit. *Prae* enim in verbis compositis interdum i. q. praeter. Cf. Hor. Od. IV, 3, 10. *Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt*, ibid. IV, 14, 26. *Aufidus, Qui regna Dauni praefluit Apuli*. Liv. I, 45. *infima valle praefluit Tiberis* etc. Servius haec adnotat: „*Praenatat*, praeterfluit: Nam non natant aquae, sed nos in ipsis natamus. Ennium igitur secutus est, qui ait: *fluctusque natantes*." (Ann. fr. inc. 119. p. 84. Vahl.) Conington comparat *campos natantes* apud Lucr. V, 488. VI, 267. 1142. (Vid. ad Geo. III, 198., ubi etiam paulo aliter *campi natantes*.) Imitatur autem Ennium etiam Ovid. Fast. IV, 292. *Tiberinus campo liberiore natat*. — **706**. Caussam huius frequentiae vid. infra v. 748 sqq. — „*gentes* maius sunt; nam in gente *populi*. Cf. infra X, 202. Vid. Gronov. ad Liv. V, 34, 5." *Heyn*. *Gens* enim ad communem originem spectat, *populus* autem eos comprehendit, qui iisdem legibus et institutis, eadem civitatis forma utuntur, ita ut una gens facile in plures populos divisa cogitari possit. Vid. infra X, 202. Geo. IV, 4 sq. et cf. praeter libros synonymicos Kritz. ad Sall. Cat. 10, 1. et, qui cum eo consentire videtur, Beneck. ad Iustin. VII, 2, 12. Paulo aliter statuit Herzog. ad Caes. B. G. VI, 10. — In comparatione, quae sequitur v. **707** sqq. ex Hom. Il. II, 87 sqq. translata, (cf. etiam supra I, 430 sq. Geo. IV, 188 sqq. et 51 sqq.) recte Wagn. mutavit distinctionem, Commatis, quae vulgo post *ac* et *pratis* apparent, deletis et post *funduntur* Semicolo posito, cum *velut ubi* coniungenda sint, quemadmodum alibi *velut cum*. Vid. ad Aen. I, 148. II, 626. IV, 402. et XII, 908. Heyn. verba minus recte sic coniungit: *Ac strepit omnis murmure campus, veluti in pratis, ubi* cett. De Part. *Ac*, quae hic non est copula, vid. ad Aen. I, 148. Ceterum pro vulg. *veluti* cum Wagn. ex Pal., Rom., Gud. et aliis libris recepimus formam *velut*, in quo ceteri recentiores editores nos secuti sunt, quamquam fragm. Vat., sched. Sangall. et Med. *veluti* exhibent. Vid. ad IV, 402. — *aestate serena*, ut apes Geo. IV, 59. *per aestatem liquidam nare* et Aen. I, 430. *aestate nova labore exerceri* dicuntur. — **709**. *strepit*, omissa Copula. Cf. I, 148—53. IV, 402—407. IX,

Horrescit visu subito causasque requirit
Inscius Aeneas, quae sint ea flumina porro,
Quive viri tanto conplerint agmine ripas.
Tum pater Anchises: „Animae, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethaei ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram,
Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum,
Quo magis Italia mecum laetere reperta.“
„O pater, anne aliquas ad caelum hinc ire putandum est

59—64. XII, 365—67. 715—22. (quos locos comparat Ladew.). — **710.** Verba *Horrescit visu subito* iterantur in Anth. Lat. I, 147, 3. — **711.** „*porro* simpliciter potest iungi: *causasque requirit porro*, vel *porro*, scil. rogat, *quae sint* cett. Sed doctior ratio est: *quae sint ea flumina porro*, h. e. *πόῤῥω, πόῤῥωθεν παραῤῥέοντα*, longo inde cursu praetexentia campum.“ *Heyn.* Sic *porro* pro procul etiam ap. Plaut. Rud. IV, 3, 95. *Ubi tu hic habitas? Porro illic longe usque in campis ultimis* et Plin. Ep. V, 6, 18. *campi deinde porro*. Causam, cur Vergilius scripserit *ea flumina*, non *haec flumina*, paulo subtilius exponit Wagn. Qu. Verg. XVII, 5.; scilicet „minus curare Aeneam nomina fluvii, quam illud mirari, quale sit hoc flumen, quod circum innumerabiles vagentur animae, et quare id fiat, requirere. (Gr. non *τί ῥεῦμα*, sed *ποῖόν τι ῥεῦμα*).“ Conington simplicius *ea* pro *illa* positum in oratione obliqua respondere censet Pronomini *haec* in oratione recta. — **713.** *altera corpora*. „Cum aliae animae primum corpus intrent, aliae iam purgatae in novum corpus intrare cogantur, nunc de hoc altero genere cogitandum est.“ *Heyn.* — *fato debentur*. Vid. adnott. ad Aen. III, 184. et supra ad v. 67. — **714.** *ad fluminis undam*, ut III, 389. et X, 833. — *potant ad undam*, pro: latices potant, ad amnem, in litore constitutae, procumbentes. — „*securos* ab effectu, ut *morbos pallidos* dicunt. Nam ex oblivione malorum tranquillitas nascitur, cuius comes securitas.“ *Heyn.* Cf. Ovid. ex P. II, 4, 23. *secura pocula Lethes* et Iahn. ad Ovid. Trist. IV, 1, 48. Respexit hunc locum Silius XIII, 555. *Lethaeos potat latices, oblivia mentis.* Ceterum *Lethaeus amnis* vel *fluvius* (de quo vid. Simonidis fr. 116, 6. p. 781. Bergk., Plat. Rep. X. p. 621. A. Aristoph. Ran. 186. al.) etiam infra v. 705. et 749. commemoratur. Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 78. — *Securos latices* reddere *τὸν Ἀμέλητα ποταμόν* Platonis l. l., adnotat Conington. — **716.** *Has*, animas certas quasdam ex reliquarum numero. Cf. Wagn. Qu. Verg. XX, 3. Ribbeck. hunc versum uncis inslusit, hac adnot. adiecta: „Vm. 716., quem non interpretatur Servius, poeta primo conamine in schedas effusum postea in eius vicem v. 717. elaborato omitti voluerat, sed relictum in textu delere religioni habuerunt amici.“ — **717.** Iustam sententiarum coniunctionem desiderans Heyn. coni. *Iampridem, ac prolem*, quod Brunck. in contextum recepit, et Wakef. pro *enumerare* e. coni. edidit *et numerare;* sed verissime Wagn. in Varr. Lectt. ad Geo. I, 248. docet, *Iampridem* ad utrumque versum 716. et 717. referendum ideoque bis cogitandum esse (ut Geo. I, 248. *Semper* et Aen. XI, 504. *Sola*); repetitum autem vocabulum vim habere Copulae repetendae, iam ad Ecl. IV, 6. et al. vidimus. Iahn. (qui etiam cf. ad I, 90.) Copulae omissionem potius ab iterato Pronomine demonstr. *has - - hanc* repetit; Peerlk. autem locum sic distinguendum censet: *ostendere coram Iampridem, hanc prolem* etc. Ceterum Heyn. lectori in mentem revocat supra V, 737. *Tum genus omne tuum, et quae dentur moenia, disces.* — **718.** „*Italia reperta*, h. e. ad Italiam accessu; post longos scil. errores. [Fragm. Vat. a m. pr. et Rom. exhibent *Italiam repertam:* cf. supra ad IV, 692. adnott. Iidem Codd., Vat. tamen demum a m. sec., Med. vero et Bern. III. a m. pr. perperam *laetare.*] — **719** sqq. Inest nescio quae vis et *δεινότης* eximia in hac Aeneae oratione cum indignatione aliqua rogantis; suavitas autem

Sublimis animas iterumque ad tarda reverti
Corpora? quae lucis miseris tam dira cupido?“
„Dicam equidem nec te suspensum, nate, tenebo,“
Suscipit Anchises atque ordine singula pandit.
„Principio caelum ac terras camposque liquentis
Lucentemque globum Lunae Titaniaque astra

---

tanto maior, si Homerici Achillis (Od. XI, 487.) indignum vitae amorem [quem tamen in heroë Homerico minime reprehendendum esse, verissime docet Wagn.] memineris. Vides in hoc quoque progressum philosophiae factum inde ab Homerica aetate.“ *Heyn.* Quod attinet ad omissum nomen loquentis et verbum dicendi Serv. adnotat: „Nova brevitas. Nam dicendo *pater* qui loquatur ostenditur.“ — 719. *ad caelum*, quod supra v. 128. *ad superas auras.* — 720. *Sublimis*, i. e. sursum tendentes (cf. I, 259. et V, 255.), cum *ire* coniungendum esse patet. Vid. ad I, 415. — *ad tarda* ex Codd. tantum non omnibus cum Wagn. restitui idemque fecerunt ceteri recentiores editores praeter Bryceum; quod enim vulgo legitur *in tarda*, nisi in paucis quibusdam Pierii Codd., nusquam invenitur. Wagn. inter utramque lect. hoc interesse putat, ut *reverti ad corpora*, iter intrandum respiciens, studium modo indicet in corpora redeundi, *in corpora reverti* autem ipsum introitum; et illud quidem melius convenire verbis seqq. *quae lucis miseris tam dira cupido?* infra autem v. 751. *in corpora reverti* scriptum esse propter adiectum *velle*. Peerlk. comparat Claud. R. Pros. I, 62. *Rursus corporeos animae mittuntur in artus.* — Cum verbis *tarda corpora* cf. infra v. 731. — 721. *lucis*, superarum aurarum, i. e. vitae in terris agendae, cui opponitur nox, tenebrae Orci. Cf. infra v. 761. 828. et 888. Geo. IV, 255. 472. et adnott. ad Aen. I, 546. Inde etiam apparet, nihil absoni esse in hac *lucis cupidine*, quamvis Manes etiam in Elysio solem suum habeant (v. 641.); quod etiam Henry in Philol. XVII. p. 640. memorat contra Wagn. disputans. Ceterum cf. supra v. 373. *Unde - - tibi tam dira cupido?* — 722. Respexit hunc locum Sulpic. Sever. p. 567. *Nec te diutius tenebo suspensum.* Cf. etiam Geo. II, 46. *non hic te - - per ambages et longa exorsa tenebo* et Lucr. VI, 245. *Expediam, neque te in promissis plura morabor* a Coningt. laud. — 723. *Suscipit*, quod alibi *excipit*, ὑπέλαβε, ὑπολαβὼν ἔφη. Cf. Varro R. R. I, 2. *Suscepit Stolo: Tu, inquit, invides* etc. Med., Pal. et a m. sec. fragm. Vat. scribunt *Suspicit;* sed vulgarem lectionem praeter alios Codd. (inter quos Rom. et Gud.) tuetur etiam Prisc. p. 1212. P. — *ordine singula pandit.* Cf. III, 179. ibique adnott. — 724 sqq. In hoc praeclaro loco conscribendo, de quo Heyn. singulari excursu agit, XIII. ad h. l., poëta non immemor videtur fuisse Lucr. V, 68 sqq. Heyn. commentarii loco esse Ciceronis versus de Div. I, 11., alios autem Hom. Il. XIX, 483 sqq. comparare memorat. — V. 724. et 725. quatuor elementa significari in promptu est. — *Principio.* Wagn., qui explicat: „ut ab hoc ordiar s. sumam principium“ comparat Cic. de Fin. I, 6. [in.] *Principio in physicis Epicurus totus est alienus.* — *terras.* Aliquot Codd. (inter quos fragm. Vat. a m. pr., Pal., Rom., Gud.), Probus 13, 28. 15, 18. K. et Beda de trop. 378. C. *terram*, quod praeferendum censent Wakef. ad Lucr. IV, 70. et Iahn. atque recepit Ribbeck. Equidem cum Wagn. (quocum etiam ceteri recentiores editores faciunt) plurimos Codd. secutus sum, cum Vergilius duo Substantiva ita coniungere amet, ut, si fieri possit, alterum singulari, alterum plurali numero efferatur. Cf. Wagn. Qu. Verg. IX, 2, b. et adnott. ad Ecl. IV, 40. Sic *caelum et terrae* etiam Geo. IV, 222. Aen. I, 58. VII, 571. coniunguntur; quamquam etiam *caelum et terra* legitur Aen. I, 133. et IV, 184., quorum tamen locorum non prorsus eadem est ratio. Cf. ibi adnott. — *campos liquentis*, mare, quod alibi *aequor maris, ponti* dicitur. Vid. ad Geo. I, 469. coll. adnot. ad Aen. V, 128. Sic infra X, 214. *campos salis aere secabant* (ubi vid. adnott.), Plaut Trin. IV, 1, 15. *campi caerulei*, Lucr. V, 480. *campi natantes*, Ovid. M XI, 356. *campi aquarum*, Cic. Arat. 373. *Neptunia prata* et Aesch. F 115. πόντιον ἄλσος. — 725. *globus Lunae.* Sic etiam ap. Lucr. I.

Spiritus intus alit totamque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
Igneus est ollis vigor et caelestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant

---

70. *Lunaique globus*, et *stellarum globi* ap. Cic. Somn. Scip. 3. cett. — „*Titania astra.* Ex iis, quae ap. Diodorum III, 57. et V, 66. exponuntur, nihil facile huc revocari potest; nec sidera ad Titanes referri scriptorum usu est cognitum. Igitur Servius sequendus, qui altero loco *Solem* interpretatur. Dictum scil. poëtico more pro: *astrum Titanium*, h. e. Titanis (ut IV, 119.) s. Solis, ut Titania Luna vel Diana saepius memoratur Apollonii exemplo: *Τιτηνίς* IV, 54., ubi vid. Schol.“ *Heyn.* Uterque enim, Sol et Luna, fratres sunt Titanum. Wagn. tamen nescio an rectius haec antecedentibus ita subiecta censeat, ut per epexegesin quandam Lunam et Solem simul significent, quasi diceres: lunam, ac non lunam solum, sed utrumque astrum Titanium; quae ratio fulciri poterat *utroque Phoebo* ap. Ovid. Met. I, 338. et *sidere utroque* ap. Petron. 119. In Plurali tamen etiam de uno sole usurpato non haerendum esse, docent loci Ovid. Met. XIV, 172. *sidera solis* et Val. Fl. II, 364. *Saturnia sidera* a Coningt. collati. Wakef. ad Lucr. IV, 70. et Trappius coni. *Titanaque et astra;* Peerlk. autem, quamquam ipse commemorat, Codd. lectionem etiam iuvari Hieronymi T. IV. p. 362. auctoritate, satis audacter scribi iubet *micantia astra*, eamque coniecturam fulcire studet loco Ambrosii de Spir. Sancto II. [5, 36.], qui hunc locum respiciens scripserit: *Gentiles homines, quod caelum ac terras, lunae quoque stellarumque micantium globos spiritus intus alat, suis versibus indiderunt.* Sed quisque videt, locum nostrum ab Ambrosio liberius esse expressum. — „*Spiritus* et *mens*, ut *ψυχὴ* et *νοῦς*, h. e. anima mundi, quae omnia permeat [et *alit*, sustentat et vi procreandi instruit]; cumque universo *corporis* speciem induisset poëta, recte pro partibus *artus* posuit. Sic de terra Geo. II, 325 sqq.“ *Heyn.* Cf. etiam infra ad v. 746 sq. et supra ad IV, 336. — 726. *totamque infusa per artus* etc., ut etiam per artus hominum. Vid. IV, 336. Cf. etiam Stat. Theb. I, 416. *totosque infusa per artus Maior in exiguo regnabat corpore virtus.* — 727. *magno se corpore miscet* omissa Praepos. *cum*, ut VIII, 510. XII, (445.) 838. et ap. Lucr. III, 233. *aura mixta vapore.* Henry *Tw. years* VI. p. 37. et Philol. XVII. p. 641. *magnum corpus* de terra modo intelligit coll. Geo. II, 327. et Pervig. Ven. 55.; cui tamen recte adversatur Conington. — 728 sq. „Inde, ex hac mente mundi omnia *sunt*, h. e. animam et vitam habent. Cf. Geo. IV, 212—226.“ *Heyn.* Rectius *Wagn.*: „ex hac consociatione quasi patris, spiritus illius, et matris, elementorum, generantur animalia.“ — *volantum.* Vid. Lucr. II, 1083. et adnott. ad Geo. III, 541. Ceterum huic loco similem legimus Geo. IV, 223. — 729. „*marmoreo aequore*, quod splendet sole, ex Homerico *ἅλα μαρμαρέην* Il. XIV, 273. *Marmor* pro mari, ut Geo. I, 254. et Aen. VII, 28. Praeiverant iam Ennius ap. Gell. II, 26. [Ann. XIV. fr. I. p. 57. Vahl.] *Verrunt extemplo mare marmore flavo.* Lucr. II, 766., Catull. 63, 88.“ *Heyn.* Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 254. — *monstra* hic de omnibus bestiis marinis intelligenda, quarum sane multae monstrosa forma insignes sunt. — 730 sqq. „*Illis seminibus*, h. e. his animabus, ex anima mundi, tamquam ex igne scintillae, petitis, et in humanum corpus traductis, inest ignea vis (qualis aetheris est) et aetherea natura.“ *Heyn.* Respondet autem Anchises his verbis ad ea, quae Aeneas v. 719. rogaverat. Cum toto loco cf. Silius XV, 71 sqq., de *igneo* autem *vigore* s. vi aetherea, quae seminibus inest, quia ipsa illa anima mundi aethereae est naturae, Cic. Tusc. I, 9, 19. III, 1, 2. de Rep. p. 81. Heinrich. Wyttenb. ad Plutarch. de ser. num. vind. p. 35. Creuzer. ad Cic. N. D. III, 14. et Tennemann. *Gesch. d. Philos.* T. IV. p. 59. et de *seminibus* adnott. ad Geo. II, 151. — De forma *ollis* vid. ad I, 254. — 731. „*noxia cor-*

Terrenique hebetant artus moribundaque membra.
Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, neque auras
Dispiciunt clausae tenebris et carcere caeco.
Quin et supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris nec funditus omnes

---

pora, quandoquidem vim divinae flammae obtundit terrestris natura corporis." *Heyn.* Plures Codd. (cum Pal. et Gud.), quos sequuntur Ribbeck. et Benoist., inverso ordine *corpora noxia.* Sed meliorem lectionem ex melioribus libris tuentur Med., fragm. Vat., Rom., alii et Macrob. S. Scip. I, 14, 15. Peerlk., haerens in voc. *seminibus*, verba sic transponenda censet: - - *origo, Noxia seminibus quantum non corpora tardant*, ut haec sit totius loci sententia: „Spiritus et mens agitant hanc rerum molem. per omnes eius artus infusa: ex hac mente divina homines et animalia vitam accepere. Animabus hominum est origo coelestis; sed corpora, origini coelesti, seminibus, noxia, eum originem ac semina, igneum vigorem tardant; artus et membra mortalia eum vigorem hebetant." — *tardant - - hebetant.* Cf. V, 395. *gelidus tardante senecta Sanguis hebet.* — **732.** *moribunda membra*, mortalia. Vid. ad Geo. III, 488. — **733.** „*Hinc metuunt cupiuntque* [scil. animae: vid. v. 720. et 730.], a corporis contagio animorum perturbationes et cupiditates proficiscuntur." *Heyn.* Verbis enim *metuendi* et *cupiendi, gaudendi* et *dolendi* omnium cupiditatum complexum significare veteres, adnotat Thiel. laud. Cic. Tusc. III, 11, 24. IV, 6. et Schmidio ad Hor. Ep. I, 6, 13 sq. — Verba *Hinc metuunt - - gaudentque* repetuntur in Anth. Lat. III, 81, 24. — *auras* Wagn. coll. I, 546. per lucem, Henry autem (in *Tw. years* VI. p. 38. Philol. I. l. et Nov. Ann. phil. LXVIII. p. 618.), quem iure sequuntur Ladew., Conington et Benoist., rectius per caelum explicat, cum etiam Aen. II, 759., ubi de noctis tempore sermo sit, legamus *furit aestus ad auras.* Praeterea confert II, 158. III, 422. 576. V, 520. X, 898. Geo. II, 291. III, 530. In illo autem, ad quem Wagn. provocat, loco *auram* et lucis et aëris notionem in se complecti vidimus; nusquam autem *aura* (vel *aurae*) simpliciter lucem significare potest. — **734.** *Dispiciunt* Heins. restituit ex pluribus libris, neque aliud quid sibi vult plurimorum Codd. (Med., Pal., Rom., fragm. Vat., aliorum) lectio *Despiciunt*, quam minus recte defendunt Wakef. ad Lucr. II, 741. et Iahn. ad Geo. II, 8. p. 405. ed. II. (qui explicat: spectant illuc, ubi lucem et auras esse putant) et receperunt Ladew. (qui tamen in recentissima edit. rursus ad *dispiciunt* rediit) et Haupt. Alii denique (ut etiam Servii et Donati ad Ter. Andr. V, 4, 34. Codd. quidam) *Respiciunt. Dispicere* Wagn. docet proprie de iis dici, qui antea caeci, vel in tenebris versati (nictantes), primum lucem videant, et in Philol. Suppl. I. p. 347. hoc commendari censet verbis adiectis *clausi tenebris et carcere caeco*, causam indicantibus, quare *dispicere* non possint. Cf. Cic. Finn. IV, 23, 64. II, 30, 97. et, ubi metaph. usurpatur, Tusc. I, 19, 45. Or. post red. 3. ad Att. II, 20. Liv. XLIV, 6, 17. Ter. Andr. II, 5, 16. et similes locos, et vid. Ernestii Clav. Cic. h. v. et Boetticher. Lex. Tac. p. 158. Henry vero in *Tw. years* VI. p. 40 sq. et Philol. XVII. p. 641. defendit antiquarum editt. lectionem *Respiciunt*, cum *dispicere* praeterea apud Verg. non inveniatur et hic minus aptum sit. — *clausae* (scil. *animae*, quod ex v. 720. repetendum: vid. adnott. ad VIII, 270.) *tenebris et* (explicative: vid. ad Ecl. III, 34. et Aen. I, 111.) *carcere caeco* corporis. „Nam corpus vinculis animi tenebrisque assimilatur, quibus ille offuscatur, et a libera rerum contemplatione retrahitur. Cf. Somn. Scip. sub f." *Heyn.* De corpore tamquam carcere animi cogitato Thiel. conferri iubet Wyttenb., Heind., imprimisque Stallb. ad Plat. Phaed. c. 6. p. 62. B. (qui etiam cf. ad Cratyl. p. 400. C.), Wagn. vero Plat. Gorg. §. 79. — **735** sqq. „Adeo materiae s. terrestris corporis sordes inolescunt animabus, ut iis ne dissolutis quidem a corpore illae facile elui possint. Itaque purgationes fiunt operosae aqua, aëre, igni, in locis inferis." *Heyn.* — *supremo lumine*, ultimo vitae die, ut ap. Lucr. I, 547. *supremo tempore*

Corporeae excedunt pestes, penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis veterumque malorum
Supplicia expendunt: aliae panduntur inanis
Suspensae ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus aut exuritur igni.

— *vita reliquit.* Cf. id. Lucr. V, 64. *quem vita reliquit.* — **737.** *corporeae pestes*, perturbationes, cupiditates (cf. v. 733.), quas tamquam animi morbos, ulcera, cicatrices, maculas, sordes cogitatas esse memorat Heyn., unde repetenda sit animarum nudatio coram Rhadamantho ap. Plat. Gorg. extr. p. 356 sq. et Plutarch. de ser. num. vind. T. II. p. 563 sq. Vid. Heindorf. et Wyttenb. ad hos Plat. et Plut. locos et cf. similis Taciti locus Ann. VI, 6. — „V. **738.** inversa est oratio. Debebat sequi: *nec excedunt — sed penitus inoluerunt, concreverunt:* unde v. 746. *concreta labes.* Hoc ita extulit: nec mirum hoc; quin *necesse est, multa*, multum vitii, *diu*, per tam longum vitae tempus, *concreta inolescere p. m. m.*“ *Heyn.* Haud raro autem Latinis simplex Copula, quae vim explicandi habeat (vid. ad Ecl. III, 34. et al.), post verba negativa ita ponitur, ut Particulae adversativae vicibus fungi videatur. Cf. v. c. Ovid. Met. XII, ,521 sq. *Felix morte sua nec te, mea nata, peremptam Adspicit, et vitam pariter regnumque relinquit.* Heusing. ad Cic. Off. III, 6, 16. (*nulla nobis societas cum tyrannis et potius summa distractio est*). Goerenz. ad Cic. Legg. I, 14, 41. (*qui nihil alterius causa faciet et omnia commodis suis metietur*). Schmid. ad Hor. Ep. II, 1, 53. Kritz. ad Sall. Cat. 20, 17. et Iug. 31, 20. Matth. ad Cic. pr. Mur. 34, 71. Hertel. ad Tac. Agr. 39. et Thiel. ad h. l. — *concreta.* Cf. *concreta labes* infra v. 746. — *modis miris.* Vid. ad I, 354. Ceterum Fea in *Saggio di nuove Illustr.* p. 127. coni. *abolescere,* quod iam Heyn. et post eum Henry in *Tw. years* VI. p. 41. recte reiecit. Vid. v. c. Claud. in Ruf. II, 504. *en pectus inustae Deformant maculae vitiisque inolevit imago.* Cf. etiam Geo. II, 77. Idem fere est Aen. II, 77. *rei alicui increscere.* — **739.** Fingit poëta, nullam animam, corporis terrestris vinculis expeditam, omnes statim corporis sordes exuisse, sed cunctas apud inferos demum lustrari, s. per varias *poenas* et *supplicia* ab iis sordibus purgari et liberari. Eiusmodi autem purgationem eo aptius hic commemorari adnotat Heyn., „;cum iam in sacris et initiis lustrationibus et expiationibus adsueti essent veterum hominum animi.“ — *Exercentur poenis.* Vid. ad III, 182. Supra v. 543. *poenae* ipsae *exercentur.* — *veterum malorum.* Cf. supra v. 527. — **740.** A sollemnibus purgationum et lustrationum ritibus haec petita esse, non est quod doceam. Pro varia autem scelerum natura lustratio fit aut aëre (*ad ventos panduntur*), aut aqua (*sub gurgite eluitur scelus*), aut igni (*exuritur igni*). — Verba *Supplicia expendunt* legimus etiam in Anth. Lat. I, 170, 24. Cf. autem infra XI, 258. ibique adnott. Sequentia *panduntur suspensae ad ventos* Cerda et Henry (*Tw. years* VI. p. 44.) ad crucem referunt, quam rationem fortasse probandam censet Conington; mihi Servius rectius de ventilatione videtur cogitare, quamquam quae addit de *oscillis* Geo. II, 389. commemoratis, minus huc quadrare censeo. — *inanis.* Vid. ad Geo. IV, 196. Henry *Tw. years* VI. p. 43. *inanis* non habet Accus. ad *ventos* referendum, sed Nomin., ut sensus sit: „*are hung up for the winds to blow through their unsubstantial forms.*“ — **741.** *aliis sub gurgite vasto* etc. Cf. supra I, 118. *iu gurgite vasto* et quod ad ipsam rem attinet, Ovid. Met. XIII, 951 sqq. — **742.** *Infectum scelus*, i. e. quo se infecerunt, labes sceleris. Cf. adnott. ad v. 541. Alteram explicationem: „eluitur, ut pro infecto sit, i. e. non facto,“ recte reiicit Wagn., Gossrau tamen defendere studet, cui iure adversatur Conington. Cf. etiam de verbo *inficiendi* Gronov. ad Senec. Ep. 94. Wagn. confert Cic. ad Att. I, 13, [3.] *hoc, quod infectum est.* — *eluitur.* Cf. Ovid. Met. XI, 141. *Spumiferumque tuum fonti - - Subde caput, corpusque simul, simul elue crimen,* et Sen. Ep. 59.

Quisque suos patimur Manis; exinde per amplum
Mittimur Elysium et pauci laeta arva tenemus,

Diu in istis vitiis iacuimus; elui difficile est; non enim inquinati sumus, sed infecti. — **743** sqq. Locus inter difficillimos habitus et ab editoribus vario modo tentatus. *Heyn.* de eo sic iudicat: „Ut nunc versus se excipiunt, aut nova in Elysio fit aut inchoata ante animarum purgatio in Elysio absolvitur, quod omnino novum est et insolens. Nam si vv. 743. 744. iam peracta purgatione in Elysium missae sunt animae, quomodo iterum v. 745. sequi potest *Donec longa dies* cett., h. e. donec purgatae fuerint?" Quare hic vir doct., Trappium et edit. Parmens. secutus, versus sic transponendos censet, ut vv. 743. et 744. post v. 747. collocentur, quam transpositionem etiam Brunck. et Both. probant atque Ribbeck., vulgarem rationem a Wagn. in Emend. Verg. p. 41. frustra defendi iudicans, re vera effecit, quem tamen posteriorum editorum nemo secutus est; alii vv. 745—747. post v. 742. collocandos, alii denique aut vv. 743. et 744. aut vv. 745—747. spurios esse statuerunt. Fuerunt tamen etiam, qui locum defenderent et nulla transpositione facta omnia bene cohaerere censerent. Fea enim in *Nuove illustrazioni sulle Egloge Georgiche di Virgilio* p. 127. et 131 sqq. putat, secundum Vergilium purgationem ipso itinere per Elysium facto demum absolvi; quod tamen cum per se minus probabile videtur, tum propterea non placet, quod non tantum de itinere per Elysium facto, sed de longa et quieta commoratione in laetis arvis (*laeta arva tenemus*, *D. longa dies* cett.) sermo est. Eandem fere sententiam proponit Thiel., qui censet, nihil impedire, quominus commorationem animarum in Elysio pro altero quasi gradu purgationis et iterata quadam curatione (*eine Nachkur*) habeamus, qua animae, priusquam ad superos redeant, in primum et nativum statum prorsus restituantur. Accuratius etiam *Iahn.* in altera edit.: „Post lustrationem factam animae purgatae ad campos Elysios perveniunt; sed ibi bifariam distribuuntur. Pleraeque enim solummodo Elysium transeunt et recta via ad fluvium Lethen pergunt, ut in nova hominum corpora redeant [potius: brevissimum modo tempus in Elysio versantur et purgatione cito perfecta mox in nova corpora redeunt], paucae diutius in arvis laetis Elysii vivunt, donec diuturna vacatione omnem corporis labem abiecerint, ut post mille annos purissimae ad superos revertantur ibique probatissimorum hominum animae fiant." Negari tamen nequit, Vergilium hanc sententiam paulo obscurius et brevius, quam debebat, protulisse; quare statuerim, poëtam hunc locum, festinanter modo in chartam coniectum, alteri recensioni perficiendum et limandum reliquisse. Wagn. omnem difficultatem sublatam censet Particula *donec* per *cum tandem* explicata; sed ante omnia vir doct. probare debebat, hoc significare posse Particulam eoque sensu a veteribus vere usurpatam fuisse, quod iure negavit Hand. Turs. II. p. 295. (Cf. adnott. ad Geo. III, 558.) Henry denique *Tw. years* VI. p. 42 sq. et Philol. XVII. p. 642 sq. versum 742. arcte cohaerere censet cum verbis *Donec longa dies* etc. v. 745., atque v. 743. et 744. quasi per παρένθεσιν esse interiectos (ut II, 434.), quibus Anchises dicat, cum modo breviore, modo longiore purgatione opus sit gradu improbitatis respondente, sibi et amicis suis Troianis purgationis tempus brevissimum fuisse; quod quomodo ex Vergilii verbis erui possit, non perspicio. — Verba *Quisque suos patimur Manes* vulgo cum Servio ita capiunt, ut voc. *Manes*, quod alibi deos inferos (ut X, 34. XII, 646. Geo. IV, 489. 505.) adeoque Furias (ut X, 39.) significet, hic dictum sit pro conditione, qua Manes sint, i. e. pro ipsis poenis, suppliciis; coll. Auson. Ephem. 57. *si poenitet, altaque sensus Formido excruciat, tormentaque sera gehennae Anticipat, patiturque suos mens saucia Manes*, et Stat. Theb. VIII, 84., qui locus minus huc quadrat; et ita sane intellexit hunc locum Paullinus Poem. V, 57., verba *quisque suos patimur Manes* in carmen suum transferens, eandemque rationem etiam Val. Flaccum III, 389. quodammodo iuvare dixeris, qui h. l. aperte imitatus scripsit: *Quisque suos sontes inimicaque pectora poenis Implicat* cett. Quare etiam Gossrau eandem amplectitur interpretationem

Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem purumque relinquit

---

et sane negari nequit, hanc summam esse sententiae, modo etiam conditio Manium simul respiciatur, qua illas poenas patiuntur. Ideoque Heyn. (cui adsentitur Iahn. in priore edit.) sic explicat: „omnes patimur haec supplicia (subimus illas purgationes tormentorum similes), non quidem quales nunc sumus, animae corpori inclusae, sed quoad *suos quisque Manes*, pro vulg. nostrum omnium Manes patiuntur, omnium Manibus ista patienda sunt.“ Sed hic Accusativus absolutus habet profecto, quae offendant; quare equidem, *Manes* pro ipso Accusativo Obiecti habens, locum sic capio: quisque nostrum eas patitur vexationes (tria enim genera purgationis antea commemorata sunt), quae purgandae Manium suorum naturae (i. e. iis moribus, quibus praeditus ex vita discedens inter Manes receptus est, et quos ab initio etiam inter Manes versans retinet) his vel illis vitiis commaculatae sunt convenientissimae. *Pati* igitur *Manes suos* („*seinen sündhaften Seelenzustand büssen*“) eadem fere ratione dictum, qua *expendere scelus* pro *exp. poenam sceleris* et similia et quod ad constructionem attinet, cf. VII, 21. *ne monstra pii paterentur talia Troes*, i. e. conversionem in talia monstra. Eandemque fere loci explicationem proponunt Münscher Obss. in Verg. Aen. 22., Thiel. multa de h. l. disputans, Iahn. in ed. II., Bryce (cuius longa adnot. minus clara est, qui tamen ad v. 450. totum hunc locum inde a v. 724. satis recte in linguam Anglicam transtulit), Ladew., Wagn. in recentiss. demum edit. (qui coll. Ovid. Tr. V, 14, 12. *Divitis ad manes nil feret umbra suos* recte sic distinguit inter *manes* et *umbras*, ut, quod in vivo homine corpus, id in mortuo sit umbra, quod animus, manes; quare cum animus causa sit omnium peccatorum, *suos manes pati* interpretatur: „poenas libidinum atque omnis pravitatis suae pati“) et Henry in Philol. XVII. p. 642 sq. In mai. edit. Wagn. memorabilem censet lectionem Codd. Gud. ap. Arusianum p. 257. Lindem. *mores*, quae mihi ex glossemate orta videtur. Wachsmuth. in Athenaeo I. p. 269. pro *suos Manes* coni. *suas poenas* vel *suos menses*, et Peerlk. *Quisque suum patimur Manes*, i. e. Animae expendunt malorum suorum supplicia, cui coniecturae tantum tribuit, ut adiiciat: „Verbo non opus est, ut emendatio tam simplex commendetur.“ Praeterea de h. l. egerunt Bauer. ad Sanct. Min. II. p. 365. I. F. Wagner. de locis quibusd. Verg. etc. p. 5. et Hoegg. l. l. p. 14., quorum commenta praetereo. Süpflius hic quoque tacet. De notissima autem verborum coniunctione *quisque patimur suos M.* cf. Ruhnk. ad Ter. Heaut. I, 1, 71. Drak. ad Liv. II, 22, 7. Cort. ad Lucan. I, 498. Oudend. ad Caes. B. I, 39. Kritz. ad Sall. Cat. 6, 2. 7, 1. Hertel. ad Tac. Agr. 3. Daehn. ad Nep. Them. 4, 2. Bach. ad Ovid. Met. I, 59. et V, 212. Ruddim. II. p. 369. Zumpt. §. 367. alii. — *exinde*, postquam tam diu purgationi fuimus obnoxii. — *per Elysium* non solum est *ad Elysium*, ut Heyn. interpretatur, sed proprie intelligendum. Vid. supra ad v. 743. Ceterum sunt, qui *laeta arva* ab Elysio distinguant; haud dubie haerentes in voc. *pauci*, de quo etiam *Heyn.*: „Tenet et moratur nos, quod *pauci* in loca laeta mittantur; quid igitur fit de ceteris? Eorumne purgationes absolvuntur nullo tempore? Nam ii, qui ad Tartarum relegantur, ne ad purgationes quidem admitti, nec admitti posse videntur.“ — Rectius: *pauci*, quia plerique ita sunt vitiis infecti, ut nulla purgatione plane ab iis liberari possint. Servii opinio, quae minus purgentur animae, eas ad corpora redire, et statim quidem, quae male vixerint, quae melius, tardius, recte reiicitur a Wagn., cum huius doctrinae apud Verg. nullum inveniatur vestigium. Peerlk. verba *exinde per amplum - - arva tenemus* spuria habet. — **745.** *Donec longa dies*, longum tempus ad purgationem constitutum (cf. V, 783. ibique adnott.) etc. Ergo etiam in Elysio continuatur purgatio et demum puriore eius aura (v. 640.) prorsus perficitur, quo facto animae in terram redeunt et novis induuntur corporibus. — *perfecto temporis orbe*, definitum post tempus, h. e. mille annos. Vid. v. 748. et cf. Pauli ad Gal. 4, 4. verba ὅτε ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου. — **746.** *concretam la-*

Aetherium sensum atque aurai simplicis ignem.
Has omnis ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno,
Scilicet inmemores supera ut convexa revisant
Rursus et incipiant in corpora velle reverti."
Dixerat Anchises natumque unaque Sibyllam

---

bem. Vid. v. 738. — *relinquit*, quod praebent Med., fragm. Vat., Bern. II. a m. pr., alii, Iahnius iam restitui iusserat, et vere restituit Wagn., quem (ut omnes recentiores editores praeter Bryceum) secuti sumus; vulgatum enim *reliquit* (quod exhibent Pal., Rom., Gud., alii) antecedenti *exemit* accommodatum videtur; de Praesente autem Perfectum sequente, quo significatur res priorem secuta et ex ea orta, vid. adnott. ad Geo. III, 228. et Aen. II, 465. — „*purum aetherium sensum*, mentem illam (*sensus* pro affectione animi, et hinc pro animo ipso) ex aethere deductam [cf. Geo. IV, 220.]; cumque idem aether sit ignis purissimus, explicative subiicit: *atque auraï simplicis ignem*. De igni *auram* proprie dici, ut de luce, supra v. 204. vidimus. Itaque anima tandem ad pristinam integritatem aetheriam restituitur." *Heyn.* Videtur autem Vergilius spectare Pythagoreorum et Stoicorum doctrinam, quae mentes hominum ex universa mente divina esse delibatas (*ein Ausfluss od. Theil des aetherischen Weltgeistes*) statuit. Cf. Cic. Cat. mai. 21. de N. D. I, 11, 27. Senec. Ep. 120. idemque in Cons. ad Helv. 6. etc. Idem sibi vult Hor. Sat. II, 2, 79. *divinae particulam aurae* commemorans, ubi vid. Orell. Ceterum cf. Geo. IV, 220 sq. Hotting. ad Cic. de Div. I, 11, 17. Lamb. et Heind. ad Hor. Sat. II, 2, 79. Rupert. ad Silium XV, 71. et Goerenz. ad Cic. Legg. I, 12, 33. — *aurai simplicis ignem.* Wagn. confert Cic. Tusc. I, 18, [42.] *Calidior est vel potius ardentior animus, quam est hic aer crassus atque concretus.* — De forma *auraï* (quam hic exhibent Bern. III. atque a m. sec. Gud. et Bern. II., testanturque Serv. ad VII, 464., Prob. Inst. I, 18, 10. et Anon. de nom. I. p. 127. Endl.) vid. ad III, 354. — 748. *Has omnis*, scil. animas hoc modo purgatas. — Verba *ubi mille rotam* cett. Heyn. recte sic interpretatur: „ubi mille annorum rota voluta, h. e. circumactus orbis est," et *volvere rotam* per: „exigere tempus in orbem rediens." (Cf. Geo. II, 295.) Servius haec adnotat: „*Rotam volvere per annos*: exegerunt statutum tempus per annorum volubilitatem. Est autem sermo Ennii" (cf. Hessel. p. 148.). Quem autem Ennii locum Servius respexerit, nescimus; vix enim esse potest versus ille ab Isidoro Orig. XVIII, 36. servatus (Ann. fr. inc. 84. p. 80. Vahl.) *Inde patefecit radiis rota candida caelum.* Idem *Heyn.* confert Ciceronis locum in Somn. Scip. 2. *cum aetas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit*, et *mille annos* ex Plat. Rep. X. p. 615. A. et Phaedro p. 1223. D. Steph. sumptos esse, Silium autem XIII, 558. *annos* in *lustra* mutasse, et Ciceronem in Somn. Scip. s. f. omnino *multa secula*, Pindarum contra in fragm. ap. Plat. Men. p. 415. B. ed. Frf. [s. p. 81. Steph.] (in Fragmm. Pindari ex Threnis III. p. 36 sq. [s. fr. 98. Bergk.]) *novem* modo *annos* commemorare docet. Peerlk. pro *rotam* sine iusta causa coni. *aevum.* — 749. „*deus evocat*, non hic de Mercurio agitur, quod putant Intpp., sed est ὁ δαίμων, indefinite. Vid. Plat. Rep. X. p. 765. E." *Heyn.* Ceterum cf. supra v. 714 sq. — *agmine magno*, ut Geo. 1, 381. — 750. *supera convexa*, caelum, ut supra v. 241. Vid. ad IV, 451. — 751. Vulgo distinguunt post *revisant*, et *Rursus* cum seqq. coniungunt; sed vere memorat Wagn., hic non eam esse vim Particulae *rursus*, ut inde nova sententia recte ordiatur: quare secutus est Cod. Med. rationem, qui post *rursus* incidit, eandemque rationem etiam Peerlk., Süpfl. et Bryce amplexi sunt; in min. tamen edit. cum Gossr. Comma prorsus omisit, ut *rursus* ad utrumque sententiae membrum pertineret; eaque ratio (quam nobiscum etiam Haupt., Ladew., Coningt. et Benoist. sequuntur) sane optima videtur. De pleonasmo *rursus revisere* vid. ad Geo. I, 200. et supra ad v. 449. — *incipiant velle reverti*, ut ipsae desiderium

Conventus trahit in medios turbamque sonantem
Et tumulum capit, unde omnis longo ordine posset
Adversos legere et venientum discere voltus.
„Nunc age, Dardaniam prolem quae deinde sequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illustris animas nostrumque in nomen ituras,

---

superas auras revertendi sentire incipiant; *velle* enim liberam, non coactam voluntatem eius significat, qui ultro, ἑκών, aliquid facit. Nondum autem omnes revera incipiunt reverti, sed tantum incipiunt velle reverti, quia singulis animis exspectandum est tempus, quo id cuique liceat. Thiel. conferri iubet Bach. ad Tib. IV, 2, 11. Heind. ad Hor. Sat. I, 4, 111. et Daehn. ad Nep. Att. 4, 2. praeterea autem Tib. I, 2, 94. III, 4, 4. Prop. III, 6, 4. Ovid. Her. XXI, 57. Cic. Coel. 37, 73. cett. Respexit hunc locum Silius XIII, 558. *mille peractis - - redeunt in corpora lustris.* — **753.** „*turbam sonantem,* de strepitu, ex Odyss. XXIV, 5. ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο. Cf. Hor. Serm. I, 8, 41. et supra v. 707 sqq.“ *Heyn.*: Verba *turbam sonantem* legimus etiam XII, 248. — **754.** *tumulum capit,* ut XII, 562. — *longo ordine.* Vid. supra v. 482. — **755.** „*adversos,* ex adverso incedentes animas, *legit,* recenset, recognoscit [oculis cernit, quo tamen sensu hoc verbum alibi vix invenies positum, quamquam *oculis perlegere* supra v. 34. scriptum vidimus].“ *Heyn.* — *posset* est plurimorum Codd., inter quos Med. et Rom., lectio, quam pro vulg. *possit* (etiam a fragm. Vat. et Gud. exhibita) cum Wagn. revocavimus, cum etiam Nonius v. *legere* p. 133. exhibeat *possent,* librarii autem post Praesentia Imperfectum potius in Praesens, quam Praesens in Imperf. mutasse putandi sint. Wagn. Vergilium fortasse terminationem *it* ter redeuntem vitare voluisse putat: per se enim utraque lectio bonum sensum praebet. Imperfectum nimirum, quid Anchises fecerit et quo consilio, tamquam rem praeteritam simpliciter narrat; Praesens autem narrationem interrumpit, et rem ipsam, quae agitur, tam vivide nobis ante oculos ponit, ut narrantem poëtam paene obliviscamur et Anchisem ipsum consilium prodentem audire videamur. Quare, si interna modo causa respicienda esset, Praesens amplecterer; externae tamen causae Imperfectum praeferri iubent. Iahn. in priore edit. Praesens (quod etiam Thiel. et Bryce receperunt), in altera (ut ceteri editores Wagnero posteriores omnes) Imperf. praetulit. Ceterum cf. etiam adnott. ad I, 297. — **756** sqq. Cf. I, 19 sq. Admodum prudenti iudicio poëtam rem ita instituisse, ut ab ipso stirpis progenitore in filii, eiusdem gentis auctoris, gratiam hic recensus exhiberetur, Romanis haud dubie iucundissimus et genti Iuliae quam maxime commendabilis, Heyn. iam observavit. — *Dardaniam prolem quae sequatur gloria* cett. Enarrabo clara facta et fata posterorum tuorum. — *deinde,* post tuum aevum, postero tempore. Sic supra v. 561. *quae te circumstent deinde pericula,* i. e. post hunc casum, futuro tempore. Infra v. 890. *bella, quae deinde gerenda,* i. e. post hoc tempus. Geo. IV, 225. *huc reddi deinde,* i. e. post vitam transactam etc. Cf. etiam adnott. ad III, 609. et V, 741. — **756.** *Nunc age.* Vide adnott. ad Geo. IV, 148. — **757.** „*qui maneant* [tibi], exspectandi sint [vid. supra v. 71. et 84. III, 505. etc.] *nepotes Itala de gente,* de nova stirpe in Latio ex Lavinia suscipienda.“ *Heyn.* Ceterum cf. ad I, 686. III, 602. et al. adnott. — **758.** *nostrum in nomen ituras* pro vulg.: futuras ex nostra gente et nomen nostrum (i. e. Troianum) propagaturas, ut in simili Lucani loco VI, 375. *Solus in alterius nomen cum venerit undae, Defendet Titaresus aquas.* Conferri etiam possunt dicendi formulae *in nomen adsciscere, assumere,* pro: in familiam adoptare, ap. Tac. Ann. III, 30. Plin. Ep. VIII, 18. al. „Quod autem Anchises haec exponere et futuras res praedicere potest, ad divinandi munus pertinet, quod ille a Venere acceperat. Vid. supra II, 687 sq. et al.“ *Heyn.* Servius haec adnotat: „Cetera, quae hic intermissa sunt, in ἀσπιδοποιΐᾳ commemorat,“ i. e. VIII, 728 sqq., quare, etiam Hey-

Expediam dictis et te tua fata docebo.
Ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta,
Proxuma sorte tenet lucis loca, primus ad auras
Aetherias Italo commixtus sanguine surget
Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles,
Quem tibi longaevo serum Lavinia coniunx

---

nio iudice, in hoc recensu multa sane poëtae praetermittenda erant, ne bis eadem narraret. — **759.** *Expediam dictis.* Vid. ad III, 379. et 460. — *tua fata* Aldenh. p. 18., Gossr. et Ladew. ita acceperunt, ut fata Aeneae dicerentur, quae posteris eius eventura essent, ut, cuius quantique populi progenitor futurus esset, a patre doceretur, Dietsch. autem Theol. Verg. p. 30. coll. infra v. 889 sqq. sic potius explicat: quae tibi instent, cum in Italiam perveneris. Ceterum iteratur hic versus in Anth. Lat. I, 178, 414. — **760** sqq. „Gens Iulia ab Ascanio seu Iulo ducta, qui patri successit et Albam Longam condidit (cf. supra I, 267 sq.); sed reges Albani a Silvio, qui ex Lavinia posthumus Aeneae natus erat. Haec est fama, quam h. l. poëta sequitur. Alii Ascanii filium et successorem Silvium faciunt. Alii aliter tradunt. Vid. Liv. I, 3. Aur. Vict. O. G. R. 16. 17. Dion. Hal. I, 70. Ovid. Fast. IV, 40. et Serv. ad h. l.“ *Heyn.* — *Vides* parenthetice interpositum, ut in Cir. 267. et Sil. III, 622. Sic etiam apud Ovid. Met. VII, 756. *cernis.* Vid. Gronov. Obss. IV, 18. et Interpp. ad Silii l. l., de Graecis autem, qui eodem dicendi genere utuntur (ὁρᾷς), Valcken. ad Eur. Phoen. 726. et Brunck. ad Soph. Philoct. 832. Heyn. existimat, scribi etiam posse *vides?* Sed recte adversatur Peerlk., qui docet, interrogatione plerumque orationem magis concitatam indicari, sedato autem pectore loquentes dicere *vides*, idque huic loco unice aptum esse, cum in habitu Silvii nihil sit tanta admiratione dignum. — *pura hasta*, non ferro praefixa, δόρυ ἀσίδηρον, i. e. sceptrum, insigne regium. Wagn. vero et Ladew. fortasse rectius cum Servio cogitant de eiusmodi hasta praemio fortitudinis bellicae donata. Nam sane etiam triumphantibus *hasta pura* tribuitur a Propertio V, (prius IV,) 3, 68. et Suetonio Claud. 28. — **761.** *Proxuma tenet sorte lucis loca* (cf. supra v. 434. et V, 132.), huic primum sors continget in regiones lucis, ad superas auras i. e. in vitam ex inferis redeundi. Vid. supra ad v. 721. Cum Vergilius in Elysio saepe *lucos* commemoret, Peerlk., ut ambiguum vitetur, profert coniecturam *luci;* qua tamen, si vere loco inesset ambiguitas, nihil nos lucrari quisque videt. Quod attinet ad *sortem*, Conington conferri iubet Hor. Od. II, 3, 25 sqq. — **762.** *ad auras Aetherias.* Vid. supra ad v. 128. Lachm. ad Lucr. III, 405. p. 167. etiam hic scribi vult *aërias*, ut V, 520.; sed Ribbeck. recte opponit infra v. 790. — *Italo commixtus sanguine.* Cf. VIII, 510. *mixtus matre Sabella.* — *surget.* Med. exhibet *surgit*, ut v. 765. *educit.* — **763.** *Silvius*, Aeneae filius ex Lavinia, quare *Italo commixtus sanguine* dicitur. — „*Albanum nomen*, h. e. Albanus, Albae Longae rex. Nec male tamen sic accipias: nomine inter Albanos domestico appellatur Silvius. Quo ducere potest Livius l. l. *mansit Silvius postea omnibus cognomen, qui Albae regnarunt.* [Vide tamen XII, 515. ibique adnott.] Argutias veterum Grammaticorum super *postuma proles* vid. ap. Gellium II, 16. [qui Silvium *Aenea iam sene tardo seroque partu editum esse* refert].“ *Heyn.* Henry (*Tw. years* VI. p. 44. et Philol. XVII. p. 641. *postumam prolem* de infante post patris mortem edito intelligit (quo sensu *postumus* ap. Plaut. Aul. II, 1, 40. Varr. L. L. IX, 38. alibi invenitur), ideoque *serum* versu sequ. explicat sero conceptum. Simplicius tamen est cum Caesellio ap. Gellium l. l. sumere, *postumum* hic esse postremo loco natum, ut etiam Neue *Formenl.* II. p. 77 sqq. statuit. Conington putat, Vergilium exprimere velle Homeri τηλύγετον, cum *postumus* secundum Gaii Inst. I, 147. et Ulpian. Dig. XXVI, 2. etiam dicatur, qui patre adhuc vivo post testamentum iam factum natus sit. — **764.** *serum.* Cf. infra VIII, 582., ubi Evander senex de Pallante:

Educet silvis regem regumque parentem,
Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.
Proxumus ille Procas, Troianae gloria gentis,
Et Capys et Numitor et qui te nomine reddet
Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si umquam regnandam acceperit Albam.
Qui iuvenes! quantas ostentant, aspice, viris!
Atque umbrata gerunt civili tempora quercu:

---

mea sola et sera voluptas. — **765**. *Educet silvis.* „Fabulae de Silvio in silvis educto locum fecisse videtur nomen ipsum, ut fabulis de Romulo et Remo ficus Ruminalis et similitudo vocis *ruminis*, h. e. mammae.“ *Heyn.* — *educet* pro educabit, ut infra iterum v. 779. VIII, 413. Plaut. Curc. IV, 2, 32. Ter. Heaut. II, 1, 14. Cic. ad Div. VI, 5. Hor. A. P. 244. (ubi tamen pro *educti* rectius legi videtur *deducti*) Drak. ad Liv. XXI, 43, 15. et Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 5, 39. Adversatur tamen Conington, qui *educet* hic et v. 779. pro *pariet* positum censet atque comparat Plaut. Poen. I, 2, 143. et Plin. X, 54, 75., ubi *educere* significet „*bring forth*.“ — *regem regumque parentem.* Cf. IX, 642. *Dis genite et geniture deos.* — **766**. *Unde genus* etc. Cf. I, 6. et V, 123. — *Longa Alba*, non *Albae Longae*, quia, si nomini urbis locum indicantis, ubi aliquid fit, Adiectivum adiicitur, non facile Casus locativus, quem vocant, usurpatur. Cf. Schmitthenner *Ursprachlehre* p. 264. Frid. Rosenii Prolus. corporis radicum sanscritarum p. 12. sq. Hoffmann. in Censura Gramm. Ramshorn. in Iahnii Annall. a. 1828. II, 1. p. 24. Beneck. ad Iustin. XIX, 2, 8., non neglectis tamen iis, quae contra illos disputat Kochius in Prooemio ad Lexicon geograph. p. XIII sq., cui certe in eo non adsentior, quod *Alba Longa* hic significare putat *von Alba L. aus, von Alba L. her.* Cf. potius supra I, 285. *victis dominabitur Argis* et III, 97. *Hic - - cunctis dominabitur oris.* Cognomen autem etiam a pedestris orationis scriptoribus interdum ita praemitti ipsi nomini, docet Livii exemplum I, 8. Ceterum vid. adnott. ad Aen. I, 271. — **767** sq. „Nec omnes Albanorum reges, nec ordine suo recitat: poëta est, non historicus; ipsa nominum antiquitate carmini dignitatem et gravitatem parari bene intelligebat. — *proximus* ergo, qui adstat. [Nam sextus fuit rex Albanorum, ut Numitor tertius decimus.] Meminit *Capyos*, quod Capys, Assaraci f., Aeneae fuerat avus. Itaque Anchises refricat in hoc gratam patris sui memoriam.“ *Heyn.* — Verba *Troianae gloria gentis* repetuntur in Anth. Lat. I, 147, 7. — **768**. *qui te nomine reddet*, i. e. referet. Cf. V, 564. et XII, 348. *Nomine avum referens* cum IV, 329. — **769**. *pariter egregius pietate vel armis*, i. e. vel pietate, vel armis, sive pietatem, sive fortitudinem spectas; nam Particulae *vel, aut, sive* apud poëtas Rom. Graecorum more interdum semel tantum ponuntur, ubi proprie iterandae sunt. Sic Catull. IV, 19. *laeva sive dextera.* — **770**. *si umquam* cett. Servius narrat, Aeneam Silvium vix anno quinquagesimo tertio recepisse regnum a tutore, qui in illud invasisset. — De voc. *regnandam* pro regendam vid. ad III, 14. et cf. infra v. 793. — **771**. *Qui iuvenes! quantas* cett. Sic distinguunt recentiores editores inde a Wakef., neque aliter Cod. Med. Vulgo paulo languidius: *Qui iuvenes quantas ostentant*, uno tenore. — **772**. *Atque* lectio est Codd. fere omnium, quam cum Iahn. et Wagn. (quos etiam posteriores editt. omnes secuti sunt) pro vulg. *At qui* revocavimus; quorum ille in priore edit., Copulae vim explicaturus, ex antecedentibus *Qui - - quantas* assumit *quam*, ut sensus sit hic: *Quamque umbrata gerunt*, in altera vero Commate post *vires* et exclamandi signo post *quercu* posito hanc sententiam esse putat: „Quam praestantes iuvenes! quantas vires ostentant atque quantum virtutibus civilibus excellunt! (*wie tragen sie ihre Stirnen beschattet vom Laube der Bürgerkrone!*);“ hic vero, recte hanc rationem spernens, cum non quaeratur, quam vel magis vel minus umbrata fuerint tempora, Particulae *atque* hic eam vim inesse censet,

Hi tibi Nomentum et Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas inponent montibus arces,
Pometios Castrumque Inui Bolamque Coramque.

---

ut comparandis rebus similibus inserviat, ideoque haec sententia efficiatur: Adspice, qui iuvenes! quantas ostentant vires! i. e. quam fortes sunt. Atque iidem civiles gerunt coronas ob cives in colonias deductos et novas urbes conditas, ergo quia pacis artibus de civibus optime merebantur. (Cf. de hac signif. Particulae *atque*, ex qua respondet nostro *und eben so auch*, Hand. Turs. I. p. 475 sqq.) Thiel. Particulae hic augendi et amplificandi vim attribuit, ut sit i. q. *et adeo, ja auch*. Heyn. perperam edidit *At, qui - - - quercu, Hic tibi* etc., qua paucorum Codd. lectione a regibus modo nominatis distinguuntur alii nescio qui coloniarum conditores, quos hic non diserte nominari iam per se mirum videri debet; tum vero etiam, quod bene perspexit Wagn., huic rationi adversatur v. 778., ad quem vid. adnott. Ribbeck. autem quaerit: „An *utque?*“ — *umbrata*. Cf. Lucr. II, 628. *ninguntque rosarum Floribus umbrantes matrem comitumque catervas*. Stat. Theb. VI, 554. *umbratus tempora ramis* etc. — *gerunt*. Cf. v. c. Tibull. III, 6, 2. *Semper sic hedera tempora vincta geras*. (Aen. I, 319. II, 277. etc.) — **773** sqq. Ab Alba Longa XXX colonias deductas esse memorat Heyn., coll. Dion. Hal. III, 31. Liv. I, 3, 7. Aur. Vict. O. G. R. c. 17. et Ryckio in Diss. de pr. Ital. col. p. 455. — *Nomentum*, in Sabinorum agro ad Alliae fontes situm, unde via Nomentana nomen accepit, una cum *Fidenis* et *Crustumerio* a tribus fratribus Albanis multis annis prius quam Romam conditum et postea Sabinis subiectum esse tradit Dion. Hal. II, 53. Cf. de eo, nunc *la Mentana* appellato, Strabo V. p. 349. Plin. III, 12, 17. Steph. Byz. p. 501. et liber meus geogr. III. p. 640. Ceterum poeta infra VII, 712. oblitus est, quae hic scripserat. — *Gabii*, haud ignobile Latii oppidum, inter Romam et Praeneste situm, etiam Albae Longae colonia (Dion. IV, 53.), quamquam Solinus c. 8. scribit: *Notum est, Gabios a Galacio et Bio, Siculis fratribus, constitutas*. Rudera eius apud oppidum *Castiglione* reperiuntur. Cf. librum meum comm. III. p. 723. — *Fidenae*, in extrema valle Tiberina inter Romam et Veios quaerendae, ex historia Romana satis notae sunt. Forma singularis numeri legitur etiam ap. Tac. Ann. IV, 62. Silium XV, 90. Plin. XVI, 4, 5.; prima autem syllaba alibi solet produci. Cf. Hor. Ep. I, 11, 8. Prop. V, (IV,) 1, 36. Iuven. VI, 57. X, 100. Sil. XV, 90. Vestigia huius urbis inveniuntur in colle prope *Castel Giubileo*. Vid. liber meus geogr. ibid. — **774**. „*Collatia* in iis collibus sita, qui inter viam Praenestinam et laevam Anienis ripam visuntur. Vid. Cluver. Ital. ant. p. 663.“ *Heyn*. Quamquam haud procul a Roma situm, Sabinorum tamen erat oppidum. Cf. Liv. I, 38, 1. 57, 9. Nunc vocatur *Castellaccio*. Vid. librum meum comm. ibid. -- Qui vulgo post v. **774**. inseritur versus *Laude pudicitiae celebres, addentque superbos* in nullo Codice nec ulla edit. antiquiore apparens Fabricii Lampugnani I. C. V. Mediolanensis fraude illatus esse dicitur; quare eum Ribbeckium et recentissimos editores secutus prorsus e contextu removi. (Prius asteriscis notatum propterea tantum in contextu servavi, ne versuum numeri eo omisso turbarentur, quod tamen sub finem totius libri minorem habet offensionem.) Iahn. conferri iubet Weichert. de verss. iniur. suspp. p. 60. — **775**. „*Pometii* s. Pometini, eorumque urbs Suessa Pometia, communi scriptorum consensu Volscorum, non Latinorum nomini accensentur. Itaque Cluver. p. 1018. et 1024. aliique Vergilium poëtica licentia in hoc usum esse omninoque vetus Latium finibus latioribus ad Circeios usque definiisse putant. Livio sane II, 16. *duae coloniae Latinae* (iure Latii Roma deductae) *Pometia et Cora*. Enimvero etsi Volscorum facta est urbs Suessa una cum Cora, tamen urbes inter Latinas eam aliquando fuisse dubitari nequit. Vid. Plin. III, 5, 9.“ *Heyn*. Situs eius accuratius indicari nequit. — *Castrum Inui* (quem antiqui Itali inter Faunos et Panes colebant: cf. Liv. I, 5. Macr. Sat. I, 22. Spangenberg. de veteris Latii religg. domest. p. 63. et Hartung. *Relig. d. Römer*. II. p.

Haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae.
Quin et avo comitem sese Mavortius addet
Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. Viden, ut geminae stant vertice cristae,

178.), idem est Rutulorum oppidum, quod etiam *κατ' ἐξοχὴν Castrum* dicitur Ovidio Met. XV, 727. et Silio VIII, 361. Vid. Cluver. Ital. ant. III, 5. p. 978. Male hoc *Castrum Inui* ad Castrum novum, non longe a Centumcellis ad mare situm revocavit Servius (et cum eo Mannert IX, 1. p. 375.), deceptus fortasse Rutilii errore I, 227 sq. Sed vid. Cluveri Ital. ant. II, 2. p. 489. Drakenb. ad Silii l. l. Dempster Etr. Rom. IV, 32. p. 105. Gori Mon. Etr. II. p. 148. et Müller *Etr.* II. p. 63. — *Bola*, Aequorum oppidum, cis Anienem situm, cuius situs incertus est. Cf. liber meus geogr. III. p. 722. Bolanos (cum Coranis et Pometiis) foederi Latino adscriptos fuisse docet Dionys. V, 61, Cf. etiam Liv. IV, 49. et Plin. III, 5. — *Cora* autem Latii fuit oppidum montanum, haud procul a Velitris situm, postea cum Volscis foedere iunctum. Cf. Dionys. III. p. 175. Liv. II, 16, 8. 22, 2. Oppidulum *Cori* continet eius reliquias. Cf. Abeken *Mittelital.* p. 75. et 148. — 776. Unus Cod. Med. a m. pr. praebet *sine nomine gentes*, quod Heinsio placuit; atque etiam in uno Cod. edit. Vinar. 1826. *sine nomine gentes* scriptum est. Sed contra ceterorum omnium librorum auctoritatem nihil mutandum. Ceterum cf. II, 558., ubi *sine nomine corpus*, Val. Fl. II, 587., qui Hellespontum dicit *angustas quondam sine nomine fauces*, et Sil. XII, 316. *sine nomine vulgus.* — V. 777. *Wagn.*, in maiore edit. paulo artificiosius interpretatus, in minore simplicius et rectius sic explicat: „Quin etiam ista anima, Romuli futura in terris, prodibit in vitam, avum Numitorem prosecutura." Vulgo cum Servio interpretantur: avito sese iunget imperio, h. e. una cum avo regnabit, donec Romam condet. Thiel. sic explicat: in eiusdem, qua avus floret, laudis societatem veniet, se adiunget; Iahn. autem minus probabiliter *avo* pro *avis* dictum putat, quem Pluralem Merula ad Ennium p. 251. adeo in contextum recipi iubet (cf. Iahn. ad Geo. IV, 141.), et Heyn. *addit* legendum esse putat, quod invenitur in Cod. 7. edit. Vinar. et ed. Ven. Praeterea commemorandum est, Servium (qui etiam cf. ad I, 273.) *avum* hic non ad Numitorem, sed ad Aeneam referre, cum Ennius et Naevius Iliam Aeneae filiam ideoque Romulum Aeneae nepotem fuisse perhibeant (de qua opinione a Vergilio aliena cf. Niebuhr *Röm. Gesch.* I. p. 233. Ritter in Mus. phil. II. p. 482. et Vahlen in Quaest. Ennianis p. XXVIII. sq.), ut igitur hic Romulus una cum Aenea inter deos relatum iri dicatur. Ceterum *se addere comitem* legimus etiam ap. Claud. R. Pros. I, 231., ut *se addere socium* Aen. II, 339., *se dare comitem* ap. Ovid. Met. V, 250., *venire comitem alicui* ap. eund. Her. XIII, 163. et similia. Cf. etiam Liv. I, 56. *Brutus filiis regis comes additur* et supra v. 528. — *Mavortius Romulus.* Cf. I, 276., ubi *Mavortia* Romae *moenia* commemorantur; quamquam hoc epitheton etiam ad alios homines (IX, 685. *Mavortius Haemon*) aliasque terras (III, 13. *Thracia Mavortia*) transfertur. — 778. *Assaraci quem sanguinis* cett. „quem Rhea Silvia, Troiana stirpe oriunda, partu edet." *Heyn. Assaraci* adiective accipiendum esse, vere adnotat Wagn., comparans *Pompilium sanguinem* ap. Hor. A. P. 292. Cf. autem, quae de hac Adiectivorum forma adnotavimus ad III, 602. IV, 552. al. De ipso *Assaraco*, Anchisae avo, vid. ad I, 284. — *Ilia mater.* Cf. I, 274. — 779. *Educet*, educabit. Vid. supra v. 765. — *viden, ut stant* cett. Aliquot Codd. *stent* et *signet;* sed vid. adnott. ad Ecl. IV, 52. et Gossr. ad h. l. Ceterum apostrophus, qui vulgo his formis decurtatis *viden, satin, ain* etc. ex Grammaticorum (ut Prisc. de Accent. c. 2. p. 1287. P.) praeceptis appingitur, Wagnero iudice rectius omittitur, cum litera *e* Particulae *ne* etiam ante consonas (ut III, 319. X, 668.) abiiciatur, et si abiectae literae causa apostropho opus sit, duo potius hamuli requirantur *vide'n', sati'n', ai'n'* etc. In Cod. Med. apostrophus nusquam adiectus cernitur. Servius adnotat: „[Syllaba] *den'* naturaliter longa est, brevem tamen eam posuit secutus Ennium," in cuius tamen fragmentis nobis servatis

Et pater ipse suo süperum iam signat honore?
En, huius, nate, auspiciis illa incluta Roma
Imperium terris, animos aequabit Olympo
Septemque una sibi muro circumdabit arces,

---

viden' non legitur. (Cf. Vahlen p. 179.) De ipsa re cf. Fleckeisen. in Novis Ann. phil. LXI. p. 39. et Neue *Formenl.* II. p. 334. — *geminae cristae*, i. e. galea duplici crista ornata, *stant*, horrentes eminent (vid. ad Ecl. VII, 53. et Aen. II, 774.); quem militarem viri habitum iam nunc bellicosum eius ingenium declarare, recte sensit Heyn., qui haec adiungit: „An duplex crista in galea Martis aliquod peculiare insigne sit, dubito, nec ex Val. Max. I, 8, 6. [cui Peerlk. nimium tribuit] doceri posse puto. - - At ipsa galea [cum duplici crista] perpetuum, quantum memini, Romuli insigne est.“ — **780.** Servius, cuius explicationem tuentur Muenscher. Obss. in Verg. Aen. p. 23., Henry et Conington, *superum* pro Accusativo habet: eum *superum*, i. e. deum, *pater*, Mars, *signat honore;* sed quis credat, Vergilium in tali verborum coniunctione tam ambiguo voc. *superi* pro *deo* usurum fuisse? Alii, velut Ruddim. II. p. 49. et Iahn., locum sic capiunt: *pater*, Mars, *eum signat honore suo*, i. e. *superûm honore*, quam interpretationem collocatio verborum maxime iuvare videtur, Henry vero (*Tw. years* VI. p. 45 sq. et Philol. XVII. p. 644.) et cum eo Ladew. *patrem* quidem et ipsi de Marte, *honorem* autem de galea intelligunt et *superum* ad vitam inter superos, i. e. homines, referunt, ut sensus sit: Mars iam nunc filium ornat insigni illo, quod ei apud superos proprium erit, h. e. virum in bello fortissimum fore indicat; quae, si *superum* hoc vere significare potest, sane simplicissima est explicatio. Heynius denique (cui Wagn., Ribbeck. et Benoist. adsentiuntur) verba sic coniungit: *Et pater superum*, Iupiter (qui tamquam pater artis vaticinandi omnia praevidet) *ipse eum signat suo honore*, i. e. „dignitate viri et corporis virtute arguit, eum aliquando in numerum immortalium adscriptum iri;“ vel, ut Wagn. explicat: „conspicuum facit ea dignitate oris, quae in ipso, Iove, exsplendescit,“ quae ratio iam ob verborum ordinem omnium minime placere potest. Quare Peerlk. iure haerens in voce *superum* pro ea legi vult *puerum*, quae coniectura non temere arridet Conington, cum *puerum* praecedente voc. *suo* facile in *superum* mutari potuerit. — Versum **781.** Isidorus Orig. XV, 1. Ennianum esse perhibet; Merula autem et Planck. ad Ennii Med. p. 2. Ennii nomen ex verbis ab initio positis *En huius* ortum esse putant, quod, si Servii adnot. cum Isidori loco comparamus, satis probabile videtur, quamquam contrarium docere conatur Spangenb. p. 24. Possumus vero etiam suspicari, ab Isidoro hunc versum confusum esse cum illo, qui legitur in Ann. fragm. 42. (p. 73. Vahl.), *Augusto augurio postquam inclita condita Roma est.* — *huius auspiciis* Heyn. explicat: „per haec prima urbis initia et fundamenta a Romulo iacta,“ quam significationem vocis *ausp.* iure negat Wagn., illa verba recte referens ad regnum Romuli talibus auspiciis condendum, quibus futura dignitas et magnitudo Romae cognosci possit, et Particip. *condita* vel *nata*, quod facile omitti potuerit, cogitatione adiiciens. Negari tamen nequit, hanc Participii omissionem paulo duriorem et insolentiorem esse, quare nescio, an Peerlk. iure praeferat aptam sane et facilem Burmanni coniecturam *En, huius nata auspiciis* etc. Ceterum cf. adnott. ad IV, 103. — **782.** „Imperium ad terrarum fines proferet, virtute et magnanimitate superabit omnes mortales et animos diis virtute pares habebit.“ *Heyn.* — *aequabit* igitur duplici significatione positum, primum proprie, imperio suo totum amplectetur orbem terrarum, tum figurate (ut Geo. IV, 132. *regum aequabat opes animis*): virtute par erit diis. Pro *animos* Heumann. coni. *annos* (ut de aeterna Roma cogitandum sit), Schrader. autem *famamque*, fortasse memor similis loci I, 287. (Ceterum cf., quae de h. l. scripsit Ribbeck. Proleg. p. 145.) — V. **783.** legitur etiam Geo. II, 533., ubi vid. adnott. Propter Peerlk. tamen monendum, verba sic esse construenda: *una* (quod *septem arcibus* s. collibus magna cum vi opponitur) *muro circumdabit sibi septem arces*, ut *sibi* sit Dativus

Felix prole virum: qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Laeta deum partu, centum conplexa nepotes,
Omnis caelicolas, omnis supera alta tenentis.
Huc geminas nunc flecte acies, hanc aspice gentem
Romanosque tuos. Hic Caesar et omnis Iuli
Progenies, magnum caeli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Augustus Caesar, Divi genus: aurea condet
Saecula qui rursus Latio regnata per arva

---

commodi; ille enim Vir doct., comparans Graecorum *περιβάλλεσθαι οἰκίας μεγάλας* (de quo conferri iubet Wyttenb. ad Plut. Mor. I. p. 681.), coniungit *sibi circumdabit* arces et *muro* pro Dativo videtur habere, cum explicet: „habet arces pro muro;“ quam perversam rationem nemo facile probabit. — **784**. „Augusta imago Cybeles per Phrygiam invectae (ex ritu sacrorum), quae est *Deum Mater*, confusa cum Rhea et Terra. Assimulatur Roma, quae tot magnos ac divinos viros tulit. Nam de divinis honoribus in Caesares delatis non agitur.“ *Heyn*. Haec comparatio, quacum cf. Lucr. II, 601 sqq., imprimis 607 sqq., eo aptior, quod Rhea Romuli mater habebatur. Cf. etiam Geo. II, 167 sqq. Frequentiam fortium virorum apud antiquos summam urbium laudem fuisse, Thiel. adnotavit, coll. Lucr. I, 729. Ovid. Met. XV, 422. et Langio *Verm. Schriften*. p. 127. — *Berecyntia* s. Berecynthia (nam etiam Graeci nomen duplici ratione scribunt, et Codd. ubique in eo fluctuant, ita tamen ut adspiratio minore auctoritate nitatur: cf. Spanh. ad Callim. in Dian. 246. et Bach. ad Ovid. Met. XI, 16.) dicitur Cybele a Berecynto, Phrygiae monte ipsi sacro (cf. liber meus geogr. II. p. 339.); ut omnino omnia, quae ad eius cultum pertinent, Berecyntia vocantur (cf. Hor. Od. I, 18, 13. IV, 1, 22. Ovid. Met. XI, 16. Pers. I, 93. cett.). Dea ipsa aut *Berecyntia mater* aut absol. *Berecyntia* appellatur etiam infra IX, 82. 619. et Ovidio Fast. IV, 335. — **785**. *turritam* ob coronam muralem Deorum matrem vocat etiam Prop. V, (IV,) 11, 51., ut *turrigeram* Ovid. Fast. V, 224. VI, 321. alii. Cf. etiam Prop. IV, 16, (III, 17,) 35. *Vertice turrigero iuxta dea magna Cybebe*. — V. **786**. iteratur in Anth. Lat. VI, 84, 68. — **787**. *supera alta tenentes* Heyn. comparat cum Hom. *ὑπέρτατα δώματ' ἔχοντες*. *Supera* pro caelo etiam ap. Lucr. VI, 83. Cic. Acad. IV, 39, 123. 41, 127. N. D. II, 6, 17. 33, 83. et alibi haud raro. — *supera alta* autem, ut VII, 562. *supera ardua*. Ribbeck., quem posteriores editores non secuti sunt, cum Rom., Pal., Med. a m. pr. et Bern. II. scripsit *super alta*. — **788**. „*nunc*, quoniam ab Albanis rebus transit ad Romanas?“ *Wagn*. Verba *Huc geminas nunc flecte acies* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 438. et VI, 84, 29. — *hanc gentem*, Iuliam. — **789**. *Iuli Progenies*; ab Iulo enim, Aeneae et Creusae filio, stirpem ducebant Iulii. — **790**. *caeli ventura sub axem*, sub caelum, in vitam, ut supra v. 761. legimus *ad auras aetherias - - surget*. Donatus: „Sub axe caeli sunt omnes, qui fruuntur luce; sed hic dictum est, non tantum ituros in lucem, verum etiam merito virtutis usque ad ipsum caeli axem esse venturos.“ Ceterum cf. adnott. ad Geo. II, 271. et Aen. II, 512. Repetuntur haec verba in Anth. Lat. I, 170, 99. — **791** sqq. Locus splendidissimus de Octaviani Augusti laudibus. De duplici mensura Pron. *hic* (*Hīc vir, hĭc est*) vid. adnott. ad IV, 22. — **792**. *aurea condet Saecula*. Cf. Ecl. IV, 9. *surget gens aurea mundo*. Dictio autem *condere saecla*, alio tamen sensu, legitur ap. Lucr. I, 1103. (1090. Lachm.). Thiel. confert Hor. Carm. saec. v. 58 sqq. — *Divi genus*, Caesaris in numerum deorum recepti filius adoptivus, unde sollemne illud: Caesar Augustus, Divi filius. — Sequuntur laudes Augusti primum propter pacem Romanis restitutam (v. 792 sqq.), tum ob fines imperii victoriis prolatos (v. 794 sqq.), denique propter expeditiones in terras remotissimas et itinera ad ordinandas provincias suscepta (v. 801 sqq.). — **793**. „*Latio:* debebat sequi per appositum *arvis regnatis*, sed

Saturno quondam, super et Garamantas et Indos
Proferet imperium; iacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias, ubi caelifer Atlas

---

variavit: *per arva regnata* [vid. supra v. 770.] *quondam Saturno*, quae sunt ipsum Latium. Vid. infra VIII, 319 sqq. [De Saturno autem aureo saeculo regnante cf. adnott. ad Ecl. IV, 6. (9. et Geo. II, 538.)] — **794** sqq. Fines imperii in Africa et Asia dilatatos intellige; etsi rebus in maius auctis.“ *Heyn.* — *super*, i. e. ultra: cf. Ruddim. II. p. 326. Wagn. quidem, cum Indi et Garamantes extremi hominum habiti sint, per Part. *super* (hic non minus quam in similibus locis, velut Lucan. IV, 333. et VIII, 162 sqq.) „loca ista ipsa, longissimo videlicet intervallo distantia, non autem ulteriora designari“ putat; sed verba sequentia, quae et ipsa rem in honorem Augusti augent, imprimisque similia illa *extra sidera*, *extra Solis vias*, me movent, ut illam explicationem praeferam. (Video etiam Peerlkampium, qui verissime censet, maiorem esse laudem ultra extremos homines processisse, quam extremos cognitos vicisse, Bryceum, Coningtonem et Benoistum mecum facere atque Wagnerum ipsum in recentiss. edit. adnotare: „Augustus imperium proferet ultra terminos illos orbis terrarum, quos norunt Romani.“) — „*Garamantes* victi sunt a L. Corn. Balbo, cuius triumphum Fasti Capitolini VI. Kal. April. a. 735. memorant. Cf. Plin. V, 5. [§. 36.] Solin. c. 31. In extrema igitur vitae Vergilii haec incidunt.“ *Heyn.* Garamantes (de quibus vid. adnott. ad Ecl. VIII, 44.) victi legatos miserunt ad Augustum et foedus sanxerunt, quod poeta Romanus signum habet deditionis. Cf. Strab. XV. p. 719. — „*super Indos* spectat partim ad signa a Phraate reddita a. 734., partim ad Indorum legationem ad Augustum missam, cum in Syria versaretur. Vid. Strab. XV. p. 719. et Dion. LIV, 9. [Hor. Carm. Saec. 55. Prop. IV, (III,) 1, 15. alios] et cf. loci imitationem ap. Silium VIII, 409 sqq.“ *Heyn.* De Augusti laudibus ob Indos, Parthos omninoque remotissimos Orientis populos devictos praeter ipsum Verg. Geo. II, 170. IV, 560. et Aen. VII, 605 sq. cf. Hor. Od. I, 12, 53 sqq. IV, 14, 41 sqq. 15, 7. Ep. I, 18, 56. I, 12, 27. Sat. II, 5, 62. Prop. III, 1, (II, 10,) 13 sqq. IV, (III,) 1, 15. IV, 3, (III, 4,) 1. Ovid. Fast. V, 579 sqq. A. A. I, 177. Suet. Oct. 21. Dio Cass. LIV, 8. etc. multique viri docti, quos laudat Obbar. ad Hor. Ep. I, 12, 27. Fasc. V. p. 157. (Ceterum cf. etiam, quae de h. l. Ribbeck. scripsit Proleg. p. 60.) — **795**. *Proferet imperium*. Cf. Ovid. Met. V, 372. — *iacet extra sidera* cett. Pedestris orationis scriptor sic perrexisset: et super eam terram, quae iacet cett., sed, ut adnotat Wagn., „fervore quodam poetico abreptus neglexit poeta usitatam sententiarum iuncturam.“ Peerlk. tamen, offensus hac orationis inversione, qua Heyn. enthusiasmum adiuvari censet, pro *iacet* coniicit *quaque*, i. e. et qua tellus iacet extra anni solisque vias. Per *sidera* enim duodecim illa signa intelligenda, quae Zodiacum efficiunt. Ribbeck. verba *iacet extra* - - - *aptum* parenthesin facit. — **796**. „*Solis viae*, proprie sunt inter Tropicos Cancri et Capricorni per eclipticam. Sic ap. Aratum Phaen. 319 sqq. ἠελίοιο κέλευθοι et ἄλησις. Servius laudat Lucan. III, 253., in quo Aethiopes extra Zodiacum positi esse dicuntur. Romani quidem ab una parte vix ad Tropicum Cancri pervenerunt, multo minus ab altera parte arma ultra Aequatorem protulerunt. - - Sed poëtae licuit haec amplificare; ideoque *ultra sidera*, h. e. Zodiacum, *ultra Solis vias et anni*, qui illo solis decursu conficitur, ad eas Africae plagas designandas, quae ultra notas terras - - versus austrum tum erant repertae [et tamquam altera mundi pars spectari solebant]. - - Respici autem a Marone Candacen victam et Aethiopiam supra Aegyptum a C. Petronio copiis peragratam probabile fit; qua de re vid. Strab. XVII. p. 820 sqq.“ *Heyn.* *Solis vias* per Zodiacum euntis et redeuntis etiam Tibull. II, 4, 17. commemorat. Ceterum cf. etiam Aen. I, 287. ibique adnott. In Anth. Lat. I, 178, 459. legimus *Ultra anni solisque vias*. — Verba *caelifer Atlas* Keil. in Philol. II. p. 166. veterem interpretationem esse suspicatur, cum Probus ad Ecl. VI, 31. p. 353. hic legerit

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Huius in adventum iam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divom et Maeotia tellus
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit,
Fixerit aeripedem cervam licet aut Erymanthi
Pacarit nemora et Lernam tremefecerit arcu;

---

maximus Atlas, ut supra IV, 481. — V. 797. iam supra legimus IV, 482., ubi vid. adnott. Quod hic *Axem humero torquere*, idem IV, 247. de eodem Atlante *caelum vertice fulcire*. — 798. „Splendide etiam hoc enuntiavit, quod futura Augusti magnitudo multis signis ac praesagiis fuit ostensa; quasi in remotissimis quoque terris eiusmodi signa animadversa fuerint. Fundum rei videbis ap. Suet. Octav. 94. - - Scilicet superstitione stultissima laborabat Augustus. Vid. Sueton. c. 92. - - Adulationis autem genus isto tempore non obscurum erat, venditare imperatoribus vaticinia ac praesagia, quibus ipsis iam olim imperium aut insignis aliqua felicitas fuisset ostensa.“ *Heyn.* — *Caspia regna*, populi circa mare Caspium degentes, imprimis Hyrcani et Bactriani, Parthorum imperio subiecti, et *Maeotia tellus*, Scythae ad paludem Maeotidem viventes, et *Nili ostia*, i. e. Aegyptii (cf. VIII, 711.) ideoque omnino Orientis populi, *iam nunc horrent in eius adventum*, i. e. animis in exspectationem adventus Augusti intentis iam nunc horrorem sentiunt, tempus adventuri Caesaris Deorum oraculis significatum horrent. Procul dubio autem haec lectio praeferenda est alteri *in adventu*, quam Codd. quidam minoris pretii et cum iis Pal. et Gud. a m. sec. exhibent. — 800. *turbant*, scil. se, i. e. turbantur (vid. ad Aen. I, 234.), trepidant. Cf. Lucr. II, 125., ubi simili ratione commemorantur *Corpora, quae in solis radiis turbare videntur*. Ceterum vid. etiam infra ad v. 857. et ad Ecl. I, 12. adnott. — *septemgemini Nili ostia.* Sic *septemgeminus Nilus* etiam ap. Catull. XI, 7., ap. Ovidium autem Met. I, 422. *Nilus septemfluus*, ibid. XV, 753. *septemflua flumina Nili*, et V, 187. *septemplex Nilus*, ut ap. eund. Trist. II, 189. *septemplex Ister*, cui etiam septem ostia tribuuntur. Voc. *septemgeminus* praeterea non legi videtur, nisi ap. Statium de Roma septicolli Silv. I, 2. 191. et IV, 1, 6. Cf. autem adnott. ad VI, 287., ubi *centumgeminus Briareus* commemoratur. — 801 sqq. „Expeditiones et itinera Augusti [ad ordinandas provincias iisdem annis, quibus haec scripsit Vergilius, a. U. C. 732 sqq. suscepta: cf. Heyn. ad v. 792.] commemorat comparatione facta cum *vago* (ap. Hor. Od. III, 3, 9.) Hercule et Baccho.“ *Heyn.* Nam cervam Cerynitidem sequens usque ad Hyperboreos venisse traditur Hercules (cf. Pind. Ol. III, 24.), quare poëta immenso spatio inter hos et Peloponnesum interiecto, ubi ille aprum Erymanthium cepit et hydram Lernaeam interfecit, significare vult ingentem ambitum expeditionum Augusti. — *aeripedem cervam.* „*Cerynitis cerva* etiam Graecis χαλκόπους, qua voce *pedum robur* ideoque *velocitatem* prisci homines declarabant; poëtae rei miraculum ut servarent, epitheton retinuerunt *aeripedem*.“ *Heyn.* Cf. Silius III, 39. Martial. IX, 104, 7. Auson. Idyll. 19. cett. Apertum est igitur, errare Grammaticos, Servium ad h. l. Diomedem II. p. 437. Charisium IV. p. 249. p. et Pompeium p. 449. Lindem., qui *aeripedem* per synaloephen pro *aëripedem*, aërios pedes habentem, ποδήμετον, i. e. velocem, dictam esse putant. — 802. „*Fixerit* haud dubie ad telum pertinet; atqui debuit cerva viva capta esse. Vid. Apollod. II, 5, 3. Aut igitur alium auctorem secutus est poëta, aut locutus est minus accurate: *figere* pro capere.“ *Heyn.* Quod ut statuamus, non opus est, nam etiam secundum Euripidem (Herc. fur. 378.) Hercules cervam interfecit. Ceterum cf. Ecl. II, 29. *figere cervos* ibique adnott. — Pro *aut Erymanthi* Markland. ad Stat. Silv. V, 2, 48. coni. *atque Erym.*, quod sequatur *et Lernam*, aut sequ. versu alterum *aut* pro *et*. Sed vid. supra ad v. 609. et II, 127. — De *Erymantho* egimus supra ad V, 448. — 803. *Pacarit nemora*, apro occiso. Sic Ovid. Met. VII, 405. *Theseus, Qui virtute sua bi-*

Nec, qui pampineis victor iuga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysae de vertice tigris.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis,

---

marem pacaverat Isthmon, scil. latronibus occisis. Cf. etiam Ovid. Her. IX, 13. et Senec. Herc. fur. 442. etc. Sic ap. Silium II, 483. (ubi vid. Drak.) Hercules vocatur *Nemeae pacator*. Conington conferri iubet similem locum Hor. Ep. I, 2, 45. *incultae pacantur vomere silvae*. Lectionem autem *Pacarit* pro vulg. *Placarit* ex optimis Codd. Heins. restituit. De crebra utriusque vocis permutatione vid. quos laudat Obbar. ad Horatii l. l. Vol. I. p. 120. Ceterum Wagn. adnotat, satis ineptam hic esse inter Herculis errores apri Erymanthii et hydrae Lernaeae commemorationem, pro quibus pecudes Geryonis abactae vel mala aurea ex Hesperidum hortis petita aptius commemorari potuerint, ita ut haud dubie h. l. emendaturus fuisset poëta, si licuisset; cervae autem ob causam supra iam expositam recte mentionem fieri. Ladew. vero, cervae persecutione hostes fugientes, quos Augustus persecutus sit, pacatis Erymanthi nemoribus provinciarum seditiones ab eo exstinctas, hydrae Lernaeae caede easdem iam primo tempore oppressas, et Bacchi commemoratione ordinem legibus fundatum, quem Augustus in omnibus imperii partibus restituerit, indicari acute suspicatur. (Omnino de his tribus Herculis laboribus cf. Metzger. in Pauly *Realencycl.* III. p. 1164 sq.) Peerlk. (cui adsentitur Gossr.) utrumque versum 802. et 803. spurium censet praeter necessitatem. — **804** sq. „De Bacchi ex India triumpho agit; in ea *Nysa* urbs cum monte Mero, qui et ipse Nysa dictus. Infinitae de his fabulae, collectae a Nonno in Dionys. Praeter Diod. II, 38. cf. Strab. XV. p. 687.“ *Heyn.* Cf. etiam Ovid. Fast. III, 465. et Met. I, 20 sq. Conington comparat Hor. Od. III, 3, 13 sqq., ubi pariter Bacchus post Herculem commemoretur. De ipso oppido et monte vide quae scripsi in libro meo geogr. II. p. 510. et in Pauly *Realencycl.* V. p. 404. (v. Nagara) et 794. (v. Nysa). — *qui flectit iuga*, biiuges tigres: cf. v. sequ. et Val. Max. IV, 4, 5. *quae* (manus) *modo arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt.* — *pampineis habenis*, pampino circumvolutis et implexis. Conington confert Pers. I, 101. *Lyncum Maenas flexura corymbis* et cum sequ. versu Catull. LXII (LXIV), 390. *vagus Liber Parnasi vertice summo Thyiadas - - egit.* — **805**. De nomine *Liberi* vid. ad Ecl. VII, 58. — *tigris*. Cf. Hor. Od. III, 3, 14. Ovid. Met. III, 668. cett. — **806**. Verba *Et dubitamus adhuc?* repetuntur in Anth. Lat. I, 178, 274. „*Et dubitamus*, pro *dubitas*. Miscuit personam suam [quo leniatur obiurgatio, quae his verbis inest: cf. adnott. ad Geo. II, 433.]. Est autem sensus: cum tibi tanta sit praeparata posteritas, dubitas *virtutem factis extendere*, i. e. gloriam?“ Haec iam Servius rectissime; neque aliter Heyn. et *Brunck.*, haec adnotans: „*Virtutem* eo sensu posuit, quo Graeci ἀρετήν, pro nominis celebritate, gloria virtute parta;“ quem iure laudat Wagn., de ἀρετῇ pro εὐδοξίᾳ posita conferri iubens Wass. ad Thuc. I, 33. et Bekkeri Anecd. Gr. Vol. I. p. 443., omninoque de virtutis alicuius vel vitii nomine pro laude vel crimine inde redundante posito Schaef. ad Soph. T. I. p. 244. et ad Anthol. Pal. T. III. p. 973. Cf. etiam simillimus locus infra X, 468. *famam extendere factis.* Simili certe ratione verbum *extendendi* usurpatum legitur ap. Silium II, 511. *extendam leti decus atque in saecula mittam*, et ibid. IX, 375. *brevis hoc vitae quodcunque relictum Extendemus, ait.* Cf. omnino Obbar. ad Hor. Ep. I, 5, 11. Vol. I. p. 257. Ribbeck. (quem unus Conington sequitur) ex Pal., Rom., Bern. III. et Minoraug. (quibuscum ex parte conspirant Gud. et Diomedis p. 411. Codd. *virtutem - - vires* exhibentes) recepit lectionem *virtute extendere vires* (quae iam Iahnio non displicuerat), nescio tamen, quo sensu; nam *vires* pro imperii potentia dici vix poterat, atque Wagn. etiam dubitat, num *vires extendere* Latinum sit, et *vires* ex praegresso *virtutem* ortum suspicatur. Ut Burm., qui coni. *virtute extendere famam*, sic etiam Hoffmann. in *Zeitschr. f. d. Oest. G.* 1853. p. 513. loco coniectura succurrendum esse censet, et cum *virtute* et *vires* verae lectiones videantur, *virtute* autem *extendere vires*

Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?
Quis procul ille autem ramis insignis olivae
Sacra ferens? nosco crinis incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus urbem

---

iusto sensu destitutum sit, reiiciens priores coniecturas suas *virtutem expendere factis*, aut *virtute expendere vires* („*die Tugend und unsre Kräfte mit einander abzuwägen, an der Tugend unsre Kräfte zu üben*"), potius *virtuti extendere vires* („*für die Tugend unsre Kräfte anzuspannen*") legendum esse suspicatur, quod nimis quaesitum videtur. Peerlk. autem voci *extendere* substitutum vult verbum satis languidum *ostendere*. Vulgarem lectionem praeter Med. et Servium tuetur etiam parallelus libri X. locus modo comm., ad quem vide adnott. — **807**. Firmatur Aeneae animus ad sedem in Latio figendam. Peerlk. censet, hunc versum aptissimum fuisse ad dehortandos viros principes ab Italia relinquenda, de quo Metellum (Liv. XXII, 53.), C. Iulium Caesarem (Suet. Caes. 79.), Augustum (Hor. Od. III, 3. coll. Fabri Epist. II, 43.), alios cogitasse constet. — Pro *consistere* supra IV, 349., ubi eadem verba leguntur, scriptum est *considere*. — Ribbeck. (qui etiam cf. in Proleg. p. 64.) post v. 807. transposuit v. 826—835., cum inter Camillum et Mummium Caesaris et Pompeii bellum civile incommodo immisceatur. Sed quamquam negari nequit, hic aptiore loco eos poni potuisse, tamen contra omnium Codd. auctoritatem vulgarem versuum ordinem mutare audacius videtur, quare nemo posteriorum editorum Ribbeckium secutus est. — **808** sqq. Cum hac enumeratione Heyn. nobis conferre suadet locum Manilii I, 756 sqq. de animabus magnorum virorum in sideribus viae lacteae constitutis. — Primus commemoratur *Numa* rex, sacrorum publicorum apud Romanos auctor celeberrimus (de cuius nomine cf. Corssen. de pron. I. p. 439. ed. II.). Verba autem *Quis procul - - sacra ferens?* Aeneae esse, non Anchisae, putat Wagner., qui propterea *Nosco*, a quo verbo Anchisae responsio incipiat, maiore litera initiali scripsit. Nos in prima edit. Wagnerum temere secuti sumus; praestat enim haec omnia Anchisae verba habere, qui non statim videns, Numam esse, qui se obviam ferat, se ipse quasi interroget: *Quis procul ille autem* etc.? tum vero, ubi diligentius intuens Numam agnoverit, addat: *nosco crines* etc. Sic etiam Peerlk., Gossr., Ribbeck. et Conington locum intelligunt, quorum ille confert locos similiter conformatos Val. Fl. V, 579. *Quis procul ille virum nobis, quem balteus asper Subligat?* atque Paullin. Carm. XXII, 204. *Quis procul ille hominum placidis se passibus adfert?* et v. 208. *nosco virum* etc., ex quo loco concludit, Paullinum apud Vergilium pro *autem* fortasse legisse *hominum*. — *ramis insignis olivae*. Vid. Geo. III, 21. — **809**. „*Sacra ferens*, proprie de sacerdotibus. Vid. ad Geo. II, 476., h. l. bene de sacrorum et religionum conditore. — *crines incanaque menta*. Talis eius imago est in numis gentis Calpurniae, Marciae et Pomponiae. Cf. Ursini Imagg. n. 95. et Dionys. II, 58." *Heyn.* — *incana*. Cf. Ovid. Met. VIII, 804. *Labra incana situ*. Colum. VIII, 2. *incana barba*. Catull. LXIV, 346. *incani crines*. Plin. XXIV, 19, 113. *incanus color rorismarini* etc. Deducendum est autem hoc Adiect. (quod docet Gossr.) a Verbo *incanescendi* (quod Geo. II, 71. et al. legitur; ut *infractus* (V, 784.) ab *infringendi*, *incurvus* ab *incurvandi* etc.), neque significat rem valde canam (ut vulgo explicant), sed paene canam. — **810**. *primam qui*. Sic (pro vulg. *primus*, quod ex recentioribus editoribus unus Bryce servavit) Med., Rom. et plurimi Codd. (41 inter 45 ab Henr. coll.), quos cum Heinsio iure secutus est Wagn. (cum etiam Spartian. in vit. Hadr. c. 2. idem exhibeat), *primam* autem pro Adv. *primum*, *primo*. Vid. adnott. ad Ecl. VI, 1. (Geo. I, 12. al.) Drakenb. ad Sil. II, 235. (ubi prorsus similiter: *stat primam urbem - - invadere*) et Bach. ad Ovid. Met. XI, 278. Aliam tamen explicationem nuper proposuit Süpflius, *primam urbem* pro nova (*die neue, junge Stadt*) accipiens, coll. Hor. Sat. I, 3, 99. *prorepserunt primis animalia terris* (*aus der jungen, neu geschaffenen Erde*); de cuius tamen veritate nobis liceat

Fundabit, Curibus parvis et paupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriae residesque movebit
Tullus in arma viros et iam desueta triumphis
Agmina. Quem iuxta sequitur iactantior Ancus,
Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.
Vis et Tarquinios reges animamque superbam

---

dubitare, donec certiora voc. *primus* hoc sensu usurpati exempla prolata fuerint. — *legibus urbem fundabit*, (primis) legibus urbi datis eam constituet et firmabit. De ipsa re Thiel. conferri iubet Liv. I, 19. et Ovid. Fast. III, 277. Henry (*Tw. years* VI. p. 48.) comparat Iustin. II, 7. *Solon - - qui velut novam civitatem legibus conderet.* — **811**. *Curibus - - missus*, ut Geo. II, 385. *Troia gens missa.* — *Cures*, nobilissimum Sabinorum oppidum, a Tiberi orientem versus situm, Titi Tatii et Numae Pomp. patria, unde Romani, cum Sabinis coniuncti, Quiritum nomen accepisse dicuntur. Cf. Strab. V. p. 158. Dion. Hal. II. p. 113. Flor. I, 2. alii. Reliquiae eius supersunt in vico nunc *Correse* appellato. Cf. liber meus geogr. III. p. 640. — **812**. *Missus in imperium magnum.* Cf. XI, 47. *Mitteret in magnum imperium.* Silius XIII, 854. *origine parva In longum imperium Consul* (veniet). — „*Cui deinde subibit* etc. Liv. I, 22. Tullus Hostilius: *Hic non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit.*" *Heyn.* — Ribbeck. cum aliquot veteribus Pierii Codd. scripsit *quoi*, cum etiam Med. a m. pr. *qui* et Rom. *quid* exhibeant. — **813**. *resides viros et desueta agmina.* Sic I, 722. *resides animos et*, *desueta corda* coniuncta vidimus. Cf. etiam VII, 693. *Desuetus* cum tertio Casu coniungitur etiam infra VII, 693. et ap. Silium III, 576. *Paullatim antiquo patrum desuescit honori.* Cf. Ruddim. II. p. 72 sq. — *triumphis*, victoriis omninoque bellis. — **815** sq. *Quem iuxta sequitur.* Cf. Anth. Lat. III, 81, 52. *Hunc iuxta sequitur.* „De *Anco Marcio*, quasi is favorem populi captaverit ideoque superbior in patres fuerit, alios auctores habuisse Maronem necesse est, quam quos Livius et Dionysius ceterique sequuntur, qui ad nos pervenerunt. Ex Servio servatum videtur, quod Pomp. Sabinus adscripsit: „*Ancus Marcius - - vivente Tullo aegre ferebat, cum e stirpe regia se iactaret* (erat Numae nepos ex filia), *praelatum sibi Tullum. Itaque statuerat favore populari Tullum regem cum tota familia occidere.*" *Heyn.* Peerlk. Ancum potius tamquam amplificatorem urbis propter nimium aedificandi studium *iactantiorem*, i. e. vitae splendore famam venantem, dici arbitratur; quod minus probabile videtur. Servium Tullium plane omitti potuisse negantes Burm. et Peerlk. locum mutandum esse censent, et ille quidem Cod. Franciani lectionem probat: *Hunc quoque*, sc. sequitur (quam duram ellipsin nemo facile probabit) *iam nimium* cett., ut designetur Serv. Tullius, quem populo studuisse utique scriptores quidam referunt (vid. Dionys. IV, 8.); hic autem coni. *Et qui iam nimium gaudet* (quod sane apparet in Hamb. l.) *popularibus auris;* nomine enim Servii addito non opus esse, quippe quem iam successionis ordo et *popularis aura* (coll. Livio I, 40. 47. 48.) satis significent. Heyn. putat, Servium fortasse omissum esse utpote alienigenam et in servitute natum; mihi vero Pomp. Sabini opinio videtur simplicissima, qui Servium inter Tarquinios bene numerari posse censet. — **816**. *popularibus auris*, favore et studio populi. Hor. Od. III, 2, 20. et Cic. de har. resp. 20. extr. utuntur Singulari et hic pro Cluent. 47. in. eodem sensu ponit *ventum popularem.* Cf. etiam Senec. Herc. fur. 169. et similes loci. — **817**. *superbam*, magnam et excelsam. Cf. I, 21. (ibique adnott.) III, 475 etc. Peerlk., cum voc. *superbus* cum Tarquiniis iunctum non nisi de Tarquinio Superbo accipi possit (?), temere coni. *Vis et T. reges animaeque superbae Ultorem Brutum*, i. e. vis videre et reges Tarq. et Brutum, ultorem Tarquinii Superbi, Ribbeck. autem post v. 817. fortasse unum versum excidisse suspicatur. Utrumque in hoc loco sine iusta causa offendere, etiam Coningtonis est sententia. Ceterum hunc locum

Ultoris Bruti fascesque videre receptos?
Consulis imperium hic primus saevasque secures
Accipiet natosque pater nova bella moventis
Ad poenam pulchra pro libertate vocabit,
Infelix! Utcumque ferent ea facta minores,
Vincet amor patriae laudumque inmensa cupido.
Quin Decios Drusosque procul saevumque securi

---

ante oculos habuisse Silius videtur XIII, 811. *Vis et Martigenae thalamos spectare Quirini?* — 818. *Ultoris*, scil. et libertatis publicae et laesi Lucretiae pudoris. Cf. Lucan. V, 207. *Regnaque ad ultores iterum redeuntia Brutos.* — *fasces receptos* Heyn. recte explicat per regiam dignitatem et imperium a regibus in Consules translatum. Idem igitur significat, quod ap. Lucanum l. l. *regna recepta.* Ceterum cf. Liv. II, 3–5. — 819. Wagn. prius *primum*, post *primus* edidit, atque etiam in Philol. Suppl. I. p. 348. fluctuat inter utramque lectionem nec quidquam decernere audet, „priusquam uter Heins. [qui in Med. *primus* videtur invenisse], an Fogginius [qui *primum* habet] verum viderit, a Ribbeckio didicerimus.“ Hic autem et ipse ad Foggin. modo provocat. Henry in 34 Codd. a se collatis *primum*, in quatuor tantum *primus* invenit. — *saevas secures.* Sic iam Lucr. III, 1009. (996. Lachm.) et V, 1233. *fasces saevasque secures.* — 820. *nova bella moventis.* Cf. Cic. Off. I, 11. extr. Ovid. Met. IX, 404. XII, 621. — 821. *Ad poenam vocabit.* Conington comparat VIII, 495. *ad supplicium reposcunt.* — 822. „Bruti factum qui reprehenderent, iam Vergilii tempore fuisse credendum est; itaque ab Anchise adiectum: *utcumque ferent*, in quamcunque partem hoc factum interpretaturi sint posteri, ipse in sumendo a filiis supplicio sequetur id, quod patriae amor et gloriae cupiditas suadebunt.“ *Heyn.* Quam loci interpretationem etiam Conington iure probat. Macrob. Sat. IV, 6, 18. et Augustin. de Civ. Dei III, 16. coniungunt verba *Infelix utcumque ferent* etc. et hic quidem locum sic explicat: „quomodo libet ea facta posteri ferant, i. e. post ferant et extollant, qui filios occidit infelix est;“ quam rationem minus probabilem esse, non est quod doceam. — *minores*, posteri. Vid. ad I, 532. 733. Vossius in *Anm. u. Randgl.* p. 220. *minores* perperam intelligit de iunioribus Bruti aequalibus molli enervatoque animo huius severitatem vituperantibus. Imitatur hunc locum Val. Fl. III, 455. *nostrive luent ea facta minores.* — Ceterum Macrobii Codd. praebent *fata* (quae ante Heins. hic vulgaris erat lectio) *nepotes* pro: *facta minores.* — 823. *patriae amor vincet*, scil. paternum amorem; quod Val. Max. V, 8. sic expressit: *Exuit patrem, ut consulem ageret, orbusque vivere quam publicae vindictae deesse maluit.* Ladew. potius simul audit *malam famam*, quam notionem ex verbis *utcumque ferent* etc. repetendam censet; et Muenscher. Obss. in Verg. Aen. p. 24. quaerit: quid tandem vincat amor patriae? et ipsam infelicitatis cogitationem intelligendam esse temere arbitratur. — *inmensam laudis cupidinem*, in qua haerent Heyn. et Schrader., Wagn. recte defendit, interpretans per „cupiditatem consummatissimae verissimaeque gloriae, quae ita in republica maxime elucescat, si nostrum commodum communi posthabeamus saluti.“ Ceterum cf. V, 138. *laudumque arrecta cupido.* — 824. Brutum aptissime sequuntur Decii et Torquatus. *Decii* (iam Geo. II, 169. commemorati) pater et filius, qui se pro patria devoverunt, alter bello Latino a. U. C. 414. (vid. Liv. VIII, 9, 10. Aur. Vict. de vir. ill. 26. Flor. I, 14. alios), alter Gallico vel Etrusco, a. U. C. 459. (vid. Liv. X, 28. Aur. Vict. de vir. ill. 27. Flor. I, 17. Zon. VIII, 1. alios). Cicero Tusc. I, 37, 89. et Finn. II, 19, 61. etiam tertium adiungit Decium nepotem, qua de re vid. Kühner. et Goerenz. ad hos ll. Beier. ad Cic. Off. III, 4, 16. et Matth. ad Cic. pr. Sext. 21, 48. Omnino cf. Haakh. in Pauly *Realencycl.* II. p. 876 sqq. — *Drusi*, Liviae ex ea gente ortae causa laudati. Ex iis imprimis clari M. Livius Salinator, Consul a. U. C. 535. et 547., quo anno Hasdrubalem vicit ad Metaurum fl. (cf. Liv. XXVII, 48.), et M. Livius Drusus Trib. pl. a.

Aspice Torquatum et referentem signa Camillum.
Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animae nunc et dum nocte premuntur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitae
Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt!
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci

U. C. 632. et 663. (Vid. Teuffel. in Pauly *Realencycl.* IV. p. 1108 sqq.) Alii etiam de Druso, Liviae f., eiusque victoriis de Germanis reportatis male cogitant, quas in tempora post Vergilii mortem incidere constat. Ceterum Rom. et Schol. Iuven. VIII, 254. exhibent *Brutos;* sed *Drusos* etiam Serv. testatur. (Cf. etiam Ribbeck. Proleg. p. 217.) — 825. De T. Manlio *Torquato* Imperioso, Cos. a. U. C. 407. 410. et 414., vid. Liv. VIII, 7. — „*referentem signa Camillum:* retulit, recepit signa a Gallis capta in pugna Alliensi. Cf. Liv. V, 37. et 49.“ *Heyn.* — V. 826 sqq. De Iulio Caesare et Pompeio sermonem esse, quisque videt. A Ribbeckio v. 826—835. inter v. 807. et 808. inseri iam supra vidimus. — „*paribus armis,* utpote uterque Romanus, ut Geo. I, 489. *paribus concurrere telis* Romanos videre Philippi [ubi vid. adnott.].“ *Heyn.* In bello non civili arma utrimque sunt imparia. — *fulgĕre* (ut alibi *fervĕre, stridĕre, scatĕre* et similia) ex superioris saeculi more (cf. Senec. N. Qu. II, 56.) legitur etiam Lucr. V, 1099. (ubi vid. adnot. mea) VI, 160. 165. et saepius, Val. Fl. VIII, 284. al. Cf. Nonius X, 12. Prisc. VIII. p. 838. et IX. p. 866. P. atque adnott. ad Geo. I, 456. Sic infra VIII, 676. *effulgĕre.* Ceterum *fulgere* de splendide armatis iam V, 562. legimus. Eodem sensu ibid. v. 554. *lucere.* — 827. „*nocte,* ante ingressum vitae, quae supra *lux* erat v. 761. et mox v. 828. *lumina vitae.*“ *Heyn.* Vidimus quidem Elysium suo sole collustrari (v. 640 sqq.); sed hic, ubi non Elysium et Tartarus, sed vita in terra et commoratio inter Orci Manes sibi opponuntur, de inferis locis omnino cogitandum, quae vulgo tenebris involuta putantur (vid. infra v. 887.), et de notissimo illo *in lucem edi,* cui h. l. *nocte premi* oppositum; quae etiam Wagneri est sententia. — *premuntur* omnium fere Codd. (Med., Pal. a m. sec., Gud. etc.) est lectio, revocata ab Iahn. et Wagn., quos recentiores omnes secuti sunt. Vulg. *prementur* (quod exhibent Rom., Pal. a m. pr., Bern. II. a m. sec., alii) Wagn. verae lectioni ab iis substitutum putat, qui si *premuntur* legeretur, otiosam ducerent Copulam. Sed idem Vir doct. rectissime verba *et dum nocte premuntur* per epexegesin superioribus adiecta censet a poëta, cui illud *nunc* nimis tenue et angustum videretur. De usu autem Copulae in epexegesi vid. ad I, 111. et al. Cum voc. *premuntur* cf. Hor. Od. I, 4, 16. *Iam te premet nox fabulaeque Manes,* ibique Intpp. — 828. *si,* pro *cum, quando.* Vid. ad Ecl. II, 27. Geo. I, 7. Aen. V, 64. — *lumina vitae.* Cf. VII, 771. et adnott. ad Aen. I, 546. Wakef. ex paucis Codd. minoris pretii edidit *limina vitae,* quasi vero Pompeius et Caesar statim sub vitae initium bellum inter se gessissent. Immo *lumina vitae* et *noctem* Orci sibi opponi, iam supra vidimus. (Cf. etiam Henry in Philol. XVII. p. 642., qui *lumina* in 36, *limina* in quinque modo Codd. invenit.) — 829. *Ciebunt.* Cf. I, 541. *bella cient* et V, 585. *pugnae cient simulacra* etc. — 830. *socer,* Caesar. Iuliam enim, Iulii Caesaris filiam, Pompeio nuptam fuisse, satis notum. — *aggeribus Alpinis,* per Alpium montes ex Gallia Transalpina veniens. *Aggeres* autem dicuntur montes, quia terris, quas cingunt, sunt pro aggeribus s. propugnaculis. Sic Sen. Herc. Oet. 168. Peliona, Ossam et Olympum vocat *Thessalicos aggeres.* — „*arce Monoeci,* h. e. promontorium cum templo et portu Herculis Monoeci, sub Alpibus maritimis non longe a Nicaea sitis, qui nunc *Monaco* est.“ *Heyn.* Cf. Strab. IV. p. 201 sq. Plin. III, 5, 7. Steph. Byz. p. 471. Ammian. X, 10. Lucan. I, 405 sqq. ibique Intpp. et liber meus geogr. III. p. 549. Videtur autem hic locus ob ipsius Herculis memoriam commemorari; cum Caesarem, ex Gallia exercitum contra Romam adducentem, hunc locum non attigisse, sed alia via profectum esse constet; ubi enim perinde est, quem locum alicuius re-

Descendens, gener adversis instructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella
Neu patriae validas in viscera vertite viris;
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,
Proiice tela manu, sanguis meus!
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum caesis insignis Achivis.
Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas

---

gionis commemorent poëtae, eiusmodi locorum mentionem facere solent, qui legentibus res mythologicas et historicas in memoriam revocent; et hic quidem, ubi de Iulio Caesare agitur, Herculis memoria ab Augustei aevi scriptore satis apte excitatur. (Cf. supra v. 801 sqq.) — **831**. *adversis Eois:* Pompeius enim copias suas in Oriente collegit. Cf. *viribus Orientis* infra VIII, 687. — **832**. „*Ne, pueri, ne.* Color orationis, qui Iliad. VII, 279. de Hectore et Aiace singulari certamine pugnantibus: *Μηκέτι, παῖδε φίλω, πολεμίζετε, μηδὲ μάχεσθον.*“ *Heyn.* *Pueri* autem quo iure dicantur Caesar et Pompeius, ad V, 296. vidimus. Imitatur h. l. Claud. B. Gild. 286. *Ne consanguineis certetur cominus armis, Ne, precor.* — *adsuescite bella*, i. e. adsuescendo discite. Eadem verbi constructio invenitur ap. Liv. XXI, 33, 4. *invia ac devia adsueti*, quem locum post Doederl. in Synon. I. p. 69. cum hoc confert Wagn. Cf. etiam Ruddim. II. p. 137. Burm. ad Ovid. Trist. III, 3, 7. et Fabri ad Livii l. l. Gossr. vero *assuescere* hic pro Verbo activo et *animis* pro Dativo habet, coll. Hor. Sat. II, 2, 109. *qui pluribus assuerit mentem corpusque superbum.* — Cum v. **833**. Heyn. comparat imitationem Lucani I. pr. *populumque potentem In sua victrici conversum viscera ferro*, et cum v. 834. Statii Theb. III, 239. *vos, o superi, meus ordine sanguis, Ne pugnate odiis.* „Argutum magis quam verum esse arbitror, quod ad clementiam Caesaris v. 834. et 835. referunt. Cur Caesarem potissimum appellet, causa allata est in hoc ipso: *genus qui ducis Olympo*, sc. per Iulum s. Ascanium, *genus meum.*“ *Heyn.* — **834**. *genus qui ducis Olympo.* Cf. V, 801. *Unde genus ducis?* — **835**. *Proiice tela manu.* Cf. Stat. Theb. III, 643. *Proiicite arma manu.* Caes. B. Civ. III, 98. *Cum plures arma proiicerent.* (Aen. V, 402. 673. etc.) — Pro *sanguis meus* Iul. Rufinianus p. 265. R. exhibet *sanguis pius*, quod non erat, cur Heynio praeferendum videretur. *Sanguis meus*, i. e. tu, qui sanguis meus es, ideoque non prorsus, i. q. *mi sanguis*. Cf. Statii l. modo l., et August. ap. Gellium XV, 7, 3. *ave, mi Cai, meus ocellus iucundissimus*, i. e. qui meus es ocellus. Cf. adnott. ad Aen. I, 664. et Iani Gramm. poet. Lat. p. 92. Vocat. *meus* legitur etiam ap. Plautum Pers. V, 1, 13. Poen. I, 2, 153 sq., Frontonem Ep. ad M. Caes. II, 16. III, 21. IV, 6. al. Vid. Neue *Formenl.* II. p. 134. — V. **836**. et **837**. ad *L. Mummium Achaicum* spectare, in promptu est: quem ea potissimum de causa hic commemorari adnotat Heyn., quod Graecos bello Achaico confecto profligaverit, quae res ad Troiani hominis sensum grata auditu esse debuerit. — *triumphata Corintho.* Vid. ad Geo. III, 33., ubi adde Hor. Od. III, 3, 43. *triumphatis Medis* et Tac. Ann. XII, 19. *ne* (Mithridates) *triumpharetur*, hic a Ladew. laud. Pluralis autem *Capitolia* redit VIII, 347. 653. Sic etiam *Palatia* Geo. I, 499. Aliorum scriptorum locos collegit Neue *Formenl.* I. p. 411. Cum ipsa sententia cf. I, 283 sqq. — **837**. *Victor aget currum.* Cf. Geo. III, 17. *victor ego - - agitabo ad flumina currus.* — Ad quem v. **838**. sqq. pertineant, dubium videri potest. Ad eundem Mummium referri non posse (quae est Gossravii sententia), imprimis ex v. 839. apparet. Veteres interpretes de Curio Dentato vel Fabricio, Pyrrhi victoribus, cogitant, qui rex Epiri, genus ab Achille ducens, Ennio quoque *Aeacides* vocetur. Tum vero non quadrat v. 838.; quare Heyn. rectius *L. Aemilium Paulum* significari putat, Perseum autem ab eo victum propterea *Aeaciden* vocari, quod reges Macedonici, ad Heraclidas pertinentes, maternam stirpem ab Olympiade, Neoptolemi, Epiri regis, filia, deduxerint; coll. Iust. VII, 6.

Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli,
Ultus avos Troiae, templa et temerata Minervae.
Quis te, magne Cato, tacitum aut te, Cosse, relinquat?
Quis Gracchi genus aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem

Prop. V, (IV,) 11, 39. *Te, Perseu, proavi simulantem pectus Achilli, Quique tuas proavo fregit Achille domos*, et Silio XV, 291 sq. *Hic* (Philippus, Persei pater) *gente egregius, veterisque ab origine regni Aeacidum sceptris proavoque tumebat Achille.* Eandem loci explicationem etiam Wagn. sequitur, qui tamen vere memorat, Vergilium „effusius favere Paulo, qui minime talis fuerit, qualis a poeta praedicetur;" unde num recte concludat, haec ab eo inter emendanda relicta esse, alii viderint. Muenscher. Obss. in Verg. Aen. p. 25 sq. potius Q. Caecilium Metellum Macedonicum, Andrisci s. Pseudophilippi victorem, intelligendum esse putat; quod mihi quidem non persuasit. Ceterum iam Hyginum in hoc loco offendisse, prodit Gellius X, 16, 14., qui haec eius verba affert: „potest medius eximi versus (839.), qui de Pyrrho importune immissus est, quem Vergilius procul dubio exempturus fuit." (Cf. Ribbeck. Proleg. p. 119.) Peerlk. pro more suo difficultates tollendi vv. 838—840. spurios habet. — *Eruet*, cum etiam ad *Aeaciden* referatur, latiore sensu capiendum pro vincet, prosternet, profligabit. Ceterum vid. supra II, 5. *Argos* autem et *Mycenas* pro tota Graecia poni, iam ad I, 284. V, 52. et alibi vidimus. — **839.** *Achilli.* Vid. ad II, 476. — **840.** *Ultus avos Troiae*, i. e. maiores, ita tamen, ut pietatis et venerationis notio adiuncta sit. Thiel. confert Ovid. Fast. VI, 657. Met. XV, 415. Iuv. VI, 162. VIII, 143. aliosque locos. Haec verba causam continent, cur huius potissimum Romanorum victoriae mentio iniiciatur. „Quid enim, quaerit *Heyn.*, ad Troianorum sensum laetius cogitari poterat, quam Achillis posteros aliquando Troianis esse poenas daturos calamitatis Troianis illatae et eversae urbis adeoque templorum Troiae violatorum et dirutorum?" Unde etiam patet, haec verba, quae Gossr. multo melius ad Mummium quadrare putat, non minus apte de Aemilio Paulo dici. Uterque quidem iniurias Romanorum maioribus, Troianis, illatas vindicavit a Graecis, sed Aemilius Paulus etiam ab ipsius Achillis nepotibus. — *templa temerata Minervae* spectant cum ad notissimum illud Aiacis facinus (de quo vid. ad I, 41. et II, 403.), tum ad palladium raptum (de qua re cf. II, 165 sqq.). Conington conferri iubet Eur. Tro. 69. 85. *Temerare* est temera audacia violare res sacras, ut ap. Tibull. III, 5, 7. *nulli temeranda viro sacra.* Cf. etiam Ovid. Met. VIII, 744. X, 695. XV, 75. Val. Il. I, 627. 801. etc. — **841.** „Notissimi in rebus Romanis viri. *Cato* est maior, M. Porcius [Censorius], qui et ab aliis inter magnos viros memoratus est et hic inter Cossum et Gracchos bene locum habet; etsi Uticensem in Augusti gratiam omisisse videri non debet. Vid. Hor. Od. I, 12, 35. et infra VIII, 670." *Heyn.* De Catone vid. ad VIII, 670. — *tacitum* hic ipsum est Participium Perf. Pass.: de quo tacetur; sensus est enim: quis te relinquat ita, ut tacearis. Sic Cic. ad Div. III, 8. *Prima duo capita epistolae tuae tacita mihi relinquenda sunt* cett. — De A. Cornelio *Cosso*, Consule a. 428. a. Chr. n., qui Tolumnio, Veientium principe, interfecto primus Romanorum post Romulum spolia opima retulit, vid. Liv. IV, 19. 20. Plut. Rom. 16. Marcell. 8. Val. Max. III, 2, 4. Aurel. Vict. de vir. ill. c. 25. et Prop. V, (IV,) 10, 25 sqq. — **842.** *Gracchi genus* respicit maxime Ti. Sempron. Gracchum, Consulem a. 215. et 213. a. Chr. n., bello Punico II. clarum eiusque nepotem eodem nomine insignem, patrem Tiberii et Caii, tribunorum, qui Consul fuit a. 177. et 163. a. Chr. n., et Praetor a. 179. egregiam de Celtiberis victoriam reportavit. (Cf. Liv. XL, 35. 44. XLI, 7. Cic. Brut. 20, 4. de Or. I, 9. etc.) — **843.** „*Scipiadas:* int. Africanum maiorem et minorem; nam adiectum: *clades Libyae*, Carthaginis alter victor, alter eversor. — *fulmina belli* de Scipionibus proprio aliquo modo dictum: imitatus est Silius VII, 106. *ubi nunc sunt fulmina gentis Scipiadae?* Praeivit Lucr.

Fabricium vel te sulco, Serrane, serentem?
Quo fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius aera,

III, 1047. [1034. Lachm.] *Scipiades, belli fulmen, Carthaginis horror* cett.“ *Heyn.* Vid. adnott. ad Geo. IV, 561. Sic etiam Cic. pr. Balbo 15, 34. de Scipionibus illis in Hispania occisis: *Cum duo fulmina nostri imperii - - Cn. et P. Scipiones exstincti occidissent.* Homeri locus Il. XIII, 242. (ad quem vid. Koeppen.), ubi Idomeneus propter armorum fulgorem ἀστεροπῇ ἴκελος vocatur, minus huc quadrat. De Graeca forma *Scipiades* (pro *Scipionides*) cf. Geo. II, 170. (ubi praeter hunc locum adde Heind. ad Hor. l. ibi laud.) et quod attinet ad alteram formam *Scipiadae* Iuven. II, 153. Sic Lucr. I, 27. *Memmiades,* et ipse Verg. Aen. VIII, 638. *Romulidae.* — *parvoque potentem Fabricium.* De simplici Copula *que* post Particulas disiunctivas *aut - - aut* vid. adnott. ad Geo. I, 442. et Aen. II, 37. Muenscher. Obss. in Verg. Aen. p. 27. *parvo potentem* explicat: „qui parva re familiari contentus ob ipsam parsimoniam et continentiam cum prudentia et fortitudine coniunctam in rebus publicis gerendis plurimum valuerit.“ Simplicius ita cape: qui etiam in parva re domestica ob parsimoniam et continentiam dives est. Sic *potens* etiam alibi fere i. q. opulentus. Cf. Ter. Eun. II, 3, 61. *Quis is est tam potens cum tanto munere hoc?* ibique Ruhnk.; Plaut. Epid. I, 2, 50. *Est Euboicus miles locuples, multo auro potens;* Phaedr. I, 24, 1. *Inops potentem dum vult imitari,* et Hor. Od. II, 18, 13. *nec potentem amicum largiora flagito.* Sententia igitur eadem est, quae ap. Silium I, 609. *castaque beatos Paupertate patres* et in similibus locis. *Parvum* autem eodem sensu legitur ap. Hor. Sat. II, 2, 10. *parvo contentus* et al. (Consentiunt mecum omnes recentiores interpretes praeter unum Henricum in *Tw. years* VI. p. 49. et Philol. XVII. p. 645. qui, contra me disputans et minus apte comparans Aen. I, 80. et 664. *potens,* quod nusquam sit i. q. dives, explicat *powerful, im Besitze von Einfluss u. Macht.*) De ipso autem C. *Fabricio,* legato illo Romanorum ad Pyrrhum misso, cf. Dionis et Dionysii fragm. in Maii script. Vet. Nova Coll. II. p. 173 sqq. 510 sqq. Appian. Samn. 10. Plut. Pyrrh. 20. Liv. Epit. XIII. Flor. I, 18. Eutr. II, 12. — 844. De C. Atilio Regulo *Serrano,* cui agrum suum colenti (et serenti quidem, unde cognomen eius deducunt) propter virtutis gloriam Dictatura delata est, cf. Plin. XVIII, 3, 4. Cic. pr. Rosc. Am. 18, 50. Val. Max. IV, 4, 5. Rutil. Itin. I, 558. Grat. Cyn. 312. alii et Perizon. Animadv. hist. c. 1. — *sulco serentem,* ut XII, 520. *conducta tellure serebat.* — 845. *Quo fessum rapitis,* i. e. me longa oratione fessum, cum tam multa de Fabiis dicenda supersint, ut Heyn. recte explicat. Ceterum cf. Hor. Od. III, 25, 1. *Quo me, Bacche, rapis tui Plenum?* Rom. exhibet *gressum;* sed *fessum* praeter ceteros Codd. omnes etiam Serv. tuetur. — V. 846. de *Fabio* Maximo Cunctatore Ennio debetur (Ann. XII. p. 98. Hess., s. Ann. IX. fr. 8. p. 47. Vahl.), qui sic scripsit: *Unus homo nobis cunctando restituit rem.* Eundem versum etiam a Cic. Off. I, 24, 84. et de Sen. 4, 10. repetitum respexit Sen. de Benef. IV, 27. *Fabius, qui cunctando restituit rem, temerarius est?* Cf. etiam Ovid. Fast. II, 241 sq. et Liv. XXX, 26. Ceterum pro *restituis,* quae est Med. aliorumque bonorum Codd. lectio, Rom. eiusque familia (etiam Bern. II. III. a m. pr.) praebet *restitues,* quod Vossius l. l. p. 220. huic loco, in quo ubique Futura legantur, magis accommodatum censet, neque Ribbeckio displicet. Macrob. Sat. VI, I, 23. et Nonii p. 252, 25. Codd. exhibent *restituit,* quod ap. Ennium legitur. Sed constat, poëtas etiam res futuras tempore praesenti enarrare, quo vividius legentes illas sibi proponant tamquam praesentes. Vid. ad IX, 21. — 847. Comparantur Romani cum *aliis,* i. e. Graecis, qui artium elegantia et literarum laude excellebant. — *Excudent* (*ducent, orabunt* etc.) est Futurum concessivum, ut apud Hor. Od. I, 7, 1. *Laudabunt alii claram Rhodon;* I, 20, 10. *Tu bibes uvam;* III, 23, 12. *Victima pontificum secu-*

Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus,
Orabunt causas melius caelique meatus
Describent radio et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;

---

res tinget; Liv. III, 54, 9. *Ibi felici loco - - tribunos plebis creabitis* etc. Alibi in eiusmodi locis Coniunctivum Praesentis usurpari constat; sed Futurum magis exprimit certam exspectationem, rem, quam concedimus, vere esse eventuram. Quod si Conington vult dicere, hic inveniens „*the language of prophecy,*" ei non adversabor. — *spirantia aera,* statuae, quae vivos reddere videntur. Cf. Geo. III, 34. Claud. B. Get. 612. *raptaque flagranti spirantia signa Corintho,* et Hor. Od. IV, 8, 13 sq. Sic etiam Stat. Silv. I, 3, 48. *Vidi artes veterumque manus variisque metalla viva modis,* idemque Theb. II, 215. *vivis certantia vultibus aera.* — *aera* pro signis aeneis praeter Statii l. modo l. etiam Geo. I, 480. et ap. Hor. Ep. II, 1, 241. legimus: *aera Fortis Alexandri vultum simulantia,* et *mollis* vox propria de eiusmodi signis, tam artificiose ad similitudinem verorum corporum fictis, ut carnis mollitiem habere videantur (in quo mihi adsentitur Conington). Vid. Quinct. XII, 10, 7. Cic. Brut. 18, 70. Hor. A. P. 33. et cf. adnott. ad Ecl. III, 45. Ceterum Heyn. conferri iubet Pindari Ol. VII, 91—99. — 848. *Credo equidem* nostrum *ich will es glauben,* i. e. *es mag sein, ich gebe es zu,* quo sensu alibi (II, 704. et XII, 818.) *Cedo equidem* dicitur, quod propterea Markl. ad Stat. Silv. I, 2, 21. etiam huc vult translatum, ubi sane in Pal. a m. pr. legitur. Sed ceterorum Codd. omnium lectio est servanda. Non prorsus eodem sensu *Credo equidem* usurpatum videmus IV, 12. et X, 29. Recte autem *Gossr.* sensum huius loci sic exponit: „Omnia alia aliis concedam neque Romanos cum iis comparaverim in rebus, quibus illi pares esse possunt et superiores; imperium orbis penes unum est populum Romanum." — *ducent de marmore vultus. Ducere,* ut Graecum *ἐλαύνειν* (Hom. Il. XII, 269. XX, 270. etc.), primum dicitur de artificibus ex lento metallo varias res procudentibus (vid. infra VII, 634. Tib. I, 3, 47. *nec ensem Immiti saevus duxerat arte faber.* Plin. VII, 73, 38. *Idem* (Alexander) *edixit, ne quis ipsum alius quam Lysippus ex aere duceret.* Appul. Flor. I. *quin solus effigiem regis Polycletus aere duceret* cett.), vel ex alia materia molli fingentibus (velut Vitruv. II, 3. *lateres ducere,* Pers. V, 40. et Iuven. VII, 237. *cera vultum ducere*), deinde vero etiam transfertur ad marmor et alia, quae natura sunt dura et extendi non possunt. — *de marmore.* Vid. ad Geo. III, 13. et Aen. IV, 457. Auctor carm. in Anth. Lat. I, 125, 3. hunc locum sic imitatur: *Docta manus vivos duxit de marmore sensus* (*vultus?* cf. Interpp.). — 849. „Graeci porro praestabant eloquentia et quidem forensi (*Orabunt causas melius* [pro quibus Peerlk., ne Vergilius de Romanorum oratoribus detrahere videatur, temere coni. *Narrabunt causas rerum,* quo, Gossravio vere memorante, poëta non minus offecisset Lucretii laudibus]), et philosophicis mathematicisque studiis; at enim, id quod poëtam decebat, ex iis unum genus posuit Maro, astrorum scientiam: *caeli meatus,* h. e. siderum cursus, *describent,* definient in sphaera caelesti, *radio,* virga; petitum a geometricis figuris, quae in pulvere ducebantur, ut Ecl. III, 41. [ubi vid. adnott. Quanti autem veteres imprimisque Graeci caeli siderumque cognitionem fecerint, satis constat. Cf. Geo. II, 475 sqq. Hor. Ep. I, 12, 16 sqq. Ovid. Fast. I, 295 sqq. cett.] At Romanis proprias artes contendit, ut imperent terrarum orbi et aut in foederum aequas leges recipiant, qui se ad eorum amicitiam applicent, aut eos, qui arma sumant, debellent." *Heyn.* Ceterum ut hic *caeli meatus* (quos Henry *Tw. years* VI. p. 50. minus probabiliter ad caeli circulos, lacteum, tropicos, aequinoctialem et zodiacum, refert) et *sidera* coniunguntur, sic Geo. II, 477. *caeli viae et sidera.* Cum verbis autem *Describent radio* cf. Ecl. III, 41. *Descripsit radio - - orbem.* — 851. *regere imperio populos.* Cf. Lucr. V, 1127. *regere imperio res velle et regna tenere.* Vid. etiam ad I, 230. et 340. Quod attinet ad

Hae tibi erunt artes, pacisque inponere morem,
Parcere subiectis et debellare superbos."
Sic pater Anchises atque haec mirantibus addit:
„Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis

---

compellationem *Romane*, Conington conferri iubet Hor. Od. III, 6, 2. Adde eiusd. Sat. I, 4, 85. — De nota illa praecipiendi formula per Imper. *memento* cum Infin. expressa vid. Ecl. III, 7. Hor. Od. III, 29, 32. Epod. X, 4. Ep. I, 8, 16. Tibull. I, 8, 27. Prop. III, 12, (II, 19,) 27. Iuven. IX, 93. etc. — **852.** Ribbeck. ex Pal. a m. pr. recepit *Haec - - artes*. Cf. adnott. ad Geo. III, 305. — *pacis inponere morem*, leges, conditiones; ut infra XII, 112. *pacis dicere leges*. Vid. ad I, 264. Vere autem Henry *Tw. years* VI. p. 51. et Philol. XVII. p. 645. coll. Geo. I, 60. Aen. VI, 621. 774. et Lucan. III, 393. docet, *inponere* non esse i. q. simplex *ponere*, ut Heyn. censet, sed longe fortius indicare victos coactos esse, ut vitae pacatae adsuescerent, quomodo etiam Wagn. et Ladew. nunc locum explicant. Pro *pacis* Ribbeck. recepit *paci;* cum vero Codd. auctoritas utrique lectioni pariter faveat (Henry *pacis* in 23, *paci* in 22 Codd., et in uno Gud. a m. pr. *pacis*, a sec. *paci* invenit), retinui, quod per se aptius est, idemque fecerunt ceteri recentiores editores praeter Benoistum. Wagn. vulgarem lectionem defendit coll. Livii loco IX, 14. *aliis modum pacis et belli facere*. — **853.** *parcere subiectis*. Hanc, quam simulabant Romani, clementiam et moderationem erga victos ad ipsum Augustum transferre Horatium C. Saec. 51. (*bellante prior, iacentem Lenis in hostem*), Heyn. memorat. Cf. etiam Prop. IV, 18, (III, 19,) 28. (Minos) *Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit*. Claud. de B. Gild. 99. *quem semper in armis Horribilem gentes, placidum sensere subactae*, id. laud. Stilich. III, 216. Ovid. Am. I, 2, 52. Sall. Cat. 9, 3. Liv. XXX, 42. XLV, 8. Tac. Ann. XI, 24. et similes locos de Romanorum in victos hostes clementia et aequitate agentes. — **854** sqq. „Sequitur locus - - de C. [immo M.] Marcello, Octaviae f., ad quem ut deduceretur oratio, M. Claudium Marcellum bello Punico II. clarum induxit. [Cf. Liv. Epit. XX. et Silius XII, 178 sqq.] Narrationem de hoc loco coram Octavia lecto habet Pseudodonatus in Vita Verg. §. 47. et Serv. ad v. 861. Adde Sen. Cons. ad Marciam c. 2." *Heyn*. (Cf. Diss. de Verg. vita et carmm. not. 58.) Burm. temere haerens in verbis: *haec mirantibus addit*: *Aspice* cett., minus recte hunc locum comparat cum Liv. IV, 6. in., ubi post *consules* sequitur *respondit*, scil. alter consulum, eiusd. VII, 30, 4., ubi verba *Legati locuti sunt* sequitur Singularis *arbitror*, cum unus modo legatus verba faciat, et similibus. Hic enim Anchises solum filium adloquitur, non Sibyllam, ad quam haec omnia non pertinent; *haec mirantibus* autem est i. q. cum haec (hoc visum et vaticinium) mirarentur (Aeneas et Sibylla adstans). — **855.** *Aspice, ut - - ingreditur*. Vid. supra ad v. 779. Sic in Anth. Lat. I, 168, 1. *Adspice, ut insignis - - lustrat*. — „*spoliis opimis*, occiso Insubrium Gallorum duce Vindomaro [quod factum est apud Clastidium primo eius Consulatu a. U. C. 532.), Liv. Epit. XX. [Plut. Marcell. 6 sq.] Vid. Perizon. Animadvv. c. VII. Eadem sunt v. 859. *tertia arma capta*, h. e. tertia spolia opima post Romulum et Cossum [de quo vid. supra v. 841.], *suspendet Quirino*, h. e. Romulo. Atqui ex Romuli instituto Iovi Feretrio ferebantur spolia opima (vid. Liv. I, 10.), ibique et tunc reposita fuisse certum est. Prop. III. [immo IV. vel secundum recentiorem divisionem V], 10. fin. *Nunc spolia in templo tria condita*. Sed potuit posterioris aevi religio Romulum Iovi adiungere; vel potest dictum esse, quia urbis conditori omnia posterorum facta praeclara in laudem cedunt." Haec fere *Heyn*. Servius tamen haec adnotat: „Possumus et, quod est melius, secundum legem Numae hunc locum accipere, qui praecepit, prima opima spolia Iovi Feretrio debere suspendi, quod iam Romulus fecerat; secunda Marti, quod Cossus fecit; tertia Quirino, quod fecit Marcellus;" idemque narrant Plutarch. in vita Marcelli c. 8. et Festus p. 189. Muell. — **856.** *viros supereminet omnis*. Etiam I, 501. et X, 765.,

Ingreditur victorque viros supereminet omnis!
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet, eques sternet Poenos Gallumque rebellem
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.“
Atque hic Aeneas — una namque ire videbat
Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis,
Sed frons laeta parum et deiecto lumina voltu —:
„Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso!

---

ap. Ovid. Met. III, 181. Trist. I, 2, 49. Avien. 610. et alibi *supereminere* cum Accus. obiecti construitur. — 857. *rem Romanam*. Cf. Ennii Ann. fr. inc. sedis 10. p. 68. Vahl. *Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis* et ibid. fr. 41. p. 73. *Moribus antiquis res stat Romana virisque.* — *tumultus* Romanis significat subitum bellum, cui celeriter succurrendum est; quare imprimis repentinae hostium, Gallorum maxime, incursiones *tumultus* vocantur. Cf. Cic. Phil. VIII, 1, 2. Servius infra ad VIII, 4. Ernestii Clav. Cic. Kreyssigii Gloss. Liv. h. v. et Kritz. ad Sall. Cat. 59, 5. — *Turbare* absolute pro turbas ciere legitur etiam Ecl. I, 12., ubi vid. adnott. Cf. etiam supra ad v. 800. Verba *turbante tumultu* hinc repetuntur in Anth. Lat. I, 170, 104. — 858. *sistet*, grave verbum, quod Iovis Statoris memoriam iniicit. Cf. Liv. I, 12. Conington conferri iubet Suet. Aug. 28. *Salvam ac sospitem rem publicam sistere in sua sede liceat* et Liv. III, 9. XVI, 20. *nec sisti posse civitatem.* — *eques*, equestri certamine. Nescio, an Henry (*Tw. years* VI. p. 53. et Philol. XVII. p. 646.) et Conington verba *eques sternet* recte explicent per *καθιππάσεται*, ungulis equi sui proteret, proculcabit. — *Poenos*, quia eo duce Romani primum Hannibalem vicerunt ad Nolam, ubi equitatus egregiam praestitit operam. (Cf. Liv. XXIII, 16. et Plut. Marcell. 11.) Magis etiam hoc valet de victoria equestri, quam Marcellus de *Gallo rebelle* caeso Vindomaro reportavit. (Vide supra.) — 859. *capta*. Cf. adnott. ad II, 765. Markl. ad Stat. Silv. V, 2, 148. praeter necessitatem coni. *rapta*, coll. Geo. III, 32. Aen. X, 449. et 462. Sed *capta* Ribbeck. memorat defendi lege de spoliis opimis, quae ap. Festum p. 186. M. exstet. Ceterum vide supra ad v. 855. — Cum v. 860 sqq. Heyn. conferri iubet imitationem ap. Silium XIII, 778 sqq. et Eur. Phoen. 102 sqq. 147 sqq. — De laudibus M. Marcelli, Octaviae filii, quem Augustus adoptaverat generumque fecerat, ut sibi in imperio succederet (Dio Cass. LIII, 30.), quique vix annum XVII. natus a. U. C. 731. diem supremum obiit, cf. Hor. Od. I, 12, 45 sqq. Vellei. II, 93. Sen. Cons. ad Marciam c. 2. alii. Summam de eius virtutibus populo susceptam fuisse exspectationem, satis constat. Cf. Dio Cass. III, 30. — *una*, scil. cum *Marcello* illo. — 861. Verba *Egregium forma iuvenem* repetuntur in Anth. Lat. I, 172, 1. et 47. Cf. etiam infra X, 435. — *fulgentibus armis*, ideoque bellicosum. — 862. *frons laeta parum*, scil. quam exspectari potest, omen est praematurae mortis. — 863. *Quis* Prisc. XII, 3, 15. hunc versum afferens recte sic interpretatur: „Cum ignoratur propria eius qualitas, quaeritur nomen.“ Cf. adnott. ad Ecl. I, 19. — *sic*, quemadmodum antea descriptus est; tam tristi specie. Conington vero, cum hac explicatione praeoccupetur v. 866., *sic* hic omnino significare censet „*thus as we see*.“ — 865. *Qui strepitus circa comitum*, unde favor popularis cognosci potest. — *Qui* autem pro *quis* (quod prius cum Wagn. et Iahnio edideram) nunc cum Ribbeckio, Ladew., Coningtone et Benoisto ex Pal. et fragm. Vat. a m. pr. restitui, cum hic non interrogationem, sed exclamationem habeamus. — *quantum instar in ipso* prius Servium secutus insolentius dictum habui pro: quanta similitudo ei est cum illo Claudio Marcello (quinquies Consule), quem comitatur, quod maxime ad augustum corporis habitum spectare putavi: nunc vero, perlectis iis, quae Henry in *Tw. years* VI. p. 54. et Philol. XVII.

Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra."
Tum pater Anchises lacrimis ingressus obortis:
„O gnate, ingentem luctum ne quaere tuorum;
Ostendent terris hunc tantum fata neque ultra
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens, Superi, propria haec si dona fuissent.

---

p. 646. de vera significatione vocis *instar* exposuit, cum eo, quem etiam Ladew. et Conington sequuntur, explico: *ein Mann von welchem Gehalte!* (nescio enim, quo vocabulo Latino hoc apte exprimi possit, cum *pretium* non satisfaciat; Britannici interpretes modo laud. utuntur vocibus *amount* et *standard*), quae tamen viri qualitas etiam conspicua oris totiusque corporis dignitate proditur; quare iam Heynius censuerat vocem *instar* hic „nove positam esse pro exemplo magnae dignitatis, specie augusta corporis," cum verba antecedentia, quae sine dubio ad popularem favorem referenda sint, aliquid exspectare iubeant, quod dignitatem oris et maiestatem corporis commendet. Ceterum Ladew. vere adnotat, vices Genitivi voci *instar* alibi adiecti (cf. II, 15. VII, 707.) hic sustinere Pronomen, ut *quantum instar* sit i. q. *quantae rei instar*. Peerlk., qui hoc *quantum instar* Latinum esse negat, coni. *quanti instar in ipso!* quod sic interpretatur: „Qui strepitus circa hunc puerum! Quot comites! Sed ipse, quam est instar omnium! In uno illo plus inesse videtur, quam in omnibus aliis. Adeo singulos et cunctos externa specie superat," coll. Aen. VII, 707. et Senec. Ep. 7. *Unus mihi pro populo est.* Ceterum vulgo editur *in ipso est.* Sed verbum substant. desideratur in optimis quibusque Codd.; quare a nobis pariter atque a Wagn. et Iahnio reiectum est; in quo etiam ceteri recentiores editores praeter Bryceum nos secuti sunt. Cf. etiam Wagn, Qu. Verg. XV, 7., qui in exclamationibus (velut Ecl. III, 101. Aen. I, 460. X, 850.) illud vulgo a Vergilio omitti docet. — Cum v. **866**. cf. Hom. Od. XX, 351. De Nocte et Morte alatis cf. II, 360. (ubi *nox atra cava circumvolat umbra*). VIII, 369. Anthol. Gr. III, 25. epigr. 69. Winckelm. *Monum. ined.* n. 27. Passerat. ad Prop. I, 3, 45. Broukh. et Heyn. ad Tib. II, 1, 89. alii. Noctem autem, quae caput Marcelli circumvolat, triste omen praematurae mortis esse patet. — **867**. *ingressus*, scil. *est* non addito Infinitivo verbi dicendi, ut IV, 107. *sic contra est ingressa Venus.* Verba *lacrimis ingressa obortis* iterantur in Anth. Lat. I, 172, 139. — Peerlk., Wagn., Conington et Wilms. in Progr. p. 17. Commate post *Anchises* distinguentes *ingressus* pro Participio habent et cum verbis *Tum Anchises* simul audiunt *dixit* (de qua ellipsi vid. adnott. ad Aen. I, 335.) — V. **868**. primo pede excepto iteratur in Anth. Lat. I, 178, 412. — *Gnate* Wagn. (quem omnes recentiores editores praeter Süpfl. et Bryceum secuti sunt) ex Med. restituit, quamquam fragm. Vat., Pal., Rom., Gud., alii Codd. *nate* scribunt. Cf. adnott. ad Ecl. V, 22. — *tuorum*. Cf. supra v. 681. *suorum*. — **869**. *Ostendent terris* cett. Heyn. comparat locum hinc expressum Tac. Agr. 13. *monstratus fatis* (i. e. a fatis) *Vespasianus* (ad quem vid. Walchium p. 213 sq.), et Peerlk. addit alterum eiusd. cap. Agr. Tacit. locum, qui hunc nostrum respiciat: *D. Iulius potest videri* (Britanniam) *ostendisse posteris, non tradidisse.* De opinione autem non soli antiquitati propria, Deos homines nimia quasi virtute insignes terrae invidere ideoque praematura morte eripere, Thiel. conferri iubet Herodot. III, 40. Ruhnk. ad Rut. Lup. p. 137. ed. Frotsch. et Blomfield. ad Aesch. Pers. 368. Cum aperte idem, quod hic fatis, postea v. 871. diis tribuatur, Dietsch. Theol. Verg. p. 30. hanc contradictionem, quae videtur, hac adnotatione tollere studuit: „Ex fatis in terras pervenire debebat Marcellus, sed quoniam simul in fatis erat hoc, ne quis diis par esset magnitudine ac felicitate, dii eum brevi erepturi erant." Ceterum pro *tantum* aliquot Codd. *natum*, quod recte reiicit Dietsch. l. l., „quod ad virilem aetatem pervenerit Marcellus, unde appareat, Vergilium non de futura, sed de praesente eius magnitudine loqui debuisse;" idemque recte respuit ieiunam Wexii coniecturam ad Tac. l. l. p. 255. propositam *hunc magnum*. Sequen-

Ꝗuantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
'ampus aget gemitus! vel quae, Tiberine, videbis
'unera, cum tumulum praeterlabere recentem!
Iec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
n tantum spe tollet avos, nec Romula quondam
Illo se tantum tellus iactabit alumno.
Ieu pietas, heu prisca fides invictaque bello
)extera! non illi se quisquam inpune tulisset
)bvius armato, seu cum pedes iret in hostem,
eu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Ieu, miserande puer, si qua fata aspera rumpas!

---

a sic construe: *Romana propago visa* (est) *nimium potens* (futura sse). Conington confert XII, 827. *Sit Romana potens Itala virtute propago.* — *propria*, perpetua, stabilia. Vid. ad Ecl. VII, 31. (et Aen. I, 3.). — **873**. „*Campus aget gemitus virorum*: noto more pro: in ampo agetur, erit, gemitus (ut ἄγεσθαι pro ἔχεσθαι, εἶναι) in funere Iarcelli. De publico hoc in Marcelli funere luctu vid. Dio Cass. III, 30.“ *Ieyn.* — *Gemitus agere* (quod hinc arripuit Ambros. de Obitu Valent. 3., a Peerlk. citatus), eadem ratione dictum, qua Geo. III, 203. Lucr. II, 488. et Cic. Verr. II, 4, 66. *agere spumas*, Geo. II, 130. *venena agere* t similia. Cf. etiam infra IX, 814. Silius XIII, 658 sqq. hunc locum imiatus substituit *dare gemitus*. *Campus* autem est Campus Martius, ubi Iarcellus in Mausoleo Augusti (de quo vide infra) sepultus est, quare *ille* dditur, i. e. celeberrimus, omnibus notus. De ipsa re cf. Dio. Cass. LIII, 0 sqq. (iam supra laud.). — *vel quae.* Peerlk. malit *heu quae.* — *Tiberine,* scil. pater (vid. ad Geo. IV, 355.), ut plene scriptum est Geo. IV, 369. p. Ennium Ann. I. fr. 37. p. 11. Vahl. al. Cf. etiam infra VIII, 31. *Tiberinus* bsolute pro Tiberi legitur etiam VII, 30. Prop. V, (IV,) 2, 7. Ovid. Fast. IV, 92. VI, 105. alibi. — **874**. *quae funera*, quam luctuosa, quae lamenta 1 funere. Schrader. temere coni. *munera.* Plur. enim *funera* de uno funere usurpatus, ut supra IV, 500. et infra IX, 486. — „*tumulum recentem,* Mausoleum Augusti in Campo Martio ad ripam Tiberis, quod exto suo Consulatu (a. U. C. 726.) exstruxerat. Sueton. c. 100. Strab. V. . 236.“ *Heyn.* Haud dubie hunc locum ante oculos habuerunt Silius III, 658 sqq. et Ammian. XXV. p. 329. — **876**. *in tantum spe tollet vos* pro vulg.: tantam de se spem avorum excitabit. Sic etiam Graec. λπίσιν ἐπαίρειν. — *Romula tellus* pro *Romulea.* Sic *Romula gens* p. Hor. Od. IV, 5, 1. Cf. adnott. ad Aen. I, 686. III, 602. IV, 552. al. - **878**. „Egregia inversio, dum post illa, neminem Romanorum cum ipso osse comparari, pergendum erat: *non iactabit se tantum ullo alio alumno Roma* nec pietate, nec fide, nec virtute.“ *Heyn.* — *Heu pietas* etc. Ita loquitur, qui cum summo desiderio cogitat, quantum amissum sit in dolescente tantae pietatis, fidei, fortitudinis.“ *Wagn.* Verba *Heu pietas, eu prisca fides* iterantur in Anth. Lat. I, 178, 22. — *priscam fidem* . posteriorum temporum Romanis saepe celebrari constat. Cf. v. c. Ter. d. III, 3, 89. *homo antiqua virtute ac fide* et Hor. C. Saec. 57. cum Aen. 292. — *invicta bello Dextera.* Cf. X, 609. *vivida bello dextera.* — **79** sqq. Comparant Hom. Od. IX, 49 sq. — *se tulisset Obvius armato.* f. X, 552. *Obvius ardenti sese obtulit* ibique adnott. — *tulisset,* si vitam ongius producere ei licuisset. Ceterum cf. adnott. ad II, 136. — **880**. *bvius.* Cf. I, 314. *sese tulit obvia.* X, 380. *obvius fit Lausus.* X, 734. *bvius occurrit* etc. — *pedes iret.* Cf. VII, 624. et X, 453. — **881**. *rmi* hic latiore sensu positi pro lateribus equi, quae ab armis incipiunt; am armi ipsi calcaribus non fodiuntur. — **882**. *miserande puer,* ut , 825. et XI, 42. Verba *Heu miserande puer* repetuntur in Anth. Lat. 168, 20. — „*Si qua* [scil. via, ratione: vid. ad Ecl. IX, 14. et Aen. I, 76.] *fata rumpas,* si fatorum ordinem dissolvere, tam durum fatum fugere tibi liceat, tu ad M. Marcelli, b. Punico II. clari, nomen ac glo-

Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores animamque nepotis
His saltem accumulem donis et fungar inani
Munere." — Sic tota passim regione vagantur

---

riam es perventurus. Nomen autem [quo omnes illas laudes tamquam in unum complectitur poeta, ac si eo commemorato quodvis additamentum supervacaneum sit] sub finem est memoratum, pleno iam erumpente animi affectu." Sic *Heyn.* Rectius tamen, nisi fallor, Wagn. nobis suadet v. 882. signum exclamandi ponere, ut sensus sit: utinam rumpas aliquo modo fata aspera! utinam praematuram mortem effugias! de qua significatione Part. *si* vide adnott. ad Aen. VIII, 560. (Consentiunt nobiscum Ladew., Benoist. et Dietsch. Theol. Verg. p. 30.) Henry autem (*Tw. years* VI. p. 57. et Philol. XVII. p. 647.) aliter iudicat, et, quamquam verba *Tu M. eris* recte de ipso Octaviae filio intelligit, tamen antecedentia cum Heynio conditionem continere censet, quae contorta modo ratione inter se conciliari possunt. Nihilominus etiam Süpfl., Haupt., Bryce, Ribbeck. et Conington post *rumpas* non signo exclamandi, sed Commate distinguunt, ideoque cum Henrico faciunt. *Fata rumpere* autem, ut apud Livium I, 42, 2. *Nec rupit tamen fati necessitatem humanis consiliis.* Sen. Herc. fur. 566. *Fatum rumpe manu* et Val. Fl. IV, 458. *nec rumpere fata Morte licet.* Verba vero *Tu Marcellus eris*, post quae Peerlk. nonnulla excidisse temere suspicatur, non refero ad antiquum illum Marcellum (tu alter eris Marcellus), sed ad ipsum Octaviae filium, hoc sensu: tu, qui nunc hic versaris inter animas, aliquando ad superas auras rediturus, in terra eris Marcellus ille, Augusti populique Romani deliciae. Sequentia autem cum antecedentibus sic cohaerent: At tibi non continget fata aspera rumpere, immo tenera aetate moriere (cf. v. 869.). Iustis igitur funebribus, quantum licet, hic defungar. *Heyn.* haec adnotat: „Illa v. 883—885. *Manibus date lilia plenis* cett. molliora forsan sunt, quam pro Anchisae herois persona et temporibus; Vergiliani potius aevi habenda talis luctus testandi elegantia. Sunt tamen per se pulcherrima" et Gossr. haec observat: „Summum animi affectum, qui tandem in verba *Tu Marcellus eris* erumpit, sequitur mollis lamentatio." Ceterum cf. Anth. Lat. IV, 122, 21. *manibus dabo lilia plenis* et Ecl. II, 45. (quem locum una cum nostro respexit Ambros. versibus infra laud.). Cf. etiam infra XII, 173. *Dant fruges manibus salsas.* — *Date* (mihi) *lilia* (ut) *spargam* eadem fere ratione dictum, qua IV, 683. *Date, vulnera lymphis abluam,* ubi vid. adnott. — **884.** *purpureos flores* de rosis intelligit Thiel., quae saepe cum liliis coniunguntur. Sed mire hoc dictum videtur: date mihi lilia, ego rosas spargam; quare *purpureos flores* de ipsis liliis accipiendum puto. Cf. adnott. ad Ecl. IX, 40. Aen. I, 591. et V, 79. cum Plin. XXI, 5, 11 sq. *Est et rubens lilium, quod Graeci κρίνον vocant; alii florem eius cynorrhodon. Sunt et purpurea lilia.* De hoc flores spargendi more cf. Kirchmann. de funer. I, 11. Inde ap. Stat. Theb. VI, 58. sepulcrum est *picturatus morituris floribus agger.* Cf. etiam quae de coronatis tumulis mortuorum adnotavimus ad Aen. V, 79. Ceterum hunc locum ante oculos habuerunt Ambros. de obitu Valent. §. 56. *Non ego floribus tumulum eius adspergam. Spargant alii plenis lilia calathis,* et Sulpit. Sever. de Martino 22. *Ac, licet inani munere, solum ipsum flore purpureo et suave redolentibus sparge graminibus,* quos Peerlk. confert. — „*animam accumulem donis,* nota elegantia pro vulgari: *dona,* flores, *in animam accumulem.* [Cf. adnott. ad v. 229. et quod attinet ad *accumulandi* verbum, V, 531. *Acesten Muneribus cumulat.*] — *inani munere* eo sensu, quo XI, 51. 52. [et Ovid. Met. II, 340., i. e. quod mortuum in vitam revocare non potest omninoque ab eo non sentitur]." *Heyn.* De hoc munere supremo cf. XI, 25. *egregias animas - - decorate supremis Muneribus.* Hi potissimum versus quantopere commoverint Augustum, vix verbis exprimi posse narrant Grammatici. Cf. Schmid. ad Hor. Sat. II, 1, 246. — **886.** *Sic,* talia confabulantes. (Cf. etiam v. 897 sq.) Tumulum igitur, in quo antea

Aëris in campis latis atque omnia lustrant.
Quae postquam Anchises natum per singula duxit
Incenditque animum famae venientis amore,
Exin bella viro memorat, quae deinde gerenda,
Laurentisque docet populos urbemque Latini
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
  Sunt geminae Somni portae, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris;
Altera candenti perfecta nitens elephanto,

---

steterant (v. 754.), iam deseruerunt. — 887. *Aëris in campis*, campis aëriis, i. e. in nebulosis, caliginosis. Cf. Auson. Cup. cruc. 1. *Aëris in campis, memorat quos Musa Maronis.* *Heyn.* adnotat: „Occurrit tamen hic nova difficultas, cum in Elysio caligo non esse debeat secundum v. 640. Scilicet ereptum iis est caelum nostrum, nam in inferis sunt, et habent aërem suum, aetherem illum purum et apertum. *Campi aëris*, qui tali aëre pro caelo fruuntur;" coll. Stat. Silv. V, 3, 286. *Ite pii Manes - - Et monstrate nemus, quo nulla irrupit Erinnys, In quo falsa dies caeloque simillimus aether.* Wagn. autem recte docet, cum loca infera ex more a veteribus tenebricosa dicantur, poetam (etsi Elysium suo sole collustretur), hic et v. 827. more semel usurpato loqui, quemadmodum etiam in Elysio versantes *aetheris* et *lucis* vocabulis utantur ad supera loca significanda (v. 436. 721. 761 sq. 828.). Ruhk., cui etiam Gossr. adsentitur, coniungit verba *regione aëris*, coll. supra II, 737. *regione viarum;* quod, quamquam prius probavi, nunc repudio coll. illo Ausonii loco, quem Wold. Ribbeck. affert. — 888. *per singula duxit.* Cf. supra v. 565. — 889. *famae venientis amore*, i. e. venturae, futurae. Cf. VII, 98. IX, 21. X, 801. XII, 13. Unus Med. exhibet *famae melioris amore*, quod ex IV, 221. fluxit. — 890. *Exin* (quod respondet antecedenti *postquam*, ut III, 164. *postquam - - dehinc*, ibid. 450. *cum - - deinde* etc.: cf. etiam adnott. ad Aen. II, 391.) i. q. tum, post haec, ubi in narratione ad aliam rem transitur. Forma *exin* (quae non solum est poëtica: cf. Hand. Turs. II. p. 666., qui profert Ciceronis testimonium Or. 45, 154. *dein etiam saepe et exin pro deinde et exinde dicimus*) poëta usus videtur, quia statim sequitur *deinde*. — *viro* apte pro *ei*, cum de bellis gerendis sermo sit. — *deinde.* Vide supra ad v. 756. — Nova *bella* cum Laurentibus, i. e. Latinis, et Rutulis gerenda; nam quae sequuntur *Laurentisque docet populos* cett. dicta per inversionem pro: quae bella gerenda sint cum populis Laurentibus. De Laurento autem et Laurentibus vid. infra ad VII, 63. Ceterum haec ante oculos habuit Ovidius Met. XIV. 118. sic scribens: (Aeneas in Orco ab Anchisa) *didicit quoque iura locorum, Quaeque novis essent adeunda pericula bellis.* — V. 892. iam adfuit III, 459., ubi vid. adnott. — 893 sqq. „Cum emittendus esset Aeneas e locis inferis porta alia, quam qua ingressus erat, incidit in duplices Somni portas, quibus veteres Somnia prodire luserunt. Fundus Odyss. XIX, 562 sqq. Somnia sedem habere in Orci vestibulo, supra vidimus v. 274. 282 sqq." *Heyn.* Cf. etiam Hor. Od. III, 27, 41. ibique Interpp. Burm. *Somni* a *Somnium* deducere maluit, probante Lessingio in libro *Wie die Alten den Tod gebildet haben* p. 80. Sed somnus mittit somnia: vid. Ovid. Met. XI, 623. et Lambin. ad Hor. Od. III, 27, 41. ab Iahn. laud. — *Sunt geminae Somni portae*, ut VII, 607. *Sunt geminae Belli portae.* — 894. *facilis datur exitus.* Cf. Anth. Lat. III, 81, 47. *quamvis facilis datur exitus inde.* — *veris umbris* vita functorum, quales dormientium animis obversantur. Interdum enim mortuorum umbras somniantibus sese offerre, ut Furiarum loco poenas expetant (coll. Prop. V, (IV,) 7, 87.), easque esse has veras umbras, Heyn. memorat. Cf. adnott. ad IV, 571. — 895. Wagn. verba *candenti perfecta elephanto* apposita censet voc. *nitens*, ut totus locus sic se habeat: altera

Sed falsa ad caelum mittunt insomnia Manes.
His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prosequitur dictis portaque emittit eburna,
Ille viam secat ad navis sociosque revisit;

---

cornea propterea que obscurior, nitens altera, ut elephanto perfecta. Conington verba *perfecta nitens* censet significare posse perfecte nitens, ut alibi *saxosus sonans, lenis crepitans* et similia (de qua re diximus ad Aen. VIII, 559.); quod minus est probabile. Cf. potius V, 267. *cymbia argento perfecta*, Cic. Verr. IV, 28, 64. *candelabrum e gemmis clarissimis perfectum* et similes locos. De *elephanto* pro ebore posito vid. ad Geo. III, 26. — **896**. „Altera porta meliore quidem materia est, scil. ebore, *sed* ex ea *Manes*, h. e. inferi, *mittunt ad caelum*, ad homines, *falsa insomnia:* procedunt hac altera porta non ipsae umbrae, sed phantasmata umbrarum seu Larvae, Horatii Od. III, 27, 41. *imago vana, quae porta fugiens eburna, somnium ducit. Falsa* igitur *insomnia* hic non sunt somnia fallentia, quae falsa rerum specie illudunt. Interpretatur locum Statius Silv. V, 3, 288.“ Haec fere *Heyn*. Wagn. confert Tib. II, 6, 37. *Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes, Moestaque sopitae stet soror ante torum.* Cf. etiam hac de re Mitscherl. ad Hor. Epod. V, 92 sqq. et Lobeckii Aglaoph. T. I. p. 302. De voc. *insomnia* vid. ad IV, 9. — **897**. *His - - dictis.* Peerlk., qui putat *dictis aliquem prosequi* nihil aliud significare posse, quam aliquem postremum salutare et certis quibusdam verbis compellatum dimittere, ideoque si *his dictis* a Vergilio scriptum esset, omnino requiri ipsa illa dicta, quibus Anchises usus fuisset, coni. *Hic, ubi - - dictis, portaque emittit,* eamque coniecturam etiam Ladew. (postea tamen ad Codd. lectionem reversus) et Haupt. amplexi sunt. Verum sane est, *his dictis* non satis cohaerere cum prioribus, nam quae sit portarum ratio, poëta exponit, non Anchises; sed pertinent haec verba ad omnia illa, quae supra narrata sunt. Contra vero loci significatio est supervacanea, et *dictis prosequi* non addito accuratiore indicio, quae et qualia sint dicta, vix ferendum videtur. Vid. etiam Wagn. in Philol. Suppl. I. p. 407. Ribbeck. (quem Conington et Benoist. secuti sunt) ex fragm. Vat., Rom., Pal. et Gud. a m. pr. recepit *His ibi;* sed *ubi* praeter Med. etiam agnoscit Probus Inst. I, 9, 8. — **898**. *porta emittit eburna.* Cf. Auson. Idyll. VI, 103. *portaque evadit eburna,* in quo loco, qui ex hoc Vergiliano fluxerit, cum praecedant verba *pulsa tandem caligine somni,* Henry in *Tw. years* VI. p. 58. et Philol. XVII. p. 648. paulo audacius concludit, non solum Ausonium hunc totum Aeneae accessum ad inferos pro somnio eius habuisse, sed etiam Vergilium ipsum rem aliter cogitari noluisse. — *emittit.* Quando hoc factum videatur, supra docuimus ad v. 535 sqq. Wagn. adnotat, in soluta oratione dicendum fuisse: His dictis tum prosecutus Aeneam ex altera Somni porta — nam geminae sunt — emittit, et confert I, 530 sqq. III, 163 sqq. VII, 563 sqq. — **899**. *viam secat,* τέμνει τὴν ὁδόν, viam sectam sequitur. Cf. IV, 257. V, 658. XII, 268. ibique adnott. — *sociosque revisit.* Cf. Silius XIII, 895. *Tum laetus socios iuvenis portumque revisit* et Anth. Lat. II, 192, 60. *Haec ubi percepit, graditur sociosque revisit.* — **900**. *Caieta* (hic per prolepsin commemorata: vid. libri sequentis initium) Latii erat oppidum L millia passuum a Neapoli septemtrionem versus remotum, nunc *Gaëta* appellatum. Vid. Strab. V. p. 233. Diod. IV, 56. Plin. III, 5, 9. Flor. I, 16. Amm. Marc. XXVIII, 22. Silius VIII, 531. alii et liber meus geogr. III. p. 710. (ubi nescio quo casu miro irrepserit locus Geo. III, 80.). — *recto litore,* i. e. recta secundum litus via, est optimorum Codd. et Servii lectio a Wagn. restituta, qui vulgatam *recto limite* interpretamentum habet verae lectionis et comparat infra VIII, 57. *Ipse ego te ripis et recto flumine ducam,* et Liv. XXI, 31. *Postero die profectus adversa ripa Rhodani mediterranea Galliae petit,* qui tamen Livii locus minus huc quadrat. (Cf. etiam Henry in *Tw. years* VI. p. 59. et Philol. XVII. p. 648., qui Med. et fragm. Vat. lectionem litore, quam etiam Serv. ad Aen. III, 16. et

Tum se ad Caietae recto fert litore portum.
Ancora de prora iacitur; stant litore puppes.

VIII, 57. et Donat. testantur et omnes recentiores editores praeter Bryceum amplexi sunt, omnino in 44, *limite* vero in duobus modo Codd. invenit.) Ingratam autem eiusdem vocis repetitionem huic lectioni tuendae non obstare, Wagn. docet coll. locis VII, 853. 179 sq. VIII, 242 sq. 396 sq. Melius tamen huc referes eiusmodi locos, quales sunt Aen. II, 74 sqq. (ubi vid. adnott. ad v. 76.) III, 523. V, 385. etc.; nam sententiae sic cohaerent: *se ad portum fert recto litore; Ancora - iacitur; stant* (igitur) *litore puppes*. Cf. etiam adnott. ad Ecl. VI, 16. et al.; *recto* autem *litore* sane eadem ratione dictum, qua VIII, 57. *recto flumine,* i. e. recto fluminis cursu. Eadem ratione Homerum librum XI. Odysseae et Silium Punicorum librum XIV. finire, Pomp. Sabinus observat. Ceterum Peerlk. duo postremos huius libri versus, quos non solum omnes Codd. exhibent, sed etiam Ovid. Met. XIV, 120 sq. et 154 sq. videtur ante oculos habuisse, propter illam ipsam voc. *litoris* repetitionem et dictionem *se fert recto litore,* quae vix aliter, quam de itinere terra per ipsum litus facto intelligi possit, ideoque satis levibus de causis spurios censet. Paulo graviora sunt argumenta, quibus Gossr. hos versus oppugnat, sic iudicans: „Haec prolepsis vix ferenda, si quae statim sequuntur l. VII. considerantur. Quaerimus enim, cur iam appulerint ad Caietam, cur non usque ad Tiberim navigaverint? An ut possit ibi mori Aeneae nutrix? Iam quae sequuntur VII, 4 sqq. bene cum v. 898. iunguntur, mediis omissis. Et habemus exsequias Miseni, non Caietae.“ Et sane negari nequit, hos ultimos libri versus esse inter eos, quos poëta haud dubie postea correxisset, si ipsi per fatum licuisset. Ribbeck. certe versum 901. in suspicionem vocat, qui iteratur ex III, 277. et a Med., Pal. et Rom. in ultima modo libri pagina exhibetur, antecedentem vero a Vergilio scriptum esse non dubitat.

ADDENDA.

(Hoc alterum volumen iam a. 1869. typis exscribi coeptum, sed cum opere ad medium fere librum tertium progresso bellum exortum diuturnae intermissionis causam intulisset, anno demum 1872. in officina typographica absolutum est. Quare etiam ad Aeneidis I.—III. iam multis additamentis opus esse intelleximus.)

A. Weidner,, vir doctiss., qui Aeneidis I. et II. copioso commentario Lipsiae a. 1869. edito bene illustravit, mecum consentit in his locis: I, 4. (*vi superum*), 5. (*dum conderet*), 8. (*quo numine laeso*), 19. 20. (contra Ladew. disputans), 22. (*volvere Parcas*), 24. (*prima*), 29. (*super aequore toto*), 45. (*infixit*), 48. (*adorat*), 79. (*concilias*), 161. (*in sinus reductos*), 164. (*scaena*), 193. (*humi*), 195. (*deinde*), 262. (*longius volvens*), 293. (*ferro et compagibus artis*), 323. (*tegmine*), 355. (*crudeles aras - - nudavit*), 372. (*componet*), 421. (*magalia quondam*), 479. (*interea*), 494. (*miseranda videntur*), 505. (*media testudine*), 518. (*cunctis*), 608. (*convexa lustrabunt*), 613. (*primo*), 661. (*domum ambiguam*), 664. (*mea potentia solus*), 698. (*mediam se locavit*), 703. (*longam penum*), 704. (*adolere Penates*), 724. (*vina coronant*), II, 12. (*refugit*), 20. (*armato milite*), 31. (*donum exitiale Minervae*), 45 sqq. (de dittographia, quam Ribbeck. sumit, dubitans), 56. (*maneres*), 77. (*fuerit*), 99. (*conscius*), 121. (*fata*, Nomin.), 186. (*dum vela, darent si forte, dedissent*), 138. (*dulces natos*), 145. (*his lacrimis*, Dat. — *ultro*), 146. (*manicas atque vincla*), 178. (*numen reducant*), 226. (*effugiunt*), 236. (*rotarum lapsus*), 246. (*fatis futuris*, Dat.), 251. (*involvens umbra*), 256. (*ibat - - extulerat - - laxat*), 272. (*raptatus bigis*), 287. (*nec me - - moratur*), 315. (*bello*), 330. (*bipatentibus*), 347. (*audere in proelia*), 348. (*super* et *his*), 349. (*audentem extrema*), 350. (*cupido sequi*), 422. (*primi arma*, recte Ribbeckii coniecturam reiiciens), 423. (*ora sono discordia signant*), 443. (*nituntur gradibus*), 487. (*cavae aedes*), 521. (*defensoribus istis*), 529 sq. (*infesto volnere* et *premit hasta*), 554. (*Haec finis Priami, fatorum* etc.), 557. (*iacet*), 602. (*tibi - - evertit*), 738. (*misero fatone*);

dissentit vero in his: I, 13. (*longe*), 55. (*claustra montis*), 82. (*impulit in latus*), 107. (*harenis*, Abl. loci), 116. (*aliam*), 120. (*Achati*), 126. (*alto* = ex alto), 135. (*Quos ego! quos* non a *qui*, sed a *quis* deducens), 187. (*hic*), 188. (verba *fidus quae tela gerebat Achates* spuria iudicans), 211. (*deripiunt*), 216. (*mensae*), 224. (*dispiciens*), 233. (*ob Italiam*), 259. (*sublimen*), 271. (*Longam Albam*), 289. (*spoliis Orientis*), 317. (*Eurum*), 320. (*nodus*), 343. (*ditissimus auri*), 367. et 368. (quos spurios censet), 396. (*captas respectare*), 418. (*corripere viam*), 427. (*theatris*), 445. (*facilem victu*), 447. (*condebat* et *numine divae*), 448. (*nexae*), 466 sqq. [vid. infra], 497. (*iuvenum*), 544. (*iustior pietate*), 547. (*occubat umbris*), 548. (*ne te poeniteat*), 636. (*dii*), 661. (*bilinguis*), 697. (*aulaea*), 711. (quem spurium habet), 719. (*insidat*), II, 16. (*intexunt*), 54. (*si fata deum - - non laeva fuissent*), 67. (*turbatus*), 70. (*quid denique*), 87. (*primis ab annis*), 290. (*alto*), 322. (*res summa*), 390. (*in hoste*), 396. (*haud numine nostro*), 433. (*Danaum manu*, non *Danaum vices*), 442. (*postes*), 464. (*tabulata — altis sedibus*), 497. (*Exit*), 567. (*Iamque adeo*), 574. (*invisa*), 579. (quem versum spurium censet), 585. (*merentes*), 616. (*limbo*), 678. (*relinquor*). — Praeterea vero etiam multis aliis in locis ex hoc commentario laude dignissimo largum fructum percipies.

Loci huius voluminis, quos Phil. Wagner. in Lectt. Verg. Philologi Suppl. I. insertis tractat, sunt hi: I, 8. p. 400. — I, 109. p. 387. — I, 211. p. 315. — I, 216. p. 400. — I, 220. et 393 sqq. p. 401. — I, 322. et 378. p. 387. — I, 426. et 448. p. 376. — II, 3. p. 415. — II, 56. (179.) 187. p. 315. — II, 290. et 349. p. 376. — II, 432 sqq. p. 415. — II, 497. p. 316 sqq. — II, 503. p. 334. — II, 554. p. 416. — II, 616. 683. et 691. p. 334. — II, 738. p. 402. — (II, 778. p. 335.) — III, 76. p. 335. — (III, 82. et 149. p. 338.) — III, 319. p. 338. — III, 340 sq. p. 338. et 377. — III, 545. p. 402. — III, 558. 614. et 625. p. 378. — III, 627. 652. 684 sqq. p. 379. — III, 690. p. 380. — III, 702. p. 381. — IV, 98. p. 382. — IV, 217. p. 402. — IV, 256 sqq. p. 382. — IV, 273. p. 383. — IV, 285. p. 339. — IV, 408. p. 383. — IV, 435. p. 403. — IV, 464 sq. p. 340. — IV, 471. p. 403. — IV, 528. p. 340. — IV, 541. et 593. p. 341. — IV, 587. p. 403. — IV, 640. et 641. p. 384. — (IV, 651. p. 343.) — IV, 662. p. 385. — V, 139. p. 403. — V, 167. p. 343. — V, 274. p. 333. — V, 281. p. 385. — V, 520. et 631. p. 343. — V, 581. p. 385. — V, 706. p. 406. — V, 734. 768. et 821. p. 344. — (V, 836. p. 345.) — VI, 88 sqq. p. 417. — VI, 357 sqq. et 389. p. 418. — VI, 442. p. 345. — VI, 495. et 505. p. 346. — VI, 553. p. 385. — VI, 558. p. 346. — VI, 586. p. 347. — VI, 640. 641. p. 384. — VI, 643. et 648. p. 345. — VI, 662. p. 385. — VI, 734. p. 347. — VI, 820. p. 348. — VI, 898. p. 406. — Collegimus autem eos ordine versuum collocatos, ne forte unus alterve a nobis in commentario omissus, cum priorem modo Wagneri sententiam repetat, lectorum fugiat notitiam. Ceterum cf. Vol. I. p. 541.

Ad Aen. I, 7. Cf. etiam Haeckerm. in Muetzellii *Zeitschr.* etc. XIX. p. 45.

- - I, 8. Cf. idem ibid. atque etiam in X. p. 103.

- - I, 11. *irae.* Pluralis vehementiam irae indicat, ut Ecl. IX, 56. X, 6. Aen. I, 350. IV, 28. et V, 354. *amores* ardorem amoris. Vid. adnott. ad Aen. IV, 28. Unger. de Valg. Rufo p. 226 sq. et Weidner. ad h. l.

- - I, 18. *si qua.* Locis allatis adde IX, 512. et XI, 128. Cum verbis *esse tendit,* i. e. cupit, ut sit, cf. Hor. Ep. I, 19, 16. *tenditque disertus haberi.* Ceterum vid. adnott. ad II, 220.

- - I, 19. Cf. etiam Haeckerm. l. l. p. 45.

- - I, 26. *repostum.* Cf. etiam X, 694. Lucr. I, 1059. Corssen. de pron. II. p. 22. ed. II. et Neue *Formenlehre* II. p. 435.

- - I, 30. *Danaum.* Sic etiam v. 96. 598. 754. et saepius. Eandem contractam Genitivi formam in populorum nominibus invenimus I, 555. II, 281. III, 53. IV, 228. VI, 60. 92. 503. 588. VIII, 513. IX, 728. X, 41. 81. 448. XI, 171. 308. alibi. Cf. Neue *Formenl.* I. p. 114 sq. Vide etiam infra ad v. 40. — Genit. *Achilli* legimus etiam II, 275. III, 87. VI, 840., ut *Ulixi* Ecl. VIII, 70. (ubi vid. adnott.) Aen. II, 7. 90. 436. III, 273. 613. 691. et *Oronti* I, 220. Cf. Neue l. l. p. 339. et Weidner. infra ad v. 120.

- - I, 31. *arcebat Latio.* Adde V, 742. *complexibus arcet.* — *Longe* non esse i. q. diu, sed de spatio intelligendum significare „longe repulsos, summotos," non opus esse putabam ut commemorarem. Weidn. tamen comparat V, 428. *retro longe.*

- - I, 32. *circum* etiam Geo. I, 235. Aen. I, 466. II, 515. 564. III, 75. IV, 145. VI, 166. 329. VII, 379. VIII, 285. et alibi Casui suo postponitur. Omnes Vergilii locos, ubi Praepositiones postponuntur, collegit Neue *Formenl.* II. p. 555., qui antea p. 554. egit de locis, ubi inter Subst. et Praedicatum suum collocantur.

- - I, 40. *Argivom.* Sic etiam V, 672., ut II, 318. et XI, 266. *Achivom.* Cf. etiam adnott. ad Geo. I, 238. et II, 542. cum iis, quae supra ad v. 30. adscripsimus.

- - I, 41. Loco I, 120. *Ilionei* adde VII, 249. et IX, 501. Alia huius synizesis exempla sunt *Nerei* VIII, 383. X, 764., *Promethei* Ecl. VI, 42., *Pelei* Aen. XI, 262., *Therei* Ecl.

VI, 58. Huc pertinent etiam *Typhoeo* IX, 716. et *Menestheo* X, 129. Cf. omnino Neue *Formenl.* I. p. 338.

Ad Aen. I, 45. Loco Ennii p. 274. Hessel. adde: sive p. 144. Vahlen.

\- - I, 46. *Ast.* Cf. etiam Aen. IV, 488. VI, 316. VII, 395. IX, 727. et Corssen. de pron. II. p. 278., qui *ast* ex *at set* ortum censet. A Plauto hanc formam alienam esse docet Ritschl. Proleg. Plaut. p. 516. et Opusc. II. p. 431.

\- - I, 48. *bella* de singulis certaminibus. Vid. adnott. ad II, 439.

\- - I, 52. *Hic - - antro.* Vid. adnott. ad Ecl. III, 12. et Aen. VI, 305.

\- - I, 56. Neglexi adnotare, etiam Ladew. nobiscum cogitare de arce Aeoli iuxta montem sita, cui tamen adversatur Ley in Vergilianae interpretationis (Aeneid. l. I.) Spec. (Progr. Saraepont. a. 1869.) §. 4. p. 11 sqq. docte de Aeolo Vergiliano disputans.

\- - I, 67. *navigat aequor.* Vid. etiam Schmid. ap. Hor. Ep. II, 2, 125. et Weidner. ad Aen. I, 524.

\- - I, 70. *dissice.* Cf. VII, 339. et XII, 308. Omisi autem adnotare, *dissice* pro *disice* positum et literam *s* propterea modo geminatam esse, ut syllaba fieret longa. Cf. Lachm. ad Lucr. II, 951. p. 128. et Weidner. ad h. l. — Idem Weidn. Servium secutus, qui adnotat: „Physice exprimit motum aëris, i. e. Iunonis, ventos creare“ bene exponit causam, cur Aeolus Iunoni obedire debeat, cuius nomen Graecum Ἥρα veteres a voce ἀήρ deduxerint.

\- - I, 73. *Conubjo.* Vid. etiam Bergk. in *Zeitschr. f. d. Alt.-Wiss.* 1851. p. 217 sqq. coll. iis, quae Ritschlius contra eum disputat Opusc. II. p. 596 sqq. et Lachm. ad Lucr. V, 85. p. 280.

\- - I, 76. De omisso verbo dicendi vid. infra ad v. 135. et Weidner. ad h. l.

\- - I, 83 sqq. Etiam de hac tempestatis descriptione Ley in libello modo comm. §. 5. p. 16 sqq. disseruit.

\- - I, 109. In Philol. Suppl. I. p. 387. Wagner. hunc versum propter ingratam Pronominis elisionem *quae in* aut prorsus reiiciendum, aut *mediisque* ex Med. recipiendum esse suspicatur.

\- - I, 113. *Oronten.* Sic etiam VI, 334., ut *Acesten* I, 558. 570. V, 30. 531. 540. 746. et *Anchisen* II, 597. 747. III, 82. 179. 710. V, 614. VI, 670. VII, 134., quamquam Nomin. in *es*, Genit. in *ae* et Ablat. in *a* mittitur. Cf. Charis. I, 15. p. 51. et Neue *Formenl.* I. p. 36 sq.

\- - I, 115. De asyndeto rem statim secutam indicante cf. etiam adnott. ad X, 658.

\- - I, 116. Etiam Weidner. comprobat Ribbeckii coni. *aliam,* ut v. 117. scripturam *vortex,* quamquam alibi ap. Verg. ubique invenitur *vertex.* Cf. Wagn. Orth. Verg. p. 481.

\- - I, 118. *Gurgitem* poetis omnino pro mari dici negat Kappes. III. p. 10 sq. et hic de profunditate maris videtur cogitare, cum comparet Schwabii nostri versus (*der Reiter u. der Bodensee*): *An den Schlund, an die Tiefe bodenlos Hat gepocht des rasenden Hufes Stoss* et *Es sieht sein Blick nur den grässlichen Schlund, Sein Geist versinkt in den schwarzen Grund.* Ceterum comparat hos locos: Geo. IV, 321. 387. 395. Aen. III, 421. V, 33. 160. 209. VI, 741. VII, 704. IX, 23. X, 559. XI, 913. XII, 114.

\- - I, 120. Etiam Weidn. amplectitur lectionem *Achati.* Vid. supra ad v. 30.

\- - I, 123. *Accipiunt.* Vid. adnott. ad VI, 414. — *inimicum.* Vid. ad IX, 315.

\- - I, 140. *Vestras, Eure, domos.* Cf. etiam IX, 257. et adnott. ad IX, 525.

\- - I, 144. *adnixus* legimus etiam III, 208. IV, 583. 690. V, 226. IX, 229. 744. XII, 92. Sic *conixus* IX, 769., *enixus* III,

327. 391. VII, 320. VIII, 44., *obnixus* Geo. III, 222. 233. IV, 84. Aen. IV, 332. 406. V, 206. IX, 715. X, 359. XII, 105. 721., *subnixus* I, 506. III, 402. Cf. Neue *Formenl.* II. p. 447 sqq.

Ad Aen. I, 145. *tridenti.* Vid. infra ad II, 610.

\- - I, 167. Simplici Ablativo materiae alibi *ex* adiicitur. Cf. IV, 138. et V, 266.

\- - I, 174. Weidner. Dativum *silici* non male sic explicat: „*Verg. wählte den Dativ statt des Abl., um den Stein gewissermassen als ein lebendiges Wesen darzustellen, dem man das Feuer raubt. Der Abl. würde bedeuten: den Funken aus dem Steine herausschlagen, so dass dieser als todte Materie dabei passiv bleibt.*"

\- - I, 181. Etiam Weidn. cum Gossravio meae interpretationi opponit verba interiecta *Phrygiasque biremes* et adoptat Charisii et Servii lectionem *si qua.*

\- - I, 189. Verba *capita alta ferentis* redeunt infra III, 678.

\- - I, 194. *vina.* Plur. numero, ut saepe. Cf. locos in Neue *Formenl.* I. p. 412. collectos.

\- - I, 198. *ante mala.* Cf. Cic. Verr. V, 12, 29. *semper Praetores,* Phil. VII, 3, 8. *semper laudator,* de N. D. II, 66, 166. *saepe praesentia,* Catil. II, 12, 27. *lenitas adhuc,* Liv. III, 6, 3. *ministeria invicem* etc. Multos locos huc pertinentes collegit Schneider. in Novis Annal. phil. LXI. p. 254. Praeterea cf. etiam Zumpt. §. 262. Madvig. §. 210. et Naegelsb. *Stil.* §. 75.

\- - I, 201. *Accestis.* Cf. etiam Corssen. de pron. II. p. 26 sqq. et Neue *Formenl.* II. p. 418 sqq.

\- - I, 202. *Experti,* scil. *estis,* quod etiam V, 192. supplendum, ut *sumus* II, 25., *es* haud raro (vid. infra ad v. 237.), *est* Ecl. I, 54. VIII, 24. Geo. IV, 89. Aen. IX, 675., *erant* Aen. I, 362. etc.

\- - I, 216. Weidnero Servium sequenti (qui adnotat: „maiores ipsas apponebant mensas pro discis") et comparanti III, 255 sqq. et VII, 116. *mensae* sunt „*jede Unterlage der Speisen, runde Scheiben, zuweilen von Brot, auf denen man das Fleisch u. die übrigen Speisen verzehrte.*"

\- - I, 232. Weidn. signum exclamationis etiam post *potuere* poni posse et *quibus* in *nam iis* solvendum esse censet.

\- - I, 233. Etiam Weidn. Particulae *ob* loci significationem vindicat et interpretatur *vor oder gegen Italien hin.*

\- - I, 234. *volventibus annis.* Viris doctis laudatis adde Neue *Formenl.* II. p. 103 sqq.

\- - I, 236. *dicione.* Vulgarem scribendi rationem per *t* etiam Doederl. *Reden u. Aufs.* I. p. 368. et Schultze. Orth. Quaest. decas p. 11 sqq. defendunt. Sed vide Fleckeisen. L tit. p. 14. 16. Huebner. in Nov. Annal. phil. LXXVII. p. 356 sq. et Corssen. de pron. I. p. 51 sq.

\- - I, 237. Conington mutata sententia in *Additions* p. 534. Comma post *Pollicitus* positum in Punctum mutari iubet. Ribbeckii scribendi rationem *pollicitu's,* ut V, 687. *exosu's* et X, 827. *laetatu's,* quam probat Weidner., cum Ribbeckio Proleg. p. 154. provocans ad Mueller. de re metr. p. 301 sqq., reiicit etiam Th. Bergk. in Nov. Annal. phil. LXXXIII. p. 638. Quod autem attinet ad tertiam Pers. *est,* eiusdem viri doct. disceptatio cum Ritschlio de ea apud Plautum aut omittenda aut non omittenda (cf. *Zeitschr. f. d. Alt.-Wiss.* 1850. p. 340. 1851. p. 230 sqq. — Mus. Rhen. VII. (1850.) p. 599 sqq. Opusc. II. p. 608 sqq. etc.) ad Vergilium quidem non pertinet, non tamen reticendum, etiam apud hunc Hauptium et Ribbeckium Codd. vestigia secutos (cf. Wagn. Orth. Verg. 433 sq. et Ribbeck. Proleg. 419.) saepe recepisse aphaeresin (Ecl. VI, 11. *ullast,* VI, 74. *secutast,* VII, 43. *annost,* Geo. II, 257. *diffi-*

cilest, III, 98. *ventumst* etc.), quam Lachm. ad Lucr. I, 993. p. 66 sqq. et III, 954. p. 199 sqq. etiam Lucretio et omnibus omnino poetis vindicat. Ex recentioribus tamen Vergilii editoribus nemo eorum vestigia pressit.

Ad Aen. I, 244. De *Timavo* eiusque fontibus praeter adnott. ad Ecl. VIII, 6. cf. Daniel. *Handb. d. Geogr.* III. p. 179. a Weidn. laud.

- - I, 248. Weidnero *arma* non sunt *Waffen*, sed *Schiffsgeräthe*.

- - I, 254. *olli*. Locis allatis adde V, 358. 580. XI, 236. et XII, 867. *Ollis* legitur VI, 730. et VIII, 659. Cf. Neue *Formenl.* II. p. 151 sq.

- - I, 259. Omisi adnotare, Ribbeckium etiam hic edidisse *sublimen*, quod Weidn. probat. Sed vide adnott. ad Geo. I, 242.

- - I, 262. De Copula postposita vid. ad Ecl. I, 34. IV, 63. al. et Weidn. ad Aen. I, 333. et 353.

- I, 265. De numero ternario in omnibus institutis publicis antiquissimae Romae praevalente Weidn. conferri iubet Schwegleri *Röm. Gesch.* I. p. 344. 451. 616. et Rubino *Vorgesch.* p. 13 sqq. (Ceterum cf. etiam adnott. ad Ecl. VIII, 73. et Aen. XI, 189.)

- - I, 269. In Ennii loco allato pro *mugit* rectius legitur *vagit*.

- - I, 273. *Sacerdos* femin. genere legitur etiam IV, 483. 509. VI, 35. 41. 321. 544. 628. VII, 419. 659. Cf. Neue I. p. 623.

- - I, 289. Weidn. tamen de redditis a Parthis signis et captivis Romanorum cogitat Vergiliumque extremo vitae anno hunc librum retractantem haec addidisse suspicatur.

- - I, 312. *comitatus* passive usurpatum etiam II, 580. IX, 48. et X, 186. legimus. Vid. Neue II. p. 204 sq. Cum simplici Abl. etiam II, 580. et X, 186. construitur.

- - I, 317. Etiam Weidn. amplectitur coniecturam *Eurum*.

- - I, 318. *humeris suspenderat*. Cf. adnott. ad XII, 511., ubi legimus *curru suspendit*. Recte autem Weidn. *humeris* (vel potius *umeris*, ut ipse scribit) et *curru* Casum locativum, non Dativum esse docet.

- - I, 320. *sinus collecta*. Locis ad Ecl. I, 54. collatis praeterea adde Geo. IV, 357. Aen. I, 589. II, 210. 219. 221. 273. III, 47. VI, 470. — *Nodum* Weidn. minus probabiliter de strophio intelligit, de quo vide etiam librum meum *Hellas u. Rom* I, 1. p. 111.

- - I, 322. Wagner. in Philol. Suppl. I. p. 387., ut evitetur elisio Pronominis *quam hic*, paulo audacius coniicit *si quam palantem*.

- - I, 323. Weidn. quoque Ribbeckii lectionem *tegmina* recte reiicit.

- - I, 343. *coniunx* pro marito, ut infra v. 354. II, 519. 572. 777. III, 317. IV, 21. 324. 338. 458. et saepius. Cf. Neue I. p. 616. — Huetii coniecturam *ditissimus auri* cum Ribbeckio etiam Weidner. defendit.

- - I, 346. De auspiciis nuptialibus omnibusque nuptiarum ritibus nunc etiam cf. librum meum *Hellas u. Rom* I, 1. p. 280 sqq.

- - I, 350. *amorum*. Vid. supra ad v. 11.

- - I, 367. et 368. etiam Weidn. spurios esse censet.

- - I, 378. Iam Heynius censuerat, Pron. *qui*, quod non compareat in Moret. I., melius omitti, eique eadem, quam modo attulimus, causa adstipulatus est Wagner. l. l. p. 387.

- - I, 396. Etiam hic Weidn. cum Ribbeckio lectionem *respectare* defendit, iure autem eius coniecturam *capsos* repudiat. Ceterum versum 398. spurium iudicans evitat sane huius loci difficultatem et satis simplicem eius proponit explicationem.

- - I, 426. Weidn. quoque hunc versum non a Vergilio scriptum esse iudicat. In sequ. autem versu cum Ribbeckio amplectitur lectiones *lata* et *theatris*, Pluralem permagnum amplumque theatrum indicare ratus. Neglexi enim adnotare, *lata* non solam Peerlkampii coniecturam, sed etiam

sched. Vatic. esse lectionem a Ribbeckio fortasse iure receptam.

Ad Aen. I, 441. De templis eorum deorum, in quorum tutela urbes erant, in media urbe exstructis cf. Vitruv. I, 7. Lucian. de dea Syr. §. 28. et Movers. *Phoen.* I. p. 611. Deam autem hic a Verg. Iunonem appellatam esse Carthaginiensium *Tanit* in inscriptt. saepe commemoratam docet Weidner.

\- - I, 442. Qui coniungunt verba *primum signum*, etiam ad I, 723. III, 69. et V, 857. provocare possunt.

\- - I, 449. *cardo* (non *Angel*, sed *Zapfen*). Cf. quae de ianuis Romanorum exposui in libro meo *Hellas u. Rom* I, 1. p. 194 sq.

\- - I, 455. Weidn. recte quidem reiicit Ribbeckii coniecturam *intrans*, sed etiam damnat lectionem *inter se* locumque corruptum censet et aliqua ratione emendandum.

\- - I, 458. De utraque Accus. forma *Achillen* et *Achillem* cf. etiam Neue I. p. 319. Ceterum vide supra ad v. 113.

\- - I, 466. Weidner., ad v. 418. accuratius de h. l. disputans, non de picturis in pariete porticus apparentibus, sed de sculpturis *Atticae*, quam nos vocamus (*des Giebelfeldes*), in duas partes divisae cogitat, cuius tamen neque forma neque magnitudo ad has octo imagines complectendas apta mihi videtur.

\- - I, 479. Etiam Weidn. contra Ribbeckianam versuum transpositionem disputat.

\- - I, 480. *et ferebant* pro: ferentes. Cf. II, 344. ibique adnott.

\- - I, 488. *exanimum*. Sic etiam VI, 149. et XI, 110., ut IV, 8. (ubi vid. Wagn.) *unanimam* atque X, 425. et XII, 131. *inermum* (contra vero I, 487. II, 67. et XI, 672. *inermis*, *inermem*). Cf. omnino Neue II. p. 65 sqq.

\- I, 492. Weidn. suspicatur, Vergilio hic obversatam esse imaginem, quae repraesentaverit Penthesileam re vera medio in proelio cingulum delabens denuo subnectentem.

\- - I, 497. Etiam Weidn. cum Burmanno *iuvenes* de muliebri Didonis comitatu intelligit, ut comparatio cum Diana melius procedat. Sed quis non videt, hanc totam comparationem aliquo modo claudicare? Quare etiamnum cogito de virili comitatu et iisdem armatis, qui v. 506. commemorantur.

\- - I, 534. De his versibus imperfectis cf. etiam adnott. ad VI, 165. Non tamen reticendum, etiam Weidnerum ad h. l., ad I, 559. II, 65. et 467. consentire cum Zillio aliisque hos versus a Vergilio consulto non absolutos esse suspicantibus, de aliis vero eiusmodi versibus, ad quos non quadrat haec suspicio, prudenter tacere. Vix autem nobis velit persuadere, Vergilium alios versus aliquando absolvendos, alios vero omnino non absolvendos reliquisse.

\- - I, 543. *at* pro: at saltem. Weidn. conferri iubet Wicherti *Stillehre* p. 263 sqq.

\- - I, 544. Etiam Schenkl. in *Zeitschr. f. d. Oest. Gymn.* 1852. p. 205. et Weidner. coniungunt verba *iustior pietate*.

\- - I, 547. Quod attinet ad morem eandem notionem primum affirmative, tum negative proferendi Weidn. comparat Herodoti locos a Gebhardto in Progr. gymn. Hof. 1858. collatos.

\- - I, 565. *Aeneadum*. Sic II, 242. *Dardanidum*, VII, 305. *Lapithum*, XI, 296. *Ausonidum*, III. 550. et VIII, 127. *Graiugenum*, III, 20. *caelicolum* etc. (*Caprigenum* vero III, 221. et *omnigenum* VIII, 698. descendit a Nom. *caprigenus*, *omnigenus*.) Cf. Neue I. p. 17 sq.

\- - I, 566. Hunc versum Silius II, 358. sic imitatur: *Sed Libyae clades et primi incendia belli aggerat* etc.

\- - I, 648. Cf. liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 98 sq.

\- - I, 654. 655. Cf. idem liber p. 325 sq. adn. 283. et 284.

\- - I, 661. Weidn. epitheton *bilingues* proprie dictum putat: et punice et graece loquentes.

Ad Aen. I, 668. Etiam Weidnero adhuc dubium videtur, utrum ultima syllaba hic, Geo. III, 76. IV, 222. et V, 284. natura longa sit, an potius caesurae et arsis vi producatur. Cf. adnott. ad Ecl. I, 38. II, 53. (cum addendis) et Aen. V, 521.

- - I, 669. *nostro doluisti dolore.* Weidn. comparat Hor. A. P. 101. *Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt Humani vultus*, scil. flentes, et Liv. XL, 54, 8. *saepe querenti querens et ipse aderat* atque conferri iubet Doederl. *Reden u. Aufs.* II. p. 181 sq. et Naekium in Mus. Rhen. III. p. 328 sq.

- - I, 677. *accitu.* Cf. Neue *Formenl.* I. p. 521.

- - I, 680. Weidn. *super* cum Accus. constructum (VII, 557. VI, 504. IX, 444 etc.) motus, cum Ablat. vero (Ecl. I, 80. Aen. I, 700. VI, 203.) quietis notionem exprimere censet, quamquam ipse addit: „*Oft sind natürlich beide Anschauungen möglich.*" Neue vero *Formenl.* II. p. 551. hoc discrimen non agnoscit et Accusativum tum tantum necessario requiri putat, si *super* sit nostrum *darüber hinaus.*

- - I, 685. *gremio accipiet.* Cf. VIII, 177. *toro et pelle leonis accipere*, (fortasse etiam VI, 393., ubi tamen rectius verba *lacu euntem*, quam *lacu accipere* coniungi videntur).

- - I, 697. *Cum vēnit - - iam - - se locavit.* Hanc temporum coniunctionem, quam Charis. II. p. 226. Diomed. I. p. 392. K. et Prisc. XVIII. p. 253. parum feliciter explicare studeant, Weidn. iure prorsus singularem esse censet. — Idem cum Heynio et Henrico *aulaea* de vestibus stragulis lecto iniectis intelligit.

- - I, 698. De triclinii ratione nunc cf. liber meus *Hellas u. Rom* I, 1. p. 185. adn. 419. Hic in quovis lecto non modo tres, sed plures convivas accubuisse in promptu est. Weidner. ex v. 510 sq. et 518. concludit, quindecim Troianos adfuisse, quibus haud dubie totidem Carthaginienses responderint, ut omnino triginta convivae coenae interfuisse videantur.

- I, 702. *mantelia.* Vide librum meum modo comm. I, 1. p. 14. et 57. adn. 115.

- - I, 711. Etiam Weidn. hunc versum spurium censet, tres autem sequentes iure contra Ribbeckium defendit.

- - I, 719. *insidat* Weidn. non proprie dictum accipit, sed explicat per *sich allmählig in's Herz senken*, coll. Quinct. X, 7, 2. *memoriae insidere* et Ovid. Met. X, 252. *credit tactis digitos insidere membris.*

- - I, 724. Sequitur compotatio, in qua maioribus poculis utuntur. Cf. liber meus modo comm. I, 1. p: 134., ubi p. 210 sq. de omnibus Romanorum vasis potoriis exposui.

- - I, 726. De laquearibus et lychnis pensilibus vide, quae ibidem p. 125. 180. adn. 407. et p. 208. disserui.

- - I, 741. Formam *Atlans* Med. etiam IV, 481. VI, 796. VIII, 136. 140. 141. exhibet, ut III, 703. *Acragans* et VIII, 104. *Pallans* in eodem vel aliis Codd. et Scholl. apparet. Cf. Neue I. p. 148.

- - II, 3. *Infandum dolorem.* Cf. quae Weidner. ad I, 525. de vocc. *infandus* et *nefandus* (imprimis contra Doederl. *Etym. u. Syn.* II. p. 150.) disputat.

- - II, 22. *regna*, i. e. regnum magnum, amplum. Vid. adnott. ad VII, 217.

- - II, 25. Dele verba „quae tamen redit etc." et cf. quae supra ad I, 202. addidimus.

- - II, 27. Praeter locos allatos cf. Geo. I, 74. *siliqua quassante*, IV, 174. *Fama malum*, VI, 116. *mandata dabat* (IV, 178. *ira irritata*, IV, 238. *parere parabat*) similesque locos.

- - II, 46. *fabricata* passive, ut IX, 145. Cf. Neue II. p. 210., qui multos locos (ut Ovid. Met. I, 259. VIII, 669. Fast. V, 137.), etiam pedestrium scriptorum, collegit.

Ad Aen. II, 62. Weidn., ut Peerlk., sine iusta causa in hoc loco haerens proponit coniecturam *versare domos* (i. e. novam patriam), cui tamen ipse non multum tribuit, ut litem adhuc sub iudice esse censeat.

- II, 70. Weidn. rectius coniungere videtur *quid denique*, ut XII, 793., et *denique* reddit per *nun eigentlich*, coll. Hor. A. P. 267. aliisque locis et Wicherti *Stillehre* p. 164 sq.

- - II, 75. Etiam Weidn. Ribbeckii coniecturam recte reiicit, ipse vero v. 74. et 75. spurios habet, cum etiam v. 76. invito Vergilio adiectus hunc locum a primis editoribus ad arbitrium constitutum esse doceat.

- - II, 77. Quod attinet ad Fut. exactum, si de re certissime futura sermo est, pro simplici Fut. positum, praeter locos allatos cf. etiam Aen. IX, 282. X, 334. XII, 316., Weidn. ad h. l. et imprimis Madvig. Opusc. II. p. 64—111.

- - II, 82. *inclutam fama gloriam* non ad sortem Palamedis, sed ad utiliter ab eo inventa spectare, de quibus agat Welcker. Trag. p. 129 sqq. 500 sqq. et *Ep. Cycl.* II. p. 99. 101. 106. 1029., docet Weidn.

- - II, 84. Cum verbis *Insontem infando indicio*, quae indignationem et dolorem prodant, Weidn. comparat Ter. Andr. 129. *in ignem inpositast* et conferri iubet Naekium in Mus. Rhen. III. p. 337.

- - II, 87. Weidn. verba *primis ab annis* (i. e. ab ineunte aetate) cum *comitem* coniungenda esse putat.

- - II, 99. *in volgum*. Cf. etiam Neue I. p. 679. — Pro *arma*, quam vocem recte explicuisse mihi videor, Weidn. parum feliciter coniicit *ansam*.

- - II, 103. Etiam Weidn. cum Wagn. *audire* recte putat passive capiendum esse pro appellari.

- - II, 106. *ars Pelasga* est perfidia. Sic fortasse ap. Val. Fl. III, 45. *soliti rediere Pelasgi*, i. q. quales esse solent, i. e. perfidi.

- - II, 114. Weidn. *scitantem* explicat per: qui scitaretur, vel potius scitari iussum.

- - II, 129. *Composito*. Vid. etiam Neue II. p. 498.

- - II, 144. *non digna* Weidnero fortasse rectius non sunt Sinone, sed omnino quocumque homine indigna.

- - II, 145. *Miseresco* personaliter usurpatum legitur etiam VIII, 573. et X, 676. Sic *commiseresco* in fragm. Ennii ap. Nonium p. 472. (p. 116. Vahl.) Cf. Neue II. p. 482.

- - II, 182. *digerere* Weidnero simpliciter est *auslegen, deuten*.

- - II, 217. *ora credita*. Cf. etiam Neue II. p. 188.

- - II, 247. *non umquam*. De litote cf. multi viri docti ab Obbario in Nov. ann. phil. LIX. p. 152. laudati.

- - II, 255. Weidn. in verbis *amica silentia lunae* recte, puto, Henricum sequitur.

- - II, 303. De scalis domus Romanae Weidn. conferri iubet Marquardti *Röm. Alterth.* V, 1. p. 244. Vid. etiam librum meum *Hellas u. Rom* I, 1. p. 195. et 202.

- - II, 313. De Romanorum *tuba* cf. idem liber meus I, 1. p. 172.

- - II, 318. *Panthūs*, quod nomen Vocativo *Panthu* (*Πάνϑοι*) paulo post redit v. 322. et 429., unum est huius contractionis exemplum nobis notum. Cf. Neue I. p. 132.

- - II, 322. Weidn. in verbis *Quo res summa loco?* simplicem invenit loci notionem: „*Wie steht es oben auf der Burg?*" et seqq. verba *quam prendimus arcem?* cum Weicherto interpretatur: „*welchen andern* (?) *Zufluchtsort sollen wir ergreifen?*" Sed *arcem* sic per *summam rem* indicari potuisse valde dubito, quare retineo explicationem a me propositam, quam Silii locus collatus maxime iuvat. Nescio enim, quo iure Weidn. contendat, verba *quam prendimus* non posse significare qualem s. quo statu inveniemus?

Ad Aen. II, 325. *Fuimus Troes, fuit Ilium.* Weidn. de hoc dicendi genere conferri iubet Madvig. in Gramm. §. 340. et in Opusc. II. p. 83 sq. librumque suum *Stilübungen* p. 160.

- - II, 330. De portis et ianuis Romanorum cf. liber meus comm. I, 1. p. 194. et 217.

- - II, 348 sqq. Weidn. hunc locum bene defendit contra Peerlk. et Ladew.

- - II, 371. *Androgeos.* Cf. Neue I. p. 132.

- - II, 377. *sensit delapsus.* Vid. etiam Ditzen. de quibusd. locis Verg. (Emden. 1865.) p. 9. et Weidn. ad h. l.

- - II, 389. *clipeos.* Vid. adnott. ad IX, 709.

- - II, 390. *in hoste* Weidn. explicat: undique ab hoste circumventus sensumque totius loci sic constituit: ab hoste circumventum quacunque ratione vitam et salutem defendere oportet, quae dolus an virtus appelletur nihil refert, arma tantum requiruntur. Ea autem, quae nunc in rem futura videntur, hostes ipsi dabunt.

- - II, 396. Weidn. cum Dietschio contendens *non noster* esse non posse i. q. non favens, non propitius nobis, aut verba *haud numine nostro* pro Ablat. absol. habenda esse suspicatur, ut ex verbis antecedentibus suppleatur *cadente* et sententia haec sit: vadimus inmixti Danais, numine nostro non diutius nobiscum vadente, nos sequente, aut verba sic esse coniungenda: *Danais inmixti haud numine nostro*, i. e. invito numine nostro, utraque autem ratione *numen nostrum* esse *δαίμονα ἀγαθόν*.

- - II, 425. Pro *Penelei* alios legisse *Peneleo*, ad Aen. VI, 20. videbimus.

- - II, 433. Etiam Weidn. cum Peerlk. verba sic construit: „et, si fata fuissent, ut Danaum manu caderem, meruisse me, ut eorum manu caderem,“ cui rationi ordinem verborum parum favere censuimus.

- - II, 434. *meruisse.* Sic etiam IV, 317. V, 355. 801. XII, 931.; contra *mereor* II, 690. IV, 547. V, 692. Vid. Neue II. p. 223 sq.

- - II, 464. Weidn., qui de toto Priami palatio accurate egit, *tabulata* non in ipsa domo, sed in turri quaerit et hanc non in tecto palatii, sed iuxta palatium exstructum fuisse censet.

- - II, 472. *Qualis ubi* redit IV, 143. IX, 563. XI, 492. et XII, 451., ut *qualis cum* legimus III, 679. et XII, 331. De comparationibus a voc. *qualis* incipientibus omnino cf. Weidner. ad II, 223.

- - II, 480. Vide supra ad v. 330.

- - II, 491. De claustris ianuarum apud Romanos cf. liber meus aliquoties comm. I, 1. p. 217.

- - II, 497. Etiam Weidn. scribit *Exit* et pro contracta Perfecti forma habet.

- - II, 512. De cavaedio nunc vide, quae scripsi in libro meo *Hellas u. Rom* P. I. Vol. I. p. 219. adn. 33.

- - II, 528. *Vacua atria.* Pro v. 716. lege 761. et delendo loco XII, 710. substitue VII, 379. Ceterum Weidn. duplicem proponit explicationem, aut *das weite, geräumige*, aut *das seiner Bewohner beraubte A.* Hoc alterum rectius esse puto.

- - II, 535. De Subst. *ausum* cf. Neue II. p. 253.

- - II, 547. *Nuntius*, non *nuncius*, scribendum esse docent Fleckeisen. I. tit. p. 21. Corssen. de pron. I. p. 51. et Brambach. *Neugestalt. d. Lat. Orthogr.* p. 219.

- - II, 555. Weidn. coniicit *Sors tetulit*, quamvis Vergilius hac antiqua Perfecti forma (de qua conferatur Neue II. p. 357.) alibi non sit usus.

- - II, 567—588. etiam Weidn., contra Peerlk. et Ribbeckium disputans, Vergilio vindicat; versum modo 579. ex interpola-

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 00878 8591